




DE
SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS
Liber Unus.

AUCTORE

ROBERTO
S. R. E. CARDINALE
BELLARMINO
SOCIETATIS JESU.

Acceſſit Dissertatio Philologica & Historica Philippi Labbè ejuſdem Societatis Presbyteri Theologi, ſuper iiſdem Scriptoribus.

Inſuper Supplementum *de Scriptoribus vel Scriptis Eccleſiaſticis à Bellarmino omiſſis ad Annum* 1460. *vel ad Artem Typographicam inventam.*

Editio omnibus emendatior, Supplementis, ac plurimis Indicibus nunc primum aucta.



VENETIIS, MDCCXXVIII.

Apud Christophorum Zane, ſub ſigno S. Ignatii.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

EMINENTISSIMI BELLARMINI

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



NTE annos circiter quadraginta, cùm me ad Sacram Theologiam in Scholis explicandam compararem; in lectionem veterum Scriptorum non indiligenter incubui; tum ut eorum doctrinam haurirem, tum ut legitima, & vera eorum opera à falsis, & suppositìtiis separarem. Itaque scripsi libellum de Scriptoribus Ecclesiasticis, addita censura, qua notabam, quæ illorum opera essent certa, quæ dubia, quæ manifestè suppositìtia. Hic meus liber me partim nesciente, partim etiam nolente, & prohibente, ad manus multorum devenit. Quare ne fortè post obitum meum in lucem edatur imperfectus, & mutilus, ut solent ejusmodi libri frequenter emitti; eum in hac mea ultima ætate recognovi, expolivi, & auxi, atque in lucem dare constitui, ut vel communi utilitati deserviat, vel saltem inemendatus, & imperfectus neminem offendat. Propositum autem mihi in hoc opere fuit, non omnes omnino Scriptores in Catalogum redigere: sed eos, tantùm, qui de rebus Ecclesiasticis quoquo modo tractant. Itaque Scriptores Ethnici, & qui de rebus tantùm profanis, aut etiam honestissimis quidem, sed politicis, & humanis agunt, quales sunt legum Civilium Tractatores, Philosophi, Medici, Oratores, Poetæ, Historici, Mathematici, locum in hoc Catalogo non habebunt. Ac ne omnes quidem Scriptores Ecclesiastici ad meum Catalogum pertinebunt, sed illi solùm, quorum opera adhuc supersunt. Plurimi enim sunt Scriptores optimi, quorum opera perierunt. Quos auctores poterit Lector apud sanctum Hieronymum, Eusebium, Gennadium, sanctum Isidorum, Photium, Honorium, Sigebertum, ac Trithemium facilè reperire. Denique non omnes Scriptores Ecclesiastici, quorum libri extant, in Catalogo meo ponentur: sed ii tantùm, qui ab anno millesimo quingentesimo ante Christi adventum, usque ad annum Christi millesimum quingentesimum, idest, à Mose primo Scriptore Ecclesiastico usque ad nostrum sæculum, sapientiæ Ecclesiasticæ laude floruerunt. Omisi enim Scriptores nostri sæculi, non quòd nulli, aut pauci, aut obscuri sint; sed quòd penè innumerabiles sint; & satis noti hominibus doctis; & quòd nulli sint libri quod sciam, illis falso suppositi, ob quorum discretionem à legitimis, & germanis, hunc laborem præcipuè ego suscepi. Si quis tamen cupiat hos etiam auctores cognoscere, habet Antonium Possevinum nostrum, qui in suo apparatu Sacro tribus tomis distincto, Scriptores penè omnes, veteres, & recentiores, per alphabeti ordinem enumeravit. Quia verò in hoc Catalogo solius temporis rationem habui, & miscui Theologos cum Juris Canonici peritis; & historicos Ecclesiasticos cum Oratoribus, & Poetis sacris: propterea ad majorem lectorum commoditatem, subjeci Indices decem, præter Indicem Alphabeticum, qui ad finem operis ponitur. *In primo* Indice erunt Explanatores sacræ Scripturæ. *In secundo* ii, qui

scribunt adversus Hæreses. *In tertio* Doctores Scholastici. *In quarto* sacrorum Canonum collectores, vel expositores. *In quinto*, qui casus conscientiæ tractant. *In sexto* Oratores Christiani. *In septimo* Poetæ, qui res sacras canunt. *In octavo* historici Ecclesiastici. *In nono* Chronologi item Ecclesiastici. *In decimo*, qui pios libellos ad alendam animi devotionem scribunt. Adjeci quoque ad finem operis brevem Chronologiam ab Orbe condito usque ad nostra tempora, ut omnes intelligant, quid secutus sim, cùm sua tempora Prophetis, atque aliis Scriptoribus assignavi. Illud postremò admonendum esse censui, me in hoc Catalogo non posuisse Pontifices Romanos, qui solas epistolas ediderunt, nisi quando probabile fuit, eas epistolas ab ipsis vel dictatas fuisse vel scriptas. Siquidem epistolæ Pontificiæ, ut plurimum, non partus sunt ingenii Pontificum, sed eorum, qui ab epistolis illis sunt. Certè sanctus Hieronymus in Epistola ad Geruntiam de Monogamia, testatur se juvisse Damasum Pontificem in chartis Ecclesiasticis; & Orientis, atque Occidentis Synodicis consultationibus respondisse. Ex quo intelligimus, epistolas illas partum ingenii Hieronymi fuisse, non Damasi. Sanctus quoque Gregorius auctor est insignis epistolæ, quæ sub nomine Pelagii secundi Pontificis habetur, post quintam Synodum generalem. Erat enim tunc Sanctus Gregorius Pelagii Papæ Diaconus, eumque juvabat in chartis Ecclesiasticis, ut Hieronymus Damasum. Constat etiam epistolam Alexandri III. Pontificis ad Soldanum Iconii, non ab Alexandro, sed à Petro Blesensi fuisse compositam. Quod idem de multis aliis affirmare possumus.

PHILIP-

PHILIPPI LABBE
PRÆFATIO
AD LECTOREM.



AM pridem tibi, Christiane Lector, ex antiquis meis Lectionibus depromptam adorno Bibliothecam universalem Scriptorum omnium, sive Sacrorum, sive Profanorum, in tres Partes distributam. I. Ab orbe condito ad Christi Domini natalem annum. II. Ab eodem Servatoris nostri ortu ad MD. Æræ Christianæ annum. III. Ab eodem MD. anno, si Deus votis nostris annuerit, ad nostram usque ætatem. Qua autem occasione hancce illius vastissimi operis brevem particulam à reliquo veluti corpore sejunctam prælo subjecerim, tibique nunc evolvendam, studiis omnium gratificaturus, obtulerim, paucis si legere vacat expediam.

Celeberrimus Regis Reginæque Galliarum Architypographus librum de Scriptoribus Ecclesiasticis ab Eminentissimo S. R. E. Card. Roberto Bellarmino conscriptum, typisque sæpius, nec una in urbe, excusum, parabat ipse, quartùm, quintùmve recudere ab aliquot sordibus, (quæ, post primam editionem, cui anno MDCXVII. Magnus Sirmondus, à Romana profectione reversus, ejusdem Cardinalis rogatu, industriam suam addixerat, incuria correctorum coaluerant) quantum fieri liceret, purgatissimum.

Quod ubi consilium accepi, laudare non destiti; meamque ultro operam obtuli; ut singula quæque folia è prælo recentia legerem, summaque accuratione emendarem: ne opusculum illud, quod haud satis scio, an alterum hisce nostris temporibus extiterit fructuosius, & studiosorum omnium profectui accommodatius, Typographicarum operum socordia fœdatum, in Lectorum, quod nonnulli questi fuerant, detrimentum verteretur. Cùm verò ea sit ingenii humani indoles, ut facilè ad imitationem accendatur; ac turpe videri soleat ad alienum convivium, modò tibi facultas non desit, accedere ἀσύμβολον, ex assidua libri illius lectione in eam ego quoque deveni mentem; ut de iisdem, quos Purpuratus Ecclesiæ Princeps illustraverat, Ecclesiasticis Scriptoribus sententiam meam, veluti symbolam, in medium proferrem; & Doctorum Indoctorumque, sive censuræ, sive profectui, consilio minimè, ut arbitror, reprehendendo, exhiberem.

Ne quis tamen existimet me hìc actum egisse: quid ad Bellarmini industriam adjecerim, quem mihi finem in Dissertatione hac Philologica atque Historica proposuerim, quamquam ex utriusque operis collatione obscurum nemini esse possit, pro more apud recentiores recepto, quàm fieri poterit brevissimè, aperiam.

I. Diligenter cavi, ne quid repeterem ex iis quæ apud Bellarminum legi commodè possunt, nec castigatione aut illustratione majori indigent. Quæ brevitatem in plerisque sectatus prætermisit, ad Chronologiam, Historiam, Criticamque sectam spectantia, ea ex meis, aliorumque eruditorum observationibus non neglexi, ejusque & aliorum errata interdum correxi; Græcorum Patrum editiones Græco-Latinas, cæterorumque Scriptorum perfectissimas quasque, quæ superiori sæculo dum scriberet Bellarminus nondum prodierant, solerter indagare studui; ut si aliud nihil, certè hinc discas, quibus librorum editionibus Bibliothecam tuam locupletare; quos ipse, ut uberiorem fructum feras, legere debeas.

PRÆFATIO.

II. Ordinem Alphabeticum in recensendis Scriptoribus amplexus sum, tamquam cuivis magis obvium, atque idoneiorem, ut cum Jurisconsultis loquar. Ne quis tamen temporum quoque seriem meritò desiderare posset, Abacum Chronologicum, in quo quanta fieri licuit accuratione suo quisque sæculo Mundano, Romano, Christiano affixus est, Regiamque Epitomem Sacræ profanæque Chronologiæ, cum versibus Technicis, ac plusquam XX. Indicibus pernecessariis adjunxi; ut qui nostros calculos semel imbiberit, Bellarminianam Chronologiam, in plerisque mancam, atque à sinceris temporum rationibus alienam ultra non requirat.

III. In singulis tria quatuorve ferè semper perstiti. Præmisi Auctoris elogium: in quo nomen, cognomen, patriam, parentes, dignitatem, professionem, diem, mensem, annumque obitus, quantum scire mihi datum est, studiosè annotavi: variasque variorum, sive Antiquiorum, sive Modernorum, aberrationes nonnumquam detexi & confutavi. Tum Auctores qui de illis, vel ex professo, vel obiter tantùm locuti sunt, Eusebium præcipuè, Hieronymum, Gennadium, Cassiodorum, Isidorum, Ildefonsum, Photium, Sigebertum, Honorium, Henricum de Gandavo, Trithemium, Sixtum, Baronium, Possevinum, aliosq; subjunxi. Adhæc, cùm omnia opera in unum corpus redacta sunt, id observavi, editionemque præstantissimam sequutus catalogum operum uno pluribusve voluminibus contentorum explicui: cùm verò variis in locis, temporibus, formisq; excusa sunt, ac velut Absyrti membra hinc atque inde dispersa, in totidem numeros distinxi, ut in Eusebio, Photio, Anastasio, similibusque deprehendes. Postremò tandem, cùm in operibus illis dubium aliquod aut suspectum, suppositititium, aut planè spurium, occurrit, monere Lectorem non prætermisi; & Criticorum recentium, præsertim Riveti, Coci, Perkinsii, Tossani, Gherardi, Aubertini, Hottingeri, Maresii, similiumque Heterodoxorum, inscitiam sæpissimè suggillavi, acrique nonnumquam aceto defricui: cùm scilicet ignorantiæ comitem adjunxit se in Catholicam Dei Ecclesiam, (quam petulantissimè ex iis quidam Romanam Meretricem vocare non sunt veriti) ejusque clarissimos defensores Baronium, Bellarminum, Perronium, &c. impietas atque impudentia.

* IV. Denique suam cuique Tomo coronidem imposui Cenotaphium scilicet Joannæ Papissæ, à Maresio, similibusque Onochronis nebulas Soli offundentibus, ex Utopia revocatæ, eversum, funditusque dirutum demonstratione Chronica ineluctabili, ex solis sæculi noni coætaneis scriptoribus contexta; & Diatribam de Aimoino Floriacensi Historiæ Francicæ Authore, ejusque Continuatore & interpolatore Monacho S. Germani Parisiensis. Quæ duo ab instituta de Scriptoribus Ecclesiasticis Dissertatione non abludunt.

Tu Lector vale, & fave. Additiones, quas præli per biennium & menses aliquot mora subinde peperit, suis locis insere, & calami ductus malè tornatos, operarum Typographicarum, & oscitantis interdum ἐπανορθωτȣ̃ lapsus emenda atque excusa. Cætera enim de ratione agendi cum Hæresiarchis, eorumque catulis hæreticorum dogmatum doctoribus φρεναπάταις, Satanæ primogenitis, ex Christi Domini, Apostolorum, Sanctorumque Patrum disciplina, præfari non sinunt chartæ hujus angustiæ.

Æternitatem cogita quisquis sapis.
Deo placere: Dein juvare proximos;
Ecclesiam protegere: proterere hæreses;
Hic finis esto, hæc meta studiorum omnium.

---

* Id omisimus ne mirum in modum hoc Volumen excresceret; & quia ad notitiam Scriptorum Ecclesiasticorum penè minimum confert. Alterius fortassis laboris & Voluminis coronidem faciet.

AUCTO-

AUCTORIS SUPPLEMENTI,
PRÆFATIO
AD LECTOREM.



OLLICEBATUR ab aliquot annis Vir doctissimus circa materiam Scriptorum Ecclesiasticorum Philippus Labbeus Societatis Jesu, specialem Dissertationem de Scriptoribus Ecclesiasticis, quos Robertus Bellarminus non attigerat. Hoc sanè non præstitit vir laboriosissimus, qui multa ad id Operis collegerat: vel morte interceptus, vel utilioribus aliis ad commodum Rei Litterariæ occupatus negotiis ac studiis. Atque utinam id complevisset! haberemus haud dubium, conformem spei nostræ operam ornatam, ordinatam, eruditam, perfectam: qualia sunt penè omnia profecta à tanto viro, qui multas atque amplissimas excusserat Bibliothecas, Gallicas potissimùm, cui proinde nullus aliquantæ æstimationis Scriptor ignotus esse poterat; imò nulla ferè cujuscumque Scriptoris impressio. Cùm itaque hoc Opus nobis deesset, venit in mentem mihi, colligere atque ornare aliquas Notas, quas lectitando variis ex locis collegeram, ad privatum commodum, juvandamque memoriam. Hæc cùm volverem anxius ac revolverem, addidit stimulos vacillanti Amicus quidam meus, quo tandem urgente admovi manum operi, apud me cum blattis mansuro, uti statueram. Fateor ob innumeram Scriptorum multitudinem, singulos à me non attingi, quis enim id possit? Maximè sæculis XV. XVI. XVII. ubi nulla ferè Orbis Christiani Natio est, quæ non Authores pepererit, ad ingens volumen Nomenclatura sola idoneos. Fuisset igitur hoc propositum laboriosum simul ac superfluum, quin & impossibile successu, quod tot Erroribus Nævisque ob locorum distantiam, impossibilemque totius Christianismi notitiam, scateret: ut vix inculpatam paginam Docti, ac Multi hujus temporis Critici reperissent. Omissis igitur sequioribus Ecclesiæ sæculis, ordior ab ejus ortu, progressurus usque ad sæculi XV. medium vel circiter, quo Typographica Ars in Europam summo Doctorum omnium bono prognata est, quo maximè tempore cessant in antiquis Ecclesiarum Cathedralium, Academiarum, Abbatiarumque Bibliothecis Manuscripti Codices, quos in multis ejusmodi locis excussi. Non tango Scriptores Ecclesiasticos, quos Bellarminus & Labbeus recensent, nisi ex occasione, nempe vel quia sæculo aut loco non suo collocati sunt, quod corrigendum fuit: vel quòd alia quædam illorum Opera mihi cognita sunt, quæ temporibus illorum nondum lucem aspexerant, quod recensendum fuit: vel denique ob nonnulla Manuscripta, quæ mihi Latinas potissimùm volventi Bibliothecas occurrerunt, in itineribus paucis ad id susceptis. Cæteros de quibus nihil mihi novum dicendum occurrit, intactos linquo. Quantum porrò ad alios, quorum apud ipsos silentium, paucis perstringo; ut Opusculi nomen salvum sit. Si enim tentassem uniuscujusque Scriptoris recensere patriam, studia, occupationes, conditiones, officia, fortunas, annos vitæ, & alias quaslibet hujus stadii circumstantias; quilibet Scriptorum, vel eorum quamplurimi, seorsim uni Opusculo huic æquali suffecissent. Tantumque abest, ut hæc scribendi ratio Lectoribus grata fuisset, vel Amico rem à me hanc exposcenti; quin plures ab Opusculo legendo abstinuissent. Paucis ergo multa complector, & ea dispositione quæ commodissima omnibus semper visa est, juxta successionem sæculorum & annorum in sæculis. Si quid aliquando tantisper ab hoc ordine discrepat, ut Auctor unus alterum post paucos annos sequatur, quem totidem annis præcedere debuerat: id parcendum properanti, tamquam minimi vel nullius momenti in Chronologia. Adjeci multos Auctores hucusque incognitos, notatis eorum Operibus Manuscriptis, in quibus lateant Bibliothecis: ut si quando Docti velint illos eruere è tenebris oblivionis, possint id facere, rescientes, ubinam gentium inveniantur. Nullus etenim dubitat, quin multa etiam manuscripta Opera sint, longè præstantiora multis, quæ sæpiùs impressa sunt. Denique nonnullas criticæ partes in paucis Scriptoribus excussi, ut in Sancto Methodio Patarensi Episcopo, Guillelmo Arverno Episcopo Parisiensi, & aliis, utpote necessarias ad hoc ut unicuique suum redderetur. Quod & latiùs egissem, si de clarioribus Ecclesiæ Doctoribus Origene, Augustino, Ambrosio, Hieronymo, & cæteris egissem, à quibus abstinui. Omnia porrò Compendio & clarè absque verborum phalera. Demum quæ à me sæpiùs allegata sunt, Collectanea sæculo superiori & præsenti evulgata, continentia veteres Ecclesiasticos Auctores plurimos, quibus multum Ecclesiæ Doctisque commodum allatum fuit, quorum hæc potissima sunt. Bibliotheca Sanctorum Patrum variis tomis in folio Parisiis potissimùm, Coloniæ, & Lugduni novissimè anno 1677. impressa apud Anissonios fratres. Auctaria illius Duo, edita curis Francisci Combefis, ex Editione Græco-latina Parisiensi annorum 1648. & 1672. Collectaneum inscriptum, *Gesta Dei per Francos*, anno 1611. Hannoniæ impressum duobus tomis in folio, cura Joannis Bongarsii. Collectaneum variarum Peregrinationum in Orientem anno 1569. Basileæ in folio impressum. Collectaneum Scriptorum Historiæ Byzantinæ, variis tomis, in folio Parisiis ab anno 1648. & sequentibus, ex Typographio Regio impressum. Collectanea varia Historicorum Germaniæ, à variis compacta Scriptoribus diversorum temporum, à Joanne Pistorio 1583. Christiano Urstitio 1585. Marquardo Frehero 1602. 1603. &c. Collectaneum Auctorum qui de Jurisdictione Ecclesiastica atque temporali scripserunt, procuratum à Melchiore Goldasto viro cæteroquin doctissimo, sed hoste maximo Romanorum Pontificum. Collectaneum Antiquarum Lectionum Henrici Canisii in quarto, sex tomis Ingolstadii anno 1601. & sequentibus. Collectaneum Historicorum Franciæ quinque tomis in folio Parisiis apud Sebastianum Cramoisy anno 1636. & sequentibus, curis Andreæ Duchesnii. Itemque Historicorum Normanniæ in folio, ibidem anno 1619. ab eodem. Nova Bibliotheca Manuscriptorum librorum Philippi Labbei duobus tomis in folio anno 1657. apud eumdem Cramosium. Spicilegium D. Lucæ Dacherii tomis tredecim in 4. Parisiis impressum. Miscellanea Stephani Baluzii, cum Analectis Joannis Mabillonii, Ordinis Divi Benedicti, impressa Parisiis in octavo, variis tomis apud Franciscum Muguet & Ludovicum

Billanium,

Billanium, celebres Bibliopolas. Bibliotheca Scriptorum Veterum Ordinis Cistercienfis, in folio tomis octo, cura & studio Bertrandi Tiffier, Prioris Bonifontis in Thierascia, ab anno 1662. & sequentibus, apud Bonumfontem impressa, sed quæ venalis est apud Bernarditas Lutetianos & alibi. Collectaneum Antiquorum Historicorum Angliæ, qui post Bedam præcipui, in folio Londini anno 1596. & Francofurti 1601. curis Henrici Savillii. Itemque aliud inscriptum, *Anglicarum, Hibernicarum & Cambricarum rerum Scriptores*, à Guillelmo Cambdeno collecti, in folio Francofurti 1603. Vvechelianis Typis: ac tertium *decem Scriptorum* duobus tomis in folio Londini 1652. cura & studio Joannis Seldeni. Collectaneum Conciliorum Angliæ, duobus tomis in folio, curis Henrici Spelmanni. Collectaneum denique Monastici Anglicani, quatuor in folio tomis Londini ab anno 1661. ad annum 1667. editum, & jam ubique cognitum. Collectaneum Hispaniæ illustratæ, cum Collectaneo Historicorum Siciliæ & aliis, quæ ob brevitatem prætereo, de quibus suis locis ex occasione loquar. Omittimus etiam Collectaneum Decretalium Antiquarum Pontificiarum Isidori Mercatoris, Hispani, qui sæculo IX. floruit, nimirum ob evidentem earum suppositionem, & in evulgando hoc Opere imposturam. Hanc Orbi Christiano detexit David Blondellus Calvinista Minister integro volumine, Genevæ in quarto edito anno 1628. quem postea in hac parte Docti omnes amplexi sunt, etsi lasquientem Operis titulum improbaverint, *Pseudo-Isidori ac Turriani vapulantium*. Poterat sanè modestiùs in hac parte uti fortuna sua Blondellus, qui multis utrumque conviciis insectatur. Hæc sunt ad quæ sæpiùs ego Lectorem mitto, præsertim dum Auctores separatim impressi non extant. Si quis posteà grandius volumen aggredi voluerit, aggratulabor, nec me pœnitebit præivisse Compendio, quod privatis meis usibus sufficiens fuit, addo & magis commodum. Unum autem cordi mihi fuit, specialis quædam præcautio, ne quempiam aggrederer hostili modo, acerbeque appellarem, ex his etiam quos aut Calvinistas, vel Hæreticos appellat vulgus. Licèt enim improbem omnem Hæresim, Sectasque omnes ab Orthodoxa nostra alienas execrer: non possum tamen arridere iis Scriptoribus etiam Orthodoxis, qui egregiè veram Fidem defendisse se arbitrantur, dum multa probra, convicia, injurias, ironias, aliaque ejusmodi atræ bilis sputamenta in Hæreticos ad sanguinem usque evomuerint. Tantùm abest ut ejusmodi scommata conducant errantibus ad caulas adducendis ovibus; ut inde magis à legitimo Pastore audiendo alienentur, ab ovili longiùs avocentur; opinenturque non tantùm non esse Orthodoxos, sed nec etiam Christianos, qui mediis his Paganis ac Gentilibus utantur, ad procurandam Christianorum unitatem & Errantium salutem. Si quid igitur acerbum in quempiam etiam Hæterodoxum dictum fit, quod Charitatem vel humanitatem lædat, dictum non sit. Ingratus autem omninò essem, nisi testarer, per quos potissimùm in hoc Opusculo colligendo profecerim. Horum unus, Domnus Placidus *Porcheron*, vir eruditus atque humanissimus, Bibliothecarius Sancti Germani de Pratis, qui locupletem hanc Bibliothecam quotidianis pro munere sibi commisso ditat accessionibus. Hic quidquid in hac amplissima Bibliotheca tam manuscriptum quàm impressum fuit, effuso corde, vultu hilari, manu semper aperta obtulit, ingessit; ut parem in altero quopiam experiri unquam humanitatem ac bonitatem, vix sperare audeam. Alter Stephanus Baluzius, celeberrimæ Bibliothecæ Colbertinæ Præfectus, qui tantus quantus, propria etiam manu conscriptum Syllabum eorum Operum manuscriptorum, quæ nondum impressa sunt, obtulit, quo novum clarescceret Opusculum. Effari pauca de illo, grande scelus: loqui multa, planè superfluum, cùm nullus in Orbe Litterario tantisper eruditus sit, qui Baluzium non noscat: nulla Bibliotheca quæ libros ab ipso editos & multitudine & judicio & eruditione insignes, habere non ambiat, ulnisque ambabus acceptos non amplexetur. Dignissimus tanta Bibliotheca Custos, digna tanto, tamque erudito Custode Bibliotheca. His paucis contentus, plura supprimere, ob amborum modestiam cogor. Quæ me prælocutum fuisse, sufficiat.

Lecto-

LECTORI

De Methodo atque ratione nostræ hujus Editionis.

MONITUM.



LIBRUM de Scriptoribus Ecclesiasticis ad Sacram Theologiam in Scholis explicandam, Eminentissimus S. R. E. Robertus Cardinalis Bellarminus in sui privatum commodum exaraverat. Verùm cùm non una tantùm de caussa vir æquè doctus ac humilis impelleretur, ut fœtum suum emitteret, postrema sua ætate recognitum, expolitum, adauctum communis utilitatis ergò typis obtulit. Quantam quantam tamen operam in illo vel corrigendo, vel adaugendo navaverit Optimus Parens, ea erat libri natura, atque conditio, ut multis in dies ditandus esset Supplementis, quibus ut locuples fieret, non ætas, non ratio vitæ Auctori sinebant; ut hinc nemo non videat, idipsum in caussa fuisse Philippo Labbè ejusdem ac Bellarminus Societatis Jesu Presbytero Theologo, ut super iisdem, quos illustraverat Bellarminus, Ecclesiasticis Scriptoribus suam sententiam proferret; quod præstitit libro, quem titulo Philologicæ & Historicæ Dissertationis de Scriptoribus Ecclesiasticis donare voluit. Opus quidem, si molem spectes exiguum, si rerum abundantiam magnum, si diligentiam, qua exaratum est, atque multiplices adjectos Indices, perutile accidat, ac perjucundum omnibus necesse est. In eo autem, quæ castigatione, quæ illustratione, quæ additione indigere videbantur, correxit, dilucidavit, suisque locupletavit observationibus. Quæcumque tamen in suo opere nobis Labbeus exhibuit, nulla vides esse præter ea, quæ Auctores recensitos à Bellarmino spectant; ultra cujus fines abire sua sibi Dissertatione Labbeus constituerat, suique voti compos fuisset, nisi morte interceptus explendæ, perficiendæque Ecclesiasticæ compendiariæ Bibliothecæ aliis cessisset Spartam.

Ut ut fuerit in fatis, hinc contigit, ut Bellarmini fœtus in nos defæcatior derivaret, & comptior. Sed quid satis perfectum expectandum erat in hoc scriptionis genere, in quo quisquis scribat, semper lituræ, semper Supplemento locum fore certo certius est? Haud equidem inficias eo, cùm Bellarminus hujusmodi librum concinnaret pro Theologicis suis Scriptionibus, alienam prorsus rem ab Scopo ejus fuisse Illustrium virorum deperdita opera recensere; quid enim emolumenti ad positivè docendum ex iis, quæ desiderantur? Alienam penè multiplices Sacri Veteris Novique Fœderis Versiones, & Paraphrases enumerare, alienam denique certò, ut ejusdem cuique Sacro Libro Auctorem vindicaret suum, dissertationes dissertationibus adtexere.

Sed licèt hæc, aliaque benè multa ad compendiariam Ecclesiasticam Bibliothecam comparandam pernecessaria, injuria exspectaremus postularemus à Bellarmino tam arctis limitibus, quos ipse sibi præfixerat, coercito, ex quo tamen omnes Ecclesiasticos Scriptores ab anno millesimo quingentesimo ante Christi Adventum ad suum usque sæculum libello suo comprehendere intenderat, id certè jure exigebatur, ut Auctores, veluti postliminio reversos, in bonis quò posset suis restitutos in publicam lucem emitteret. Quod etsi qua sibi licuit ratione egerit, meritissimus S. R. Ecclesiæ Cardinalis, summis negotiis, assiduis curis, continuo studio, gravissimisque pro Christiana Republica laboribus æquè implicitus, ac consumptus; cùm eorum temporum, quorum enumerare Auctores intenderat, bene multi qua in Bibliothecarum latebris, qua aliqui in sordibus, qua alii etiam cum blattis delitescerent, & manerent: insuper cùm epistolæ plurimæ Tractatus varii eorumdem, sed non typis vulgati in reconditioribus Bibliothecis adservarentur, quas ille perlustrare minimè poterat, quidquid ex tam ingenti subsidio adjici posset ejus libello, adjicere unus atque alter adgressi sunt; ut prælaudatus Labbeus, supplendo omissa circa jam ab eo percensitos Auctores; ut Præmonstratensis quidam, Supplementum concinnans Auctorum, quos ambo intactos reliquerant. Ex iis ergo, quæ Labbeus adjecit, quæ suppeditavit alter, an non Viro Theologo satis perfectum Ecclesiasticorum Scriptorum Catalogum damus? Minimè audemus penitus aut infiteri aut asserere. Non ignoramus, quæ ad Ecclesiasticam Bibliothecam conficiendam requirerentur, quæ omnia si huic de Scriptoribus Ecclesiasticis Bellarminiano libello addita essent, Bellarminiani Operis nomen immerito sibi adscisceret. Hæc id generis aliam fortassis diem manent. Modo itaque Bellarmini libellum, Labbeanam Philologico-Historicam Dissertationem, & utriusque Supplementum damus. Quid autem in hac nostra Editione præstiterimus hic habe.

Principem locum Textui dedimus Bellarminiano, quem absolutè posuimus prænotando tantùm Auctoris Nomen Capitulo. In Paragrapho sequenti, cui præmittitur, DISSERTATIO HISTORICA, ea sunt ad supra positum Authorem pertinentia; excerpta ex Labbeo, qui cùm non temporum seriem, sed Alphabeticum ordinem, servaverit, veluti in frusta à nobis discerptus est, ut quæque circa unum eumdemque Authorem scripta à diversis conjungeremus. Et quandoquidem multa adauxit Labbeus operi suo, quæ in unum Tomum collegit, ex hoc etiam eæ additiones per nos excerptæ Paragragho suo subnexæ sunt; prænotatis linea, lineæque verbis, quibus inserenda essent ea additamenta, literula, initio additamenti quoque præfixa. Hunc porrò modum adnectendi Labbeo Labbeum ipsum sequuti summus, cùm non alium, quod placuerit ne verbum quidem ejus aut abscindere, aut immutare, quod necessariò faciendum, nisi hoc pacto additamenta adnexuissemus.

Post

MONITUM.

Post duos igitur hosce paragraphos SUPPLEMENTI paragraphum subjecimus, si quid ex Supplemento aliquid Authoribus, quos attigit Bellarminus, addendum erat. Sin minus, post eum annum, de cujus Authore Bellarminus disseruit, anteaquam ad Authores posteriores exscenderemus, ex Supplemento adposuimus, quæ ponenda, si de aliquibus intermediis Scriptoribus omissis supplendum erat. Titulus hujus paragraphi semper: SUPPLEMENTUM etiamsi aliquando contingat sæculum exordiri ab aliquo Scriptore, vel etiam aliquem inserere, de quo nihil meminerit Bellarminus. Hujus Supplementi sunt cum Admonitio præfixa Authori anni millesimi trigentesimi primi, tum etiam Epilogus, qui Joannem Gobelinum subsequitur. At hìc unum moneamus necesse est, nos Bellarminianam per Corpus Operis Chronologiam sequutos fuisse, ut proinde si Author Supplementi Authorem aliquem Sæculo e. g. Septimo vindicaverit quem Bellarminus Sexto adtribuit, Sexto & nos eum Authorem tribuerimus; locum tamen genuinum posterioris Sæculi ejus nomine ornantes, notata ibi pagina anteriore, in qua quid de eo exscriptum sit, reperitur. In quo id consilii nobis fuit, ne quid Bellarmini etiam immutaremus; licèt enim quædam præsertim circa Chronologiam corrigenda sint, vel nullius, vel minimi momenti erat ea in Corpore Operis non emendare; quæ jam correcta habent Lectores in Indicibus, & Abaco Chronologico ad calcem libri. Sed neque Chronologiam produximus; quippè multis majoris momenti omissis, ridiculum erat una tantùm Chronologia ad nostra usque tempora perducta, perfectionem velle operi adsciscere.

His omnibus expositis reliquum est, ut ordinem Indicum exponamus. Post Authores igitur, quos Bellarminus perduxit ad annum usque decimum tertium Sæculi Decimi Sexti, & Author Supplementi ad annum millesimum quadringentesimum Sexagesimum; visum est ut imprimeretur DIATRIBA DE AIMOINO FRANCICÆ HISTORIÆ SCRIPTORE, quam & Tabulæ Chronologicæ, & varii subsequuntur Indices, quorum ordinem, & seriem posterior pagina exhibet.

Hæc operis totius Oeconomia. Utinam non malignè accipiantur quæ in ipso egimus, quæ cujus sint diligentiæ, alii norint; quibus malè audire possint, plures veremur; an bene quibusdam accidere, & in charis esse, ultra Spem nostram est. Verùm iis, si qui erunt, in antecessum gratias rependimus.

INDI-

INDICUM

VARIORUM SERIES.

Irrepsit ante Indicem Chronologicum paginæ 632. ante alterum paginæ 651. Et tertium paginæ 661. hic error : Auctoris Supplementa. Index &c. Corrige : Ex Auctore Supplementi. Index &c. ut sequitur.

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & approbazione del P. *F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore* nel Libro Intitolato : *De Scriptoribus Eccleſiaſticis Auctore Roberto Bellarmino , cui acceſſit Diſſertatio Philologica & Hiſtorica , ac Supplementum de Scriptoribus vel Scriptis Eccleſiaſticis*, non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica ; & parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro , niente contro Prencipi , & buoni coſtumi , concedemo Licenza a *Criſtoforo Zane Stampatore* che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librarie di Venezia , & di Padoa.

Data li 15. Novembre 1726.

(Carlo Ruzini K. Proc. Ref.
(Andrea Soranzo Proc. Ref.
(Zan Pietro Paſqualigo Ref.

Agoſtino Gadaldini Segrettario.

22. *Gennaro* 1726.
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſs. degli Eſſecutori Contro la Beſtemia.

Antonio Canal Nodaro.

D E



DE
SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS TESTAMENTI VETERIS.

DE MOSE. 2483.



MOSES Propheta sanctissimus, & vetustissimus, & primus inter Scriptores Ecclesiasticos, natus est, secundùm meum computum, anno bis millesimo quadringentesimo tertio ab initio Mundi. Vixit annis centum viginti. Anno octogesimo vitæ suæ suscepit jussu Dei Principatum Hebræorum, idest, anno mundi 2483. obiit anno mundi 2523. Scripsit *Pentateuchum*, idest quinque volumina, quorum nomina ab Hebræis sumuntur à primis verbis librorum.

Itaque primum vocant *berescit*, id est, in principio.

Secundum *veelle semot*, idest, Hæc sunt nomina.

Tertium, *vaicra*, idest, Vocavit autem.

Quartum, *vajedabber*, idest, Locutusque est.

Quintum, *elle addebarim*, idest, Hæc sunt verba.

Græci, & Latini denominant hos libros à materia, de qua agitur in principio libri, & quidem primum librum vocant Genesim, quia initio scribitur generatio cœli, & terræ, & reliquarum rerum creatarum.

Exodum vocant librum secundum, quia initio describitur egressio filiorum Israel de Ægypto. Exodus enim egressum significat.

Tertium vocant Leviticum, quoniam in eo describitur officium Levitarum circa tabernaculum, sacrificia, & alia id genus.

Quartum vocant Numeros, quoniam initio libri numeratur multitudo filiorum Israel per tribus, & familias suas.

Quintum vocant Deuteronomium, quasi secundam legem, quoniam in eo reperitur, & explanatur lex Domini data in monte Sina.

Ex his libris intelligi potest, Mosem fuisse virum doctissimum, non solùm in omni sapientia Ægyptiorum, ut dicitur à sancto Stephano A-

A ctor. 7. sed etiam in arte Historica, Poetica, Oratoria, Morali, & Theologica. Scribit enim Historiam, Genealogias, & res gestas Patriarcharum ab orbe condito usque ad exitum filiorum Israel de Ægypto, idest, ab initio temporum usque ad annum bis millesimum quadringentesimum octogesimum tertium, immò etiam usque ad obitum suum, idest, usque ad annum bis millesimum quingentesimum vicesimum tertium. Quæ autem post mortem ipsius Mosis scribuntur in extremo capite Deuteronomii addita sunt, vel à Josue, vel ab

B Esdra, vel ab alio aliquo Propheta.

Quòd etiam Poeta insignis fuerit Moses, testantur duo cantica ipsius, alterum Exod. 15. alterum Deuteronom. 32. De arte ipsius Oratoria testatur Oratio, quam scribit sub nomine Judæ ad Joseph. Genesis 44. & alia ipsius Mosis ad Deum. Numer. 14. & exhortationes, vel reprehensiones ad populum. De scientia Morali, & peritia legum condendarum, non tam proprio ingenio, quàm inspiratione divina, testis est magna pars Exodi, Levitici, & Deuteronomii. Denique de my-

C steriis Theologiæ, sub figura Arcæ fœderis, & vestium sacerdotalium, & totius tabernaculi, testis Philo Hebræus, qui has allegorias subtilissimè explanavit.

Scripserunt vitam Mosis Philo ex Judæis, & Gregorius Nyssenus ex Christianis. Tribuuntur Mosi psalmi undecim à Sancto Hieronymo, & aliis: sed probabiliorem existimavi sententiam Sancti Augustini, & aliorum, qui totum psalterium Davidis esse volunt. De qua re scripsi in præfatione Psalmorum.

D

Dissertatio Historica.

MOSES Amrami, & Jochabethæ filius natus anno Mundi ex nostris rationibus 2464. ante Christum 1590. Israeliticum populum anno 2544. eduxit ex Ægypto, legemque à Deo in monte Sina traditam promulgavit: tum peractis in deserto annis 40. in monte Phasga mortuus est anno Mundi 2584. ætatis 120. Hæc strictim

Plura de eo Philo (*a*) Judæus, Clemens Alexandri-
nus, Gregor. Nyſſenus, aliique Sancti Patres, atque
è recentioribus Lipomanus, Martinengus, Salianus,
Poſſevinus, Debrius, Pererius, aliique Sacræ Scri-
pturæ Interpretes, præſertim qui Pentatheucum,
hoc eſt Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros,
& Deuteronomium, aut aliquam eorum partem e-
narrarunt. De Moſis ἀναβάσει ejuſque teſtamento
χετιτῇ γενέσει ſimilibuſque apocryphis falsò illi aliiſ-
ve priſcis ſcriptoribus attributis, vix neceſſe erat
Lectorem admonere: cùm autem non extent, aut
fragmenta illorum dumtaxat reperiantur, ut parvæ
Geneſeos apud Cedrenum, & quoſdam alios Græ-
culos conſarcinatores.

(*a*) Et Joſephus Judæi, Clemens Alexandrinus
libro primo Stromaton, ubi illud ex Numenio
Pythagorico Philoſopho τί πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικί-
ζων, Conſtantinus Magnus Orationis ad Sanctorum
cœtum cap. 17. Euſebius pluribus locis, Theodore-
tus lib. 2. adverſus Gentes &c. Accuſatus Magiæ à
Plinio lib. 30. cap. 1. Hiſtoriæ Naturalis, & inter
Magos cum Jamne & Jothape recenſitus. Accuſa-
tus etiam inſcitiæ à Juliano Apoſtata apud San-
ctum Cyrillum à Galeno lib. 2. de uſu partium, &
à Celſo Epicureo apud Origenem lib. 4. Defenditur
cùm ab aliis, tum à Theophilo noſtro in Hoplothe-
ca adverſus ictum calumniæ.

DE JOB.

JOB, ad miraculum uſque ſanctus, & doctus,
ante Moſem vixit. Nam ex ſententia Græco-
rum, & multorum Latinorum, fuit tertius ab E-
ſau, & quintus ab Abraham. Moſes autem fuit
quartus à Jacob, & ſextus ab Abraham. Sed ex
ſententia Hebræorum & ſancti Hieronymi in quæ-
ſtionibus Hebraicis, Job non deſcendit ab Eſau,
ſed à Nachor fratre Abrahæ; & fuit tertius à Na-
chor fratre Abrahæ, ac per hoc multo antiquior
Moſe. Quod etiam ex ætate colligitur. Job enim
vixit centum quadraginta annis poſt plagas, ut di-
citur in fine libri, & antea vixerat multos annos,
cùm ſeptem filios, & tres filias genuiſſet. Quare
non malè Sanctus Iſidorus in libro de vita & morte
Patrum capite vigeſimo quarto ſcribit, Job vixiſſe
ducentos quadraginta octo annos, ad quam ætatem
Moſis tempore nemo perveniebat. Mihi ſententia
Sancti Hieronymi ſemper viſa eſt probabilior, tum
propter diſtantiam ætatis, ut diximus: tum quia
pronepos ille Eſau, non dicitur Job, ſed Jobab,
ut notum eſt ex Geneſis capite trigeſimo ſexto, quo
nomine numquam vocatur Job, neque in libro Job,
neque apud Ezechielem capite decimoquarto, ne-
que Tobiæ primo, neque Jacobi quinto, in quibus
ſolis locis fit mentio Sancti Job. Ac ut magis appa-
reat differentia: ſciendum Sanctum Job, ita ſcribi
Hebraicè איוב, pronepotem autem Eſau, ita ſcribi
יובב, ubi differentia eſt in ipſis radicalibus literis.
Quod autem aliqui reſpondent, literam aleph ali-
quando excidere, & nomina ſæpè contrahi, non
magni momenti eſt. Nam literæ radicales non ſo-
lent excidere: & ſi, Job, eſſet nomen contra-
ctum, aliquando legeretur integrum in libro ubi
paſſim nominatur: nuſquam autem legitur, niſi Job.

At contra objicitur argumentum ex editione 70.
Interpretum. Habetur enim in ea editione appendix
ad finem libri Job, in qua dicitur, Jobum fuiſſe de
filiis Eſau, & quintum ab Abraham. Sed ea ap-
pendix non videtur de textu 70. ſed ab aliquo addi-
ta: alioqui non ita liberè à Sancto Hieronymo re-
jiceretur. Sed quicquid de hoc ſit, auctorem libri
Job Sanctus Iſidorus lib. 6. Originum cap. 2. ſcribit
A fuiſſe Moſem, aut ipſum Job, aut alium ex Pro-
phetis. Et quidem non pauci contendunt, auctorem
libri fuiſſe Job, ſed non pauciores volunt fuiſſe
Moſem.

Mihi utraque ſententia videtur vera, ſi ita dica-
mus, ab ipſo Job fuiſſe annotatas res ejus geſtas
lingua Arabica: ſed à Moſe fuiſſe poſtea ex vo-
lumine Job compoſitum librum, quem nunc ha-
bemus, lingua Hebraica, addito principio, & fi-
ne, ideſt additis illis verbis, Vir erat in terra Hus,
nomine Job, ſimplex & rectus, & timens Deum,
& recedens à malo; & ad finem addita morte
ipſius.

Quòd autem liber, qui nunc extat, ſit Moſis
B potiùs, quàm Job; ideò mihi perſuadeo, quia &
Hebræi doctores ita ſentiunt, & rationes non con-
temnendæ pro hac ſententia poſſunt adferri.

Primùm enim ſi Job eſſet auctor libri, qui nunc
extat, primus ſcriptor ſacer eſſet Job, non Moſes.
Jam enim ex ætate oſtendimus, & ex ipſa ſcri-
ptura, Jobum fuiſſe antiquiorem Moſe. At com-
muni conſenſu, Moſes eſt primus ſcriptor Eccle-
ſiaſticus.

Deinde ſi Job eſſet auctor libri hujus, non eſ-
ſet hic liber in canonem ſcripturarum ab Hebræis
admiſſus. Job enim non fuit de filiis Iſrael, ſed
Idumæus, vel Arabs: Idumæi autem, & Arabes
pro hoſtibus habebantur ab Hebræis.

Præterea liber Job Hebraicè ſcriptus eſt, non
C Syriacè, vel Arabicè, quamvis aliqua vocabula A-
rabica in eo legantur, præſertim quando introdu-
cuntur loquentes amici Job: at Job, non Hebrai-
cè ſcripſit, ſi quid ſcripſit, ſed lingua ſua. Quòd
ſi non eſt Job auctor libri hujus, nulli melius tri-
bui poteſt hoc opus, quàm Moſi, qui fuit tempo-
ribus Jobi. Quod enim quidam dicunt auctorem
hujus libri eſſe Salomonem: ex auctoritate San-
cti Gregorii Nazianzeni Oratione ad Julianum ex-
actorem, ſeu verius, exæquatorem tributorum;
non magnifaciendum eſt: nam Sanctus Gregorius
non dicit, Salomonem eſſe auctorem libri Job,
ſed ſolùm citat ſub nomine Salomonis quædam
D verba, quæ habentur apud Job cap. 3. Sed facile
fuit, ut Sanctus Gregorius ex lapſu memoriæ ver-
ba unius auctoris tribuerit alteri: præſertim cùm
eo loco verbis, quæ ſunt apud Job, adjunxerit
etiam alia, quæ non ſunt apud Job.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOB ſeu Jobab anno Mundi 2230. natus in ter-
ra Hus, tentatus anno 2399. ætatis 70. ac de-
mum mortuus anno 2539. ætatis 210. Auctor cre-
ditur libri, quo ejus lucta cum Dæmone, & va-
rii cum amicis ſermones exponuntur. De eo poſt
Sanctum Hieronymum, Gregorium Magnum, Six-
tum Senenſem, Joannem Paulum Comitolum,
E Alphonſum Salmeronem, Joannem Pinedam, Ja-
cobum Salianum, Gaſparem Sanctium, Dionyſium
Petavium, alioſque Scripturæ Interpretes, & re-
rum Eccleſiaſticarum Tractatores præſtat potius ſi-
lere, quàm pauca ex iis delibare, quod Poſſevi-
nus fecit, qui de Catenis, & Interpretibus ejuſdem
libri Græcis, Latiniſque diſſerit.

DE JOSUE. 2523.

JOSUE filius Nun, ſucceſſor Moſis fuit in prin-
cipatu Hebræorum anno Mundi 2523. qui po-
pulum poſt obitum Moſis rexit annis viginti ſex,
& obiit anno centeſimo decimo vitæ ſuæ, ut ha-
betur in ultimo capite Joſue. Quis auctor fuerit
libri

libri Josue, non est omnino certum. Nam Sanctus Athanasius in Synopsi rectè monet ex nomine libri non necessariò colligi auctorem, sed materiam. Dicitur enim liber Josue, quia continet res gestas Josue: & eodem modo dicuntur libri alii, vel Judicum, vel Ruth, vel Regum, vel Tobiæ, aut Judith, aut Esther, aut Machabæorum. Theodoretus in libro de quæstionibus in Josue, existimat, librum Josue scriptum ab auctore anonymo, qui scripsit librum justorum, de quo dicitur Josue 10. Nonne scriptum est hoc in libro justorum? Sed hoc argumentum nihil efficit. Nam non agitur eo loco, nisi de ingenti illo prodigio, quo ad verbum Josue Sol, & Luna steterunt. Hoc enim prodigium cum aliis similibus videtur annotatum fuisse in aliquo libro, qui dicebatur liber justorum.

Sanctus Isidorus libro sexto Originum cap. secundo affirmat, librum Josue scriptum fuisse ab ipso Josue. Et hoc verissimum nobis esse videtur, tum quia in extremo capite hujus libri dicitur de Josue, scripsit omnia verba hæc in volumine legis Domini: tum quia omnino credibile est, Josue ministrum, discipulum, & successorem Mosis, imitari voluisse Dominum, & Magistrum, & prædecessorem suum: ut sicut ille ad æternam memoriam literis mandaverat res gestas in populo Dei usque ad sua tempora; ita & ipse faceret, cùm ei nec scientia, nec assistentia Spiritus Sancti in scribendis sacris historiis deesset. Porrò pauca, quæ adduntur in fine libri de morte ipsius, & sepultura, sine dubio scripta sunt à successoribus, quicumque illi fuerint, & verisimile est à Samuele, vel Esdra.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOSUE sive Osee filius Nun, natus anno Mundi 2491. cum Calebo, mittitur exploraturus Chananitidem anno 2445. Mortuo Mose anno 2584. Dux Helicæorum Jordanem transit, capit Jericho &c. Dein moritur anno Mundi 2600. ætatis 110. Principatus Judaici 17. De eo plura Salianus, Masius, Magallianus, aliique Interpretes, & Chronologi.

DE SAMUELE PROPHETA. 2878.

SAMUEL Propheta fuit ultimus Judex & Princeps populi, antequam Reges creari cœpissent. Suscepit autem Principatum anno mundi 2878. præfuit annis 20. Hunc fuisse auctorem libri Judicum, & Ruth, & libri primi Regum, docet Sanctus Isidorus libro sexto Originum cap. secundo, & quod attinet ad librum primum Regum, in quo continentur res gestæ Davidis, testatur liber primus Paralipom. capite ultimo, eum scriptum fuisse à Samuele. Dicitur etiam lib. 1. Reg. c. 10. à Samuele fuisse scriptam legem Regni: sed hæc non videtur extare.

DISSERTATIO HISTORICA.

SAMUEL Helcanæ atque Annæ filius verè θεαίτητος Summo Hebræorum Pontifici Heli in regenda Republica successit ultimus populi sui Judex per annos 22. ab anno Mundi 2940. ad 2962. quo Saul filius Jemini in Regem flagitantibus Hebræis electus est, atque unctus. Obiit verò anno Mundi 2977. biennio ante Saulem. De eo ad Bellarmini Observationem adjunge, quæ Sacræ Scripturæ Interpretes, ac Chronologi præsertim Salianus annotarunt. Periit liber ejus de institutione Regis & Populi βιβλίον τοῦ δικαιώματος τῆς βασιλείας, ut LXX. verterunt cap. 10. lib. 1. Regum.

DE DAVIDE. 2919.

DAVID Rex & Propheta regnare cœpit anno mundi 2919. & regnavit annis 40. ut scribitur lib. 3. Regum c. 2. scripsit librum Psalmorum centum quinquaginta. Sic enim docent Chrysostomus, Theodoretus, Cassiodorus, Euthymius, & alii præfatione in Psalmos, & Sanctus Augustinus lib. 17. de Civitate Dei cap. 14. quamvis autem Sanctus Hilarius præfatione in psalmos, & Sanctus Hieronymus in epistola ad Cyprianum, velint psalmos esse compositos ab auctoribus, qui nominantur in titulis, ut à Mose, Salomone, Asaph, Chore, Idithum: tamen probabiliorem existimamus sententiam priorem. De qua re disseruimus præfatione in explanationem psalmorum. Extat quidem psalmus quidam brevis extra numerum centum quinquaginta psalmorum, sed eum apocryphum existimamus, quia Concilium Laodicenum capite ultimo, & Tridentinum sess. 4. non ponunt in canonem scripturarum nisi psalmos 150.

Porrò David non solùm Propheta eximius fuit, sed etiam poeta venustissimus, & doctissimus: & scientiam habuit historiæ sacræ, legum divinarum, moralis, & naturalis philosophiæ. Quæ omnia in psalmis mirificè apparent.

DISSERTATIO HISTORICA.

DAVID Isai seu Jesse filius, natus anno Mundi 2950. mortuo Saule ad Regnum Juda evectus est anno Mundi 2979. cumque regnasset annis omninò 40. obiit Hierosolymis anno ætatis 70. M. 3020. Extant ejus CL. *Psalmi*: quos alii omnes ab eo scriptos volunt, alii quosdam ad eos referre malunt, quorum nomina titulis ad hunc usque diem servatis indicantur: qua de re fusè Genebrardus, Bellarminus, Salianus.

DE GAD, & NATHAN. 2959.

GAD, & Nathan Prophetæ prosecuti sunt res gestas Davidis, quæ habentur in libro primo & secundo Regum & initio tertii, ab eo loco, ubi desiit Samuel. Sic enim scribitur lib. 1. Paralipom. cap. ultimo, Gesta Regis David priora, & novissima scripta sunt in libro Samuel videntis, & in libro Nathan Prophetæ, & in volumine Gad videntis. Ætas horum duorum Prophetarum necessario debet poni post obitum Davidis, qui obitus contigit anno Mundi 2959.

DISSERTATIO HISTORICA.

GADDUS Propheta superstes fuit Davidi Regi anno M. 3030. defuncto. De eo vide Salianum &c.

Vixit (Nathan) Davidis ac Salomonis temporibus ab anno circiter 3300. ad 3340. Quo enim anno obierit, non constat. Reliqua dabunt Bellarminus noster, & Sacrorum Bibliorum Interpretes.

DE SALOMONE Rege sapientissimo. 2959.

SALOMON Rex, Davidis Regis filius regnare cœpit anno Mundi 2919. & regnavit annis 40. ut scribitur Regum libro 3. capite 11. scripsit sine ulla controversia libros tres, Proverbia, Ecclesiastem, & Cantica canticorum. De libro Sapientiæ nonnulla quæstio est. Nam non habetur in Codicibus Hebraicis,

braicis, sed solùm in Græcis, & Philoni adscribitur Judæo, teste Sancto Hieronymo præfatione in Proverbia Salomonis. Sed tamen à veteribus Patribus communi consensu hic liber tribuitur Salomoni, ut notum est ex Eusebio l. 4. hist. c. 22. Tertulliano de præscriptione, Cypriano de mortalitate, Hilario in psalm. 127. Ambrosio sermone 8. in psalm. 118. Basilio lib. 5. in Eunomium, Epiphanio hæresi Anomæorum, & Augustino tractat. in psalm. 63. & ipse auctor libri Sapientiæ cap. 9. testatur, se fuisse Regem in Israel, & sibi à Domino imperatum, ut templum ædificaret: quæ in Salomonem propriè conveniunt. Sed hæc discordia facilè conciliabitur, si dicamus, sententias hujus libri esse Salomonis, sed collectas in unum volumen, & Græcis verbis expressas à Philone, non illo, qui tempore Caji Imper. floruit, sed alio antiquiore. Josephus lib. 8. antiquitatum capite 2. refert à Salomone scriptos fuisse libros Odarum, & carminum quinque supra mille: & parabolarum libros ter mille. Item scriptas ab eo fuisse incantationes, quibus morbi curantur, & dæmones pelluntur. Quæ videntur parum verisimilia; sed sive sint vera, sive falsa, certum est ea hoc tempore non extare, & fortasse ex verbis Josephi, occasionem acceperunt aliqui perditi homines tribuendi Salomoni librum perniciosissimum, qui inscribitur clavicula Salomonis. Sanctus Athanasius in fine Synopsis commemorat inter apocrypha psalmos, & cantica Salomonis. Et ad hunc diem inveniuntur in Bibliotheca Vaticana psalmi, & Odæ Salomonis; sed an sint illa, quorum meminit Sanctus Athanasius, incertum est.

DISSERTATIO HISTORICA.

SALOMON Rex Davidis & Bersabeæ filius anno M. 3000. natus, vivente adhuc patre in Regem Israelitarum unctus est; regnumque illud tenuit annis omnino 40. ab anno 3020. usque ad annum 3059. quo pœnitens, ut creditur, obiit annos natus 60. De eo ejusque scriptis, tum Authenticis, tum supposititiis, de Magia, aliisque malis, aut vanis artibus, consule S. Hieronymum, Sixtum Senensem, Bellarminum, Pinedam, Delrium, Salianum, aliosque Sacræ Scripturæ Interpretes ac rerum Ecclesiasticarum Veteris Testamenti tractatores, necnon Nicolaum Eymericum P. II. Directorii Inquisitorum quæst. 28. ac Jacobum Gretserum, capite 10. libri primi de jure & more prohibendi libros malos. Videndus quoque Theophilus Raynaudus lib. de Calumnia sect. 2. cap. 13. ubi Salomonem à crimine Magiæ diabolicæ immunem fuisse, ac prorsus alienum demonstrat adversus Josephum, qui lib. 8. Antiquitatum curatos à Salomone morbos per incantationes testatur, & quosdam recentiores, ac præcipuè citatum Pinedam lib. 7. de rebus Salomonis cap. 12.

DE AHIA, & ADDO. 3000.

AHIAS, & Addo scripserunt res gestas Salomonis, ut habetur in secundo libro Paralipomenon cap. 9. sive sint eæ, quæ narrantur in tertio libro Regum, sive res aliæ. Quis autem scripserit reliqua, quæ habentur in libro tertio Regum post cap. undecimum, & in toto quarto, & in duobus libris Paralipomenon, non est omnino certum: sed credibile est scripta fuisse à Sacerdotibus, & Prophetis illorum temporum.

DISSERTATIO HISTORICA.

AHIAS, Videns, idest Propheta, è Silunte oriundus, scripsit res Salomonis Hebræorum Regis, qui obiit anno M. 3060. Non est alius ab eo, qui vivebat adhuc extremis Jeroboami Israelitarum Regis temporibus, anno Mundi 3080. Libri III. Regum cap. 11. 12. & 14. & lib. 11. Paralip. c. 9. & 10.

ADDO, Videns, sive Propheta vivebat adhuc, post annum M. 3060. quo Salomon Hebræorum Rex sapientissimus obiit; cujus res gestas ipse scripsit, ut discimus ex lib. 11. Paralip. capite 9. Plura de eo Athanasius in Synopsi, Salianus, & alii.

DE OSEA. 3170.

PROPHETÆ tam majores, quàm minores floruerunt post divisionem Regni, quæ facta est post obitum Salomonis. Quo etiam tempore vixerunt auctores librorum Tobiæ, Judith, & Esther. Sed ut eos ordine disponamus, statuendum esse videtur ut certum, Prophetas minores eo prophetasse ordine, quo in Bibliis Hebraicis, & Latinis collocantur; quamvis in Græcis sit aliqua diversitas, & de Abdia, & Habachuc sit non exigua difficultas. Ratio hujus fundamenti est, quia videmus, Prophetas majores sine ulla controversia suo ordine collocatos, ut Isaias præcesserit Hieremiam, & Hieremias Ezechielem, & Ezechiel Danielem. Item quia magna pars Prophetarum minorum sine ullo dubio ita collocati sunt, ut Oseas Joelem præcedat, & in fine Aggæus Zachariam, & Zacharias Malachiam. Proinde colligi potest, omnes esse suo ordine dispositos: neque excogitari potest ulla ratio, cur prior tempore debuerit posteriori postponi: nisi cum classis (ut sic loquar) variatur. Majores enim Prophetæ suam classem faciunt, & minores quoque suam. Sed nos ex utrisque unam classem faciemus, ut secundùm ordinem temporis omnes collocemus.

Primus omnium tam majorum, quàm minorum fuit Oseas, qui prophetavit, ut ipse testatur, in diebus Oziæ, Joatham, Achaz, & Ezechiæ Regum Juda, & in diebus Hieroboam filii Joas Regis Israel. Annus autem, quo regnare cœpit Ozias in Hierusalem, fuit vicesimus septimus, quo regnavit Hieroboam in Samaria, videlicet ter millesimus centesimus septuagesimus. Fuit autem Oseas de tribu Issachar, ut Epiphanius testatur: & jussu Domini accepit uxorem fornicariam, ut significaretur fornicatio populi, per Idololatriam à Deo: & propter hoc peccatum prædicit captivitatem decem tribuum; & deinde captivitatem etiam duarum aliarum tribuum, quæ facta est per Nabuchodonosor.

DISSERTATIO HISTORICA.

OSEAS, sive Osee, quem alii cum aspiratione proferunt, primus numerari solitus inter XII. Prophetas Minores, in diebus Regum Juda Oziæ sive Azariæ, Joathami, Achazi, ejusque filii Ezechiæ vaticinatus est, ab anno M. circiter 3270. paulò ante initium Olympiadum, usque ad annum M. 3310. Urbis Romanæ 10. De eo S. Hieronymus in Prologo Galeato, & alibi, Pseudo-Epiphanius, Suidas, Hesychius Presbyter Hierosolymitanus, atque ex recentioribus Salianus, Ribera, Philippus, &c. Quorum manibus teruntur omnium eruditissimi in Minores Prophetas, sacramque Veteris Testamenti Historiam Commentarii.

De

DE JOEL, 3170.

GRÆCI post Oseam ponunt Amos: sed Hebraici, & Latini codices ponunt Joel. Sed non est res magni momenti, quia fuerunt omnes isti tres Prophetæ Synchroni, idest, contemporanei, ut Sanctus Hieronymus loquitur initio explicationis Oseæ: & quia Joel non designat tempus, quo prophetaverit, intelligitur prophetasse sub eisdem Regibus, ut scribunt Sanctus Hieronymus in cap. 1. Joelis, & Sanctus Augustinus libro decimo octavo de Civitate Dei, capite vicesimo septimo, & Theodoretus in prologo super duodecim Prophetas.

Porrò Joel prædicit duabus tribubus, quibus propriè Propheta datus erat à Deo, Babylonicam captivitatem, easque ad pœnitentiam hortatur; & in extremo vaticinio prædicit adventum Messiæ, & Spiritus Sancti per eum mittendi, & ultimi judicii diem. Obiit in pace.

Dissertatio Historica.

JOEL unus è XII. Minoribus Prophetis circà annum Mundi 3301. Romanæ Urbis primum, ante Christianam Æram 753. De eo Scripturę Interpretes, aliique apud Salianum, & Possevinum.

DE AMOS, 3170.

AMOS prophetavit eodem tempore. Nam initio dicit, se visionem suam vidisse in diebus Oziæ Regis Juda, & in diebus Hieroboam filii Joas.

Prædicit ipse quoque captivitatem, & alia gravia flagella; & gravissimè in scelera invectus à filio Amasiæ Sacerdotis fuste inter tempora percussus interiit, ut Epiphanius testatur in libro de vita, & morte Prophetarum.

Dissertatio Historica.

AMOS, è vico Thecua de terra Zabulon oriundus, claruit sub Ozia Rege Juda, ejusque successoribus Joathamo & Achabo, circa annum 3301. Romanæ urbis primum. Ridiculè Simlerus, & alii quidam eum dicunt fuisse patrem Esaiæ Prophetæ, cum Esaias fuerit è familia Regia, alter autem vellicasse se dicat sycomoros, & versatum se fuisse inter pastores Thecuenos. Extat ejus Prophetia capitibus novem distincta. De eo Plura Hieronymus, Ribera, Salianus &c.

DE ISAIA, 3190.

POST Amos sequitur proximè Isaias, primus ex majoribus. Quamvis enim tam Osee, quàm Isaias initio dicant, se prophetasse in diebus Oziæ, Joatham, Achaz, & Ezechiæ: tamen Eusebius in Chronico, & Sanctus Hieronymus in primum caput Oseæ, scribunt: Oseam fuisse primum, & Isaiam secundum in scribenda prophetia. Et videtur hoc posse confirmari, tum ex illis verbis Oseæ, Principium loquendi Domino in Oseæ; quo significari videtur, inter multos, qui eodem ferè tempore prophetaverunt, primum fuisse Oseam; tum ex eo, quod Oseas addit, se visionem vidisse, non solùm in diebus Oziæ, sed etiam in diebus Hieroboam: ut videlicet significaret, se visionem vidisse, & prophetasse ad initium Regni Oziæ, quod concurrit cum fine Regni Hieroboam. Isaias autem non meminit Hieroboam, quia non prophe-

A tavit in diebus ejus, ac per hoc non prophetavit ad initium Regni Oziæ, sed postea. Ex qua ratione sequitur, Isaiam debere collocari post Joelem, & Amos, qui fuerunt contemporanei Oziæ: & Amos dicit, se prophetasse in diebus Oziæ Regis Juda & in diebus Hieroboam filii Joas.

Isaias igitur unus est & primus ex majoribus Prophetis; scripsit librum magnum, imò etiam majorem, quàm ullus alius Propheta, & scripsit ante omnes alios Prophetas majores.

Dicuntur enim Prophetæ majores, qui singuli suos scripserunt libros integros; minores autem dicuntur illi, quorum prophetiæ omnes simul unico libro apud Hebræos continentur. Fuit vir nobilis ex
B tribu Juda, & facundissimus, ut ex ejus volumine quivis intelligere potest. Scripsit autem de adventu Christi, de nativitate ejus ex Virgine, de vita, de prædicatione, de Regno, de miraculis, de passione, de sepultura, de aliis ejus mysteriis, ut Evangelista potiùs, quàm Propheta fuisse videatur. Scripsit etiam de vocatione Gentium, & de gloria Ecclesiæ planè admirabiliter. Obiit sub Manasse Rege filio perditissimo Ezechiæ Regis optimi, jussu ejusdem Manasse sectus in duas partes crudelissimo supplicio, ut Epiphanius testatur in libro de vita & morte Prophetarum. Sed Deus, eodem auctore Epiphanio, sepulchrum ejus gloriosum miraculis reddidit.

C

Dissertatio Historica.

ISAIAS, sive Jesaias aut Esaias filius Amos, è stirpe Regia Judæorum, primus è IV. Majoribus Prophetis, cœpit innotescere à diebus Oziæ Regis Juda circa annum M. 3270. & sub Joathamo, Achabo, Ezechia, ac Manasse ejusdem Regni Principibus. Multa prædixit, quæ in capitibus 66. Prophetiæ ejus continentur, donec postremi jussu serra lignea sectus duas in partes, & sepultus fuit juxta Rogel circa annum Urbis Romanæ 40. Mundi 3340. de eo S. Paulus ad Hebræos cap. 2. Multi enim ad genus mortis illius referunt verbum ἐπρίσθησαν, Thalmud Babylonicum, Justinus in Dialogo cum Tryphone, Epiphanius, Ambrosius, Augustinus, Cy-
D rillus, Procopius, aliique, ut omittam recentiores Salianum, Sanctium, Lapideum, &c.

DE ABDIA, 3195.

ABDIAS ab Eusebio in Chronico ponitur temporibus Achab Regis Israel, ac per hoc longè ante Oseam, & Isaiam, & Joel, & Amos. Idem videntur sensisse sanctus Hieronymus, & sanctus Epiphanius. Abdias enim à sancto Hieronymo in commentario creditur esse ille dispensator domus Achab Regis qui abscondit centum Prophetas, eosque pavit, quo tempore Jezabel uxor Achabi
E Prophetas Domini persequebatur: de qua re loquitur Scriptura libro tertio Regum, capite decimo octavo. Sed Epiphanius hunc eumdem Abdiam Prophetam existimat esse illum quinquagenarium Principem, cui pepercit Elias, ne ab igne de celo missio absumeretur. De qua historia Scriptura loquitur libro quarto Regum, capite primo. Neque dissentit Epiphanius à Hieronymo, quia potest fieri, ut ille, qui erat dispensator in domo Achab, postea factus sit Dux militiæ in domo Ochoziæ filii Achab. Sed maxima difficultas est, quia idem sanctus Hieronymus in primum caput Oseæ scribit, Abdiam fuisse contemporaneum Oseæ, Joelis, & Amos, & quartum locum habere inter Prophetas minores: & non potest fieri, ut ille Abdias, qui vixit tempore Achab, pervenerit ad tempora O-

ziæ,

ziæ, & Ezechiæ, in quibus temporibus prophetarunt Osee, Joel, & Amos. Achab enim antiquior fuit Ozia, plus centum quinquaginta annis.

A

Contra autem videtur Abdias posterior fuisse non solùm Osea, Joel, & Amos, sed etiam Michæa, & Jona, & aliis multis. Nam in prophetia sua meminit belli Chaldæorum contra Hierusalem, & captivitatis ejusdem urbis tamquam jam peractæ, & præteritæ, ut videatur collocandus post Hieremiam.

Mihi tamen placet sententia sancti Hieronymi, qui (ut paulò antè dixi) facit Abdiam æqualem Oseæ, Joeli, & Amos. Quod autem alibi dixit, Prophetam Abdiam fuisse dispensatorem Achab, non ex mente sua, sed ex traditione quadam Judaica dixisse videtur, quæ traditio non alio fundamento nititur, nisi similitudine nominis, quasi non potuerint esse plures Abdiæ.

B

Quod autem hic Propheta meminerit captivitatis Babylonicæ, non cogit ut sentiamus, illum prophetasse post captivitatem: nam more Prophetarum loquitur de captivitate illa futura per verbum præteriti temporis.

Igitur Abdias prophetavit contra Idumæos, & non solùm prædixit exitium eorum, sed etiam causam exitii, quia videlicet tempore captivitatis Babylonicæ futuri essent Idumæi socii Chaldæorum contra filios Israel.

Obiit hic Propheta in pace, Epiphanio auctore loco citato.

C

Dissertatio Historica.

Abdias qui quarto loco numeratur inter XII. Minores, ut vocant, Prophetas, & à Græcis dicitur Ὀβαδίας, vixit circa tempora Ezechiæ Regis Juda, & Romanæ urbis primordia Romulo regnante, anno Mundi præter propter 3310. Nonnulli post captivitatem Babylonicam claruisse volunt, quam tamen ille prædixit.

Abdias verò Dispensator domus Achabi Israelitarum Regis, cujus meminit facer scriptor libri III. Regum cap. 18. & Abdias ille quinquagenarius Princeps cui pepercit Elias libri IV. Regum cap. primo, duobus fermè ante Prophetam nostrum sæculis vixerunt, circa annum Mundanæ æræ 3139. quo Ochozias prædicti Achabi filius, ejusque in regno decem Tribuum successor, miserè periit.

D

De his consulendi præ cæteris S. Hieronymus commentariis in Oseam, & Abdiam aliisque locis, S. Epiphanius, aut quisquis alius auctor libelli de Vitis Prophetarum, atque è recentioribus Jacobus Salianus in Annalibus veteris testamenti, & Franciscus Ribera, ut cæteros Interpretes omittam.

DE JONA. 3195.

E

Jonas Propheta eodem tempore prophetavit, quo superiores Prophetæ, ut scribunt Sanctus Hieronymus in prologo Jonæ, Eusebius in Chronico, & libro decimo de præparatione Evangelica, capite ultimo, & sanctus Augustinus libro 8. de Civitate Dei, cap. 27. Prophetavit autem Jonas contra Ninivitas, & exitium illis prædixit. Et quamvis agentibus illis pœnitentiam Deus pepercerit: tamen postea reversis ad iniquitatem Deus exitium illis immisit, quod Jonas prædixit, ut habemus in libro Tobiæ cap. 12.

Sanctus Hieronymus in prologo Jonæ refert verba Tobiæ, quibus expressè dicitur, evertendam Ninivem, ut prædixit Jonas. Sed in nostro libro Tobiæ cap. 12. non habetur nomen Jonæ, sed solùm, Propè erit interitus Ninive, non enim excidit verbum Domini.

Hunc Jonam, scribit Epiphanius in libro de vita, & morte Prophetarum, esse puerum illum, quem suscitavit Elias ad preces Viduæ Sareptanæ. Quod idem ex traditione Hebræorum refert sanctus Hieronymus in prologo Jonæ. Quo fundamento nitatur hæc traditio, non scio, certè tempora parum cohærent.

Dissertatio Historica.

Jonas filius Amathi, unus è XII. Minoribus Prophetis, prædixit excidium Ninives circa annum M. 3168. sub Sardanapalo postremo Assyriorum Rege, ut alibi probatum est diligentius. Vulgo ad Achab, vel Ezechiæ Regum Judæorum tempora dejicitur, & Romanæ urbis exordia Romulo regnante. De eo Aug. Hier. Dorotheus, Epiph. aut quis alius de Vitis Prophetarum, Hesychius Hierosolymitanus Presbyter, post Hadriani Isagogen Sacrarum Litterarum, cum plurimorum Veterum fragmentis editus, aliique plures, de quibus consule Salianum, Riberam &c.

DE MICHÆA. 3223.

Michæas prophetavit paulò post supradictos. Scribit enim initio prophetiæ suæ, se prophetasse in diebus Joathan, Achaz, & Ezechiæ; & omittit Oziam, quem Oseas, Isaias, & Amos posuerunt. Proinde prophetavit initio Regni Joatham, idest, anno mundi 3223. Prædicit hic Propheta captivitatem primam decem tribuum, & secundam duarum tribuum: prædicit adventum Christi, & nativitatem in Bethlehem, & conversionem Gentium ad Ecclesiam Dei.

Dissertatio Historica.

Michæas Morathites de Tribu Ephraim unus è XII. Minoribus Prophetis claruit sub Ezechia Judæorum Rege circa annum Urbis conditæ decimum, & quadriennio post secutam Decem Tribuum captivitatem, expugnata à Salmanasare Assyriorum Rege Samaria anno Rom. 14. De eo S. Hieronymus in commentariis, Pseudo-Epiphanius libro de Vita & Interitu Prophetarum, Salianus, Ribera, aliique scripturæ interpretes. Errant verò non mediocriter qui vatem hunc, cujus extat Prophetia capitibus 7. comprehensa, confundunt cum Michæa, qui Achabo regnante percussus est in maxilla à Pseudo-propheta Sedecia, & post Achabi mortem à filio ejus Joramo Rege Israelis præcipitatus occubuisse dicitur.

DE NAHUM. 3264.

Nahum Elcesæus prophetavit post abductas decem tribus in captivitatem à Salmanasar Rege Assyriorum, ut testantur sanctus Hieronymus, Theodoretus, & Theophylactus, in præfatione in Nahum; iidem volunt eum prophetasse tempore Ezechiæ: illo enim anno decem tribus in captivitatem ductas esse constat ex libro quarto Regum, capite decimo octavo. Itaq; tempus prophetiæ Nahum incidit in annum mundi 3264.

Prædicit hic Propheta exitium Regis Assyriorum, & vastationem Ninivæ per Chaldæos. Et Judæis prædicit, non prævaliturum Regem Assyriorum contra Hierusalem, sicut prævaluerat con-

tra Samariam. Obiit in pace, teste sancto Epiphanio in lib. de vita & morte Prophetarum.

DISSERTATIO HISTORICA.

NAHUM Elcesæus, unus è XII. Minoribus Prophetis claruit sub finem Regni Ezechiæ circa annum Romæ 15. Mundi 3315. sunt qui sub imperio Regis Manasse obiisse asserant, sepultumque fuisse in Bagabar. Vide Hier. Pseudo-Epiphanium &c. apud recentiores Prophetarum, adeoque universæ scripturæ Interpretes.

DE HABACHUC. 3283.

HABACHUC prophetavit ante captivitatem duarum tribuum, ut docet Epiphanius in libro de vita, & morte Prophetarum; & in Chronico Hebræorum, quod Seder olam vocant, dicitur Habachuc prophetasse sub Rege Manasse filio Ezechiæ, idest, post captivitatem duarum tribuum. Manasses autem regnare cœpit anno mundi ter millesimo, ducentesimo, octogesimo tertio.

Multi tamen graves auctores volunt, Habachuc prophetasse post captivitatem Babylonicam, ut S. Hieronymus in prologo ad hunc Prophetam, Theodoretus, & alii. Ducuntur hi auctores illo argumento, quòd Habachuc Propheta, Angelo eum rapiente, & deferente, attulerit prandium Danieli in lacu leonum constituto; ac per hoc vixerit tempore Danielis, & ad initium Imperii Cyri Regis Persarum. Sed nos priori sententiæ adhæremus, quoniam ipse Habachuc disertis, & multis verbis prædicit adventum Regis Babyloniæ ad capiendos Judæos. Non est autem moris Prophetarum loqui de rebus præteritis per verba temporis futuri: sed è contrario prædicere futura per verba temporis præteriti. Annuntiare enim præterita, tamquam si essent futura, unusquisque potest sine spiritu prophetiæ.

Ad argumentum autem de allatione prandii ad Danielem, facilè responderi potest, non esse eumdem Habachuc Prophetam unum ex minoribus, & Habachuc Prophetam, qui tulit prandium Danieli: sicut non est idem Michæas Propheta, qui vixit tempore Acab Regis Samariæ cum Michæa Propheta, qui unus est ex duodecim Prophetis minoribus.

Ergo Habachuc de tribu Simeon prædicit adventum Caldæorum: & Babylonicam captivitatem. Prædicit etiam vastationem eorumdem Chaldæorum, quæ facta est per Medos, & Persas. Et tandem prædicit adventum Christi, passionem, resurrectionem, & secundum adventum in gloria.

DISSERTATIO HISTORICA.

HABACHUC sive Abakuk, de Tribu Simeon, unus è XII. Prophetis, qui Minores dicuntur, claruit, vel sub Manasse filio Ezechiæ Regis Juda circa annum Urbis conditæ 30. vel exeunte tempore captivitatis Babylonicæ, & Monarchiæ Cyri primis annis circa annum U. C. 220. Onus vocat Prophetiam suam in tria dumtaxat cap. distinctam. De eo plura Hieronymus, sacrique Interpretes.

DE SOPHONIA. 3340.

SOPHONIAS prophetavit, ut ipse testatur in diebus Josiæ Regis, & quia non designat Sophonias annum Regni Josiæ, ut facit Hieremias, intelligendum est, Sophoniam prophetasse ad initium Regni Josiæ, idest, anno mundi ter millesi-
A mo, trecentesimo, quadragesimo. Hoc enim anno cœpit regnare Josias. Porrò hic Propheta concionatur contra peccata, & hortatur ad pœnitentiam, & prædicit excidium Palæstinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthiopum, & aliarum Gentium. Prædicit etiam conversionem Gentium, & ruinam Idololatriæ. Denique prædicit Christi resurrectionem, Judæorum excæcationem, & exitium ultimum, & Ecclesię gloriam, & felicitatem.

DISSERTATIO HISTORICA.

SOPHONIAS quem Hebraizantes Zephaniam vocitant, unus è XII. Minoribus Prophetis,
B claruit sub Josia Rege Juda, circa annum U. C. 50. Mundi 3350. De eo vide Salianum, & Scripturæ Interpretes.

DE HIEREMIA. 3337.

HIEREMIAS Propheta secundus ex majoribus prophetare cœpit anno tertiodecimo Regni Josię, idest, anno ter millesimo, trecentesimo, trigesimo septimo ab orbe condito, ut ipse initio libri sui testatur, & prophetavit usque ad annum undecimum Sedecię Regis, qui fuit ultimus Rex Hierusalem: & tunc completa fuit captivitas Babylonica. Fuit autem Hieremias ex tribu Sacerdotali,
C vir meritissimus, & sanctissimus, & post multos labores, & angustias lapidibus obrutus ab ingrato populo, vitam cum morte commutavit. Vide Epiphanium de vita & morte Prophetarum.

Scripsit autem, vel dictavit insigne volumen, in quo populum, & Principes ejus ad pœnitentiam multis sermonibus hortatus est. Prędixit imminentem ruinam Hierusalem, & templi Domini, & totius Regni. Prędixit multa de Christi adventu, de testamento novo, deque aliis Christianis mysteriis apertissimè.

Addidit Hieremias ad finem libri sui threnos, idest, lamentationes, carmine scriptas, ordine alphabetico, quibus deplorat ęrumnas gentis suę cor-
D porales, & spirituales.

Addidit denique epistolam ad populum captivum in Babylone, qua hortatur illos, ut in fide veri Dei persistant, & ab Idolorum cultu se abstineant, quam epistolam posuit Baruch in extremo libro suo.

DISSERTATIO HISTORICA.

HIEREMIAS Propheta, filius Helcię Sacerdotis de vico Anatoth, cœpit vaticinari anno 13. regni Josiæ, Mundi 3405. Romæ 105. usque ad initia captivitatis Babylonicæ, cumque anno ejusdem Urbis Romanæ 147. venisset in Ægy-
E ptum à Judæis lapidibus obrutus est. Ejus meminit Martyrologium Romanum Kalendis Maji, & Sacræ Scripturæ Interpretes cum Hieronymo, Augustino, aliisque Patribus.

DE BARUCH. 3366.

BARUCH minister, & amanuensis Hieremiæ, præter ea, quæ scripsit Hieremia dictante, ut colligitur, ex cap. trigesimo sexto Hieremię, scripsit proprium volumen quinque capitibus comprehensum; nam sextum est epistola Hieremiæ. Prophetavit autem Baruch tempore Jechoniæ Regis, ut ipse testatur initio sui voluminis. Regnavit verò Jechonias anno mundi 3366. & solis tribus mensibus regnavit. Proinde hoc ipso anno Baruch

ruch prophetavit, & prædixit apertissimè Dei Incarnationem, & apparitionem in carne humana. Et quamvis hic liber non inveniatur in Hebraicis codicibus, & excidisse, & periisse credatur, tamen citatur passim à Patribus sub nomine Hieremiæ & à sancto Cypriano lib. 2. contra Judæos cap. 5. & à sancto Cyrillo libro 10. in Julianum citatur sub nomine Baruch.

Vide si placet defensionem hujus libri Canonici in nostris Controversiis lib. 1. de verbo Dei.

DISSERTATIO HISTORICA.

BARUCH famulus ac discipulus Hieremiæ Prophetæ, claruit sub Jechonia & Sedecia Regibus Juda, superstesque suo clero, ac præceptori Taphnis in Ægypto à Judæis lapidibus obruto, Babylonem anno U.C. 248. profectus est. De eo plura Salianus, & scripturæ Interpretes.

DE EZECHIELE. 3371.

EZECHIEL tertius ex majoribus prophetare cœpit (ut ipse testatur cap. 1.) anno quinto transmigrationis Jechoniæ Regis, qui fuit annus mundi ter millesimus trecentesimus septuagesimus primus. Fuit ipse quoque de genere Sacerdotali vir optimus, & sanctissimus, & prædicabat captivis suis, eosque ad virtutem hortabatur, sed mercedis loco ab ipso Principe populi sui obtruncatus occubuit. Prædixit reversionem populi ad propria loca, & de adventu Domini, & Baptismo, aliisque Christi mysteriis multa, sed obscurè, maximè de structura templi vaticinatus est.

DISSERTATIO HISTORICA.

EZECHIEL filius Buzi, tertius ordine inter Majores Prophetas numerari solitus, ab anno quinto transmigrationis Joakim, qui passim Jechonias dicitur, Urbis Romanæ 140. prophetare cœpit Babylone, ubi obiit post aliquot annos, sed quando, nescitur. Vide Salianum, & Sacræ Scripturæ Interpretes.

DE DANIELE. 3398.

DANIEL quartus ex prophetis majoribus, abductus est in captivitatem adhuc puer, & perseveravit in captivitate usque ad Cyrum Regem Persarum, idest usque ad finem captivitatis. Cœpit autem prophetare anno secundo Nabuchodonosor Regis, (ut ipse testatur cap. 2.) sed annus ille secundus non intelligitur ab initio regni, sed ab initio Monarchiæ, quam inchoavit devastata Ægypto. incidit autem hæc devastatio, & initium Monarchiæ in annum vicesimum tertium regni ejus.

Itaque secundus annus Monarchiæ notatus à Daniele, est annus regni vicesimus quartus, & annus mundi 3398. Fuit Daniel de tribu Juda, vir nobilis, & spiritu sapientiæ: & prophetiæ plenissimus, atque ea de causa gratissimus Regibus etiam Idololatris, & ab eis magnis honoribus cultus. Scripsit multa de Christo, & de tempore adventus ejus, nec non de morte ejus, & de excœcatione Judæorum, item de Antichristo, & præliis ejus. Prædixit progressum quatuor præcipuorum Regnorum, & de bellis futuris inter Græcos, & Persas, & inter successores Alexandri Magni tanta perspicuitate, ut aliqui putaverint, sed falso, ea scripta fuisse multo posterius, quàm revera fuerint. Liber hic partim Hebraicè, partim Chaldaicè scriptus est. Didicit enim Daniel in Babylone jussu Regis, linguam, & literas Chaldæorum. De partibus quibusdam Danielis, quæ ab hæreticis non recipiuntur, vide in primo nostro libro de Verbo Dei.

DISSERTATIO HISTORICA.

DANIEL dictus apud chaldæos Baltassar, de Tribu Juda, Regioque genere, inter Majores Prophetas, quarto loco numerari solitus abductus est anno U. C. 128. Mundi 3328. Joakimi Regis Juda 3. in captivitatem Babylonicam adhuc puer, cum Misach, Sidrach, & Abdenago, fuitque superstes usque ad tempora Darii Medi, seu Nabonnidi Regis Babyloniorum, & Cyri Magni Persarum Regis, hoc est annum U. C. circiter 216. ante Christum 538. De eo Ezechiel cap. 14. & 28. Auctor 1. Machabæorum 2. Matthæus cap. 24. S. Hieronymus, S. Epiphanius aliique, ex recentioribus verò præ cæteris Benedictus Pererius, Jacobus Salianus, & Dionysius Petavius, qui de 70. Hebdomadibus, de Susannæ Historia, cæterisque eo spectantibus copiosè, & accuratè scripserunt.

DE AGGÆO. 3465.

AGGÆUS prophetare cœpit anno secundo Darii Regis Persarum, mense sexto ut ipse initio testatur. Fuit autem annus ille ab orbe condito 3465. Concionatur Aggæus ad populum, eum exhortans ad reædificationem templi, eumque graviter increpans, quòd essent diligentiores in domibus suis ædificandis, & ornandis, quàm in domo Dei reædificanda. Et prædicit, templum hoc secundum fore multo gloriosius, quàm fuerit primum. Quod intelligitur de gloria templi ob Christi præsentiam, sive de Ecclesia Christi, non de structura materiali, ut sanctus Augustinus ostendit libro decimo octavo de Civit. Dei cap. quadragesimo quinto.

DISSERTATIO HISTORICA.

AGGÆUS undecimo loco numerari solitus inter Minores Prophetas, vaticinari cœpit mense sexto, anno secundo Darii Hystaspidæ Persarum Regis, qui fuit Romæ 234. Mundi 3534. De eo Esdras lib. 1. cap. 5. & 6. Hieronymus, Cyr. August. & ex recentioribus Salianus, Ribera, Sanctius, à Lapide, aliique sacrorum Codicum Interpretes.

DE ZACHARIA. 3465.

ZACHARIAS illo ipso anno secundo Darii prophetavit, sed mense octavo, ut ipse testatur. Itaque Aggæus duobus tantùm mensibus Zachariam præcessit. Ipse quoque hortabatur populum ad ædificandum templum, & ad timorem Domini, & obedientiam mandatorum. Prædixit quoque multa per varias similitudines; de felicitate Ecclesiæ Christianæ, & ultima perditione Judæorum.

DISSERTATIO HISTORICA.

ZACHARIAS filius Barachiæ, unus è XII. Minoribus Prophetis vaticinari cœpit anno 2. Darii Hystaspidæ Persarum Regis mense octavo, Mundi anno 3534. Romæ 234. De eo S. Hier. Sixtus Senensis, Ribera, à Lapide, Salianus &c.

De

DE MALACHIA. 3521.

MALACHIAS ultimus duodecim minorum Prophetarum, prophetavit post Aggæum, & Zachariam, tempore Artaxerxis Regis Persarum, Nam capite secundo reprehendit Judæos, qui duxerant filias alienigenas in uxores: & similis reprehensio extat apud Esdram libro primo, capite nono, & constat ex præcedentibus capitibus, hanc objurgationem factam fuisse post templum reædificatum, regnante jam Artaxerxe filio Darii, cujus anno sexto finita est ædificatio templi, ut habetur l. 1. Esdræ cap. *6.*

Malachias posterior est Zacharia quantum distat annus secundus Darii ab anno primo Artaxerxis, qui regnare cœpit anno 3521. proinde hoc anno vixit, & scripsit Malachias. Hunc prophetam Origenes existimat non fuisse hominem, sed Angelum in specie hominis, quia Malachias Hebraicè Angelum significat.

Refellit hunc errorem sanctus Hieronymus in procemio Malachiæ. Quia si propter nomen Angeli deberet negari Malachiam fuisse hominem, eodem modo quia Osea significat Salvatorem, & Joel significat Deum, & Dominum, possemus existimare, Oseam fuisse Christum, & Joelem fuisse Dominum Deum.

Alii voluerunt Malachiam fuisse Esdram, & dictum Angelum ob sapientiam, & puritatem vitæ. Hæc est sententia Hebræorum, quam sanctus Hieronymus nec videtur approbare, nec reprobare. Sed communis sententia, quæ omnino sequenda nobis videtur, est, Malachiam fuisse hominem diversum ab Esdra. Sic docet Eusebius in Chronico, Sanctus Augustinus lib. decimo octavo, de Civit. Dei cap. *36.* Sanctus Cyrillus in 1. cap. Malachiæ, qui dicit non esse audiendos, qui contra sentiunt, S. Epiphanius in lib. de vita, & morte prophetarum.

Porrò Malachias de tribu Zabulon erat, ex sententia Epiphanii loco citato, & prædixit abolitionem sacrificiorum Judaicorum, & institutionem sacrificii novi, quod toto orbe offerendum erat. Prædixit quoque ultimum Judicium, & reversionem Eliæ Prophetæ ad convertendas reliquias Israel, & præter prædictiones vehementer concionatus est adversus negligentiam Sacerdotum, & alia vitia. Denique in pace quievit adhuc juvenis, teste Epiphanio.

DISSERTATIO HISTORICA.

MALACHIAS Patria Zabulonites ultimus è XII. Minoribus Prophetis claruit sub Artaxerxe Longimano Rege Persarum circa annum U. C. 310. Quidam Hebraizantes eumdem cùm Esdra fecerunt. Sed de his nobis parcius agendum, cùm ad manum esse possint tum Possevinus, tum Salianus, & Scripturæ Commentatores.

DE TOBIA. 3236.

HISTORIA Tobiæ, & Judith incidit in tempus Prophetarum minorum, videlicet Nahum, & Abachuc, sed visum est conjungere omnes Prophetas simul, neque in chorum ipsorum extraneos admittere. Igitur Tobias senior cum Tobia juniore translatus fuit in Civitatem Ninive à Rege Assyriorum Salmanasar, & perseveravit usque ad aliquot annos Sennacherib successoris ejus.

Contigit autem captivitas illa anno sexto Ezechiæ Regis Juda, qui fuit nonus Oseæ Regis Israel, & ab orbe condito 3264. Quis fuerit auctor libri Tobiæ, non est omnino certum, sed credibile est auctorem fuisse Tobiam juniorem, vel seniorem.

Siquidem Angelus Raphael cap. 12. jussit Tobiæ utrique, ut narrarent, sive (ut habetur in textu Græco) scriberent omnia mirabilia Domini, quæ ipsi viderant, patientiam videlicet Tobiæ senioris, & consolationem magnam quam à Deo per Angelum Raphaelem accepit. Itaq; scriptus videtur liber anno mundi 3252. mortuo Sennacherib. Quæ autem in fine libri adduntur de morte Tobiæ junioris, sine dubio ab aliquo alio addita sunt.

Porrò liber Tobiæ scriptus est Chaldaicè, non Hebraicè, & ideò fortasse ab Hebræis non agnoscitur pro libro sacro. Transtulit eum in linguam Latinam sanctus Hieronymus, ut ipse testatur præfatione in Tobiam, & ab Ecclesia Catholica inter Sacros libros numeratum fuisse cognoscimus ex Concilio Tertio Carthaginensi, ex Innocentio Primo in epistola ad Exuperium, ex Gelasio I. in decreto de scripturis Sanctis, & Cypriano in ser. de eleemosyna, ex Ambrosio in lib. de Tobia, ex Basilio in Oratione de avaritia, denique ex Concilio Trident. sess. 4.

DISSERTATIO HISTORICA.

TOBIAS senior anno U. C. 11. ætatis *36.* uxorem duxit, anno U. C. 31. ætatis *56.* excæcatur, U. C. 35. visum recipit beneficio Raphaelis Archangeli, qui filio ejus Tobiæ juniori fuerat in peregrinatione comes, U. C. 77. ætatis 102. Manasse Regis Juda 40. Mundi 3377. obiit. Filius verò ejus Tobias minor vixit usq; ad annum Romæ 110. Mundi 3410.

De libro qui utriusque narrat Historiam, ejusque auctoritate, vide Sixtum Senensem, Possevinum, Melchiorem Canum, Andream Masium, Salmeronem, Nicolaum Serarium, Jacobum Salianum, aliosque Catholicos interpretes, qui Hæreticorum nænias doctissimis Commentariis exsufflarunt.

DE ELIACHIM auctore libri Judith. 3270.

QUANDO contigerint quæ narrantur in libro Judith, maxima quæstio est: alii enim volunt ea contigisse post captivitatem Babylonicam, quia in primo capite fit mentio Regis Nabuchodonosor: alii volunt contigisse ante captivitatem illam, sed post captivitatem decem tribuum quæ facta fuit tempore Ezechiæ Regis Juda: & quamvis tam hi auctores, quàm illi varient circa tempus præcisum: nobis tamen videtur non posse assignari aliud tempus, quàm inter duas captivitates, tempore videlicet Regis Juda Manasse, & Regis Assyriorum Merodach Baladam, quem putamus alio nomine dictum esse Nabuchodonosor, qui regnavit etiam in Babylonia. Sed de hac re fusè tractavimus in lib. 1. de Verbo Dei cap. 12.

Itaque tempus hujus historiæ erit annus mundi ter millesimus ducentesimus septuagesimus. Quis auctor fuerit hujus libri, incertum est ex sententia sancti Isidori lib. *6.* Originum cap. 2.

Sed si fidem habeamus Josepho in libro primo contra Apionem, auctor erit Eliachim, qui alio nomine dicebatur Joachim Sacerdos magnus Hebræorum, de quo fit mentio in libro Judith. cap. 3. & 15.

Scribit enim Josephus in more positum fuisse apud Ægyptios, Babylonios, & potissimùm apud Hebræos, ut res gestæ publicè, scribendæ committerentur Sacerdotibus magnis: tempore autem Judith Sacerdos magnus erat Eliachim, ut supra diximus.

Porrò liber Judith quamvis ab Hebræis, & hæreticis modernis rejiciatur ex Canone Scripturarum divinarum, tamen Concilium Nicenum primum hunc librum retulit in numerum librorum divinorum, teste S. Hieronymo præfatione in Judith. Quod idem fecerunt Concilium tertium Carthaginense cap. 47. & Tridentinum sess. 4. & Decretum Gelasii I. de Scripturis sanctis, & Epistola Decretalis Innocentii I. ad Exuperium, & sanctus Augustinus libro secundo de doctrina Christiana cap. 18. & S. Isidorus lib. 6. Originum cap. 1. & Cassiodorus lib. 3. divinarum lectionum, & Rabanus l. 2. de Institutione Clericorum, & alii Patres.

Recenset hic liber, victoriam divinitus reportatam ab Hebræis contra Holofernem Principem militiæ Assyriorum per virtutem nobilissimæ & castissimæ fœminæ Judith viduæ.

Dissertatio Historica.

Eliachim sive Joachim Pontifex, creditur Auctor libri sacri Hebraici, qui Judith inscribitur. Floruit anno U. C. 46. Manasse Regis Juda 13. quo à fortissima illa Amazone obtruncatus est Holofernes Dux Principis Assyriorum.

DE ESDRA, & NEHEMIA. 3521.

Esdras Sacerdos, vixit sub Artaxerxe Rege Persarum, qui imperare cœpit anno ab orbe condito 3521. Scripsit autem librum primum Esdræ, & fortasse etiam secundum, ut censet sanctus Isidorus libro 6. Originum cap. 2. quamvis probabilius sit, secundum librum à Nehemia scriptum fuisse, qui post Esdram missus est in Judæam ab eodem Artaxerxe, cuius pincerna erat. Libri tertius, & quartus inter apocryphos computantur.

Porrò Esdram sancti Patres docent instauratorem fuisse Sacrorum librorum, quod non ita intelligendum est, quasi Scripturæ sacræ omnes perierint in eversione civitatis, & templi sub Nabuchodonosor, & ab Esdra divinitus inspirato reparatæ fuerint, ut fabulatur auctor lib. 4. Esdræ cap. 14. sed quòd scripturas Mosis, & Prophetarum in varia volumina descriptas, & in varia loca dispersas, & tempore captivitatis non diligenter conservatas, Esdras summa diligentia collectas ordinaverit, & in unum quasi corpus redegerit.

Vide Irenæum lib. 3. cap. 25. Tertullianum lib. de habitu mulierum, Clementem lib. 1. Stromatum, Hilarium præfatione in Psalmos, Chrysostomum hom. 4 in epist. ad Hebræos, Theodoretum præfatione in Psalmos.

Addit sanctus Hieronymus in prologo galeato, Esdram invenisse novas literas Hebraicas, & antiquas Samaritanis demisisse.

Dissertatio Historica.

Esdras Sacerdos claruit sub Artaxerxe Mnemone Persarum Rege, circa annum U. C. 294. quo è Perside venit Hierosolymam. Suidas ait, Legis peritissimus cùm esset, libros sacros, qui desiderabantur, è memoria depromptos conscripsisse, gentique suæ tradidisse, quæ videntur hausta ex capite 14. libri IV. qui huic Esdræ falsò tribuitur, nec ullius est auctoritatis. De eo præter Bell. consule Nicolaum Lombardum nostrum in doctissimis in Esdram Commentariis, Salianum in Annalibus, aliosque sacrarum litterarum Interpretes.

LIBER Nehemiæ nomine inscriptus in capita 13. divisus est. Venit è Perside in Judæam sub extrema tempora Artaxerxis Longimani circa annum U. C. 300. ut ex sacris monumentis Salianus, aliique colligunt.

DE MARDOCHÆO. auctore libri Esther. 3528.

De tempore historiæ Reginæ Esther magna est inter scriptores controversia: nobis olim placuit, & hodie etiam placet sententia Josephi Hebræi lib. 11. antiquitatum cap. 6. necnon Severi Sulpitii lib. 1. de sacra historia, Nicephori Constantinopolitani in Chronico, & aliorum multorum, quos sine nomine refert Eusebius in Chronico. Juxta hanc sententiam Esther nupsit Assuero Artaxerxi, Longimano anno ejus 7. qui incidit in annum mundi 3528. quo eodem tempore floruit Esdras, ut supra diximus, atque hac de causa sanctus Isidorus libro sexto Originum, cap. secundo docuit, auctorem libri Esther esse Esdram.

Sed multò probabilius est, auctorem fuisse Mardochæum patruum, & nutricium ipsius Esther, & qui illi semper adfuit, & res gestas omnium optimè novit.

Vide plura, si placet, in controversiis nostris lib. 1. de Verbo Dei cap. 7.

Dissertatio Historica.

Mardochæus creditur à quibusdam auctor libri sacri qui Esther inscribitur. Adulta verò jam ætate clarebat anno U. C. 291. sub Assuero, sive Artaxerxe Longimano Xerxis filio Persarum Rege, de quo Salianus, Petavius, alii ue Chronologi, & Scripturæ Interpretes. Mardochæi verò quod dicitur scriptum de ritibus Judæorum, & inter Thalmudica refertur, posterioris ætatis est, & ab aliquo alio Judæo cognomine elaboratum videtur.

DE 72. INTERPRETIBUS, & Aristæa. 3720.

Anno septimo decimo Ptolemæi Philadelphi, Regis Ægypti, qui fuit annus Mundi ter millesimus, septingentesimus, vicesimus, facta est celeberrima illa versio sacrarum Scripturarum ex lingua Hebraica in Græcam à septuaginta duobus viris doctissimis, non sine miraculo divino, convenientibus tot hominibus in unam, & eamdem versionem, ut scribunt Philo lib. 2. de vita Mosis, Josephus lib. 12. antiq. c. 2. Tertullianus in Apologetico c. 18. Athanas. in Synopsi, Epiphanius de mensuris, & ponderibus, & Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 45. sed Epiphanius non solùm nominat Regem, sed etiam annum 17. Regni ejus. Qui fuerint viri illi doctissimi, & nomina exponit Aristæas in suo libro de septuaginta duobus interpretibus, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 7. editionis secundæ. Et quamvis aliqui recentiores existiment, Aristæam, qui nunc exstat, non esse illum, qui vixit tempore ipsorum septuaginta interpretum, sed confictum ab Hebræis: tamen verè esse illum ipsum, satis probatur ex eo, quòd omnia, quæ citant ex Aristæa Josephus lib. 12. antiq. c. 2. Tertullianus in Apologetico, cap. 18. Eusebius libro octavo de præparatione Evangelica capite primo, & sanctus Hieronymus præfatione in Pentateuchum, inveniuntur in hoc nostro ad verbum.

Vide, si placet, de LXX. Interpretibus in nostro lib. 2. c. 6. de Verbo Dei.

Dis-

DISSERTATIO HISTORICA.

NOLIM ego prolixius disputare de LXXII. interpretibus, eorumque versione, cùm ad manum sint, qui fusè ista ex Josepho Aristea, Justino, Irenæo, Clemente, Eusebio, Epiphanio, Hieronymo, Augustino, aliisque veteribus, digesserunt Leo Castrius, Sixtus Senensis, Salmeron, Serarius, Calesinius, Salianus, Torniellus, Petavius, Philippus, Morinus, Usserius (*a*) &c. Hoc tantùm observo factam fuisse interpretationem illam sub Ptolemæo Philadelpho Lagidæ filio vel anno U. C. 469. vel 476. ante Christum 285. vel 278. Mundi ex nostris calculis 3769. vel 3776.

(*a*) Nuperrimè quoque prodiit in lucem post Annotationes in Eusebii Cæsariensis Ecclesiasticam Historiam U. C. Henrici Valesii epistola ad Jacobum Usserium Armacanum, qua illius sententia de versione LXX. Interpretum, deque Hexaplis Origenis confutatur : Consulant curiosi rerum sacrarum Scrutatores.

Historica Aristeæ ad Philocratem fratrem narratio de Legis Divinæ ex Hebræa lingua in Græcam per LXXII. Interpretes facta translatione extat Græcè, & Latinè Interprete Matthia Gorbitio, tum seorsim excusa, tum in Bibliothecis veterum Patrum.

Novimus quidem temporibus Ptolemæi Philadelphi Egyptiorum Regis circa annum Urbis Conditæ 470. & Olympiadem 124. vixisse Aristeam memoratum Josepho lib. 2. adversus Apionem Grammaticum, & libro 11. Antiquitatum Judaicarum, cap. 2. Tertulliano cap. 8. Apologetici, Eusebio lib. 9. Præparationis Evangelicæ, & in chronico ad numerum, sive annum Abrahami 1734. S. Epiphanio lib. de ponderibus, & mensuris, S. Hieronymo Præfatione in Pentatheuchum, Suidæ, aliisque. Verùm nondum planè constat, an hoc, quod præsto est Græco Latinum opusculum, Aristeæ illius veteris sit germanus fœtus, quibusdam viris eruditis, aut ambigentibus cum Ludovico Vives in lib. 18. de Civitate Dei cap. 42. Leone Castrio Prolegomeno sexto in Isaiam, & disputatione de Translatione sacræ Scripturæ, Alfonso Salmerone Prolegomeno sexto in libros Novi Testamenti &c. aut omninò reprobantibus cum Josepho Scaligero, qui in Notis ad dictum Eusebiani chronici numerum, spurium esse, penitusque supposititium contendit. (*b*)

(*b*) Consulendas quoque moneo V. C. Henrici Valesii JC. eruditissimi ad Eusebii Ecclesiasticæ Historiæ lib. 5. cap. 8. Annotationes, quæ cùm ista retractarem, opportunè in meas venerunt manus: sic enim habent : Liber ille Aristeæ à Judæo quodam Alexandrino confictus est. Certè epistola illa Demetrii Phalerei ad Ptolemæum Philadelphum falsitatem suam satis prodit. In ea quippe laudatur Hecatæus Abderites ejusque testimonium tamquam vetusti scriptoris adducitur; cùm tamen constet eum Demetrio Phalereo haudquaquam antiquiorem esse. Vixit enim Hecatæus ille sub Magni Alexandri successoribus, ut testatur Suidas, aliique. Josephus quidem in libro primo contra Apionem ait Hecatæum Abderitam cum Ptolemæo Lagi filio familiariter esse versatum. Equales igitur fuerunt Hecatæus & Demetrius Phalereus. Adde quòd epistola illa Demetrii Phalerei quam adducit Aristeas planè insulsa est & barbaris vocibus plena, cùm tamen constet Demetrium, utpote Atheniensem, eloquentissimum fuisse. Quid quod idem Aristeas Heptastadii meminit, quod tamen post Philadelphi tempora à Regibus Egypti ædificatum est; ut notavi in Commentariis ad Ammianum Marcellinum. Hæc ille.

A *DE JESV SIRACH.* 3759.

JESUS Sirach, qui auctor est libri sacri, qui dicitur Ecclesiasticus, vixit tempore Ptolemæi Evergetis, Regis Ægypti, ut ipse testatur in præfatione ad librum suum, ipse autem se nominat Jesum Sirach in fine capitis quinquagesimi. Hunc sacrum librum hæretici recentiores contemnunt : sed eum ut divinum, & sacrum agnoscunt Patres Concilii Carthaginensis tertii c. 47. & Trid. sess. 4. Item Pontifices, Innocentius in Epist. ad Exuperium, & Gelasius in Decreto de libris sacris : item S. Aug. de doctrina Christiana lib. X. c. 8.
B Epiphanius in hæresi Anomœorum, Cyprin. lib. 3. epistol. 9. Clemens Alexandrinus libr. 7. Stromatum, & alii.

DISSERTATIO HISTORICA.

JESUS filius Sirach, Hierosolymitanus, auctor libri Ecclesiastici, qui olim à Græcis dicebatur Πανάρετος anno 38. Regis Ptolemæi Evergetæ II. sive Physconis (à tempore, quo simul cum fratre Philometore regnare cœpit) venit in Egyptum Urbis Conditæ 610. ibique commorans, librum avi sui Jesu ex Hebræo sermone vertit in Græcum, ut in versionis illius prologo dicitur. Sanctus Hie-
C ronymus epist. 115. docet se vidisse librum illum Hebraicè scriptum, prætitulatum, *Proverbia Jesu Filii Sirach.* (*a*)

(*a*) Quæ dicta sunt ad hanc quæ sequitur normam exigenda. Duos fuisse Sirachidas, utrumque Jesu appellatione insignitum, utrumque Sirachi filium, virumque patria Hierosolymitanum : Avum unum libri Hebraica lingua conscripti auctorem, alterum Nepotem ejusdem operis in Græcam dialectum interpretem plerique consentiunt : sed de utriusque ætate controvertitur. Eusebium in chronico ad annum olymp. 137. primum, Ptolemæi Evergetæ Tertii Egyptiorum Regis 15. Seleuci Callinici Syriæ Regis 15. Antigoni Tutoris Macedo-
D num Regis 2. Urbis conditæ 522. docet sub Simone Oniæ filio Judæorum Pontifice maximo Jesum filium Sirach sapientiæ librum composuisse. Idem Hieronymus testatur non semel. Glicas in calce libri 11. Annalium sub Antichio Eupatore Antiochi Epiphanis filio circa annum U. C. 591. collocat. Bellarminus, & alii vulgo existimant auctorem libri Ecclesiastici vixisse tempore Ptolemæi Evergetis, idque ex illius ad librum suum Præfatione colligunt. Verùm, ni fallor, omninò aberrant; Præfatio enim illa non avi est qui librum materna sua lingua exaravit, sed nepotis, qui Græcè interpretatus est. Cùm enim præmisisset: *Avus meus Jesu voluit & ipse scribere aliquid horum, quæ ad doctrinam,*
E *& disciplinam pertinent &c.* Subjungit de se ipso : *Nam in octavo, & trigesimo anno temporibus Ptolemæi Evergetis Regis postquam perveni in Egyptum, & cùm multum temporis ibi fuissem inveni ibi libros relictos non parvæ, neque contemnendæ doctrinæ. Itaque bonum, & necessarium putavi & ipse aliquam addere diligentiam, & laborem interpretandi librum istum &c.* Tota ergo difficultas est de putatione annorum illorum 38. Scaliger in canonibus Isagogicis ad annos Jobelæi confugiendum esse suspicatur, alii rectius de Ptolemæo Physcone septimo Egypti Rege intelligendum censent, qui cùm Evergetes dici vellet ab Alexandrinis Cacergetes cognominatus est. Ejus autem 38. annus non ab anno 608. Urbis Conditæ numerari debet, quo obiit Philometor frater ejus, sed ab anno Romæ 573. quo cum eo regnare cœpit inciditque in annum

urbis conditæ circiter 610. aut 611. Nicolaus Lyranus de annis vitæ ipsi Jesu Nepotis locum illum explicat : alii denique octo, & triginta illos annos numerant ab eo tempore, quo senior Jesu interpretis avus sapientiam illum πανεπιςήμονα Hebraica lingua conscripserat. Græca verba ἐν τῷ ὀγδόῳ καὶ τριακοςῷ ἔτη ἐπὶ τοῦ Εὐεργέτου Βασιλέως Ͽεὶς εἰς Αἴγυπτον rem omnem in medio pariter relinquunt, atque in varios sensus possunt ab Enarratoribus, ac Chronologis detorqueri. Sic itaque censeo, donec uberior lux alicunde affulgeat : nec desunt qui hoc quoque addant ex Isidoro seniorem illum fuisse è LXX. Interpretibus, & Jesu Magni Sacerdotis, qui cum Zorobabele rediit in Judæam, abnepotem.

DE AUCTORE librorum Machabæor. 3860.

LIBRI Machabæorum ultimi sunt inter sacros libros testamenti veteris, sunt autem duo libri (nam duo alii inter apocryphos numerantur) quorum prior continet res gestas Matathiæ, & trium filiorum ejus; Judæ Machabæi, Jonathæ, & Simonis ab anno mundi 3822. usque ad annum 3856. Hujus libri ignoratur auctor; sed credibile est auctorem fuisse Joannem Hircanum, filium Simonis, qui rebus omnibus interfuit, & fuit summus Sacerdos post patrem suum Simonem, & habuit vitam diuturnam & pacificam in principatu, annorum triginta & unius, & fuit non solùm Sacerdos, & Princeps, sed etiam Propheta, ut scribit Josephus lib. 13. antiq. cap. 16. Posterioris libri Machabæorum, qui continet historiam eamdem, sed paulò altiùs incipit, & narrat martyrium insigne Eleazari, & septem puerorum Machabæorum, & Matris ipsorum, auctor fuit Jason Cirenæus, qui libris quinque omnem hanc historiam comprehendit : quorum librorum epitomen solum habemus, ut dicitur libr. 2. Machabæorum cap. 2. Hos libros, quicquid hæretici obstrepant, ut verè Canonicos habet Ecclesia, ut perspicuum est ex Concilio Tertio Carthaginens. & Tridentino, ex Epist. Innocentii primi ad Exuperium, & Gelasio in Decreto de Scripturis sacris, ex sancto Cypriano lib. 1. epist. 3. ad Cornelium, & sancto Augustino lib. 18. de Civit. Dei cap. 36. & lib. 2. contra Gaudentium cap. 23. Præter hos libros sacros enumerat sanctus Athanasius in Synopsi aliquos libros apocryphos, qui non extant.

DISSERTATIO HISTORICA.

PRÆTER citatum locum ac Controversias Bellarmini, earumque Hyperaspistem Gretserum, consulesis Nicolaum Serarium, aliosque sacrorum librorum Interpretes, atque illustratores cum Possevino &c.

DE PHILONE HEBRÆO. 4024.

PHILO Hebræus, vir omnium consensu doctissimus, floruit sub Cajo imperatore, ad quem etiam legatione functus est pro gente sua. Hic ponitur à sancto Hieronymo inter scriptores Ecclesiasticos, quia scripsit in laudem Christianorum, qui sub sancto Marco Evangelista, in Ægypto religiosissimè vivebant. Et præterea jure numeratur inter scriptores Ecclesiasticos testamenti veteris, quoniam Scripturas divinas testamenti veteris primus exposuit. Scripsit plura, quorum Catalogum refert Eusebius lib. 2. histor. cap. 17. sed non omnia extant. Ejus opera ex editione Basileensi anni 1561. hæc sunt.

De mundi opificio lib. 1. De allegoriis legis. De Cherubim 1. De sacrificiis Abel, & Cain 1. Quod deterius potiori insidietur 1. De Agricultura 1. De plantatione Noe 1. De temulentia Noe 1. In illud: Resipuit Noe 1. De Gigantibus 1. Quod Deus sit immutabilis 1. De confusione linguarum 1. De Abrahamo. De Profugis 1. Quis rerum divinarum sit hæres 1. De Joseph 2. De Mosis vita 3. De Charitate 1. De creatione Principis 1. De fortitudine 1. De Decalogo 1. De Specialibus legibus 1. De Circumcisione 1. De Monarchia 2. De Sacerdotum honoribus 1. De Victimis 1. De offerentibus victimas 1. De Meretricis mercede 1. Quod omnis probus liber 1. De Vita contemplativa 1. De Nobilitate 1. De præmiis, & pœnis 1. De execratione 1. Quod Mundus sit incorruptibilis 1. In Flaccum 1. De Legatione ad Cajum 1.

De his libris non est controversia. Circumfertur nomine Philonis Breviarium temporum, sed ab omnibus rejicitur, ut etiam alii historici, qui cum eo Breviario simul editi sunt.

DISSERTATIO HISTORICA.

PHILO Judæus, natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum anno Caji Caligulæ Imperatoris tertio Christi Domini 40. Legatus à suis Romam missus de vita periclitatus est : cumque secunda vice venisset ad Claudium Caligulæ successorem & patruum, in eadem urbe locutus esse cum Sancto Petro Apostolorum Principe, ejusque amicitias habuisse, & ob hanc causam etiam Marci discipuli Petri apud Alexandriam sectatores ornasse laudibus suis dicitur. Hæc & alia plura ex Josepho libro 18. Antiquitatum, Clemente Alexandrino lib. 1. Stromatum ubi Pythagoreum eum vocat, Eusebio libro 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 18. lib. 7. Præparationis Evangelicæ, & in Chronico ad annos Christi 34. 37. & 39. S. Hieronymo tum cap. 11. Catalogi, & Prologo in Marcum, tum aliis in locis, S. Epiphanio, S. Augustino lib. 12. contra Faustum, Orosio, Ruffino, Isidoro Pelusiota, Theodoreto, Justino Martyre, Photio Patr. C. P. codd. 103. 104. 105. quibus addendi Suidas, Zonaras, Nicephorus, Trithemius, & ex recentioribus Baronius, Sixtus Senensis, Possevinus, quique de Essenis aliisque Judęorum sectis acerrimè cum Calvinianis Hęreticis Divinis, ut appellat, Grammaticis Josepho Scaligero, & Joanne Drusio decertavit Nicolaus Serarius Societatis JESU Theologus vir doctissimus. Vulgatum verò de illo acroama referunt, ex Photio ἢ Πλάτων φιλωνίζει ἢ φίλων πλατωνίζει, vel ex ep. 81. libri tertii Isidori Pelusiotę ἢ Πλάτων ἐφιλώνισεν, ἢ φίλων ἐπλατώνισεν, Aut Plato imitatur, sive imitabatur Philonem, aut Platonem Philo : qua de re aliisque eodem spectantibus consule librum primum Tomi II. Theologicorum Dogmatum R. P. Dionysii Petavii cap. 2.

Græco-Latina Parisiensis omnium Philonis operum anno 1640. emissa omnium, quas hactenus viderim, absolutissima ex Sigismundi Gelenii & quorumdam aliorum interpretatione hæc continet in tres partes distributa.

Parte prima Cosmopoetica.

De Mundi Opificio. Legis Allegoriarum post sex dierum opus libri duo. De Cherubim & flammeo gladio & de Cain, qui primus ex homine procreatus est. De Sacrificiis Abelis & Caini. Quod deterius potiori insidiari soleat. De Agricultura. De Plantatione Noe liber secundus. De temulentia Noe. De his verbis: Resipuit Noe. *De gigantibus. Quod Deus sit immutabilis. De confusione linguarum.*

Parte secunda, Historica.

Vita Sapientis per doctrinam perfecti, sive, de legibus non Scriptis, hoc est de Abraamo. De migratione Abraami. De congressu quærendæ eruditionis gratia. De Profugis. Quis rerum Divinarum hæres sit. Vita viri Civilis seu Politici, hoc est de Joseph. De eo quod à Deo mittantur somnia. De Mosis vita libri tres. De Charitate. De Judice. De Creatione Principis. De Fortitudine.

Parte tertia, Juridica sive Legalia.

De Decalogo, quod est totius Juris Summarium. De Specialibus legibus, quæ referuntur ad tria Decalogi capita 3. 4. & 5. hoc est de jurejurando, de Sacro Sabbato, & de honore habendo parentibus. *De specialibus legibus quæ referuntur ad 6. & 7. Decalogi capita*, hoc est contra mœchos omnesque libidinosos & contra homicidas omnemque violentiam.

Quid autem factum sit libris duobus quos scripserat περὶ διαθηκῶν de Testamentis seu Pactis prorsus ignoro. Meminit ipse Tractatu de Mutatione nominum, & post eum S. Hieronymus.

De Circumcisione. De Monarchia. De præmiis Sacerdotum & honoribus. De animalibus idoneis sacrificio, deque victimarum generibus. De offerentibus victimas. Quod liber sit quisquis virtuti studet. De vita Contemplativa, sive, supplicum virtutibus. De nobilitate. De præmiis & pœnis. De execrationibus. Quod mundus sit incorruptibilis. In Flaccum. De virtutibus & legatione ad Cajum Imp. Quare quorumdam in Scripturis mutata sunt nomina, sive de mutatione nominum, interprete Federico Morello interprete Prof. Regio.

Hunc verò Tractatum cum duobus sequentibus Græcè ediderat Francofurti anno 1587. in 8. è Bibliotheca Augustana David Hæschelius, & notis illustrarat, ubi p. 218. contendit dubium non esse, quin Romæ cum Divo Petro collocutus, & in ipsa patria cum Marci Evangelistæ studiosis versatus mysteria Sacrarum litterarum ex ipso fonte haurire didicerit, erroresque deposuerit.

Sacræ legis allegoriarum post sex dierum opus liber tertius: sive de formatione Evæ ex Adami latere, & de utriusque lapsu. *De eo quod à Deo immittantur somnia*, sive somniorum Josephi, Pharaonis, Pincernæque ac Pistoris, allegorica Expositio. *Philoni suppositus liber de Mundo*, Guillelmo Budæo interprete, qui in epistola ad Jacobum Tusanum Kal. Augusti anni 1526. rectè censuit non esse nostri Philonis Judæi. *De septenario & festis* Federico Morello interprete. *De Providentia fragmenta duo*, ex Michaelis Apostolii Byzantini libro Ιωνιᾶς descripta ex codice R. P. Andreæ Schotti, eodem Federico Morello interprete. Variæ Lectiones cum notis quibusdam Davidis Hæschelii Augustavi & Rolandi Petreji cum ejus versione opusculi de officio Judicis.

Iis addi potest Philonis ejusdem liber *de Interpretatione Hebraicorum nominum* quæ in Veteri Testamento reperiuntur juxta ordinem voluminum Sacræ Scripturæ, in quo omnium nominum ethymologiæ summa fide ac diligentia Græcè explicantur, cui Origenes adjecit interpretationes omnium Hebraicarum dictionum, quæ in novo Testamento habentur; ut quod Philo quasi Judæus omiserat, ipse ut Christianus impleret. Transtulit hunc librum S. Hieronymus præposita præfatiuncula, quæ operis auctorem testaretur, ex calce III. operum illius Tomi quivis discere poterit.

Philo, qui dicitur Biblius seu Bibliensis Grammaticus vixit exeunte sæculo Christi primo, & ineunte secundo sub Impp. Nerva, Trajano, & Hadriano: de

A quo præter veteres aliquot scriptores Suidas, Sixtus Senensis, (*a*) Vossius atque ex Vossio Miræus. Circumfertur sub nomine Philonis sive hujus, sive Alexandrini liber supposititius, *de Biblicis antiquitatibus, ab Adamo ad Saulis Hebræorum Regis tempora narrationibus apocryphis passim abundans*, quem ex lingua Phœnicum & Sanchoniatonis monimentis dicitur vertisse in Græcam Dialectum: qua de re non secus ac de Breviarii Temporum libellis duobus inter Annianas quisquilias excudi solitis nihil definio: utrumque enim opus exsufflandum.

Extat Antiquitatum liber tum Seorsim, tum anno 1550. in Micropresbytico Latinè dumtaxat Incerto Interprete, cum Philonis Judæi Quæstionum &
B solutionum in Genesim libro ac opusculis de statu Essæorum seu Monachorum, qui temporibus Agrippæ Regis sibi monasteria fecerunt, de Nominibus Hebraicis, ac de Mundo G. & L. ex versione Guillelmi Budæi.

Quidam quoque Philo, quem Philosophum appellant, Auctor Ecclesiasticæ cujusdam Ecclesiæ citatur à Michaele Glyca part. 4. Annalium pag. 282. editionis Græco-Latinæ Regiæ, ubi agit de Leone Isaurico. Vixit autem circa annum 1072. Si is est, quem laudat Constantinus Porphyrogenneta Imperator cap. 9. de Thematibus Occidentis ubi de Epidamno loquitur, quæ postea Dyrrachium appellari cœpit, ut diximus in Delineatione Apparatus
C Historiæ Byzantinæ pag. 49. Extat quoque Philonis, qui dicitur Byzantius, de septem orbis spectaculis sive Miraculis libellus G. & L. Romæ editus in 8. anno 1640. interprete Leone Allatio cum ejusdem notis. Sed certiora de his aliisque Philonibus expectanda jampridem monui ex singulari ejusdem Leonis Allatii V. C. Dissertatione, vel ex gemina ejusdem Græcorum Auctorum Bibliotheca, si quando ex tenebris adversariorum ejus emergant in publicam lucem.

(*a*) Sixtus Senensis de Biblicarum Antiquitatum libro hæc eruditè pronuntiat: in quo per modum brevis Historiæ vetus omne Testamentum perstringitur usque ad obitum Saulis, sed phrasis ejus ubique
D Hebraismum redolens, & narratio rebus apocryphis passim abundans indicant opus, aut hujus non esse Philonis, aut si forte ejus non sit, non Græco, sed Hebraico sermone ab ipso fuisse conscriptum. Idem rectè subjungit Fragmentum Quæstionum, & solutionum in Genesim ex ipsa doctrina, & phrasi esse Judæi alicujus, non tamen Philonis, qui in eis aliquoties citatur, & mentio habetur Apollinaristarum hæreticorum, qui in Christo Domino animam fuisse humanam negabant. At quæ præcedunt numquam viris eruditis placitura arbitror: Epitome Chronicorum, hoc est Breviarium temporum, in quo omissis fabulosis Gentilium Historicorum supputationibus omnem annorum numerum ab initio Mundi usque
E ad Christum juxtà veritatem Scripturæ Sacræ, & secundum tempora vitæ Virorum Illustrium veteris Testamenti exactissimè, fidelissimæque supputavit. Hunc Joannes Annius Viterbiensis Ordinis Prædicatorum locupletissimis commentariis ex Beroso, Methastene, Manethone, Xenophonte, Fabio Pictore, & Catone collectis splendidissimè illustrarit. Nollem hæc in Patrocinium quisquiliarum Annianarum à viro acerrimi alioquin in plerisque indicii, sed rei Chronologicæ parum gnari, fuisse in medium prolata. Longe castigatiori trutina expenderat laboriosissima illa otiosi hominis, si tamen unius, ἐκτρώματα, judicio atque eloquentia non vulgari præditus Benedictus Pererius noster in Commentariis in Danielem Prophetam libro 11. Valeat & in perpetuum valeat hæc Chronologia Anniana, & quæ toties à viris doctis profligata

gata & jugulata est, jaceat in posterum sempiterna hominum oblivione sepulta; nec sit post hac qui eam exhumare, & ad fidem aliquam quasi ad vitam revocare audeat. Sat sit adhuc eam, cùm non erat bene nota, imposuisse multis. Nunc detectis atque in apertum prolatis fucatis ejus mendaciis & fallaciis, si quem circumvenerit, nimis profectò stupidum & vecordem eum fore necesse est: Plura in earumdem sordium execrationem Joannes Goropius Becanus, Gaspar Varrerius ab Andrea Schotto nostro editus, aliique omnium Ordinum viri ingenio atque eruditione florentes. Addit idem Sixtus in Bibliotheca Wolfangi Lazii Viennensis Cæsareæ Majestatis Historici extitisse Commentaria quædam Philonis in Genesim & Exodum cum præfatione Sancti Hieronymi ab incerto interprete translata: quæ nondum lucem vidisse arbitror cum pluribus aliis in Sacra Biblia ejusdem monumentis, quæ periisse dolemus.

V. C. Henricus Valesius in notis ad librum II. Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii Pamphili observat in fine Legationis ad Cajum apertè indicare Philonem, alium hujus argumenti librum subsequi debere, quem vocat Palinodiam in Cajum, qui nihil est aliud, quàm ejusdem Philonis liber in Flaccum, qui proindè proximè sequi debet, non antecedere, ut in editis & Mss. fieri solet, Legationem ad Cajum, ut docet Photius in Bibliotheca. Subjungit librum secundum de Virtutibus ab Eusebio cap. 6. memoratum non posse alium esse quàm librum in Flaccum. Sic ergo nostræ dissertationis concipienda sunt ista. *In Flaccum*, sive *de Virtutibus liber secundus*, qui malè præmittitur, & *de Legatione ad Cajum Imperatorem*, sive *de Virtutibus liber primus*.

SUPPLEMENTUM.

PHILO cum Agathopode & aliis oculatis testibus scripserunt martyrium Sancti Ignatii Antiochiæ Episcopi: quod Opus ex antiqua latina Interpretatione ad manuscriptos Codices collata nobis obtulit primus post Epistolas ejusdem sancti viri, Jacobus Usserius Armachanus Archiepiscopus Oxoniæ annis 1642. & 1644. in 4. & Londini anno 1647. tum posteà Bollandus in vitis Sanctorum ad Calendas Februarii, impressi 3. in folio tomis Antuerpiæ anno 1658. apud Michaelem Knobbarum.

DE JOSEPHO HEBRÆO. 4057.

JOSEPHUS Hebræus floruit sub Vespasiano Imperatore, cui prædicit Imperium, cùm ab eo captivus detineretur. Scripsit

Antiquitatum Judaicarum, lib. 20. *De bello Judaico* 7. *Contra Appionem* 2. *De Machabæis* 1. *Vitam ipse suam addidit ad lib. antiq.*

Portò in libris antiquitatum comprehendit Josephus, historiam sacram à Genesi usque ad Machabæos, & deinde addidit reliquam historiam usque ad sua tempora.

Libro autem decimo octavo antiquitatum cap. quarto, reddit Christo mirabile testimonium, affirmans eum fuisse plusquam hominem, & verè Christum, in operibus magnificum, in verbis veracissimum, & à Pilato quidem occisum, sed tertia die resurrexisse: cujus testimonii meminit Eusebius libro primo histor. Ecclesiast. cap. undecimo, & sanctus Hieronymus in libr. de Scriptoribus Ecclesiast. in Josepho.

Quod autem Hebræi dicunt, testimonium illud de Christo in suis libris non haberi, & ideò videri superadditum à Christianis: facilè refelli potest. Nam Hebræi non habent Josephum filium Matathiæ, qui Græcè scripsit libros antiquitatum, de quo nos loquimur, sed Josephum filium Gorionis, qui aliquid simile scripsit Hebraicè: proinde non est mirum, si Judæi in suo Josepho hoc testimonium non habeant, cum in nostro habeatur, & non sit superadditum, sed verum & germanum Josephi testimonium.

Certè sanctus Hieronymus, & Eusebius viri doctissimi fuerunt, & omnes penè libros veterum Scriptorum legerunt: & numquam hoc testimonium de Christo, Josepho tribuissent, nisi scivissent verè ab illo auctore ita scriptum fuisse.

Omisi libros Rabinorum, qui plurimi sunt, quoniam pleni sunt fabulis Judaicis, & erroribus perniciosis: neque verum esse arbitror, quod Jo: Garetius, alii nonnulli scribunt, Rabinos aliquot, quorum opera nunc extant, scripsisse ante adventum Christi, video enim passim ab iis mentionem fieri eversionis Hierusalem, & templi per Titum, Vespasiani filium.

DISSERTATIO HISTORICA.

FLAVIUS JOSEPHUS, Matathiæ filius, maternum genus ex Hasamonæorum stirpe deducens, secta Pharisæus ac Sacerdos, Dux belli ac miles, Historicus & Scriptor, natus anno Christi 37. Caji Caligulæ Imp. Romanorum primo, captus in castro Jotapata anno Christi 68. Vespasiano mortem Neronis atque imperium prædixit, ductusque Romam ac benevolè habitus, animum ad scribendum appulit, tum res suo tempore gestas, tum Judaicas Origines à primo usque ævo. Vixit saltem usque ad extrema Domitiani tempora, annumque Eræ Christianæ 93. Olympiadis 218. quo anno obierit, mihi non constat. De eo plura Svetonius cap. 5. in Vespasiani vita, Tertullianus Apologetici cap. 17. & 21. ubi dicitur Antiquitatum Judaicarum vernaculus vindex, S. Justinus Parænesi ad Græcos cap. 17. Origenes non uno in loco, Porphyrius lib. 4. de abstinentia animalium, Eusebius tum in Chronico, tum in Historia, S. Hieronymus in Epistolis ad Eustochium de custodia Virginitatis, & ad Magnum Oratorem Romanum, necnon cap. 13. Catalogi, ubi inter cætera refert libros septem de Captivitate Judaica, Imp. Vespasiano patri filioque Tito oblatos, ac Bibliothecæ publicæ traditos, eorumque auctorem ob ingenii gloriam, statuam Romæ meruisse, Ruffinus qui libros Antiquitatum Latinè reddidit de Bello, &c. Stephanus in φασάηλις, S. Isidorus Pelusiota lib. 4. Epistol. 225. Sozomenus, Evagrius, Zonaras, Cassiodorus lib. 1. Divinarum lectionum cap. 17. ubi dicitur penè secundus Livius, Photius codd. 47. 76. & 238. Suidas, ut recentiores omittam.

Omnia Josephi opera G. & L. edita sunt Genevæ anno 1611. hoc ordine, ut nihil modo dicam de Latinis tantùm Græcisve editionibus.

Antiquitatum Judaicarum libri 20. ab Exordio Mundi & prima hominis creatione usque ad annum Neronis Principis duodecimum Christi 66. scribebat autem libros illo anno Principatus Domitiani Cæsaris decimotertio, Christi 93. ætatis verò suæ 56. ex Sigismundi Gelenii interpretatione. Quos S. Hieronymus scribens ad Lucium Bæticum propter magnitudinem prolixi operis à se perhibet non potuisse transferri, hos una cum duobus, ut arbitror, adversus Apionem, ab amicis suis magno labore Cassiodorus fecit in Latinum converti, ut ipsemet docet loco supra citato.

De Bello Judaico libri septem, interprete ut vulgo creditum est Ruffino Aquilejensi, ad Græcum exemplar

plar collati & emendati per eumdem Sigiſmundum Gelenium. Notanda ejuſdem Caſſiodori verba : *Qui etiam & alios ſeptem libros captivitatis Judaicæ mirabili nitore conſcripſit* : quam translationem, alii Hieronymo, alii Ambroſio, alii deputant Ruffino, quæ dum talibus viris adſcribitur, omnino dictionis eximia merita declarantur. *Flavii Joſephi Vita per ipſum conſcripta* eodem Sigiſmundo Gelenio interprete. *De Antiquitate Judæorum*, contra Apionem Grammaticum Alexandrinum libri duo ad Epaphroditum, ex interpretatione, ut creditur, Ruffini, aut certè amicorum Caſſiodori, ab eodem Gelenio reſtituta atque emendata. Is autem Apion ſub Caligula ex parte Gentilium contra Philonem Romam miſſus, ſcripſerat inſuper librum vituperationem Judaicæ gentis continentem. *De Machabæis*, ſive, *de Imperio rationis*, *περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ*. Honorius Auguſtodunenſis cap. 15. libelli primi de Luminaribus Eccleſiæ, vertit librum de Potentia, in quo digeſta ſunt Machabæorum martyria. A Deſiderio Eraſmo Roterodamo in Latinum ſermonem *παραφραστικῶς* translatus eſt.

S. Hieronymus citato capite 13. Catalogi hæc addit ex Euſebii libri 1. cap. 11. deprompta. Hic in XVIII. Antiquitatum libro manifeſtiſſimè confitetur propter magnitudinem ſignorum Chriſtum à Phariſæis interfectum, & Joannem Baptiſtam verè Prophetam fuiſſe, & propter interfectionem Jacobi Apoſtoli dirutam Hieroſolymam. Scripſit autem de Domino in hunc modum : *Eodem tempore fuit JESUS vir ſapiens, ſi tamen virum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt : plurimos quoque, tam de Judæis, quàm de Gentibus ſui habuit ſectatores, & credebatur eſſe Chriſtus. Cumque invidia noſtrorum Principum cruci eum Pilatus addixiſſet, nihilominus, qui eum primum dilexerant perſeveraverunt. Apparuit enim eis tertia die vivens, multa, & hæc & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus : & uſque hodie Chriſtianorum gens ab hoc ſortita vocabulum non defecit.*

De hoc Joſephi loco ante Euſebii ætatem apud Chriſtianos jam pervagato, genuinus ne ſit, an inſititius, gravis nuper exorta eſt controverſia, Salmurienſi Profeſſore Euſebii, Hieronymi, Iſidori Peluſiotæ, Photii, Suidæ, & omnium fermè Chriſtianorum ſententiam arguente, atque confictum ab aliquo impoſtore ϗ *ὑποβολιμαῖον*, conjecturis aliquot in medium adductis affirmante, cui ex adverſo obſtitit V. C. Franciſcus de Roye Andegavenſis IV. Anteceſſor in peculiari diſſertatione, quam ſubjecit Tractatui ad Canonem : Ego Berengarius, &c. Andegavi in 4. 1656. (*a*)

De Joſephi Ben-Gorionis Antiquitatum Judaicarum libris quinque, quos ex Hebraico exemplari ex urbe C.P. adducto Latinè redditos Sebaſtianus Munſterus vulgavit Baſileæ anno 1541. apud Henricum Petri, nihil addam modo iis, quæ de iis ſcripſerunt Franciſcus Ribera commentariis in Abdiam, Joannes Maldonatus Comm. in caput 16. Matthæi n. 14. Poſſevinus, Baronius anno 72. Nicolaus Serarius capite 9. libri 1. Trihæreſii, Joſephus Scaliger in Elencho Trihæreſii, Caſaubonus Exercit. 13. cap. 26. & Exerc. 16. cap. 108. & 154. Voſſius, aliique.

(*a*) Idem Tanaquillus Faber Tractatum illum ſuum denuo recuſum inſeruit libro Epiſtolarum ad amicos Salmurii excuſo in 4. anno 1659. Expectamus porrò in dies quid hocce Autumno parturierint Francofordienſes Nundinæ, quarum Prodromus ad calcem Vernalium, ut vocant, ejuſdem urbis Nundinarum præmonſtravit eruditis Chriſtophori Adami Ruperti, & aliorum Epiſtolas ſive Tractatus de eodem Joſephi teſtimonio : quod & ſuffragiis ſuis probare videntur Viri doctiſſimi, rationeſque *τοῦ ἐξ ἐναντίας* improbare Guillelmus Speucerus in Notis ad librorum Origenis adverſus Celſum editionem Anglicanam, & Henricus Valeſius J. C. Pariſinus in Annotationibus ad Euſebii Cæſarienſis Hiſtoriam Eccleſiaſticam. Idem rectè obſervat in editionibus Joſephi Græco-Latinis malè divelli à libris 20. Originum Judaicarum libellum de Vita ſua, qui eſt eorum veluti Epilogus ſive Appendix, idque confirmat ex iis, quæ in utriuſque operis calce adjiciuntur : arguitque Scaligerum, qui ſeptem annis poſt Antiquitates Judaicas libellum de vita ſcriptum tradidit.

Liber de Machabæis hoc titulo inſignitur apud Euſebium libro 3. cap. 10. *ὅτι αὐτοδέσποτός ἐστι τῶν παθῶν ὁ εὐσεβὴς λογισμός*. Periiſſe verò videtur ejuſdem Joſephi de LXX. Danielis Hebdomadibus, cujus meminit S. Hieronymus libri 11. Commentariorum in Eſaiam proœmio, ubi cùm Africanum, Origenem, Euſebium, Clementem, Apollinarium, Hippolytum, Tertullianumque commemoraſſet, adjungit, Joſephum, Porphyriumque, plurima de eadem quæſtione diſputaſſe.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS TESTAMENTI NOVI.

Sæculum primum ab anno Dom. I. *ad* 100.

De S. Petro Apoſtolo. Anno Dom. 34.



ANCTUM PETRUM in Catalogo primum ponimus, & ſignamus anno 34. Quia illo anno Domini vivebat, & Eccleſiam regere cœperat.

Quamvis enim extet apud Euſebium libr. 2. hiſt. Eccleſ. c. 13. Epiſtola Domini noſtri Jeſu Chriſti ſcripta ad Abagarum Regem Edeſſæ, tamen ea epiſtola numquam fuit admiſſa ab Eccleſia; inter quas ſine dubio admiſſa fuiſſet, ſi ab ipſo Domino ſcriptam fuiſſe conſtaret.

Quamvis etiam extent Cantica B. Virginis Mariæ, Zachariæ, & Simeonis, ea tamen non ab ipſis, ſed à ſancto Luca ſcriptis mandata fuerunt.

Denique quamvis inter epiſtolas ſancti Ignatii Martyris inveniatur una B. Virginis Mariæ ad ipſum Ignatium, ea tamen non habetur in Græcis codicibus, neque ejus meminerunt veteres Patres ante ſanctum Bernardum: proinde non conſtat, an ſit verè B. Virginis epiſtola.

Quod autem attinet ad ordinem inter ſcriptores Sacros teſtamenti novi, quoniam eodem vixerunt ſæculo, ſequuti ſumus ordinem quem Eccleſia ſequitur in illis collocandis, tum in Latinis, tum in ſacrificio Miſſæ.

Ergo ſanctus Petrus Apoſtolus, & Chriſtianorum ſummus Pontifex, & Vicarius Jeſu Chriſti, qui eſt Sacerdos in æternum, anno Domini triceſimo tertio, vel ſecundùm alios triceſimo quarto Eccleſiæ Chriſtianæ præſidere cœpit, & anno ſexageſimo nono, vel ſecundùm alios ſeptuageſimo, martyrio coronatus eſt.

Sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccleſ. ſcribit ſanctum Petrum crucifixum fuiſſe anno quartodecimo Neronis. Sed ſanctus Hieronymus Euſebii Chronicum ſecutus eſt. Verè enim Nero non imperavit annis quatuordecim, & menſibus octo, ut Euſebius ſcribit: ſed annis tredecim, & menſibus ſeptem, ut ſcribunt Svetonius, Dio, & alii: & quoniam imperare cœpit à die quartadecima Octobris iiſdem auctoribus, inde fit, ut ſanctus Petrus, qui die viceſimo nono Junii obiit, non anno quartodecimo, ſed tertiodecimo Neronis obierit.

Scripſit *epiſtolas duas*, ac de priore nulla unquam dubitatio fuit: de poſteriore propter ſtyli diverſitatem nonnulla apud aliquos ambiguitas fuit. Sed Eccleſia utramque epiſtolam, & canonicam, & ſancti Petri eſſe docuit in Concilio Laodiceno, Carthaginenſi tertio, Florentino, & Tridentino: merito & Beda venerabilis admiratur, fuiſſe aliquos, qui epiſtolam illam ſancti Petri fuiſſe dubitare potuerint, cùm auctor Simonem Petrum ſe initio nominet, &

A affirmet, ſe in monte ſancto cum Chriſto fuiſſe in transfiguratione, & diſertè dicat: *Hanc ſecundam vobis ſcribo epiſtolam*. Hinc enim ſequitur, ut auctor hujus epiſtolæ, vel fuerit inſignis impoſtor, quod nemo unquam dicere auſus eſt, vel fuerit Sanctus Petrus.

Cur autem diverſus eſſe videatur ſtylus prioris, & poſterioris epiſtolæ, rationem reddit S. Hieronymus in ep. ad Hedibiam quæſt. 11. quoniam Apoſtolus non ſemper eodem interprete utebatur.

Addit ſanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccleſ. multos alios libros olim ſub nomine S. Petri ſcriptos fuiſſe, quos ipſe ibidem enumerat, ſed omnino apocryphos, imò ſpurios, & ſuppoſititios fuiſ-
B ſe vel ex eo conſtat, quòd numquam ab Eccleſia vel in Catalogum ſanctarum Scripturarum redacti, vel in Bibliis ſacris repoſiti, vel in templi recitati ſint, & hoc tempore non ipſi ſolùm, ſed eorum nomina, & memoria evanuerint.

Dissertatio Historica.

SIMON PETRUS filius Joannis frater Andreæ, è vico Galileæ Bethſaida, Apoſtolorum Princeps, ſecundo Claudii Imperatoris anno æræ Chriſtianæ 41. Romam venit, ibique 25. annis Cathedram Sa-
C cerdotalem obtinuit, uſque ad 13. Neronis annum, cujus juſſu cruci affixus martyrium ſubiit die 29. Junii anni Chriſti 67. ibidemque ſepultus in Vaticano juxta viam Triumphalem totius, non ſolùm urbis, ſed etiam orbis Chriſtiani veneratione celebratur. Illius laudes, & elogia Sacri Scriptores omnes antiqui recentioreſque deprædicant, de quibus conſule Baronium, Bellarminum, ſimileſque Catholicos, qui de Primatu Petri, ejuſque ac Sedis Romanæ ab eo fundatæ prærogativis, adverſus Heterodoxos à Fide majorum ſuorum apoſtatas, eruditiſſimos Tractatus in lucem ediderunt.

Extant duæ S. Petri Epiſtolæ, quas Eccleſia Catholica recepit. In Actuario quoque Græco-Latino
D Bibl. Veterum Patrum, & Tomo 12. Morellianæ Græcè, & Latinè habetur, quæ S. Petri Apoſtolorum Principis dicitur Liturgia ſeu miſſa Apoſtolica, Divinumque ſacrificium cum Canone Latino S.R.E. ex editione Græco-Latina apud Federicum Morellum anni 1595. procurante Joanne à S. Andrea Canonico Eccleſiæ Pariſienſis ex mſſ. codd. Bibliothecæ Chriſtianiſſimi Regis cum aliquot Annotationibus Guillelmi Lindani Gandavenſis Epiſcopi qui primùm anno 1585. publicavit. Sed nec illa indubitatæ fidei aſſeritur, eique multa fuiſſe à poſterioribus inſerta adtextaque identidem res ipſa loquitur, ut non ſit neceſſe Allophylos adverſus eam debacchantes conſulere.

De Evangelio quod ſub Petri nomine ferebatur, ſcripſit

ſcripſit Serapion Antiochenus Epiſt. ſub an. 195. librum ad Rhoſſenſem Ciliciæ Eccleſiam, quæ in hæreſim ejus lectione diverterat teſte S. Hieronymo cap. 41. Catalogi. Clemens quoque Alexandrinus citat librum Petri *Prædicationum*, & alii alios, qui ad noſtra uſque tempora non pervenerunt.

De S. Paulo Apoſtolo. Anno 35.

SANCTUS PAULUS Apoſtolus ab ipſo Chriſto de cœlo vocatus, & per cœleſtem revelationem Evangelium pleniſſimè edoctus repente de perſecutore prædicator eximius factus, eodem anno & die, quo ſanctus Petrus, martyrio coronatus eſt: cujus rei Euſebius in Chronico, ſanctus Hieronymus de Script. Eccleſ. & omnis antiquitas teſtis eſt.

Scripſit epiſtolas quatuordecim. *Ad Romanos. Ad Corinthios* 2. *Ad Galatas* 1. *Ad Epheſios* 1. *Ad Philippenſes. Ad Coloſſenſes.* 1. *Ad Theſſalonicenſes* 2. *Ad Timotheum* 2. *Ad Titum* 1. *Ad Philemonem* 1. *Ad Hebræos* 1.

Et quidem de primis tredecim nulla unquam controverſia fuit. Epiſtolam ad Hebræos, teſte ſancto Hieronymo in lib. de Script. Eccleſiaſt. alii tribuebant Barnabæ, alii Lucæ, alii Clementi Romano: nec defuerunt hæretici veteres, & recentiores, qui huic epiſtolæ auctoritatem detraherent. Cæterùm eſſe eam & verè canonicam, & à ſancto Paulo ſcriptam, teſtis eſt Eccleſia Catholica univerſa, quæ illam legit aſſiduè inter Miſſarum ſolemnia ſub nomine B. Pauli Apoſtoli: teſtes ſunt Patres Conciliorum ſupra citatorum, qui hanc epiſtolam in numerum divinarum Scripturarum poſuerunt: teſtes veteres Patres, qui eam ad probanda dogmata fidei paſſim adducunt. Vide, ſi placet, de hac epiſtola integram diſputationem in Controverſiis noſtris lib. 1. de Verbo Dei cap. 17.

Præter has epiſtolas quatuordecim, fertur & alia ſub nomine B. Pauli ad Laodicenſes, ſed ea, (inquit S. Hieronymus in lib. de Script. Eccleſ.) ab omnibus exploditur.

Feruntur quoque ſub ejuſdem beati Pauli nomine epiſtolæ quædam breves ad Senecam: quas ſanctus Hieronymus in eodem libro, in Seneca, non videtur contempſiſſe, ſed Eccleſia Catholica neque epiſtolam ad Laodicenſes, neque epiſtolas ad Senecam in Catalogo Scripturarum poſuit, ac per hoc B. Pauli eas non eſſe cenſuit.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS PAULUS, dictus ante Saulus, de Tribu Beniamin, non ex oppido Judææ Giſchalis oriundus, unde Tarſum Ciliciæ cum parentibus commigrarit ut ſcripſerat junior S. Hieronymus, ſed in ipſa Tarſenſi urbe natus, quod idem in extremo commentario Epiſtolæ ad Philemonem confirmat, diſcipulus Gamalielis viri doctiſſimi, & S. Stephani conſanguineus, poſt ejus cædem à Judæis perpetratam anno æræ Chriſtianæ 35. Damaſcum veniens revelatione ipſius D. N. I. C. compulſus ad fidem, ab Anania baptizatus, in vas electionis de perſecutore transformatus, multiſque ad fidem Chriſti plantandam propagandamque peregrinationibus laboribuſque perfunctus, demum anno Neronis Imp. 13. Chriſti 67. die 29. Junii Romæ, unà cum S. Petro Martyrium paſſus eſt defecto capite. Plura de eo S. Lucas in Actis, ipſemet Paulus *in Epiſtolis ſuis, quæ ſuperſunt num.* 14. Euſebius, Ambroſius, Hieronymus cap. 5. Catalogi, & alibi ſæpè, Sophronius Chryſoſtomus, Oecumenius, aliique Patres, & Tractatores Eccleſiaſtici, tum veteris tum recentis memo-

A riæ, quos Baronius, Maſſutius, ſimileſque collegerunt. Quo verò anno ſingulas Epiſtolas Paulus ſcripſerit, non eſt hujus loci definire, nec de auctore Epiſtolæ ad Hebræos diſputare, aut de ejus auctoritate, quam infruniti quidam Novatores, in quibus numerandus eſt Joſephus Scaliger, ſi quæ de eo in colloquiis familiaribus ex ejus ore exceptis narrantur veritate ſubnixa ſunt, impiè atque impudenter in dubium revocare moliti ſunt. *Epiſtolam ad Laodicenſes*, quam Sixtus Senenſis in Bibliotheca, & Joannes Mariana in noctis ad Epiſtolas S. Pauli excudendam curaverunt, ut fictam reſpuunt Hieronymus in Catalogo, Theodoretus comm. in ep. ad Coloſſenſes caput quartum, Baronius, Bellar-

B minus, aliique Catholici, qui etiam meritò ambigunt duce Chryſoſtomo, an unquam ullam ad Laodicenſes epiſtolam Paulus ſcripſerit. Quidquid ſit, nullius auctoritatis eſſe eam quæ circumfertur exploratiſſimum eſt. *De epiſtolis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum*, hoc unum dico, etſi memorentur Auctori Actorum paſſionis S. Pauli ſub nomine Lini vulgatorum, S. Hieronymo cap. 12. Catalogi, ubi Senecam cum aliis Eccleſiaſticis Scriptoribus annumerat, S. Auguſtino epiſt. 14. nonnullis veteribus, (*a*) videri tamen Baronio pluribuſque recentioribus confictas fuiſſe ab aliquo ad ingenium exercendum. Gelaſius Papa in Concilio LXX. Epiſ-

C coporum *Acta Pauli, & Theclæ*, ſive *Periodos*, ut vocat Hieronymus, inter apocryphas ſcripturas recenſuit, non tamen inde ſequitur commentitia eſſe quæcumque de Sanctiſſima Virgine, & Martyre Thecla SS. Gregorii Nazianzenus atque Nyſſenus, Ambroſius, Epiphanius, Chryſoſtomus, Auguſtinus Fauſto manichæo reſpondens, Baſilius Seleuciæ in Iſauria Epiſcopus, qui vitam ac miracula ejus à Petro Pantino Tiletano Bruxellenſi Decano Latinè reddita conſcripſit, aliique veteres poſteritati commendarunt, ut adverſus Andream Rivetum ſimileſque Patrum calumniatores dicetur in examine Heterodoxorum Criticorum.

(*a*) Certè conſuetudinem inter Apoſtolum Paulum ac Philoſophum Senecam innuunt verba illa

D Venerabilis Petri Cluniacenſis Abbatis ad articulum primum Hæreſeos Petrobuſſianorum: Nonne ipſi Paulo famoſius ille Philoſophus Seneca dixit, nullas ſe credere ſuffecturas ætates ad litterarum illarum altitudinem capiendam? Nonne & illa crudelis beſtia Nero his eodem Philoſopho recitante auditis mirari ſe dixit, unde homini, ut dicebat, indocto tanta ſcientia ineſſe potuit.

De S. Joanne Apoſtolo. 34.

SANCTUS JOANNES Apoſtolus, & Evangeliſta, dilectus Deo, & hominibus, uſque ad Trajani Imperatoris tempora pervenit, & ſexageſimo octavo

E poſt paſſionem Domini anno, qui erat annus à nativitate ejuſdem Domini noſtri centeſimus, vel centeſimus primus, in pace quievit: teſtes Euſebius in Chron. ſanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccleſ. & alii.

Scripſit *Evangelium, Apocalypſim, & Epiſtolas tres*, & quidem Evangelium, de quo nulla fuit unquam dubitatio, ſcripſit poſt alios tres Evangeliſtas. Et quoniam ſancti Apoſtoli brevitati ſtudebant maximè, ideò ſanctus Joannes ferè omnia prætermiſit, quæ ab aliis ſcripta fuerant: ea ſiquidem ſola repetiit, quibus aliquid addendum eſſe exiſtimavit.

De Apocalypſi dubitatio aliqua fuit olim, apud Græcos præcipuè, & nunc eſt apud hæreticos noſtri temporis quemadmodum etiam de ſecunda, & tertia epiſtola. Sed Eccleſia Catholica tum Apocalypſim tum

epistolas illas duas; ut Evangelium, & Epistolam primam in numerum sanctarum Scripturarum sub nomine S. Joannis recipit.

Vide Controversias nostras lib. I. de Verbo Dei, cap. 18. & 19.

DISSERTATIO HISTORICA.

S. JOANNES Apostolus & Evangelista, Zebedæi filius, frater Jacobi majoris, discipulus ille quem diligebat Jesus, Theologus vulgo dictus, vel senior, ob longam ætatem, permansit, ut testis est S. Irenæus vir Apostolicorum temporum, usque ad Trajani Imperatoris tempora, cujus anno secundo christianæ æræ *99.* post Passionem Christi *68.* die 27. Decembris Ephesi in Asia obiit, cùm in eamdem urbem reversus esset ex insula Pathmo, in quam jussu Diocletiani tyranni anno Christianæ æræ *94.* relegatus fuerat.

Evangelium, novissimus omnium scripsit rogatus ab Asiæ Episcopis adversus Cerinthum, & dogma Ebionitarum, qui asserebant Christum Dominum ante Mariam Matrem ejus non fuisse, ut pluribus Sanctus Hieronymus cap. *9.* Catalogi.

Apocalypsim vidit in insula Pathmo, quam Irenæus interpretatus est, inquit Eusebius in Chronico ad annum Christi *94.* Olym. 218. 2. Idem ad annum Christi 100. Olymp. 219. 4. tradit post eum insignes fuisse ejus auditores Ignatium Antiochenum, Papiam Hierapolitanum, & Polycarpum Smyrnæum Episcopos.

Epistolam I. ait ibidem Sanctus Hieronymus ab universis Ecclesiasticis, & eruditis viris probari. II. *Electæ Dominæ*, & III. *Cajo carissimo*, scriptas, ejusdem auctoris esse constat, quamquam Joanni cuidam Presbytero, seu seniori nonnulli olim eas tribuerint: cujus hodie, & alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur, inquit Hieronymus, qui & alibi plura de Joanne Apostolo memorat, quemadmodum & Augustinus, aliique Patres, quos recentiores Sacræ Scripturæ Interpretes cum Baronio Bellarmino, ac similibus subministrabunt. Ejus verò aliorumque Apostolorum, & Evangelistarum libris ab Ecclesia Catholica probatis receptisque convenit, illud aureum Augustini dictum lib. 33. adversus Faustum Manichæum cap. *6.* Si quæratur à nobis unde sciamus Apostolorum esse istas litteras, breviter respondemus: EX FUNDATISSIMA ECCLESIÆ ATTESTATIONE, à temporibus, Apostolorum usque ad hæc tempora certis successionibus producta, quæ Novum Testamentum ab Apostolis, & Evangelistis scriptum semper credidit, & credendum proposuit, & illud vulgatissimum: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas, &c. quibus exploditur fanaticus Lutheranorum, & Calvinianorum in dijudicandis sacris prophanisque libris spiritus.

De S. Matthæo Apostolo. 34.

SANCTUS MATTHÆUS Apostolus primus omnium *Evangelium* scripsit, lingua patria, id est, Hebraica: testis est sanctus Hieronymus in libro de Script. Eccles. qui etiam vidisse se, & descripsisse affirmat Evangelium sancti Matthæi lingua Hebraica scriptum, & ante Hieronymum id ipsum testati sunt Epiphanius hæresi *29.* quæ est Nazaræorum, Eusebius lib. 3. hist. cap. 24. & Irenæus lib. 3. cap. I.

Quis in linguam Græcam transtulerit Hebraicum Matthæi Evangelium, ignorari scripsit sanctus Hieronymus. Sanctus Athanasius in Synopsi scribit à sancto Jacobo fratre Domini fuisse expositum Evangelium S. Matthæi.

Utrum illa expositio fuerit versio in Græcum, non scimus. De hoc sacro libro nulla fuit unquam dubitatio.

DISSERTATIO HISTORICA.

S. MATTHÆUS Levi cognomine, ex Publicano in Apostolorum numerum cooptatus anno Christi 31. primus omnium Evangelium scripsit Hebraico idiomate anno Christi nati 42. Quamdiu postea vixerit quove anno in Æthiopia die 21. Septembris obierit mihi non constat. De eo S. Hieronymus cap. 3. Catalogi, Præfatione in illius Evangelium, & alibi sæpè, S. Irenæus lib. 3. cap. I. Eusebius Cæsariensis lib. 3. cap. 18. & 24. Epiphanius hæres. 29. S. Athanasius in synopsi, ut omittam Baronium, Bellarminum, & Novi Testamenti recentiores interpretes.

De S. Jacobo Apostolo. 34.

SANCTUS JACOBUS Apostolus *Epistolam unam* scripsit, quæ de septem Catholicis est. Ac de ipso Jacobo, ut etiam de ejus epistola nonnulla quæstio est.

Græci in Menologio tres Jacobos Apostolos celebrant, Jacobum Alphæi die nono Octobris; Jacobum fratrem Domini, die vicesimo tertio ejusdem mensis, & Jacobum Zebedæi die 30. Aprilis.

Sanctus quoque Hieronymus in lib. contra Helvidium meminit hujus opinionis; quæ tres Jacobos facit, duos ex numero duodecim Apostolorum, & unum extra numerum. Sed rectè idem S. Hieronymus in eodem loco hanc opinionem refellit: nam idem omnino est Jacobus Alphæi, & Jacobus frater Domini, qui & minor dicitur in Evangelio: & duos tantùm novit, & celebrat Ecclesia Latina, Jacobum fratrem Joannis die 25. Julii, & Jacobum Alphæi fratrem Domini die I. Maji.

Cur autem dicatur frater Domini, variè sentiunt auctores. Helvidius hæreticus ausus est dicere, dictum esse fratrem Domini, quòd esset filius Beatæ Virginis Mariæ ex Joseph. Sed hæc hæresis est manifesta. Eusebius lib. 2. histor. cap. I. & Epiphanius hæresi 78. volunt eum fuisse filium Joseph de priore uxore, ac per hoc fratrem Christi eo modo, quo dicitur Joseph pater Christi, videlicet putatitius, non verus.

Sed verius est, sanctum Joseph fuisse perpetuo Virginem, ut erat ejus sanctissima conjux: & Jacobum fuisse filium Cleophæ, qui Cleophas fuit frater S. Josephi, hinc enim Maria Cleophæ dicitur soror Matris Domini Joan. *19.* quia erat uxor Cleophæ fratris Joseph: usitatum enim est, ut conjuges duorum fratrum sorores nominentur; & quemadmodum Maria Cleophæ dicebatur soror Mariæ Matris Domini, sic etiam Jacobus dicebatur frater Domini, quia erat filius sororis Matris Domini.

Hanc sententiam colligo partim ex Egesippo, partim ex Evangelio: Egesippus enim apud Eusebium lib. 3. hist. cap. I. ex versione Ruffini, dicit, Simonem fuisse consobrinum fratrem Salvatoris, quia erat filius Cleophæ fratris Josephi Sponsi Beatæ Mariæ matris Domini.

Porrò sanctum Jacobum minorem fuisse fratrem Simonis, & Joseph, & Judæ, testatur Evangelium S. Matthæi cap. II. & Marci cap. *6.* ubi dicuntur fratres Domini Jacobus, & Simon, & Judas: & hoc idem testatur Epiphan. hæresi 18. quare si Simon, sive Simeon (idem enim est nomen) erat

frater

A frater Jacobi, & Simeonis pater erat Cleophas frater Josephi, certè sequitur, ut pater Jacobi fuerit Cleophas, non Joseph.

Neque huic sententiæ repugnat, quòd sanctus Jacobus minor dicatur in Evangelio Jacobus Alphæi: potest enim fieri, ut pater sancti Jacobi fuerit binomius, quemadmodum sanctus Matthæus dicitur etiam Levi, & S. Petrus dicitur etiam Simon; & observat S. Hieronymus in lib. contra Helvidium, in sacris Scripturis, multos esse binomios.

Quod attinet ad epistolam ejus, non defuerunt olim, qui de ejus auctoritate dubitarent, ut etiam hoc tempore ab hæreticis in dubium revocatur. Sed certissimè epistola sacra, & canonica est, de qua
B re vide quæ scripsimus lib. I. de verbo Dei cap. 18.

Extat nomine S. Jacobi Proto-Evangelium, sed ab Ecclesia numquam receptum.

Extat etiam Liturgia eidem S. Jacobo attributa, quæ tamen à posterioribus ita locupletata est, ut non sit facile dijudicare, quæ pars ejus Liturgiæ S. Jacobum habeat auctorem.

Obiit hic beatissimus Apostolus glorioso martyrio coronatus anno septimo Neronis, ut scribit S. Hieronymus in lib. de Scriptorib. Ecclesiast.

Quod autem Epiphanius scribit hæresi 78. obiisse sanctum Jacobum anno ætatis suæ nonagesimo sexto, non videtur probabile. Fundamentum enim hujus numeri est opinio falsa Epiphanii, quòd sanctus
C Joseph anno quadragesimo ætatis suæ genuerit Jacobum, deinde anno octogesimo viduus existens, acceperit Mariam conjugem, quo tempore fuisset Jacobus annorum quadraginta, quibus si addamus triginta tres annos Domini, & viginti quatuor quibus post Ascensionem Domini Jacobus supervixit, ut idem Epiphanius dicit, fient anni Jacobi nonaginta sex completi.

Sed hic multa sunt improbabilia, nam nec probabile est, Jacobum filium fuisse Joseph: nec Joseph annorum octoginta accepisse Mariam in conjugem, nec Jacobum electum esse ad Apostolatum, cùm esset penè decrepitus; nec eumdem Jacobum supervixisse solùm annis viginti quatuor, cùm ex communi opinione gubernaverit Ecclesiam Hierosolymitanam
D annis triginta, & obierit anno septimo Neronis.

Dissertatio Historica.

S. Jacobus, qui appellatus est ἀδελφόθεος, Frater Domini, cognomento Justus, vel minor, ad distinctionem Jacobi Majoris Zebedæo geniti, filius fuit Mariæ sororis Matris Domini, ex mente Sancti Hieronymi cap. 2. Catalogi de Scriptoribus Ecclesiasticis. Hic paulò post Spiritus Sancti in Discipulos illapsum, creatus Hierosolymitanus Episcopus, cùm nascentem illam Ecclesiam triginta annis administrasset, è Templi pinna dejectus, à Judæis Lapidibus appetitus, & fullonis fuste necatus est an-
E no Neronis 7. Christianæ æræ 61. Olympiadis 210. I. in cujus Thronum Simeon, qui & Simon, frater ejus assumitur: Ipse verò juxta Templum, ubi præcipitatus est, sepultus, titulum usque ad obsidionem Titi, & ultimam Hadriani notissimum habuit. Cætera ex Hegesippo apud Hieronymum citato loco, & Eusebium lib. 2. cap. 23. atque ex Baronio, Bellarmino, aliisque recentioribus. Præter *Epistolam Canonicam*, capitibus quinque comprehensam.

Missa, seu Liturgia Sancti Jacobi, ab aliis deinceps, ut fieri amat, aucta, & interpolata extat, tum seorsim edita, tum Tomo II. Auctarii Græco-Latini cura R. P. Frontonis Ducæi, anno 1624. vulgati ex editionibus Græca-Romana Demetrii Ducæ anni 1526. & Parisiensi Latina anni 1560. Guillelmi Morellii, & tandem Tomo XII. pag. 241. Magnæ Bibliothecæ Parisiensis: de qua præter S. Cyrillum Catechesi mystagogica quinta, & Proclum C. P. Episcopum, Concilium Trullanum Canone 32. videndi Sixtus Senensis, Sanctesius, Pamelius, Baronius, aliique Catholici: ex quibus blasphemias Philippi Mornayi, Roberti Coci, ac præcipuè τοῦ μιαρωτάτου Andreæ Riveti, qui spurcissimo ore Sanctissimum Corporis, & Sanguinis Domini nostri JESUCHRISTI Sacrificium ipsis tremendum Angelis ausus est, Missarum ludibria & histrioniam appellare, facillimum erit confutare. Etsi enim verum sit à posterioribus ita locupletatam esse, ut non sit facile dijudicare, quæ pars ejus Liturgiæ S. Jacobum habuerit auctorem, quod sapienter monuit Bellarminus noster, indubitatum tamen esse debet eruditis omnibus aliquam fuisse Liturgiam Sancti Jacobi antiquis notam, quæ Calvinisticæ cœnæ prophanam novitatem etiam in iis, quæ supersunt, ejus veluti vestigiis evidentissimè revincat.

Quod ad *Proto-Evangelium*, sive sermonem Historicum de Nativitate Deiparæ usque ad adventum Magorum (extat inter Orthodoxographa Græcè, & Latinè Basileæ anno 1569. excusum, & calamo exaratum legitur in aliquot Bibliothecis) fictitium illud est, & numerandum inter apocripha longè diversum ab eo, quod appellatum secundùm Hebræos à S. Hieronymo de Græco in Latinum sermonem translatum fuit, quoque sæpè usus est Origenes. Vide præter Sixtum Senensem, Possevinum, & Bellarminum, Notas Leonis Allatii ad Eustachii Antiocheni Episcopi commentaria in Hexaemeron, ubi de Jacobo auctore libri de Conceptione, Nativitate, & rebus gestis Deiparæ uberrimè differit ex Eustachio, Epiphanio Monacho, Vincentio Bellovacensi, aliisque.

De S. Juda Apostolo. 34.

SANCTUS JUDAS frater Jacobi Apostolus, ex duodecim, *unam, eamque brevem* scripsit *epistolam*, quam Ecclesia, ut sacram, & canonicam recipit.

Vide quæ scripsimus lib. 2. de Verbo Dei, cap. 18. De obitu hujus Apostoli nihil habemus certi.

Dissertatio Historica.

Sanctus Judas, S. Jacobi minoris frater, auctor Epistolæ, quæ inter Canonicas extat, obiisse creditur die 28. Octobris. Quot verò annos vixerit post dispersos in varias gentes Apostolos Christique Discipulos, quave occasione, & quo anno hanc scripserit epistolam, non constat. Hieronymum consule cap. 4. Catalogi, ejusque Græcum Interpretem Sophronium, ac Novi Testamenti Interpretes.

De S. Marco Evangelista. 44.

SANCTUS MARCUS Evangelista martyrio coronatus anno octavo Neronis, breve scripsit *Evangelium*: testis sanctus Hieronymus in libro de Script. Eccles. Græcè scriptum initio S. Marci Evangelium, scribunt sanctus Hieronymus in præfatione ad Damasum, & sanctus Augustinus lib. I. cap. 2. de consensu Evangelistarum. Latinè autem scriptum, testatur Damasus in vita sancti Petri, quæ ponitur ad initium primi tomi Conciliorum: testantur etiam Syri, qui ad finem Evangelii secundum Marcum scribunt, Evangelium sancti Marci Romæ, & lingua Romana scriptum.

Sed quicquid de hac re fit, satis constat, Latinam vete-

veterem, ut vulgatam editionem tam Matthæi quàm Marci ex Græca editione translatam.

Dissertatio Historica.

SANCTUS MARCUS, B. Petri Apostolorum Principis discipulus, & interpres, & peregrinationis ejus comes, Roma ab eodem Alexandriam missus Ægypti metropolim, celeberrimam ibidem fundavit Ecclesiam, & anno Domini 62. U.C.814. Olymp. 210. 2. exeunte Neronis octavo die 25. Aprilis Feria prima quæ tum Paschalis erat saltem ex Bedæ, & Dionysii ratiociniis martyrium passus est succedente sibi in cathedram Aniano ibidemque sepultus. Vide Eusebium in Historia, & Chronico, Hieronymum cap. 8. Catalogi de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de eo, Philonem Judæum, Papiam Hierapolitanum & Clementem Stromateum laudat, Isidorum, Honorium, Martyrologos, Baronium, Scripturæque ac nominatim ejus Evangelii Latinè ut volunt, primùm elucubrati, ac deinde in Græcam linguam versi, veteres recentioresque interpretes.

Quæ Græcè, & Latinè extat *Liturgia* è veteri codice eruta studio Cardinalis Sirleti, tum in Bibliothæca Veterum Patrum Tomo II. G. L. Auctarii anno 1624. à Frontone Ducæo vulgati ex editione Græco-Latina Parisiensis Joannis à S. Andrea eruditissimi Ecclesiæ B. Virginis Canonico apud Ambrosium Drovartum anno 1583. tum deinde Tomo XII. Morellianæ ultimæ Parisiensis, non eo sensu dicitur *Sancti Marci*, quòd omnia, quæ in ea leguntur hoc tempore, scripserit S. Marcus, sed quòd in Ecclesia Alexandrina ab eodem Evangelista primùm accepta fuerit, deinde interpolata & aucta plerisque identidem additis, ut de Missæ Romanæ Canone, quem antiquissimum ne ipsa quidem quamvis meretricia fronte prædita negaverit impudentia, ac similibus liturgiis & officiis Ecclesiasticis eruditi meritò censent. Qua ratione cavillationes Coci, similiumque Heterodoxorum, Catholicus quivis facilè respuet, refelletque, ut pluribus, Deo dante, in examine Heterodoxorum Criticorum agitabimus.

Sunt quoque qui addant S. Marcum scripsisse Vitam S. Barnabæ Apostoli, quam Beda in Latinam linguam transtulerit; sed res non tantùm incerta, sed & mihi falsa videtur, nisi quis fortè intelligendum putet de Joanne Marco, de quo in Actis Apostolorum.

De Barnaba. 41.

Supplementum.

BARNABAS genere Cyprius, qui & Joseph Levites, cum Paulo gentium Apostolo ordinatus unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem Epistolam composuit, quæ inter apocryphas Scripturas legitur. Hic postea propter Joannem discipulum, qui & Marcus vocabatur, separatus à Paulo, nihilominus Evangelicæ prædicationis injunctum sibi opus exercuit. Hæc Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiast. cap. 6. cujus à verbis nostrum de re eadem opusculum ordior. Hanc Epistolam evulgavit primus Græcè & Latinè in 4. Parisiis anno 1645. Cum observationibus doctissimis ex mss. Hugo Menardus Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri. Eamdem iterùm Græcè & Latinè edidit in 4. Amstelodami anno 1646. Isaac Vossius Gerardi Joannis filius, cum Epistolis Sancti Ignatii ex ms. Codice Bibliothecæ Florentinæ. Denique ipsam & tertius Joannes Baptista Cotelier vir doctus, recensitam Græcè & Latinè inferuit operi suo cui titulus: *Opera Sanctorum Patrum qui temporibus Apostolicis floruerunt*, impressa Parisiis anno 1671. duobus tomis in fol. apud Petrum le Petit, via Jacobæa sub signo Crucis aureæ. Passus est Barnabas in Cypro die 11. Junii anno circiter 61. vel sequenti.

De S. Luca Evangelista. 44.

SANCTUS LUCAS Evangelista, sancti Pauli comes, & sectator, vixit annos octoginta quatuor uxorem non habens: scripsitque duo sacra volumina, *Evangelium*, & *Acta Apostolorum*: testis Hieronymus in lib. de Scriptoribus Eccles. Neque de his ulla controversia est.

Dissertatio Historica.

SANCTUS LUCAS, patria Antiochenus, professione Medicus, unus è quatuor I. C. D. N. Evangelistis, individuus Comes peregrinationum S. Pauli, saltem ab anno Christianæ æræ 49. usque ad annum Neronis Imp. 2. ejusdem æræ Christi 56. quo Romam cum Apostolo venit. Quo anno mortuus sit non constat. Die 18. Octobris creditur obiisse natus annos ætatis 84. De loco quoque ac genere mortis ejus controvertitur. Vide S. Hieronymum cap. 6. Catalogi, aliisque locis, Baronium, Possevinum, aliosque recentiores, eos maximè, qui ejus *Evangelium* aut *Acta* Commentariis illustrarunt.

De Auctore libri, qui Pastor inscribitur.

HERMEN sive Hermes librum scripsit apud veteres valdè celebrem, quem inscripsit, *Pastorem*. Is liber quamvis à sancto Hieronymo in lib. de Script. Ecclesiast. utilis esse dicatur, & nomine scripturæ à sancto Irenæo lib. 4. cap. 37. citetur: & ab aliis antiquissimis Scriptoribus, ut Clemente Alexandrino, & Origene in testimonium adducatur: tamen numquam fuit in Canone sanctorum, & divinorum librorum: nam Gelasius in Concilio Romano inter apocrypha scripta illum rejecit: & sanctus Hieronymus in prologo Galeato: & sanctus Athanasius in libro de decretis Nicænæ Synodi, & Eusebius libr. 3. hist. cap. 3. dicunt hunc librum non esse in canone, quod idem scripsit Tertullianus in lib. de pudicitia.

Quamvis autem hic liber multa utilia habeat, ut sanctus Hieronymus scribit: habet tamen etiam aliqua noxia, ut de unica pœnitentia secundùm errores Novatianorum, quibus hic liber omnino favere videtur: ut etiam illud de duobus geniis, sive de duobus Angelis, uno bono & altero malo, singulis hominibus à Deo tributis, quem errorem ex hoc auctore accepit Jo: Cassianus, eumque posuit in tertia decima collatione cap. 12. & ante eum Origenes hom. 35. in Lucam.

Quis autem iste Herman fuerit non parva quæstio est. Nam Origenes in cap. 16. ad Romanos. Eusebius libr. 3. histor. cap. 3. & sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. dicunt, hunc esse illum Herman, quem salutari jubet Apostolus in epist. ad Roman. cap. 16. cùm ait, Salutate Asyncritum, Phlegontem, Herman, &c. Damasus autem, sive potius Anastasius Bibliothecarius vitis Pontificum, quæ habentur ad initium primi tomi Conciliorum, scribit, Herman, sive Hermetem auctorem libri Pastoris fuisse fratrem sancti Pii Romani Pontificis, & librum appellatum esse Pastorem, quoniam Angelus in habitu Pastoris Hermeti apparuerat, & ut ea scriberet quæ illi revelaverat, jusserat.

Non videtur autem fieri posse, ut Hermes frater Pii

Pii Pontificis ille sit, quem Apostolus salutari jusserat in epist. ad Romanos: nam inter illam salutationem, & Pontificatum Pii intercedunt, ut minimum, anni centum, & qui salutabatur ab Apostolo, non erat infans recens natus, sed vir aliquis gravis, notus Apostolo ex operibus bonis: proinde non est probabile, illum supervixisse usque ad tempora Pii Pontificis.

Deinde scribit S. Hieronymus loco notato, librum Pastoris apud Græcos fuisse notissimum, apud Latinos penè ignotum: at si auctor libri fuisset homo Latinus, & Romani Pontificis frater, debuisset liber ipsius notior Latinis esse, quàm Græcis.

Existimo igitur diversos esse auctores, & diversos eorum libros, quamvis idem ferè nomen gererent: nam præter ea, quæ dicta sunt, is, qui ab Apostolo salutari jubetur, vocatur Herman, frater Pii dicitur Hermes: deinde liber, qui scriptus dicitur à fratre Pontificis, præcipuè continebat mandatum Domini per Angelum, ut Pascha die Dominico celebraretur: at in libro Pastoris, qui à veteribus citatur, & qui adhuc extat, nulla mentio fit Paschatis celebrandi die Dominico. Quare probabile est, librum Hermetis, fratris Pontificis cito interiisse: & solum reliquum esse illum celebriorem, quem scripsit Herman discipulus Apostolorum.

Quod etiam confirmatur ex eo, quod sanctus Irenæus lib. 4. c. 37. citans eum librum dicit, Bene ergo scriptura dicit: Primò omnium crede, quoniam unus est Deus. Neque enim Irenæus scripturam absolutè vocaret librum auctoris sui temporis, & qui Apostolus, vel Apostolorum auditor non fuisset.

Dissertatio Historica.

Hermas, sive Hermes, idem enim apud Græcos nomen est Ἑρμᾶς & Ἑρμῆς mutata dumtaxat dialecto, quæ in priore est Dorica, in posteriore communis aut Ionica; errant quippe non pauci, quibus Herman dicitur, accusandi casum cap. 16. Epistolæ ad Romanos v. 14. in nominandi casum commutantes: & in iis Rivetus, qui etiam caput 15. illius Epistolæ pro sequenti citavit incautiùs quàm ministellum deceret. Is ergo sive Hermas, sive Hermes, auctor libri qui *Pastor* dicitur, & in Bibliothecis Sanctorum Patrum, in Orthodoxographis & Hæreseologia, ac seorsim etiam à Gaspare Barthio excusus reperitur, quis fuerit ambigitur apud eruditos.

Sunt qui cum Origene, Eusebio, Hieronymo, Sedulio, & quibusdam aliis tribuant Hermæ, qui à Sancto Paulo cum aliis salutatur extremo capite Epistolæ ad Romanos, & in Martyrologio Rom. celebratur die 9. Maji, à Græcis verò nonis Martii. Videntur id innuere verba ista libri 1. visione 2. dabisque alterum Clementi, alterum Graptæ, & plurima alia.

Alii cum Pseudo-Damaso auctore libri Pontificalis tribuere videntur Hermeti fratri Pii Papæ Romani, qui jam obierat, cùm Pius frater ejus scriberet epistolam ad Justum Episcopum Viennensem. Presbyter Pastor titulum condidit, & dignè in Domino obiit, &c.

Distinguunt, ut duos Hermetes, ita & duos libros Baronius & Bellarminus Cardinales, & ab Herma discipulo sancti Pauli librum, qui olim apud quasdam Græciæ civitates legebatur publicè, teste S. Hieronymo in Catalogo, ex quo multi scriptorum veterum testimonia usurparunt, licèt penè ignotus esset Latinis, volunt fuisse conscriptum: alterum verò, qui excidit, ab Hermete Pii Papæ fratre composi-

A tum, in quo mandatum continebatur Angeli in habitu Pastoris de Paschate die tantùm Dominico celebrando.

Quod verò ad auctoritatem ejus spectat, standum arbitror Gelasii Papæ Decreto illum inter apocrypha rejicientis: neque tamen iis accedo, qui suppositium putant opusculum illud tripertitum quod modo extat, licèt insertæ sint à malè feriatis quibusdam interpolatoribus hæreses ac fabellæ. Liber II. qui inscribitur, *Ecclesia*, Visiones quatuor complectitur 11. cui titulus, *Pastor*, mandata 12. III. *Similitudinum* inscribitur, similitudines decem.

De iis verò præter citatos Cardinales consule Pamelium, Gravium, Senensem, Possevinum, atque
B ex Heterodoxorum choro Blondellum, Rivetum, Cocum, Patrologum, &c. sed præcipuè Barthium, qui in animadversionibus Interpretem hujus libri è Græco seu Breviatorem, rectè Barbarum vocat, nec Ruffino, quæ viri docti fuit sententia, sed potiùs Anastasio Bibliothecario vendicat: quem etiam testatur vertisse aliàs Historiam Josaphati & Barlaami à Joanne Ginaita conscriptam, & pleraque ejusdem generis. Tertullianus in illum librum commotior hæc de eo habet: *Cederem tibi*, Zephyrinum Romanum Pontificem alloquitur, hæreticarum partium fautor, *si scriptura Pastoris, quæ sola Mœchos amat, divino instrumento meruisset incidi, si non ab omni concilio Ecclesiarum inter apocrypha, & falsa judicaretur.*
C Alia omitto, quæ apud laudatos recentiores commodiùs leges. (*a*)

(*a*) Joannes Maria Brasichellanus ex Baronio ad annum 159. aliisque hæc habet: Dubitandum nullo pacto est libellum hunc Pastoris, ut modo scriptus habetur, ab Herma Pauli discipulo non esse conscriptum, cùm & hæresibus & fabulis sit oppletus: eum S. Gelasius in Romano Concilio inter apocrypha scripta abjicit; item & S. Prosper libro contra Cassianum cap. 30. nullius auctoritatis esse pronunciat. Verisimile est ab hæreticis depravatum.

De Prochoro, uno ex primis septem Diaconibus.

D Prochorum fuisse unum ex primis septem Diaconibus testatur sanctus Lucas in Actis Apostolorum cap. 6. Sed narratio, quæ sub ejus nomine extat in Bibliotheca sanctorum Patrum, videtur omnino conficta. Nam quod in ea legitur, sanctum Joannem Apostolum, & Evangelistam, cùm ei sorte obtigisset Asia, gravissimè id tulisse, ac vehementer ingemuisse, seque ad pedes aliorum apostolorum abjecisse, atque propterea à sancto Petro fuisse reprehensum, indignum omnino est tanto Apostolo.

Quod in eadem narratione scribitur, posteaquam S. Joannes ex olla ferventis olei illæsus exivit, à fi-
E delibus, qui illic aderant, Ecclesiam in ejus honorem fuisse constructam, incredibile est. Qui enim id auderent in oculis sævientis Domitiani?

Quod denique in eadem narratione dicitur, Evangelium à sancto Joanne in Insula Pathmo fuisse conscriptum, repugnat communi sententiæ, quæ habet, Evangelium à sancto Joanne scriptum fuisse diu post exilium Pathmos, in ultima sua ætate.

Vide sanctum Athanasium in Synopsi extrema, ubi dicit, Evangelium prædicatum quidem à S. Joanne in Pathmo, sed editum Ephesi post reditum ab exilio. Cui consentiunt Eusebius lib. 3. histor. cap. 24. Epiphanius in hæresi quinquagesima prima, Hieronymus in libr. de Script. Eccles. Victorinus, & Primasius in expositione Apocal. Beda, Rupertus & alii initio expositionis in Joannem.

For-

Fortasse hæc Prochori narratio de rebus gestis S. Joannis, est liber ille, qui sub nomine Circuitus Joannis, inter apocrypha recensetur à sancto Athanasio in Synopsi.

DISSERTATIO HISTORICA.

PROCHORUS, Apostolorum discipulus, atque unus ex septem primis Ecclesiæ Diaconis capite 6. Actorum Apostolicorum ordinatis, falsò dicitur Auctor libelli *De Vita, Miraculis, & assumptione S. Joannis Evangelistæ*, qui extat Græcè, & Latinè inter Orthodoxographa Basileæ an. 1569. edita, Latinè verò in Historia Patrum Laurentii Barræi, & in Bibliothecis Veterum Patrum. Plura Baronius, Molanus, Lorinus, Joannes Maria Brasichellanus, & alii Catholici, ex quibus sua hauserunt Heterodoxi, adversus frivolas Pseudo-Prochori illius narratiunculas. Si Gryneum excipias, cujus Præfationem ad Orthodoxographa consulat Lector, qui inter alia arguit Vocem τῆς ὁμουσίου τριάδος. De vero Prochoro vide Martyrologium Romanum die 9. Aprilis, Hippolytum in libello de 72. discipulis, Dorotheum in Synopsi, Sophronium in fragmento de certaminibus & peregrinationibus SS. Petri & Pauli, ubi docet, Nicomediæ à S. Paulo primum fuisse ordinatum Episcopum, Simeonem Metaphrastem, Usuardum, Adonem, &c.

Michael Neander Soraniensis, Lutheranus Pædotriba, Historiam illam Pseudo-Prochori edidit Basileæ in 8. an. 1567. cum Catechesi parva Hæresiarchæ Lutheri Græco-Latina, & Sententiis Patrum Græco-Latinis. Idem D. Jacobo Apostolo tributum falsò Proto-Evangelium protrusit in lucem Argentinæ apud Josiam Rihelium in 8. an. 1570. una cum Dialogo cujusdam Christiani cum Judæo de Christo ex Suidæ Philologia decerpto.

De Sancto Lino. 70.

SIMILIS narrationi Prochori est narratio, quæ sub nomine sancti Lini extat in Bibliotheca sanctorum Patrum. Narrat enim auctor ille multa de actis S. Petri, quæ vel falsa, vel dubia sunt, neque testimonium habet hoc opusculum S. Lini à veteribus.

Inter alia scribit auctor, Agrippam fuisse Præfectum Urbis tempore passionis sancti Petri, atque ab isto Agrippa fuisse sanctum Petrum occisum, sine consensu Imperatoris Neronis, à quo etiam id factum postea fuisse improbatum.

Sed neque constat Præfectum Urbis tunc fuisse Agrippam: & necem sancti Petri Neroni displicuisse, repugnat omnibus veteribus Patribus.

In eadem narratione scribit auctor, uxorem Albani secundùm doctrinam S. Petri, repudiasse thorum viri sui ob amorem castitatis, invito & reclamante marito.

Hæc verò doctrina S. Petri esse non potest, cùm repugnet doctrinæ Coapostoli ejus Pauli, 1. Corinth. 7. Fateor quidem à sancto Lino conscripta fuisse Acta sancti Petri, vel potius Acta sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, quod aliqui dicunt, & de Actis sancti Petri in Romano Breviario legitur: sed ea non extare, & loco eorum supposita fuisse, quæ nunc extant, arbitramur.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS LINUS, S. Pauli Discipulus, & S. Petri in Sede Romana successor per annos undecim, menses 2. diesque 23. ab anno 67. ad annum 78. quo obiit die 23. Septembris martyrium pro fide Christiana passus, Sigibertus cap. 5. libri de Viris Illustribus Linum primum post Petrum Papam scripsisse Græco sermone *martyrium Petri & Pauli* uno die passorum, & Orientalibus Ecclesiis destinasse affirmat, una cum auctore Actorum 88. Nerei & Achillei, quæ Surius edidit, ac Trithemio, Sixto Senensi, aliisque recentioribus persuasit. Verùm sanior longè est eorum sententia, qui cum Baronio ad annum 69. Claudio Espencæo, Bell. Poss. Bisciola, Joanne Maria Brasichellano, aliisque Catholicis, ut eorum simios Heterodoxos omittam, contendunt pseud-epigraphos esse libros illos duos, qui inscribuntur:

De Passione SS. Petri & Pauli Apostolorum ad Ecclesias Orientales, fueruntque editi Græcè quidem Tomo I. Orthodographorum Basileæ anno 1550. Latinè verò Parisiis post Commentarios Jacobi Fabri in Epistolas S. Pauli, in Historia Patrum Laurentii Barræi, in Bibliothecis Veterum Patrum Margarini Bignæi, necnon in Coloniensi, &c. De S. Lino Eusebius in Historia & Chronico, S. Irenæus, Epiphanius, Hieronymus, Optatus, aliique præsertim recentiores Pontificiæ Historiæ scriptores.

De S. Clemente Romano. 92.

CLEMENS ROMANUS, qui anno tertio Trajani martyrio coronatus est, cùm sedisset in Apostolica sede annos novem, multa scripsisse fertur, videlicet: *Epistolas duas ad Corinthios. Duas ad Jacobum fratrem Domini. Tres ad diversos. Libros decem recognitionum. Libros 8. constitut. Apostolicarum. Canones Apostolorum. Itinerarium Sancti Petri. Disputationem sancti Petri cum Apione: & Liturgiam.*

Epistola prior ad Corinthios non extat, ejus tamen mentionem faciunt passim veteres Patres, ut epistolæ gravissimæ & epistolæ sancti Pauli ad Hebræos perquam simillimæ. Vide sanctum Irenæum lib. 3. c. 3. Clementem Alexandrinum lib. 7. Stromat. Eusebium lib. 3. hist. cap. 12. & sanctum Hieronymum in libro de Script. Eccles.

Epistola posterior ad Corinth. neque extat, neque ab Ecclesiis probabatur, ut S. Hieronymus testatur loco citato.

Epistolæ quinque, quæ nunc extant, non carent scrupulo. Nam constat sanctum Jacobum, ad quem scribuntur duæ epistolæ, obiisse multo ante S. Petrum, & tamen in iis significatur Jacobo mors S. Petri. Sed fortè epistolæ scriptæ sunt ad Simeonem fratrem Jacobi non ad ipsum Jacobum. In epistola quinta laudatur communitas omnium rerum, etiam uxorum: & totus hic locus desumptus est ex lib. 10. recognitionum, ubi hæc dicuntur à Faustiniano Ethnico, & à sancto Clemente refutantur. Sed fortè hæc irrepserunt, & in codice Vaticano non inveniuntur.

Scripsisse Clementem alias quoque epistolas, præter illam celebrem ad Corinthios, testatur S. Hieronymus in lib. 1. adversus Jovinianum, ubi dicit, Clementem in suis Epistolis omnem penè sermonem de Virginitatis puritate contexere: quas laudes Virginitatis in epistolis, quæ extant, non reperimus.

De recognitionibus ejusdem Clementis non habeo aliquid, quamvis non pauca utilia documenta contineant, & à viris doctis aliquando citentur: tamen probabile existimo, vel non esse Clementis, vel esse idem opus cum eo, quod itinerarium, vel circuitus Petri aliqui vocant: nam teste Epiphanio hæresi 30. Clemens ipse testatur, circuitus Petri à se conscriptos, ab hæreticis depravatos fuisse. Verè enim in recognitionibus describuntur itinera sancti

Petri

Petri & sancti Clementis, & admiscentur disputationes ex media Platonis philosophia depromptæ, quas nullo modo credibile est S. Petri esse.

Quòd si Recognitionum, & Itinerarii idem sit opus, satis constabit, esse apocryphum. Itinerarium enim inter apocrypha retulerunt sanctus Athanasius Synopsi, sanctus Gelasius in Concilio Romano, unde extat caput sancta Romana, dist. 16. & Leo nonus in epistola adversus Nicetam. Verum quidem est, Recognitionum numerari libros decem, & Itinerarii libros octo: sed facile fuit corruptoribus addere, vel minuere, vel mutare.

De libris Constitutionum Apostolicarum, quæ Clementi auctori tribuuntur, idem ferè judicium fieri debet, ac de libris Recognitionum. Multa enim in illis utilia sunt, & à Græcis veteribus magni fiunt: sed in Ecclesia Latina nullum ferè nomen habent: & ipsi etiam posteriores Græci in Concilio Trullano can. 2. improbant has constitutiones, ut ab hæreticis depravatas.

Audi Æthiopes his constitutionibus uti, ut verè Apostolicis, & ea de causa in erroribus versari circa cultum Sabbati, & diei Dominicæ, & circa ministrum Sacramenti baptismi, & aliis quibusdam dogmatibus: nam lib. 7. cap. 24. jubent servari diem Sabbati, & Dominicæ, & lib. 5. constit. cap. 10. prohibetur absolvere, ne laici baptizent, & lib. 6. cap. 15. jubent rebaptizari eos, qui baptizantur ab hæreticis, ea de causa, quia hæretici non sunt Sacerdotes.

Ac ne fortè objiceretur, quòd Philippus Diaconus baptizabat, ut dicitur Actor. 8. In iisdem constitutionibus l. 6. c. 7. dicitur, Philippum, qui baptizavit Simonem Magum, fuisse Apostolum. Quod manifestè falsum est.

Habentur in iisdem constitutionibus alia non pauca, quæ abhorrere videntur à veritate, ut quod libro 3. cap. 2. quartas nuptias appellent manifestam fornicationem, libro 5. cap. 6. distinguant Mariam Magdalenam à Maria sorore Lazari, lib. 8. cap. 14. Jacobum fratrem Domini non velint esse Apostolum ex duodecim, & lib. eodem cap. 26. 27. & 28. velint imponi manum Subdiacono, & Lectori, & ipsi etiam Diaconissæ dum ordinantur, & libr. eodem cap. 32. dicant, Exorcistas non ordinari, & cap. 38. dicant ancillam soli Domino obsequentem recipi, si cum aliis intemperans fuerit, rejici.

De canonibus Apostolorum à Clemente scriptis major est difficultas: nam ab una parte Tertullianus in libro adversus Praxeam scribit, canones Apostolorum esse nobis per manus traditos. Sanctus quoque Athanasius in Synopsi eos numerat inter agiographa. Synodus Trullana cap. 2. recipit canones Apostolorum octoginta quinque. Denique sanctus Joannes Damascenus libro quarto, de fide Orthodoxa cap. 18. videtur eos ponere inter sacras Scripturas.

At contra Gelasius Papa in Concilio Romano, unde extat caput, sancta Romana, distinct. 15. expresse dicit, liber canonum Apostolorum apocryphus: & hoc idem confirmatur distinct. 26. can. 1. & 2. Sed hæc conciliari possunt, si dicamus, canones legitimos esse solùm quinquaginta priores: reliquos non esse legitimos, quamvis à Græcis recipiantur. Sic enim Urbanus Secundus apud Gratianum distinct. 32. can. præter §. sciendum, dicit, canones Apostolorum ex toto à Græcis, ex parte à Latinis recipi: & Humbertus Cardinalis clarius idem dicit, cujus testimonium sub nomine Leonis noni ita refert Gratianus dist. 16. can. Clementis. Apostolorum, inquit, canones numerant Patres inter apocrypha exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt

A Orthodoxæ fidei tractatores adjungenda. Hincmarus quoque, ut testatur Franciscus Turrianus lib. 1. pro epistolis Decretalibus cap. 15. scribit canones Apostolorum ab Ecclesia nobis traditos esse solùm quinquaginta: & ante hos omnes Dionysius quinquaginta solùm canones Apostolorum in sua collectione posuit.

Denique in antiquis codicibus Conciliorum, non inveniuntur canones Apostolorum, nisi quinquaginta. Et verè canones, qui errorem sapiunt, & ab hæreticis superadditi videntur, sunt canones posteriores, ut can. 65. de sabbato non jejunando, & 67. de baptizatis, vel ordinatis ab hæreticis, & 84. de numero librorum sacrorum: in quo canone multa sunt errata manifesta. Quod verò Gratianus dicit

B initio distinctionis sextæ decimæ, canones Apostolorum auctoritate Zephirini Papæ esse sexaginta, fortasse vitio librariorum erratum est in numero.

De disputatione sancti Petri cum Apione, & de Itinerario ejusdem S. Petri, quod non extat, nisi fortè (ut supra diximus) idem sint Itinerarium, & Recognitiones, non est multum laborandum: ab initio enim reprobata leguntur tum apud S. Hieronymum in libro de Script. Eccles. tum apud sanctum Athanasium in Synopsi.

De Liturgia S. Clementis idem ferè dicendum occurrit, quod de Liturgia S. Jacobi, eam verè Clementis esse, sed à posterioribus auctam: credibile au-

C tem est, Clementem non ex proprio judicio, sed ex ritu, quem observari viderat à S. Petro, Liturgiam composuisse: quemadmodum & ipse sanctus Petrus nihil aliud faciebat in offerendo sacrificio Eucharistico, nisi quod ipse Dominus fieri jusserat. Meminerunt Liturgiæ S. Clementis Proclus Patriarcha Constantinopolitanus lib. 7. de traditione divinæ Missæ, & Nicolaus Episcopus Methonensis in lib. de veritate corporis Christi, & Bessarion Cardinalis in lib. de Sacramento Eucharistiæ.

Dissertatio Historica.

S. Clemens per annos 9. menses sex, diesque to-

D tidem Romanus Pontifex, ab anno Christi 91. ad diem 23. Novembris anni Christianæ æræ centesimi, quo in Chersoneso Taurica martyrium passus est anno Imperatoris Trajani tertio. Scripsit:

Duas ad Corinthios Epistolas, quarum priorem non extare scripsit cum plerisque omnibus Bellarminus. Verùm ea duodecim annis post ejus mortem Oxonii in Anglia anno Christi 1633. studio Patricii Junii Græcè, & Latinè edita est ex laceris reliquiis vetustissimi exemplaris Bibliothecæ Regis Anglorum. Idem varia præmisit Veterum Scriptorum testimonia, qui de S. Clemente cum summa laude meminerunt: subjecitque ex posteriore ad eosdem Corinthios Epistola fragmentum, nullis quidem intercisum

E lacunis, sed gravibus fœdatum mendis, ex eodem codice descriptum.

De duabus ad S. Jacobum fratrem Domini Epistolis, de tribus aliis ad diversos, de libris decem Recognitionum, de libris octo Constitutionum Apostolicarum, de Canonibus qui dicuntur Apostolorum, de Itinerario S. Petri, ac disputatione ejusdem Apostoli cum Appione, nec non *de Liturgia*, non est quod quicquam modò addam iis, quæ Eminentissimi doctrina ac pietate Cardinales Baronius & Bellarminus, aliique jam observarunt, cùm Catholici, tum etiam Heterodoxi censores Cocus, Perkinsus, Rivetus, Usserius, Blondellus, Vossius, Daillæus, &c. de quorum aberrationibus in Examine non pauca.

SUPPLEMENTUM.

CLEMENS Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli discipulus, & post Linum & Cletum Romanus Pontifex ab anno Christi *91.* per annos novem, menses sex & dies totidem, usque ad 23. Novembris anni 100. quo in Chersoneso Taurica passus est; primum Christianæ æræ sæculum fœliciter claudit. Amplissimè de eo Bellarminus in suo libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Antonius Possevinus in Apparatu sacro, dum scripta ipsi attributa discutiunt. Quantùm autem ad opera quæ sub nomine Sancti Clementis Papæ latitabant aut edita fuerant, nullus qui ea omnia (quantum humanitus datur) majori cura evulgaverit & insigniori diligentia contulerit ad mss. Codices Græcos & Latinos, quàm Joannes Baptista Cotelier Socius Sorbonicus, quæ inseruit Operi suo inscripto: *Opera Sanctorum Patrum qui temporibus Apostolicis floruerunt*, de quo diximus supra in Sancto Barnaba. Sunt autem, *Epistolæ duæ ad Corinthios* Græcè & Latinè tom. 1. pag. *91. Constitutionum Apostolicarum lib. 8.* græcè & latinè pag. 126. *Recognitionum lib. 10. interprete Ruffino* pag. 390. *De peregrinationibus, prædicatione, & actionibus Sancti Petri, seu Clementinorum Homiliæ XIX.* græcè & latinè pag. 525. *Clementinorum Epitome* græcè, & latinè pag. 749. Et hæc sunt *disputatio Petri & Appionis longo sermone conscripta*, quam Eusebius in 3. Historiæ Ecclesiasticæ Volumine coarguit, de qua Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis c. 15. Denique ibidem *Martyrium S. Clementis* græcè & latinè ex mss. Regiis p. 828. Primus autem qui duas Epistolas Clementis ad Corinthios edidit in publicum, hic Patricius Junius Anglus doctissimus, qui eas in 4. Oxonii græcè & latinè anno Christi 1633. obtulit litterario orbi, ex laceris reliquiis vetustissimi ms. exemplaris Bibliothecæ Regis Anglorum, præmissis veterum Scriptorum testimoniis, qui de sancto Clemente cum summa laude meminerant, ejusque Epistolarum fragmenta allegarant.

Ac ne quempiam sua laude fraudemus, qui præbuerit operam in evulgandis Clementinis operibus; Franciscus Turrianus Soc. Jesu edidit anno 1578. Antuerpiæ in fol. apud Plantinum *Constitutionum Apostolorum lib. 8. Clementis Romani*, adjunctis ad finem *LXXXV. Canonibus Apostolorum*, ipsomet Francisco Turriano interprete è græco, cum *ejusdem Scholiis & annotationibus* ad confirmanda Dogmata Orthodoxa contra Hæreticos. Idem opus græcè quoque edidit, additis itidem græcè *suis Scholiis, prolegomenis, & explanationibus apologeticis*, Venetiis Typis Jordani Ziletti anno 1563. in 4. *de duabus autem Sancti Clementis ad Sanctum Jacobum Fratrem Domini Epistolis, & de tribus aliis ad diversos*, eæ habentur in editionibus omnibus Conciliorum Laurentii Surii, Severini Binii, & Philippi Labbei; unde superfluum de his pluribus disserere, cum in manibus omnium versentur, fictæque censeantur.

De S. Ignatio. 71.

SANCTUS IGNATIUS Episcopus Antiochenus, post sanctum Petrum Apostolum & sanctum Evodium sedere cœpit anno Domini 71. & sedit annis 40. & Romæ passus est anno undecimo Trajani, teste sancto Hieronymo in libro de Script. Eccles. scripsit Epistolas utilissimas, ut testatur sanctus Polycarpus ejus æqualis, qui in epistola ad Philippenses dicit, se collegisse epistolas Ignatii quotquot invenire potuit.

Eusebius lib. 3. hist. cap. 30. septem enumerat epi-

A stolas sancti Ignatii, ut etiam sanctus Hieronymus loco citato; unam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallianos, quartam ad Romanos, quintam ad Philadelphios, sextam ad Smyrnæos, septimam ad Polycarpum. Præter has inveniuntur aliæ quinque; ad Mariam Cassabolitam una, ad Antiochenos altera, ad Tarsenses tertia, ad Philippenses quarta, ad Heronem quinta. Atque hæ quinque epistolæ quamvis, ad manus Eusebii & Hieronymi non pervenerint, tamen ob styli similitudinem, & spiritum verè Apostolicum à viris doctis omnino recipiuntur.

Tres aliæ circumferuntur, ad B. Virginem Deiparam una, & ad sanctum Joannem Evangelistam duæ, quibus additur epistola B. Virginis ad Ignatium. Harum primus (quod sciam) meminit sanctus Bernardus serm. 7. in Psalmum. Qui habitat: B sed neque in codicibus Græcis habentur, neque gravitatem eloquii S. Ignatii omnino redolent.

Unum hoc loco admonendum videtur, non esse magnam fidem habendam codicibus Græcis, qui nunc extant, quando discrepant à Latinis: sæpè enim emendatiores inveniuntur codices Latini, quàm Græci: quod verum esse intelliget, qui conferet testimonia, quæ ex Ignatio citant sanctus Athanasius in epistola ad Epictetum, & Theodoretus in Dialogis, cum verbis ejusdem Ignatii, quæ nunc habentur in codicibus Latinis & Græcis.

C

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS IGNATIUS, successor Evodii & Antiochenæ Ecclesiæ post Apostolum Petrum tertius Episcopus, ex Syria Romam ductus est, ibique martyrium passus anno Trajani Imperatoris 11. Christi 108. Kalendis Februarii, cùm annis 40. præfuisset, à feris in amphitheatro discerptus est. Sunt qui ex Adone in Martyrologio annum Christi 104. Trajani 7. præferant sub Consulatu Attici Surano suffecti & Marcelli. De eo S. Polycarpus epist. ad Philippenses, S. Dionysius, aut quis alius, cap. 4. libri de Divinis nominibus, Irenæus lib. 5. adver-D sus hæreses, cap. 28. Origenes in Evang. S. Lucæ Homil. 6. Eusebius lib. 3. c. 30. S. Athanasius epist. ad Epictetum & de Synodis Arimini & Seleuciæ, S. Hieronymus cap. 16. Catalogi, & lib. 3. adversus Pelagianos, S. Chrysostomus in ejus encomio, Socrates lib. 6. c. 8. Theodoretus in Dialogis 1. 2. & 3. Antiochus sermone in 4. Evagrius libro 1. cap. 16., Joannes Damascenus in Parallelis, Simeon Metaphrastes, Antonius Monachus in melissa, Fœlix III. Epist. ad Zenonem Augustum de Petro Cnapheo, Honorius Hugustod. libello primo, cap. 17. Vincentius Bellov. Nicephorus, aliique tum veteres, tum recentiores. Cave tamen sequare inscitiam Patrologi Jenensis, qui sic de Ignatio edisserere incipit. Qui-E dam ad 70. *Pelarg.* quidam ad 120. Christi annum id referunt *Moru.* quidam anno Christi 111. martyrium eum subiisse volunt. Schopp. En quos duces ille sequatur.

Græco-Latinè extant sub Ignatii nomine epistolæ numero XII. hoc ordine, iis præmissis septem, quas Eusebius & Hieronymus agnoverunt, quæque meritò dicuntur copiosa Apostolicarum Traditionum apotheca, fortisque adversus hæreticos armatura. 1. *ad Ephesios.* 2. *ad Magnesianos.* 3. *ad Trallianos.* 4. *ad Romanos.* 5. *ad Philadelphenses.* 6. *ad Smyrnenses.* 7. *ad Polycarpum Smyrnæ Episcopum.* 8. *ad Mariam Cassabolitam.* 9. *ad Tarsenses.* 10. *ad Antiochenos.* 11. *ad Heronem Antiochenum Diaconum, qui ejus creditur fuisse successor.* 12. *ad Philippenses.*

Adduntur etiam in quibusdam editionibus, sed Latinè

Latinè dumtaxat ſequentes, quas Baronius, Bellarminus, & alii viri docti communi conſenſu rejiciunt, ut apocryphas & ſuppoſititias, quemadmodum & miſſas ab eadem Deipara Virgine ad Meſſanenſes, Florentinos, aliaſque civitates Epiſtolas, pro quibus fruſtrà nonnulli pugnare aggreſſi ſunt ante aliquot annos. 1. *B. Mariæ Deiparæ ad Ignatium Epiſtola.* 2. *Ignatii ad B. Mariam Epiſtola.* 3. & 4. *duæ Ignatii ad S. Joannem Apoſtolum Epiſtolæ.* 5. *Mariæ Caſſabolitæ Epiſtola ad S. Ignatium Antiochenum Epiſcopum*, primùm ex mſſ. Latinis edita ab Uſſerio Armachano Pſeudo-Archiepiſcopo, qui diligentia incredibili quæcumque ad Græcas & Græco-Latinas Polycarpi & Ignatii Epiſtolarum editiones, earumque verſiones antiquas, novas, novantiquas, pertinent, rimatus eſt, & Oxoniæ annis 1642. & 1644. ac Londini an. 1647. publici juris fecit variaſque notas adjecit cum Appendice Ignatiana, in qua continentur, I. Ignatii epiſtolæ genuinæ (quas cenſet eſſe tantùm ſex priores) à poſterioris interpolatoris aſſumentis liberæ, ex Græco Medicæo exemplari expreſſæ, & nova verſione Latina explicatæ. II. Ignatii Martyrium à Philone, Agathopode, & aliis, qui paſſioni illius interfuerant, deſcriptum ex duabus antiquis Latinis ejuſdem verſionibus tunc primùm in lucem editum. III. Tiberiani, Plinii Secundi, & Trajani Imper. de conſtantia Martyrum illius temporis Epiſtolæ. IV. Smyrnenſis Eccleſiæ de Polycarpi martyrio Epiſtola, cum antiqua Latina ejuſdem Metaphraſi integrè edita. V. In Ignatii & Polycarpi Acta atque Epiſtolas etiam Ignatio perperam adſcriptas Annotationes. Nec omittendum Amſtelodami anno 1646. Iſaacum Voſſium, Gerardi Joannis filium, ſeptem priores S. Ignatii abbreviatas Epiſtolas (quas ſolas & ipſe cenſet eſſe genuinas, reliquis vel confictis omninò, vel interpolatis à mediæ ætatis uno pluribuſque ſcriptoribus) ex eodem mſ. Codice Florentinæ Bibliothecæ edidiſſe in lucem Græcè & Latinè cum veteri interpretatione, ac brevibus notis, addita etiam S. Barnabæ Apoſtoli Epiſtola Græca Latinaque dialecto, quam Latinè dumtaxat excudendam curaverat paulò antè Pariſiis D. Hugo Menardus Benedictinus Congreg. S. Mauri.

Hæc, ut vides, Lector, ex multis, quæ mihi in eam rem dicenda ſuperſunt, admodum pauca. Plura, ſi Deus volet, in Examine, cùm Jo: Calvini, Centuriatorum Nicolai Vedelii, Roberti Parkeri, Roberti Coci, Abrahami Sculteti, Andreæ Riveti, Davidis Blondelli, Claudii Salmaſii, (qui duo confidentiſſimè omnes illas Epiſtolas ab impoſtore aliquo confictas fuiſſe commenti ſunt, alter imperante Antonino, aut Marco Aurelio; alter verò poſt Clementis Alexandrini obitum) ſimiliumque Heterodoxorum hallucinationes detegemus, & quiſquilias everremus. Interim conſulat, amabo, Cardinales Baronium & Bellarminum, Martialem Mæſtræum, Petrum Halloixium, Dionyſium Petavium cap. 8. atque ultimo libri 11. de Eccleſiaſtica Hierarchia, in Appendice Tomi III. edita poſt Partem alteram Tomi IV. Theologicorum Dogmatum, alioſque Catholicos. (*a*) Audio quoque earumdem Epiſtolarum Vindicias à Jacobo Gretſero ſcriptas alicubi latere, quæ utinam erumpant dias in luminis auras!

(*a*) Ex Heterodoxorum caſtris adverſus Salmaſium Blondellumque, omnis in Eccleſia Chriſtiana Hierarchici Epiſcopos inter ac Presbyteros Ordinis hoſtes capitaliſſimos, inſurrexit Henricus Hammondus, qui ſe Theologiæ Profeſſorem & Presbyterum Anglicanum vocat libro Londini anno 1651. edito: Diſſertationes quatuor, quibus Epiſcopatus jura ex Sacris Scripturis & Primæva Antiquitate adſtruuntur. Hic tota Diſſertatione ſecunda de S. Ignatio, ejuſque teſtimoniis agit.

Bellarm. de Script. Eccl. Tom. VII.

A

B

C

D

E

SUPPLEMENTUM.

IGNATIUS quem multi credunt à Sancto Paulo Epiſcopum ordinatum, diſcipulus Sancti Evangeliſtæ Joannis, ſucceſſit ex Euſebii Chronico ad annum 103. Evodio Antiochenſi Epiſcopo, poſteà damnatus ad beſtias, & in perſecutione Trajani martyrium ſubiit, anno Chriſti 110. cujus feſtum Kalendis Februarii. De eo Baronius in Martyrologio die 1. Februarii, & an. 71. num. 11. & anno 110. num. 1. Euſebius Chron. anno 7. & 111., & lib. 3. Hiſtoriæ cap. 3. Hieronymus in Catalogo, & Evagrius lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 16. de ejus ſcriptis abundè Bellarminus & Labbeus, quibus addam verbis paucis, quando & à quibus ad noſtra uſque tempora Epiſtolæ Divi Ignatii impreſſæ ſint, à quibus impugnatæ atque propugnatæ fuerint.

Sub D. Ignatii nomine tres primùm Epiſtolæ in lucem datæ ſunt Pariſiis latinè tantùm anno Domini 1495. una ad B. Mariam, ad S. Joannem Evangeliſtam duæ. Anno 1498. aliæ undecim Epiſtolæ latinè pariter ex veteri verſione, nondum comparente Exemplari græco, à Jacobo Fabro Stapulenſi typis ſunt impreſſæ. Hæc autem prima editio fuit teſte Philippo Labbeo, qui has undecim Epiſtolas tunc excuſas, inter primas editiones enumerat, quæ in Regia Bibliotheca Pariſiis aſſervantur, tum verò Symphorianus Champerius Lugdunenſis, has quindecim à Fabro editas, cum tribus aliis ab eo rejectis, & quarta ad Mariam Caſſabolitam numquam antè publicata edi curavit, atque ita tandem quindecim Ignatii Epiſtolæ latinè extiterunt. Ita impreſſæ ſunt in omnibus editionibus Bibliothecæ Sanctorum Patrum, Pariſienſi prima anni 1575. & ſequentibus, Colonienſi anni 1618. atque Lugdunenſi ultima anni 1677. apud Fratres Aniſſonios. Quantum autem ad Epiſtolas græcas, *Andreas* Geſnerus, ſi ipſi credendum ſit, Epiſtolas duodecim græcè, interprete Joanne Brunnero primus omnium edidit anno Domini 1559. ita enim in præfatione loquitur. *Ignatium verò, cùm ille (Henricus Petri ſcilicet) latinè tantùm ediderit, ego* græcum exemplar mſ. nactus ex Bibliotheca clariſſimi viri piæ memoriæ *D. Gaſpari à Nydprick exiſtimavi, neque Henrico Petri moleſtum, ſtudioſis autem pleriſque gratum fore, ſi ea quæ hactenus latinè tantùm circumferebantur, græcè ſimul & latinè eſſent edita*. Sed quidquid dixerit Geſnerus, ante eum Ignatii Epiſtolas græcè ex Auguſtanæ Bibliothecæ manuſcripto exemplari Valentinus Paceus anno 1557. publicaverat, quem primùm in lucem eas edidiſſe teſtatur Morellius, qui eaſdem Pariſiis recudendas curavit anno 1558. Hanc autem à Pacæo procuratam, principem eſſe Græcarum Epiſtolarum editionem, adſtruunt verba illa Centuriatorum Magdeburgenſium ad annum 1558. *Eſt & hoc annotandum, quòd hoc anno* 1558. *Epiſtolæ Ignatii græcè ſunt impreſſæ & publicatæ, quæ hactenus per aliquot ſæcula latuerunt*. Itaque duodecim Epiſtolæ ante à Jacobo Fabro, & Champerio latinè tantùm, nunc à Pacæo ex Auguſtano primùm, deinde à Geſnero ex mſ. Codice Nydprickiano editæ ſunt. At Jacobus Uſſerius Archiepiſcopus Armachanus, Hyberniæ Primas, homo miræ in antiquis rebus excutiendis perſpicaciæ ac diligentiæ, cùm animadverteret tres in Anglia Theologos olim locum quemdam ex Epiſtola Ignatii à Theodoreto citatum, nec in editione Græca, nec in vulgata huc uſque Epiſtolarum verſione tunc repertum; laudaſſe eo planè modo, quo à Theodoreto productus fuerat: cœpit inquirere, num fortaſſe in Anglia Exemplar aliquod Latinum adhuc deliteſcens reperiri poſſet, ex quo tres illi Theologi hauſerant loca, & ubi reliqua à Theodoreto aliiſque Patribus antiquis citata,

integra compararent; cùm duos libros manuscriptos nactus est, unum è publica Collegii *Gunvilli, & Caji apud Cantabrigienses* Bibliotheca, alterum à privata D. Richardi montis-acuti Nortvvicensis nuper Episcopi, qui Divi Ignatii Epistolarum interpretationem à vulgata latina diversam, imò diversissimam continebant. Et statim collatione facta, testimonia Patrum omnium qui intra quinque (ut ait) post Christum sæcula floruerant, à Græcis Latinisque Codicibus diffidentia, cum hac versione optimè convenire, & multa à Græculis posterioribus inserta & intertexta ab eadem pariter abesse, attentus conspexit. Itaque non ex levibus conjecturis, aut ex sententia sua; sed ex veteris versionis fide Græcas Ignatii Epistolas recognovit, assumpta stellionum nota à genuinis facilè & apertè secrevit, & Epistolarum syllogen istarum ita excudendam curavit: ut Minio in textu Græco laciniæ istæ signarentur, quas à recentiore interpolatore assutas fuisse, judicio veteris Latini Interpretis tunc primùm ab ipso editi, deprehenderat. Fœlix hoc quidem inceptum, quo Usserius senex, cùm ingenii, judicii & doctrinæ singulare specimen exhibuit, tum Ecclesiæ utilissimam & hisce temporibus maximè salutarem operam præstitit. Hæc Joannes Pearson ex suis Vindiciis Epistolarum sancti Ignatii, in procemio de ortu, progressu & hodierno statu controversiæ, capp. 23. & 5. Laudat pariter Labbeus opus istud *libro de Scriptoribus Ecclesiasticis*, verbo *Ignatius*, impressum Oxoniæ in 4. annis 1642. & 1644. demum Londini 1647. denique Isaacus Vossius Gerardi Joannis filius, aliquanto post Usserium, edidit græcè & latinè septem purissimas easdem sancti Ignatii Antiocheni Episcopi Epistolas, ex fide manuscripti codicis optimæ notæ in Bibliotheca Medicæa Florentina reperti. Editum opus annis 1646. & 1648. Amstelodami in 4. & postea excusum Londini in 4. anno 1680. quorum diligentiæ vix quicquam addi potest, iis quæ spectant ad Ignatium, ejusque Epistolas. Denique recudit easdem græcè & latinè, simpliciter & absque omnibus commentariis, Joannes Baptista Cotelier, inter *Auctores qui temporibus Apostolicis fluoruerunt*: quod opus impressum Parisiis anno 1671. 2. in fol. tomis apud Petrum le Petit, via Jacobæa, sub signo Crucis aureæ.

Porrò tot ac tanti labores non impedierunt, quominùs curas Usserii ac Isaaci Vossii fatigaret Dallæus Calvinista minister, eas etiam sic purgatas accusans suppositionis, in opere suo *de Scriptis suppositititiis Dionysii & Ignatii*, impresso Genevæ anno 1666. in 4. Sed Dallæum confutavit insigni ac prolixo opere Joannes Pearson Presbyter Anglus, quod inscripsit, *Vindicias Epistolarum Sancti Ignatii*, impressas in 4. Cantabrigiæ anno 1672. Opus sanè prolixum est ad tædium, sed doctissimum, cujus compendium nobis obtulit Natalis Alexander Dominicanus clarum atque apertùm, *in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus*, sæculo 2. dissertatione 22. per totam, quam legito. Hæc de scriptis sancti Ignatii omissa à Labbeo, paucis explicui, lectorem qui plura voluerit ad citatos auctores remittens.

De S. Polycarpo. 71.

SANCTUS POLYCARPUS Episcopus & martyr, unam scripsit epistolam egregiam ad Philippenses, quæ cum epistolis sancti Ignatii circumfertur: ejus epistolæ meminit sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. & Eusebius lib. 3. hist. cap. 30. aliàs 36. Vixit tempore S. Ignatii, sed supervixit usque ad Imperium M. Antonini, ut idem S. Hieronymus in eodem loco testatur:

Dissertatio Historica.

SANCTUS POLYCARPUS, Smyrnæ à S. Joanne Apostolo & Evangelista anno Christi, ut creditur, 82. Episcopus ordinatus, Apostolicus & Propheticus Doctor, totius Asiæ Princeps, nonnullos Apostolorum, & eorum, qui viderant Dominum, magistros habuit. Romam veniens sub Imp. Antonino Pio, Ecclesiam regente Aniceto, multos ab hæretico errore correxit: ac tandem centenario major Smyrnæ igni traditus est sedente Proconsule & universo populo adversus eum in Amphiteatro personante, die 26. Januarii ex Martyrologio Romano anno Christi 167. Marci Antonini & Lucii Aurelii Veri Imp. septimo, vel, ut alii anno 170. defuncto jam Lucio Vero, & Commodo à patre in consortium Imperii assumpto quod valde dubium est, & magna suspicio est in textum S. Hieronymi pro Vero irrepsisse Commodum. Græci habent obiisse Februarii die 23. feria prima post celebratum à Judæis die præcedenti magnum Sabbatum (*a*) Phurim die 14. mensis Adar. Certè ex epistola Smyrnensis Ecclesiæ apud Eusebium libro 4. cap. 15. colligitur die magni Sabbati à Gentilibus deductum Smyrnam quæ postea anno M. Antonini 14. terræ motu obruta perhibetur. De eo S. Irenæus ejus discipulus lib. 3. adversus hæreses cap. 3. Tertullianus cap. 32. de Præscriptionibus, Eusebius in Historia non semel & in Chronico ad annos 157. & 167. S. Hieronymus in Catalogo cap. 17. Socrates lib. 5. cap. 21. Gildas in castigatione Cleri Britanniæ, Photius cod. 126. Suidas, Honorius Augustodunensis cap. 18. libelli I. ubi asserit quædam scripsisse de die Paschæ quod valde suspectum mihi est, Jo. Trithemius & recentiores Baronius, Joannes Maria Brasichellanus, aliique, quos omnes insigni diligentia superavit R. P. Petrus Halloixius Soc. Jesu, ex quo Usserius maximam partem sublegit quæ de eodem postea protulit.

Epistola ad Philippenses, valdè utilis, quæ usque ad Sancti Hieronymi tempora in Asiæ conventibus legebatur. In ea refert se ad eos Ignatii τοῦ Θεοφόρου litteras misisse, postulatque certior vicissim fieri, si quid fortè de eo inaudierint. Scriptam itaque volunt anno circiter Christi 106. aut sequenti, octavo scilicet ab obitu S. Joannis Apostoli, & paulò ante martyrium ejusdem S. Ignatii Antiochiæ Antistitis. Latinè pluribus in locis annisque 1498. 1502. 1520. 1550. &c. incerto primùm interprete, eoque antiquo cum clementis & S. Ignatii Epistolis prodiit, deinde ex versione Joachimi Perionii Cormætiaceni O. B. cum operibus S. Dionysii Areopagitæ anno 1557. in folio Parisiis. Græcè, & Latinè primus cum nova interpretatione edidit Petrus Halloixius noster accepto à R. P. Jacobo Sirmundo ejusdem Soc. Theologo exemplari, quod ille Romæ ex Francisci Turriani doctissimi Theologi apographo descripserat. Vide Illustrium Ecclesiæ Orientalis scriptorum, qui sanctitate juxta & eruditione primo Christi sæculo floruerunt & Apostolis convixerunt, Vitas & documenta Duaci anno 1633. ex Typographia Petri Bogardi. Anno deinde 1644. Oxoniæ in 4. Jacobus Usserius Armachanus Polycarpi & Ignatii Epistolas utraque lingua cum notis & observationibus emisit. Unde arguas inscitiam incuriamve Andreæ Riveti, qui postquam insulsissimum Centuriatorum Magdeburgensium de Polycarpi epistola judicium descripsit, nec refutavit, ut ab omni veritatis umbra alienissimum; addidit in editione anni 1641. hanc Latinè tantùm circumferri, & se inaudiisse Græcum exemplar haberi à quodam viro docto Lutetiæ, cujus etiam potiendi spem fecerit Salmasius, cùm tamen, ut modò

modò vidisti Lector, ab anno 1633. utraque lingua prodiisset, quod non ignoravit Usserius Riveto infinitis partibus cùm doctior, tum accuratior.

(a) Idem Henricus Valesius in Notis ad librum IV. Eusebianæ Historiæ plures recenset sententias de die necis S. Polycarpi. Primam R. P. Egidii Bucherii in libro de Paschali Judæorum Cyclo cap. 8. magnum Sabbatum dici in quod prima Azymorum dies incidisset. Id autem contigisse anno vulgari Natalis Dominici 169. die 26. Martii: quo die passum esse Polycarpum auctor Chronici Alexandrini disertè testatur. Secundam Edovardi Livelei, qui Sabbatum magnum dici censuit illud, in quod solemnitas Phurim seu dies sortium inciderat: id autem accidisse anno Christi 167. die 22. Februarii juxta hodiernum computum Judæorum quo die captum esse Polycarpum, sequenti verò 23. passum vult itidem Livelejus. Tertiam Jacobi Usserii Armachani qui Sabbatum magnum in hac Smyrnensium Epistola dici ait illud quod Pascha proximè antecedebat: Neque enim Christianos aliud unquam Sabbatum ita appellasse quàm illud quod Paschalem solemnitatem præcedebat: seu proximè illam præcederet, ut fit apud eos qui semper die Dominico Pascha celebrant, seu diebus aliquot interjectis, quod fiebat apud eos qui cum Judæis Pascha celebrabant nulla habita ratione diei Dominicæ: quorum è numero fuisse Polycarpum omnesque Asiæ Ecclesias testatur Eusebius. Porrò anno Christi 169. Sabbatum quod Lunam Paschalem 14. antecessit in martii diem 26. incurrisse, quo die passum Polycarpum auctor Chronici Alexandrini testatus est. Quamobrem autem nulla ex iis opinionibus docto viro fecerit satis, apud ipsum pluribus leges. Quin etiam paulò post martyrium Polycarpi collocat anno Christi 167. Marci Imperatoris 7. cùm ex Eusebiana in Chronico supputatione, tum quod L. Statius Quadratus sub quo passus esse Polycarpus videtur, eo præcisè Marci Imp. anno, non verò 8. aut 9. Proconsulatum Asiæ gesserit. Diem verò Xanthici mensis secundum adversus Usserium ostendit fuisse 23. Februarii seu VII. Kal. martias, quo die Smyrnæi & omnes Græci memoriam S. Polycarpi semper celebrarunt, ut constat tum ex Actis S. Pionii martyris, tum ex menæis Græcorum. Quod verò ad magnum sabbatum attinet præstare, ait, tueri sententiam eam, quæ Smyrnensium omniumque Orientalium tabulis confirmatur, quàm incertis de magno sabbato conjecturis & Judæorum traditionibus inniti. Hæc strictim ex ejus longioribus Annotationibus decerpta ad nostrum institutum satis.

De S. Dionysio Areopagita. 71.

SANCTUS DIONYSIUS Areopagita sancti Pauli Apostoli discipulus fuit teste sancto Luca Act. 17. Quamvis autem à nonnullis dicatur martyrium subiisse sub Domitiano, contra tamen sentiunt alii, quoniam ipse idem sanctus Dionysius in libro de Divinis nominibus cap. 4. nominatim allegat S. Ignatii verba ex epistola ad Romanos: quam epistolam scriptam esse constat anno undecimo Trajani, quo anno sanctus Ignatius martyrio coronatus est. Scribit autem (inquit Areopagita) & divinus Ignatius, amor meus crucifixus est: hæc autem verba in epistola ad Romanos leguntur: quomodo igitur potest Dionysius obiisse tempore Domitiani, qui Trajanum præcessit, si citat epistolam scriptam undecimo anno Trajani? Existimamus igitur S. Dionysium fuisse quidem sanctorum Ignatii, & Polycarpi æqualem, sed supervixisse usque ad Imperium Hadriani.

Opera sancti Dionysii quæ nunc extant hæc sunt:

A *De Cœlesti Hierarchia, lib. 1. De Ecclesiastica Hierarchia 1. De Divinis nominibus 1. De Mystica Theologia 1. Item Epistolæ ad Cajum 4. Ad Dorotheum 1. Ad Sosipatrum 1. Ad Polycarpum 1. Ad Demophilum 1. Ad Titum 1. Ad Apollophanem 1. Ad S. Joannem Apostolum 2.*

Ferebatur & una ad B. Paulum: sed ab omnibus merito relicta est.

De cæteris operibus viri docti, & Catholici nihil dubitant. Soli hæretici Lutherani, & quidam Scioli, Erasmus, Valla, & pauci alii opera sua numerata negant esse sancti Dionysii Areopagitæ.

Sed (ut alia nunc omittam) ad auctoritatem his operib. conciliandam satis esse debet, quod hæc opera probentur à sancto Gregorio Papa homil. trigesima quarta in Evangelia, à sancto Martino Papa, B & martyre, in Concilio Romano, à sancto Agathone Pontifice in epistola ad Imperatorem Constantinum IV. & à Nicolao I. in epist. ad Michaelem Imperatorem. Item à Concilio VI. generali Act. 4. & à Concilio VII. Act. 2. Denique à sanctis Doctoribus plurimis, qui in hæc opera, tamquam germana sancti Dionysii Areopagitæ, commentaria scripserunt, ut à S. Maximo monacho, à S. Thoma, & aliis.

Quod autem ante S. Gregorium Romanum nemo horum operum nomine sancti Dionysii Areopagitæ meminerit: causa videtur esse, quòd alicubi latuerint, ut multa alia sæpè longo tempore delitescunt: C & circa tempora sancti Gregorii reperta fuerint.

Quod enim quidam dicunt citari nominatim hæc opera ab Origene homilia quadam in primum cap. Joannis, & ab Athanasio in quæstionibus ad Antiochum quæst. 8. nihil efficit: nam in homilia illa nominantur Ariani, qui diu post Origenem exorti sunt: & in quæstionibus ad Antiochum nominantur auctores ipso Athanasio posteriores: ex quo sequitur ut illa testimonia esse non possint Origenis, vel Athanasii, sed recentiorum auctorum.

Scribunt quidem Liberatus Abbas in Breviario cap. 10. Athanasius Bibliothecarius in epist. ad Carolum Calvum Imper. citari Dionysium Areopagitam à D Joan. Chrysostomo, & Cyrillo Alexandrino; sed quæ illi citant, non inveniuntur in locis citatis.

Dissertatio Historica.

SANCTUS DIONYSIUS Areopagi Senator, à Sancto Paulo Apostolo ad Christianam fidem Athenis conversus anno à natali Domini 5.. creatus deinde ejusdem suæ Atheniensis urbis Episcopus, tum, ut plerisque visum, in Gallias missus à Sancto Clemente Papa, primus Lutetiæ Parisiorum Antistes extitit. Passus verò est vel Athenis die 3. Octobris sub Domitiano Imperatore, exeunte primo Ecclesiæ sæculo, ut nonnulla martyrologia Usuardi, E aliorumque habent, vel ex communissima saltem ab octingentis & quod excurrit annis opinione die 9. ejusdem mensis propè Parisios in monte martyrum cum sociis Rustico & Eleutherio, gladio caput subjecit, sectumque ad duo milliaria gestavit anno secundùm Baronium, Hadriani Imperatoris primo, qui in annum Christianæ æræ 117. incurrit, non, ut ille putat, 119. An in Gallias venerit Parisios usque, scripseritne quæ nomen ejus præferunt opuscula, quorum nec Eusebius, nec Hieronymus, aut Gennadius, aliique antiquiores, sed Photius tantùm, Sigebertus, atque Honorius in Catalogis Scriptorum Ecclesiasticorum meminerunt, uberrimum eruditis hac præsertim ætate (a) præbuerunt disputandi scribendique argumentum. Vide quæ post alios nuper de utroque hoc problemate in medium adduxit

A R. P. Joannes Morinus Blesensis Congregationis Oratorii D. N. I. C. Presbyter, parte secunda Commentarii de Sacris Ecclesiæ Ordinationibus, & cum iis compone, quæ Baronius, Bellarminus, Delrius, Halloixius, Lanselius, Corderius, Saussayus, Menardus, aliique in sententiæ Vulgaris patrocinium scripserunt. Neque nostrum est inter eos tantas componere lites. Si quid deliraverint à recto veritatis tramite Scaliger, Cocus, Rivetus, similesque Catholicæ Religionis hostes, monebimus in Examine Heterodoxorum Criticorum.

Græco-Latina omnium operum Sancto Dionysio Areopagitæ tributorum cum scholiis Maximi martyris, & Georgii Pachymeræ Paraphrasibus prodiit B Antuerpiæ anno 1634. opera & studio R. P. Balthazaris Corderii Soc. Jesu, servato hoc Tractatuum ordine, quem repræsentamus.

Tomo I. continentur

Observationes Generales pro faciliori intelligentia S. Dionysii. S. Maximi, & Pachymeræ Prologi in eumdem Sanctum Dionysium. *De Cœlesti Hierarchia liber* capp. 15. constans, cum Scholiis sancti Maximi, paraphrasi pachymeræ, & Annotationibus Corderii. *De Ecclesiastica Hierarchia*, capita septem, cum eorumdem scholiis, paraphrasi, & annotationibus. *De Divinis Nominibus liber*, in capita 13. distinctus, C cum eorumdem scholiis, paraphrasi, & annotationibus.

Tomo II. continentur

Isagoge ejusdem Balthasaris Corderii ad mysticam Theologiam. Mystica Theologia sancti Dionysii, capp. quinque comprehensa, cum scholiis Maximi, paraphrasi Pachymeræ, & annotationibus Corderii. Epistolæ. I. *Cajo Monacho* : De ignoratione, & cognitione Dei. II. *Eidem* : Quomodo Deus ut supra principium Divinitatis ac bonitatis. III. *Eidem* : Quid significet ἐξαίφνης, in mysterio Incarnationis. IV. *Eidem* : Quomodo Christus verus homo ac Deus. V. *Dorotheo Ministro* : De Caligine. VI. *Sosipatro Sa-* D *cerdoti* : De defendenda veritate. VII. *Polycarpo Antistiti* : Quomodo ei cum Apollophane agendum sit. VIII. *Demophilo Monacho* : De propria operatione & clementia. IX. *Tito Episcopo*, roganti per Epistolam quæ sit domus sapientiæ, quis crater, & quisnam cibus ejus ac potus. X. Joanni Theologo Apostolo, & Evangelista, in Patmo Insula exulanti.

Appendix ex Variis collecta.

Vita & Encomium S. Dionysii Areopagitæ ex Menæis. Vita & conversatio S. Dionysii per Simeonem Metaphrastem. Vita ejusdem ex Suida. Vita ejusdem E per Nicephorum. Encomium S. Dionysii per Michaelem Syngelum. Martyrium S. Dionysii per Methodium. Vita S. Dionysii per R. P. Petrum Halloix è Soc. Jesu, ejusdem Annotationibus illustrata. Quæstiones R. P. Petri Halloix è Societate Jesu de vita & operibus S. Dionysii Areopagitæ. Argumenta & Testimonia pro operibus S. Dionysii ex Vindiciis Areopagiticis R. P. Martini Delrio Soc. Jesu. De sancto Dionysio Areopagita, ejusque scriptis Disputatio Apologetica R. P. Petri Lansselii è Soc. Jesu Prebyteri. Variantes lectiones circa textum S. Dionysii. Onomasticon Dionysianum R. P. Balthasaris Corderii Soc. Jesu Theologi, in quo verba S. Dionysio propria, & singularem aliquam formationem aut significationem habentia explicantur. Indices locorum Scripturæ & Rerum.

Quæ de Joannis Eriugenæ Scoti Latina versione, & Præfatione Anastasii, ac scholiorum versione, diximus ex codice ms. Bituricensis Collegii, vide V. Anastasius Bibliothecarius.

(*a*) Sive Orthodoxis, sive Heterodoxis, qui pluribus argumentis contendunt opera illa à S. Dionysio Areopagita Atheniensi Episcopo scripta numquam fuisse, sed ab aliquo juniore, de cujus etiam ætate certatur, vixeritne ante, aut post Concilium Chalcedonense.

I. Nec Eusebius, nec Hieronymus, nec Gennadius, nec ullus eorum, qui primis quinque sæculis vixerunt, mentionem illorum facere, quod non modo Anastasius Bibliothecarius in epistolas ad Carolum Calvum observat, sed etiam Bellarminus & Petavius. Anno demum 532. in Collatione Constantinopoli habita inter Catholicos & Severianos primò prodierunt hæreticis hisce aliquid ex Dionysio Areopagita objicientibus, verùm Catholicis illorum auctoritatem recusantibus.

II. Horum librorum Author citat, non modo Apocalypsim, quæ facta est S. Joanni, cùm esset exul in insula Patmo ad finem Domitiani Imperii, sed etiam sententiam ex epistola Ignatii ad Romanos scripta circa annum Trajani undecimum, qui est Christi 108. At Dionysius Areopagita obiisse sub Domitiano perhibetur ab omnibus fermè antiquioribus scriptoribus.

III. Librum suum de Divinis nominibus, in quo citat sententiam ex epistola Ignatii ad Romanos, Timotheo viventi dicat. At verò quando Ignatius hanc Epistolam & alias scripsit, jamdudum obierat Timotheus. Testatur enim Metaphrastes illum obiisse sub Domitiano : Martyrium similiter Timothei apud Photium cod. 254. Et quamvis de tempore mortis non assentiatur Baronius, fatetur tamen certum esse Timotheum ante Ignatium martyrio fuisse coronatum. Neque enim id negari potest, cùm testetur Ignatius in suis ad Antiochenos, ad Heronem, & ad Ephesios Epistolis, Onesimum Timothei successorem, Ephesinum jam fuisse Episcopum cùm illas scriberet, &c.

IV. Magnificè loquitur, tum de Templis instar Hierosolymitani adyta habentibus, adeò Sacra, ut nefas esset, non plebi modo, sed & Monachis eò ingredi, tum de Catechumenorum, Energumenorum, & Pœnitentium ab iis exclusione; & extra fores collocatione dum Eucharistia celebraretur; tum de Monachorum ordinatione & consecratione, ac variis ritibus à Dionysii ævo, ut volunt præsertim Novatores Hæretici, alienis, &c.

V. Agens de cæremoniis quæ observantur in baptismo parvulorum, videlicet abrenunciatione ac fidei professione, quas per os aliorum faciunt, &c. de hoc, inquit, ea dicimus quæ divini nostri Pontifices, πρὸς τῆς ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεος, ex antiqua traditione edocti ad nos usque produxerunt. Iis adde ἔνατια τρησυπόστατον, θεαρχικὰς ὑποστάσεις, οὐσίαν μίαν, &c. Vide plura cùm apud citatos, quibus jungendus Aubertinus pag. 260. Editionis Latinæ ac sequentibus, tum apud laudatum Morinum omnia ad vivum resecantem, è quibus disces plurimos Catholicos ab aliquot sæculis aut dubitasse, aut negasse; aut certè insinuasse sibi non omnino probari Areopagitæ fœtum indubitatum esse, quæ ejus nomen præferunt opera. In iis numerare possis Antonium Faventinum apud Joannem Picum in resp. ad object. 3. Theodorum Gazam in præfatione Problematum Alexandri Aphrodisensis, Laurentium Vallam in cap. 17. Actuum Apost. Cælium Rhodiginum, Joannem Ep. Roffensem, Thomam Cajetanum de Vio Card. Desiderium Erasmum, Sixtum Senensem, Sirmon-

Sirmondum, Petavium, quique multorum instar esse posset Illustrissimum Episcopum Vabrensem Isaacum Habertum in Archieratico. Nudius quoque tertius Joannes Launojus Constantiensis Presbyter & Theologus Parisiensis inter Varia de duobus Dionysiis Atheniensi & Parisiensi opuscula, quorum fronti Dissertationem Jacobi Sirmondi de eodem materia præfixit, emisit in lucem pag. 407. II. Partis Judicium de libris Dionysio Areopagitæ inscriptis cum Disquisitione de Veteribus Basilicis Parisiensibus. Quare ad eos, amabo, fontes se conferat, quisquis sitim explere desiderat, & singula quæ ad illam celeberrimam controversiam spectant, enucleatius investigare.

SUPPLEMENTUM.

DIONYSIUS AREOPAGITA Atheniensium Episcopus & Parisiensium, juxta Abbatem Hilduinum ejusque plurimos sequaces, de quo Baronius in Martyrologio Romano ad diem 9. octobris, & in suis annalibus anno 95. num. 7. & anno 109. num. 38. & seqq. Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 5. & lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis sæc. 1. & Martinus Delrio in suis Vindiciis areopagiticis. De Dionysio duæ celeberrimæ quæstiones sæculo nostro agitatæ sunt, inter viros ex utraque assertionis parte doctissimos, & hæ tam prolixis profundisque disputationibus, ut post eos iterum excutere illas, opus vanum atque otiosum sit. Harum prima quæstionum, *utrum Sanctus Dionysius Areopagita Atheniensium Episcopus, sæculo Ecclesiæ primo in Gallias venerit, factusque sit & Francorum Apostolus & primus Parisiensium Episcopus?* Affirmant Hilduinus in suis Areopagiticis, Germanus Milletus Sancti Dionysii in Francia Monachus Benedictinus, qui ea quæ Jacobus Sirmondus Soc. Jesu Presbyter Antiquitatis eruditissimus indagator contra Hilduini assertiones de unico Dionysio scripserat, confutare, & Ecclesiæ Parisiensis multis à sæculis traditionem probare, integro libro ac prolixo aggressus est, impresso Parisiis anno 1642. Idem Petrus Halloix Leodiensis Societatis Jesu, *in Illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum, qui primo à Christo sæculo vixerunt, vitis & documentis*, impressis 2. in fol. vol. annis 1633. & 1636. Duaci typis Petri Bogardi. Quod opus inde petitum, extat in editione operum Sancti Dionysii facta postremò per Balthasarem Corderium ejusdem Societatis anno 1634. Idem Martinus Delrio Antuerpianus ejusdem Soc. *in suis Vindiciis Areopagiticis* adversus Josephum Scaligerum, Antuerpiæ anno 1608. in 8. Idem qui editiones operum S. Dionysii Areopagitæ procurarunt Petrus Lanssellius Gravelinganus Soc. Jesu Parisiis anno 1615. & Balthasar Corderius Antuerpiæ anno 1634. ejusdem cum altero Societatis. Idem denique Natalis Alexander Dominicanus, qui omnium argumenta congessit, *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus* sæculo 2. dissertatione XV. Stant è contra doctissimi etiam viri, Jacobus Sirmondus Soc. Jesu expressa *dissertatione, in qua Dionysii Parisiensis, & Dionysii Areopagitæ discrimen ostenditur*, Parisiis anno 1641. apud Sebastianum Cramoisy in 8. Joannes Launojus Constantiensis in Normannia Presbyter, in opere *de duobus Dionysiis* prolixo, Parisiis anno 1642. in 8. apud Edmundum Martinum. Eamdemque duorum Dionysiorum distinctionem approbant in suis Scriptis, Aubertus Miræus in Annalibus Belgicis, Dionysius Petavius *in suis Theologicis Dogmatibus* & alibi, Andreas Duchesnius in notis ad Bibliothecam Cluniacensem & in vitis Romanorum Pontificum, Joannes Morinus in opere *De Sacris Ordinationibus*, denique Franciscus Bosquetus Lodovensis ac postea Montispessullani Episcopus Historiarum lib. 1. cap. 26. de hac quæstione fusè agit idemque adstruit: omnes Galli, Miræo excepto, iique doctissimi.

Altera quæstio, utrum opera quæ vulgo circumferuntur sub nomine S. Dionysii Areopagitæ Atheniensis Episcopi; nimirum *De Divinis nominibus, de Cælesti atque Ecclesiastica Hierarchia, de mystica Theologia &c.* sint verè germanum Dionysii Areopagitæ opus? Affirmant qui procurarunt editionem dictorum operum Petrus Lanssellius & Balthasar Corderius annis 1615. 1634. Martinus Delrio Antuerpianus & Petrus Halloix Leodiensis, omnes ejusdem Soc. Locis supra dictis; quorum hanc in rem argutè argumenta compendiavit Natalis Alexander Dominicanus, supra citatus *in selectis Ecclesiasticæ Historiæ capitibus* sæculo 2. dissertatione XXI. & ita definit Sacra Facultas Theologica Parisiensis tum ad calcem eximiæ suæ censuræ contra Lutherum, tum apertiùs in censura altera quam in Erasmum tulit. Sed alii quamvis fateantur opera ista esse Auctoris antiqui, qui vixerit sub finem sæculi Ecclesiæ quarti, vel sub initium quinti, negant tamen firmissimis argumentis esse Dionysii Atheniensis vel Parisiensis Episcopi. Ita Dionysius Petavius *in opere Theologicorum Dogmatum*, Joannes Morinus *in opere de Sacris Ordinationibus*, Joannes Launojus *in duobus Dionysiis*, Dallæus minister Calvinista *in opere De Scriptis suppositis Dionysii & Ignatii*, anno 1666. Genevæ in 4. omnes Galli cum multis aliis.

Hoc autem nostro sæculo, plures desudarunt evulgandis corrigendisque Sancti Dionysii operibus. Primus illorum Petrus Lanssellius Gravelinganus Theologus Soc. Jesu, ejusmodi opera omnia græcè & latinè notis illustravit & apologia præmissa vindicavit, edita in fol. Parisiis anno 1615. apud Michaelem Sonnium, additisque ad calcem variantibus mss. Codicum lectionibus. Alter Balthasar Corderius addidit huic editioni varia, suas nempe commentationes ad singula capita & periodos Librorum ac Epistolarum, cum vindiciis Areopagiticis Martini Delrionis, & operibus Petri Halloixii Dionysium spectantibus cum Scholiis græco-latinis seu commentariis S. Maximi Monachi & Georgii Pachimeris, cum vitis & Encomiis Sancti Dionysii græco-latinis à Methodio Patriarcha Constantinopolitano, Michaele Syngelo, Suida, Simeone Metaphraste & aliis. Omnia græco-latina in fol. tomis 2. Antuerpiæ anno 1634. apud Balthasarem Moretum; quam editionem tertia eodem tenore subsecuta est Parisiis tomis totidem anno 1644. apud magnam Bibliopolarum Societatem. Habentur autem opera ejusmodi mss. græcè in præcipuis Europæ Bibliothecis, nempè Parisiis in Bibliotheca Regia, in Colbertina bis ex mss. olim Thuaneis, in Sacrario Regalis Abbatiæ Sancti Dionysii in Francia. Item Romæ in Sfortiana ter num. 84. 85. & 86. cum Commentariis græcis Sancti Maximi, in Vaticana ex mss. Heidelbergensibus num. 39. & 123. in Messanensi apud Siculos, in Florentina Serenissimi Etruriæ Ducis, apud Sanctum Laurentium, atque etiam apud S. Marcum pluteo 3. in Venetiana Serenissimæ Reipublicæ, denique in Bibliotheca Romana, S. Mariæ in Vallicella, atque in Anglicis Oxonii & Cantabrigiæ multis Codicibus.

De sancto Martiale Episcopo Lemovicensi.

SANCTUS MARTIALIS I. Episcopus Lemovicensis, dicitur scripsisse *duas Epistolas*, unam ad Burdegalenses, alteram ad Tolosanos, quæ extant

tant in Bibliotheca sanctorum Patrum. Sed multa sunt, quæ eas epistolas suppositities esse indicare videantur.

Primùm enim auctor harum epistolarum dicit, se cum Christo vixisse, antequam crucifigeretur. Martialis autem Episcopus primus Lemovicensium missus fuit ad eam Urbem, Decio Augusto, & Grato Coss. anno Domini 254. ut Gregorius Turonicus testatur lib. 1. hist. cap. 10. quare necesse est, vel Martialem vixisse fermè 300. annis, vel titulum epistolarum esse falsum, qui auctorem præfert Martialem Episcopum Lemovicensem, vel Epistolas esse confictas.

Deinde in secunda epistola cap. 8. scribit auctor à se baptizatum Stephanum Regem, & quemdam alium Tyrannum cum Satrapis suis. Atqui tempore Apostolorum & etiam tempore Decii Imperatoris, non habuit Gallia ullos Reges, sed Imperio Romano subjecta erat. Primum enim Regem Romanis expulsis, fuisse in Gallia Clodronem Comatum Faramundi filium post annum Dom. 400. testantur omnes historici, Gregorius Turonicus lib. 2. cap. 9. qui eum vocat Clogionem, Ado Viennensis, Abbas Urspergensis, Aimonius, Paulus Æmilius, Robertus, Gaguinus, Papirius Massonius, & alii.

Tertiò, dicit idem auctor eodem loco, templa Idolorum eversa fuisse, & Ecclesias ædificatas auctoritate Regia ipso suo tempore: quæ videntur manifestè falsa, certè pugnant cum historiis Gregorii Turonici, Adonis & aliorum.

Quartò, in epistola eadem cap. 9. citantur verba scripturæ Geneseos secundùm Sancti Hieronymi versionem, quod etiam in utraque epistola passim cernitur. Id verò signum est apertissimum novitatis.

Quintò, in eadem epistola cap. 13. scribit auctor se interfuisse cum aliis discipulis quando Judas osculo Dominum prodidit. Atqui hoc videtur repugnare Evangelio. Siquidem Marcus cap. 14. & Luc. cap. 22. dicunt: Christum cum duodecim ultimam cœnam celebrasse, & cum eisdem in hortum ingressum, ac deinde Judæ obviam ivisse.

Sextò in epistola eadem, cap. 8. dicit, Valeriam quamdam in ipsa Gallia martyrio coronatam. Id verò repugnat Sulpitio lib. 2. sacræ historiæ, & Gregorio Turonico lib. 1. cap. 28. histor. Francorum, qui scribunt, temporibus M. Antonini primùm intra Gallias martyria visa.

Multa sunt alia, quæ his epistolis fidem detrahere videntur. Alioqui autem piæ sunt, & ex iis non pauca dogmata Ecclesiastica confirmari possent adversus nostri temporis hæreticos, si de tempore, quo scriptæ sunt, planè constaret.

Dissertatio Historica.

Præter ea, quæ Bell. & ex eo Miræus, aliique referunt de duabus sancto Martiali Lemovicensium Episcopo adscriptis falsò *Epistolis ad Burdegalenses una, ad Tolosanos altera*, quæ extant in Bibliothecis Veterum Patrum & alibi sæpiùs excusæ, post Ascensianam editionem anni 1521. cui jungenda etiam nupera Helmenstadii cum Gennadii Massiliensis catalogo Virorum Illustrium opera & studio Elmenhorstii anno 1614. Notandum utramque illam primùm fuisse inventam anno circiter 1060. cùm Henrico Rege Francorum defuncto regnavit Filius ejus Philippus primus, in Sacrario B. Petri in tumulo cujusdam, ubi sepultura Antistitum antiquitus fuerat, ut narrat qui centum post annis vivebat Gaufridus Prior Vosiensis in Chronico quod editum est Tomo II. Novæ Bibliothecæ mss. librorum pag. 288. At pag. 298. rejicere videtur inventionem illarum post annum 1100. cùm Philippus jam senior regnum tradidit

A filio Ludovico, qui fortissimus bellator extitit. Unde permirum mihi accidit quo doctore usus Possevinus dixerit, Epistolas illas, qualescumque sint, sua ætate dum esset in Gallia repertas fuisse in Sacrario Basilicæ S. Petri in urbe Lemovicensi, ubi eatenus latuerant in arca saxea sub terra defossæ, quo ob nimiam antiquitatem vix poterant legi.

Quo verò sæculo in Gallias venerit Martialis dictus Aquitanorum Apostolus, primone, an tantùm tertio, quove anno obierit, controvertitur inter recentiores Chronographos. Joannes Cordesius libellum in eam rem edidit, quem Latinitate donatum in altera parte Ecclesiasticæ Galliarum Historiæ vulgavi. Illustrissimus Franciscus Bosquetus Monspeliensis Episcopus: alii quoque deinceps eamdem quæstionem agitarunt, & adhuc sub judice lis est. De ipsa
B autem Martialis vita ab Aureliano quopiam aut ejus nomine ad libitum conficta plura Joannes Hesselius, aliique Catholici, unde sua hauserunt Heterodoxi. Qui plura in utramque partem voluerit, legat Concilium Lemovicense de Apostolatu S. Martialis anno 1031. celebratum, à nobis recusum ad calcem Tomi II. Novæ Bibliothecæ mss. Librorum, quo res Aquitanicas complexi sumus. Plura Baron. ad an. 74. Bell. & alii recentiores.

Supplementum.

C Martialis Lemovicum Episcopus cujus duæ circumferuntur Epistolæ, risu dignæ, fabulis plenæ, quæ legantur omninò indignæ; ut & illius vita ab ejus discipulo Aureliano conscripta, quæ habetur apud Surium. Merces ejusmodi nocent ampliùs Christianæ fidei, quàm faveant: nec enim Æsopo indiget Orthodoxa Sancta Ecclesia.

De Abdia Babylonio.

Abdias Babylonius, unus ex discipulis Domini fuisse dicitur. Sed vitæ Apostolorum, quæ sub nomine ejus circumferuntur, fabulis similiores sunt, quàm vitæ narrationi. Sed neque ejus Abdiæ,
D aut libri ejus ullam in veteribus mentionem invenio.

Dissertatio Historica.

Abdias Apostolorum, ut volunt, Discipulus, primusque Babyloniorum Episcopus, sæculo primo vixisse perhibetur.

Libros decem de Historia certaminis Apostolici, sive de Vitis Apostolorum ab Eutropio primùm ex Hebraica lingua in Græcam translatos, deinde à Julio Africano ex Græca in Latinam versos sub nomine Abdiæ Babylonii primus Wolfgangus Lazius Philosophus ac Medicus Viennensis, Imp. Ferdinandi I. Historiographus, Basileæ Rauracorum edidit (*a*) anno
E 1551. in folio typis Joannis Oporini. Alii deinde Coloniæ, Parisiis non semel. Ipse quoque Laurentius Barræus in majori folio in eadem civitate Parisiensi, anno 1583. editum, nec omiserunt Bibliothecæ Veterum Patrum compilatores.

Verùm hasce quisquilias ab otioso fabulatore, qui merito jure Pseudo-Abdias dicitur, confictas interpolatasve, nullius fidei atque auctoritatis esse apud eruditos, docuerunt jampridem Catholici Tractatores, Sixtus Senensis, Joannes Hesselius, Joannes Molanus, Card. Baronius, Possevinus, Salmeron, Miræus, aliique, ut sileam Vossium, Cocum, Rivetum, (*b*) similesque Heterodoxos Criticos in alienis ab Ecclesia Catholica castris militantes, atque ex Catholicorum dumtaxat scriptis & observationibus suffarcinatos. Mentitur enim pro more Andreas Rivetus

vetus qui libri 1. cap. 6. effutire ausus est, oculatiores Pontificios ex suorum, hoc est, Hæreticorum hominum animadversionibus edoctos, nugas & mendacia illius operis deprehendisse, ita ut eos tam putidi commenti pudeat. Sed amabo, quis Calvini catulus hoc commentum subodoratus est ante Hesselium, Molanum, Sixtum, ipsumque adeò Paulum IV. Romanum Pontificem, qui inter scripta à se damnata rejecit.

(*a*) Nec tamen primus illius Apostolicæ Historiæ meminit: Nota enim erat jampridem Jacobo Archiepiscopo Januensi, ut vocant, O. P. in libro Annuarum solemnitatum, Petro Equilino Episcopo libro 9. Catalogi Sanctorum, aliisque ejusdem doctrinæ, ne quis putet superiori dumtaxat sæculo aut à Lazio aut ab alio quopiam fuisse confictam. Recenset autem fabulas illas de SS. Thoma, Matthæo, cæterisque quas S. Augustinus cap. 38. libri de Fide adversus Manichæos, cap. 17. libri contra Adimantum, cap. 20. libri 1. contra Adversarium Legis & Prophetarum, aliique post eum affirmant à Manichæis confictas fuisse, qui anno demum Christi 277. sub Probo Imperatore cum Manete antesignano suo prodierunt.

(*b*) Heterodoxis adjunge Ivellum adversus Hardingum, Vergerum de Idolo Lauretano, aliosque plures.

De Presbyteris Achajæ, qui S. Andreæ passionem scripserunt.

EXTAT Passio S. Andreæ Apostoli sub nomine Presbyterorum Achajæ, qui dicunt se scripsisse ea, quibus ipsi interfuerunt. Audivi aliquando magnum quemdam virum, eam historiam in dubium revocantem. Sed certè non videtur negari posse, quin vera & antiqua, & utilis historia sit.

Petrus Damiani, qui ante sexcentos annos floruit, in serm. 2. de sancto Andrea, de hac historia sic loquitur: *Non immerito in singularem auctoritatis arcem suscepti est, quam qui viderunt, scripserunt, & ministri fuerunt sermonis.* Sanctus etiam Bernardus in serm. de S. Andrea, in vigilia ejus, & in duobus, quos habuit in die festo, miris laudibus effert verba S. Andreæ ad crucem, quæ in hoc libro ad verbum inveniuntur.

Joannes à Lovanio vir multæ doctrinæ & judicii, in censura de passionibus sanctorum, quæ habetur in Martyrologio Molani, hanc historiam, ut legitimam, probavit.

Idem fecit Aloysius Lipomanus, vir gravissimus, qui ex probatis auctoribus vitas sanctorum descripsit. Denique in Breviario Romano, nuper recognito, historia hæc, cùm de ea inter viros doctos, & graves acriter disputatum esset, omnium consensu approbata locum suum retinuit.

Dissertatio Historica.

PRESBYTERI & Diaconi omnes Ecclesiarum Achajæ paulò post medium primi sæculi Christiani scripserunt ad universas Ecclesias quæ sunt in Oriente, Occidente, Meridiano, & Septentrione Encyclicam Epistolam.

De Passione Sancti Andreæ Apostoli, cui præsentes interfuerant, anno, ut quidam volunt, æræ Christianæ 59. Neronis Imp. sexto, quo Kalendas Decembris ad superos abiit S. Andreas. Extat apud Aloysium Lipomanum, Laurentium Barræum, Laurentium Surium, Andream Saussayum, aliosque.

Porrò hanc, ut legitimam Historiam conceptis verbis probarunt S. Augustinus, seu quis alius antiquus

A Auctor libri de vera & falsa pœnitentia cap. 8. *In hoc desiderio erat Andreas, qui in Cruce positus à Domino requirebat, Tempus est ut commendes terræ corpus meum &c.* tum, ut omittam Epigramma Honorii 1. Romani Pontificis de Apostolis in Christi ad Cœlum ascensione obstupescentibus, & alia, sub finem sæculi noni (*a*) Remigius Monachus Autisiodorensis commentario in Psalmo XXI. *quamvis hoc Sacramentum à pluribus accipiatur, non tamen, ut videtur, in partes est divisum, sed totum singulis est indivisum, Andrea Apostolo sic testante, Agnus quamquam sacrificatus est, integer perseverat & vivus.* Undecimo labente sæculo Petrus Damiani, ut creditur, sermone 2. in natali S. Andreæ: *cujus passio*
B *tantas spiritus devotione distillat, ut mentes audientium adipe & pinguedine replere videatur, unde non immeritò in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt scripserunt orbi, & ministri fuere sermonis.* Wolphemus Abbas Bruvilerensis in epistola ad Meginardum Abbatem Gladebasensem: *hoc autem corpus post expletam more Catholico communionem sanum & incolume, vivum & integrum se recipit ad Patrem. Sic enim testatur Ecclesia Achajæ Beatum Andream dicere: postquam omnis populus credentium Agni carnes comederit, & Sanguinem biberit, &c.* Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus libro de Corpore & Sanguine Domini: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, sed sicut dicit S. Andreas Apostolus: cùm verò in terris carnes ejus sint comestæ &c.* Duodecimo
C sæculo Ivo Episcopus Cornotensis sermone de convenientia veteris & novi Sacrificii: *Ecce ad memoriam veniunt verba B. Andreæ Apostoli, quibus asserit & in Cœlis esse Corpus Domini, & de Altari posse sumi Corpus Domini: cujus carnes cùm sint comestæ &c.* Ut omittam S. Bernardum Claravallensem Abbatem in sermonibus de Vigilia & Natali ejusdem Sancti, si tamen eorum germanus parens aliosque recentiores Orthodoxos, ac nominatim Joannem à Lovanio, Cæsarem Baronium, Antonium Possevinum, atque omnium susissimè ista pertractantem V. C. Andream Saussayum Tullensem Episcopum sub finem ingentis voluminis quod superiore anno
D S. D. N. Alexandri VII. nomini inscripsit, de Laudibus S. Andreæ, illudque ineptissimis juxta ac mendacissimis Edmundi Aubertini Calvinianæ sectæ ministri, aliorumque, ex quibus sua consarcinavit, Sacramentariorum Roberti Coci, Gerardi Joannis Vossii, Andreæ Riveti, quorum hæc epistola non secus ac olim Berengarii eorum Magistri atque Doctoris jugulum petit, cavillationibus objecit. Ridiculus præ cæteris Robertus Cocus mendaciorum, κρύψεων, calumniarum artifex certissimus, qui Wintoniensem quemdam in Anglia Episcopum Joannem Whitum profert in medium tamquam sincerissima illa acta inter apocrypha & adulterina scripta rejicientem. Sed plura vetant in eam rem ex-
E promere Dissertationis hujus angustiæ, ac reservandum aliquid monent Examini Heterodoxorum Criticorum.

Certè duo hæc negari non possunt. I. Patris in Achaja passum fuisse S. Andream, id perspicuè attestantibus S. Hieronymo ep. 148. ad Marcellam, S. Paulino Nolano Ep. libri 5. carmine 1. & alibi, Sophronio in præludiis ad Hieronymi catalogum scriptorum Ecclesiasticorum Græcè redditum, Ven. Beda, Usuardo, Adone, aliisque Martyrologis, cæterisque rerum Sacrarum Tractatoribus. Alterum à pluribus hactenus sæculis Romanos Pontifices, & Catholici orbis Antistites in Ecclesiasticis officiis narrationem illam ut veram & authenticam suscepisse, suisque calculis approbasse.

(*a*) Lege Octavi Etherius & Beatus, &c. tum sub

A ſub exitum noni, aut decimi initium, tunc enim vixit, Remigius &c. Edmundus Aubertinus, Catalaunenſis, Calvinianæ Synaxeos apud Pontem Carentonium in Pariſienſi diœceſi Adminiſter, initio libri ſecundi de Euchariſtia editionis Latinæ anno 1655. quam amici opera, cùm pridem cuſa eſſent iſta omnia, mihi primùm videre contigit pag. 259. hæc habet: Nemo ante nonum ſæculum hujuſce meminit, imò nec tam ejus libri quàm verborum (à Catholicis orthodoxis) objectorum. Ea enim recenſentur primùm, ut opinor ab Etherio & Beato contra B Elipandum libro primo, & eo quem diximus ſenſu ab illis ſumi videntur. Utrum autem ex libello ab ejus diſcipulis conſcripto deſumpta ſint, necne, non dicunt. Errat autem profanus ille Criticus in multis. I. quòd Etherium & Beatum velit ſcripſiſſe adverſus Elipandum Toletanum Antiſtitem ſæculo nono: dicere debuerat ſub octavi finem circa annum 788. aut 790. II. Hæreticorum ſenſu contendit ab eis verba S. Andreæ accipi: quod ſatis refellitur vel ipſa loci illius lectione. III. Cocum tacito ejus nomine exſcribit, non ſecus atque alibi Uſſerium, Blondellum, alioſque non Cachodoxos tantùm, ſed C etiam Orthodoxos. IV. Vhitus ille, quem citat Cocus (numerantur inter Hæreticos Anglos Joannes & Franciſcus White à Gisberto Voetio pag. 570. Bibliothecæ ſtudii Pſeudo-Theologici) non videtur tum in lucem uſpiam prodiiſſe, cùm ſcriberet Bellarminus, ideoque nil mirum, quòd eum in tenebris Anglicanis deliteſcentem non viderit. V. Thraſonicè doctrum ſe dicit, quod neſciebat Bellarminus, nimirum Whitum Papiſtam, ut ait in editione Gallica Diacos. Mart. fol. 3. ſed cedo, ubi erat editus ille liber, & undenam ipſe didicerit? VI. è Latina editione ſuſtulit inconditam illam farraginem, quam in Gallica ex Coco vel Riveto expilarat. VII. Quòd ait ſe credere in Spiritum Sanctum à Patre procedentem & in Filio permanentem, non eſt ſignum hæreſis recentiorum Græcorum, cùm in antiquis Patribus Theologiſque ſimiles nonnumquam occurrant formulæ, quæ à Græcorum erroribus longiſſimè abſunt. VIII. Hæreticus ille Alaſtor inde quoque argutari molitur, quòd Sanctus Andreas in Epiſtola illa dicatur oraſſe, ne de Cruce deponi poſſet, & eſſe potius fabulam quàm Hiſtoriam: ergo & fabella erit, ex ſententia hujus Palemonis, non Hiſtoria, quòd Chriſtus de Cruce deſcendere noluerit, quòd S. Ignatius incitaturum ſe leones dixerit, quòd Apollonia in rogum ſe conjecerit, quòd Lucia trahi non potuerit jugulumque ultro obtulerit, &c. IX. Denique quòd Petrum Damianum vocet fabularum amantiſſimum, & addat ſuſpicari ſe fragmentum eſſe Actorum Andreæ à veteribus Hæreticis confictorum & interpolatorum, quæ ſunt hominis malè ſani ſomnia. Philaſtrius explicat qualia fuerint illa Acta, nimirum quæ in Itinere à Ponto in Græciam facta fuerunt, in quibus nulla mortis ejus paſſioniſve mentio. Neque quicquam in Epiſtola Presbyterorum Achajæ apparet quo Manichæiſmus ſtabiliri queat, in quem ſcopum collineabant hæretici illi Telchines. Sed quid demum in rebus humanis exploratum deinceps erit, ſi quæris fingere pro libito liceat, & permittantur omnia Ariolorum iſtorum ſuſpicionibus. Æqui autem bonique conſulant velim Lectores benevoli breve hoc ex Examine noſtro decerptum ἀποσπασμάτιον in quo & Patrologum Jenenſem ſimileſque fungos proteremus, qui in ea epiſtola muſſitant contineri quædam Idololatrica: Salve Sancta Crux &c.

SÆCULUM SECUNDUM

Ab anno Dom. 100. *ad* 200.

D *De S. Juſtino Martyre.* 150.

POST Apoſtolica tempora primus eorum, quorum ſcripta ad nos pervenerunt, videtur eſſe S. Juſtin. Philoſophus & Martyr. Floruit enim temporibus Antonini Pii, & ſucceſſorum ejus Marci Aurelii, & Lucii Veri, & in Apologia ad Imp. & Senatum, populumque Romanum, ſcribit numerari eo tempore annos 150. à Chriſti nativitate.

Opera ejus multa recenſentur ab Euſebio lib. 7. hiſt. cap. 17. & à S. Hieronymo in lib. de Script. Eccleſ. quorum operum aliqua non extant, & quædam etiam E extant, quorum illi non meminerunt. Hæc igitur Juſtini opera nunc feruntur. *Dialogus cum Triphone Judæo Epheſi habitus. Apologia ad Senatum Romanum. Apologia altera ad Imp. Antoninum Pium. Oratio Parænetica ad gentes. De Monarchia. Expoſitio fidei, ſive de recta confeſſione. Epiſtola ad Zenam & Serenum. Interrogationes, ſive quæſtiones poſitæ gentibus, & gentium ad eas reſponſiones, earumque refutationes. Interrogationes, ſive quæſtiones gentium poſitæ Chriſtianis; & ad eas reſponſiones. Refutatio quorumdam Ariſtotelis dogmatum.*

Et quidem de primis quinque libris, quorum Euſebius & Hieronymus meminerunt non videtur poſſe dubitari. Sciendum eſt autem Apologiam priorem, ut in noſtris libris habemus reipſa eſſe poſteriorem, & non ad Senatum datam, ut noſtri libri habent, ſed ad Marcum & Lucium Imperatoris Pii ſucceſſores, ut apertè colligitur ex Euſebio, & Hieronymo locis citatis: ſed fefellit noſtros, quia Apologia prior caret initio, & ideò non potuit cognoſci, ad quem, vel ad quos directa eſſet.

Liber de expoſitione fidei, ſive de confeſſione rectæ fidei cujuſcumque ſit, inſignis liber eſt, & Juſtino auctore dignus. Ambigo tamen, an ejus ſit, primò, quia veteres ejus non meminerunt. Secundò, quia ſtylus videtur eſſe diverſus à ſtylo Juſtini. Tertiò, quoniam multo apertius, & diſtinctius diſſerit de myſteriis Trinitatis, & Incarnationis, quàm Scriptores ejus ſæculi facere ſoleant.

De epiſtola ad Zenam & Serenum idipſum cenſeo.

De libro quæſtionum quinque Gentibus à Chriſtianis poſitarum, facilè judicari poteſt, eum librum non eſſe Juſtini; quòd in eo ſæpè fiat mentio Manichæorum, quos poſt mortem Juſtini exortos eſſe conſtat. Idem Judicium fieri poteſt de quæſtionibus 146. quas Gentes Chriſtianis poſuerunt: nam quæſt. 82. & 86. citatur Origenes, & quæſt. 115. citatur Irenæus, & martyr appellatur: cùm tamen Juſtinus utroque antiquior fuerit: nam ipſe etiam Irenæus lib. 5. Juſtinum Martyrem adducit, tamquam ſe antiquiorem.

De reprehenſione dogmatum Ariſtotelis, meminit

Photius

Photius in Bibliotheca; neque extat evidens indicium falsitatis, ideò nihil habeo quod dicam.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS JUSTINUS, Philosophus Christianus ex Flavia Neapoli Syriæ Palæstinæ urbe oriundus, patre Prisco, avo autem Bacchio, labente secundo Christi sæculo Romam venit ibique per aliquot annos commoratus instigante Crescente quodam Philosopho ἀφιλοσόφῳ καὶ φιλοκόμπῳ, cujus sæpè vitia arguebat & retuderat audaciam, pro Christi fide mortem oppetiit anno 163. vel Kalendis Junii ex Menologio Græcorum, vel 13. Aprilis ex Romani Martyrologii tabulis sub Rustico Præside, Marco Aurelio Antonino Philosopho & Lucio Vero Fratribus Augustis imperantibus. Nec desunt tamen viri pereruditi, qui Martyrium fecisse velint sub Antonino Pio, qui recessit anno Christianæ æræ 161. Quam in rem expectamus in dies doctissimas observationes V. E. Henrici Valesii (*a*) Parisini J. C. ad Historiam Ecclesiasticam Eusebii. Eum laudant Tatianus ejus quondam Discipulus, S. Irenæus lib. 4. adversus Hæreses cap. 13. & lib. 5. cap. 3. Metodius libro de Resurrectione, Eusebius in Historia & Chronico, S. Epiphanius in Panario ubi de Hæresi Tatiani, sanctus Hieronymus cap. 23. & ex eo Honorius Augustodunensis, Sophronius Hieronymiani Catalogi Græcus Interpres, ex quo Justini hujus & aliorum plurium elogia descripsit paucis dumtaxat immutatis Suidas, unde obiter arguas eorum sententiam qui Græcæ illius versionis auctorem Erasmum suspicati sunt, Anastasius Bibliothecarius in Historia Ecclesiastica, Photius P. Cl. Codice 25. & 231. ubi à Sofronio vel alio dicitur ὁμαρτυρικοῖς αἵμασι βεβαιώσας τὸ φιλόσοφον atque ex recentioribus Perionius Billius, Possevinus, Sixtus Senensis, Baronius, Lansselius Halloixius, Casaubonus, aliique.

Parisiensium editionum Greco-Latinam anni 1636. omnium, quantum arbitror perfectissimam hìc tibi repræsentabo.

Parænesis ad Græcos, Joanne Langio Silesio interprete: quem Hæretici Symystæ vocant in Lectione Patrum versatissimum.

Oratio ad Græcos, Henrico Stephano interprete.

Apologia quæ dicitur I. cùm verè sit secunda, sive, *Defensio pro Christianis* de S. P. Q. R. atque Imperatores Augg. Successores διαδόχους Antonini Pii M. Antoninum & Lucium Verum: de qua Euseb. Hieron. ac Photius, sunt tamen ut dixi qui vivente Pio anno circiter 150. Scriptam velint Joannes Langus interpretatus est.

Apologia II. quæ verè dicenda est prima *pro iisdem Christianis Defensio ad Antoninum Pium Imp.* De ea Eusebius in Chronico ad annum Christi 141. Olymp. 230. primum: Justinus Philosophus librum pro nostra religione conscriptum Antonino Pio Imp. reddidit, & alii supra memorati.

De Monarchia Dei, eodem interprete, quem Joachimus Perionius revocare voluit in dubium reclamantibus tum stylo, tum Eusebio, Hieron. Photio & Suida.

Aristotelicorum quorumdam dogmatum eversio ad Paulum Presbyterum, eodem interprete. Qui liber suspectus est Baronio an. 1651. Possevino, Sylburgio, & quibusdam aliis: licèt de eo loquutus videatur Photius, & Bellarminus asserat nullum se in eo deprehendisse indicium falsitatis, cui ego libens subscribo.

Quæstiones quinque ad Græcos cum Græcorum responsione, & Responsionis illius confutatione nec non confutationis appendice, qua & Aristotelis, & aliorum Philosophorum dogmata quædam refelluntur, eodem interprete. Rejiciunt iidem Possevinus atque Sylburgius, cum

(*a*) Bellarm. de Script. Eccl. Tom. VII.

A Scultero, Riveto, eorumque gregalibus tum ratione styli, tum quod sæpissimè Manichæi nominentur, qui fuerunt centum annis posteriores Justino. Saltem ergo fatendum ab aliquo juniori fuisse interpolatas.

Quæstiones græcanicæ ad Christianos, de Incorporeo, de Deo, de Resurrectione mortuorum cum responsione Christiana ad illas quæstiones. Justini non esse plurimi tum orthodoxi, tum Heterodoxi existimant tum ob styli diversitatem, tum quod Manich. meminit.

Dialogus cum Triphone Judæorum, ut loquitur Hieronymus, Principe Ephesi per biduum pro Christiana religione habitus, eodem interprete. In eo fatetur se Philosophos audivisse Pythagoricos, Platonicos, Peripateticos, Stoicosque, promittitque se uberiorem de eodem argumento Tractatum editurum, quem præstiterit, necne ignoramus: certè nondum in lucem prodiit, ut

B neque *Psaltes*, nec liber *de anima*, *neque volumen contra omnes hæreses, neque libri contra Marcionem*, neque epistola ad Papam scripta, quorum vel ipse, vel Irenæus, Eusebius, Hieronymus, Honorius aliique meminerunt.

Expositio Fidei de recta confessione, sive, *de sancta & consubstantiali Trinitate Deitatis* eodem interprete, Bellarminus, Sylburgius, Scultetus, Perionius, Socin. Petavius, Tomo 11. Theol. Dogmatum, aliique ab aliquo Justini ætate posteriore, qui post annum 450. vixerit conscriptam volunt. Nec refert Leontius Hierosolymitanus, & Euthymius Zigabenus eam Justini

C γνήσιον opus agnoverint: cujus loca post epist. ad Zenam descripta habentur.

Responsio sive solutio Quæstionum ac dubitationum 146. *ad Orthodoxos*, eodem interprete. Ejus haud dubiè meminit Photius, citato loco ἔτι δὲ ὑπορίων κατὰ τῆς εὐσεβείας κεφαλαιώδεις ἐπιλύσεις: denique *solutiones summariæ Dubitationum adversus Religionem Christianam.* Illi verò accidit quod ejusdemmodi libris solet evenire, ut ab amanuensibus, aut viris etiam eruditis, sed ætate posterioribus, multa consimilia hinc inde collecta inserantur. Hinc fit, ut quæstionibus, 82. 86. 115. & aliis citentur Irenæus, Origenes, aliique Justino ætate inferiores. Plura Joannes Azorius, Possevin. Bellarm. Syll. Scultetus, & alii tum Orthodo-

D xi, tum Heterodoxi post Sixtum Senensem cujus hæc exscribenda duxi. Creditur etiam esse auctor cujusdam libri qui prænotatur Centum & quadraginta sex Quæstiones, quas Gentes ex variis locis utriusque Testamenti Christianis objiciebant. Hunc Joachimus Perionius Benedictinus Latinè vertit. Sed cùm in ejusdem libri quæst. 82. 86. & 115. citentur Irenæus, & Origenes longè eo posteriores, alterius auctoris oportet esse opus. Stylus non est absimilis à quæstionibus Theodoreti in Octateuchum. Hæc ille. *Epistola ad Diognetum parænetica*, Henrico Stephano interprete, in qua dicit se Apostolorum fuisse discipulum, & Gentium esse Doctorem.

E *Ethica ad Zenam & Serenum epistola de vita Christiana*, Joanne Lango interprete. De ea non secus ac de Expositione Fidei dubitat Bellarminus.

Brevis omnium, qua notarum, qua calumniarum, quæ ab Isaaco Casaubono in Exercitationibus adversus Illustrissimum Cardinalem Baronium Justino Martyri inuruntur Disputatio, auctore Petro Lansselio Gravelingano, Soc. JESU Theologo.

In Justini opera Annotationes Frederici Sylburgii, necnon ex Joachymo Perionio, & Jacobo Billio.

Accesserunt corollarii loco Athenagoræ, Theophili Patriarchæ Antiochèni, Tatiani Assyrii, & Hermiæ quæ supersunt adversus Gentiles opuscula, quæ ex Appendice Græco-Latina ad Bibliothecam Veterum Patrum Parisiensem anni 1624. opera R. P. Frontonis Ducæi concinnata securiùs repetas. Poteram quidem de versione Latina Perionii, & Sigismundi

Gelenii aliorumque editionibus nonnihil adjungere, sed quæ dicta sunt videntur pro instituti nostri ratione etiam plus satis.

(*a*) Ex iis vulgatis postea nonnulla delibabo, quæ ad Justinum nostrum spectare videbuntur. I. Eusebium in citandis S. Justini Apologeticis alium ordinem sequutum esse quàm vulgatæ editiones: ac primum vocare qui vulgo dicitur secundus, ac vicissim. II. Scaligerum errasse dum in Animadversionibus Eusebianis docuit secundum Justini Apologeticum cujus meminit Eusebius cap. 16. libri IV. hodie non extare. Ex eo enim qui M. Aurelio Antonino oblatus est insignem locum affert adversus Crescentem Cynicum Philosophum. III. Apologeticum illum, qui verè prior censeri debet, non M. Aurelio Antonino, ut cum Eusebio capitibus 16. & 18. libri IV. doctissimi quique arbitrati sunt, sed potius Antonino Pio ejus decessori nuncupatum fuisse. Nam initio Apologetici ait Justinus mulierem illam Christianam cùm à viro accusata esset dedisse libellum Imperatori *σοὶ τῷ αὐτοκράτορι*, non *ὑμῖν τοῖς αὐτοκράτορσιν*, ut dixisset si successoribus Antonini Pii dicatus fuisset. Secundò Scribit Justinus Lucium quemdam, cùm Ptolomæum Christianum ad supplicium duci videret, his verbis judicem compellasse: *ὐ πρέποντα εὐσεβῆ αὐτοκράτορι, ὐδὲ φιλοσόφῳ, καίσαρος παιδί*. Apud Eusebium in cap. 17. libri 4. rectius legitur *ὐδὲ φιλοσόφῳ*, quam lectionem mss. codices confirmant, &c. Adde quod Urbicus ille Præfectus, cujus ibidem meminit Justinus, vixit sub Antonino Pio. Is enim est Lollius Urbicus, qui Legatus Imperatoris Britannos compescuit, ut refert Capitolinus in vita Antonini. Eum Præfectum urbis fuisse imperante Pio docet Apulejus in Apologia sub initium, &c. IV. Apologeticum qui dici debet posterior, licèt in vulgatis editionibus antecedat, & inscribitur ad Senatum Romanum, ipsi quoque Antonino Pio oblatum fuisse, quem non semel alloquitur in ea oratione, ut pluribus demonstratur adversus Halloixium. V. Ex iis omnibus colligi posse Justinum sub Antonino Pio, non autem sub Marco fecisse martyrium. Nullam enim aliam causam habuit Eusebius cur in tempore Marci Aurelii conferret, nisi quod unum ex Apologeticis Marco dedicavit, quem constat Pio fuisse nuncupatum. Quidquod Eusebius ipse in Chronico eumque secutus Syncellus, Justini martyrium temporibus Antonini Pii videtur adscribere. Atque ita disertè ponit Michael Glicas in Annalibus. Hæc pluribus leges in Eusebianis illis Annotationibus.

De Melitone. 150.

SANCTUS MELITO Sardensis Episcopus M. Aurelii Imp. tempore floruit; cui etiam Apologiam pro Christianis obtulit, ut refert Eusebius lib. 4. hist. cap. 25. Multa scripsit, quorum fragmenta extant apud Eusebium loco notato. Inter quæ fragmenta continetur *Catalogus librorum Testamenti veteris*, in quo liber Sapientiæ tribuitur Salomoni: & hic solus liber recensetur à Melitone ex iis qui in Hebraicis codicibus non habentur: ut etiam solus liber Esther omittitur ex iis, qui sunt in Hebræo.

Tributur etiam Melitoni *liber de transitu B. Virginis* qui extat in 7. tom. Bibliothecæ sanctorum Patrum, edit. 2. sed indignus liber est, qui tanto viro tribuatur.

Dissertatio Historica.

MELITO ASIANUS Sardium in Lycia Minoris Asiæ Provincia Episcopus Marco Aurelio Antonino Imp. Apologiam pro Christianis tradidit, inquit Eusebius in Chronico anno olymp. 237. secundo, Christi 170. & lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 25. S. Hieronymus cap. 24. Catalogi, ubi primo loco duos ejus de Paschate libros memorat & laudari à Tertulliano elegans, & declamatorium ejus ingenium testatur, ut Theodoretum, & Gennadium cap. 4. de Ecclesiasticis dogmatibus, aliosque iis recentiores omittam, ac præsertim Petrum Halloixium nostrum qui fragmentum verorum ejus operum collegit, ac nominatim, quæ ad Onesimum scripsit de Sacris Scripturis &c.

In suppositum tanto viro librum pseudepigrafum De Transitu B. Mariæ Virginis, qui habetur Latinè dumtaxat in Bibliothecis Veterum Patrum Coloniensi, & Parisiensibus censuram exercuit Gelasius Papa cap. Sancta, Dist. 15. apud Gratianum cùm inter Apocrifa rejecit libellum qui appellatur *Transitus* id est *Assumptio S. Mariæ*. In eumdem acriùs invehitur Ven. Beda Retractationum in Acta cap. 8. ac recentiores plerique viri docti Trithemio in censendis Veterum Scriptorum Tractatibus accuratiores, Baronius an. 48. & 172. Sixtus Senensis, Franc. Suarez, Joannes Maria Brasichellanus, qui monet in Hispanico Indice juberi, ut expungantur omnia à cap. 8. usque ad finem operis, & alii, ut Heterodoxos Criticos omittam, qui sua decreta à Catholicis mutuari solent.

In codice ms. membraneo nomen ejusdem præfert *Clavis Scripturæ* (Eusebius inter cætera Melitonis scripta recenset *τὴν κλεῖδα*, & S. Hieronymus in Catalogo librum qui Clavis inscribitur, haud multum diversa à Formulis spiritualis intelligentiæ quæ inter opera S. Eucherii annumerantur.

De ejusdem libro *περὶ ἐν σωμάτῳ Θεοῦ* vide quid Petavius lib. 2. cap. 1. Theolog. Dogmatum referat ex Origene apud Theodoretum quæstione XX. in Exodum. (*a*)

(*a*) Eusebius libri 5. Historiæ cap. 24. ex Polycratis epistola ad Victorem Papam, Melitonem hunc *τὸν εὐνοῦχον* vocat, *τὸν ἐν ἁγίῳ πνεύματι πολιτευσάμενον, ὃς κεῖται ἐν Σάρδεσι περιμένων τὴν ἀπὸ τῶν ὀυρανῶν ἐπισκοπὴν, ἐν ᾗ ἐκ νεκρῶν αὐαστήσεται*. Videndus quoque S. Hieronymus in Catalogo V. Polycrates. Idem Eusebius ex libris Melitonis, quos nemini ignotos esse asserit, citat libros de Pascha, Excerpta sive Eclogas ex sacris Scripturis, & Apologeticum, quem V. C. Henricus Valesius in Notis colligit post obitum Lucii Aurelii Veri scriptum fuisse si eo superstite prodiisset pro verbis illis *μετὰ τοῦ παιδὸς* dixisset omninò *μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ*, cùm Lucius frater adoptivus Marci Antonini fuerit. Addidit quoque ex Chronico Alexandrino Epistolam ad Commune Asiæ datam, quæ extat cap. 13. libri IV. non ab Antonino Pio, ut Eusebius censuit, sed à Marco fuisse missam, qua vetabat, ne quis imposterum Christianos religionis suæ causa calumniaretur. Quòd si Marcus Antoninus Melitonis aliorumque Christianorum Antistitum supplicationibus permotus id præstitit, dicendum profectò est eam, non anno ejus Imperii primo Tribunitiæ potestatis 15. sed anno demum decimo post Lucii obitum conscriptam fuisse, quo Apologeticum illum elucubratum esse conjuncta Eusebiani & Alexandrini Chronicorum auctoribus persuadet. Verùm cùm Epistola in titulo disertè annum Tribunitiæ potestatis XV. Consulatum verò tertium designat, atque in fine capitis ipse Melito Sardensis Ecclesiæ Episcopus tamquam hujus epistolæ testis laudetur in Apologetico illo longè utilissimo, quem ad Imp. pro religione nostra conscripsit, dubitationi nullus debet esse locus, quin epistola ad Commune Asiæ Apologeticum præcesserit, in quo erravit auctor Chronici Alexandrini, qui eodem anno utriusque meminit. In fine lege quæstione sive interrogatione XX. in Genesim, non in Exodum, ut nescio quo pacto irrepsit.

De

De Athenagora. 155.

ATHENAGORAS æqualis Justini fuit, & insignem *Apologiam pro Christianis scripsit, & Impp.* Marco Aurelio Antonino & Aurelio Commodo obtulit; quam sub nomine Athenagoræ citat sanctus Epiphanius in hæresi Origenis, ubi refert verba Procli ex Methodio.

Scripsit etiam *librum de Resurrectione:* utrumque opus extat tom. 9. Bibliothecæ sanctorum Patrum edit. 2. & suspicione caret. Mirum autem est, cur Eusebius diligentissimus scriptorum investigator hujus auctoris non meminerit.

Quod autem S. Hieronymus hunc scriptorem omiserit, non est adeò mirum, cùm satis constet, catalogum sancti Hieronymi ex historia Eusebii esse desumptum, quoad illos scriptores, qui Eusebium præcesserunt.

Dissertatio Historica.

ATHENAGORAS Atheniensis, Philosophus Christianus & Presbyter, vixit sæculo Christi secundo, legationemque suscepit pro Christianis inter annum 165. quo Peregrinus Philosophus in ardentem pyram se dedit præcipitem in Ludis Olympicis, & annum 170. quo Lucius Verus Imperator Julio mense inter Concordiam, & Altinum periit. Non Desunt tamen qui anno dumtaxat 177. oblatum librum illum Imperatoribus afferant, cujus meminit quidem Sanctus Epiphanius in hæresi Origenis, sed omiserunt Eusebius atque Hieronymus.

Apologia pro Christianis ad Imperatorem Marcum Aurelium Antoninum, ejusque non ut plerique sentiunt, filium Commodum, sed fratrem adoptivum, Imperiique consortem Lucium Annium Verum, Conrado, Gesnero, necnon Jusfrido Petro Leovardiensi, interpretibus sæpè prodiit, non secus ac ejusdem.

Liber de Resurrectione mortuorum, Petro Nannio Alcmariano & Henrico Stephano Parisiensi interpretibus. Latinè occurrent in Coloniensi, atque in prioribus Parisiensibus Veterum Patrum Bibliothecis, Græcè verò atque Latinè in Auctario Parisiensi anni 1624. Studio R. P. Frontonis Ducæi Soc. JESU, qui etiam peculiares notas adjecit. Cur verò à postrema Morelliana exulent prorsus ignoro, nisi quod fortè consultius visum fit illius editionis curatoribus quiqui tandem illi fuerint, duo illa Athenagoræ opuscula omittere, quæ cum S. Justini, Theophili & Tatiani operibus fuerant jam separatim excusa.

Supplementum.

ATHENAGORAS Atheniensis, Philosophus Christianus & Presbyter vixit sæculo Christi secundo, legationemque suscepit pro Christianis inter annum 165. quo Peregrinus Philosophus in ardentem pyram se dedit præcipitem in Ludis Olympicis, & annum 170. quo Lucius Verus Imperator Julio mense inter Concordiam & Altinum periit. Non desunt tamen qui anno dumtaxat 177. oblatum librum illum Imperatori afferant, cujus meminit quidem S. Epiphanius in hæresi Origenis, licèt omiserint Eusebius atque Hieronymus. *Apologia pro Christianis ad Imperatorem Marcum Aurelium Antoninum: ejusque* (non ut plerique sentiunt) *filium Commodum, sed fratrem adoptivum Imperiique consortem Lucium Annium Verum*, Conrado, Gesnero, & Jusfrido Petro Leovardiensi Interpretibus, sæpè prodiit, non secùs ac ejusdem *Liber de Resurrectione Mortuorum*, Petro Nannio Alcmariano, & Henrico Stephano interpretibus, occurrent Latinè in

A Coloniensi atque in prioribus Parisiensibus veterum Patrum Bibliothecis: Græcè verò atque Latinè in fol. Parisiis anno 1615. cum Divi Justini operibus, itemque in Auctario Parisiensi Bibliothecæ SS. Patrum anni 1624. studio Frontonis le Duc Soc. Jesu, qui etiam peculiares eis notas adjecit. *Apologia pro Christianis* mſ. Exemplar extat in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis Monachii num. 149. Item *libri de resurrectione mortuorum* mſ. Exemplar in Bibliotheca Catholici Hispaniarum Regis Scoriacensi, mſ. operis utriusque in Regia Galliarum, quam consule.

De S. Theophilo. 170.

B SANCTUS THEOPHILUS Episcopus Antiochenus, sextus ab Apostolo Petro, vixit tempore M. Aurelii Imp. & sub Commodo ejus filio obiit, teste Eusebio in Chronico. Scripsit multa, teste S. Hieronym. lib. de Script. Eccles. sed nunc extant in 1. tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum secundæ editionis, *commentaria in quatuor Evangelia: & libri tres ad Autolycum adversus Christianæ Religionis calumniatores.*

Dissertatio Historica.

THEOPHILUS, Sextus Antiochensis Ecclesiæ Episcopus, ut sanctus Hieronymus cap. 25.
C Catalogi docet, sub Imp. Marco Antonino Vero librum scripsit adversus Marcionem & alia. Idem in suo ad Matthæi Evangelium Prologo meminit Commentariorum Theophili in Evangelia, & in epistola ad Algasiam quæ à quibusdam dicitur Homilia de Villico iniquitatis. De eodem Eusebius libro 4. Historiæ cap. 19. & 23. & in Chronico anno Christi 168. Olymp. 236. 4. Honorius Augustodunensis libello 1. cap. 26. Zacharias Chrysopolitanus in Præfatione ad Monotessaron his verbis: Ad hæc pater Hieronymus in homilia de Villico iniquitatis introducens Theophili expositiones, hanc ejus laudem adjecit: Theophilus Antiochenæ Ecclesiæ septimus Episcopus post Petrum Apostolum, quatuor Evan-
D gelistarum in unum opus dicta compingens ingenii sui nobis monimenta dimisit; Guillelmus Tyrius libri 4. Historiæ Belli sacri cap. 9. Trithemius qui perperam ait ordinatum fuisse in Episcopum anno Christi 173. Indictione XI. sunt quoque è recentioribus, qui obiisse velint die 13. Octobris anni 180. cùm sedisset annis tredecim. Vide Baronium, Halloixium, similesque cum Romano Indice Expurgatorio Joannis Mariæ Brasichellani, ubi rectè ex temporum ratione refelluntur, qui ad hunc Theophilum censuerunt Evangelium suum scripsisse sanctum Lucam.

Libri tres ad Autolycum de Fide περὶ τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως ut fert titulus in codicibus Græcis mſſ. *adversus calumniatores Christianæ Religionis*, cujus elementa
E & quasi seminaria teste Eusebio complectuntur, Græcè & Latinè interprete Conrado Clausero prodierunt Tiguri apud Froschoverum anno 1546. in folio cum Maximi & Antonii locis Communibus Melissa inscriptis, & Basileæ 1555. inter Orthodoxographa: ac deinde Tomo I. Auctarii GL. Bibliothecæ Veterum Patrum anno 1624. procurante R. P. Frontone Ducæo Soc. Jesu. Fuit quoque posteà cum Justino, Athenagora, & Tatiano separatum in volumen inclusus noster hic Theophilus.

Commentariorum allegoricorum in IV. JESU CHRISTI *Evangelia Libri totidem* Latinè extant in Bibliothecis Veterum Patrum. Meminerit autem Lector hos, aliosque in Parabolas Salomonis Commentarios, sancto Hieronymo non fuisse visos congruere cum aliorum voluminum phrasi atque elegantia.

Neque tamen inde censeant Heterodoxi omnino rejiciendos esse, cùm ab antiquo ac primævæ ætatis scriptore fuerint elucubrati, licèt nomen ejus jam ab ipsius Hieronymi ætate Ecclesiæ Catholicæ fuerit ignotum Edmundus Aubertinus pag. 368. editionis Latinæ monendos censuit lectores S. Cypriani verba ex ep. 6. lib. primi, quæ est ad Magnum, eadem extare in Com. in Evang. huicce Theoph. tributis, indeque evidenter patere alterius esse junioris Cypriano. Addit Victorem Antiochenum notare neminem ante se in Marcum Scripsisse. Verùm hoc argumentum auctoritate Hieronymi eliditur.

De Tatiano. 170.

TATIANUS S. Justini auditor, scripsit *infinita volumina*, ex quibus (inquit S. Hieronymus de Script. Eccl.) unus contra Gentiles florentissimus extat liber, qui liber nuper est inventus, & editus in quarto tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum secundæ editionis. Porrò Tatianus post martyrium S. Justini à fide Catholica defecit, & in superbiam elatus hæresiarcha factus est.

Dissertatio Historica.

TATIANUS, natione Assyrius, sive Syrus, S. Justini Philosophi & Martyris auditor, post magistri sui obitum pro Christi fide mortem, in hæresim sui nominis lapsus, obiisse jam videtur ab anno circiter Christianæ æræ 175. cùm S. Irenæus Lugdunensis Antistes libros adversus hæreses scriberet. Eusebius in Chronico hæc habet anno Christi 172. Olymp. 237. 4. Tatianus Hæreticus agnoscitur, à quo Encratitæ de eodem Historiæ suæ libris 4. & 5. sæpius, Irenæus libro 1. cap. 30. Tertullianus de Præscriptionibus cap. 52. Clemens Alex. lib. 3. Stromatum & libro 2. Pædagogi cap. 2. ad finem, Origenes libro primo contra Celsum Epicureum, S. Epiphanius hæresi 46. Philastrius in libro de Hæresibus, SS. Augustinus & Damascenus in Tractatibus de Hæresibus, Theodoretus libro 1. fabularum hæreticarum, & alii. S. Hieronymus cap. 29. Catalogi docet infinita scripsisse volumina, è quibus unus contra Græcos, (hoc est Ethnicos) florentissimus extat liber, qui inter omnia ejus opera fertur insignis.

Oratio adversus Græcos quòd nihil eorum quibus gloriantur studiorum apud ipsos natum, sed omnia à Barbaris inventa sunt, interprete Conrado Gesnero Tigurino sæpius ædita est Græcè & Latinè, tum seorsim, tum Tomo I. Auctarii Græco-Latini Bibliothecæ Veterum Patrum anno 1624. publicati. Monet Joannes Maria Brasichellanus utcumque laudetur à multis, cum judicio & cautè legendam, cùm in ea nonnulla reperiantur, in quæ lector pius possit, ni moneatur, impingere.

Quæ Ammonio in Bibliothecis Veterum Patrum, tribuitur *Harmonia quatuor Evangelistarum* παραφραστικῶς scripta, & *Diatessaron* dicta, ea est Tatiani, qui teste Theodoreto Genealogias & alia resecuerat, quæ ad Christi Domini naturam humanam Davidis stirpe promanantem adstruendam spectabant. Vide Baronium ad annum 174. Possevinum, Jo. Mariam Brasichellanum supra memoratum, & quæ dicemus suo loco V. Ammonius. Irenæus libro I. adv. Gnosticos cap. 31. Tatianus conglutinationem quamdam & conciliationem, quam etiamnum quidam circumferunt, Evangeliorum nescio quomodo structam Diatessaron nominavit. Dicunt autem quidam eum ausum esse Apostoli verba metaphrasticè transformare, &c. quæ apud ipsum per otium leges. (a)

Zacharias Chrysopolitanus, ut ferunt, Episcopus, A ignorasse videtur superstitem fuisse Tatiani Concordiam illam, dum hæc in sua ad Monotessaron Ammonii Præfatione, quæ dicitur tertia, scriberet non prætermittenda: Tatianus etiam vir eruditissimus & eleganti eloquentia præditus cujus commendationem B. Hieronymus in libro de Illustribus Viris non tacuit, & unum ex quatuor (ut Ecclesiastica narrat Historia) compaginavit Evangelium & magnificos contra Gentes libros edidit. Hic B. Justini Philosophi & martyris dum adhuc viveret discipulus fuit: deinde verò doctrinæ supercilio elatus ad hæreses convolavit. Sanè hujus Hæresiarchæ si superesset opus Evangelicum, quod sancti Justini Mart. lateri adhærens fortassis explicuit, in eo Domini JESU verba B diligenter amplecti, securè legere, ovibus ejus vocem cognoscentibus nihil prohiberet. Nam sicut Sacramenta sine sui corruptione participantur & à malis; sic veritatis verba, sive dicta, sive facta, ab hæreticis suo proprio tenore minimè privari possunt. Quo fit quòd Origenis errorum perversitas, ejus studium in qua parte claruit, nequaquam decoloravit. Vitæ quoque Salomonis enormitas, ejus imò Dei in eo sapientiam nullatenus obnubilavit, &c.

(a) Multa de Tatiani professione antequam Christo nomen daret congerit Henricus Valesius pag. 76. Annotationum in Eusebii Historiam Ecclesiasticam & pag. 84. hæc de ejus Harmonia observat: De hoc Tatiani Evangelio sentit B. Ambrosius in procemium C Lucæ cùm ait de Hæreticis. *Plerique etiam ex quatuor Evangelii libris in unum* ea quæ venenatis putaverunt assertionibus convenientia reserserunt. Cæterùm quod Baronius observavit opus hoc Tatiani quod διατεσσάρων vocabatur, hodie extare in Tomo 7. Bibliothecæ Patrum diligentius inquirendum est: ego certè re attentiùs examinata tandem deprehendi opus illud quod post Ammonii harmoniam editum esse dixi, longe differre ab Evangelio Tatiani. Quippe opus illud, sicut Lectio ipsa indicat, nihil aliud est quàm paraphrasis quatuor Evangeliorum, seu potius epitome eleganter conscripta ab homine Catholico. At Evangelium Tatiani ipsismet Evangelistarum verbis contextum fuit, resectis dumtaxat iis quæ ad Davidi- D cam Christi genealogiam spectant. Præterea in opere illo quod editum est, Christus filius David dicitur non semel. Denique tres anni prædicationis Christi in illo opere distinguuntur: cùm veteres annum dumtaxat unum prædicationi Christi tribuerint. Hæc ille vir doctissimus.

De Egesippo. 177.

EGESIPPUS æqualis Justini, & Athenagoræ fuit, ut ex Eusebio lib. 4. histor. cap. 21. & S. Hieronymo in lib. de Script. Eccles. perspicuum est. Scripsit *historiam Ecclesiasticam* usque ad suâ tempora, idest, usque ad Aniceti Pontificatum. Hujus E historiæ meminerunt Eusebius & S. Hieronymus locis citatis, in quibus fragmenta historiæ ejusdem leguntur. Nunc non extat. Libri verò de excidio Hierosolymæ, qui sub nomine Egesippi circumferuntur; aut alterius Egesippi recentioris, aut suppostitii sunt. Certè ex lib. 3. cap. 5. colligitur, post Constantini tempora libros illos fuisse conscriptos.

Dissertatio Historica.

HEGESIPPUS, sic enim rectius scribunt, quàm absque aspiratione Egesippus, vixit sub Marco Antonino Imper. ab anno plus minùs æræ Christianæ 165. ad 180. Romæ conversatus est sub summis Pontificibus Aniceto, Sotero, & Eleuthero, qui Aniceti quondam Diaconus fuerat, ad quem Historiam

riam libris quinque diſtinctam à Paſſione Domini uſque ad ſuam ætatem Eccleſiaſticorum actuum texens Hiſtorias, multaque ad intelligentiam legentium hinc inde congregans, compoſuit ſermone ſimplici, ut quorum vitam ſectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. De eo plura Euſebius libro 2. cap. 22. libro 3. cap. 27. libro 4. capp. 20. 21. 22. & alibi ſæpè, ut ex Halloixio diſces fragmentorum ejus ſedulo collectore, ſanctus Hieronymus cap. 22. Catalogi, Photius cod. 262. & alii plerique tum Orthodoxi, tum ex Heterodoxis Eccleſiæ Catholicæ deſertoribus, Joſ. Scaliger in notis ad Euſebii Chronicon, Chamierus Tomo II. & III. Panſtratiæ &c.

Circumferuntur præfixo Hegeſippi (quem ex Joſippo formatum quidam ſuſpicantur) nomine, *libri quinque de Bello Judaico, & excidio Urbis Hieroſolymitanæ ſub Tito Veſpaſiani Imp. filio*, quos lector cum Hiſtoria Patrum à Laurentio Barreo editos, necnon Bibliothecis Veterum Patrum inſertos à Margarino Bignæo: ſeorſim quoque tum Cornelii Gualtheri Gandenſis, tum aliorum opera vulgatos reperiet. De his autem hæc paucis accipe.

I. Errare, qui cum Hegeſippi libris quinque Actuum Apoſtolicorum confundunt: in iis enim non res Eccleſiæ tractantur, ſed de geſtis dumtaxat Judæorum agitur à temporibus Machabæorum uſque ad ruinam Urbis Templique ſancti, & in pleriſque purum putum Joſephi Judei compendium eſt. Adde quòd, ut mox dicemus, hic Pſeudo-Hegeſippus poſt Conſtantini tempora vixiſſe convincitur.

II. Non improbabilem videri Joannis Frederici Gronovii & quorumdam aliorum conjecturam, qui S. Ambroſium auctorem illorum librorum cenſent, (neque enim veriſimile eſt quod cum Salmerone noſtro quidam ſcripſerunt, fuiſſe tantùm ex Græco ſermone interpretem) aut certè fatendum illum, quiſquis tandem eſt, Pſeudo-Hegeſippum eadem Ambroſio ætate vixiſſe, ejuſque verba ac ſententias ſtudioſiſſima æmulatione ſublegiſſe. Nec enim ovum ovo ſimilius.

III. Non ætate dumtaxat Nicephori Phocæ circa annum 968. floruiſſe, ut levi admodum conjectura perſuaſi docuerunt Ger. Jo. Voſſius & ex eo tacito tamen ejus nomine Miræus aliique, ſed pluribus antè ſæculis: quod vel ipſa ratio ſtyli abundè demonſtrat. Plura de his nuper Gronovius in Monobiblo obſervatorum in ſcriptoribus Eccleſiaſticis Daventricæ anno 1651. excuſo. De eo quoque videndi Baronius annis 72. & 167. Bellarminus, ejuſque Defenſor Gretſerus, quem immeritò ſuggillatum à Riveto oſtendemus in Examine. (*a*)

(*a*) Illis adde Petavium adverſus Scaligerum diſputantem ad hæreſim 78. Epiphanii, & Henricum Valeſium in nuperis Annotationibus ad Euſebii Eccleſiaſticam Hiſtoriam, qui obſervat Auctorem Anonymum Chronici Alexandrini mortem Hegeſippi collocaſſe ſub Commodo, ideoque ab anno 181. ad 192.

De S. Irenæo. 180.

SANCTUS IRENÆUS Epiſcopus & Martyr, Commodo Imperatore & Eleuthero vixit: & tempore Severi Imp. martyrium conſummavit, ſcripſit multa; ſed ad nos non pervenerunt, niſi quinque libri adverſus Valentinum, qui pleni ſunt doctrina, & pietate. Ambigunt nonnulli, Græcène an Latinè ſcripſerit; quoniam non inveniuntur ejus libri, niſi Latinè conſcripti: & tamen ipſe natione Græcus erat, & S. Polycarpi diſcipulus, & phraſis ejus Græciſmum redolet. Sanctus Hieronymus libro 11. in Ezechielem, explanans cap. 36. Ezechielis, apertè Irenæum inter Scriptores Græcos numerat: & in lib. de Scriptorib. Eccleſ. in Tertulliano, dicit Tertullianum eſſe primum Latinorum poſt Apollonium, & Victorem, quorum uterque Irenæo poſterior eſt.

Dissertatio Historica.

SANCTUS IRENÆUS, vir Apoſtolicorum temporum, à S. Polycarpo Smyrnæorum Antiſtes, cujus in juventute fuerat auditor, cum pluribus aliis in Gallias miſſus Lugduni ſubſtitit, ubi Pothinus dictus vulgò Photinus, Gallicanam regebat Eccleſiam, poſt cujus glorioſam mortem à Martyribus in carcere adhuc detentis miſſus eſt Romam ad Eleutherum Pontificem. Unde reverſus eidem Photino cum aliis pluribus ob Chriſti fidem martyrio coronato ſucceſſor anno 178. aut ſequenti datus cùm præfuiſſet annis 23. paſſus eſt die 28. Junii Severi Imperatoris anno nono, Chriſti 201. cum omni ferè civitatis ſuæ populo. Baronius in annum Chriſti 205. rejicit: Blondellus verò annum Severi quintum præfert Chriſti 191. De eo Tertullianus adverſus Valentinianos ubi eum Juſtino & Miltiadi jungens omnium doctrinarum curioſiſſimum exploratorem appellat, Euſebius libro Hiſtoriæ 5. per plura capita & in Chronico ad annum Chriſti 181. & 196. S. Baſilius cap. 29. libri de Spiritu Sancto, S. Epiphanius in Panario hæreſi 31. ubi 27. libri primi capita ὁλοσχερῶς deſcripſit, Theodoretus dialogo primo φωστῆρα Γαλατῶν τῶν Ἑσπερίων dicit, S. Hieronymus cap. 35. Catalogi epiſt. 29. ad Theodoram viduam explanationibus in caput 36. Ezechielis, in caput 64. Eſaiæ, &c. S. Auguſtinus lib. 1. adverſus Julianum Viennenſem Epiſcopum, qua reſcribit ſancti Irenæi neque opera neque geſta reperire potuiſſe, Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſtoriæ cap. 27. & lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 5. S. Joannes Damaſcenus in Parallelis, Uſuardus, & Ado in Martyrologiis, Photius codice 120. ut recentiores omittam. Ex omnibus ejus operibus quæ recenſet Euſebius atque Hieronymus, ſuperſunt tantùm hoc tempore, præter epiſtolam ad Florinum hæreticum quam exhibet Euſebius, in qua multa de S. Polycarpo ſuo magiſtro. (*a*)

Libri quinque adverſus Valentini & aliorum ſuo tempore graſſantes hæreſes εἰ ἔλεγχον καὶ ἀνατροπὴν τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, ad refutanda Gnoſticorum vaniſſima dogmata, ſub Eleuthero Pontifice, cujus meminit libri 3. cap. 3. Græco idiomate conſcripti. Vapulat enim ab eruditis omnibus Deſiderius Eraſmus, qui Latinè ſcripſiſſe autumavit, quam ejus ἀβλεψίαν Beatus Rhenanus, & alii refutarunt, ut mihi non ſit neceſſe actum modò agere. Extat dumtaxat Latina verſio valde antiqua (neque enim veriſimile eſt, quod quidam cenſuerunt, ab ipſomet Irenæo fuiſſe elaboratam) ſæpius typis mandata tum cura ejuſdem Deſiderii Eraſmi, tum maximè ex recenſione & annotationibus eruditiſſimis Franciſci Fevardenſii Ordinis Minorum Doctoris Theologi, cujus prima editio Pariſienſis anno 1575. nullatenus comparanda eſt cum altera, quæ ſecundis curis prodiit Coloniæ anno 1596. cum fragmentis Græcis pluribuſquæ aliis Lectorum ſubſidiis. Nec omittendæ Appendices R. P. Frontonis Ducæi ad 18. capita libri primi, & obſervationes ſacræ Jacobi Billii Prunæi, quæque ex variis hinc inde collegit Poſſevinus. Plura nos quoque adverſus Centuriatores Magdeburgenſes, Nicolaum Gallaſium Genevenſis Synagogæ Miniſtrum qui Irenæi ſcripta anno 1570. emiſit, Abrahamum Sultetum, ſimileſque Hæreticos, ſed præcipuè Rivetum bipedum nequiſſimum, qui priſtinæ Apoſtolorum Patrumque doctri-

doctrinæ retinentissimos Baronium & Possevinum hæreticos appellare, & de Catholicæ Fidei fortissimo Vindice hæc ausus est effutire. Caveant ab illis editionibus, quas impudentissimus ille Monachus Fevardentius homo projectæ audaciæ, & nullius fidei, fœdè in multis corrupit & annotationibus impiis & mendacibus (sic Christianas & Catholicas vocant desperatissimæ causæ infelices Patroni) conspurcavit. Verùm quid facias homini impudentiam ubique professo, nec Deum, nec homines reverito κονώπτω κυνογλώσσῳ, cui totidem hærent infixæ cordi sagittæ, quot pro veritate Eucharistiæ, hujus oblatione à Christo Domino instituta, libero arbitrio, Fide & operibus, Principalitate Romanæ Ecclesiæ, ac similibus Catholicæ Religionis assertis, ex Irenæi lucubrationibus depromuntur apertissima Testimonia, quæ allegatis aliorum Patrum locis firmavit, & discussa Novatorum caligine illustravit Fevardentius, numquam non à laudatis viris laudandus.

Antequam manum hinc tollam, placet paucis insinuare quàm inepti sint plerique hæterodoxi recentiores qui de Patribus scripserunt ac nominatim Patrologus Jenensis cujus hæ sunt nugæ: Floruit circa annum Christi 160. alii circa annum 180. alii circa annum 175. sub Commodo Imp. Euseb. in Chronico anno 189. Ado Vienn. post an. 181. Ugnier 173. & paulò post: occisus fuit sub Maximino, qui cœpit regnare an. 237. *Henricus de Eripordio*. Ado & alii Martyrologi cùm sub Severo qui an. Christi 224. regnare cœpit, interfectum esse scribunt. En quàm egregios Chronologos sibi Lutherani Doctores eligant ac magistros. Et tamen ille ille est Joa. Gherardus furacissimus Bellarmini expilator quem Quenstedrius tantopere commendat.

(a) Henricus Valesius pag. 86. Annotationum in Eusebii Historiam opinatur Irenæum adhuc Presbyterum auctorem fuisse Epistolæ Viennensium Lugdunensiumque nomine scriptæ ad Ecclesias Græciæ ac Phrygiæ, quam exhibet Eusebius. Perierunt cum aliis ejus in S. Joannis Apocalypsim lucubrationes, de quibus hæc S. Hieronymus prooemio in XVIII. librum Commentariorum in Esaiam Prophetam ad Eustochium Virginem: Latinorum Tertulliani, Victorini, Lactantii: Græcorum, ut cæteros prætermittam, Irenæi tantùm Lugdunensis Episcopi faciam mentionem: adversus quem vir eloquentissimus Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex, elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam in terris Jerusalem, &c. Eadem alibi post Eusebium exagitat: Errat Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ, ubi ait Irenæum sub Marco Antonino Philosopho obiisse anno Christi 175. cùm usque ad Severi tempora Ecclesiam Lugdunensem rexerit. Ex cap. 3. libri 3. in gratiam Novatorum placet nonnulla decerpere, quæ apud cordatos viros pluris semper fient, quàm Smidelini, Gallasii, Blondelli, similiumque Heterodoxorum præstigiæ: *Maximæ, inquit, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ eam, quam habet ab* APOSTOLIS, TRADITIONEM, *& annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes* CONFUNDIMUS *omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter* POTENTIOREM PRINCIPALITATEM, *necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quæ ab Apostolis Traditio.* Tum paulò post: *Sub hoc Clemente dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit quæ est Romæ Ecclesiæ potentissimas litteras Corinthiis ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians quam in recenti ab Apostolis receperant* TRADITIONEM, &c. Quæ simul ac vel cursim obiterque legeris, quisquis es salutis tuæ amans, omnes illicò Calvinistas, Lutheranos, Socinianos, Anabaptistas, similesque generis humani pestes Cacodæmonum instar execrabere Polycarpi imitatus exemplum, qui eodem teste Irenæo Marcioni aliquando occurrenti sibi, & dicenti, *Cognoscis nos?* respondit COGNOSCO TE PRIMOGENITUM SATANÆ. Tantum Apostoli (exemplo Sancti Joannis) & horum discipuli habuerunt timorem qui adulteraverint veritatem, quemadmodum & Paulus ait: *Hæreticum hominem post unam (& alteram) correptionem devita, sciens quoniam perversus est qui est talis, & à semetipso damnatus αὐτοκατάκριτος.* Eusebius eadem Græcè exhibuit partim libri 4. cap. 14. partim libri sexti cap. 6. quibus, velut altero teste, eoque ob antiquitatem ἢ πολυπειρίαν locupletissimo, Romanæ ac Catholicæ Cathedræ fides & communio adversus omnes Hæreticorum sectas stabilitur. Riveto præiverat Josephus Scaliger, homo utique modestissimus, qui editores S. Irenæi vocat clamosos, maledicentissimos, Cercopas Tartareos pyriphlegetontas, virulentiæ, & probrorum concinnatores, & editionem Coloniensem cloacam Sycophantiarum, latrinam conviciorum & stabulum inscitiæ.

SÆCULUM TERTIUM

Ab anno Dom. 200. *ad* 300.

De Tertulliano. 230.

TERTULLIANUS tempore Severi Imperatoris floruit, ut ipse testatur libro 1. in Marcionem, in Apologetico cap. 4. & alibi. Initio Catholicus ardentissimi zeli, deinde in Montani hæresim prolapsus contra Ecclesiam non pauca scripsit. Ergo opera Tertulliani indubitata sunt. *De patientia, lib.* 1. *De carne Christi,* 1. *De resurrectione carnis,* 1. *De præscriptionibus adversus hæreticos,* 1. *Adversus Judæos,* 1. *Adversus Marcionem,* 5. *Adversus Valentinianos,* 1. *Adversus Hermogenem,* 1. *Adversus Praxeam,* 1. *De corona Militis,* 1. *Ad Martyres,* 1. *De pænitentia,* 1. *De Virginibus velandis,* 1. *De habitu muliebri,* 1. *De cultu fœminarum,* 1. *Ad uxorem suam,* 2. † *De fuga in persecutione,* 1. *Ad Scapulam,* 1. *De testimonio animæ,* 1. *De Anima,* 1. † *De exhortatione Castitatis,* 1. † *De Monogamia,* 1. *De Baptismo,* 1. *De Pallio,* 1. *De Idololatria,* 1. † *De pudicitia,* 1. ✻ *De jejunio adversus Psychicos,*

chicos, 1. *Scorpiacum contra Gnosticos*, 1. *De Oratione*, 1. *De Spectaculis*, 1. *Apologeticus adversus Gentes*, 1.

Ex his libris Sanctus Hieronymus in lib. de Script. Ecclef. dicit, fcriptos effe contra Ecclefiam à Tertulliano jam tum hæretico, *Librum de fuga in perfecutione*, *De exhortatione Caftitatis*, *De Monogamia*, *De Pudicitia*, *De Jejunio*, quibus *crucem* addimus. Librum de Oratione fcribit fanctus Hilarius in cap. 5. Matthæi effe volumen aptiffimum, fed confequentem errorem auctoris detraxiffe fcriptis probabilibus auctoritatem.

Opera Tertulliani dubia, vel fuppofititia.

De Trinitate, lib. 1. *De cibis Judaicis, Epiftola.*

De libro de Trinitate diffentiunt fanctus Hieronymus, & Ruffinus: hic enim in Apologia pro Origene fcribit, librum de Trinitate Tertulliani ab hæreticis cum operibus fancti Cypriani conjunctum fuiffe, ut fallerent incautos. Ille autem in 2. libro adverfus Ruffinum contra afferit, librum illum de Trinitate, non effe Tertulliani, fed Novatiani.

Idem etiam fanctus Hieronymus in lib. de Scriptor. Ecclef. in Novatiano, fcribit, Novatianum fcripfiffe grande volumen de Trinitate quafi Epitomen operis Tertulliani. Ubi apertè fignificat, Tertullianum quoque fcripfiffe de Trinitate, cujus libri epitomen Novatianus ediderit. Sed quicquid de hac re fit, dubitari non poffe exiftimo, quin liber de Trinitate, qui nunc extat inter opera Tertulliani, Tertulliani non fit: nam in eo libro refutatur nominatim Sabelliana hærefis. Sabellius autem poft tempora Tertulliani apparuit; & in tempora Novatiani incidit, ut notum eft ex epiftola Dionyfii Alexandrini apud Eufebium lib. 7. hiftor. cap. 5. Adde, quòd ftylus (ut etiam S. Hieronymus annotavit) apertè clamat, librum illum Tertulliani non effe.

Liber, five epiftola de cibis Judaicis, non videtur ftylum habere Tertulliani: & videtur ab aliquo Epifcopo propriæ plebi tranfmiffus. Tertullianus autem Epifcopus non fuit. Interim tamen nihil definio, fed caufas dubitandi in medium pono. Illud poftremò addendum videtur; Tertulliani libros cum judicio effe legendos, non eos tantùm, quos S. Hieronymo tefte, contra Ecclefiam propriè fcripfit, fed etiam librum adverfus Praxeam, librum de Anima, librum adverfus Hermogenem, librum de Carne Chrifti, & librum de Pœnitentia. In his enim propofitiones non paucæ, vel erroneæ vel certè fufpectæ occurrunt.

Dissertatio Historica.

Quintus Septimius Florens Tertullianus, Provinciæ Africæ, civitatis Carthaginenfis, patre Centurione Proconfulari natus, vir & legum & Inftitutionum Romanarum peritiffimus, τοῖς Ρωμάιοις νόμοις ἠκριβωκώς, atque inter Scriptores Chriftianos admodum clarus, Romanæ Ecclefiæ Presbyter, acris & vehementis ingenii, fub Severo Principe ejufque filio Antonino Caracalla maximè floruit (quis enim ferat Patrologi Jenenfis infulfitatem qui Severum cujus meminit Tertullianus lib. 1. contra Marcionem & in Apolog. cap. 4. ad Imperiale folium an. 224. evectum effe nugatur,) vixitque ufque ad decrepitam ætatem & annum æræ Chriftianæ circiter 215. lapfus fub vitæ exitum (annum quidam definiunt 208.) in Montani dogma & novæ Prophetiæ deliramenta, nonnulla fcripfit adverfus Ecclefiam, quam egregiis olim fcriptis tamquam invictiffimis propugnaculis contra omnium hoftium incurfus muniverat. Ea nos Bellarmini exemplum fequuti figemus obelo. De eo

A

præter Eufebium, tum in Chronico ad annum Chrifti 207. Olymp. 246. 3. tum libri fecundi Hiftoriæ cap. 2. ejufque interpretem Ruffinum, videndi Lactantius libro 5. cap. primo, S. Hieronymus cap. 53. Catalogi, S. Hilarius in cap. 5. in Matthæum Auguftinus de Hærefibus, Anonymus Prædeftinatorum adverfarius hærefi 36. & 50. Vincentius Lirinenfis Commonitorio primo, Nicephorus Calliftus, Trithemius, Beatus Rhenanus, Angelus Politianus, Jacobus Pamelius, Baronius, aliique. Quod verò Sixtus Senenfis libro quarto Bibl. Sanctæ afferit Tertulliani fcripta B. Cyprianum tanti feciffe, ut nullam diem fine eorum lectione præteriret, illudque crebrò inculcaffe Paulo Concordienfi Notario fuo, da magiftrum,

B

Tertullianum videlicet fignificando, id meritò corrigendum videtur, neque enim patitur temporum ratio, ut à Notario fancti Cypriani quicquam didicerit Hieronymus; & ipfe, fi attentè legatur, in Catalogo Hieronymus omnino refragatur: Vidi ego, inquit, quemdam Paulum Concordiæ quod oppidum Italiæ eft, fenem, qui fe B. Cypriani jam grandis ætatis Notarium, cùm ipfe admodum effet adolefcens, Romæ vidiffe diceret, referreque fibi folitum, &c. Bellarminus veterem fortè aliquam fequutus editionem, aut proprio genio indulgens, Tertulliani opera diftribuit in indubitata, & dubia, vel fuppofititia. Poffevinus Pamelianam partitionem in quinque Tomos exhibuit.

C

Continet Tomus I. *Libros adverfus Gentes & Judæos*. Tomus II. *Admonitiones ad Chriftianos*. Tomus III. *Scripta adverfus hærefes*. Tomus IV. *Poemata cum fragmentis*. Tomus V. *Quæ adverfus Ecclefiam, cum fuppofititiis, five dubiis*.

Nos hoc loco repræfentabimus editionem Parifienfem anni 1641. fecundis curis V. C. Nicolai Rigaltii J. C. edolatam, qui utinam in notis hifce prioribus ac pofterioribus Cypriano additis, omnibus Theologiæ Profefforibus Catholicis doctrinam fuam probare potuiffet: quod verbo faltem monuiffe oportuit incautos Lectores, ut cùm in iis infolens aliquod dogma aut interpretamentum occurrerit, ad Pamelianam antidotum confugiant, aut Greteri ad-

D

verfus Francifcum Junium Calvinianæ fectæ Primipilum Obfervationes, & Confeffionem Tertullianianam Theodori Petreji Cartufiani Parifiis anno 1603. in 8. editam Typis Nivellianis, evolvant.

Apologeticus adverfus Gentes pro Chriftianis.

Ad Nationes libri duo, ex codice Agobardi Lugdunenfis Archiepifcopi à Jacobo Godefredo J. C. Calviniano ac Genevenfi Profeffore primùm editi.

De teftimonio animæ adverfus idola. Ad Scapulam: anno, ut creditur, 199. Æræ Chriftianæ. *De Spectaculis. De idololatria. De Corona militis. De Pallio. De Pœnitentia. De Oratione*, cujus mentio apud S. Hilarium canone 5. in Evang. S. Matthæi. *Ad Martyres*.

E

De Patientia. De hoc libro dubitarunt Erafmus & Rhenanus repugnantibus Baronio, Pamelio, Rigaltio, aliifque: ac meritò fanè, cùm ejus fub Tertulliani nomine meminerit S. Pacianus Barcinonenfis Epifcopus ad Sympronianum contra Novatianos, & S. Cyprianus fub finem libri de Lapfis hunc fuerit imitatus, ut ad Trithemii ac mff. codicum fidem non appellem. Quod enim Critici ftylum accuratiorem fibi videntur in eo Tractatu quàm in cæteris agnofcere, hoc nihil ad rem facit, cùm & Tertullianus in maximè indubitatis lucubrationibus eumdem docendi caracterem non femper obfervet: fed pro re fubjecta eum interdum variet.

De cultu fœminarum libri duo. Primum alii infcribunt, *de habitu muliebri*. *Ad uxorem libri duo*. *De Virginibus velandis*. *Adverfus Judæos*.

De

De Præscriptione Hæreticorum, sive ut alii, *de Præscriptionibus adversus Hæreticos*. Cui additum est Scriptoris alicujus ævo illo proximi fragmentum, sive Opusculum Hæreticorum Catalogum repræsentans; quod nec S. Hieronymo libro adversus Luciferianos fuit ignotum.

De Baptismo. *Adversus Hermogenem*. *Adversus Valentinianos*.

De Anima; in cujus fine mentionem intulit libri à se de Paradiso scripti ad Geneseos caput secundum, ut par est credere. Tota Paradisi clavis, inquit ille, tuus sanguis est: Habes etiam de Paradiso à nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini.

De carne Christi adversus quatuor hæreses. *De Resurrectione carnis*. *Adversus Marcionem libri quinque*. *Scorpiace adversus Gnosticos*. *Adversus Praxeam*. † *De Exhortatione castitatis*. † *De Monogamia*. † *De fuga in persecutione*, *ad Fabium*. † *De Jejuniis adversus Physicos*. † *De Pudicitia*.

Hos quinque libros à Tertulliano in Montani hæresim lapso scriptos Heterodoxi quidam volunt nullius ferè usus esse in Ecclesia, cùm tamen multa ex iis erui possint documenta ad Catholicam fidem ac traditionem firmandam, & Novatorum impia commenta penitùs convellenda.

Index Sacrarum Scripturarum uti citantur à Tertulliano, tum Carmina incerti potiùs Auctoris, quàm Tertulliani, nimirum: *Libri quinque adversus Marcionem*. *De Judicio Domini*. *Genesis*. *Sodoma*.

Periisse aliquot Tertulliani tractatus docet Hieronymus tum in præfatione quæstionum ad Damasum tum in Catalogo & alibi, sed maximè in ep. ad Fabiolam: Fertur in Indice Tertulliani liber de Aaron vestibus, qui interim usque ad hanc diem à me non est repertus. Si à vobis propter celebritatem urbis fuerit inventus, quæso, ne meam stillam illius flumini comparetis, non enim magnorum virorum ingeniis, sed meis sum viribus æstimandus.

Index rerum memorabilium sequitur cum Observationibus & Notis Rigaltii ad libros Tertulliani & Indice Glossarum Styli Africani.

Novatiani *de Trinitate* liber (satius quippe fuerit S. Hieronymi quàm ejus hostis Ruffini sententiam sequi, quidquid murmurillent quidam Novatores,) *& Epistola de cibis Judaicis &c.* extant in editione Pamelii & alibi. Eos verò Tractatus scitè Bellarminus post Pamelium probat non esse Tertulliani, & insuper Lectores monet, non tantùm cum Judicio legendos esse libros quos Tertullianus adversus Catholicam Ecclesiam scripsit, sed etiam adversus Praxeam, & Hermogenem, de Anima, de carne Christi, ac de Pœnitentia. Cur autem monitum illud addiderit, docebunt te si nescis, Paradoxa à Pamelio collecta atque discussa. In Bibliothecis Parisiensibus Veterum Patrum Tomo 8. legitur Tertulliani nomine insignitum Carmen de Jona & Ninive, ex antiquo ms. codice Petri Pithæi descriptum, cum quibusdam ad eum Francisci Jureti notis, quod cur omissum sit à Nicolao Rigaltio mihi incompertum, quemadmodum & Expostulatio ad Senatorem ex Christiana Religione ad Idolorum servitutem lapsum, quæ in Pameliana editione habetur. Hæc enim duo saltem non abhorrent ab Africana phrasi. Quod autem ad varias Tertulliani editiones spectat, & diversorum scholia, notas, observationes &c. dicemus, si Deus voluerit, alio tempore.

Anno 1635. Parisiis apud Mathurinum Dupuis in volumen unum congesta sunt Doctorum aliquot virorum in Tertulliani opera Commentaria sive Annotationes & Argumenta textui prioris Nicolai Rigaltii editionis respondentia hoc ordine.

Jacobi Pamelii, Brugensis Theologi, Archidiaconi Audomaropolitani, Argumenta & Annotationes: ubi & Novatiani quæ supersunt omnia, ac cætera, quæ in editione Rigaltii desunt.

Latini Latinii, Viterbiensis, loci ex conjectura vel restituti, vel aliter lecti in Tertulliano, post editionem Pamelianam anni 1583.

Beati Rhenani Selerestadiensis, Annotationes & argumenta cum Censura Inquisitionis Hispanicæ anni 1612.

Joannis Mercerii J. C. ad librum de Pallio Commentarius.

In eumdem librum Edmundi Richerii Theologi Notæ, & Theodori Marcilii Regii eloquentiæ Professoris Interpretatio familiaris, &c.

Joannis à Wower ad Tertulliani operà Emendationes Apodicticæ.

Gabrielis Albaspini Aurelianensis Episcopi Notæ in quosdam Tertulliani libros.

Omissæ verò sunt in eumdem Doctorem Fr. Junii, Jac. Gretseri, Claudii Salmasii, Petavii, Lacerdæ, Georgii Capucini, Moræi Augustiniani, & aliorum lucubrationes, de quibus, ut jam dixi, plura aliàs.

SUPPLEMENTUM.

TERTULLIANUS natione Afer, patria, ut credimus, Carthaginensis, in hæresim Montani lapsus, atque Ecclesiæ ab anno circiter 208. hostis, obiit anno circiter 215. scripsit multa, de quibus abundè & plusquam satis agunt suis locis Bellarminus & Labbeus, *in tractatu de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Hic unum excutiam ad laudem eorum qui in Tertullianum labores suos contulerunt, qua ratione quibusque temporum cursibus, opera illius ad perfectum adducta sint, & ad eam quam videmus formam atque ordinem.

Primus qui in hanc arenam descendit, & scripta doctissimi Tertulliani ex Manuscriptis Codd. hinc atque inde comparatis in unum collegit, hic Beatus Rhenanus, natione Germanus, patria Glestadiensis in Alsatia, qui ea quæ consequi potuit, doctissimis suis commentariis illustrata, in unum volumen congesta evulgavit in fol. Basileæ anno 1521. apud Frobenium. Tantum valuit labor Rhenani in Tertullianum, ut impressio sæpiùs post hæc repetita fuerit Basileæ annis 1525. 1539. 1550. apud officinam eamdem Frobenianam, & Parisiis Joanne Gagnejo Doctore Theologo procurante, locisque aliis quos recensere superfluum est. Alter qui in arenam eamdem ingressus est, is Jacobus Pamelius Belga Brugensis Canonicus & Archidiaconus, Episcopus Audomaropolitanus designatus, qui labore incredibili inquirens quidquid ad Tertullianum spectabat, opus suum impressum in fol. Antuerpiæ anno 1579. dedicavit Catholico Hispaniarum Regi, Belgarum Principi. Divisit illud in quinque tomos, ut appellavit, scribens commentarium non in Tertulliani locos difficiles, ut assolet, sed continuum ferè in omnia omnium tractatuum verba, & sententias. Iterata impressio hujus operis Parisiis anno 1583. apud Michaelem Sonnium, & anno 1616. ibidem. Coloniæ 1617. Itemque Parisiis in fol. 1635. & alibi. Opus sanè magnum, ac memoria æterna dignum, ob insumptos huic informando labores. Tertius accessit Pamelio Brugensi doctissimus vir Joannes Ludovicus de la Cerda Toletanus, Soc. Jesu, qui omnia Quinti Septimii Florentis Tertulliani opera notis & argumentis illustravit, impressa Parisiis anno 1624. duobus tomis in fol. apud Michaelem Sonnium. Quartus demum Nicolaus Rigault, seu Rigaltius, suas etiam curas

curas huic Scriptori adhibuit. Hic neglecta omni illa divisione operum Tertulliani in plures vel pauciores tomos, uti fecerant Jacobus Pamelius ac Ludovicus Lacerdanus, simpliciter in uno volumine in fol. edidit omnia Tertulliani opera Parisiis anno 1644. quæ postea impressa anno 1662. ibidem apud Joannem Dupuis, sub signo Coronæ aureæ, selectis ab illo variis notis ex Auctoribus qui Tertullianum commentati fuerant, sed brevibus & extra nauseam. Hi quidem non omnes, sed insigniores, qui in scripta Tertullianica laborarunt: post quos scripsit etiam in Tertullianum annotationes selectas F. Georgius Ambianensis Capucinus, *Tertulliani redivivi titulo insignes*; quas 3. in fol. tomis anno 1646. Parisiis impressit Michael Soly, via Jacobæa sub signo Phœnicis. Denique Carolus Moreau Eremita Augustinianus anno 1658. scripsit 3. in fol. voluminibus, *Omniloquium Tertulliani* impressum pariter Parisiis apud Jacobum Dallin, sub signo sancti Stephani, & Thomam Jolly, sub signo Scuti Hollandici. Quisquis post tantos ac tam varios auctores, in Tertullianum commentari tentaverit, ludere, opinor, atque oleum perdere apud prudentes existimabitur.

De Clemente Alexandrino. 204.

CLEMENS ALEXANDRINÆ Ecclesiæ Presbyter, vir doctissimus, Pantæni discipulus, & Origenis magister; vixit sub Severo Imp. ut ipse testatur lib. 1. Stromatum. Ibi enim deducit tempora Imperatorum usque ad obitum Commodi, cui Severus successit, post brevissimum Imperium Pertinacis, & Juliani. Multa scripsit, quorum meminerunt Eusebius lib. 1. hist. cap. 1. & sanctus Hieronymus de Script. Ecclesiast. Nunc vero hæc opera supersunt. Stromatum libri octo. Pædagogi libri tres. Oratio exhortatoria ad Gentes.

Neque de his dubitatio ulla est. Meminit Cassiodor. in libro 1. divinarum institutionum explanationis Clementis Alexandrini in Epistolas Canonicas, quæ an ea sit, quæ in Bibliotheca sanctorum Patrum invenitur, non facilè judicare possum.

Non desunt in hoc insigni auctore sententiæ aliquæ, quæ errorem sapiunt, quas in libris nostris Controversiarum notavimus, & ob quas Gelasius Papa, in Concilio quodam Romano, Clementis hujus opuscula inter apocrypha retulit. Utrum autem sententiæ illæ ab hæreticis insertæ sint, ut aliqui piè credunt, an auctori more humano exciderint, ignoramus.

Dissertatio Historica.

TITUS FABIUS (*a*) Clemens, patria Atheniensis, ut plerique volunt, Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, ac magni Pantæni ex Stoico Philosopho Christiani auditor, post ejus mortem, Ecclesiasticam scholam Alexandriæ tenuit, & Catecheseon magister fuit, inquit S. Hieronymus cap. 38. de Scriptoribus Ecclesiasticis ex Eusebii libro 5. Hist. Ecclesiasticæ capp. 11. & 13. Vixit sub Imperatoribus Severo, ejusque filio Antonino Caracalla, & ut quibusdam etiam videtur, sub Alagabalo & Alexandro Severo, initio tertii à Christo nato sæculi, nactus est inter cæteros discipulos Origenem, qui & ipsi in munere obeundo successit. Alexandro Hierosolymitano Antistiti constat dedicasse librum de Canonibus Ecclesiasticis, qui magno Ecclesiæ damno jamdudum periit: ex pluribus enim atque insignibus ejus voluminibus tantummodò extant Græcè, & Latinè simul excusa, quæ sequuntur.

Protrepticon, sive Oratio exhortatoria ad Gentes,

A Gentiano Herveto interprete, cujus versionem recognovit, recensuitque Daniel Heinsius in editione Commeliniana anni 1616. quam Parisienses postea expresserunt, nonnullis opera R. P. Frontonis Ducæi emendatis.

Pædagogi libri tres, eodem int. cum Hymno Christi Servatoris ab eodem clemente composito.

Stromatum libri octo, eodem interprete, scripti saltem post annum 192. quo exeunte Commodus Imperator cæsus est.

Adduntur in fine Græcè tantùm ἐκ τοῦ Θεοδώτου (*b*) ϗ τῆς ἀνατολικῆς καλομενὺς διδασκαλίας κατὰ τοὺς Θυαλεντίνου χρόνοις ἐπιτομαὶ ϗ ἐκ τῶν προφητικῶν ἐκλογαί.

B Geminus Index Federico Sylburgio auctore cum ejus Annotationibus, & Danielis Heinsii Emendationibus.

Præter citatos Eusebii locos, consule ejusdem libros de Præparatione & Demonstratione Evangelica, & Chronicon ad annos 194. & 104. Gelasium Papam in Decreto de apocryphis, Cassiodorum lib. 1. Divinarum Institutionum, qui Στρωματέα Contextorem vertit, S. Maximum Martyrem Disputatione cum Pirrho habita, ubi eum vocat Philosophum Philosophorum, Photium in Myrioblotmem. 109. Honorium, Aug. aliosque.

Circumferuntur quoque ejus nomine prænotata in Bibliothecis Veterum Patrum, sed Latinè dumtaxat.

C *Commentariola in priorem Canonicam S. Petri, in Epistolam S. Judæ, & in Epistolas S. Joannis Apostoli*: quæ etiam vidi calamo exarata in membranis codicis antiqui, qui fuit olim Cœnobii S. Mariæ Montis Dei, ubi inscribuntur, *Adumbrationes*, cum expositionibus Didymi carne cæci super easdem Epistolas Canonicas. Ferebatur quidem jam tum tempore Cassiodori (*c*) Explanatio in Epistolas Canonicas Clementis Alexandrini; sed an ea sit, quam modò proponimus, non immeritò à viris doctis dubitatur. Vide Joannem Bapt. Pozam Societate Jesu Theologum Elucidarii Deiparæ Virginis libro 4. tractatu 4. aliosque.

(*a*) Vel Flavius, de quo Eusebius in Historia & D alibi, Theodoretus lib. 1. Hær. Fabularum cap. 6. Ruffinus in Apologia pro Origene, Hier. epistola ad Magnum, aliique.

(*b*) De iis, & Clementis Hypotyposeon sive Informationum libris octo eruditissimè Henricus Valesius in Annotationibus ad Eusebium.

(*c*) Cujus hæc sunt verba cap. libri Institutionis Divinæ: Epistolas Canonicas Clemens Alexandrinus Presbyter, qui & Stromateus vocatur, idest epistolam S. Petri primam, S. Joannis 1. & 2. & Jacobi, Attico sermone declaravit: ubi multa quidem subtiliter, sed aliqua incautè locutus est; ut exclusis quibusdam offendiculis purificata doctrina ejus securior posset hauriri.

E

De Minutio Felice. 206.

MINUTIUS FELIX Tertulliani æqualis, scripsit Dialogum inter Christianum Octavium, & Ethnicum Cæcilium, qui Dialogus, Octavius inscribitur; atque inde factum est, cùm auctor ignoraretur, ut septem libris Arnobii, contra Gentes, hic veluti octavus liber adjungeretur. Sed revera non est octavus liber Arnobii, sed Octavius Minutii Felicis, Causidici Romani insignis, ut S. Hieronymus testatur in lib. de Script. Eccles.

Dissertatio Historica.

M. Minutius, sive ut alii scribere malunt Minucius Felix Romæ insignis Orator sive Causidicus ac J. C. Christianus auctor est elegantissimi *Dialogi, in quo cum Cæcilio Ethnico homine loquitur Octavius Christianus*. De eo Lactantius Firmianus libro 1. Divinarum Institutionum cap. 11. & libro 5. cap. 1. S. Hieronymus cap. 58. de Viris Illustribus, in Epistola ad Magnum Oratorem Romanum, & in Apologia ad Pammachium pro libris adversus Jovinianum, Eucherius nondum Ep. Lugdunensis in Epistola ad Valerianum Cognatum suum, & ex recentioribus Joannes Trithemius qui ejus ætatem figit sub Alexandro Imperatore anno Christi 230. & ut alios mittam, Franciscus Balduinus Atrebas qui anno 1560. Heidelbergæ primus vulgavit sejunctum à libris septem Arnobii, quibus in præcedentibus editionibus tamquam octavus subjectus fuerat. Is enim, ut loquitur Rigaltius, inter civilis prudentiæ togatos, eruditione, judicio, pietate insignis ex jure manu consertum venit, & appellata fide publica doctè & religiosè multa præfatus, datis notoribus, indiciis apertissimis, Arnobio non invito, abduxit Octavium, confestimque reddidit M. Minutio Felici. Quod verò ad ejus ætatem spectat, Cypriano quidem videtur antiquior ac Tertulliano suppar, quamquam non desint qui ad annum Christi 160. aut 170. collocent, quod σύγχρονος fuisse videatur Cornelii Frontonis Rhetoris insignis qui Marci Aurelii Antonini Imp. præceptor fuit teste Lampridio; quemque ad annum Christi 164. Olymp. CCXXXV. revocat Eusebianum Chronicon. Hoc unum colligere sibi putant ex istis Octavii ad Cæcilium verbis: Sic de isto & tuus Fronto, non ut affirmator testimonium fecit, sed convicium ut orator aspersit. Quæ respondent Cæcilii verbis: Et de convivio notum est. Passim omnes loquuntur, id etiam Cirtensis nostri testatur oratio. Quid verò si illud *tuus* idem sit ac ejusdem tecum sectæ, sive Ethnicus: Nec inde quis aut Cæcilium Afrum Cirtensem redarguat, aut amicitiæ ullo nexu cum Frontone illo Rhetore conjunctum. Adde quòd non unus dumtaxat per hæc tempora Fronto, cùm & hoc nomine quidam Jureconsultus in Pandectis memoretur! ut nec unus in Africa Cæcilius, cùm & à Cæcilio doctore suo, de quo Pontius, cognomen sibi indiderit Cyprianus, aliique præter eum occurrant? Quis verò Cornelium Frontonem Rhetorem in Africa natum esse suspicatus est, cùm non defuerint qui Plutarchi Chæronei nepotem fuisse scripserint? non est ergo quòd inde Blondellus & nonnulli alii communem Minucii epocham vellicent: qua de re plura etiam fortasse aliàs.

Typographia Leydensis anno 1652. post præmissas variis in locis editiones, adeoque & nuperam Parisiensem anni 1643. studio Nicolai Rigaltii J. C. elaboratam, *Minucii Felicis Octavium* in lucem emisit cum Arnobio variis eruditorum Commentariis Illustrato & Julio Firmico Materno; hoc ordine servato.

Francisci Balduini J. C. Prolegomena in M. Minucii Felicis Octavium.

M. Minucii Felicis Octavius, novissima Jacobi Ouzelii recensione castigatus.

Joannis à Wower in eum Notæ.

Gevearti Elmenshortii liber Commentarius.

Desiderii Heraldi Castigationes & Notæ.

Nicolai Rigaltii Observationes, cujus omissa est Præfatio, idque destinato, ut videtur, consilio.

Jacobi Ouzelii Animadversiones.

Subjunctus in fine Julius Firmicus Maternus *de* A *Errore Profanarum religionum*, ex recensione Joannis Wowerii cum ejusdem Notis.

Antequam verò à Minutio recedam, placet observare Honorium Augustodunensem cap. 59. libri primi de Luminaribus Ecclesiæ affirmatè pronunciare *librum de Fato*, vel, *contra Matemachicos* scriptum fuisse à Minucio, cum de eo tamen ob diversitatem styli cum Octavii dialogo dubitaverit S. Hieronymus. Sed hoc fatum est Breviatorum, ut studio brevitatis alienissima inter se conjungant. Corrigendum quoque in hoc compendio occurrit, quòd *altercationis Dialogum Christiani & Hæretici disputantium afferat*, cùm scribendum fuerit *Ethnici*, dormitante ad hæc, aliaque maximi momenti editore ac Scholiaste Miræo.

B *De S. Hippolyto Episcopo, & Martyre.*
220.

Sanctus Hippolytus Episcopus Portuensis, & Martyr, Clementis Alexandrini discipulus, sub Alexandro Severo martyrium consummavit.

Multa scripsit, quæ enumerantur ab Eusebio libro 6. histor. cap. 16. & à S. Hieronymo in lib. de Scriptorib. Ecclesiast. Nunc solùm extant excerpta quædam ex libris sancti Hippolyti de Theologia, & Incarnatione, apud Henricum Canisium tomo 5. antiquæ lectionis: necnon in Bibliotheca Sanctorum Patrum. Oratio de consummatione mundi, de C Antichristo, & secundo adventu Domini nostri Jesu Christi.

Consulat Lector notationes Card. Baronii ad Martyrologium die 22. Augusti.

Dissertatio Historica.

Sanctus Hippolytus, Clementis Alexandrini discipulus, & Origenis Coævus, quo præsente aliquando dixit in Ecclesia de laude Domini Salvatoris, &c. ex Metropolitano Arabiæ, ut volunt, Portuensis in Italia propè Romam Episcopus, (nomen urbis cui Episcopus datus est scire se non D potuisse scribit Hieronymus) martyrium passus est die 22. Augusti, circa annum Christi 230. sub Alexandro Severo Imperatore. De eo Eusebius in Chronico ad annum 3. Olymp. 251. Christi, 227. & lib. 6. Historiæ cap. 16. S. Hieronymus cap. 61. Catalogi, ubi asserit rationem Paschæ temporùmque canones scripsisse usque ad primum annum Alexandri Imperatoris (quibus verbis arbitror intelligi Chronicon, cujus inter cætera ejus opera habetur mentio in Canonis Paschalis dextro laterculo) & sedecim annorum circulum reperisse, plurimaque alia in Sacram scripturam commentatum fuisse. Gelasius libro de duabus naturis, Photius in Bibliotheca, codd. 121. & 122. Isidorus libro 6. Originum cap. 17. Ho- E norius libello 1. cap. 62. Nicephorus lib. 5. cap. 15. & ex recentioribus Baronius, Scaliger, Petavius, Bucherius, aliique. (*a*) Nec omittendum quod ait alicubi Petrus Damiani, dum in Oriente egit pluries quàm triginta mille Ethnicos ad Fidem adduxisse, vocatumque Nonnum.

I. An. Christi 222. Alexandri Severi Imp. primo edidit *Paschalem Canonem*, (quem minus peritè Vossius vocat Decemnovalem circulum) anno Christi 1551. ex agro Verano, non procul ab æde S. Laurentii ad Urbem effossus, dein Marcello Cervino S. R. E. Card. in Vaticanam Bibliothecam delatus, tandem editus est Græcè cum Commentario Josephi Scaligeri, & aliis quibusdam anno 1595. Lugduni Batavorum, & in Thesaurum Inscriptionum anno 1600. transtulit Janus Gruterus: Latinè edidit Ægidius

gidius Bucherius Soc. Jesu cum eruditissimis notis anno 1634. in Commentario de Doctrina Temporum ad Victorii Aquitani Paschalem Canonem.

II. *Oratio de Consummatione Mundi, & Antichristo, ac secundo Adventu Domini nostri* JESU CHRISTI, Græcè & Latinè prodiit Parisiis anno 1557. interprete Joanne Pico in Suprema Parisiensi Curia Classium inquisitoriarum Præside, ac Canonico B. Mariæ ejusdem urbis, quæ in Bibliothecas Patrum deinde translata est. Scio Hæreticorum proceres, Jo. Ivellum, (quem per Ironiam, ut arbitror, ac σαρκαστικῶς Reverendissimum vocat Rivetus, Episcoporum, legitimæque omnis à Christo in Ecclesia Catholica constitutæ potestatis hostis capitalissimus, in libro contra Thomam Hardingum) Robertum Cocum, Isaacum Casaubonum, similesque Heterodoxos orationem illam conatus arguere falsi. I. Quia incipit ab ἐπειδὴ γὰρ, novum crimen Superi atque inauditum! II. Quod somnia narret. Quæ? At esto, id ita sit: an quoties aberrat aliquis, & vana sectatur, ejus continuò repudianda & abdicanda oratio? III. Quia existimat Joannem Evangelistam minimè mortuum. At idem dixerunt alii, quorum tamen opera indubitata sunt & inconcussa. Certè de Antichristo & Resurrectione scripsisse testis est mox laudatus Hieronymus cap. 61. Catalogi. Hæc in Examine explicatiùs, quæ modò strictim delibantur. Scripsit quoque sermonem de Helcana & Anna ejus uxore, ut ex Theodoreto discimus, &c.

III. *Excerpta quædam ex libris ejus de Theologia & Incarnatione, & liber contra Beronem. & Helicen hæreticos.* Tomo III. Coloniensis, & IV. parte II. col. 951. magnæ Bibliothecæ Parisiensis Veterum ex Tomo I. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii. Consule Collectanea Anastasii Bibliothecarii à Sirmondo edita anno 1620. ubi pag. 209. & sequentibus referuntur Græcè & Latinè fragmenta octo maximi momenti.

IV. *Homilia de Deo Trino & Uno, & de Mysterio Incarnationis, contra hæresim Noeti,* interprete, seu editore Gerardo Vossio Præposito Tungrensi, Tomo III. Coloniensis, & Parisiensis Tomo XV. pag. 620. ex editione Moguntina S. Gregorii Taumaturgi.

V. *Demonstratio adversus Judæos,* à Rev. Patre Francisco Turriano Soc. Jesu Theologo Latinè reddita, occurret in apparatu sacro R. P. Antonii Possevini ejusdem Societatis, verbo Hippolytus Martyr, quam adversus argutias Riveti suo tempore vindicabimus.

VI. Ejusdem, ut creditur, Hippolyti, *De duodecim Apostolis, ubinam quisque eorum prædicaverit, ubique consummatus sit,* ex Regio codice Græcè & Latinè Tomo I. Auctarii Combefisiani, col. 831. Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die 9. Aprilis, citat S. Hippolyti libellum de 72. Discipulis, quem Græcè viderat in Bibliotheca Cardinalis Sirleti. (*b*)

(*a*) Gelasius libro adversus Eutichem de duabus Christi naturis vocat Arabum Metropolis Episcopum. Joannes verò Zonaras Romani Portus Episcopum. De eodem Hier. Quæstione 3. ad Damasum, in ep. ad Magnum, & Procemio in Matthæum, Theodoretus in Polymorpho, Cyrillus cap. 19. vitæ S. Euthymii Magni Archimandritæ, ubi antiquum, & ipsis notum Apostolis vocat (fortè legendum Apostolicis viris: quì enim fieri potest ut ab anno Christi nimirum 98. floruerit usque ad tempora Alexandri Severi & annum circiter 230. Stephanus Gobarus apud Photium, Georgius Syncellus in Chronico, Anastasius Bibliothecarius in Collectaneis, Nicephorus libro 4. cap. 31. Sixtus Senensis, qui addit repertos Basileæ Commentarios quosdam in Apocalypsim Hippolyto inscriptos, de quibus ob eruditionis & styli inopiam ambigitur, Henricus Vallesius pag. 123. Annotationum in Eusebii Historiam, aliique.

(*b*) Et ad annum 44. num. 38. & ad annum 58. num. 56. sed nihil videtur distinctus à Synopsi Dorothei, de qua & de simili scriptione Epiphanio tributa dictum est aliàs.

De Julio Africano. 222.

JULIUS AFRICANUS paulò senior Origene fuisse videtur, cùm in epistola ad Origenem eum filium appellet. Scripsit *librum de temporibus* ab origine mundi usque ad Macrinum Imperatorem, sub quo ipse vivebat, & ad M. Antoninum Heliogabalum legationem suscepit, ut S. Hieronymus testatur in lib. de Scriptorib. Eccles. Sed hi libri perierunt, cùm tamen extarent tempore Photii, ut ipse in Bibliotheca scribit. Extat hoc tempore solùm *Epistola ad Origenem de historia Susannæ*, quam fabulosam esse contendit: cui respondit Origenes, veram illam esse demonstrans. Epistola Julii Africani extat in 2. tomo operum Origenis.

Dissertatio Historica.

JULIUS AFRICANUS, scriptor temporum seu Chronologus Christianus perinsignis, sub M. Aurelio Antonino Eliogabalo Opilii Macrini in imperio Romano successore, Legationem suscepit pro instauratione urbis Emmauntis quæ postea Nicopolis appellata est. *Libros novem Cestorum* titulo inscriptos dicavisse dicitur à quibusdam recentioribus Alexandro Imp. Mammeæ filio, qui cœpit anno Christi 222. quem ad usque terminum Chronologiam suam quinque libris distinctam deduxerat, siquidem finierit in Consulatu Grati atque Seleuci, qui anno 221. magistratum gesserant. Alii enim usque ad Macrinum tantùm pervenisse censent, qui cum Opiliano filio anno dumtaxat 218. periit. Idem circa annum 232. venisse dicitur Alexandriam, ut Heraclam videret, cumque eo loqueretur. Vide Eusebium tum in Chronico anno 221. Olymp. 250. primo: *In Palæstina*, &c. tum Historiæ Ecclesiasticæ libri 6. cap. 23. Augustinum libro 2. Retractationum cap. 7. Photium P. C. P. Bibliothecæ cod. 34. ubi ait lectos à se fuisse quinque illius Chronicos libros, atque incipere à Mosaica Cosmogenia, hoc est exordio mundi, definere autem in Christi Domini adventum. Quin & summatim atque obiter repetere, quæ à nato Christo usque ad Macrinum Augustum contigerunt, Joannem Trithemium, Josephum Scaligerum in Thesauro temporum, sive notis & additionibus ad Eusebii Chronicon, quod vocat Julii Africani Chronicum recoctum, ejusque fragmenta Græca collegit, Baronium, Possevinum, &c.

Epistola ad Origenem, super quæstione Susannæ, eò quòd diceret in Hebræo hanc Historiam non haberi, nec convenire cum Hebraica etymologia ἀπὸ τοῦ χίνου χίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, cum docto responso Origenis extat Latinè inter opera ejusdem Origenis. Græcè autem anno 1602. apud Augustam Vindelicorum ex ms. Augustano curante Davide Hæschelio edita est hæc Africani epistola cum fragmento dumtaxat Epistolæ Origenis post Hadriani Isagogem in Sacras litteras, Hesychii Presbyteri Hierosolymitani στιχάριον in XII. Minores Prophetas, & Esaiam, aliaque antiquitatis sacræ non contemnenda monumenta seu fragmenta Græcorum

corum interpretum in Prophetas. Scripſit, inquit Sixtus Senenſis, ad Origenem brevem epiſtolam & paucis multa contine .tem ſuper Suſannæ Hiſtoria, quam ob multas conjecturas exiſtimabat eſſe adulterinam, & à neoterico auctore confictam. Cui Origenem pro defenſione ejuſdem longam & eruditam reſcripſit epiſtolam. Utramque Latinè vertit Ambroſius Mediolanenſis, Monachus Caſſinenſis, ſancti Benigni Abbas, vir trium linguarum peritiſſimus, qui Origenis & Cyrilli opera plurima nondum Latinis cognita Romanis auribus donavit.

Periit ejuſdem ad Ariſtidem epiſtola in qua *περὶ διαφωνίας*, quæ videtur eſſe in Genealogia Salvatoris apud Matthæum & Lucam, pleniſſimè diſputabat, aliaque ejus germana opera. Exſufflantur enim ab eruditis naſutiſque Scriptoribus noſtræ ſuperioriſque ætatis Pſeudo-Abdiæ Babylonii de Hiſtoria certaminis Apoſtolici, ſive de Vitis Apoſtolorum, libri decem, Julio, ut ferunt, Africano interprete Latinitate donati, atque excuſi Baſileæ typis Oporini anno 1551. curante Wolfgango Lazio. Suidæ de Africano noſtro verba non prætermittenda cenſeo *Ἀφρικανὸς ὁ Σέκτος* (melius fortè *κέστος* familiari librariis literarum præſertim in propriis nominibus metatheſi) *χρηματίσας* &c. In iis enim primo dicitur cognomento Ceſtus, deinde ejus patria Lybia diſertè aſſeritur: tum auctor librorum 24. qui Ceſti dicebantur ob varietatem argumenti: deinde ne quis de eo ambigendum ultra exiſtimet contra hunc ſcripſiſſe perhibetur Origenes *ἔνστασιν ποιησάμενος περὶ τοῦ τῆς Σωσαννῆς βιβλίου τοῦ εἰς τὸν Δανιὴλ*. Idem Suidas quid ſit Ceſtus ſuo deinceps loco explicat, ac ſubjungit *ἐν τῷ Ἀφρικανὸς, ὃς ἔγραψε τοῖς κεστοῖς*: de quibus tum Euſebius capite 31. libri 6. Hiſt. Eccleſiaſticæ, tum Photius Bibliothecæ codice 34. jam ſupra laudato *οὗτός ἐστιν ὁ καὶ τοὺς λεγομένους Κεστοὺς ἐν λόγοις συντάξας ὤ*, & alii deinceps. Notandum quoque à Suida 24. numerari Ceſtorum libros, Photio 14. aliis verò dumtaxat novem; ſed de iis jam ſatis: plura fortè ſuppeditabit Appendix, aut altera de Scriptoribus Diſſertatio. (*a*)

(*a*) Dum hæc excuſa pridem eſſent, venerunt in manus meas in Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam Annotationes eruditiſſimæ, in quibus Vir Clariſſimus opinioni noſtræ in pleriſque adverſatur. Ex uno enim Africano hactenus noto duos repræſentat; Unum *Κίβυν* Gentilem, Ceſtorum auctorem; alterum Palæſtinum, Emmaunte oriundum, Chriſtianum, qui de Suſanna, de differentia Evangeliſtarum, de Temporibus ſcripſerit. Tuum erit, Lector, expenſis utriuſque rationibus certam de Africano pronuntiare ſententiam. Certè noſtri ſunt Euſebius, tum in Chronico, in quo nihil de Africani patria protulit, tum libro 6. Hiſtoriæ, Photius, Suidas, aliique. Adde quod *τῶν Κεστῶν* nomen, non magis hìc in propria ſignificatione accipiendum videatur, quàm *τῶν Στρωματέων* apud Clementem Alexandrinum, cujus fortè æmulatione hunc libris ſuis titulum quæſivit noſter Africanus, ac deinde *τοῦ Κεστοῦ* cognomen à poſteris conſequutus eſt.

De Origene. 226.

ORIGENES Adamantius, Clementis Alexandrini diſcipulus, vixit uſque ad tempora Galli, & Voluſiani Impp. teſte ſancto Hieronymo in libro de Scriptoribus Eccleſiaſt. Quamvis autem doctiſſimus fuerit, deceptus tamen ex Platonis Philoſophia in multos errores incidit. Sanctus Baſilius in libro de Spiritu ſancto, cap. 20. dicit: Origenem non habuiſſe ſanas de Spiritu ſancto opiniones. Sanctus Epiphanius in libris de hæreſibus ponit Ori-A genem in numero aliorum hæreticorum. Sanctus Hieronymus vertit in Latinum idioma libros Origenis Peri archon, ut oſtenderet errores plurimos, quibus libri illi ſcatent. Denique in quinta Synodo generali, collatione 8. canon. 11. dicitur anathema Origeni, & ſcriptis ejus, ſicut Ario, Eunomio, Macedonio, Neſtorio, & Eutycheti: & in libro, qui inſcribitur, Pratum ſpirituale, c. 25. in quadam revelatione viſus eſt Origenes cum Ario, aliiſque hæreticis in gehennæ ignibus torqueri. Citatur autem Pratum ſpirituale in ſeptima Synodo generali, ne quis eum librum ſpernendum cenſeat. Hæc permittenda exiſtimavi propter eos, qui Origenem defendere, vel excuſare conantur, quales fuerunt olim Euſebius in lib. 6. hiſtor. Eccleſiaſt. & in Apologia pro Origene, quam nomine Pamphili Martyris edi-B dit: & qui Euſebium imitatus eſt Ruffinus, qui etjam Apologiam pro eodem Origene ſcripſit. Deinde paulò ante noſtram ætatem eamdem defenſionem ſuſcepit Joannes Picus; & noſtro tempore Gilbertus Genebrardus.

Opera Origenis aſcendunt ad ſena millia librorum, teſte Epiphanio in hæreſi Origenis, quæ eſt ordine 64. Sed plurima perierunt. Quæ nunc extant, in duos tomos diſtributa, hæc ſunt:

Primi Tomi.

C In Geneſim homiliæ 17. In Exodum homiliæ 13. In Leviticum homil. 16. In Numeros homil. 28. In librum Joſue homil. 26. In librum Judicum homil. 9. In lib. Regum homil. 1. In librum Job libri 3. In Pſalm. 36. 37. & 38. homil. 9. In Cantica canticorum homil. 6. In Iſaiam homil. 9. In Hieremiam homil. 14. In Ezechielem homil. 14. Peri archon, ideſt, de principiis lib. 4. Threni, ſive planctus Origenis tract. 1. De recta in Deum fide Dialogus. Commentaria in Job, Joachimo Perionio interprete. In eumdem homil. 4.

Secundi Tomi.

D In Matthæum tractatus 35. In Lucam hom. 39. In Joannem tractatus 32. In diverſos locos novi teſtamenti hom. 10. In epiſt. ad Rom. lib. 36. Contra Celſum lib. 8. Contra Marcioniſtas Dialogi. Philocalia, ſive de amore honeſti. De Suſannæ hiſtoria Epitome. De eadem hiſtoria Julii Africani epiſtola, & ad eamdem Origenis reſponſio.

His addi poſſunt *Tetrapla, Exapla, & Octapla*, Origenis labores contexta. Tetrapla ſunt quatuor editiones teſtamenti veteris; 70. Interpretum, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis. Exapla ſunt quatuor illæ adjunctis duabus Hebraicis, altera literis Hebraicis, altera literis Græcis. Octapla ſunt editiones ſex ſupradictæ, adjunctis duabus ſine nomine E auctoris, quinta, & ſexta: addidit ipſe Origenes ſeptimam editionem ex verſione 70. Interpretum emendata, & cum Theodotionis verſione collata, additis aſteriſcis, & obeliſcis. Vide de his editionibus Epiphanium in libro de ponderibus, & menſuris.

Opera dubia vel ſuppoſititia.

Homiliæ in Leviticum habentur etiam inter libros S. Cyrilli; ſed verè Origenis ſunt, non S. Cyrilli: nam & phraſim Origenis ſervant, & erroribus ejuſdem ſcatent.

Libri tres in Job, non videntur eſſe Origenis: nam lib. 1. meminit auctor Homouſianorum, quam dicit eſſe ſectam trium Deorum, quæ totum orbem replevit. At nomen Homouſianorum inventum eſt ab Arianis,

Arianis, qui post obitum Origenis apparuerunt. Deinde libro 2. meminit auctor sancti Luciani jam tum martyrio affecti. At sanctus Lucianus posterior Origene fuit.

Commentaria quoque in Job, Perionio interprete, non videntur esse Origenis: nam in explanatione cap. 3. adfert expositionem sancti Luciani Martyris; item in explanatione cap. 7. & 8. refellit Manichæos nominatim: & in cap. 18. meminit Homousionistarum. At Manichæi & Ariani, qui Catholicos Homousianistas vocabant, post Origenem exorti sunt.

De Homiliis in Psalmos aliqui dubitant, an sint Origenis.

Homiliæ in diversa loca Evangelii, sine dubio non sunt omnes Origenis.

In Homilia in 1. caput Joannis mentio fit Manichæorum, & Arianorum, qui post Origenem exorti sunt.

In Homilia nona in diversa loca, inveniuntur fragmenta ex sancto Hieronymo in ultimum caput Isaiæ Prophetæ, & ex sancto Gregorio lib. 15. Moralium, cap. 14. & ex aliis Origene posterioribus, & ea fragmenta Hieronymi, & Gregorii, non Origenis esse stylus, manifestè docet.

In Homilia de S. Maria Magdalena, super illud, Maria stabat ad monumentum foris plorans, stylus est planè Latinus.

Tractatus quintus in Matthæum videtur esse Latini auctoris: nam adducens auctor verba Isaiæ 48. Dominus misit me, & spiritus ejus; in Græco, inquit, Spiritus sanctus neutrius generis est, non masculini: ut apud nos. Ubi se inter Latinos numerat. Et si tractatus quintus Latini auctoris est, non parva suspicio est, reliquos etiam tractatus ejusdem operis, Latini auctoris esse. Atque hæc pauca de Origene.

Dissertatio Historica.

ORIGENES, Leonidæ anno 202. sub Severo Imper. martyrium passi filius, annos 18. natus ludum aperuit; anno 219. Romam venit, post Clementem Stromateum præceptorem suum Catecheseos in Ecclesia Alexandrina magister, Adamantius dictus, & σμοτάκτης ἢ σμυνταχτήριος, ob multitudinem librorum quos edidit, ordinatus Presbyter anno 218. à Theoctisto Cæsariensi & Alexandro Hierosolymitano Episcopis, anno 250. thus in persecutione Decii obtulit, relictaque Alexandria recepit se in Palæstinam, ac Tyri demum obiit anno 254. ætatis 69. Gallo & Volusiano imperantibus, ibidemque sepultus est. Hæc summatim: plura qui volet, adeat ex antiquis scriptoribus Eusebium in Chronico atque Historia, S. Athanasium Alexandrinum Patriarcham apud Socratem libri sexti Historiæ Eccles. cap. 13. S. Epiphanium hæresi 64. & de Ponderibus ac mensuris, Sanctum Hieronymum cap. 54. Catalogi & alibi sæpissimè, Ruffinum Aquilejensem, Vincentium Lirinensem, Theodoretum, Cassiodorum, Photium, & ex recentioribus, Joannem Picum, Espencæum, Merlinum, Vicelium, Genebrardum, Sixtum Senensem, Baronium, Possevinum, atque omnia fusissimè pertractantem Petrum Halloixium in Origene suo defenso, quem ob adscripta illi dogmata atque hæreses à Romanis Pontificibus, Sanctis Patribus, Scriptoribus Ecclesiasticis, Theologis Scholasticis Christianis Imperatoribus, ipsisque Conciliis præsertim Quinta Oecumenica Synodo jampridem proscriptas atque damnatas jure merito Catholicis suspectum infirmis admodum rationibus nec satis feliciter tutari ac purgare conatus est, ut plu-

A ribus, si per hujusce opusculi vacaret angustias, demonstrarem. Hoc verò ea ductus ratione præmisi, ne quis Heterodoxus familiari Novatoribus paralogismo concludat Halloixius in Origenem benignior visus est, quàm par esset: omnes igitur Soc. Jesu Theologi ejus subscripsere sententiæ. Sed ad Origenis scripta calamum convertamus eaque ex editione Parisiensi anni 1574. à Gilberto Genebrardo Theologo Parisiensi aucta ac recognita, quam omnes postea sequutæ expresserunt, repræsentemus.

Tomo Primo continentur.

B *In Genesim homiliæ* 17. ex quamplurimis, quas ediderat, duos in libros teste Ruffino distributas. *In Exodum homiliæ* 13. interpretibus Ruffino & Hieronymo. *In Leviticum homiliæ 16.* eodem Hieronymo interprete, quæ falsò à quibusdam S. Cyrillo fuerunt attributæ: nec audiendi Cocus, Hottingerus, similesque Heterodoxi qui & ipsas in Josue Homilias absurdè respuunt. *In Numeros homiliæ 28. In librum Jesu Nave homiliæ 26. In librum Judicum homiliæ 9. In lib. Regum homilia una.*

In librum Job libri seu Tract. tres, quos rectè Sixtus Senensis, Possevinus, Bellarm. Baronius, aliique post Erasmum docuerunt fuisse Origeni suppositos, cùm ab auctore Latino, ut volunt, eoque Ariano videantur scripti, &c.

C *In Psalmum 36. homiliæ quinque. In Psalmum 37. homiliæ duæ, & in Psalmum 38. homiliæ totidem.* De his dubitant post Erasmum multi dissentientibus Genebrardo & quamplurimis aliis, quorum rationes discutiemus alio loco. Certè Ruffinus tacito Origenis nomine ait se de Græco vertisse, & ad lectorum commodum in novem Homilias dissecuisse.

In Cantica Canticorum homiliæ duæ interprete S. Hieronymo præfixa ejusdem in fronte earum Epistolarum præfatiuncula ad Damasum Papam. Est & aliud opus in quo duo prima Canticorum capita eloquentissimè explicantur quod nescio quis in quatuor divisit homilias, cùm sit continens ac perpetua explanatio cum prolixissimo Prologo quod incipit: *Epithalamium li-*

D *bellus* interprete, ut Genebrardus edidit, & quidam codices prænotatum habent, eodem Hieronymo. Pium disertum atque eruditum opus esse docet Sixtus Senensis. Sed non esse Auctoris Græci plures suadent, quorum rationes non sunt hìc, ne in immensum crescant Observationes, pluribus excutiendæ. Certè quæ ex Eras. Riveto & Hetero asseri solet de Græc. qui ibidem memorantur, perridicula est, cùm Græcorum nomine Ἑλληνες hoc est Gentiles & Ethnici intelligantur. Quod verò ad etymologias nominum spectat, latiùs patet, & ad plures ejusdem aliorumque Patrum, scriptorumque etiam prophanorum tractatus Latinè redditos pertinet, eoque referri potest Orthodoxorum solutio ad Susannæ schinum &

E prinum adhiberi solita; sed hæc obiter atque in antecessum. Petrus Lombardus libro 3. Sententiarum distinctione 29. & S. Thomas 2. 2. quæst. 26. testimonia ex hoc opere citant sub nomine Ambrosii. Erasmus suspicatur esse illius Auctoris, cui tribui solent libri duo elegantes de Vocatione Gentium nunc passim Prospero à Catholicis Scriptoribus adjudicati.

In Esaiam homiliæ 9. quæ supersunt modò ex 25.

In Jeremiam homiliæ 14. De octo aliis G & L. editis dicetur postea. Rabanus Præfatione Comment. in hunc Prophetam cognitas sibi affirmat 45.

In Ezechielem homiliæ 14. Sancto Hieronymo interprete.

Peri archon, idest, de Principiis, libri quatuor, à Ruffino Latinè redditi cum ipsius Prologo. De iis

videndi

videndi SS. Hieronymus atque Epiphanius, necnon Photius cap. 8. Bibliothecæ, ac recentiores.

Lamentum, seu *Threni ac planctus*, falsò Origeni adscriptus, & inter apocryphos à Gelasio Papa relatus can. Sancta Romana dist. XV. Vide Baronium an. 252.

Apologia Eusebii pro Origene, nomine Pamphili Martyris edita, & à Ruffino Latinitate donata.

Ruffinus de depravatione librorum, præsertim Origenis.

De Recta in Deum fide dialogus, adversus Megethium, Marcum, Droserium, Valentem, & Marinum hæreticos Marcionistas ex versione Joachimi Perionii Benedictini Cormæriaceni. Ejusdem Dialogi versionem alteram vidi Joanne Pico Senatore Parisiensi interprete, in editione Parisiensi anni 1556. in 4. De Tertia verò dicemus ad sequentem Tomum, in quo continetur:

Commentaria in Job, à Joachimo Perionio Latinè reddita, non secus ac præcedentes in eumdem librum Homiliæ, repudiari solent ab eruditis: cùm in iis itidem citetur Lucianus Martyr Origene posterior, & Manichæorum atque Homousianistarum fiat mentio. Subjiciuntur Divi Joannis Chrysostomi in eumdem Justum Job Homiliæ quatuor ab eodem Joachimo Perionio è Græco sermone translatæ. Quàm verò sæpè ac graviter cespitarit in vertendis Comment. in Job Perionius, docet Jac. Billius in observationibus sacris, & ex eo Possevinus noster, quos consule. Auctor verò Commentariorum illorum creditur à quibusdam Maximinus Ariomanitarum Episcopus, quem S. Augustinus repressit. Scatet certè Arianorum blasphemiis & Sanctissimæ Trinitatis fidem vocat sectam, hæresim, infidelitatem; & alia. Verùm, quis Afrum crediderit Græcè scripsisse?

Tomo Secundo continentur.

In Matthæi Evangelium Commentarii, interprete Desiderio Erasmo, & *Tractatus* 35. incerto interprete. Bellarm. suspicatur Tractatum quintum, adeoque reliquos videri esse hominis Latini, nec tamen firma mihi videtur ejus ratio.

Homiliæ 39. *in Evangelium S. Lucæ*, cum Prologo S. Hieronymi interpretis, qui ab admodum juvene scriptas asserit. Non desunt qui ambigant.

In Joannis Evangelium Tractatus seu Tomi 32. Arianorum & Manichæorum cum fiat mentio in Tract. in cap. primum, signum est aut illum suppositum esse, aut interpolatum, in iis vertendis operam posuere Joachimus Perionius & Ambrosius Mediolanensis Monachus Cassinas, cujus versionem edidit Genebrardus hoc initio: Quemadmodum qui olim populus Dei, &c.

Homiliæ 10. *in diversos Novi Testamenti locos*: sine dubio non sunt omnes Origenis, inquit Bellarminus consentientibus Erasmo, Sixto, Baronio, Possevino, aliisque Catholicis, præsertim 2. 8. 9. 10. quæ est de Magdalena.

In epistolam ad Romanos Explanationum libri 10. Divo Hieronymo translatore, cujus extat & peroratio. Hottingerus delusus à suo Coco inter ὑποβολιμαῖα refert, idemque imperitè Lamentum à libro de Pœnitentia Origenis distinguit: nec mirum cùm aliena exscribere soleat, non quæ ipse viderit legeritque propriis oculis.

Contra Celsum libri octo Sigismundo Gelenio interprete, de quibus S. Hieronymus in Catalogo, in præfatione & cap. 12. in Comment. in Danielem Ep. 84. ad Magnum Oratorem, & in Apologia ad Pammachium, aliique. Græcam eorum editionem postea proponemus.

De recta in Deum fide contra tria Marcionistarum principia, Eutropio Ethnico homine judice Dialogi tres, Laurentio Hunfrido Anglo interprete, anno 1557. primùm vulgata. Usum hunc esse sinceriore autographo atque uberiore, quàm aut Picum aut Perionium, de quibus supra diximus, res ipsa loquitur. Hoc autem opusculum Origeni suppositum quidam volunt, tum quod nec Eusebius, nec ullus antiquorum illius meminerit, tum quod Principum Christianorum in eo fiat mentio, tum ob alias rationes quas aliàs expendemus scrupulosius, ne nihil Examini reliquisse videamur.

Philocalia de aliquot præcipuis Theologiæ locis, & quæstionibus capp. 27. distincta, Gilberto Genebrardo Theologo Parisiensi Divinarum Hebraicarumque litterarum Regio Professore interprete. De eadem à Joanne Tarino Græcè & Latinè edita dicemus postea.

Julii Africani ad Origenem epistola adversus Historiam Susannæ Danielis cap. 13. *cum responsione Origenis pro ejusdem defensione*, Gentiano Herveto Aurelio Rhemensi Canonico interprete ex codice ms. Guillelmi Sirleti Cardinalis, præmissa brevi utriusque Epitome deprompta ex lib. 5. Bibliothecæ Sixti Senensis.

Hactenus Latinè dumtaxat edita, nunc ad Origenis Tractatus Græca lingua excusos veniamus.

I. In Commentariis Michaelis Ghislerii Romani, Clerici Regularis Theatini, in Jeremiam Prophetam tribus Tomis in folio Lugduni editis anno 1623. cum Catena Græca in Jeremiæ Prophetiam & Threnos, ac Baruch Prophetæ librum, brevibusque S. Joannis Chrysostomi in Jeremiam explanationibus, insertæ sunt *Origenis octo Homiliæ in Jeremiam Prophetam* ex Vaticano codice Græcè tum primùm vulgatæ, interpretibus Jo: Matthæo Caryophilo Cretensi, & Leone Allatio Chio.

II. *Origenis contra Celsum libri octo* (opus planè aureum & venerandæ antiquitatis egregium monumentum, quod in aliquibus mss. codicibus inscriptum ferunt, ὁ κατὰ τοῦ κέλσου ἀληθὴς λόγος) ex Bibliothecis Palatina & Boica Græcè & Latinè prodierunt interprete Sigismundo Gelenio, cum notis Davidis Heschelii, Aug. Vindelicorum in 4. anno 1605. Addita Greg. Thaumaturgi in præceptorem suum Origenem Eucharistica oratione Græcè & Latinè cum notis aliquot Isaaci Casauboni, Hæschelii & Laurentii Rhodamani in eamdem. Audio eosdem libros adversus Celsum in Anglia Græcè & Latinè recudi apposita è regione Geleniana interpretatione.

III. *Origenis Philocalia de obscuris Sacræ Scripturæ locis*, à Sanctis Patribus Basilio Magno & Gregorio Nazianzeno ex variis Origenis Commentariis excerpta Græcè & Latinè prodiit Parisiis 1618. in 4. Joanne Tarino Andegavo interprete, qui cum aliquot notis addidit I. Zachariæ Scholastici, postea Mitylenes Episcopi, de Mundi opificio contra Philos. disputationem. II. Anastasii Presbyteri in Sina Monte de hominis ad imaginem & similitudinem Dei creatione sermonem, qui & Gregorio Nysseno tribuitur. III. Celebres opiniones de anima δόξας περὶ ψυχῆς.

IV. *Julii Africani & Origenis epistolæ ἀμοιβαίας, de Historia Susannæ*, imò potius epistolæ Origenis initium dumtaxat, è Bibliotheca R. P. Andreæ Scotti Soc. JESU cum fragmento de Susanna Joannis Chrysostomi, Græcè dumtaxat edita sunt Augustæ Vindelicorum in 4. anno 1602. cura Davidis Hæschelii Augustani post Hadriani Isagogen Sacrarum litterarum Hesychii Presbyteri Hierosolymitani στιχηρὸν in Esaiam & XII. Minores Prophetas, & aliorum in Majores Prophetas varia τεουνία. Fragmentum ex epistola ejusdem Origenis ad Africanum habes post Catenam Græcorum Patrum in Job collectore Niceta Heracleæ Metropolita Græcè & Latinè à Patricio Junio editam una cum Græco textu Jobi στιχηρῶς juxta LXX. seniorum interpretationem Londini 1637.

V. Ori-

V. *Origenis in libri primi Regum cap.* 28. *de Engastrimytho Commentarius* Græcè & Latinè, Leone Allatio Chio interprete, Lugduni anno 1629. in 4. cum Eustatii Archiepiscopi Antiocheni & Martyris dissertatione de eadem Engastrimytho adversus Origenem, & Commentario ejusdem Eustatii in Hexaemeron, cum amplissimis Allatii annotationibus, & singulari syntagmate de Engastrimytho.

VI. Origenis sive alterius Doctoris Græci συγχρόνου *Scholia in Orationem Dominicam & Cantica B. Virginis, Zachariæ & Simeonis* Græcè & Latinè emisit Fredericus Morellus anno 1601. in 8.

Sunt & alia fortasse quæ diligentiam nostram effugerunt Appendici aut secundæ editioni destinanda.

SUPPLEMENTUM.

ORIGENES, de quo abundè Labbeus post Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis. Sed plura post eos nostris temporibus Daniel Huet, Presbyter & Præceptor Serenissimi Franciæ Delphini, qui ab annis multis inquisivit cum summa diligentia, quidquid Græcum Origenis invenitur apud celeberrimas Europæ Bibliothecas, quibus præmisit amplissimum doctissimumque commentarium *De vita, doctrina, scriptis, & versionibus operum illius*, maximè lib. 3. Origenian. sect. 3. ubi de antiquis Latinis operum illius interpretationibus multa nondum cognita detegit, ad perfectiorem operum ejus & interpretationum impressionem. Hæc Græco-Latina tomis 2. in fol. Parisiis apud Andream Pralard anno 1679. via Jacobea, sub signo Occasionis, continentque *Origenis de Engastrimytho, in Hieremiam Hom. XIX. commentarios in Matthæum & Joannem*, cum suis annotationibus, polliceturque tomo 3. *Libros contra Celsum, Philocaliam, Protrepticon ad Martyrium, de Oratione Dominica*; quorum ultima duo opuscula nondum in publicum prodierunt. Nam *libri contra Celsum* editi Græcè & Latinè in 4. Cantabrigiæ anno 1658. Item *Dialogus de Orthodoxa fide*, agente Eutropio, defendente Meghetio, qui jam olim Latinè editus fuit, prodiit tandem Basileæ anno 1674. græcè & latinè in 4. inscriptus, Contra Marcionitas. Sed opus istud pro certo impositum est Origeni, continetque doctrinam de anima & de resurrectione Mortuorum, Origenianis erroribus maximè adversam. Qui plura expostulat, emat opera citata Danielis Huetii cum suis Origenianis, quæ in compendium redegit Natalis Alexander Dominicanus *in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæculo* 3. part. 1. pag. 100. artic. 12. & cap. 4. artic. 2. pag. 132.

De Ammonio Alexandrino. 227.

AMMONIUS Alexandrinus tempore Alexandri Imper. vixit, & scripsit *canones evangelicos*, quos alii harmoniam evangelicam vocant, quam Victor Capuanus cum Tatiani diatessaron confudisse videtur. Vide in Bibliotheca sanctorum Patrum tomum 7. editionis secundæ, & Card. Baronium tom. 2. Annalium ad Annum Dom. 174.

DISSERTATIO HISTORICA.

AMMONII, sive Hammonii Alexandrini, (*a*) viri diserti, atque in Philosophicis valdè eruditi nomine, insignita fuit hactenus

Harmonia quatuor Evangelistarum, dicta olim Diatessaron interprete Othomaro Luscinio, quæ extat in Bibliothecis veterum Patrum sæpiùs excusa. Ibidem quoque præfert Tatiani Syri nomen altera Harmonia. Sed utrumque falsò. Præbuit occasionem errori

A Victor Capuanus Episcopus, qui præfationem adscripsit & Tatiano vindicavit Harmoniam ab Ammonio concinnatam. Unde factum postea, ut quæ Tatiani erat, tribueretur Ammonio. Certum quippe est, testibus Eusebio & Theodoreto, Tatianum in sua Evangeliorum, διατεσσάρων dicta, Concordia fraude ac dolo hæretico amputasse omnes Genealogias Christi, & alia quæcumque ostendunt Dominum ex David secundùm carnem progenitum, quæ omnia integrè atque optima fide suis locis intexuit Ammonius noster. Adde quòd Zacharias Chrysopolitanus (*b*) Episcopus, de quo suo loco verba faciemus, Harmoniam ex Evangeliorum verbis digestam, quæ incipit à præfatione Sancti Lucæ, & genealogias continet,

B Ammonio Alexandrino vindicaverit in doctissimis Commentariis, quos in eam ante annos quingentos ex variis Sanctorum Patrum interpretationibus composuit. Plura repete ex Annalibus Ecclesiasticis Card. Baronii ad annum 174. Possevino, aliisque recentioribus: nam Sixtus Senensis, Georgius Ederus, & plures alii viri eruditi errantem sequuti sunt Victorem Capuanum. Quod verò Victor idem, Zacharias, & passim recentiores asserunt, ab Ammonio primùm excogitatos fuisse Evangelicos Canones, quos deinde Eusebius Cæsariensis sequutus sit, id ex S. Hieronymi cap 55. de Scriptoribus Ecclesiasticis didicerunt, quem tamen opinione sua falsum fuisse docebimus infra suo loco ex Eusebii Cæ-

C sariensis ad Carpianum scripta epistola, quæ iisdem Canonibus Evangelicis præfigi solet. Tradit enim se occasione Ammonianæ Harmoniæ excogitasse certo consilio Canones illos; non verò ab Ammonio, aut ullo alio eos accepisse.

Vixit hic Ammonius, cognomento Σακκᾶς ἢ Σακκοφόρος, sub initia tertii æræ Christianæ sæculi circa annum Christi 222. si quidem fuerit, ut ex Porphyrio mox dicemus, Origenis Adamantii in Philosophia præceptor. Nam S. Hieronymus loco citato testatur Ammonium eodem cum Origene tempore clarum Alexandriæ fuisse habitum, falsoque accusatum à Porphyrio, quod ex Christiano ethnicus fuerit, cùm certò constet eum usque ad extremam vitam perse-

D verasse Christianum, qua de re plura Eusebius libro 6. Hist. Ecclesiasticæ, cap. 19. Idem Porphyrius in vita Plotini Platonicæ sectæ Philosophi, narrat Ammonium Religionis Christianæ arcana discipulis suis sub silentii religione communicasse, & Herennium, Origenem, atque Plotinum obstrinxisse, cumque Herennius primus eam fregisset, nec Origenem, nec Plotinum promissis stetisse. Illud verò certò possumus affirmare, Ammonium opinionibus veterum Philosophorum perpurgatis, puram Philosophiæ speciem restituisse, ostendisseque Platonem, ejusque discipulum Aristotelem, Philosophorum Gentilium Coryphæos in præcipuis quibusque dogmatibus minimè dissentire. Sunt quoque, qui inter ejus discipulos

E annumerent ipsum, de quo locuti sumus, Porphyrium Jamblichum, atque Hieroclem. Verùm eos exacta temporum ratio (*c*) fugisse videtur. De eodem consule Hieroclem libro de Providentia apud Photium cod. 251. Ammianum libro 22. sub finem, Suidam in Plotino & Origene, Trithemium, qui ei præter librum de consonantia JESU & Moysi, & Unum ex quatuor, tribuit quoque librum unum Canonum Evangelicorum, qui incipit: In primo Canone quatuor, &c.

Fuit & alter Ammonius ætate junior, ac professione Christianus, qui post Concilium Chalcedonense scripsisse perhibetur, cujusque in Catenis Græcis veterum Patrum in Sancti Joannis Evangelium, & alios Sacræ Scripturæ libros frequens mentio reperitur. De eo plura leges in Præfatione Anago-

gicarum

gicarum Contemplationum Anastasii Sinaitæ in Hexaemeron. An verò is fuerit Ammonius ille Hermeas (*d*) Procli auditor, imperante Anastasio Dicoro, inter Philosophos Aristotelis sectatores, ejusque librorum enarratores, non postremus, curiosis disquirendum relinquo. Certè donec major mihi lux affulserit, Hermeam à cæteris discernere non verebor.

(*a*) De hoc intelligenda arbitror verba Philostrati lib. 2. in Hippodromo: Ἱππόδρομος μὲν γὰρ δὴ πλεῖστα μὲν ἐξέμαθεν Ἑλλήνων τῶν γε μετὰ τὸν Καππαδόκην Ἀλέξανδρον μνήμης εὐτυχησάντων πλεῖστα δὲ ἀνέγνω μετά γε Ἀμμώνιον τὸν ἀπὸ τοῦ περιπάτου ἐκείνου γὰρ πολυγραμματώτερον ἄνδρα οὔπω ἔγνων.

(*b*) Chrysopolitanus, ut volunt Episcopus. Vide suo loco.

(*c*) Saltem quod ad Jamblicum spectat. Suidas in Lexico V. *Ἀμμώνιος* castigandus est quod Porphyrii retulerit quidem, sed non arguerit in mentiendo impudentiam. Quæ verò sequuntur gravissimo laborant interpunctionis vitio, atque interpretes omnes Lectoresque spississimis obvolvunt tenebris. Quid enim sonant ista, Porphyrius Ammonii Alexandri discipulus, qui etiam Aristarcho in schola successit, priusquam Augustus monarchia potiretur? Itaque sic legendum censeo, *Ἀμμώνιος Ἀλεξάνδρου γνώριμος, ὃς καὶ διεδέξατο τὴν σχολὴν Ἀριστάρχου, (ἔζη κατέθανε) πρὸ τοῦ μοναρχῆσαι τὸν Αὔγουστον.* Fuit & Alius Ammonius qui vixit, floruit, obiitve ante Augusti Monarchiam, discipulus Alexandri Polystoris qui Aristarcho in schola successerat. Ex præcedenti verò Suidæ commate constat errare plerosque qui cum Volaterano Ammonio nostro tribuunt, quod Ammoniano Grammatico Syriani cognato convenit, ut Asinum omnium animalium stupidissimum habuerit sapientiæ auditorem. Vide etiam ὄνος Λύρας.

(*d*) sive Hermeæ filius.

SUPPLEMENTUM.

AMMONIUS Alexandrinus, *Saccas* dictus, Philosophus Christianus, floruit sub initium tertii æræ Christianæ sæculi, circa annum Christi 222. cùm fuerit juxta Porphyrium in vita Plotini Platonicæ sectæ Philosophi, Præceptor Origenis Adamantii in Philosophia. Scripsit *Concordiam Evangelicam*, seu *ex quatuor Evangeliorum libris unum contexuit* ex puris Evangeliorum verbis quod opus anonymum inventum & malè Tatiano attributum, in latinam linguam transtulit Victor Capuanus Episcopus circa annum 545. incipit ab Exordio ipso sancti Lucæ, continetque genealogiam humanam Christi, quam Tatianus ex professo resecuerat, quæ amplioribus apud Labbeum verbis in Tatiano & Ammonio continentur, altera verò quæ in prima impressione Bibliothecæ veterum Patrum anni 1575. continetur sub nomine *Ammonii*, & incipit à primis verbis Evangelii Joannis, *In principio erat Verbum*, *&c.* & quam vertisse in latinum sermonem dicitur Ottomarus Luscinius; nec Ammonii est nec Tatiani, sed elegans ac Latina paraphrasis Anonymi cujusdam in Evangelia. Hoc cautè annotandum.

De S. Gregorio Thaumaturgo. 233.

SANCTUS GREGORIUS antea Theodorus dictus, Episcopus fuit Neo-cæsariensis, & à magnitudine miraculorum patratorum Thaumaturgus appellatus, auditor fuit Origenis, dum esset adolescens, sed ab erroribus ejus omnino immunis fuit. Claruit tempore Alexandri Severi, cujus an. 10. factum Episcopum scribit Card. Baronius in secundo tomo Annalium, ad ann. 233.

A Scripsit *Metaphrasim in Ecclesiastem*. *Panegyricum in Origenem*. *Brevem fidei confessionem*, quam ex revelatione B. Joannis Apostoli didicit. *Expositionem fidei adversus Elianum*. *Et Epistolam Canonicam*. His nuper adjunxit Gerardus Vossius *duodecim sententias cum anathematismis*: Qui extant Græcè & Latinè apud Henricum Canisium tomo tertio antiquæ lectionis. *Tres sermones* ejusdem sancti Gregorii de Annunciatione B. Virginis. Item Sermonem de Baptismo Christi, sive de Theophania Domini: denique *disputationem de Anima ad Tatianum*.

Et quidem de metaphrasi nullum est dubium. Ejus enim testatur S. Hieronymus tum in libro de Scriptor. Eccles. tum in Commentario ad caput 4. Ecclesiastæ. Ruffinus etiam meminit lib. 7. histor. Eusebii cap. 25. & falluntur, qui eam tribuunt Gregorio Nazianzeno.

De Panegyrico quoque in Origenem res notissima B est. Scripsit enim illum adolescens, & coram ingenti multitudine, ipso etiam Origene audiente, recitavit, teste S. Hieronymo de Scriptor. & hoc tempore in lucem prodiit auctore Gerardo Vossio hunc ipsum Panegyricum Græcè, & Latinè.

Non minus certum est didicisse sanctum Gregorium confessionem fidei à B. Joanne Evangelista sibi cum ipsa sanctissima Virgine Deipara apparente, cujus rei meminit Gregorius Nyssenus in vita Gregorii Thaumaturgi: & eam ipsam fidei confessionem ab eodem Gregorio scriptam, totidem verbis referunt idem Gre- C gorius Nyssenus, & alii.

Denique extra Controversiam est epistola canonica, quam etiam Balsamon Commentariis illustravit.

Expositionem fidei, quam sanctus Gregorius scripsit, existimat Gerardus Vossius se invenisse, & edidisse; sed fortasse fallitur: nam expositio illa fidei, cujus meminit sanctus Basilius in epist. 64. ad Neocæsarienses, quæ verè à Gregorio Thaumaturgo scripta fuerat adversus Elianum, multum differt ab ista, quæ nunc extat apud Vossium. In illa enim habebatur, Patrem & filium hypostasi esse unum, & sola animi cogitatione distingui: unde suspicio orta erat à Gregorio foveri hæresim Sabellii: & S. Basilius D laborat, ut Sanctum Gregorium à Sabellianismi suspicione defendat. Sed videtur sanctus Gregorius per hypostasim intelligere voluisse substantiam, sive essentiam, nam de voce hypostasis differens S. Hieronymus in Epistola ad Damasum dicit, totam sæcularium litterarum scholam nihil aliud per hypostasim, nisi unam nosse. At expositio fidei, quam Vossius edidit, Sabellium nominatim refutat, neque unquam dicit, Patrem & filium hypostasi esse unum, & sola rationis cogitatione distingui, sed contra dicit, Patrem & filium natura divinitatis esse unum, & unamquamque personam per se subsistere, & aliam esse hypostasim Patris, aliam filii, &c. Præterea expositio fidei Vossiana videtur omnino scripta contra E Arianos, ac per hoc satis diu post tempora S. Gregorii Thaumaturgi; sic enim incipit: Inimicissimi, & alieni à confessione Apostolica sunt, qui dicunt, esse filium ex non extantibus, &c. & infra: Eos verò, qui communicant cum iis, qui rejiciunt homousion, tamquam alienum à scripturis, & qui dicunt aliquid ex Trinitate creatum esse, alienos existimamus.

Constat autem Arianos fuisse, qui dicebant, filium esse ex non extantibus & qui rejiciebant vocem, homousion, tamquam alienam à scripturis. Quin etiam ita disputat hic auctor de Incarnatione, ut videatur refellere Nestorianos, & Eutychianos.

Eadem censura addi potest ad duodecim capitula cum anathematismis, quæ Gerardus Vossius sancto Gregorio tribuit. Videntur enim illa capitula quasi appendix quædam ad expositionem fidei adjuncta: ac præci-

præcipuè Nestorii & Eutychetis erroribus opponuntur: qui hæretici longè post obitum sancti Gregorii sunt.

De sermonibus in Annunciationem, & Theophaniam Dominicam, ut etiam de libello, De anima ad Tatianum, nihil certi habeo, cum nec veteres horum operum meminerint; neque tamen convinci possit, eos esse suppostitios.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS GREGORIUS, antea dictus Theodorus, Neocæsareæ in Ponto Episcopus, Thaumaturgus vulgò cognominatus, ob creberrima signa atque miracula, quæ jam Episcopus cum multa Ecclesiarum gloria perpetravit, quæque adhuc extitisse suo tempore testatur S. Hieronymus Catalogi cap. 65. Hic admodum adolescens ob studia Græcarum & Latinarum litterarum de Cappadocia Berytum, & inde Cæsaream Palæstinæ transiit juncto sibi fratre Athenodoro. Quorum cùm egregiam virtutem vidisset Origenes, hortatus est eos ad Philosophiam, in qua paulatim Christi fidem subintroducens, sibi quoque sectatores reddidit. Quinquennio elapso Theodorus profectionem ad matrem cum fratre parans πανηγυρικὸν εὐχαριστίας scripsit Origeni, & convocata grandi frequentia, ipso quoque Origene præsente, recitavit. Inde anno, ut quidam volunt, 240. sunt qui 233. malint, Alexandri Severi 10. à Phædimo Amasenorum Antistite creatur Neocæsareæ Ponti Episcopus, cùm tantùm 17. essent Christiana fide imbuti, post exantlatos pro Religione plurimos labores, multisque miraculis peractis cœlum petiit die 17. Novembris, anni Æræ Christianæ 265. Gallieni Imper. 12. Antiocheno Concilio priori adversus Paulum Samosatenum interfuit teste Eusebio, quem de eo consule libri 6. cap. 23. libri 7. capp. 13. & 25. ibidemque Ruffinum, S. Basilium cap. 29. libri de Spiritu Sancto, & epist. 64. Socratem, Theodoretum, cui libro 2. contra hæreticos dicitur ὁ μέγας ὁ περιβόητος, ὁ τὰς παρὰ πάντων ᾀδομένας θαυματουργίας ἐπιτελέσας Evagrium (*a*) Suidam, & ex recentioribus Baronium, similesque.

Opera ejus omnia, quotquot in Bibliothecis insignibus reperiri potuerunt, unà cum ejusdem vita Græcè & Latinè prodierunt 1604. in quarto Moguntiæ interprete & scholiaste Gerardo Vossio, Borchlonio, Præposito Tungrensi: quam editionem repræsentarunt Parisienses Typographi in folio anno 1621. junctis Sanctorum Macarii Ægyptii, & Basilii Seleuciæ Ep. operibus, & Zonaræ expositione in aliquot Canonicas Græcorum Epistolas. In hoc tamen differunt, quòd in Moguntina notæ suis locis passim insertæ, quæ ad calcem Parisiensis rejectæ sunt, quam sequemur.

Expositio fidei, quam per revelationem à Sancto Joanne Evangelista, mediante Dei genitrice Maria accepit. Certum quidem est teste S. Gregorio Nysseno in Thaumaturgi vita, Deiparam cum S. Joanne Evangelista apparuisse, & Joanni imperasse, ut expositionem Fidei Catholicæ illi traderet. Sed an ea sit Vossiana jure dubitat Bellarminus, quem vide cum Petavio Tomo II. Theol. Dogmatum, qui negat.

Capita XII. de Fide, subjecto singulis capitibus anathematismo, & apposita uniuscujusque capitis interpretatione contra hæreticos & Judæos. Dubitat de iisdem meritò Bellarminus.

In Annuntiationem Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ sermones tres. Bellarminus nec probat, nec rejicit: Vincentius Ricardus Clericus Regularis Theatinus in notis ad orationem sextam S. Procli, P. C. P. dubitat an secundus sermo de Annuntiatione B. V. sit

A prædicti Procli, cujus sententias imitatur, & vocem Θεοτόκου ipsi familiarem affectat. Quod verò ad tertium spectat, is sub nomine Chrysostomi apud Lipomanum & Surium Latinè reperitur. Guill. Perkinsus, & ex eo Rivetus dubios esse probant insulsissima ratione persuasi, quod scilicet vitæ, Sanctorum lectiones, item & hymni eorum festis convenientes primùm à Carolo M. constituti sint circa annum 807. multis post Thaumaturgum sæculis, in eamque rem lepidè citant Paulum Æmilium libro 2. de Gestis Francorum, quem scire debuerunt abhinc centum & triginta annis vixisse. Verùm hic, ut in plerisque aliis, infatuatum esse consilium Achitophel pluribus aliàs demonstrabimus.

B *In Sancta Theophania*, sive de apparitione Dei & Christi Baptismo sermo. De eo non secus ac de præcedentibus orationibus anceps est Bellarmini censura.

Epistola Canonica de iis, qui in Barbarorum incursione idolothyta comederant, & alia quædam peccata commiserant. Versio Commentarii in eam Epistolam à Theodoro Balsamone elucubrati additur in editione Moguntina. De ea nec Græci, nec Latini ambigunt Orthodoxi.

De Anima disputatio per capita ad Tatianum. Non audet quidquam certi in alterutram partem pronuntiare Bellarminus.

In Origenem prosphenetica ac panegyrica oratio, πανηγυρικὸς εὐχαριστίας dicitur S. Hieronymo, quam Cæ-
C sareæ Palæstinæ post aliquot annorum apud illum disciplinam habuit, cùm in patriam reditum pararet. Ejus verò interpres fuit R. P. Jac. Sirmondus, quod pauci hactenus norunt, & ab eo jam grandi ætate, cùm inter nos de illa versione sermonem fortè miscеremus, accepi. Eandem Gregorii τοῦ τερατουργοῦ in Origenem nuncupatoriam orationem Græcè & Latinè edidit Augustæ Vindelicorum David Heschelius anno 1605. post Origenis adversus Celsum libros octo cum aliquot notis.

Paraphrasis in Ecclesiasten Salomonis, Jacobo Billio Prunæo illius interprete, quemadmodum & reliquarum Nazianzeni orationum, inter quas Metaphrasis ista minùs appositè reperitur, ut §. de Greg. Na-
D zianzeno monebimus ex Hieronymo, Ruffino, aliisque. Latina illa versio absque textu Græco habetur in editione Moguntina.

Alia Fidei expositio, ἡ κατὰ μέρος πίστις dicta est, videturque spuria, cùm Sabellii meminerit, & ob alias rationes. Latinè tantùm ex interpretatione R. P. Francisci Turriani, sive Torrensis, Soc. JESU Theologi, qui etiam monet citari ab Anastasio Presbytero ἐν συλλογῇ.

Gerardi Vossii notæ & variæ lectiones cum notis Jacobi Billii, & Frontonis Ducæi Soc. JESU Theologi ad Metaphrasim Salomonis.

Subjunxit Vossius in Moguntina, non solùm Vitam S. Gregorii Thaumaturgi à S. Gregorio Nysseno
E Episcopo scriptam Græcè & Latinè ex propria interpretatione cum notis, sed etiam quædam Sanctorum Patrum aliorumque opuscula, partim Latinè tantùm, partim etiam Græcè, quorum catalogum hìc adtexam libens.

I. *Sermones novem S. Joannis Chrysostomi de Ascensu Domini.*

II. *Homilia S. Hippolyti Martyris adversus hæresim Noeti.*

III. *S. Basilii Magni epistola Græcè & Latinè tum primùm edita.*

IV. *S. Basilii Magni Encomium in SS. Quadraginta Martyres Gr.*

V. *Passio eorumdem XL. Martyrum, ex variis mss.*

VI. *B. Samonæ Archiep. Gazæ, de veritate Sacramenti Eucharistiæ Dialogus.*

VII. *Nicolai Episcopi Methones de veritate Eucharistiæ assertio ad eos qui de tanti Sacramenti veritate dubitant.*

VIII. *Sermo S. Antonii Abbatis de Vanitate Mundi, & de resurrectione Mortuorum.*

IX. *Monita S. Pachomii Abbatis.*

X. *Interrogationes cujusdam Fratris perutiles ad Abbatem Pastorem.*

XI. *De muliere quæ peccata in charta conscripserat*, &c. quod S. Amphilochio Iconensi adscribitur.

XII. *Passio S. Thomæ Cantuar. Arch.*

XIII. *Epistola Dogmatica S. Leonis Papæ Magni ad Flavianum Ep. C. P. Græcè & Latinè cum notis.*

XIV. *Ejusdem epistola ad Leonem Imp. Aug. Græcè & Latinè.*

XV. *Testimonia à S. Leone Papa collecta, & ad Leonem Imp. directa, quòd D. N. I. C. verus sit Deus & verus homo, Græcè & Latinè.*

XVI. *Petri Ravennatis Episcopi, dicti Chrysologi, epistola contra Eutychem Hæresiarcham Gr. & Lat.*

XVII. *Tractatus S. Leonis Papæ adversus errores Eutychetis, & aliorum hæreticorum, tunc primùm editus.*

XVIII. *Edictum S. Leonis Papæ I. de bonis Ecclesiæ non alienandis*, ad universos Episcopos, per Siciliam constitutos tum primùm editum.

XIX. *Ejusdem S. Leonis Epistola super auctoritate Nicæni Concilii, & de non ambiendis pluribus Ecclesiis*, ad Julianum Coensem Episc.

XX. *Sermo de Sanctis Martyribus, & de inimicis diligendis, integer*, quem alii S. Leoni, alii S. Augustino tribuunt.

XXI. *Sermo de Absalone quando patrem persequebatur*, qui aliàs S. Leoni, aliàs S. Joanni Chrysostomo tribuitur: creditur autem Chrysologi.

XXII. S. Patricii legatio à Cælestino I. Papa ad conversionem Hiberniæ directi, sive, Epistola S. Patricii Apostoli Hiberniæ.

XXIII. Cantuariensium Episcoporum omnium à Sancto Augustino primo Cantuariensi Archiepiscopo Catalogus, cum Passione sancti Thomæ Archiepiscopi breviter accurateque descripta.

(*a*) libro 3. cap. 31. Leontium de sectis Actione 8. Liberatum Breviarii cap. 10. ubi dicitur mirabilis, seu miraculorum patrator, &c.

SUPPLEMENTUM.

GREGORIUS Neocæsariensis in Ponto Episcopus, qui ob signa & miracula quæ cum magna Ecclesiæ gloria ostendit, Thaumaturgus & Ponticus est appellatus, cùm & Theodorus diceretur; quemadmodum habet Hieronymus in Catalogo & in Epistola 84. ad Magnum. Discipulus fuit Origenis, doctrina celebris, inde postea à Phædimo Amasenorum Episcopus factus Neocæsareæ in Ponto Episcopus circa annum 233. vel 240. Obiit anno circiter æræ Christianæ 265. die 17. Novembris.

Porrò Gregorii Thaumaturgi Episcopi Neocæsariensis opera varia, græcè & latinè summa cura undique comparata, interprete & scholiaste Doctore Gerardo Vossio colliguntur Romæ anno 1594. una cum variis Sanctorum Patrum opusculis, quæ antea numquam prodierant è prælis, eodem interprete & scholiaste Gerardo Vossio. Hæc autem impressa in 4. Moguntiæ anno 1604. & in fol. Parisiis anno 1622. junctis Sanctorum Macarii Egyptii, & Basilii Seleuciæ Episcopi operibus, cum Zonaræ expositione in aliquot Canonicas Græcorum Epistolas. De his operibus plenè Possevinus *in suo Apparatu sacro*, Bellarminus & Labbeus *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, qui multis contendunt ut magnam saltem eorum partem, si non omnia, legitimam & putent & probent. Attamen ut ego ingenuè sensum meum aperiam, dicam valdè mihi suspecta esse ea omnia quæ sub ejus nomine vulgata sunt, ob auctoritatem sancti Gregorii Nysseni Episcopi, qui teste Leontio Byzantino in libro *de Sectis* cap. 8. ait in vita Divi Gregorii Thaumaturgi quam conscripsit, eum nihil de scriptis reliquisse posteritati: quis enim hoc melius noscere poterat, quàm Sanctus Gregorius Nyssenus, qui vitam ejus scribebat?

De Novatiano Antipapa.

SUPPLEMENTUM.

NOVATIANUS Antipapa primus, adversus S. Cornelium anno 251. electus, & hæresis Catharorum princeps, scripsit librum unum *De Trinitate*, & alterum *De Cibis Judaicis*, quos suis commentariis illustravit Jacobus Pamelius Belga, habentque omnes cum Tertulliano editiones Pamelianæ in Belgio, Gallia, & alibi.

De S. Cornelio Papa. 354.

SANCTUS CORNELIUS Papa tempore Decii sedit, & scripsit *insignes epistolas*, quarum meminit sanctus Hieronymus in libro de Scriptor. Eccles. è quibus extat solùm epistola ad Fabium, sive Flavianum Antiochenum Episcopum, sed non integra, apud Eusebium libr. 6. hist. cap. 35. & alia brevis ad Lupicinum, tom. 1. Bibliothecæ sanctorum Patrum: & aliæ duæ inter epistolas sancti Cypriani.

DISSERTATIO HISTORICA.

SUCCESSIT sancto Fabiano post annuum interpontificium exeunte mense Aprili anni æræ Christianæ 251. cumque sedisset annis 2. mens. 4. & diebus 17. passus est sub Gallo & Volusiano die 14. Septembris anni 253. Meminit sanctus Hieronymus cap. 66. de Scriptoribus Ecclesiasticis, quatuor Epistolarum S. Cornelii ad Flavianum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum. I. *De Synodis, Romana, Italica, & Africana.* II. *De Novatiano, & his qui lapsi sunt.* III. *De gestis Synodi.* IV. *De Novatianæ hæreseos causis, ac damnatione.*

Hujus fragmentum extat apud Eusebium lib. 6. Hist. Eccl. cap. 43. unde inter alia discimus jam tum Romæ fuisse saltem 46. Presbyteros; insulsè verò hæc subdit in scholio ad illud Hieronymi caput Aubertus Miræus: Quis & quantus vir fuerit Flavianus, quotque procellis persecutionum exagitatus fuerit, ex Chalcedonensi & Ephesino (intellige Latrocinalem Synodum) Conciliis constat. Grandi certè ducentorum propemodum annorum parochronismo peccat, & Antiochenam sedem in Constantinopolitanam transformat. Corrupta quoque moneo, quæ de iisdem Cornelio & Flaviano contraxit in sua Ecclesiæ Luminaria Honorius Augustodunensis.

Habetur in Bibliotheca Veterum Patrum *Cornelii Papæ Epistola ad Lupicinum Archiepiscopum Viennensem*, & duæ aliæ inter Cypriani Epistolas, ordine 46. & 48. Nec desunt inter Isidori merces duæ aliæ ejusdem Epistolæ datæ Maximo & Decio Consulibus; de quibus consule Baronium, & ex Heterodoxis Blondellum.

De

De S. Sixto Secundo.

SIXTUS SECUNDUS Pontifex, & martyr, dicitur scripsisse *librum sententiarum*, sive proverbiorum, qui citatur à sancto Augustino lib. De natura, & gratia, cap. *64*. & extat in tomo 5. Bibliothecæ sanctorum Patrum edit. 2.

Cæterum liber ille falso tribuitur sancto Sixto martyri, cùm sit Sixti Philosophi ethnici, ut sanctus Hieronymus demonstrat in epistola ad Ctesiphontem; & in cap. 22. Hieremiæ, & in cap. 18. Ezechielis: & sanctus Augustinus lib. 2. Retractationum cap. 42. retractat locum citatum ex libro de natura & gratia. Denique Gelasius in Concilio 70. Episcoporum reprobat librum proverbiorum sub nomine sancti Sixti ab hæreticis conscriptum: dicit autem ab hæreticis conscriptum, quia Ruffinus eum librum plenum erroribus convertit ex Græco, & sancto Sixto attribuit.

Dissertatio Historica.

SANCTUS SIXTUS Papa II. per menses undecim & dies tredecim ab anno 257. ad diem usque *6.* Augusti anni sequentis, quo sanguinem pro Christo effudit. Errat Miræus quòd 12. illi menses adsignet, ejusque mortem in annum *259.* differat cum quibusdam aliis.

Ejus nomine Ruffinus Aquilejensis Presbyter Sexti cujusdam Pytagorici Philosophi hominis absque Christo Gnomas, sive sententias vulgavit à se Latinitate donatas, quæ extant in Bibliothecis Veterum Patrum & seorsim editæ cum præfatione ejusdem Ruffini ad Apronianum. De iis dicetur infra. V. Ruffinus ex scriptis SS. Augustini & Hieronymi qui librum hunc ait Annulum nominatum fuisse, &c. nunc autem præstat obiter advertere Auctorem illum Anonymum, qui ad SS. Isidorum & Ildefonsum Appendicem XII. Scriptorum Ecclesiasticorum attexuit, non legisse Augustini cap. 42. libri secundi Retractationum, aut S. Hieronymi opera, dum pristina caligine jam depulsa & retectis Ruffini technis ita caput primum inchoavit: Sixtus, Episcopus Romanæ urbis & Martyr, composuit ad instar Salomonis librum Proverbiorum tam brevi eloquio, ut in singulis versiculis singulæ explicentur sententiæ. Cui quidem opusculo hæretici quædam contra Ecclesiasticam fidem inseruerunt, quo facilius sub nomine tanti Martyris perversorum dogmatum reciperetur assertio. Sed is, qui Catholicum sese meminit, probando legat, & ea, quæ veritati contraria non sunt, recipiat. Quidam autem putant eumdem librum ab Hæreticis, non à Sixto, fuisse dictatum. Refellit autem hanc opinionem beatissimus Augustinus, qui in quodam opere suo (libri nimirum de Natura & gratia capite *64*.) ab eodem Martyre hoc opus compositum fuisse fatetur. Hæc ille minus ad rem appositè, cùm etiam Gelasius Papa sententias illas inter apocryphas rejecerit Can. sancta Romana dist. XV. his verbis: Liber Proverbiorum, quia ab Hæreticis conscriptus, & sancti Xysti nomine prænotatus est, apocryphus. Neque verò castigatione non indiget Gesnerus, ejusve Epitomator Simlerus, qui Enchiridion Xysti hujus sive Sexti Philosophi Pythagorici à Sanctis Patribus Romanisque Pontificibus proscriptum, & inter apocrypha relatum, sententias pias ac Christianas vocat, impressas Basileæ, à Beato Rhenano recognitas ad antiquum exemplar, quod apud divam Fidem Selestadii habetur.

De sancto Cypriano. 250.

SANCTUS CYPRIANUS vir eloquentissimus, & sanctissimus sub Valeriano, & Gallieno martyrium passus est, teste sancto Hieronymo in libro de Scriptor. Eccles. sed in Episcopum promotus fuit temporibus Fabiani Papæ, & Philippi Imp. proinde sedit temporibus Fabiani, Cornelii, Lucii, Stephani, & Sixti, Pontificum Romanorum. Opera ejus multa extant, sed non omnia indubitata: primò igitur catalogum texemus operum indubitatorum.

Opera sancti Cypriani, indubitata.

Epistolarum libri quatuor, quas Pamelius ordine temporum digessit, & sunt numero 83. De habitu Virginum, tractatus unus. De lapsis, 1. De simplicitate Prælatorum, sive de unitate Ecclesiæ, 1. De oratione Dominica, 1. Contra Demetrianum, 1. De Idolorum vanitate, 1. De mortalitate, 1. De Eleemosyna, 1. De bono patientiæ. De zelo, & livore, 1. De exhortatione Martyrii, 1. Ad Quirinum contra Judæos, libri tres. Ad Jubajanum de baptizandis hæreticis, 1. Ad Pompejum contra epistolam Stephani Papæ, 1. Hos tamen duos libros Pamelius inter epistolas conjecit, & sunt epistolæ 73. & 74. Sententiarum ex Concilio Carthaginensi de hæreticis baptizandis, 1.

Opera suppostitia, vel dubia.

De monte Sina, & Sion, tractatus unus. De revelatione capitis sancti Joan. Baptistæ. Expositio symboli. De singularitate Clericorum. De operibus Cardinalibus Christi, serm. 12. De laude Martyrii. De disciplina, & bono pudicitiæ. Ad Novatianum de spe veniæ lapsis non neganda. De duplici martyrio. De aleatoribus. De cœnæ dispositione. De duodecim abusionibus sæculi. De spectaculis. De Judaica incredulitate ad Vigilium. De Judæis, qui insecuti sunt Christum. Carmen, Genesis. Carmen, Sodoma. Carmen ad Apostatam Senatorem. Hymnus de Pascha. Oratio pro Martyribus, quæ incipit, Agios. Oratio altera, quæ incipit, Domine sancte Pater. Tractatus de monte Sina, & Sion non habet stylum sancti Cypriani.

Tractatus de revelatione capitis sancti Joannis Baptistæ, non est sancti Cypriani, sed auctoris multo recentioris, qui in hoc ipso opere mentionem facit sanctorum Athanasii, & Cyrilli: item Theodosii Imp. & Pipini Regis Francorum: & ipsa revelatio capitis sancti Joannis Baptistæ contigit sub Theodosio, ut Nicephorus testatur lib. 12. cap. 49. Itaque revelatio de qua hic agitur facta est annis plus centum post obitum sancti Cypriani.

Expositio Symboli, non est sancti Cypriani, sed Ruffini: nomine Ruffini habetur inter opera sancti Hieronymi: & testatur Gennadius in libro de viris illustribus, Ruffinum in explicatione Symboli excelluisse: denique stylus est Ruffini, non sancti Cypriani.

Tractatus de singularitate Clericorum, ubi prohibetur Clericis cohabitatio fœminarum, insignis & utilis est & antiqui sine dubio auctoris: nonnullis videtur esse potius Origenis, quàm Cypriani; sed tamen stylus apertè reclamat, & Latinum auctorem non Græcum esse clamat. Idem etiam stylus satis diversus est à stylo sancti Cypriani, & verba multa parum latina admiscet, quæ in Cypriano non inveniuntur, qualia sunt, inordinalitas, contubernalitas, mulcedo, passibilitas, & alia.

Sermones de operibus Cardinalibus Christi, eruditi, & antiqui auctoris sunt, sed non videntur esse Cypriani. Primùm enim stylus multo humilior est, quàm sancti Cypriani esse soleat. Deinde in sermone de tentatione & jejunio, docet hic auctor Diabolum cecidisse de cœlo ante hominis creationem: cujus sententiæ contrarium habet sanctus Cyprianus in tractatu de zelo, & livore. Denique in præfatione sic alloquitur sanctum Cornelium Papam: Quia, inquit, solent aliquando Patres nugis infantilibus arridere, & linguis balbutientibus delectari, indulgentiam meretur humilitas, quæ quo potest accessu sublimitatis vestræ manibus se porrigit attrectandam: hæc ille. At S. Cyprianus semper Cornelium fratrem, & collegam appellabat: nec ignorabat, se non minus doctum, & disertum, quàm Cornelius esset; & cùm præterea Episcopus ante Cornelium ordinatus fuisset, & in Ecclesia universa mirificè clareret: numquam profectò scripta sua nugas infantiles appellaret; neque diceret, sublimitatem Cornelii lingua balbutiente Cypriani oblectari debere.

Libellus de laude martyrii ideò positus est inter opera Cypriani dubia, quoniam Erasmus dubitavit ob aliquam styli dissimilitudinem. Sed communiter admittitur inter vera opera sancti Cypriani, præsertim cùm Moses, & Maximus, ad quos liber iste scribitur, in epistola ad Cyprianum, quæ est 26. inter epistolas sancti Cypriani hujus ipsius libri mentionem faciant: neque stylus diffidet ab aliis operibus, nisi quod est magis elaboratus, quàm aliqua alia ejusdem opera; sed non magis quàm omnia. Siquidem epistola secunda, quæ est ad Donatum, non cedit huic libello; & tamen illa epistola est, hic verò liber similis orationi in genere demonstrativo.

Liber de disciplina, & bono pudicitiæ; & liber ad Novatianum de spe veniæ danda lapsis, sancti Cypriani mihi esse videtur; quicquid Erasmus dicat, qui nimis subtiliter de styli dissimilitudine aliquando judicat.

Liber de duplici Martyrio, sancti Cypriani esse non potest, cùm auctor mentionem faciat Diocletiani, & Maximiani Imperatorum, qui nondum imperare cœperant, cùm S. Cyprianus martyrium pateretur: ac ut magis miremur qua fronte ejusmodi libri sub Cypriani nomine edantur, meminit idem auctor belli Cæsarei contra Turcas.

Liber de aleatoribus utilis, & doctus est; sed non videtur esse Cypriani, cùm in principio satis apertè significet auctor, se universali Ecclesiæ præsidere, & Apostolatum gerere super quem Christus fundavit Ecclesiam, & Christi vicariam sedem obtinere, & sibi traditas esse claves ligandi & solvendi &c. Itaque videtur libellus esse alicujus Romani Pontificis, qui S. Cypriani scriptiones imitatur, quamvis styli ejus elegantiam non assequatur.

Liber de cœnæ dispositione non solùm Cypriani non est; verum neque alicujus docti hominis est. Fortasse auctor ejus Cyprianus dicebatur, sed longe diversus ab illo, de quo nunc agimus; nam neque verba, neque sententias habet homine docto dignas; sed ineptas, & ridiculas narrationes, & fabellas.

Liber de duodecim abusionibus sæculi S. Cypriani esse non potest, cùm passim citet scripturas ex versione S. Hieronymi: qua ratione neque S. Augustini erit, quamvis inter ejus etiam opera feratur.

Liber de spectaculis egregius est, & ad imitationem libri Tertulliani de eodem argumento o nscriptus. Ratio dubitandi sitne Cypriani, an non, sola styli diversitas esse videtur.

Liber de incredulitate Judaica ad Vigilium, nihil est aliud, nisi versio in Latinam linguam dialogi Græci inter Jasonem Christianum, & Papiscum Hebræum: qui Græcus dialogus antiquissimus est, cùm ejus meminerit Origenes lib. 4. contra Celsum. Auctor autem Latinæ versionis non Cyprianus, sed Celsus dicitur, ut perspicuum est ex ultimis verbis libri.

Liber de Judæis, qui insecuti sunt Christum, sancti Cypriani non esse videtur ob nimis magnam styli diversitatem.

De Carminibus & orationibus nihil certi habeo: nam neque habemus veterum testimonia, unde probemus opera ista esse Cypriani: neque habemus argumenta, unde probemus non esse; opera sunt gravia, & docta, & S. Cypriano digna.

Dissertatio Historica.

Sanctus Cyprianus, ex Rhetore factus Christianus, suadente Presbytero Cæcilio, à quo & cognomen Cæcilii sortitus est, Carthaginensis Ecclesiæ Episcopus, & Africæ Primas anno 248. consecratus est, ac post decem annos die Septembris 14. anni 258. martyrium haud procul Carthagine passus sub Valeriano ejusque filio Gallieno Romanis Impp. De eo Pontius ejus Diaconus, varia Acta, sed vetera ac probatæ fidei, SS. Augustinus & Hieronymus pluribus locis, Ruffinus Apologia pro Origene, Prudentius in Hymnis, S. Greg. Nazianzenus, Ennodius Ticinensis, aliique passim.

Ejus opera edita habentur in omnium manibus collecta studio Desiderii Erasmi, Pauli Manutii, Jacobi Pamelii, Simonis Gourlatii Silvanectensis, qui se pestilentissimum ubique prodit hæreticum, & demum Nicolai Rigaltii, cujus hîc editionis anno 1648. Parisiis peractæ ordinem repræsentabo, in cujus Notis quemadmodum & in Tertullianicis quædam esse Catholicis Theologis suspecta, & vix ullis interpretationibus mollienda jam alii ante nos observarunt.

Epistolæ I. *ad Donatum statim à Baptismo conscripta.* II. *Et aliæ usque ad 39. in secessu Cypriani toto biennio scriptæ.* XL. *Et aliæ usque ad 57. scriptæ sub Pontificatu Cornelii & Lucii Romanorum Pontificum.* LVIII. *usque ad 65. miscellaneæ in pace Ecclesiæ variis temporibus conscriptæ.* LXVI. *Usque ad 75. sub Pontificatu Stephani scriptæ, & de baptizandis hæreticis.* LXXVI. *Usque ad 82. in exilio scriptæ, & sub finem vitæ. De Disciplina & habitu Virginum. De Lapsis. De unitate Ecclesiæ Catholicæ: vulgò, de Simplicitate Prælatorum. De Oratione Dominica. Ad Demetrianum. De Idolorum vanitate. De Mortalitate. De opere & eleemosynis. De bono patientiæ. De zelo & livore. Ad Fortunatum, de Exhortatione martyrii. Ad Quirinum, Testimoniorum contra Judæos libri tres. Concilium Carthaginense de baptizandis hæreticis.*

Opera S. Cypriano adscripta.

De Spectaculis. Dubitat Bellarminus.

De disciplina & bono pudicitiæ. Retinendum censet Bellarminus.

De laude martyrii, ad Moysem & maximum, & cæteros Confessores. Non subscribit Erasmi censuræ Bellarminus.

Ad Cornelium, vel ut qq. mss. codd. habent Hadrianum vel Alexandrum Papam *de Cardinalibus operibus Christi à Nativitate usque ad Ascensum ejus ad Patrem, & de sancto Spiritu.* Quod opus planè egregium adjudicem libens Arnoldo Bonævallis in Carnutibus Abbati, ut ubi de Arnoldo Ab. monetur. Neque enim planè arrident, quæ hîc Bellarminus, Billius ad orationem 42. S. Naz. & alii in medium hactenus protulerunt. Conjecturam meam

meam probari gavisus sum judicio R. P. Theophili p. 136. Erotematum. (*a*)

De Aleatoribus. Bell. censet ab aliquo Papa Romano scriptum. (*b*)

De Montibus Sina & Sion contra Judæos. Vide Bellarminum.

Carmen, *Genesis*. Hoc & sequentia aliis quoque tribuuntur auctoribus, ut infrà suis locis monebimus.

Carmen, *Sodoma*. Carmen, *ad Senatorem Apostatam*. Hymnus, *de Pascha Domini*. Oratio *pro martyribus*. Oratio, *quam dixit Cyprianus in die Passionis suæ*.

De singularitate Clericorum : Qui liber etiam falsò attribuitur Origeni à qq. & Augustino (*c*) à Philippo Bonæ spei Abbate, cap. 67. libri de Continentia Clericorum V. Bell. & Theophilum libro de sobria fœminarum conversatione.

In Symbolum Apostolorum Expositio. Est Ruffini Aquilejensis Presbyteri. (*d*)

Ad Vigilium Celsi in altercationem Jasonis & Papisci *Præfatio de Judaica incredulitate*. Vide Bellarminum. (*e*)

Adversus Judæos, qui insecuti sunt Christum. Rejicit etiam Bellarminus.

De revelatione capitis S. Joannis Baptistæ. Est auctoris recentis. (*f*)

Ad Fortunatum de duplici Martyrio. Pamelius & quidam alii censuerunt ab Erasmo fuisse confictum periclitandi styli gratia. Vide & Theophilum initio libri de Martyrio.

De duodecim abusionibus sæculi. Neque Cypriani est neque Augustini, licèt tamquam ex Cypriano allegent Hincmarus Remensis Archiep. de divortio Lotharii & Teutbergæ, & Concilii Troslejani Patres, cap. 2.

Dispositio cœnæ, quæ non secus ac *Notæ Ciceronianæ*, procul à Cypriani operum consortio debuerat ablegari, velut jocularis, ac parum sobrii capitis operosissimum commentum.

Ex plurimis pauca.

(*a*) Idem quoque censet Aubertinus pag. 380. & seqq. ubi multa congessit ex Bellarmino nostro & aliis : omisit tamen, quod in alia quæstione urget argumentum tamquam validissimum ex diversitate versionis sacræ Scripturæ petitum. Eadem quoque mens Collectoris nuperi Lectionum Eucharisticarum.

(*b*) Et quoniam, inquit, nobis Divina & paterna pietas Apostolatus ducatum contulit, & vicariam Domini sedem, &c.

(*c*) Tum in codice Corbejensi, tum à Philippo, &c.

(*d*) Sub cujus nomine habetur inter opera S. Hieronymi.

(*e*) Spencerum pag. 57. ad libros IV. Origenis adversus Celsum Philosophum, & Henricum Valesium p. 61. Annotationum in Eusebii Cæsariensis Ecclesiasticam Historiam. Nicolaus Faber vidit altercationem illam Græco sermone conscriptam Alexandrini Judæi, nec desunt qui Jasonem illum putent, cujus mentio Act. XVII. & epist. ad Rom. XVI. quique dicitur à Dorothæo primus Troadensium Episcopus.

(*f*) Meminit Athanasii, Cyrilli, Pipini, &c. Vide Lorinum nostrum in 2. Petri cap. 1.

SUPPLEMENTUM.

CYPRIANUS ex Rhetore factus Christianus, persuadente Presbytero Cæcilio, à quo & cognomen Cæcilii sortitus est, Carthaginensis Ecclesiæ

A Episcopus & Africæ Primas, anno 248. consecratus est, ac post decem annos die 14. Septembris anni 258. martyrium haud procul Carthagine passus est sub Valeriano, ejusque filio Gallieno, Romanis Imperatoribus. De eo Pontius ejus Diaconus, Acta varia vetera & probatæ fidei, SS. Augustinus & Hieronymus pluribus locis, Ruffinus Apologia pro Origene, Prudentius in Hymnis, S. Gregorius Nazianzenus, Petrus Chrysologus, Ennodius Ticinensis, aliique passim, de cujus scriptis abundè Bellarminus & Labbeus *in opere suo de Scriptoribus Ecclesiasticis* ; sed injucundum non erit lectoribus ostendere, quibus collaborantibus scripta sancti Cypriani pervenerint ad eam formam & perfectionem ad quam successu temporum adducta sunt.

B Una ex primis editionibus operum sancti Cypriani Martyris, correcta ac pro tempore nobilis, ex collectione & castigatione Desiderii Erasmi, prodiit in folio Basileæ anno 1521. Item ex sudoribus & curis Henrici Gravii Dominicani, Coloniæ in fol. anno 1549. in officina Quentelliana. Addidit huic Martyri tertias vigilias suas Paulus Manutius editione Romana anni 1563. quam cæteris omnibus multò castigatiorem, & libro quinto Epistolarum integro auctiorem reddidit. Eamdem Guillelmus Morellius apud Lutetiam Parisiorum anno 1564. auctiorem præ cæteris & egregiè etiam recognitam obtulit. Post tot denique tantosque circa C Cypriani scripta labores, Jacobus Pamelius Brugensis in Flandria Canonicus & Archidiaconus, opera ejusdem sancti Patris omnia evulgare aggressus est cum perpetuis & insignibus in ea commentariis, impressa in fol. Antuerpiæ annis 1568. & 1589. Itemque Parisiis 1574. & 1616. Discrepat autem in editione sua Pamelius, quòd Epistolas quas Paulus Manutius & alii antecessores libris quinque confusè positas ediderant, juxta rationem temporum disposuerit, servata (quantum humano licuit ingenio) Chronologia. Alia etiam quàm multa præmiserit facientia ad Cypriani ornamentum, varias nempe veteresque vitas, cum altera prolixa quam marte proprio multis sudoribus composuit. Post Pame- D lium, suum etiam Cyprianum cum notis propriis edidit Parisiis in fol. anno 1643. Nicolaus Rigaltius, ab altero tantisper diversum.

Quamvis autem à tot temporibus, tanti totque viri sudaverint Sancto Cypriano expurgando, nullus tamen sat amicus Martyris (ut ita loquar) inventus est, ad supprimendos plurimos tractatus, qui cùm certò spectent ad alienos auctores, vel certò ad posteriora tempora vel absurdissimi sint, Cyprianum ex collectione sua exhonorant. Sunt ejusmodi *Expositio in Symbolum Apostolorum auctore Ruffino Aquilejensis Ecclesiæ Presbytero. Opus de Cardinalibus Christi operibus ab ejus Nativitate usque ad adventum Spiritus sancti*, quod certò est Arnaldi Ab- E batis Bonæ-Vallis in tractu Carnotensi : *De duplici martyrio ad Fortunatum*, ubi cùm de Turcis agatur, absurdum est ejusmodi opus immisceri Cyprianicis etiam incertis : *De revelatione capitis Beati Joannis Baptistæ*, ubi agitur de Pipino Francorum Rege : quàm hæc benè spectant ad Cyprianum? *Cæno Cypriano falsò adscripta* : opus stultum &c.

Nec ab evulgando Cypriano propter tot Impressiones cessatum est, cui suam etiam operam adjecit Philippus Priorius apud Joannem Dupuis in fol. Parisiis anno 1666. via Jacobæa, sub signo coronæ aureæ. Hæc Impressio ad calcem operum Cypriani habet ad plenitudinem voluminis : *Marcii Minucii Felicis Octavium de Idolorum vanitate*, *Arnobii Afri adversus gentes libros VII. Julii Materni Firmici librum de errore prophanarum Religionum*, *Instructio-*

structiones Commodiani adversus Gentilium Deos: cum selectis variorum auctorum commentariis, correctionibus & notis, nec aliam video hujus impressionis discrepantiam ab aliis impressionibus.

Denique omnia sancti Cypriani Opera edita in fol. Oxonii in Anglia anno 1682. è Theatro Sheldoniano, correcta ad manuscriptos Codices potissimùm Anglos, qui summa cura allegantur, recognita & illustrata per Joannem Fell Oxoniensem Episcopum. Hic in quibusdam discrepat ab aliis omnibus. 1. Continet sub initium Annales Cyprianicos, sive tredecim annorum quibus Cyprianus inter Christianos conversatus est, Historiam chronologicè delineatam per Joannem Centrensem Oxoniensis fratrem. 2. Ad calcem habet *Tractatum de Baptismo non iterando*, quem incerti auctoris appellat pag. 21. & quem jam Nicolaus Rigaltius in suo Cypriano ediderat è manuscripto codice sancti Remigii Remensis. At constat ex auctoritate Gennadii & manuscripto Vaticano illum spectare ad Ursinum Monacum Africanum, quod non ignorasset doctissimus Episcopus Anglicanus, si bene legisset Concilia editionis Labbeanæ, quæ rem hanc definiunt. 3. Continet opera Arnaldi Abbatis Bonæ-Vallis, nempè tractatus, *De verbis Domini in Cruce*, *De operibus Christi Cardinalibus* cum vero illius Prologo (qui tamen olim integer & sanus legebatur in editione Erasmi Basileensi anni 1521.) quod monuisse sufficit. *De operibus sex dierum*, *De laudibus Beatæ Mariæ Virginis*, *meditationes varias*; omnia collata ad mss. Codd. Hæc autem nupera editio maximè arguitur, quòd addiderit operibus jam multis D. Cypriano perperam adscriptis opera duo, nempè *Confessionem sancti Cypriani Martyris atque Pontificis*, *& Cæcilii Cypriani de Paschate Computum*, quæ prælum omninò non merebantur. Fuisset enim longè aptius abscondisse hujusmodi adulterinas merces, quàm Litterario orbi obtulisse, quippe quæ magis ad Divi Cypriani contemptum quàm ad gloriam faciant. Mirum, quòd qui etiam certas sæpissimè disputant, tam probrosas exponant in publicum.

De S. Pontio Diacono. 250.

SANCTUS PONTIUS Diaconus sancti Cypriani, scripsit insigne volumen *de vita, & passione sancti Cypriani*, teste sancto Hieronymo descriptoribus Ecclesiasticis. Id volumen extat ad initium S. Cypriani in editione Jacobi Pamelii.

Dissertatio Historica.

SANCTUS PONTIUS, quibusdam scribitur Pontinus sed minus accuratè, Diaconus S. Cypriani Carthaginensis Episcopi, usque ad diem passionis ejus cum ipso exilium sustinens, egregium volumen, inquit S. Hieronymus cap. 18. Catalogi, & ex eo Honorius, Trithemius, & reliqui.

Vitæ & passionis sancti Cypriani reliquit. Extat apud Surium die 26. Septembris & in fronte operum S. Cypriani ab Erasmo, Pamelio, & Rigaltio editorum. Quamquam hic postremus in observationibus ad ep. 83. S. Cypriani levi admodum fundamento, ut Riveto forsan similibusque Criticis extra Ecclesiam gratificaretur, subdubitare visus sit his verbis: Vita Cypriani quæ fertur ab ejus Diacono Pontio perscripta Rhetoricæ dictionis gratiam magis quàm narrationis historicæ diligentiam præfert, &c. Quot annos superstes fuerit post annum 258. quo labente die 14. Septembris passus est sanctus Cyprianus, nescimus. Consule notas Baronii ad diem 8. Martii quo S. Pontium Carthagine obiisse atque in passionibus Dominum semper glorificantem vitæ coronam promeruisse docet Romanum Martyrologium.

Idem Nicolaus Rigaltius post Præfationem in Notis ad Acta Martyrii, quæ incipiunt: Cum Cyprianus sanctus martyr, &c. ex ms. S. Victoris eruta, hæc habet: Hanc de Cypriani martyrio narrationem, ut est brevissima, sic etiam esse antiquissimam arbitramur. Plurima Pontius pio erga suum Episcopum adfectu Rhetorica libertate ingeniosè commentus est. Multa etiam alii pro captu quisque suo adjecerunt aliena sæculo, aliena personis quædam etiam detraxerunt valde bona, ut jam pauca supersint quę præstare possimus sincerè. Hæc ille præpostero novitatis studio in detrimentum Catholicæ veritatis; quæ falsissima arbitror, & S. Hieronymi, qui egregium volumen, quale modò omnes Catholici eruditione præstantes agnoscunt, de vita & passione Cypriani ab eo relictum testatus est, auctoritati certissimæ, atque omnium bonorum de Pontii sanctitate ac fide opinioni implacabiliter pugnantia. Est enim sincerissimum illud opusculum, ac primæ inter antiqua Veterum martyrum Acta sive Vitas atque Elogia dignationis. Quòd si hæc vita cuipiam cordato in suspicionem veniat, suspecta pariter erunt & alia Acta quævis, & ipse S. Augustini sermo de Cypriano venerandæ antiquitatis eximium κειμήλιον. In iis enim nulla Frumentariorum sive Agentum in rebus mentio.

De S. Dionysio Alexandrino. 250.

SANCTUS DIONYSIUS Alexandrinus Episcopus æqualis fuit sancti Cypriani, sed paulò prior in Episcopatu, & paulò posterior in morte; & scripsit libros, & epistolas multas, teste S. Hieronymo de scriptor. Eccles. Extat nunc *epistola una* satis brevis inter canones Ecclesiasticos Græcorum cum annotationibus Balsamonis. Extat *epistola* insignis *contra Paulum Samosatenum* Romæ edita græcè & latinè an. 1608. Extant etiam multa, & magna fragmenta operum hujus Dionysii apud Eusebium lib. 6. histor. cap. 33. & sequentibus usque ad finem libri, & lib. 7. cap. 1. & sequentibus usque ad 21. Extant denique alia fragmenta apud Athanasium in libro de sententia Dionysii Alexandrini, & in lib. de sententia Nicænæ Synodi. Neque de his ulla controversia est.

Dissertatio Historica.

SANCTUS DIONYSIUS, Alexandrinæ urbis Episcopus ab anno 248. ad diem 17. Novembris anni 265. quo obiit, sub Heracla prædecessore suo Catecheseon scholam tenuerat Presbyter, ut discimus ex cap. 69. Catalogi Hieronymiani de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi quamplurima ejus numerantur opuscula, ejusque mors affigitur duodecimo Gallieni Imperatoris anno. De eodem plura Eusebius (a) in Historia & Chronico, S. Athanasius, &c. Ex recentioribus verò Baronius in Notis & Annalibus, Bellarminus, aliique. Ex tot verò ejus ingenii monimentis supersunt dumtaxat.

Liber, sive Epistola contra Paulum Samosatenum Eccl. Antiochenæ Antistitem, Filii Divinitatem oppugnantem, necnon *Epistola ad Basilidem*, Græcè & Latinè interprete Francisco Turriano Soc. Jesu, Tomo XI. Magnæ Parisiensis Bibliothecæ, pag. 273.

Epistola de peste Alexandrina, apud Eusebium lib. 7. Historiæ cap. 17. aliàs 20.

Epistola de Resurrectione Dominica, & Paschalis Jejunii termino, cum Victore Antiocheno edita Ingolstadii anno 1580. studio R. P. Theodori Peltani Soc. Jesu.

Cano-

Canonicas verò ejusdem *Epistolas* inter Joannis Zonaræ & Theodori Balsamonis Collectanea Juris Canonici reperies.

(*a*) Historiæ lib. 7. cap. 21. S. Athanasius libro de Sententia Dionysii, & in Commentariis de Synodi Nicænæ Decretis, S. Basilius cap. 29. libri de Spiritu sancto, in epistola ad Amphilochium & ep. 41. ad Maximum, S. Hieronymus præfatione libri 18. Comment. in Esaiam ubi ait compositum fuisse ab eo librum adversus Irenæum ejusque fabulam de Millenaristis eleganter derisam, lib. 2. in Ruffinum, in epist. ad Pammachium, &c. Ruffinus de adulteratione librorum Origenis, Gennadius cap. 3. de Ecclesiasticis dogmatibus, Procopius Gazæus in caput 3. Geneseos, atque ut cæteros omittam S. Maximus Martyr in scholiis ad caput 5. de Cœlesti Hierarchia. Verùm Dionysius ille Rhetor, qui in Areopagitæ opera Commentarios scripsit, cujusque meminerunt Anastasius Sinaita ὁδηγοῦ cap. 2. & Nicetas Choniates Thesauri lib. 2. cap. 15. fuisse alius creditur ab Alexandrino Episcopo: de cujus scriptis veris aut suppositis plura Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ, Franciscus Turrianus sub finem Tomi I. Græcolatini Bibliothecæ Patrum à Frontone Ducæo anno 1624. excusæ, & Henricus Valesius pag. 155. Annotationum in Historiam Ecclesiasticam Eusebii, de epistola contra Paulum Samosatenum Romæ primùm edita anno 1608. in 8.

De Sancto Aurelio.

SUPPLEMENTUM.

AURELIUS Socius & contubernalis S. Pontii, qui sancto Cypriano Carthaginensi Episcopo Diaconus Altari adsuit, Martyrium scripsit Pontii, quod contigit anno 258. die 8. Martii. Habemus illud ex variis manuscriptis Codicibus Bibliothecæ Colbertinæ, tom. 2. pag. 124. *Miscellaneorum* Domini Stephani Baluzii, ex prælo Francisci Muguet Parisiis anno 1679.

De sancto Zenone Episcopo, & Martyre. 260.

ECCLESIA Veronensis sanctum Zenonem Episcopum veneratur, quem sub Gallieno Imperatore passum esse prædicat, & ejus sermones permultos nuper edidit. Hujus Zenonis Episcopi, & martyris nulla fit mentio apud Eusebium in histor. neque apud sanctum Hieronymum in libro de Script. Eccles.

Primus est sanctus Gregorius, qui sanctum Zenonem Episcopum Veronæ, Martyrem nominat, lib. 3. Dialogorum, cap. 19. sed de operibus ejus mentionem nullam facit. Extant sub nomine ejus sermones editi Veronæ anno 1586.

De Genesi sermones, 4. *De Abraham*, 3. *De Somnio Jacob*, 1. *De Juda Patriarcha*, 1. *De Exodo*, 15. *De Præcepto*, *Attende tibi*, 1. *De Job*, 1. *De Psalmis*, 9. *De Isaia*, 6. *De Martyrio Isaiæ*, 1. *De Daniele*, 9. *De Jona*, 1. *De Evangelio secundùm Lucam*, 1. *De Evangelio secundùm Joannem*, 1. *De Epist. I. ad Corinthios*, 1. *De Æterna filii generatione*, 3. *De Adventu Christi*, 1. *De Nativitate Christi*, 3. *De Circumcisione*, 1. *De Fide*, 1. *De Fide, Spe, & Charitate*, 1. *De Fidei veritate*, 1. *De Pascha*, 9. *Invitatio ad fontem*, 8. *Ad Neophytos*, 7. *De spirituali ædificatione*, 1. *De Patientia*, 1. *De Pudicitia*, 1. *De Continentia*, 1. *De Justitia*, 1. *De Timore*, 1. *De Jejunio*, 1. *De Spiritu, & corpore*, 1. *De Avaritia*, 3. *De Livore, & Invidia*, 1. *De S. Archadio*, 1. *De Resurrectione*, 1.

A Ex his sermo in illud, Attende tibi; & sermo in Evangelium Lucæ, & sermo de Jejunio, & sermo de livore, & invidia, non sunt S. Zenonis, sed S. Basilii Magni, ut notum est tum ex stylo, tum ex communi sententia. Item sermones in Psalmos, si non omnes, certè majore ex parte apud Hilarium inveniuntur.

De aliis non habeo, quod dicam, nisi aliquos esse brevissimos, ut sermones dici non mereantur; aliquos esse repetitiones aliorum; aliquos ita obscuros, ut intelligi nequeant; &, quod me malè habet, de his sermonibus nullam extare apud veteres mentionem. Primus enim, qui eos invenit, Guarinus fuit Veronensis Orator, ante annos circiter centum: editi sunt autem Venetiis anno 1508. & postea emendatiùs, & pulchrioribus characteribus Ve-
B ronæ anno 1586. Consulat Lector Card. Baronium in notis Martyrologii.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS ZENO, Veronæ Episcopus, sub Gallieno Romanorum Imperatore martyrium passus fuisse vulgò perhibetur circa annum Christi 260. die 12. Aprilis, ut habent Martyrologia & Baronius in Notis ad illum diem, quas amabo per otium consule. De eo S. Gregorius Papa libro tertio Dialogorum cap. 19. Paulus Diaconus in Historia Longobardo-
C rum, lib. 3. cap. 23. Hermannus Contractus in Chronico, Onuphrius, Surius, Ughellus, aliique.

Falsò tribuuntur ei à quibusdam etiam doctis viris *Sermones de plurimis Sacræ Scripturæ locis & rerum Divinarum argumentis numero 90.* qui editi primùm Venetiis anno 1508. opera Guarini Veronensis Oratoris, tum Veronæ in 4. recusi anno 1586. jussu Augustini Valerii Cardinalis ejusdemque urbis Episcopi, ac deinde in Bibliothecas Veterum Patrum fuere translati. Ita sentiunt ex Catholicis Tractatoribus Sixtus Senensis, Baronius, Molanus, Possevinus, Bellarminus, Miræus, eorumque simii Cocus, Rivetus, similesque Novatores Critici, ut oleum operamque apud idoneos judices perdidisse videan-
D tur Raphael Bagatta & Baptista Perettus, qui adversus Sixti Senensis doctissimam censuram eos saltem omnes Zenoni Veronensi Episcopo & sub Gallieno martyrium passo vindicare voluerunt. Quatuor ex iis inter homilias S. Basilii reperiuntur, alii ex commentariis S. Hilarii in Psalmos & aliunde deprompti sunt, cæteri diversitate styli, refutatione Arianorum, Aliisque notis impressis varios arguunt auctores, ac Gallieni imperio longè posteriores, ut mirum sit Panuinium & Ughellum ista non pervidisse. Joannes verò Maria in Expurgatorio Indice nihil videtur velle affirmare: Cæterum, inquit, his pro assertione sermonum S. Zenonis, obstantibus non magnis conjecturis nonnullos non esse illius exi-
E stimat Baronius, præsertim, quibus Ariana hæresis confutatur, multas rationes & optimas conjecturas ad id probandum se habere profitetur.

Dixi ex communi ac pervulgata plurimorum opinione Zenonem Veronensem Episcopum sub Gallieno Imperatore vixisse & Martyrio vitam finivisse. Non desunt tamen eruditi viri qui refragentur & Zenonem sub Constantio dumtaxat Arianorum patrono vel ejus successore Juliano Apostata floruisse & sicca morte citra sanguinis effusionem in cœlum abiisse contendant. Eorum ego nunc argumenta breviter proponam. Primum illudque validissimum ducitur ab auctoritate S. Ambrosii Mediolanensis Archiepiscopi qui in epistola quæ mihi 64. numeratur, ad Syagrium Veronensem Episcopum de Indicia Virgine falsò insimulata hæc scribit: Tu

autem

autem sine alicujus fratris consilio hoc judicium tibi solus judicandum putaris, in quo tamen antè judicium præjudicium feceris, ut puellam ZENONIS Sanctæ memoriæ judicio probatam, ejusque sanctificatam benedictione, post tot annos sine auctore criminationis, sine accusatore, sine professore delationis in periculum reatus deducendam, &c. Hujus vim rationis nemo effugiet quin duos comminiscatur Zenones, quorum alter hactenus à Veronensibus Tabulis adfuerit, totique retro antiquitati fuerit ignotus. Cùm ergo constet Ambrosii fide Syagrii decessorem fuisse Zenonem, eique omnia aptari facilè possint, quæ antiqui Scriptores de Zenone prodiderunt, frustra videntur esse qui eum ad Gallieni tempora revocant Petrum Exquilinum similesque unde fortè hausit fidei dubiæ Historicos sequuti. Alterum suggerunt Joannis Molani Annotationes ad Usuardi Martyrologium his verbis: De Zenone sustuli Usuardi verba, *ac tempore Gallieni martyrio coronatus est*. Honorari enim eum ut Confessorem constat ex Romano Martyrologio (nunc autem aliter se res habet) & officio Mediolanensis Ecclesiæ die 8. Decembris, & aliunde. Extatque Laubii narratio Venerabilis Coronati Christianissimi Notarii de vita S. Zenonis Episcopi & Confessoris. S. Gregorius interim 3. Dial. cap. 19. bis eum Martyrem nominare maluit, quàm Confessorem, eo quod inter procellas persecutionis multa viriliter pertulerit, qua eadem de causa Juvenalem quoque alibi Martyrem nominat. Hæc Molanus: quibus maximum pondus afferet Onuphrii Panuinii lib. 4. cap. 6. apud Ferdinandum Ughellum Tomo V. Italiæ Sacræ ingenua confessio: Fatetur enim pag. 554. Ecclesiam Veronensem ab antiquo usque ad suam ætatem anniversariam de eo tamquam de Pontifice Confessore commemorationem fecisse, primumque Aloysium Lippomanum Veronensem Episcopum suo tempore solemnem ejus memoriam tamquam Pontificis Martyris in Ecclesia Veronensi fieri instituisse. Idem Ughellus memorata Molano Coronati Notarii acta recitat ex codice ms. ubi disertè habetur Zenonem in pace quievisse, cùm Gallieni Imp. filiam à dæmone liberasset, eumdemque Imp. Basilicam juxta fluvium Athesim, ubi corpus S. Zenonis postea sepultum est, ædificasse, quæ minus fortè cuipiam probabilia videbuntur. Quid enim si Gallienum nobilem potentemque virum cujus filiam sanaverit S. Zeno in Constantii aut Juliani persecutione multa pro Christi nomine perpessus, minus intelligentes posteri & antiquitatis nimia ambitione delusi in Gallienum Augustum commutarint? Verùm hæc modò sufficiant, cætera eruditis ϗ φιλαλήθεσι Veronensibus enucleanda relinquimus, ne extra præscriptos nobis limites licentius evagari videamur.

De S. Victorino Pictabionense. 270.

SANCTUS VICTORINUS Pictabionensis Episcopus, & Martyr, multa opera scripsit, teste sancto Hieronymo in libro de Scriptor. Eccles. Nunc solùm extat *Commentarius in Apocalypsim*, & de hoc ipso dubium est, an sit Victorini opus. Scribit enim S. Hieronymus in epistola præfixa Commentario Victorini in Apocalypsim; Victorinum in isto suo Commentario secutum esse errorem Chiliastarum, quod etiam scripsit in libro de Script. Eccles. in Papia: qua de causa Gelasius Papa, Victorini opera inter apocrypha numeravit. At Commentarium, quod nunc extat sub nomine Victorini, non solùm hoc errore caret, sed contra hunc errorem etiam pugnat. Hic beatus vir sub Diocletiano martyrium passus est anno Dom. 303.

Dissertatio Historica.

VICTORINUS, Episcopus, non Pictaviensis in Aquitania II. ut plerique mediæ ætatis recentiorisque memoriæ scriptores censuerunt, sed Pictavoniensis seu Pictaboniensis in superiore Pannonia, (ut quidem obiter in scholio ad annum 303. Baronianorum Annalium Epitomator clarissimus, & Censor Kalendarii Horarum, ut vocant, Porturegensium seu Jansenisticarum ad diem secundam Novembris anno 1650. deinde verò anno 1653. singulari ea de re edito libello fusissimè atque incredibili diligentia V. C. Joannes Launojus Doctor Theologus Parisiensis docuerunt) floruit exeunte Christi sæculo tertio, & sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus 4. Nonas Novembris anno 303. Martyr pro Christi fide occubuit. S. Hieronymus cap. 74. de viris Illustribus non æquè Latinè ut Græcè novisse docet, ideoque opera ejus grandia sensibus, viliora videri compositione verborum; in epistola ad Paulinum: Inclyto Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit eloqui non potest: in ep. ad Magnum: Licèt in libris desit eruditio, non tamen deest eruditionis voluntas: & cap. 18. Catalogi ubi Papiæ Hierapolitani Episcopi, Tertulliani, ac Lactantii de mille annis opinione adhæsisse asserit, quod repetit in Commentariis ad caput 36. Ezechielis. Idem quoque in epistola adversus Vigilantium in explanatione Scripturarum Origenem expressisse fatetur &c. De eodem Optatus Milevitanus libro primo de Schismate adversus Parmenianum ubi insignem Hæreseon debellatorem appellat, Sophronius in versione Græca Catalogi Hieronymiani, Gelasius Papa in Decretò, ubi inter Apocrypha recenset opuscula Victorini Petaboniensis, Beda, Usuardus, Ado, aliique Martyrologi, Honorius Augustodunensis Joannes Trithemius, & Sixtus Senensis lib. 6. Annotat. 347. Theophilus Hoplothecæ adversus Calumniam pag. 63. ubi docet malè confundi cum Victorino qui damnatus perhibetur à Silvestro Romano Pontifice in Synodo Romana Actione prima quòd Quartadecimanorum faveret schismati, & alii mox citandi.

Scripsisse multa in plerosque sacræ Scripturæ libros ac nominatim in Apocalypsim, docet S. Hieronymus, extatque in Bibliothecis Veterum Patrum Victorini Petaboniensis Episcopi & Martyris nomine.

Commentarium in Apocalypsim, quem in dubium ex ea causa revocare contendunt Bellarminus, Malvenda, Brasichellanus, & quidam alii, quòd cùm in Præfatione S. Hieronymi ad Anatolium disertè habeatur Chiliastarum errori favisse Victorinum, in ea tamen quæ circumfertur explanatione Apocalyptica non tantùm non faveat, sed etiam ei, quantum potest adversetur & in eum pugnet. Quòd si suppositus fuit Victorino fœtus iste, & non potiùs dicendum ab aliquo Æsculapio sanatum fuisse illud ulcus obducta tantisper cicatrice, cæteris omnibus relictis integris intactisque, non adeò absurdè, ut quidam senserunt, dictum fuerit ab Episcopo Aurelianensi Gabriele Albaspinæo multa scripsisse Victorinum nostrum teste Divo Hieronymo, quorum ne paginam quidem habemus, si de iis, quæ soluta numeris oratione scripsit, intelligatur. Quid verò si alicubi extaret liber ejus adversus omnes hæreses?

Carmina ejus doctorum virorum, qui nostro superiorique sæculo Victorini recensuerunt opuscula, hactenus effugere diligentiam. Primum *de Jesu Christo Deo & homine* extat in collectione sacrorum Poetarum à Fabricio anno 1562. Basileæ excusa in 4. pag. 761. tunc primùm editum ex ms. codice Joannis

annis Oporini. Quid si falsus est amanuensis, & Victorini Afri, seu Victorini Massiliensis Rhetorum carmen adtribuit Victorino Episcopo Petavionensi, vel quemadmodum vulgò scribitur Pictaviensi? Verùm, quominùs conjecturam hanc probem, facit alterum Poema, quod in eadem Collectione pag. 302. legitur & sæpe sæpius excusum est sub S. Cypriani nomine, inscribiturque *Lignum vitæ*. Certè illud ante annos nongentos Venerabilis Beda Victorino nostro vindicavit adstipulantibus quibusdam codicibus mss. in libro de Locis sanctis, sive de situ Hierosolymitanæ civitatis, qui habetur operum ejus Tomo tertio, capite tertio: In medio Hierusalem, inquit, ubi Cruce Domini superposita mortuus revixit, columna celsa stat, quæ æstivo solstitio umbram non facit, unde putant ibi mediam esse terram, & Historicè dictum: Deus autem ante sæcula operatus est salutem in medio terræ. Qua ductus opinione Victorinus Pictaviensis (ita Basileensis editio anni 1563.) Antistes Ecclesiæ de Golgotha scribens, ita inchoat:

Est locus, ex omni medium quem credimus orbe.
Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt; & quæ sequuntur.

Quam verò ob rem dictus sit à Riveto Victorinus hic natione Græcus, quem S. Hieronymus, aliique inter Latinos (*a*) recensent, examinabimus suo loco: ad alia modò pergendum esse monet instituti operis ratio. De nostro quoque Victorino Petabonensi Ep. intelligendum quidam censent caput 7. Appendicis Isidori & Ildefonsi: Victorinus Episcopus (quod certè nec Afro, nec Massiliensi Victorinis Rhetoribus congruere potest) composuit & ipse versibus duo opuscula admodum brevia: unum adversus Manichæos reprobantes veteris Testamenti Deum veramque Christi Incarnationem contradicentes: aliud autem adversus Marcionitas, qui duo principia, idest duos Deos fingunt, unum malum, alterum bonum. Quid verò si Anonymo illi scriptori, aut ejus amanuensi, alterive sciolo, vox illa Episcopus exciderit, idemque Afer Rhetor, qui soluta oratione adversus Manichæos & Marcionitas scripsit, de iisdem argumentis etiam carmine luserit, quod ut aliàs observavi, plerique ex veteribus præstiterunt.

(*a*) Vide Prooemium in librum primum Commentariorum in Esaiæ Prophetiam: Magni laboris & operis est omnem Isaiæ librum velle edisserere, in quo majorum nostrorum ingenia sudaverunt: Græcorum dico. Cæterùm apud Latinos grande silentium est, præter sanctæ memoriæ Martyrem Victorinum, qui cum Apostolo dicere potest: Etsi imperitus sermone, non tamen scientia. Scripsit enim in hunc Prophetam juxta editiones quatuor, usque ad visionem quadrupedum in deserto. Tum de Græcis Origene, Eusebio, Didymo & Appolinario verba facit ac concludit: Ex quo animadvertis quantæ difficultatis sit, ut Latini nostri, quorum aures fastidiosæ sunt & ad intelligendas Scripturas sanctas nauseant, plausuque tantùm eloquentiæ delectantur, mihi ignoscant si prolixius locutus fuero, cùm Esaias duodecim Prophetis juxta numerum versuum aut æqualis, aut major sit, &c.

Porrò occasione Victorini hujus Petabionensis placet huic loco inserere, quam ab amico rogatus ante aliquot menses conscripsi, *Censuram Tabulæ Chronologicæ, quam Jo. Cosin subjecit Historiæ Scholasticæ de Aprocryphis*.

In primo sæculo, sive Centuria, Philo Judæus haud dubiè præmitti debuit Josepho.

In II. S. Clemens Romanus Pontifex obiit 23. Decemb. anni Christianæ æræ 100. Quomodo ergo florere potuit anno ejusdem 102.

A Dionysium Areopagitam Veteres asserunt passum sub Domitiano. Non ergo floruit anno 100. Quod ad opera passim ei tributa, plerique Lutherani ac Calvinistę contendunt esse Magno illi Viro supposita & ad sæculum V. dejiciunt ante aut post Concilium Chalcedonense.

Justinus Philosophus martyrium passus est an. circiter 163. aut aliquo præcedenti si sub Antonino Pio, longè antequam obiret Melito, quem Eusebius in Chronico refert ad annum 170.

In III. Julius Africanus senior erat Origene, qui obiit dumtaxat anno 254. ideoque illi præponendus erat.

S. Cyprianus martyr non fuit anno 250. sed eodem, quo Sixtus II. Romanus Pontifex anno 258.

B In IV. S. Hilarius obiit ante S. Athanasium, & SS. Basilius ac Nazianzenus ante S. Epiphanium, qui eis præmittitur.

S. Jo. Chrysostomus perperam dicitur Patriarcha Const. anno 390. Cùm decessor ejus Nectarius tantùm obierit an. 397.

In V. Innocentius I. Papa ante Augustinum obiit annis minimum tredecim.

Massiliensis, qui dicitur, Theologus an. 426. scripsisse ad S. Aug. maximo errore vocatur pag. 122. Hilarius Arelatensis Archiepiscopus, cùm fuerit dumtaxat homo laicus Prosperi Aquitani pariter laici socius.

C In VI. Cassiodorus annum 562. & Justinianus 565. vivendo superarunt, & Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus anno demum 599. aut præcedenti decessit, cum iterum post Gregorii obitum sedem illam obtinuisset.

Victorinus, cujus citatur Comm. in Apocalypsin, nec Pictaviensis in Gallia fuit Episcopus, sed Pectavionensis in Pannonia, nec vixit anno 599. cùm sub Diocletiano anno Christi circiter 303. martyrium fecerit, ejusque meminerint S. Hieronymus & alii anno 599. longè antiquiores.

In VII. S. Gregorius I. Romanus Pontifex pluribus annis in sæculo VI. Ecclesiam rexit, quàm in VII. electus anno 590. mortuus 604.

D De Tempore Auctoris libri de Mirabilibus sacræ Scripturæ inter opera S. Augustini, nondum planè constat. Sunt enim qui post an. 700. collocent.

Antiochium auctorem Pandectæ constat vixisse anno 616. an pervenerit usque ad 630. valdè incertum.

S. Isidorus Hisp. Archiep. obiit 4. Apr. 636. Floruisse ergo dicendus erat an. vel 620. vel 610. ex methodo servata in aliis, ut Epiph. Aug. Athanasio, Anast. &c.

In VIII. S. Jo. Damascenus nondum florebat anno 710. sed 730. aut 740. posteriorque fuit Venerabili Beda, qui senex obiit 735.

E Hadrianus Græcus Auctor, Photio cod. II. Myriobibli memoratus, non vixit anno 760. sed ante annum 500. aut circiter, cùm ejus meminerit Cassiodorus libro de Divinis Lectionibus.

Ad hoc sæculum revocandi erant libri tum Alcuini adversus Elipantum, tum Carolo Magno Francorum Regi tributus de Imaginibus, quem malè collocat anno 810.

In IX. Alcuinus obiit 804. & Carolus Magnus Imperator 814. ac longè ante annos Tabula ac libro designatos floruerunt, cùm grandi uterque ætate decesserit.

Nicephorus à Patriarchatu Const. dejectus fuit an. 814. obiitque 13. Martii 828.

Rabanus Maurus malè Moguntinus Arch. dicitur an. 830. cum Otgario successerit tantùm an. 847.

Strabum collocat anno 835. cùm junior fuisse videa-

videatur; præsertim si à Walafrido Strabone distinguamus. Certè præmittendus erat illi Strabo Fulden si Monacho Agobardus Lugd. Arch. qui obiit 840.

Anastasius quoque S. R. E. Bibliothecarius Adoni erat postponendus, si verè censuit Baronius superstitem fuisse anno 887. Quidquid sit, Ado Viennensis imperitè dicitur vixisse anno 879. cùm certum sit obiisse anno 874. certè ante 876.

In Ambrosio Ansberto multa peccantur. I. quia scribi debuit Autpertus. II. quia dicitur Doctor in Lombardia. III. quia adscribitur an. 890. cùm obierit Abbas Cœnobii ad Fontes Vulturni an. 778. Ex Lectione ejus Com. in Apocalypsin & Scriptoribus aliis apparet ejus ætas, ut supra suo loco observavimus.

In X. Giselbertus, seu Gislebertus Westmonasteriensis Abbas, obiit 1107. ideòque ad sequens sæculum pertinet. Nec certum est, utrum Altercatio, cujus citatur I. caput, ei adjudicanda sit.

In XI. Rupertus florebat jam ab an. 1111. obiitque 1135.

Petrus Mauricius electus Cluniaci Abbas an. 1122. obiit 1157. ideoque postponendus Hugoni Victorino qui pag. 158. mendosè dicitur Abbas, cùm ne quidem fuerit Prior S. Victoris. Is verò cùm obierit 11. Febr. anni 1139. more Gallico, vel ut quidam alii contendunt ex veteri Chronico mſ. anno 1138. qui potuit florere anno Romano 1140. nisi fortè per mensem paucosque duntaxat dies?

Richardus verò, qui verè fuit, nec in Tabula aut libro uspiam dicitur, Prior S. Victoris, malè Gratiano & S. Bernardo (qui obiit 1153.) præponitur, cùm vixerit usque ad annum 1173.

Philippus solitarius auctor Dioptreæ iis omnibus fuerat præfigendus, ut qui anno 1105. scripsisse dicatur.

Petrus ex Cellensi ac S. Remigii Abbate Carnotensis Ep. non florebat anno 1190. cùm obierit 1187. & Petrus Comestor Decanus Trecensis 1198. qui inter Italos nonnisi ex anili fabula potuit accenseri.

In XII. Joannem Semecam non vidi, qui floruisse asse at anno 1275. dicitur enim obiisse an. 1245. aut in 1267. vel 1269. differtur.

In XIII. Nicephori Callisti ætatem anno 1315. aut 1330. convenire multa docent.

Nicolaus Liranus, non fuit Brabantinus, sed Normannus ex Lira oppido propè Vernolium. Deceptus est falso ac ridiculo Epitaphio, quod ab impostore suppositum est, cùm sincerum extet Parisiis apud Minores, ubi sepultus est, mortuus in eadem urbe anno 1340.

Mortuus quoque est in Germania anno 1347. Will. Ocham; ideoque uterque postponendus erat Hervæo Natali Britoni, qui malè floruisse dicitur 1340. cùm obierit 1323. Erratum pariter quòd eidem Hervæo adscribantur Commentaria in Paulum.

In XIV. S. Antoninus obiit 1459. Tostatus 1454. propterea que hic illi præponendus.

In XV. Franc. Ximenius non emisit in lucem anno 1502. Biblia Complutensia, sed ea post plures annos prodierunt.

Mirandum porrò est qua ratione Joannes Picus Mirandulæ Comes, qui an. 1494. obiit, post mortem redivivus appareat anno 1510. Quid etiam causæ fuerit, cur Ludovicus Vives, Valentinus, Hispanus, inter Italos DD. recenseatur, ut alibi inter eosdem Comestor, qui fuit Trecensis Gallus, Ado Viennensis Archiep. inter Germanos, Hugo Cardinalis inter Hispanos, &c. Cumque S. Hier. patria Stridoniensis, Palæstinis, & Richardus atque Hugo Victorini Gallis, quod in Palæstina & Gallia obierint, adjuncti sint; Cur, amabo, iisdem Gallis non fuerunt annumerati Alcuinus, Sarisberiensis, Waldensis, Pagninus? aut Ochamus Germanis? Cur inter Patriarchas cum aliis pag. 203. non fuit relatus S. Athanasius? Cur Antiochus Monachus in Palæstina, Græcis adscriptus cum Hadriano, Philippo Solitario, Leontio, Zonara, Callisto, quorum postremi saltem in Thraciam relegandi, ubi Byzantium & Constantinopolis.

Sunt & alia plura, quæ cursim paginas pervolvendo quasi per nebulam atque incognitæ linguæ transennam deprehendi notatione digna; sed hæc sufficient. Nec deerit fortasse aliquis Veritatis Catholicæ Vindex, qui per otium scribat librum hoc titulo: *Sublesta fides Georgii Callixti Germani, & Joannis Cosini Angli in citandis exponendisque Conciliis, Patribus, Doctoribus, adversus libros sacros à Judaico Canone exulantes, sed ab Ecclesia pro Canonicis habitos, & in ea cum veneratione Divinæ auctoritatis auditos*, ut loquitur S. Augustinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 36. lib. 1. de Prædest. SS. cap. 14. & alibi.

De sancto Methodio Episcopo, & Martyre. 285.

SANCTUS METHODIUS Episcopus Tyri claruit tempore Diocletiani Imperatoris & anno ejus 20. ma tyrio coronatus est, ex Hieronymo de Script. Eccles. Is multa scripsit, sed nunc solùm extant fragmenta satis magna ex libr. ejus *de resurrectione* adversus Origenem, apud Epiphanium hæresi 64. Extant etiam alia fragmenta apud Photium in bibliotheca. Circumfertur libellus revelationum sub nomine S. Methodii, sed supposititius censetur.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS METHODIUS primùm Olympi Lyciæ, vel, ut alii volunt, Patarorum ac postea Tyri Episcopus, cognomento Eubulius, disertissimus vir ac nitidi compositique sermonis scriptis adversus Origenem & Porphyrium nobilissimus, passus est martyrium non in Decii seu Valeriani persecutione, ut quidam cum Suida scripserunt, sed sub Diocletiano & Maximiano in Chalcide civitate Græciæ ad ext emum novissimæ persecutionis die 18. Septembris ex Martyrologio Romano anni 302. aut 303. De eo ex antiquis Scriptoribus S. Hieronymus Catalogi cap. 83. in præfatione, ac cap. 12. Comm. in Danielem, ep. 84. ad Magnum (*a*) Oratorem Romanum, in Apologia ad Pammachium pro libris adversus Jovinianum, Epiphanius hæresi 64. ubi longissimum fragmentum exscripsit è libro de Resurrectione, S. Gregorius Nyssenus in quæstionibus seu libro cui titulus est: Quid sit ad Imaginem Dei & similitudinem, Menologium Græcorum die 10. mensis Julii, Photius codd. 234. 235. 236. & 237. in quibus reperiuntur luculenta ejusdem Excerpta de quibus mox dicemus, Honorius Augustodunensis libelli 1. de Luminaribus Ecclesiæ cap. 84. loco περὶ αὐτεξουσίου, idest, *de libero arbitrio*, excusum reperitur *de animæ exitu*, sive id imperitis librariis tribuendum sit, sive ipsius Honorii oscitantiæ, ut Trithemium, apud quem idem mendum reperitur, & recentiores omittam.

Convivium Virginum in quo XII. colloquuntur mulieres de laudibus Virginitatis Græcè & Latinè interprete R. P. Petro Possino Soc. Jesu Theologo Parisiis è Typographia Regia prodiit hoc anno 1657. S. D. N. Alexandro VII. Papæ dicatum.

R. P. Franciscus Combesis Ord. Præd. Congregationis S. Ludovici anno 1644. emisit in lucem cum Amphilochii Iconiensis & Andreæ Cretensis operi-

operibus omnia Methodii Patarensis opera quæ reperiri potuerunt hoc ordine, quem pro more exhibebo.

I. *Ex libro de Resurrectione*, partim ex Epiphanio partim ex Parallelis S. Joannis Damasceni quæ collegio nostro donavit Eminentissimus Cardinalis Rupifulcadius, ex apographo R. P. Jacobi Sirmondi, ex Oratione ejusdem Damasceni de Imaginibus, & Photii Excerptis cod. 234. ubi etiam habetur Compendiosa expositio dictorum quorumdam Apostolicorum ex eodem S. Methodii libro.

II. *Ex libro de creatis excerpta*, ex Photii codice 235. Hottingerus ex suis consecraneis Perkinso ac Simlero in dubium revocat Methodii librum de Creatione: sed opinationis suæ illius nullam affert rationem, quod illi familiarissimum: adeò totus est in aliorum exscribendis quisquiliis.

III. *Liber de libero arbitrio*, *ferè integer* conflatus cum ex iis quæ Joannes Meursius ediderat jam ab anno *1619*. tum ex Photianis excerptis cod. *236*. & fragmento quod R. P. Sirmondus ei dederat utendum.

IV. *Ex libro de Symposiis seu Convivio Virginum & castitate* partim ex editis ab Allatio cum Eustachio in Hexaemeron, partim ex Photianis excerptis codd. 237. Integrum jam extat Convivium illud, ut meminimus.

V. *De Simeone & Anna, quo die Domino in Templo occurrerunt, ac de sancta Deipara*, Græcè & Latinè ex editione Antuerpiensi apud Trognæsium anno 1598. studio Petri Pantini Tiletani Bruxellensis Decani qui primus Latinè reddidit, extatque ejus versio in Bibliothecis Veterum Patrum.

VI. *Oratio* εἰς τὰ βάϊα sive *in Ramos palmarum* Græce & Latinè ex codice Regio qui Methodio asserit. Nam Savilius inter Homilias Chrysostomi edidit hoc titulo εἰς τὸν εὐλογημένον.

VII. Fragmenta ex Parallelis Damasceni, Joannis Stobæi Ecloga 52. & Catenis in Job, quibus subjiciuntur notæ.

In Bibliothecis Veterum Patrum extant Latinè dumtaxat eidem falsò tributæ *Revelationes* de rebus quæ ab initio mundi contigerunt, quæque deinceps contingere debent per paraphrasim translatæ. Sunt qui cum iis confundant Exegesim in Apocalypsim, quam nec editam nec descriptam in membranis hactenus vidi. Certè Jo. Trithemius meminit libri ejusdem Methodii de novissimis temporibus, necnon Chronici, cujus alteriusve eidem falsò adscripti mentionem facit Marianus Scotus in Chronico. Documenta quæ Methodio in carcere existenti ab Angelo præsertim circa mundi creationem revelata finguntur, edita fuerunt Basileæ 1498. cum additionibus Wolffgangi Aytingeri & Sebastiani Brandseu Titionis Argentinensis.

(*a*) His verbis: Scripserunt contra nos Celsus atque Porphyrius: priori Origenes; alteri Methodius, Eusebius & Appolinaris fortissimè responderunt: quorum Origenes octo scripsit libros; Methodius usque ad decem millia procedit versuum; Eusebius & Appollinaris 25. & 30. volumina condiderunt. Ejusdem meminit S. Maximus martyr in scholiis ad caput 7. libri Hierarchiæ Ecclesiasticæ. Cur verò omiserit ejus meminisse Eusebius, inde id profectum volunt, quòd in Origenem stylum strinxisset Methodius. Sixtus Senensis libro 4. annotat operis ejus in Apocalypsin fragmenta legi in Rhapsodiis explanationum Aretæ Cæsariensis in eamdem S. Joannis Apocalypsin.

SUPPLEMENTUM.

METHODIUS primùm Olympi Lyciæ, vel, ut alii volunt, Tyri Phœniciæ Episcopus cognomento Eubulius, vir disertissimus, de quo Bellarminus & Labbeus abundè *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Passus est martyrium non in persecutione Decii, seu Valeriani, ut quidam cum Suida scripserunt: sed sub Diocletiano & Maximiano in Chalcide civitate Græciæ, ad extremum novissimæ persecutionis die 18. Septembris anni 302. vel 303. Opera S. Methodii evulgavit anno 1644. Græcè & Latinè Franciscus Combefis in fol. apud Simeonem Piguet, via Jacobæa sub signo Prudentiæ, cum operibus Amphilochii & Andreæ Cretensis, de quibus infrà. Inter hæc habet sermonem in festum *Occursus seu Purificationis B. Mariæ Virginis* sub nomine dicti Methodii, quem pro viribus asserit sancto Methodio seniori, seu Olympi in Lycia Episcopo & Martyri, cum aliis communiter post Baronium, &c. Sed quàm meritò Methodio juniori Constantinopolitano Patriarchæ assertus teneat, his ducor argumentis. I. enim hoc opus pronunciatum in Concilio aliquo seu Cœtu Ecclesiastico, ubi plures aderant Episcopi, quos per reverentiam *honorabiles Patres ac Fratres appellat*. Ita sub initium, *Hodie siquidem divinorum oraculorum Concilium palam aperitur, gloriosaque hujus diei symbola, gestaque facta à Sacris Prædicatoribus Ecclesiastico Cœtui releguntur*. Item sub finem: *Tamquam Spiritu præsentes, se unà cum positis illis honorabilibus Patribus ac Fratribus festum diem & conventum agentes, lætis vocibus salutaverimus*. At hæc nullo modo cadunt in tempora persecutionum, sub quibus Methodius senior occubuit: optimè verò cum Methodio Constantinopolitano noni sæculi, sub quo præstantissimus Clerus, & in quam urbem perpetuus ob negotia sua Episcoporum Archiepiscoporumque adventus, ante quorum conspectum hanc habere potuit Orationem. Nullus verò Conventus seu Concilium legitur, sub quo senior sanctus Methodius Orationem istam ex suggestu tam publico habere potuerit. 2. Author Orationis hujus, sub finem alludit sequentibus verbis ad Symbolum Nyssenum vel Constantinopolitanum, dum de Christo: Tu lumen es verum ex vero lumine, Deus verus ex Deo vero: At Methodius senior excesserat ante utrumque Concilium, nec alludere eorumdem verbis potuit, sed rectè junior. 3. Hæc Oratio impetit manifestè Nestorium, ejusque sæpè sæpius hæresim profligat; unde non potest esse Methodii senioris, qui 130. annis mortuus est ante damnatam in Concilio Ephesino Nestorii hæresim. Audiamus auctorem loquentem, non per transennam, sed cum affectatione etiam aliqua, dum de Maria quam Matrem Dei appellat: *Patriis te canticis, filia David, Materque Domini & Dei David, salutabo*. Tum postea appellatur, *Dei Mater*, *Mater Plasmatoris, porta per quam Deus in carne oritur*. Tum postea, *Euge, euge Dei Mater ancillaque; euge cui ille omnium creditor, debitor fit*. Et postea, *Nam & sola eorum quæ Dei sunt, partem cum Deo habere meruisti, quæ sola Deum ex Deo Patre unigenè ac sempiternè genitum carne genueris. Ita veraciter sentiunt, qui sinceram fidem amplectuntur*. Quid, quæso, clariùs dici unquam potuit, ut se profiteretur scribere post Concilium Ephesinum? 4. Tanta affinitas styli inter hanc orationem & alias junioris Methodii, ut patet ex ejus encomiis *in sanctam Agatham & Areopagitam Dionysium*, ut ovum ovo similius non sit. Sanè quod huic authori Græco singularissimum est, ut in dicta oratione allocutus auditores, hos appellet *Patres & Fratres*: invenitur expressum modo simili in oratione dicta ad laudem sanctæ Agathæ, quæ absque dubio est Methodii Patriarchæ Constantinopolitani seu junioris, unde ejusdem Scriptoris utrumque opus esse judicandum est. Ita sub finem Orationis in occursum, *tamquam spiritu præsentes ac una cum*

cum poſitis illic honorabilibus Patribus ac Fratribus feſtum diem & conventum agentes. Et ſub initium orationis in ſanctam Agatham : *Patres Fratreſque quotquot ſimul hic adeſtis, ac propè adſtatis*. 5. Denique ſic loquitur author primæ orationis : *Ante te non eſt natus Deus alius ex Deo Patre, nec poſt te futurus eſt alius Filius Patri conſubſtantialis, & ejuſdem cum ipſo gloriæ* : quæ verba arguunt authorem Concilio Nycæno poſteriorem : & conſequenter ab oratione hac ſeniorem Methodium excludunt, cujus temporibus hæc vox nondum inventa vel uſitata fuit.

Objicitur Auctorem ſub orationis ſuæ initium, appellare ſympoſium virginum à ſe compoſitum, quod cùm ſeniori Methodio conveniat, conſequens eſt ejuſdem eſſe orationem iſtam. Reſpondeo hoc forſitan additum à ſcribis, ut huic orationi ſatis ornatæ majorem conciliarent authoritatem; vel hoc etiam ab ipſo juniore ſuam tranſcribente orationem fieri potuiſſe, ut gravius ei pondus Antiquitatis ac majeſtatis accederet. Arridet primum magis, nam illa prima periodus admodum inſueta eſt apud Concionatores, ut ſub initium orationis opera ſua allegaverint. Præterea non cohæret iſta periodus prima cum cæteris, nam de Virginitate ibi magis agit ac de virgine, quàm de Chriſto Domino, & Simeone Juſto, & aliis ad hunc occurſum ſpectantibus. Denique quid ſibi vult hic Scriptor in prima periodo, dum *& breviter quantum licuit, & de caſtitate in ſympoſiacis abundè explicuerit*? Hæc enim ſibi pugnant *abundè & breviter*, arguuntque interpolatorem & aſſutorem.

De Dorotheo Tyrenſi.

DOROTHEUS TYRENSIS dicitur tempore Diocletiani exilium paſſus, & ſcripſiſſe Synopſim de vita Prophetarum, & diſcipulorum Chriſti : quæ Synopſis extat in bibliotheca ſanctorum Patrum, & frequenter citatur. At hujus Dorothei nullam mentionem inveni apud Euſebium, S. Hieronymum, vel Gennadium, aut etiam Joan. Trithemium, qui ſcripſerunt de viris illuſtribus.

Ipſa verò Synopſis plena eſt fabulis : conſulat lector, quæ iſte auctor ſcribit in vita Abdiæ, Jonæ, Iſaiæ, Hieremiæ, & Eliſæi. Præterea conſulat, quę ſcribit in vita Jacobi Alphæi, & Clementis : & in ſumma ſciat, ab iſto numerari inter 72. diſcipulos Chriſti, omnes, qui ab Apoſtolo Paulo nominantur, etiamſi Ethnici fuerint, vel fœminæ : & illos omnes non ſolùm diſcipulos Domini, ſed etiam Epiſcopos facere. Non meminiſſem libri tam fabuloſi, niſi vidiſſem, à multis citari, & non minimi fieri.

Dissertatio Historica.

SANCTUS DOROTHEUS, Tyri in Phœnicia, non, ut plerique recentiores dicunt, Epiſcopus, ſed Presbyter dumtaxat, ſub Diocletiano exilium, aliaque multa paſſus, vixit uſque ad Juliani Apoſtatæ tempora, & martyrium Edeſſæ, vel, ut alii, Tyri, pertulit anno Chriſti 362. die 5. Junii, annum ætatis agens 107. ut teſtantur Romani Græcique Faſti. Nondum mihi planè conſtat an idem ſit cum Dorotheo illo Diocletiani familiariſſimo Eunucho, quem poſtea Antiochiæ Presbyterum vidit, & ſacras Scripturas in Eccleſia non incommodè explicantem audivit Euſebius, ut ipſemet teſtatur lib. 7. Hiſtoriæ, cap. 26. Eſto enim Baronius, Miræus, ac plerique recentiores ita ſenſerint, aliud tamen innuere videtur eo loco Euſebius, qui cùm hæc ſcriberet ante annum utique 340. ipſi fatalem, apertiſſimè demonſtrat defunctum jam fuiſſe Dorotheum, cujus laudes mirificè celebrabat. Nec certiora ex Nicephori Calliſti libro 6. cap. 37. expiſcari licet.

Synopſim de vita & morte Apoſtolorum, Prophetarum ac Diſcipulorum Chriſti, quæ ſub ejus nomine excuſa fuit, tum ſeorſim, tum in Bibliothecis Veterum Patrum, jampridem ut fabulis refertam, nulliuſque apud Doctos auctoritatis obelo fixerunt Molanus, Baronius, Bellarminus, & alii Catholici, quibus Heterodoxi ſubſcripſerunt. (*a*)

(*a*) Tres omnino ſtatuendos eſſe Dorotheos eodem tempore ſub initia quarti à Chriſto ſæculi viventes cenſeo, Dorotheum Cubicularium Martyrem ab Euſebio lib. 8. commendatum. Alterum Presbyterum de quo idem Euſebius loco citato. Tertium verò ab utroque diſtinctum qui ſub Juliano Apoſtata trucidatus eſt die 5. Junii. Vide plura apud Blondellum pag. 274. Apologiæ pro Hieronymo, ejuſque cenſorem Henricum Valeſium in Annotationibus ad Euſebianam Hiſtoriam. De Synopſi verò adeundus quoque Index Romanus Joannis Mariæ Braſichellani pag. 209. ubi Dorotheo cuidam Abbati Romano tribuitur, ſed ætate longè poſteriori.

De Arnobio. 285.

ARNOBIUS ſub Imperatore Diocletiano floruit, teſte ſancto Hieronymo de Script. Eccleſ. ac ut probaret, ſe verè factum eſſe ex pagano Chriſtianum, ſcripſit libros ſeptem contra gentes : nam octavus, qui illi operi adjunctus eſt, non eſt liber octavus Arnobii, ſed Octavius Felicis Minutii, de quo ſupra dictum eſt. Feruntur etiam ſub nomine Arnobii Commentaria brevia in Pſalmos. Sed ea non videntur eſſe hujus Arnobii, ſed alterius recentioris : nam in explicatione Pſalm. 108. refellit hic auctor hæreſim Prædeſtinatorum, quæ tempore S. Auguſtini, vel poſtea exorta eſt : & in explicatione Pſalm. 109. nominatim refellit Photinum hæreſis Ebionitarum inſtauratorem. At Photinus tempore Valentiniani Imperatoris vixit, teſte S. Hieronymo de Script. Eccl. quo tempore Arnobius ſuperſtes eſſe non poterat. Fuit enim Arnobius præceptor Lactantii, Lactantius autem in extrema ſenectute vocatus eſt à Conſtantino Magno, ut Criſpum filium erudiret, teſte S. Hieronymo de Script. Eccl. in Lactantio. Quamvis autem Commentaria in Pſalmos non ſint illius Arnobii, qui circa initia Principatus Diocletiani florebat : ſunt tamen auctoris alicujus veteris, qui etiam Arnobius dicebatur, ut conſtat ex Commentariis Bedæ in Pſalmos, in quibus explicatio Arnobii non ſemel adducitur. Vide infra in verbo, Arnobius junior. Feruntur etiam annotatiunculæ in varios locos Evangelii : ſed parvi momenti, neque certum eſt, an ſint Arnobii.

Dissertatio Historica.

ARNOBIUS, Siccæ in Numidia Africæ provincia Rhetoricam profeſſus, & Lactantii Firmiani Præceptor, ad Chriſtianam Religionem converſus, ſcripſit :

Libros ſeptem adverſus Gentes, quibus à nonnullis aliàs, tamquam octavus ſubjiciebatur Minutii Felicis Romani Cauſidici aureolus dialogus, inſcriptus Octavius.

Sub Diocletiano Imperatore floruiſſe & anno Urbis conditæ 1050. Chriſti 297. ſcripſiſſe, ac ſuperſtitem ad plures annos fuiſſe, tum ex ipſomet Arnobio diſcimus libro ſecundo, tum ex ſancto Hiero-

Hieronymo cap. 79. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in epistolis ad Paulinum & Tranquillinum, in Prologo ad Eusebii Chronicon, & ipso ferè initio ipsius Appendicis ad Eusebianum Chronicon anno Olympiadis 276. secundo, vel ut alii numerant, 4. Christianæ æræ 326. vel 328. Quamdiu autem fuerit superstes ignoramus. Hinc verò patet citiùs à quibusdam collocari sub ann. Christi 285. Jo. Trithemius Presbyterum appellat & Philosophum, eique Commentaria in Psalterium minùs appositè attribuit: librum de Rhetorica institutione periisse arbitror.

Castigatissima septem illorum adversus Ethnicos librorum editio anno 1651. prodiit Lugduni Batavorum in 4. una cum Theodori Canteri Notis, Godeschalci Stewechii electis, Gebharti Elmenshorstii observationibus & collectaneis variarum Lectionum ac duplici Indice, necnon Desiderii Heraldi Animadversionibus & Castigationibus; Salmasiani autem illi Commentarii tamdiu expectati, tam sæpè ejus amicorumque litteris promissi atque jactati in fumum tandem ventosque evanuerunt. Miror tamen bonos illos editionis tam curatæ curatores omisisse Joannis Meursii Professoris quondam Leydensis, & Lugduno-Batavorum Athenarum illustratoris de tota Hollandia, adeoque & universa re litteraria benè meriti, Arnobianum Criticum anno 1598. Leydæ editum cum Hypocritico Minutiano, saltem nec ejus vel obiter meminisse.

De Lactantio Firmiano. 290.

LACTANTIUS FIRMIANUS, Arnobii auditor, floruit sub Diocletiano, & ad Principatum Constantini Magni in senectute pervenit, teste S. Hieronymo in lib. de Script. Eccl. ubi multa ejus opera recenset, quæ non extant: quæ autem extant hæc sunt: *Divinarum Institutionum lib.* 7. *De Ira Dei*, 1. *De Opificio Dei*, 1. *Epitome in libros suos. Carmen de Phœnice. Aliud de Passione Domini. Tertium de resurrectione ejusdem, & de Paschate.*

Et quidem opera omnia, exceptis carminibus, sine controversia Lactantii sunt: & quemadmodum ad eloquentiam Tullianam proximè accedunt, ita erroribus variis sic deformata sunt, ut non sine causa Gelasius Papa in Concilio Romano apocrypha censeri voluerit.

Carmen de Phœnice Ethnici hominis esse videtur.

Carmen de resurrectione, & de Paschate, ut etiam de Passione, ambiguum est, an Lactantii sint, quia nonnulli negant illius esse: & tamen non habemus certum argumentum, unde probetur illius non esse.

Dissertatio Historica.

LUCIUS COELIUS Lactantius Firmianus, hoc est ex Firmo Piceni oppido oriundus ut volunt quidam, sive ex Possevino, aliisque, natione Africanus, Arnobii Siccensis in Numidia Rhetoris auditor, Cicero Christianus à plerisque meritò nuncupatus, quasi quidam fluvius Tullianæ eloquentiæ, ut verbis Hieronymi utar, lacteus ac mellitissimus orator, cùm digressus ex Africa & Nicomediæ in Bithynia litteras oratorias doceret circa annum Christi 302. Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, vidit Templum Dei everti, ut testis est libro 5. de Justitia Dei capite secundo. Postea Crispum Constantini Magni ex Minervina filium Latinis litteris erudivit, vir omnium suo tempore eruditissimus, sed adeò in hac vita pauper, ut plerumque etiam necessariis indigeret, inquit S. Hieronymus in Chronico ad annum Olympiadis CCLXXIV. 1. Christi 317. Idem Hieronymus in ep. 13. ad Paulinum, & 83. ad Magnum, in Apologia ad Pammachium & Oceanum, in Expos. Epistolæ ad Galatas libri 2. cap. 4. & Catalogi cap. 80. atque inde Honorius Augustodunensis, Damasus Papa ep. quæ est 124. inter Hieronymianas, Gelasius Papa in Decreto de libris Apocryphis, atque ut cæteros omittam, Trithemius, Lud. Vives in cap. 23. libri 18. de Civitate Dei, Antonius Raudensis, Michael Thomasius, Billius, Bar. Bell. Poss. & alii de eo plura, ut mihi minùs necesse sit de ejus operibus disputare, quæ in omnium manibus sunt, atque exceptis Carminibus de quibus, ac præcipuè de eo, quod de Phœnice inscribitur, nonnulli dubitant, & Ethnico homini vindicant, genuini sunt fœtus: aut, quod ab instituto meo longiùs abest, ejusdem nævos erroresve refutare. Id abundè præstitit Raudensis, quem tamen Philelphus, aliique arguunt.

Luctatii Placidi Grammatici non Lactantii Rhetoris sunt Argumenta in singulas fabulas Metamorphoseon Ovidii, & Annotationes in Statii Thebaidem & libros quinque Achilleidos, in quibus Boethius, seduliusque allegantur. Vide Gyraldum in Historia Poetarum, Tiliobrogam præfatione in Statium, Theophilum in Erotematis, &c.

Supplementum.

LUCIUS COELIUS LACTANTIUS FIRMIANUS natione Afer, Arnobii Siccensis in Numidia Rhetoris auditor, Cicero Christianus à pluribus meritò nuncupatus, quasi quidam Fluvius Tullianæ eloquentiæ, lacteus ac mellitissimus Orator, ut verbis D. Hieronymi utar, cùm digressus ex Africa & Nicomediæ in Bithynia litteras Oratorias doceret, accitus circa annum Christi 302. Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, vidit Templum Dei everti, ut testis est libro 5. de Justitia Dei cap. 2. Postea Crispum Constantini Magni ex Minervina filium latinis Litteris erudivit, vir omnium suo tempore eruditissimus, sed adeò in hac vita pauper, ut plerumque etiam necessariis indigeret, inquit S. Hieronymus *in Chronico* ad annum olympiadis 274. id est Christi 317. Idem Hieronymus in Epistola 13. ad Paulinum & 83. ad Magnum; item de eo in Apologia ad Pammachium & Oceanum, in expositione Epistolæ ad Galatas lib. 2. cap. 4. Et Catalogi cap. 80. atque inde Honorius Augustodunensis post Damasum Papam Epistola quæ est 124. inter Hieronymianas, & Gelasium Papam in Decreto de libris Apocryphis: ut Cæteros omittam, Trithemium lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Ludovicum Vives in cap. 23. libri 18. de Civitate Dei. Hæc Labbeus, qui nihil speciale habet de scriptis Lactantii.

Fuerunt tamen plures qui curas suas obtulerunt libris Lactantii evulgandis corrigendisque. Antonius Raudensis Italus Ordinis Minorum, circa annum 1440. opera Lactantii emendavit ad mss. Codd. collatione facta diligenti, & præfixa locorum notatione, qui minùs quadrare veritati videbantur. Impressa postmodum prodiere Venetiis anno 1497. apud Bevilaquam, & Lugduni apud Gryphium, & Basileæ apud Cratandrum anno 1532. & Coloniæ anno 1544. apud Petrum Quentelium. Alter etiam Xystus Betulejus opera omnia Lactantii Commentariis suis auxit, impressa Parisiis anno 1563. Tertius autem Michael Thomasius Hispanus Antonii Augustini in Episcopatu Ilerdensi successor,

ſor, cujus elegantes notæ cum Lactantii operibus prodierunt, expreſſæ typis Antuerpiæ annis 1579. & 1587. apud Plantinum, & poſt biennium, hoc eſt anno 1589. Pariſiis quoque inſertæ operibus Lactantii in ſecunda editione elegantiſſima & accuratiſſima Bibliothecæ SS. Patrum, apud Michaelem Sonnium. Quartus denique Joſephus Iſæus Cæſenas olim D. Petri de Urbe Canonicus, qui omnia Lactantii opera ad mſſ. Codd. emendata, in folio edidit Romæ anno 1650. Cum brevibus A ad calcem Commentariis ex Typographia Maſcardi. Hujus autem operibus jam ſæpius evulgatis, ſed ultimò Lugduni Batavorum in 8. anno 1660. cum Commentariis variorum auctorum, adde inſignem librum *De morte perſecutorum*, quem cum eruditiſſimis notis primus edidit ex mſ. Bibliothecæ Colbertinæ Stephanus Baluzius tom. 2. *Miſcellaneorum ſuorum* pag. 1. & ſeqq. Pariſiis apud Franciſcum Muguet anno 1679. in 8. annotationibus ad calcem tomi appoſitis.

SÆCULUM QUARTUM

Ab anno Dom. 300. ad 400.

De Conſtantino Magno Imperatore. 306.

CONSTANTINUS ſanctæ Helenæ filius, Imperat. maximus, & feliciſſimus, quamvis occupatiſſimus in Imperio Orbis terræ gubernando, quod ſuſcepit anno Domini 306. & tenuit uſque ad 337. ſcripſit tamen *multas latinas orationes*, earumque magnam partem recitavit, Euſebio teſte lib. 4. de vita Conſtantini cap. 29. Una tantùm nunc ſupereſt, ſcripta ad ſanctorum cœtum: cujus meminit idem Euſebius l. 4. cap. 32. de vita Conſtantini, atque eadem excudi ſolet poſt ipſos libros de vita Conſtantini. *Oratio ſanè pulchra, & luculenta de Chriſti adventu, & divinitate*: ubi etiam cap. 18. inſeruntur carmina Sibyllæ Erithrææ, quorum literę capitales reddunt hanc ſententiam: JESUS Chriſtus, Dei filius, ſervator, Crux. Scripſit etiam idem Imperator *epiſtolas multas*, quarum aliquæ extant tum in hiſtor. Euſebii, tum in libris de vita Conſtantini. Sed epiſtolæ poſſent fortaſſe tribui Secretariis; ſed orationes ipſius Conſtantini proprio labore, & ſtudio ſcribebantur, ut diximus.

Dissertatio Historica.

CONSTANTINUS Conſtantii chlori, & S. Helenæ filius, cùm ſub Diocletiano inter ephebos meruiſſet, ut docent Acta 5. Metrophanis & Alexandri apud Photium, codice 256. & Anonymus à V. C. Henrico Valeſio J. C. poſt Ammianum Marcellinum vulgatus, in Britanniam rediit, ac patre in eadem Inſula mortuo anno 306. Imperium Romanum regere cœpit per annos 30. uſque ad diem Pentecoſtes 22. Maji anni 337. olympiadis 279. primum, quo in villa Achirone propè Nicomediam in Bithynia deceſſit annos natus 66. Baptizatum fuiſſe paulò ante ab Euſebio Nicomedienſi teſtantur è Gręcis Euſebius, Socrates, Theodoretus, Evagrius; è Latinis SS. Ambroſius atque Hieronymus &c.

Præter *epiſtolas quaſdam, & Orationem ad Sanctorum cœtum*, de adventu & Divinitate Chriſti ſervatoris, in qua refert verſus acroſticos Sibyllæ Erithrææ, quorum initiales reddunt hanc ſententiam, Ιησοῦς Χριςὸς Θεοῦ Υἱὸς, Σωτὴρ, Σταυρός.

Circumfertur *Donatio*, ſeu edictum *Conſtantini Magni* quod Leo IX. Papa in libello adverſus Michaelem Patr. C. P. ad Leonem Achridanum, & Petrus Damiani in diſceptatione Synodali inter Regium B Advocatum, & Romanæ Eccleſiæ Defenſorem, aliique iis recentiores memorant, maximè poſt Gratianum qui ejus ſummam refert diſtinctione 96. Sed meritò revocatum eſt in dubium à Laurentio Valla, Ænea Silvio, Nicolao Cuſano, Raphaele Volaterrano, Melchiore Cano, Card. Baronio ad annum 324. Joanne Morino, pluribuſque aliis eruditis recentioribus, ut omittam Joannem Rainoldum, Robertum Cocum, Marquardum Treherum, Andream Rivetum, ſimileſque Heterodoxos, qui tamquam furioſi canes qualibet occaſione data S. R. E. ejuſque ſummos moderatores allatrare non ceſſant.

C *De Euſebio Cæſarienſi.* 326.

EUSEBIUS Pamphili Epiſcopus Cæſarienſis, tempore Conſtantini Magni floruit, ſcripſit plurima, ex quibus hæc nunc extant. *De Evangelica præparatione lib.* 14. *De Evangelica demonſtratione* 10. *De Hiſtoria Eccleſiaſtica* 10. *De vita Conſtantini* 4. *Adverſus Hæreſim Hieroclis* 1. *De Philoſophorum diſſenſione* 1. *Chronicum interprete ſancto Hieronymo.*

Ex his, libri de præparatione, & demonſtratione Evangelica, imperfecti ſunt. Scripſit enim Euſebius, teſte ſancto Hieronymo de Script. Eccleſ. *De præparatione lib.* 15. *De demonſtratione libr.* 20. D Nunc autem illi ſunt 14. iſti ſunt 10. Hiſtoriam Euſebii Eccleſiaſticam Ruffinus vertens libros novem confecit, quibus duos ipſe addidit. Sed Joannes Chryſtophorſonus in ſua interpretatione libros decem eſſe oſtendit, quot etiam ſanctus Hieronymus numeravit. Cæterum Ruffinus non ad verbum vertit, ſed aliqua addidit, aliqua detraxit. Hanc hiſtoriam Gelaſius inter apocryphos retulit, fortaſſe ob nimias laudes Origenis.

Scripſit præterea Euſebius ſub nomine S. Pamphili martyris *Apologiam pro Origene*: quamvis enim ſanctus Hieronymus in libro de Scriptor. Eccleſ. in Pamphilo teſtatus ſit, à ſancto Pamphilo ſcriptam E fuiſſe Apologiam pro Origene; tamen idem ſanctus Hieronymus lib. 2. in Ruffinum, ſe poſtea comperiſſe dicit, Apologiam illam eſſe partem Apologiæ Euſebii pro eodem Origene, cui Ruffinus mutaverat titulum, & hoc ipſum probat teſtimonio Euſebii, qui ſanctum Pamphilum nihil ſcripſiſſe aſſeruit præter epiſtolas aliquot.

Porrò Euſebium hunc Cæſarienſem Arianum hęreticum fuiſſe teſtatur ſanctus Athanaſius in libro de Decretis Nicænæ Synodi: teſtatur ſanctus Hieronymus in utroque libro adverſus Ruffinum, ubi Euſebium hunc non ſolùm hæreticum Arianum, ſed

A sed nunc signiferum, nunc Principem Arianorum vocat: testatur septima Synodus Act. 5. ubi primum Legati Apostolici, deinde tota Synodus rejiciunt auctoritatem Eusebii Pamphili, tamquam hæretici Ariani. Quare mirum est, cur aliqui moderni Eusebium hunc tanto ardore defendere velint.

Dissertatio Historica.

Eusebius, vulgò Pamphili cognomentum sortitus ob initam cum Pamphilo Martyre contubernale suo singularem amicitiam, Cæsareæ in Palæstina Metropolitanus Episcopus post Agricolam ab anno Christi circiter 315. ad annum 340. quo obiisse perhibetur Arianæ factionis signifer, librorum omnis generis diligentissimus pervestigator πολυμαθέστατος καὶ πολυγραφώτατος. S. Basilius cap. 29. libri de Spiritu Sancto ad Amphilochium docet eum, διὰ πολυπειρίαν ἀξιοπίστον εἶναι, ejusque meminerunt S. Hieronymus Catalogi cap. 8. & alibi sæpè. S. Athanasius plurimis in locis. S. Epiphanius Hæresi 68. & in Ancorato, S. Augustinus in libris de Trinitate Dei, S. Paulinus epist. ad Alypium, (in qua chronici Eusebiani rara fuisse dixit exemplaria) ejusdem continuatores Socrates, Sozomenus, & Theodoretus, Evagrius Scholasticus initio Historiæ, Gelasius libro de duabus naturis contra Euthychianos, S. Gregorius Papa lib. 7. ep. 29. ad Eulogium Patriarcham Antiochenum, Photius in Bibliotheca, codd. 9. 10. 11. 12. 13. 27. 39. 118. 127. qui etiam pro Eusebianis agnoscit libros 4. de vita Constantini, quos omiserat cum aliis recensere S. Hieronymus, Honorius Aug. libelli 1. cap. 82. Suidas, Cedrenus, Zonaras, Nicephorus Callistus, atque ex recentioribus Baronius, Bellarminus, Vossius ex quo Miræus, & alii. (4)

Multa ex scriptis ejus perierunt, præcipuè libri illi XXX. quos in Porphyrii calumnias strinxit. περὶ μαρτύρων, περὶ τῆς τῶν εὐαγγελίων διαφωνίας, περὶ τοῦ βίου Παμφίλου, in Psalmos in Isaiam &c. Audio in Scoriacensi Bibliotheca reperiri Græcè librum de Martyribus Cæsariensibus, & alibi alia mss. Supersunt verò quæ sequuntur diversis corporibus, ac separatim edita, de quibus singillatim dicendum erit.

I. *Chronicon* quod perduxit non à prima Mundi fabrica, sed à natali Magni Credentium patris Abrahami, usque ad annum Eræ Christianæ 326. Olympiadis 376. tertium, quo Vicennalia à Constantino Magno edita docet. Hujus ipse meminit libro primo Historiæ cap. 1. S. Hieronymus Latinè edidit, multisque ad Romanam Historiam spectantibus locupletatum ab anno 326. continuavit usque ad annum Christi 379. olympiadis 289. tertium. Arnoldus Pontacus Vasatensis Episcopus, collatione plurimorum codicum absolutissimam chronici illius editionem emisit Burdegalæ anno 1605. Sequenti verò Josephus Scaliger Julii Cæsaris à Burden filius, Lugduni Batavorum thesaurum vulgavit, in quo hæc habentur Latina primùm, tum Græca.

Eusebii Pamphili Cæsareæ Palestinæ Episcopi, ex priori parte chronicorum canonum omnimodæ Historiæ reliquiæ, quæ colligi potuerunt interprete Hieronymo, cum Appendice Prosperi Tironis Aquitani excipientis derelicta ab Hieronymo.

Eusebii chronicorum pars posterior quæ vocatur Chronicus canon interprete Hieronymo cum supplemento ejusdem.

Prosperi Tironis Aquitani chronicon Consulare excipiens derelicta ab Hieronymo.

Victoris Episcopi Tununensis in Africa chronicon Consulare, continuans derelicta à Prospero.

Joannis Abbatis Monasterii Biclariensis in Hispania fundatoris chronicon excipiens ubi desinit Victor Tununensis.

Idacii Lemicensis in Gallæcia Episcopi chronicon continuans derelicta ab Hieronymo.

Marcellini Comitis luculentum chronicon continuans derelicta ab Hieronymo usque ad annum Christi 535. cum Appendice usque ad annum 566.

Excerpta ex Africani Pentabiblo, & Eusebii priore parte Canonum chronicorum omnimodæ Historiæ, homine barbaro collectore, & interprete ineptissimo, utilissima alioquin, & bonæ frugis refertissima, tunc primum edita ex Puteana Bibliotheca.

B Eusebii Pamphili chronicorum canonum omnimodæ Historiæ Græca prioris partis, quæ supersunt antehac non edita.

Eusebii chronicus canon Græcè.

Compendium temporum Auctoris innominati numquam antea editum ab Adam primo homine ad annum XX. Heraclii cum Consulibus. Hi sunt fasti Siculi sive chronicon Alexandrinum, à Radero postea copiosius editum ex Codice Augustano Monachii anno 1615. in 4. Græcè, ac Latinè.

Chronographia Nicephori P. C. P. tunc primùm Græcè edita.

Collectanea Historiarum, partim ex iis scriptoribus qui nondum editi sunt, partim ex iis qui editi. Penus antiquæ memoriæ locupletissimum totum ferè Eusebium illustrans. Titulus est Ἱστοριῶν συναγωγὴ tum subjungitur Ὀλυμπιάδων ἀναγραφή: quia per olympiadas prima pars illius collectionis digesta est. Suave porrò est quod Meursius, Vossius, aliique etiam acutissimi nostræ ætatis scriptores tamquam à prisco aliquo auctore profectam Descriptionem Olympiadum, & olympionicarum citant quæ pura est farrago ab ipso Scaligero ex editis, & ineditis libris coagmentata. Sequuntur excerpta ex chronico Georgii Syncelli, quod studio R. P. Jacobi Goar Dominicani τοῦ μακαρίτου cum Theophanis Historia Græcè, & Latinè excusum in Tipographia Regia habetur in omnium eruditorum manibus.

D Josephi Scaligeri Animadversiones, Notæ in Chronologica Eusebii & Latinam sancti Hieronymi versionem, cum tribus libris Isagogicorum chronologiæ Canonum.

II. *Historia Ecclesiasticæ libri decem*, ab initio nascentis Ecclesiæ ad reportatas à Constantino Magno Christiano Imperatore de Tyrannis Maxentio, & Licinio victorias: cujus historiæ ipse meminit libri sexti de Demonstratione Evangelica cap. 13. Ruffinus illam more suo, hoc est liberè, vertit in Latinam linguam, additis detractisque pro libito variis narrationibus, & in libros novem contraxit, adjunctisque de suo duobus libris ad sua usque tempora continuavit Joannes Christophorsonus Anglus Episcopus Cicestrensis novam interpretationem molitus

E est, qua longe perfectiorem, castigatioremque expectamus in dies à V. C. Henrico Valesio Parisino J. C. cum uberrimis, & eruditissimis notis.

III. *De vita Constantini Magni libri quatuor*, sive, ut vocat Phothius ἐγκωμιαστικὴ τετράβιβλος, loco supra citato, cum ejusdem Constantini Magni *Oratione ad Sanctorum cœtum*, in capita 26. distributa.

IV. *Oratio in laudem Constantini Magni ad XXX. illius Imperatoris annum*, cujus ipse meminit lib. 1. & lib. 4. cap. 47. De Vita Constantini.

V. *Onomasticon urbium*, & *locorum Sacræ Scripturæ*, seu liber de locis Hebraicis, Græcè primùm, deinde à S. Hieronymo Latinè scriptus, in commodiorem ordinem redactus, & variis additionibus auctus opera R. P. Jacobi Bonfrerii Soc. Jesu Parisiis prodiit

Græcè

Græcè & Latinè 1631. poſt Commentaria in Joſue, Judices, & Ruth. Ex præfatione verò ipſius Euſebii ad Paulinum diſcimus antea ipſum ſcripſiſſe I. qua ratione in linguam Græcam vertenda ſint variarum orbis nationum nomina, quæ Hebraicè continentur in ſacra Scriptura, ſive, ut vertit S. Hieronymus, quomodo diverſarum vocabula nationum apud Hebræos olim dicta ſint, & nunc dicantur. II. Topographiam terræ Judeæ, & diſtinctas Tribuum ſeries. III. Ipſius Hieroſolymitanæ Urbis, Templique in ea, cum breviſſima ſingulorum locorum expoſitione picturam (*b*).

VI. *De Evangelica Præparatione ad Theodorum Epiſcopum libri quindecim*: editi ſunt anno 1628. Pariſiis Græcè & Latinè ex terſiſſima, & caſtigatiſſima interpretatione R. P. Franciſci Vigeri Rotomagenſis Soc. Jeſu Theologi.

VII. *De Evangelica demonſtratione libri decem*, Græcè & Latinè Pariſiis editi 1628. interprete Donato Veronenſi. Sanctus Hieronymus fuiſſe 20. affirmat, unde neceſſe eſt decem ex iis incuria poſterorum periiſſe. Hallucinatur Rivetus dum Franciſco Vigero hanc quoque adſcribit librorum de Demonſtratione verſionem nec ipſius præfationem legerat, qui de libris ſolius tituli lectione ſibi perſpectus pronuntiare ſolet.

VIII. *Adverſus Hieroclem*, qui ex Philoſtrati Lemnii Sophiſtæ Hiſtoria Apollonium Tyaneum infamem Magum Servatori Domino noſtro JESU CHRISTO comparare fuerat auſus Græcè & Latinè Pariſiis anno eodem Zenobio Acciajolo interprete.

IX. *Libri quinque* quorum duo priores *κατὰ Μαρκέλλου*, inſcribuntur *adverſus Marcellum Ancyranum*, alii tres adverſus eumdem, *de Eccleſiaſtica Theologia*, cujus operis ab aliis prætermiſſi, & ni fallor, poſt Conſtantini magni obitum elaborati, ſolus, ut volunt, meminit Socrates. Quid ſi verò quinque ſint illi libri *περὶ Θεοφανείας*, ſive, quod idem hoc loco mihi videtur, *περὶ Θεολογίας*, quorum meminit Sanctus Hieronymus in Catalogo? Extant porrò quinque illi libri Græcè & Latinè excuſi in editione Pariſienſi poſt libros de Demonſtratione Evangelica, anno 1628. ſtudio R. M. ideſt Richardi Montacutii Angli Pſeudo-Epiſcopi, Latinitate donati, & notis illuſtrati.

X. Joannes Curterius, vir perquam eruditus, Pariſiis anno 1580. Procopii Sophiſtæ Chriſtiani variorum in Eſaiam Pophetam Commentariorum Epitomem Græcè & Latinè vulgavit, dicavitque Illuſtriſſimo D. Joanni Rupifulcadio, Majoris Monaſterii Abbati, cum præpoſitis Euſebii Pamphili fragmentis Græcè & Latinè. *De Vitiis Prophetarum Oſeæ, Amos, & aliorum* ex quantivis pretii mſ. codice antiquiſſimo literis uncialibus ſcripto, quem dono ac liberalitate Eminentiſſimi S.R.E. Cardinalis Franciſci Rupifulcadii, viri immortali memoria digniſſimi, Joannis illius ex fratre nepotis, & Curterii diſcipuli, poſſidet Bibliotheca noſtri hujus Collegii Pariſienſis.

XI. Joannes Meurſius cum Polychronii & Pſelli expoſitionibus Græcis anno 1617. edidit etiam nomine Euſebii inſignitas *in Canticum Canticorum Expoſitiones*. Verùm, eſto fortè Euſebio noſtro vindicari poſſint Præfatio, & nonnulla interpretamenta, cætera tamen omnia inſtar centonis conſuta ſunt ex ſcriptis auctorum Euſebio juniorum, utpote Athanaſii, Nyſſeni, Gregorii, Philonis Carpathii, Didymi, Theophilacti, &c. ut jam obſervavit in Erotematis Theophilus.

XII. Robertus Stephanus elegantiſſimæ Novi Teſtamenti editioni Græcè, quæ prodiit in folio Pariſiis anno 1550. ex Bibliotheca Regia, præmiſit Euſebii Decem Canones de conſonantia quatuor Evangeliorum, cum epiſtola ejuſdem ad Carpianum cariſſimum in Chriſto fratrem, in qua rationem illorum Canonum à ſe excogitatorum occaſione Ammoniani Mònoteſſari affert, & explicat: quare non video quomodo cum ea epiſtola ſtare queant, quæ Hieronymus in Catalogo dicit Ammonium excogitaſſe Canones Evangelicos, quos poſtea Euſebius Cæſarienſis ſequutus ſit. Ipſe enim Euſebius apertè id pernegat. De his Caſſiodorus cap. 7. Inſtitutionis Divinarum Scripturarum: Euſebius quoque Cæſarienſis Canones Evangelicos compendioſa brevitate collegit, ut in quibus locis communia dicunt, in quibus propria tangunt, veriſſima diſtinctione monſtraret &c.

XIII. Scripſerat quidem Euſebius pro Origene Apologiam, ut non ſolùm ex Hieronymo, Sophronio, & Suida diſcimus, ſed ex ipſo etiam libri 6. Hiſtor. Eccleſiaſticæ capit. 43. *πεπονυμένη ἡμῖν τε*, verba ſunt ejus, *καὶ τῷ καθ' ἡμᾶς ἱερῷ μάρτυρι Παμφίλῳ ἣν τῶν φιλαιτίων ἕνεκα συμπονήσαντες ἀλλήλοις διὰ σπουδῆς πεποιήμεθα*. Latinè vertit Ruffinus, haberturque inter rejectanea Hieronymi Tomo IX.

XIV. Ejuſdem Euſebii opuſcula XIV. ex codicibus mſſ. Herivallenſi, & Compendienſi edidit Sirmondus noſter Pariſiis anno 1643. Latinè tamen ex veteri interpretatione, cujus ignoratur auctor. Ea ſunt. *De fide adverſus Sabellium liber primus. Adverſus eumdem liber ſecundus. De Reſurrectione liber unus. De eadem, & de Aſcenſione Domini. De incorporali, & inviſibili Deo. De incorporali. De incorporali anima. De ſpiritali cogitatu hominis. Quod Deus Pater incorporalis eſt. De eodem. De eo quod dicit Dominus*: Non veni pacem mittere in terram. *De mandato Domini*: Quod dico vobis in aure, prædicate ſuper tecta. *De operibus bonis & malis. De operibus bonis*; ex epiſtola S. Pauli ad Corinthios II.

(*a*) V. C. Henricus Valeſius J. C. in nova editione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii teſtimonia veterum recentiorumque ſcriptorum de Euſebio magna fide, ac diligentia collegit, & in duas tribuit partes. Qui in ejus gratiam, ac laudem aliquid ſcripſerunt, præmittuntur; deinde ſequuntur, qui eumdem in aliquo accuſarunt, aut reprehenderunt. Tu per otium, Lector, conſule.

(*b*) S. Hieronymus in Apol. ad Ruffinum: Laudant Euſebium in Eccleſiaſtica Hiſtoria, in digeſtione temporum, in deſcriptione Sanctæ terræ: & hæc ipſa opuſcula in Latinum vertens meæ linguæ hominibus dedi, &c.

Sixtus Senenſis lib. 4. Bibliothecæ ſanctæ aſſerit locos omnes Evangeliorum, qui in ſpeciem pugnare videntur, ad ſtabilem concordiam perduxiſſe in libro de Evangeliorum diſſonantia: Cujus operis fragmentum de controverſia ſuper tempore Dominicæ Reſurrectionis inter Matthæum & Marcum addit Latinè verſum fuiſſe ab Ambroſio Mediolanenſi Monacho Caſſinate. An verò excuſum ſit, & ubi, Latinane tantùm, an etiam Græca lingua, non affirmat.

De Commodiano. 320.

Supplementum.

Commodianus, dum inter ſæculares litteras etiam noſtras legit occaſionem accepit fidei. Factus itaque Chriſtianus, & volens aliquod ſtudiorum ſuorum munus offerre Chriſto ſuæ ſalutis auctori, conſcripſit mediocri ſermone, quaſi verſu *librum adverſus Paganos*. Et quia parum noſtrarum attigerat litterarum, magis illorum deſtruere potuit dogmata, quam noſtra firmare: unde & de Divinis repromiſſionibus adverſus illos, vili ſatis, & craſſo (ut ita dixerim) ſenſu

sensu disseruit, illis stuporem, & nobis desperationem incutiens. Tertullianum, & Lactantium, & Papiam auctores secutus, moralem sanè doctrinam, & maximè voluntariæ paupertatis amorem optimè prosecutus studentibus inculcavit. Hæc Gennadius cap. 15. *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Commodianus, floruit circa annum 320. temporibus Constantini Magni Imperatoris, & Sylvestri Romani Pontificis. Hujus Instructiones de quibus supra, primus evulgavit Nicolaus Rigault Parisinus anno 1664. impressas ad calcem operum Cypriani, post opera Minutii Felicis, Julii Materni, Firmii, & Arnobii Afri contra gentes, impressa correctissimè cum commentariis, & observationibus variis lectionum discrepantium.

De Theodoro Heracleen. 320.

Supplementum.

THEODORUS Heracleæ Thraciarum Episcopus, elegantis apertique sermonis, & magis historiæ intelligentia edidit sub Constantino Principe Commentarios in Matthæum & in Joannem, & in Apostolum, & in Psalterium. Hæc D. Hieronymus in Catalogo cap. 90. Hunc porrò *Commentarium in Psalmos Davidis* edidit primus ex mss. Codd. Bavaricæ Bibliothecæ & aliis Balthassar Corderius Soc. Jesu impressum Antuerpiæ in fol. anno 1642. apud Balthassarem Moretum, cui adjunxit duos alios Commentarios anonymos. Ibi plura de Theodoro.

De Juvenco Poeta Christiano. 330.

JUVENCUS Presbyter scripsit Constantino imperante *libros quatuor carminum*, quibus Evangelicam historiam complexus est. Laudat hoc opus sanctus Hieronymus tum in libro de Script. Eccles. tum in epistola ad Magnum, tum etiam in Commentario ad cap. 7. Matthæi. Extant hi libri in 8. tomo Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis secundæ.

Dissertatio Historica.

JUVENCUS, nobilissimi Generis Hispanus, Presbyter, Evangelia Heroicis versibus explicat, inquit S. Hieronymus in Chronico anno primo olymp. 277. Christi 329. De eodem loquitur in epistola ad Magnum, in Comm. ad cap. 2. Matthæi, & cap. 84. Catalogi. De eodem Honorius Augustodunensis libello 1. cap. 85. & è recentioribus Baronius ann. 337. numero 48. Poss. aliique. Sed nemo hactenus, quod sciam, observavit, quæ docuit me Petrus Pithæus ejus nomina: dictus enim est C. Aquilinus Vectius Juvencus: & in veteri exemplari Aremarensis in Campania Cœnobii scriptum habetur: CAI VECTJ AQUILINI JUVENCI PRESBYTERI, Evangeliorum libri 4.

Præter quatuor libros, quibus Evangelicam Christi Domini Historiam hexametris versibus penè ad verbum transtulit, qui passim extant Constantino Augusto dicati, nonnulla asseritur eodem metro ad Sacramentorum ordinem pertinentia scripsisse, quæ ad nostram usque ætatem non permanarunt. De præcipuo autem opere hæc in prologo non vanus Propheta vaticinatus est.

Quòd si tam longam meruerunt carmina famam,
Quæ veterum gestis hominum mendacia nectunt;
Nobis certa fides, æterna in sæcula laudis
Immortale decus tribuet, meritumque rependet.
Nam mihi carmen erunt Christi vitalia gesta.
Divinum in populis falsi sine crimine donum.
Nec metus, ut mundi rapiant incendia secum
Hoc opus: hoc etenim forsan me subtrahet igni.
Tunc cùm flamivoma descendet nube coruscans
Judex altithroni Genitoris gloria CHRISTUS.

Quoniam verò una alterave pagella superest, non erit abs re nostra prorsus alienum nec tibi, Lector benevole, injucundum duo hìc paucis observare. I. à vulgata lectione Juvenci abesse omninò eam, quæ apud Venerabilem Bedam occurrit Retractationis in Acta Apostolorum capite nono: cùm enim in vulgaribus editionibus legatur lib. III. Historiæ Evangelicæ ferè sub medium.

Surgite & abjectum fortes calcate timorem,
Gloriæ & hujusce expertes vos reddite cunctos
Nec cuiquam præsens pandatur visio vobis,
Ni prius huc &c.

Beda aliter legisse videtur in hæc verba: In Græco habetur ita: Et vidit in visu virum, hoc est ἐν ὁράματι: quod nomen & Juvencus Presbyter carmine posuit dicens:

Horamatis hujusce expertes reddite cunctos.

Quam lectionem cùm imperitus librarius ac temerarius Corrector ignoraret in Gloriam vertere maluit quàm in luto hærere. Secundum est, doctissimum eumdem Presbyterum Angliæ suæ decus Juvenci locum alterum in partes vocasse ex fine quarti, atque ultimi libri; sic enim incipit caput IV. libelli de locis Sanctis, quem de opusculis majorum abbreviando composuisse dicitur. Portam David egredientibus, foris occurrit in Austrum per vallem directus, ad cujus medietatem ab occasu Judas se suspendisse narratur. Nam & ficus magna ibi, ac vetustissima stat, juxta quod Juvencus ait:

Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Neque verò à posterioris tantùm ævi scriptoribus citatus reperitur Juvencus noster cùm & ipse S. Hieronymus in Commentariis suis in caput 2. Evangelii S. Matthæi carmina ejusdem Evangelici Poetæ non sit dedignatus inserere in hæc verba: Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, Aurum, Thus, & Myrrham. Pulcherrimè munerum Sacramenta Juvencus Presbyter uno versiculo comprehendit.

Aurum, thus, myrrham: Regique, hominique, Deoque
Dona ferunt

vel ut fortè aptius corrigas:

Aurum, Thus, myrrham: Regique, Deoque, hominique &c.

Ut singula membra sibi invicem ex adverso respondeant.

De sancto Antonio Abbate. 330.

SANCTUS ANTONIUS Abbas eodem Imperatore Constantino floruit, scripsitque *epistolas septem* lingua Ægyptiaca, sed sensu & spiritu Apostolico, ut S. Hieronymus testatur in libro de Scriptor. Eccles. Extant epistolæ S. Antonii in Bibliotheca sanctorum Patrum. Addit Jo. Trithemius in libro suo de Script. Eccles. scriptos fuisse ab eodem magno Antonio duos libros sermonum, qui pariter nunc extant in Bibliotheca sanctorum Patrum. Sed mirum est Trithemium non advertisse, in sermonibus illis citari Basilium, Gregorium Nyssenum, Jo. Chrysostomum, Nilum, Photium, & alios, qui multis annorum centuriis posteriores fuerunt S. Antonio Abbate, de quo nos loquimur.

Dissertatio Historica.

SANCTUS ANTONIUS, Ægyptius, Monachorum Pater, eximiumque Eremi decus, obiit die 17.

die 17. Januarii anno ætatis 105. Christianæ Epochæ 356. Olymp. CCLXXXIII. 4. sub Constantio Constantini Magni filio. Ejus vitam planè mirabilem insigni prosecutus est volumine S. Athanasius, testibus S. Hieronymo cap. 88. libri de Scriptoribus Ecclesiasticis, S. Augustino libro 8. Confessionum cap. 6. Honorio Augustodunensi, Trithemio, aliisque passim. An verò ea sit, quæ modo extat Græcè & Latinè, tricantur Heterodoxi, quos aliàs refellemus; (*a*).

Misit S. Antonius, teste eodem Hieronymo Ægyptiacè ad diversa Monasteria Apostolici sensus, sermonisque Epistolas septem, quæ in Græcam linguam translatæ sunt, quarum præcipua habita est ad Arsenoitas scripta. Extant & seorsim, & in Bibliothecis Veterum Patrum *septem illæ Epistolæ* ad fratres suos in Monasteriis degentes, interprete Valerio Sarrazio.

Falsò autem adtributos illi fuisse à Jo. Trithemio duos sermonum libros, qui in iisdem Veterum Patrum Bibliothecis apparent, docuit Bellarminus, eumque pro more sequutus Miræus. Gerardus Vossius sub ejusdem S. Antonii nomine edidit sermonem brevem: *de Vanitate Mundi, & Resurrectione Mortuorum*, quem reperies etiam Tomo IV. Biblioth. Coloniensis.

(*a*) In iis numerandus est Isaacus Casaubonus, qui pag. 25. Annotationum in Geographiam Strabonis loco sanè parum opportuno ex reformata Calvinisticæ Grammaticæ modestia ausus est Bergeos, & Evemeros vocare Athanasium scilicet, Guillelmum Abbatem S. Theodorici, Bonaventuram, similesque viros sanctitate simul ac vera Christanaque scientia præditos, qui sanctissimorum virorum Antonii, Francisci, Bernardi, &c. vitas eximia fide, ac diligentia conscripserunt.

SUPPLEMENTUM.

ANTONIUS ABBAS Monachorum Pater, de cujus epistolis loquuntur Bellarminus, & Labbeus, quos utinam aliquis Græcas educat; post quas sequantur congruè Regulæ variæ primorum Eremi incolarum Antonii, Isaiæ, Macarii, Serapionis, Paphnutii, & alterius Macarii, quas habet Lucas Holstenius in collectione regularum S. Benedicti Anianæ Abbatis, impressa Parisiis in 4. anno 1663. apud Ludovicum Billaine, parte 1. pag. 3. & seqq. usque ad regulam sancti Pachomii, quam sequuntur duodecim Epistolæ ejusdem Pachomii. Obiit Antonius anno æræ Christianæ 356. die 17. Januarii, suæ ætatis 105. olymp. 283. 4. sub Constantio Constantini Magni filio.

De S. Pachomio. 340.

SANCTUS PACHOMIUS ex milite gentili Monachus probatissimus effectus, S. Antonii æqualis, & fortè discipulus, scripsit *regulam Monachorum* Angelo dictante, quæ extat inter opera Joannis Cassiani, Romæ excusa.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS PACHOMIUS, ex Gentili milite factus Monachus, deinde Tabennensis in Ægypto Abbas, obiit die 14. Maji anno circiter 350. vel 360. Gennadius cap. 7. de Viris Illustribus vocat Virum, tam in docendo, quàm in signa faciendo Apostolicæ gratiæ. Trithemius corruptè Bachomium Abbatem appellat, & sub Valentiniano, & Theodosio Principibus collocat anno 390.

A *Regula Monachorum, quam Angelo dictante percepit*, Latinè extat, tum post operum Joannis Cassiani plerasque editiones, tum in Bibliothecis Veterum Patrum, ex versione, ut volunt, S. Hieronymi, quæ longè amplior est ea quæ habetur apud Palladium in Historia Lausiaca.

Ejusdem quoque Pachomii nonnulla monita à Gerardo Vossio Præposito Tungrensi primùm edita Moguntiæ in 4. anno 1604. cum S. Gregorii Thaumaturgi operibus: extant quoque, ni fallor, in Bibliothecis Veterum Patrum.

De S. Oresiesi. 340.

B ORESIESIS Monachus, æqualis sancti Pachomii scripsit, (Gennadio teste in libro de viris illustribus) *librum* divino sale conditum *de Instructione vitæ Monasticæ*: hic liber extat in Bibliotheca SS. Patrum editionis secundæ, tomo quarto.

DISSERTATIO HISTORICA.

ORESIESIS, sive Oriesius, Monachus aut Abbas Ægyptius vixit sæculo quarto: Theodori & Pachomii Abbatum celeberrimorum æqualis, sive collega dicitur a Gennadio Massiliensi cap. 9. Catalogi Virorum illustrium, & Honorio Augustodunensi libelli secundi de Luminaribus Ecclesiæ cap. similiter nono.

C *Regulæ de Institutione Monachorum, divino sale conditæ*, quas vice Testamenti propè diem obitus sui fratribus obtulit, extant cùm seorsim editæ Coloniæ apud Gymnicum anno 1536. tum in Bibliothecis Veterum Patrum Parisiensibus, & Coloniensi.

Sunt quoque, qui eidem tribuant, *libellum de sex cogitationibus Sanctorum*, quem vulgavit Latinè Henricus Canisius Tomo V. Antiquæ Lectionis.

De S. Macario Seniore. 340.

D SANCTUS MACARIUS Senior sancti Antonii discipulus, & sancti Pachomii, atque Oresiesis æqualis, scripsit *homilias quinquaginta ad Monachos*, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo editionis secundæ.

DISSERTATIO HISTORICA.

MACARIUS Senior, S. Antonii discipulus, qui disertum Scetes incoluit, & Ægyptius dictus est, aut Scetensis, ad discrimen Macarii Alexandrini Junioris, qui & Nitriensis Abbas appellatur, obiit die 15. Januarii ex Romano Martyrologio, cùm æqualis Oresiesis & Pachomii fuisset, atque Evagrii præceptor, ab ipsa puerili ætate quadam maturitate Senili conspicuus, παιδαριογέρων. De eo, E eique cognomine Juniore S. Hier. ep. 22. Palladius cap. 18. 19. & 20. Joannes Cassianus, Ruffinus, Socrates lib. 4. cap. 18. Gennadius cap. 10. & 11. Honorius Augustodunensis libello 2. Suidas in Lexico, ubi docet eum miracula edidisse, & religiosa cautione in eos, qui se conveniebant severum fuisse, Nicephorus lib. 9. Hist. Eccles. cap. 14. & alii cum recentioribus, Baronio, Bollando, Henschenio &c. Joannes Maria in Expurgatorio Indice hæc post exagitatam apathiam profert: Cæterum, quia Gennadii sequentium Macarii Homiliarum non meminit, & præterea iis insertæ deprehensæ sunt aliquot aliorum Auctorum Homiliæ, in dubium quis revocare possit, num hæ Homiliæ legitimus sint fœtus S. Macarii, præsertim cùm nonnulla immixta habeant gravi & diligenti censura digna. Nihilominus quia ab omni.

omnibus S. Macario tribuuntur, & spiritualium documentorum maximè utilium sunt plenæ, tantùm illud opportunè observamus, quædam illis inesse obscura, ambigua, & à proprio exactoque more loquendi Theologorum quadamtenus aliena: proindeque cum judicio, & circumspectè legenda. Et subest suspicio, ne ab aliquo Pelagiano sint alicubi interpolatæ. Hæc ille.

Homiliæ quinquaginta spiritualis succi plenæ, è Græco sermone in Latinum redditæ à Joanne Pico, Parisiensi senatore, classium, Iuquisitoriarum Præside, excusæ sunt separatim Parisiis in 8. utraque dialecto anno 1559. deinde anno 1623. cum Gregorii Thaumaturgi, & Basilii Seleuciensis operibus in folio. Latinè verò in Bibliothecis Veterum Patrum Parisiensibus, & Coloniensi. Extat quoque earumdem L. Homiliarum de integritate, quæ decet christianos altera editio in 8. Francofurti anno 1594. Græco-Latina è regione cum interpretatione Zachariæ Palthenii Fridbergensis.

Regula capitibus 30. comprehensa non nostri hujus senioris, & Ægyptii quod existimavit Miræus, sed junioris fuit Alexandrini S. Macarii qui sub sua dispositione habuit quinque millia Monachorum, ex codice msf. Beccensi edita à R. P. Petro Roverio è Soc. Jesu p. 24. Historiæ Reomaensis Monasterii à S. Joanne Presbytero constructi in tractu Lingonensi. Aqua omnino diversa *è Serapionis Macarii Paphnutii*, alterius *Macarii & aliorum* 34. quæ dicitur Regula ex codice msf. Affligemensi edita ad calcem operum Joannis Cassiani Antuerpiæ apud Plantinum anno 1578. ab Henrico Cuicquio Sacræ Theologiæ Licentiato, ac deinde Ruremundensi Episcopo. Cæterum Macarii regulam illam S. Joannes Reomaensis Monasterio suo servandam præscripsit, S. Philibertus cum Basilii præclaris Constitutionibus, Benedicti decretis, & Columbani institutis, eam legebat, Benedictus verò Abbas Indæ, atque Anianæ in Concordia Regularum, & Smaragdus in Commentario ad Regulam S. Benedicti eam crebrò laudarunt. Monet quoque Roverius Illustrationum suarum num. 38. inter Vitas Patrum reperiri Historiam, & Regulam *Posthumii*, qui *Macarium Alexandrinum* excepisse in Præfectura dicitur, ac Monachorum quinque millium Pater extitisse. Plura de Macariana illa regula, si vacat, indidem repetes. De ejus verò auctore, cujus nulla apud Bellarm. mentio consule Baronium & Bollandum ad diem 2. Januarii. Fuit & alius Monachus *Macarius* quem Gennadius cap. 28. narrat scripsisse in urbe Romana librum adversus Mathematicos, cui Ruffinus Apologiam pro Origene inscripsit, cujusque meminit S. Hieron. Apologia 2. adversus Ruffinum.

Cassianum Leoni quamquam si ætas spectetur, paulò vetustiorem subdimus propter Episcopatus dignitatem; Cassianus enim Presbyter tantùm fuit, ait Albertinus pag. 842. editionis Latinæ, qui tamen ejusdem pag. 433. Macarium Ægyptium celebrem dumtaxat Anachoretam præmisit S. Basilio, qui præire debuerat tum ratione dignitatis, fuit enim Archiepiscopus Cæsareæ in Cappadocia, tum ratione ætatis: multis enim ante Macarium annis decessit. Unde videas suos illi quoque Critico inesse nævos, quamvis cæteris cautior esse, suque Blondelli arare vitula soleat.

SUPPLEMENTUM.

MACARIUS discipulus S. Antonii Magni, socius Amathæ, distinctus ab aliis duobus altero Ægyptio, altero Alexandrino etiam Sancti Antonii discipulis. De Ægyptio Ecclesia Latina

A mentionem habet in Fastis Ecclesiasticis ad diem 2. Januarii, de Alexandrino ad diem 15. ejusdem mensis. De tertio abundè Possinus in Prolegomenis ad Thesaurum Asceticum num. 5. 6. & sequentibus, ubi rectè distinguit tres Macarios sancti Patris Antonii discipulos, nempe Ægyptium, qui in Scythi sedem habuit, Alexandrinum qui in Celliis quæ in Lybia sunt, loca longe distantia à Thebaide, ubi Antonius degebat. Itaque in Thebaide erat mons interior, ubi solus plerumque residebat Antonius; & mons exterior, ubi subinde excurrebat, ut habitantes in eo suos Monachos inviseret. In eo hic tertius Macarius sub cujus nomine opuscula septem, nempè *de custodia cordis* pag. 19. *de perfectione in spiritu* pag. 47. B *De oratione* 63. *De patientia, & discretione* 81. *De elevatione mentis* 115. *de Charitate* 141. *De libertate mentis* 183. edidit Petrus Possinus Soc. Jesu in suo Thesauro Ascetico Græcè & Latinè impresso Tholosæ in 4. anno 1684. apud Guillelmum Bosch. Ibi in prolegomenis plurima de isto Macario, cui etiam attribuit Homilias quinquaginta quæ Ægyptio inscribuntur. Claruit eodem tempore, quo Antonius Abbas, cui morienti adfuit.

De Sancto Athanasio. 340.

SANCTUS ATHANASIUS Episcopus Alexandrinus, sub eodem Constantino florere cœ-C pit, & sub Valente Imperatore migravit ad Dominum, teste sancto Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis. Opera sancti Athanasii quatuor tomis continentur, nec tamen sunt omnia: meminit enim sanctus Hieronymus duorum librorum contra gentes, & libri unius contra Valentem & Ursacium, & alterius de Psalmorum titulis, & etiam de vita sancti Antonii, qui tamen libri in his quatuor tomis desiderari videntur, nisi fortè mutata sint nomina, ut mox dicemus.

Tomi Primi.

Oratio contra Idola. De Incarnatione Verbi ejusque D *ad nos adventu. Ad Epictetum Episcopum Corinthiorum epistola. Expositio fidei. Alberii Episcopi Romani ad Athanasium epistola. Athanasii Responsio. Ad Antiochenses epistola. De æterna substantia filii, & Spiritus sancti cum Deo. Oratio quòd Christus sit unus. Ad Adelphium fratrem contra Arianos. Orationes quatuor contra Arianos. In hoc dictum, ex Deo Deus est Verbum. In hoc dictum, Omnia mihi tradita sunt, &c. Compendium è superioribus contra eos, qui dicunt Spiritum sanctum esse creaturam.*

Observatio in libros Primi Tomi.

Oratio contra Idola, & liber de Incarnatione E Verbi, videntur esse duo libri contra gentes, quorum Sanctus Hieronymus meminit. Nam initio libri de Incarnatione Athanasius dicit, se hactenus disputasse contra Idola, nunc sequi, ut disputet de Incarnatione Verbi, ut planè appareat duo illa opera esse conjuncta, & unum esse partem alterius. Utrumque autem est contra gentiles, & refertum testimoniis gentilium. Quare mirum est, cur unum dicatur oratio, & alterum dicatur liber, cùm utrumque sit disputatio contra Idola, & pro Christo adversus gentes.

In eodem primo tomo est quædam expositio fidei, de qua num sit Athanasii ambigo, tum quia diversa est à Symbolo Athanasii, nec scio cur duas expositiones fecerit; tum maximè, quia hæc videtur illi contraria: in hac enim dicitur, tres personas

divinas non esse tres subsistentias, seorsim distinctas in illo autem Symbolo dicitur, alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; & Græcè, alia hypostasis, id est, subsistentia: testatur enim Sanctus Gregorius Nazianzenus, Oratione in Athanasium extrema, ab Athanasio fuisse declaratum; intelligi à Latinis per nomen personæ, quod à Græcis per nomen hypostasis, & Græcos dicere tres hypostases, Latinos tres personas.

In eodem tomo habetur epistola Liberii Papæ ad Athanasium, & responsio Athanasii ad Liberium; sed neutra videtur convenire auctori, cui tribuitur. Liberius enim ita scribit ad Athanasium, ac si dubitet de ejus fide: & jubet illum anathema dicere Sabellio, & Ario; deinde addit rationem, ut ego securior efficiar, tuaque mandata inhæsitanter obeam. At neque credibile est, Liberium unquam dubitasse de fide S. Athanasii; neque etiam ita se illi subjecisse, ut mandata ejus obiturum se polliceretur. Adde, quòd epistola, quæ tribuitur Liberio incipit per, Ergo, sine interrogandi nota, ut conclusio potius epistolæ, quàm epistola esse videatur.

Responsio quoque Athanasii non habet formam epistolæ, sed simplicis confessionis fidei, neque confessio concepta est verbis satis propriis, præsertim ubi dicit: Illa caro suspensa est in Cruce, non ipse; in illa omnes humanas passiones, ut homo sustinuit, non ipse. At negari non debet, ipsum Christum sive etiam ipsum Deum Crucifixum in carne: sic enim loquitur S. Petrus, Christo igitur in carne passo, &, Christus passus est pro nobis, & Sanctus Paulus, Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, &, Numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sanctus vero Athanasius maximè propriè, & castigatè de ejusmodi mysteriis loqui solet. Proinde non videtur ejusmodi scriptio Sancto Athanasio tribuenda.

Tomi Secundi.

Apologia ad Constantium. Apologia de fuga sua. Epistola ad omnes Ortodoxos. De sententia Dionysii Alexandrini. De decretis Nicanæ Synodi contra Eusebium. Apologia contra Arianos secunda. Ad Serapionem epistola. Ad solitariam vitam agentes epistola. Ad Jovianum Imp. epistola. De Synodis Arimini, & Seleuciæ. Ad Dracontium Episcopatum fugientem epistola. Ad Episcopos Africæ epist.

Observatio in Tomum Secundum.

In hoc secundo tomo nihil est, de quo aut ego ambigam, aut alios ambigere sciam. Illud unum admonendum duxi, quod S. Hieronymus in libro de Script. Ecclesi. scribit, extare etiam librum Athanasii contra Valentem & Ursacium, rectè accipi posse de libro inscripto, de Synodis Arimini, & Seleuciæ: in illis enim contra Valentem & Ursacium propriè scribitur.

Sunt etiam in hoc tomo duæ breves epistolæ post epistolam ad Jovianum Imperatorem, quæ nescio cur in indice sunt prætermissæ.

Tomi Tertii.

De Incarnatione Verbi. De natura humana suscepta. De Incarnatione Christi. De salutari adventu Christi contra Apollinarem. Contra omnes hæreses sermo. Ad Maximum Philosophum Oratio. In illud, Profecti in pagum, invenientes pullum. In Passionem Salvatoris. Ad Marcellinum de interpretatione Psalmorum. De Virginitate, sive de meditatione. Testimonia de scriptura de naturali communione similis essentiæ trium personarum. Ad omnes ubique per Ægyptum, & Syriam, &c. Refutatio contra hypocrisim Meletii. De sanctissima Deipara Maria. In passionem & crucem Domini. Ad Serapionem Episcopum Thmuteos epistola. In illud, Quicumque dixerit verbum, &c. Disputatio in Nicæno Concilio contra Arium. Homilia de semente. Declaratio Levitici de diversa ejusdem rei nomenclatura.

Observatio in Tomum Tertium.

Liber qui hìc dicitur, de interpretatione psalmorum, videtur esse ille, quem S. Hieronymus vocat de titulis Psalmorum, in libro de Scriptor. Eccles. in Athanasio; nam Cassiodorus quoque hunc eumdem librum vocat, de titulis Psalmorum, id est, de varia excellentia Psalmorum.

Sermo de sanctissima Deipara, non videtur esse Sancti Athanasii, sed alicujus posterioris, qui post Concilium tertium, & quartum, imò etiam sextum floruerit; ita enim accuratè disputat de unione divinæ & humanæ naturæ in una hypostasi, nec non de appellatione Deiparæ, quòd Virgini ea appellatio jure conveniat, & denique de duabus voluntatibus, & operationibus unius volentis, & operantis Christi, ut dubitari non possit, quin iste auctor viderit decreta Conciliorum contra Nestorium, Eutychetem, & Monotheletas. At (ut rectè ratiocinatur Cardin. Baronius tom. I. Annalium ad annum Christi 48.) si hic sermo esset Athanasii sine dubio citatus fuisset à S. Cyrillo, & à Patribus tertiæ, quartæ, & sextæ Synodi ad convincendos hæreticos. Videmus autem non citari unquam hunc sermonem, sed libros de Incarnatione, ubi non tam apertè Athanasius loquitur. Adde, quòd in hoc sermone author dicit, attributa Dei non esse ipsam substantiam Dei, sed circa substantiam versari: quod valde impropriè dictum est, & alienum à consuetudine S. Athanasii, qui valde considerate loqui solet. Adde ultimo, quòd in explicatione vocabuli ὁσία dicit vocem ἰσία significare æqualitatem: at Græcis ἰσότης est æqualitas, non ἰσία, & tota illa deductio vocis ὁσία à voce ἴσος est levior quàm ut Athanasium decere videatur.

Disputatio Athanasii cum Ario, quæ in hoc tom. habetur, non est habita in Concilio Nicæno, ut inscriptio indicare videtur; sed est habita in Monasterio aliquo, ut ex initio disputationis intelligi potest: neque est habita propriè cum ipso Ario, sed cum aliquo ejus discipulo, ut perspicuum est ex illius verbis: Derepente ex radice, Christo inimici Arii bellua sub humana specie ad nos insiluit. Neque obstat, quòd postea, qui disputat, dicatur Arius: ponitur enim Arius, pro Arianus: quomodo in eadem disputatione, non semel ponitur nomen Sabellii, pro nomine Sabelliani. Utrum hæc fuerit vera disputatio, an dialogus conscriptus in personam Athanasii, & alicujus Ariani: & utrum sit ab Athanasio, an ab alio scriptus, non facilè judicari potest.

Tomi Quarti.

Quæstiones ad Antiochum Principem. De definitionibus Theologicis. Disputatio cum ario Laodicææ habita. Exhortatio ad Monachos. De passione imaginis Domini. Ad Marcum Papam epistola. Marci Papæ Responsio. Ad Serapionem de sancto Spiritu, epistola. De unita Deitate Trinitatis, libri septem. Synopsis totius Scripturæ.

Obser-

Observatio in Tomum Quartum.

In hoc tomo nihil ferè est quod verè sit Athanasii.

Quæstiones ad Antiochum, Athanasii esse non possunt, nam quæst. 23. citat auctor magnum Athanasium, & ab eo dissentit. Quæst. 108. dicit, Romanos esse Francorum genus: ex quo apparet, auctorem esse recentem. Franci enim dicuntur omnes occidentales in Regnis Turcarum. Quæst. 129. citatur S. Gregorius Theologus, qui tamen posterior est Athanasio. Multo minus Athanasii sunt quæstiones quadraginta sex, quæ in aliis codicibus inveniuntur: nam in iis citantur ut antiqui Patres, Epiphanius, Gregorius Nyssenus, & alii.

Liber de definitionibus Theologicis non videtur esse S. Athanasii, quia in cap. de Actu, citat, ad confirmandam suam sententiam S. Gregorium Nyssenum, his verbis: Actus, quemadmodum S. Gregorius Nyssenus inquit, est naturalis cujusque rei &c. At credibile est Gregorium Nyssenum nondum scribere cœpisse, quando Athanasius obiit; obiit enim Athanasius sub Valente: Gregorius autem sub Theodosio scribere cœpit; ut probabiliter colligitur ex lib. S. Hieronymi de Script. Eccles. Scripsit enim eum librum S. Hieronymus anno 15. Theodosii, ut ipsemet testatur in extremo libro: & in eodem libro dicit à Gregorio Nysseno lectum sibi fuisse librum quemdam à se compositum ante paucos annos. Adde, quòd in hoc libro de definitionibus, tam distinctè loquitur auctor de duabus naturis Christi in una hypostasi, ut omnino scripsisse videatur post Concilium Chalcedonense.

Disputatio cum Ario Laodicææ habita non potest esse Athanasii vera disputatio: dicitur enim habita anno secundo Constantii, & tamen introducitur Athanasius diaconus disputans cum Ario presbytero: at ex historicis constat, Athanasium factum esse Episcopum Alexandrinum an. 21. Constantini Magni. Præterea Arius obiit morte turpissima anno 31. Constantini, omnium consensu: quomodo ergo disputaturus adducitur anno secundo Constantii? Denique in hac disputatione mentio fit Photini hæretici, quasi ab ipso Arius hæreses didicisset: at Photinus posterior Ario fuit, ut ex S. Hieronymo colligitur libro de Scriptor. Eccles. Deniq; videtur omnino hæc disputatio, dialogus ille esse, quem à se scriptum fuisse Vigilius Episcopus testatur lib. 5. contra Eutychem.

Liber de Passione imaginis Domini, citatur in secunda Nicæna Synodo, act. 4. ubi totus hic liber legitur & recipitur sub nomine sancti Athanasii, sed non videtur esse sancti Athanasii hujus, de quo nunc agimus, sed alterius multo recentioris. Scribit enim Sigebertus in Chronico, accidisse hoc miraculum anno Domini 766. eo tempore videlicet, quo quæstio agitabatur de cultu sacrarum imaginum: voluit enim hoc tam insigni miraculo Deus confundere hæreticos Iconoclastas. Illud autem observandum est, illa ultima verba capit. 8. Hæc est vera, & vehementer credula ratio de cruore lateris Domini nostri Salvatoris, quæ profluxit de sancta imagine ejus, quæ crucifixa est in Syria in Beryto civitate: hic est sanguis ille Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur, nec aliter æstimandum est à verè Catholicis, præter id quod scribitur à nobis, quasi ex carne, & sanguine Christi aliquid possit in mundo inveniri, nisi illud, quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur, &c. Ista, inquam, ultima verba non haberi in codice græco Concilii Nicæni secundi, neque in versione A-
A nastasii Bibliothecarii, sed esse addita ab aliquo, post disputationem habitam de sanguine Christi coram Pio secundo Pontifice maximo: quod etiam apparet ex varietate styli istius conclusionis à reliqua narratione. Quod autem auctor hujus additionis dicit, à veris Catholicis non debere credi esse alium sanguinem Domini super terram, nisi illum, qui consecratur in altari, repugnat traditioni Ecclesiæ Mantuanæ, quæ gloriatur habere se de sanguine illo qui de latere Domini fluxit; eumque verum esse Domini sanguinem, declaratum fuisse à Leone tertio Pontifice ante annos octingentos. Scribunt enim historici plurimi, ut annales antiqui Francorum, Addo Viennensis, Aimonius, Regino, Abbas Urspergensis, & alii, Leonem Pontificem, Carolo Magno id
B petente, contulisse se Mantuam, ut de veritate sanguinis Domini miraculis multis ibi coruscante, judicaret: atque inde in Franciam ad Carolum perrexisse. Et quamvis historici non explicent qualis fuerit sententia Pontificis: tamen Cardinalis Baronius, tomo nono Annalium, ad annum Domini 804. scribit, Romæ extare diplomata Pontificia, in quibus veritas illius sanguinis declaratur. Et certe si Pontifex illo tempore secus censuisset, tam diu sanguis ille conservatus non fuisset. Scribit etiam Matthæus Parisiensis in Henrico tertio Angliæ Rege, pag. 713. in meo codice, missum fuisse à Patriarcha Hierosolymitano vasculum cum vero sanguine Christi ad
C eumdem Regem, & susceptum cum incredibili celebritate, Episcopis prædicantibus, & rationem reddentibus de veritate illius sanguinis.

De Epistolis Athanasii ad Marcum Papam, & Marci Papæ ad Athanasium, constat ex ratione temporis, eas epistolas esse suppositititias, ut dicemus infra in observatione ad Gratianum.

Libri septem de unita Deitate Trinitatis, non mihi videntur Athanasii, quia Latinè scripti videntur, non ex Græco versi, ut patet, tum ex stylo, tum quia aliquoties auctor significat, quo modo dicantur apud Græcos quæ ipse Latinè scripsit, ut libro sexto Maledictus, inquit, qui hanc Dei nativitatem ex nullis extantibus phantasma esse confitetur, quod
D Græci ἐξ οὐκ ὄντων appellant, & libro 7. in ultimis verbis: Ac per hoc, inquit, unita est Patris, & Filii, & Spiritus sancti substantia, quam Græci dicunt ὁμοούσιον. Deinde refellit hic auctor nominatim Urbicum Potentinum, qui Eunomii discipulus fuit. Non videtur autem credibile Athanasium potuisse confutare discipulum Eunomii, cùm ipsum Eunomium, non Athanasius, sed Basilius, qui Athanasio junior erat, primus confutaverit.

Præter libros, qui in his quatuor tomis continentur, extat seorsim vita sancti Antonii, & Symbolum, quod incipit: Quicumque vult salvus esse; quæ sancti Athanasii opera esse vera, & germana non dubitamus. Quòd enim S. Athanasius scripserit vitam
E sancti Antonii testatur sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. in Antonio, in Evagrio, & in Athanasio: testatur etiam sanctus Gregorius Nazianzenus oratione in Athanasium, & sanctus Augustinus libro 8. confess. capite 6. Quòd autem ea, quæ nunc extat, sit illa ipsa, cujus meminit sanctus Hieronymus, & sanctus Augustinus, perspicuum est ex eo quòd est revera insigne volumen, ut eam vocat sanctus Hieronymus, & continet magna illa miracula, quorum meminit sanctus Augustinus, & habet revelationem illam de anima Ammonis, quam ex vita à sancto Athanasio scripta referunt Palladius in historia Lausiaca cap. 8. & Socrates in histor. libro 4. cap. 18. Neque potest contra objici, nisi quòd in hac vita non fiat mentio Pauli primi Eremitæ, & aliarum rerum,

quæ

quæ narrantur à sancto Hieronymo in vita sancti Pauli primi Eremitæ. Sed responderi potest, Athanasium non omnia, quæ ad vitam sancti Antonii pertinebant, assecutum fuisse, vel non omnia, quæ acceperat in mentem venisse illi, cùm scriberet; vel etiam noluisse omnia scribendo nimis longam orationem suam facere: alioqui si objectio illa vim ullam haberet, possemus de Scriptoribus Evangeliorum etiam dubitare; multa enim Matthæus & Marcus omiserunt in vita & rebus gestis Christi referendis, quæ Lucas non omisit: multa quoque omisit Lucas, quæ Matthæus & Marcus non omiserunt: multa denique & gravissima Joannes scripsit, quæ tres Evangelistæ prætermiserunt.

De Symbolo Athanasii Ecclesia ipsa Catholica testimonium perhibet, dum illud sub nomine sancti Athanasii in divinis officiis recitandum proponit, neque id facit sine veterum Patrum testimonio. Sanctus enim Augustinus tractatu in Ps. 120. sic loquitur explicans illud: Per diem sol non uret te. De hoc sole Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchrè locutus est, Filius, inquit, Dei à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.

Tribuuntur S. Athanasio à nonnullis commentaria in omnes epistolas sancti Pauli. Sed ea Theophylacti sunt, non Athanasii.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS ATHANASIUS, verè Magnus anno 325. Nicænæ Magnæ Synodo interfuit. Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus, & adversus Arium hæresiarchiam strenuè pro Catholica fide pugnavit; tum anno sequenti, elapso dumtaxat quinto post Concilium mense, in locum demortui Alexandri creatus Alexandrinus Patriarcha, multas perpessus pro Christi fide Arianorum Ethnicorumque insidias, variisque est exercitus exiliis. Vixit tamen summo Dei favore, inter tot tamque atroces procellas imperterritus, usque ad tempora Valentis Imperatoris, obiitque die 2. Maji anno Pontificatus sui 46. absoluto, æræ christianæ 373. ut colligitur ex epistola Proterii Patriarchæ pariter Alexandrini scripta ad S. Leonem, licèt Socrates libri 4. Historiæ cap. 29. biennio ante Gratiano II. & Probo Coss. defunctum tradat. De eo S. Gregorius Nazianzenus oratione in ejus laudem habita, Basilius ep. 46. aliisque locis. Ruffinus lib. 1. Histor. capit. 14. S. Hieronymus, ejusque interpres Græcus Sophronius cap. 87. Catalogi, & sæpè in Auctario Eusebiani chronici, Photius in Bibliotheca Codd. 32. 139. 140. & 258. Trithemius qui obitum ejus tardius collocat in anno 379. Indictione 7. aliique, quos prætereo. (a)

Ejus opera sæpius edita sunt, & à variis in Latinam linguam translata. Bellarminus editionem Latinam anni...... in IV. Tomos distinctam sequutus est, nos Parisiensem Græco-Latinam anni 1627. ampliorem cæteris, atque ex Græco-Latina Commeliniana anni 1601. feliciter expressam hìc repræsentabimus in duos Tomos distributam hoc ordine:

Tomo I. ex interpretatione Petri Nannii.

Oratio contra Gentes, de qua & sequenti vide observationem Bellarmini. *Oratio de Incarnatione Verbi. Disputatio contra Arium* in Concilio Nicæno. Vide Bellarminum. *In illud dictum:* Omnia tradita sunt mihi à Patre &c. *Epistola ad Adelphium fratrem. Epistola ad Maximum Philosophum. Oratio contra eos, qui dicunt Filium creaturam esse. Epistola ad Serapionem contra eos, qui dicunt Spiritum Sanctum esse creaturam. Testimonia ex sacra Scriptura de naturali com-*

A *munione similis essentiæ inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Expositio Fidei.* Dubitat Bellarminus de ea. *Liberii Romani Pontificis ad Athanasium epistola. Athanasii ad Liberium responsum.* Et epistolam, & responsum revocat in dubium Bellarminus. *Epistola de Fide ad Jovianum. Narratio de Concilio Nicæno. Contra Arianos Orationes quinque. Epistola de sententia Dionysii Alexandrini. Epistola Catholica. Refutatio hypocriseos Meletii, Eusebii, & Pauli Samosatensis. Epistola ad Antiochenses. Epistola ad Epictetum. De Incarnatione Verbi Dei. De natura humana suscepta. De Incarnatione Christi contra Apollinarium. Oratio contra Apollinarium. De salutari adventu Jesu Christi. Oratio contra gregales Sabellii. Oratio quod unus sit*

B *Christus. Epistola ad Serapionem de morte Arii. Apologia ad Imperatorem Constantium. Apologia I. de fuga sua. Apologia II. de eadem. Epistola ad omnes ubique solitariam vitam agentes. Populi Alexandrini protestatio. Epistola de Synodis Arimini, & Seleuciæ. Epistola ad Africanos. Epistola ad omnes ubique orthodoxos. Epistola ad Joannem & Antiochum. Epistola ad Palladium. Epistola ad Dracontium.*

Epistola ad Marcellinum de interpretatione Psalmorum. Hæc Bellarmino videtur esse liber de Titulis, de varia excellentia Psalmorum à S. Hieronymo, & Cassiodoro laudatus.

De Sabbatis, & Circumcisione. In illud: Quicumque dixerit verbum contra filium hominis. (b) *In illud:*

C Profecti in pagum &c. *In Passione Domini nostri* JESU CHRISTI.

De Sanctissima Deipara Virgine. Dubitant Baronius & Bellarminus, at Spinellus, & Maraccius fulcire conantur, & Athanasio vindicare. Sunt qui S. Cyrillo Alexandrino Patriarchæ tribuant. Vide Notas ad Martyrologium Romanum die 15. Augusti mensis.

De Virginitate. Homilia de Semente Scultero, & Rivero Heterodoxis non probatur. *Oratio contra omnes hæreses.*

Tomi II. continentur.

D *Oratio in ascensionem Christi.* Joanne Lampadio interprete. *Oratio de Melchisedech.* Eodem interprete. *Ad Serapionem epistola de Spiritu Sancto.* Erasmo interprete. *Ad eumdem de Spiritu sancto alia epistola.* Eodem interprete. *Contra Arianos oratio brevis, & concisa.* Incerto interprete. *Colloquium Arianorum primum*, habitum Antiochiæ cum Joviano Imperatore Joanne Lampadio interprete. *Colloquium secundum:* eodem int. *Colloquium eorumdem tertium.* Eodem int. *Colloquium aliud ad vestibulum Palatii habitum cum Lucio.* Eodem int. *De Incarnatione.* Eodem int.

Symbolum Athanasii. Incerto interprete, sed antiquo, ex quo videtur sumpsisse S. Augustinus illud in Ps. 120. De hoc sole Pater Athanasius Alexan-

E drinus Episcopus ita pulchrè locutus est: *Non factus, nec creatus, sed genitus*, ut acutè Bellarminus. De variis Symboli illius apud veteres nominibus consule Notas Sirmondi ad Theodulfum: nec omittenda Vossii, & Usserii de symbolis opuscula.

Epistola Joviani Imper. ad Athanasium. Joanne Lampadio int. *Athanasii responsum.* Eodem int. *Epistola Athanasii ad Ammum.* Joanne Curterio interprete.

Fragmentum epistolæ XXXIX. Festalis. Eodem interprete. Certe ἑορταςικὰς epistolas, haud dubiè de indicendo Pascha, scriptas fuisse à S. Athanasio testis est S. Hieronymus in Catalogo. (c)

Epistola Athanasii. Eodem int.

Definitiones quædam. Vide Bellarminum, cui adtexam maximam partem excerptam esse ex Anastasii Sinaitæ ὁδηγῷ. (d)

Synopsis

Synopsis Sacræ Scripturæ. Wolfgango Musculo Lutherano interprete.

Dialogi quinque de Trinitate. Theodoro Beza Calvini catulo int. (*e*)

Sermo forma dialogi conscriptus, in quo colloquuntur Orthodoxus & Macedonianus. Abrahamo Scultero Silesiensi interprete. Verùm hi sequentesque tractatus usque ad Quæstiones ad Antiochum, non sunt Athanasii, sed Theodoreti ex Photii codice 46. quem per otium consule, & quæ infra in Theodoreto observabimus.

Ejusdem Athanasii colloquium aliud adversus Macedonianum de quæstione: An Dei Verbum corpus animatum gestarit. *Ejusdem epistola cujusdam præfationis loco scripta in qua motuum Ecclesiasticorum Tragædia.* B *Disceptatio adversus eos, qui in veritate dijudicanda solius judicio multitudinis feruntur. Adversus eos, qui nec quærendum, nec loquendum ex Scriptura præcipiunt, sed in sua fide acquiescendum. Adversus eos, qui malignè nobis objiciunt illud:* Verbum caro factum est. *Adversus eos, qui unam in Christo naturam esse contendunt. Adversus eos, qui naturæ carnis Confessores loco Trinitatis Quaternitatem dicunt docere. Adversus eos, qui humanæ in Christo naturæ Confessores spem suam in homine dicunt defigere. Adversus eos, qui Dei Verbum impatibiliter passum dicunt. Adversus eos, qui dicunt passus est Deus, ut voluit. Adversus eos, qui dicunt simpliciter esse locutiones accipiendas, nec quid illæ significent considerandum, cùm omnium hominum captum excedant.* C *Adversus eos, qui dicunt: passus est Deus sermo carne. Adversus eos, qui quærunt, qualem pœnam Judæi daturi sint, si non occidissent Christum. Adversus eos, qui dicunt, Judæus est qui non confitetur Deum esse passum. Adversus eos, qui dicunt Angelos cum Abrahamo edentes, carnis naturam omnino non induisse. Adversus eos, qui nullum non miraculum imminuunt, eò quòd carnem negant. Adversus eos, qui damno afficiunt genus nostrum, eò quòd negant Servatorem ex natura nostra sumpsisse primitias. Adversus eos, qui volunt simpliciter iis, quæ dicta sunt, credendum esse; nec considerandum quid conveniat, & quid non conveniat. Adversus eos, qui duarum naturarum discrimen post Passionem, & Ascensionem tollunt.*

D *Quæstiones ad Antiochum* (*f*) Joanne Reuchlino, Valentino Ampelandro, & Jo. Lampadio interpretibus. Vide Bellarminum hic, & in fine Recognitionis librorum de Conciliis, & Theophilum in Erotematis, qui rejiciunt nec quidquam pro iis stantibus Turriano, Molvenda, & quibusdam aliis.

Dicta, & interpretationes parabolarum S. Evangelii. (*g*)

Quæstiones aliæ viginti, Joanne Lampadio int. Vide Bell.

Vita sancti Antonii Eremitæ, cum Præfatione ad Monachos in Xene commorantes, Davide Hoeschelio interprete. Displicet Criticis Heterodoxis, quos in Examine abundè refutabimus. (*h*)

E *In sanctam Parasceven sermo.* Petro Pantino Tiletano interprete.

Fragmenta Commentariorum in Psalmos, ex Nicetæ Metropolitani Heracleæ Catena Expositionum ex Græcis Patribus in Psalmos collecta.

Alia Fragmenta è variis variorum auctorum operibus deprompta, ex Theodoreto scilicet; Actione 14. Synodi VI. Oecumenicæ, Synodi VII. Act. 4. & 6. Gelasio Papa, Damasceno, aliisque.

De unita Deitate Trinitatis ad Theophilum lib. 1. Hic, & decem proximè sequentes libri nec Græcè, nec ab Athanasio fuerunt scripti, sed ejus nomine à Vigilio Diacono Afro, quem etiam Thapsensem fuisse Episcopum volunt, qui vixit circa annum 550. ut dicemus postea. Vide interim Sirmondum in Notis ad Theodulphum Aurelianensem Episcopum. Bellarminus rectè probaverat non fuisse ab Athanasio scriptos, Trithemius maximam eorum partem Athanasio tribuit, ac recenset cum aliis quos Latinè redditos è Græco sermone in Bibliothecis observaverat;

De propriis personis, & unito nomine Deitatis lib. 2. De assumptione hominis contra Marcellinum. lib. 3. De singulis nominibus contra novellam Polentini Urbici hæresim. lib. 4. De unita ac sempiterna substantia Trinitatis. lib. 5. De Beatitudine Filii Dei, & proscriptione sectæ pessimæ. lib. 6. De professione regulæ Catholicæ, & increpatione hæreticæ. lib. 7. De Ariana, & Catholica confessione. lib. 8. De Fide sua. lib. 9. De unitate Fidei. lib. 10. De Fide unitatis, & Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. lib. 11.

Disputatio D. Athanasii cum Ario Laodiceæ habita coram Probo Judice Gentili à Constantino Imperatore delegato. Vide Bell. qui rectè suspicatus est esse Dialogum illum, quem à se scriptum fuisse fatetur Vigilius, non Tridentinus Episcopus, sed Diaconus Africanus lib. 5. adversus Eutichetem, de quo suo deinceps ordine dicendum erit.

Ad Monachos exhortatio. Latinè tantùm. *Epistola Athanasii & Ægyptiorum Episcoporum ad Marcum Papam Romanum. Marci Papæ Rescriptum.* Epistola & Rescriptum sunt spuria. Vide Bell. *Segmentum in Passionem Salvatoris alicundè ex Athanasio divulsum.*

De Passione Imaginis D. N. JESU CHRISTI, qualiter crucifixa est in Beryto Syriæ Civitate. Libellus latinè editus, capitibus septem constans, præmissis duabus narrationibus Græcis ex vetustissimis mss. Codd. Bibl. Palatinæ, quòd illa nec inter se convenirent, multò minus cum Latina veteri interpretatione. Verum de toto hoc negotio plura docebit te Cardinalis Bellarminus. (*i*)

Declaratio Levitici, de diversa ejusdem rei nomenclatura, quòd scilicet Christus sit verus Deus, & verus homo in unitate, contra Samosatenses. *Homiliæ septem,* studio Lucæ Holstenii, erutæ ex diversis Bibliothecis, & Latinè redditæ. I. *in Descriptionem sive censum B. Virginis.* II. *in illud Matthæi 21. n. 2.* Ite in castellum, quod contra vos est &c. III. *in illud Lucæ 19.* Euntе autem illo substernebant vestimenta. IV. *in sanctam quintam Feriam, & in proditionem Judæ.* (*l*) V. *in sanctum Pascha, & in recens illuminatos Sabatho in Albis.* VI. *in cæcum à nativitate.* Joan. 9. VII. *in sanctos Patres & Prophetas, & venerandam Ecclesiam, Psalmumque trigesimum quartum.*

Adjecta sunt: *D. Gregorii Nazianzeni in S. Athanasium oratio Græco-latina.* Jacobo Billio Prunæo Abbate sancti Michaelis ad Eremum int. *Vita, & status ejusdem S. Athanasii, incerto auctore,* Jo. Lampadio interprete. *Vita ejusdem ex Simone Metaphraste,* eodem Jo. Lampadio int. *Vita ejusdem ex historia Sanctorum Aloysii Lipomani Veronensis. Oratio de vita, certaminibus, & laudibus S. Athanasii, à viro quodam docto ante aliquot* annos conscripta.

In magna Bibliotheca veterum Patrum occurrunt.

Duæ Epistolæ ad Luciferum Coepiscopum & Confessorem. Tom. IX. col. 1113. Exemplum *Epistolæ ejusdem Athanasii,* de Græco in Latinum sermonem conversæ, opera Joannis Tillii Meldensis Episcopi col. 1117. *Expositiones duæ de Incarnatione Verbi Dei,* quæ leguntur Tomo XI. pag. 3. Francisco Turriano Soc. Jesu interprete, falsò præseferunt nomen hujusce sanctissimi Præsulis. In Auctario Gl. Combefisiano col. 568. Tomi I. excusæ sunt Athanasii nomine orationes quatuor. *In Christi Domini occursum,* seu festum

stum Purificationis; cui monet Interpres adtextum nescio quid de Nestorii, Eutychisque hæresibus apparere studiosè legentibus. Quid si posterioris alicujus scriptoris. II. *In sanctum Pascha*. III. *In sanctum Pascha* καὶ εἰς τοὺς νεοφωτίστους τοῦ σαββάτω τῆς ἀπολυσίμου, & in recens baptizatos Sabatho in albis. IV. *In Assumptionem Dominicam*. Verùm duæ illæ extremæ homiliæ in qq. Codicibus adscriptæ reperiuntur Basilio Seleucienſi Episcopo.

Extat præterea ab eodem sancto Athanasio elucubrata *Sanctæ Syncleticæ vita*, quam ad diem quintum Januarii vulgarunt, Latinè tantùm ex interpretatione Davidis Colvilli Scoti RR. PP. Joannes Bollandus, & Godefridus Henschenius Soc. Jesu Theologi. Hanc verò teste Nicephoro Callisto lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 4. eadem ratione scripsit, qua vitam S. Antonii scripserat, ut sicut in hoc viri, ita in illa haberent mulieres, quod imitari assiduè possent.

De Commentariis in epistolas S. Pauli, nihil dixi, quia jam observarunt viri docti Theophilacti esse, non Magni Athanasii, de quo jam tibi factum satis arbitror, curiose Lector.

(*a*) De ejus laudibus plena sunt Veterum monumenta, dum alii veritatis tubam ac præconem, inconcussam veræ fidei regulam, lumen & fundamentum Ecclesiæ, propugnaculum veritatis, fortissimum athletam appellant. Præter citatos consule Epiphanium, Cyrillum Alex. Sozomenum, Theodoretum, Joannem Damascenum, Leonem Imp. aliosque, ut meritò detesteris impudentiam protestantium, qui Sathanasium dixerunt pro Athanasio, eumque cum aliis veteribus in signo Crucis commemorando, ac miraculis per illud signum, ac per Martyres factis nimios fuisse deblaterarunt. Vide Danielem Tossanum in Synopsi de Patribus legendis, similesque veritatis Catholicæ adversarios.

(*b*) Adversus Perronium, & Coeffetellum Tractatum hunc Pseudepigraphum, & falsò Athanasio suppositum asserentes hæc regerit Edmundus Aubertinus perpetuus Davidis Blondelli pedissequus: Ignorantiam, ait, cum temeritate mixtam, nec in hodierna litterarum luce nullo modo venia dignam. Nam Tractatum illum verè esse Athanasii patet, tum in phraseologia, quæ eadem omninò est cum aliis ejus scriptis; tum ex Gobaro apud Photium cod. 232. testante Athanasium in multis locis Theognostum admittere; cujus tamen semel tantùm meminerit in libris suis, si tractatum hunc excipias, in quo illum laudat; tum denique ex Concilio Romano, seu Lateranensi sub Martino primo (quod mille propè annis postea celebratum ineptissimè asserit, cùm fuerit anno 649. coactum ut omnes sciunt, qui necdum ære lavantur) ubi sub ipsius Athanasii nomine tria ejus loca citantur. Ita constat sermoni huic certitudo sua, inquit ille. Perronio quoque refragatur quisquis est auctor Tabulæ Historicæ & Chronologicæ post Latino-Gallicum S. Sacramenti officium nuper excusæ. Verùm in hoc hallucinatur, quòd centum annis occupet tempus Concilii Lateranensis sub Martino primo, quod non anno 549. sed 649. celebratum fuit.

(*c*) Valesius pag. 151. Annotationum in Eusebii Historiam Ecclesiasticam: Quæ forma esset harum epistolarum discere licet ex triginta homiliis Paschalibus Cyrilli. Primò enim sermonem continebant de festo Paschali. In fine autem initium Quadragesimæ & diem Paschæ annuntiabant. Unde tam Homiliæ dici possunt, quàm Epistolæ. Cyrillus quidem in homilia 22. Epistolam vocat. Hieronymus inter opera Athanasii recenset Epistolas ἑορταστικὰς, idest Paschales; quarum hodie unica superest, licèt non integra. Hæc ille, cujus auctoritate motus Joannes Hottingerus Palinodiam, ni fallor, concinet, discetque ex eodem clarissimo scriptore ante Concilium Nicænum easdem in usu jam fuisse. Vide Eusebii cap. 20. libri VII. & Ruffini cap. 19.

(*d*) Ita & Aubertinus pag. 406.

(*e*) R. P. Dionysius Petavius libro 7. Theologicorum Dogmatum cap. 10. n. 4. asserit Auctorem esse Maximum martyrem, qui sæculo Ecclesiæ 7. floruit, atque ita citari à Demetrio Cydonio cap. 5. libri de Processione Spiritus Sancti.

(*f*) Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ Sacræ rejicit his verbis: Quæstionum ex veteri, & novo Testamento ad Antiochum Principem liber unus continens quæstiones 161. Athanasii non videtur. Suspicor hunc ex variis Patrum scriptis collectum à studioso quopiam, qui in quæstione quarta Theologiam mysticam Dionysii allegat Athanasii sæculo, ut arbitror, ignotam, & quæstione 33. citat Athanasium ipsum, & ab eo diversam sententiam profert. Videndi quoque è nostris Maldonatus, Possevinus, Delrio, Cornelius à Lapide, aliique, quæque in addendis ex Leone Allatio dicuntur de Justini Martyris, & Anastasii Sinatæ quæstionibus ab aliquo posterioris ævi scriptore multarum pariter additionum fermento locupletatis.

(*g*) A quæstione 1. ad 46. ex veteri testamento diversæ expositiones à quæst. 47. ad 75. In q. 76. incipit proponere dubia in selectos psalmos, illique insertum est Glossema Græculi alicujus ἔθνη τῶν Ῥωμαίων, ἤγουν τῶν φράγγων τὸ γένος. Quæstioni 79. præfigitur titulus Psalmi pro Torcularibus. Denique à q. 93. ad ultimam 133. explicantur propositæ dubitationes ex Epistolis S. Pauli.

(*h*) Interim consulesis Bollandum, atque Henschenium nostros in eruditissimis Prolegomenis ad vitam S. Antonii die 17. mensis Januarii.

(*i*) Docebunt te Cardinales Bellarminus in Catalogo, & Baronius ad diem 9. Novembris quorum argumenta refutare non dubitavit Tomi II. Auctarii G. L. pag. 660. R. P. Franciscus Combefisius qui magno Athanasio Scriptiunculam illam adjudicare [illegible] litur. Idem pag. 435. Fragmentum exhibet ex Commentariis in Psalmum 74. & ms. Codice Bibliothecæ Regiæ.

(*l*) Edmundus Aubertinus pag. 406. Editionis Latinæ ait incertum penitus esse, tum an ea sit Athanasii, quia stylus planè reclamat, ut Græcè tantisper eruditi facilè judicabunt: tum an sit cujusdam alterius ex veteribus, an non potius recentioris cujusdam Græculi Declamatoris. Quæ ideò dicta nonnulli censent, quòd causæ suæ à prolato ex ea Homilia testimonio sibi malè metuebat.

SUPPLEMENTUM.

Athanasius verè Magnus Nicænæ Synodo interfuit anno 325. Diaconus Alexandrinæ Ecclesiæ, & adversus Arium Hæresiarcham strenuè pro Catholica fide pugnavit. Tum anno 326. elapso dumtaxat quinto post Concilium mense in locum demortui Alexandri creatus Alexandrinus Patriarcha, multas perpessus pro Christi Fide Arianorum, Ethnicorumque insidias, variisque est exercitatus exiliis. Vixit tamen inter tot tamque atroces persecutionum procellas imperterritus, usque ad tempora Valentis Imperatoris, obiitque die 2. Maji anno Pontificatus sui 46. absoluto, æræ Christianæ 373. ut colligitur ex epistola Proterii Patriarchæ pariter Alexandrini scripta ad S. Leonem: licèt Socrates lib. 4. historiæ cap. 29. biennio ante defunctum tradat Gratiano II. & Probo Coss. De eo S. Gregorius Nazian-

Nazianzenus Oratione in laudem ejus habita, Basilius Epist. 46. aliisque locis, Ruffinus lib. 1. Histor. cap. 14. S. Hieronymus, ejusque interpres Græcus Sophronius cap. 87. Catalogi, & sæpè in Chronico suo. Photius in Bibliotheca Codd. 32. 139. 140. & 258. Gennadius, & alii. Opera D. Athanasii in magna perturbatione sunt, quàm multis ei aliorum Auctorum inscriptis. Hic primus est cui doctissimi hujus sæculi Critici debuerant apponere medicam manum, ut Sancti Patris scriptiones redderent purissimas ab extraneis omnibus: sed heu stupendam patiuntur confusionem! quam ut ex parte tollam paucis sequentibus incerta ac supposita aperiam. Qui plura voluerit adeat Possevinum & Bellarminum, & Labbeum, qui plenè loquuntur de variis impressionibus operum S. Athanasii, notantque suppositionis plura opera sub ejus nomine evulgata, vel saltem incertitudinis.

I. *Disputatio contra Arium in Concilio Nicæno*, de qua Bellarminus dubitat, & meritò, est enim Vigilii Africani Tapsensis Episcopi, qui omnia sua opera sub alienis nominibus conscripsit. Ejus autem scripta in unum collecta evulgavit Petrus Franciscus Chiffletius Soc. Jesu Divione in 4. anno 1665. apud viduam Philiberti Chavance, ubi dicta disputatio, quæ numquam à Magno Athanasio composita est legitur pagin. 84. inscripta: *Contra Arium Dialogorum libr. 2.*

II. *Expositio Fidei*, de qua dubitat Bellarminus cujus optimæ rationes.

III. *Liberii Romani Pontificis ad Athanasium epistola Athanasii ad Liberium responsum*, de quibus dubitat Bellarminus, quem consulas.

IV. *De Sanctissima Deipara Virgine* opus, de quo dubitant Baronius, & Bellarminus, sed Spinellus & Maraccius fulcire, atque Athanasio vindicare conantur. Hoc ordinarium est valde devotis, ut inter extases suas non habeant gustum: sed indiscriminatim omnia approbent satisfacientia suis extaticis excessibus, uti hac in parte contigit Spinello, & Maraccio Devotis Marianis. At aliter eruditis de quibus supra quorum pietas solida semper fuit.

V. Symbolum Athanasii. Quamvis S. Athanasii fides, vel Symbolum vulgo appelletur, non est tamen opus Athanasii, ut rectè censet Dominus Godefridus Hermant Bellovacensis Canonicus in suis Observationibus ad vitam S. Athanasii gallicè à se compositam. 1. Enim hujus operis scriptor aggreditur expresè Nestorii hæresim naturas in Christo confundentem, quod omninò convenire non potest S. Athanasio, mortuo longè ante ortam Nestorianorum insaniam: unde hujus symboli auctor non potest esse Magnus Athanasius. 2. Omnia hujus Symboli mss. græca exemplaria variant, latina verò concordant sibi invicem, quod indicium est Auctorem hujus operis non esse Græcum, sed Latinum; ergo non convenit Athanasio, optimè autem convenire potest Vigilio Tapsensi Africano, qui illud edidit sub nomine S. Athanasii. 3. Nullus ante Hincmarum Remensem Episcopum qui sæculo IX. floruit, meminit hujus Symboli inter latinos aut græcos. At quis credat tam nobile opus si Magni Athanasii legitimus fuisset partus, tamdiù latitasse in utraque Ecclesia? Unde ex tam profundo prolixoque silentio arguimus Auctorem hujus symboli non extitisse S. Athanasium sed sub ejus nomine ad majorem applausum fuisse à Vigilio Tapsensi confictum. Qui plura voluerit adeat dictum Godefridum Hermant jam citatum, Vossium qui insigne opus conscripsit *De tribus Symbolis* impressum Amstelodami anno 1662. in 4. Jacobum Usserium Archiepiscopum Armachanum, qui de eodem Argumento scripsit.

Objiciunt. De hoc symbolo videtur sumpsisse Sanctus Augustinus illud in Psalmum 120. *De hoc sole*

A *Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchrè locutus est: non factus, nec creatus, sed genitus*, ut acutè Bellarminus. Hoc sanè argumentum esset validum si auctoritas allegata legeretur apud Augustinum, sed olim jam Lovanienses annotarunt hoc nullatenus legi in mss. omnibus à se visis D. Augustini operibus quod ab aliquo otioso intrusum fuit in textum Doctoris Sancti, ut huic Symbolo auctoritatem compararet. Idem annotant Doctissimi viri Monachi Benedictini, qui suas in Cœnobio Sancti Germani Parisiensis curas impendunt corrigendis, ordinandisque sancti Augustini operibus, ut ex editis constat.

VI. *Definitiones quædam*, de quibus vide Bellarminum. Cui attexam maximam partem excerptam esse ex Anastasii Sinaitæ ὁδηγῷ, ut annotat Albertinus
B in opere suo de Eucharistia latino pag. 406. immò *hæ ipsæ Definitiones* inveniuntur in mss. Codicibus attributæ sancto Maximo Monacho, & martyri, & insertæ sunt ejusdem operibus, quæ summa diligentia collegit in unum Franciscus Combefis Dominicanus, de quibus nos postea in Sancto Maximo martyre.

VII. *Dialogi septem contra Arianos, Apollinaristas, & Macedonianos*, interprete Abrahamo Scultero Silesiensi, non sunt Athanasii. Horum septem Dialogorum inter Orthodoxum & hæreticum extat mss. Exemplar græcum sub nomine S. Athanasii Alexandrini Episcopi, inter libros græcè mss. quos Franciscus Turrianus Societatis Jesu reliquit Patribus
C Societatis, dum eorum institutum amplexus Romæ est, unde forsitan Athanasio attributi; sed contra Macedonianos agere non potuit, defunctus ante natam eorum hæresim. Hos autem nuperrimè Joannes Garnerius Parisinus Soc. Jesu in opere posthumo cui nomen indidit *Theodoreti Supplementum*, impressos iterum, Theodoreto attribuit: At ita levibus (meo quidem sensu) conjecturis, destitutusque omni Antiquitatis testimonio vel veteris ms. Codicis fide, ut fidem non mereatur. Hoc *Theodoreti Supplementum* impressum Parisiis hoc anno 1684. in fol. græcè, & latinè apud viduam Edmundi Martini, via Jacobæa sub sole aureo. Denique Dialogos istos nova à se versione latina correctos sub nomine S. Maximi
D Monachi & Martyris, edidit dictus Franciscus Combefis in sua collectione operum dicti Maximi: Et meritò cum in celeberrimis totius Europæ Bibliothecis, atq; iis pluribus, mss. græca exemplaria hoc S. Maximi nomen habeant, ut probat dictus Combefis.

VIII. *Ejusdem Epistola cujusdam præfationis loco scripta, in qua motuum Ecclesiasticorum tragædia*, cum septemdecim sequentibus capitibus: ex Photio in Bibliotheca Cod. 46. spectant ad Theodoretum, de quibus etiam Labbeus agit in Theodoreto. Sed nuperrimè in Supplemento Theodoreti de quo statim egimus, Joannes Garnerius hunc librum Græcè & Latinè reddidit sub nomine Etherii Episcopi Thyanensis, ex auctoritate Marii Mercatoris qui fragmen-
E tum quoddam allegat sub nomine dicti Etherii, olim Theodoreti discipuli, & sequacis. Addit deceptum fuisse in sua Bibliotheca Photium dum opusculum illud Theodoreto attribuerat ex Codice ms. quem præ manibus habebat. Cum enim & primum opus manuscripti Codicis & ultimum indubiè ad Theodoretum spectarent, hanc pariter dissertationem de variis Hæreseum capitibus in dicto ms. Cod. mediam, opinatus est etiam spectare ad eumdem scriptorem. Tanta autem est antiquitas Marii Mercatoris Augustino æqualis, ut sufficiat ad hanc Dissertationem Etherio adjudicandam, uti à Joanne Garnerio factum est.

IX. *Quæstiones ad Antiochum*. Joanne Reuclino, Valentino Ampelandro, & Joanne Lampadio interpretibus. Vide Bellarminum hìc, & in fine Recognitionis librorum de Conciliis, & Theophilum in

Erotematis, qui rejiciunt; nequicquam pro iis stantibus Turriano, Malvenda, & quibusdam aliis. Nullum sanè opus sub nomine S. Athanasii, quod tam frequenter inveniatur msf. in celeberrimis Europæ Bibliothecis: in Vaticana sæpius, ex Codicibus msf. Heidelberga maximè adductis num. 363. & 368. & 69. in Sfortiana num. 32. in Vallicellaria ejusdem Urbis, in Bibliotheca Serenissimæ Reipublicæ Venetæ, in Florentina Serenissimi Ducis, in Imperatoria Viennensi semel atque iterum, in Augustana num. 77. in Regia Gallica sæpius. Has Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ rejicit sequentibus verbis.

Quæstionum ex veteri & novo Testamento ad Antiochum Principem liber unus continens quæstiones 161. Athanasii non videtur, suspicor hunc ex variis Patrum scriptis collectum à studioso quopiam, qui in quæstione quarta Theologiam mysticam Dionysii allegat, Athanasii sæculo (ut opinor) incognitam. Et quæstione 33. citat Athanasium ipsum, & ab eo diversam sententiam profert. Videndi quoque è Jesuitis Maldonatus, Possevinus, Delrio, Cornelius à Lapide, aliique, item quæ Labbeüs *de Scriptoribus Ecclesiasticis* in addendis ex Leone Allatio dixit, *de quæstionibus S. Justini Martyris, & Anastasii Sinaitæ*, ab aliquo posterioris ævi Scriptore multarumque pariter additionum fermento locupletatis.

10. *Dicta & interpretationes Parabolarum sancti Evangelii cum aliis viginti quæstionibus*, interprete Joanne Lampadio, debent eamdem sortiri fortunam, & sunt Scriptoris Athanasio longè recentioris. Dicta & interpretationes Parabolarum Sancti Evangelii à quæstione prima ad 46. Diversæ expositiones ex veteri testamento à quæstione 47. ad 75. Dubia in Selectos Psalmos à quæstione 76. ad 92. Denique à quæstione 93. ad ultimam 133. explicantur propositæ dubitationes ex Epistolis Sancti Pauli. Hic solus ordo farraginem arguit, quales multæ à Græcis anonymis factæ sæculis posterioribus; unde in msf. Codicibus nunc plures, nunc pauciores sunt ejusmodi quæstiones, & hæ omnes sub nominibus Sanctorum Justini, Athanasii, atque Anastasii, in msf. variis Bibliothecarum principalium.

11. *De unica Deitate Trinitatis ad Theophilum lib. 12.* non sunt Athanasii, ut jam antea senserant multi, sed sunt lib. 12. de Trinitate sub nomine S. Athanasii scripti à Vigilio Africano, Tapsensi postea Episcopo, in cujus operibus censentur pag. 198. à Petro Francisco Chifflet evulgatis. De quibus jam supra.

12. *Disputatio D. Athanasii cum Ario Laodiceæ habita, coram Probo Judice à Constantino Imperatore delegato*, legitur inter opera ejusdem Vigilii Tapsensis pag. 118. ad quem spectat.

13 *Epistola Athanasii, & Ægyptiorum Episcoporum ad Marcum Papam Romanum, cum Marci Papæ Responso*, sunt notoriè spuria, ut docet Bellarminus, Antonius Possevinus in apparatu sacro verbo *Athanasius*, ubi imposita ei opera discutit. Cardinalis Baronius tom. 3. Annalium sub annum 336. Quonam pacto (inquit dictus Cardinalis) sub dictis Consulibus potuit Athanasius Alexandria ad Marcum Papam scripsisse, qui jam exul hoc anno agebat in Galliis? Et quænam sub Constantino grassatio Arianorum contigit in Ægypto, cùm non Marci tempore, sed multo post, quando Constantinus Georgium in locum Athanasii subrogavit, passa sit Ecclesia Alexandrina violentam Arianorum vastationem? Sed & quonam pacto potuit decimo Kalendas Decembris scripsisse ad Athanasium, cùm hoc ipso anno Nonis Octobris reperiatur esse defunctus? Cùm enim Pontificem nonnisi octo menses sedisse Hieronymus testetur in Chronico, has autem epistolas citet Marianus Scotus, & pariter contendat, nonnisi octo Mensibus sedisse Marcum Papam: quonam modo fieri potuit, eam datam esse ab ipso Marco Epistolam, si jam ante ipse ex humana vita defierat.

14. *De Passione Imaginis D. N. Jesu Christi, qualiter crucifixa est in Beryto civitate Syriæ*, libellus spurius latinè editus septem capitibus constans præmissis duabus narrationibus Græcis, ex vetustissimis msf. Codicibus Bibliothecæ Palatinæ, quod illæ nec inter se conveniant, multò minùs cum Latina interpretatione veteri. Sed de toto hoc negotio, quod puerile mihi est, plura docebit te Cardinalis Bellarminus.

15. *Homiliæ septem*, studio Lucæ Holstenii erutæ ex diversis Bibliothecis, & Latinè redditæ, ita mihi languidæ humilesque sunt, ut magno Athanasio doctis viris indignæ prorsus videantur. Has ego semel atque iterum legi, sed pueriles valdè, nihilque veteris succi continere adverti.

16. Extat præterea quæ creditur ab eodem Sancto Athanasio elucubrata *Sanctæ Syncleticæ Vita*, quam ad diem quintam Januarii, vulgarunt Latinè tantùm ex interpretatione Davidis Colvilli Scoti RR. PP. Joannes Bollandus, & Godefridus Henschenius Soc. Jesu Theologi. Hanc verò teste Nicephoro Callisto lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 40. eadem ratione scripsit, qua vitam sancti Antonii scripserat: ut sicut in hoc viri, ita in illa haberent mulieres, quod imitari assiduè possent. Illam autem Græcè & Latinè ex manuscripto Codice Regis Christianissimi Bibliothecæ, edidit Joannes Baptista Cotelieu profundæ eruditionis Theologus, & linguæ Græcæ Professor Regius, tom. 1. pag. 201. *Veterum suorum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* in 4. Parisiis anno 1677. apud Franciscum Muguet sub signo Adorationis Regum. Habet ille sanctum Athanasium Auctorem, si credimus Codici manuscripto Vaticano 825. testibus Holstenio in Animadversis in Martyrologium Romanum, & exemplari Bybliothecæ Scorialensis, cujus mentio fit ab Alexandro Barvoetio in Catalogo illius Bibliothecæ, ac ex quo manavit Latina interpretatio Davidis Colvilli, quam edidit ad 5. Ianuarii Joannes Bollandus de Ecclesia optimè meritus. Quia tamen idem Holstenius eruditissimus vir, addit in alio Codice vetustissimo Bibliothecæ Vaticanæ Cryptaferratensi 1589. eam vitam assignari Polycarpo Ascetæ, & Codex Regiæ Bibliothecæ non præfert nomen Scriptoris, res in dubio relinquitur. Fatendum quidem est, non indignum esse opus doctrina, & pietate sancti Athanasii, licèt in Scriptore tanta sit affectatio ad comparationes in quemque operis sui paragraphum inducendas; cujus nullum extat in aliis genuinis D. Athanasii operibus exemplum, ut ob solam hanc infantilem affectationem Athanasio abnegem, tribuamque Polycarpo Ascetæ.

17. Denique sub nomine S. Athanasii in Codice Regularum Lucæ Holstenii, qui Parisiis in 4. anno 1663. apud Ludovicum Billaine, appendice ad dictum Codicem fol. 2. habetur Latinè tantùm *Athanasii liber de Observationibus Monachorum*, & fol. 8. *ejusdem exhortatio ad sponsam Christi*, ex vetustissimis manuscriptis Codicibus: Opuscula non indigna Magno Athanasio, colendaque ob veterem eorum Latinam versionem.

De Serapione.

SERAPION Episcopus Thmuteos à S. Athanasio ordinatus. Vir fuit sancto Antonio charus ut scribit sanctus Hieronymus in libro de Script. Eccl. scripsit *librum contra Manichæos*, qui extat apud Henricum Canisium tomo 5. antiquæ lectionis: scripsit *de Psalmorum titulis, & epistolas ad diversos* teste S. Hieronymo in libr. de Scriptor. Eccles. Sed non videntur extare.

DISSER-

Dissertatio Historica.

SERAPION seu Sarapion ut habent mss. Codices, & Suffridi editio, ex Anachoreta Episcopus Thmueos in Schetica Egypti Provincia à Sancto Athanasio Patr. Alexandrino ordinatus anno circiter 340. Hunc S. Hieronymus cap. *99.* testatur ob elegantiam ingenii cognomen Scholastici meruisse, Sancto Antonio charum, ac sub Constantino Principe etiam in Confessione inclytum fuisse. Martyrologium Romanum ejus obitum refert die 21. Martii. Quo verò anno N. L. Baronius in notis, & in Annalibus de eo non pauca ex S. Athanasio, & Hieronymi Epistola 84. ad Magnum Oratorem Romanum, & aliis.

Liber adversus Manichæos ei tribuitur; quem Latinitate donatum à R. P. Francisco Turriano Soc. Jesu Tom. V. Antiquæ Lectionis edidit Henricus Canisius, à quo illum mutuati sunt Auctores Bibliothecæ Veterum Patrum. Sixtus Senensis asserit Monachum quondam fuisse, & Abbatem circiter decem millia Monachorum proprio labore viventium sub se habuisse, quod Trithemius tacuit, qui anno dumtaxat 340. claruisse testatur. Corrigendus verò idem Sixtus quod ex Hieronymi textu malè intellecto, aut mendosè expresso Constantinum Principem, sub quo Serapion in Confessione inclytus memoratur, in Constantium Augustum ejus patrem temerè converterit. Cæterùm Hier. præter librum adversus Manichæum, quem vocat egregium, meminit præterea libri alterius de Psalmorum titulis & utilium ad diversos Epistolarum, quæ omnia periisse dolemus. Neque sic accipienda arbitror verba Trithemii: Multa fertur scripsisse opuscula: de quibus extant subjecta, ut ea ad suam usque ætatem servata, & in membranis descripta viderit, legeritve: sed eo sensu dicta existimo, quo de Eusebio Emisseno Ep. Fertur multa, & penè infinita scripsisse opuscula, sed nos paucorum titulos, & numeros potuimus invenire, apud Hieronymum scilicet, aliosque antiquiores.

De Julio Materno Firmico. 340.

JULIUS Maternus Firmicus floruit tempore filiorum Constantini Magni, ad quos scripsit egregium *librum de mysteriis, & erroribus profanarum religionum*. Extat hic liber in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quarto.

Dissertatio Historica.

MIRÆUS bis de eodem Firmico meminit in Auctario Heptadis scriptorum Bibliothecæ Ecclesiasticæ nimirum cap. 27. & cap. 37. nec quicquam novi affert, nisi quòd cap. 27. Bellarmini elogio, quod exscripsit, voculam senioris addidit, quæ nihil planè ad rem facit, duosque Julios Maternos Firmicos innuit, quod falsum esse arbitror. Itaque

Julii Firmici Materni V. C. liber egregius de errore profanarum religionum ad filios Constantini Magni Constantium, atque Constantem Augustos, scriptus ab anno 340. quo periit Constantinus Major natu filiorum Constantini Magni ad annum 350. quo cæsus est à Magnentio Constans in Castro Helenæ cis Pireneos montes, extat tum in Bibliothecis Veterum Patrum, tum seorsim editus ac præsertim ex recensione, & cum notis Joannis à Wovver. Ultima editio in 4. prodiit anno *1652.* Lugduni Batavorum cum Minucii Felicis Octavio.

Idem nondum Christianus ex pervulgata Gentilium superstitione, & Genethliacorum commentis ad Lol-
A lianum V.C. scripsit *Astronomicorum sive Matheseos libros octo* ab Aldo primum anno 1501. excusos, deinde Basileæ ab Hervagio impressos cum pluribus aliis ejusdem commatis scriptionibus. Miror verò Simlerum, Possevinum, aliosque vulgò, qua demum ratione ducti Julium hunc Firmicum Astrologum juniorem appellent, cum certissimè demonstraverim in chronicis nostris Historico, & Technico adversus Calvisium ejusque sequaces compositos fuisse de Astronomia libros illos inter annum Christi 334. quo contigit Solis Eclipsis ab ipso memorata Optato, & Paulino Consulibus, & annum 337. quo die 22. Maji in Sacra Pentecoste abiit ad superos Constantinus Magnus Titiano, & Nepotiano Consulibus. Refellenda
B quoque est eorum sententia, qui ex Baronii ad annum 337. quem pro more sequitur Binius, conjectura censuerunt eumdem fuisse seniorem, quem vocant, Julium, Profanæ superstitionis aureolo suo 30. capitum libello debellatorem, cum Julio Episcopo Mediolanensi, quem interfuisse volunt Concilio Romano sub Julio I. Papa, & in Romano Martyrologio ad diem 18. Julii Maternus appellatur sanctitatis, & eruditionis laude clarus. Insuper haud mediocriter mirari soleo nec Hieronymum, nec Gennadium in Catalogis suis, nec ullum veterem, quod sciam ejus meminisse. Cùm hæc Typothetæ pararentur formis solitis mox excudenda venit in manus meas Volumen Eucharisticum Edmundi Aubertini,
C qui professus planè nescire se quis fuerit iste Author Baronianam suspicionem stramineo fundamento undequaque nixam asserit. Quemdam, ait, nomine Maternùm Episcopum Mediolani fuisse sub Diocletiano, & Maximiano habetur in actis Victoris Martyris apud Surium 2. Maji: Alterum autem rursus cognomine quoque Maternum, vel etiam nomine Julium, aut Julium Firmicum Julii Episcopi Romani temporibus ibidem Episcopum fuisse nemo Veterum observavit. Contra testari videtur Athanasius adversus Arianos oratione prima & Apologia pariter prima ad Imperatorem Constantinum Julianis temporibus Mediolanensem Episcopum fuisse vel Eustorgium vel Protasium. Ad Concilium autem illud
D Romanum quod attinet, purum purum figmentum est impostoris Isidori Mercatoris. Farrago enim tantùm est ex Cassiodori Tripartita Historia, & aliis auctoribus ab hoc Plagiario in Concilii formam redacta, quod mirum est Rubeo, Baronio, & Binio non suboluisse. Hæc ille ex commentationibus, ut res ipsa clamat, sui Blondelli, quem non secus atque Usserium, Rivetum, aliosque suppressis nominibus expilare solet; quæ ego Italis Historiæ Mediolanensis Scriptoribus, per otium expendenda permitto: quodque magis ad rem nostram accedere videtur, hæc de SS. Eucharistiæ Sacramento à veteri illo scriptore prolata describo. *Alius est cibus, qui salutem largitur, & vitam: alius est cibus, qui languentes relevat, errantes*
E *revocat, lapsos erigit, qui morientibus æternæ immortalitatis largitur insignia. Christi panem, Christi poculum quæro, ut terrena fragilitate contempta substantia hominis immortali pabulo saginetur &c.* Ex hac enim, licèt in plerisque affectata à Firmico caligine, Catholica veritas emicat, & omnibus oculos in capite habentibus elucescit. Quis enim Calvinistico pane à profanis profano ritu porrecto, ac morientibus per summum nefas à ministris animorum necatoribus denegato hominem censeat immortali pabulo saginari. Istis enim umbrarum dumtaxat inanisque soni sectatoribus, verè aptari poterit ab eodem scriptore ingeniosè dictum ἐκ τυμπάνου βέβρωκατε, ἐκ κυμβάλου πεπώκατε. *De tympano manducastis, de cymbalo bibistis: pestiferum vivus hausistis: cibum istum mors sequitur semper & pœna æterna.* Quam sanè numquam effugient, qui re-

cepto, probatoque ab Ecclesia Catholica omnium temporum, locorumque Sanctissimo Liturgiæ suæ Missæ ritu Eucharistiam perficere dedignantur, damnataque ab omnibus sanæ mentis hominibus, vel ipso solo novitatis præjudicio, Calvini, Bezæ, Viveti similiumque Apostatarum formula ad sui, suorumque perniciem abutuntur.

De Lucifero Calaritano. 350.

LUCIFER Episcopus Calaritanus Athanasii æqualis, ita zelo fidei catholicæ ardens fuit, ut a Sanctis Patribus etiam post schisma factum, & sectam Luciferianam post se relictam, non nisi timidè, & dubitanter arguatur Sanctus Ambrosius in Oratione de obitu Satyri; Lucifer inquit, se à nostra tunc temporis communione sejunxerat, quamquam pro fide exulavit, & fidei suæ reliquit hæredes. Sanctus Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos propè finem, Ventum est, inquit, ad asperrimum locum, in quo adversum voluntatem, & propositum meum cogor de beato Lucifero secus quicquam, quàm & illius meritum, & mea humanitas possit, æstimare, &c.

Sulpitius libro 2. sacræ historiæ, Cæterum, inquit, Lucifer tum Antiochiæ longè diversa sententia fuit: nam in tantum eos qui Arimini fuerant, condemnavit, ut se etiam ab eorum communione secreverit, qui eos sub satisfactione, vel pœnitentia recepissent. Id rectè an perperam constituerit, dicere non ausim. Sanctus tamen Augustinus liberius schisma Luciferi condemnat, tum in libro de hæresibus, tum in libro de agone Christi capit. 30.

Vide de Luciferi rebus gestis historicos, Ruffinum lib. 1. cap. 30. Sulpitium lib. 2. sacræ hist. Socratem lib. 3. cap. 7. Theodoretum lib. 3. Sozomenum lib. 3. cap. 14. Nicephorum lib. 10. cap. 17. Histor. tripart. lib. 6. cap. 23. Libri Luciferi qui extant hi sunt; *Ad Constantium Imperatorem, lib. 2. De Regibus Apostaticis*, 1. *De non conveniendo cum hæreticis*, 1. *De non parcendo delinquentibus in Deum*, 1. *Quod moriendum sit pro filio Dei*, 1. *Epistola ad Florentium*, 1. *His additæ sunt Epistola Florentii ad Luciferum*. Item *epistolæ duæ sancti Athanasii ad eumdem Luciferum*. Item *epistola Liberii Papæ ad Constantium Imp.* Item *epistola Athanasii ad servos Dei*.

De quibus libris, vel epistolis nulla dubitatio mihi esse videtur, quin sint eorum auctorum quorum nomina præferunt.

Impressi sunt hi libri Parisiis anno 1568. opera Joan. Tilii Episcopi Meldensis.

DISSERTATIO HISTORICA.

LUCIFER Calaritanæ Ecclesiæ in Sardinia Episcopus acerrimus Arianorum adversarius, eorum factione anno 355. in exilium missus est. De Regibus Apostaticis scripsit paulò ante mortem Constantii Imp. quæ accidit anno Christi 361. sub Juliano Apostata reversus ex Palestina, in qua exulabat, in Italiam venit, atque inde in Sardiniam cæteris Catholicis paulò infensior, qui damnata nimia ejus austeritate pro bono pacis, atque unitatis Ecclesiasticæ in lapsos redeuntesque ad bonam frugem hæreticos benigniores videbantur. Sunt qui anno 371. obiisse velint saltem Valentiniano seniore adhuc vivente defunctus est, & antequam S. Ambrosius in obitum Satyri fratris sui orationem habuit. Lucifer se à nostra, inquit, tunc temporis communione sejunxerat, quamquam pro fide exulavit, & fidei suæ hæredes reliquit. Sardi, ac Vercellenses eum publicè ut Sanctum colunt. Vide Severum Sulpitium, Ruffinum, Socr. Soz. Theod. S. Aug. libro de hæresibus, & de Agone cap. 30. S. Hieronymum cap. 95. Catalogi in Dialogo adversus Luciferianos, in chronico &c. atque ex recentioribus Baronium ejusque Epitomatorem Spondanum ad annum 362. ubi multa pro ejus sanctitate congessit ex actis publicis, quæ Miræus exscripsit in Mantissa, Possevinum, aliosque cum Petavio Tom. II. Theologicorum Dogmatum ubi de illo schismate plura.

Opera ejus omnia quorum nullum revocatur in dubium, ne quidem ab Heterodoxis Novatoribus, recensuit Bellarminus eo ordine quem servant in editione Parisiensi apud Michaelem Sonnium anno 1568. procurante Joanne Tilio Meldensis Ecclesiæ Episcopo, cujus epistola præmittitur ad Pium V. Papam, & subjiciuntur quædam scholia.

De Victorino Afro. 350.

CAJUS MARIUS Victorinus Afer floruit tempore Constantii Imperatoris, anno quadragesimo, ut ipse testatur, post Concilium Nicænum. In senectute conversus ad fidem est teste sancto Augustino libro 8. confess. cap. 2. & post conversionem relictis libris gentilium, scripsit, teste sancto Hieronymo in libro de Scriptoribus Ecclesiast. *contra Arianos, & in epistolas beati Pauli*, de quo Commentario in epistolas idem Hieronymus scribit in proœmio epistolæ ad Galatas, non esse admodum probandum. Extant nunc in tomo quarto vel octavo Bibliothecæ Sanctorum Patrum lib. 4. *de Trinitate Hymni tres. & Carmen Heroicum de Machabæis*, quæ omnia cautè legenda sunt, cùm auctor magis arti Rhetoricæ, quam Theologiæ, & Sacris litteris operam dederit.

DISSERTATIO HISTORICA.

CAJUS, sive, ut alii malunt (*a*) Fabius Marius Victorinus, natione Afer, qui Rhetoricam Romæ per multos annos professus, tempore Constantii Imperatoris statuam in foro Trajani meruerat, & acceperat, multosque Platonis libros in Latinam linguam transtulerat, tandem in senectute ad fidem Christianam conversus est, teste S. Augustino libro 8. Confessionum capite 2. Quæ verò scripsit cautè legenda monent Critici sacri, quia magis arti Rhetoricæ quàm sacris litteris & Theologiæ operam dederat. De eo S. Hieronymus ejus, ut ferunt, auditor, cap. 101. de scriptoribus Ecclesiasticis, in Chronico ad annum 354. olymp. 283. 2. & alibi: Anonymus Auctor Appendicis ad Isidorum, & Ildefonsum qui falsò eum Episcopum appellat cap. 7. Ado in Chronico, Honorius Augustodunensis, Joannes Trithemius, Greg. Lilius Gyraldus, Vossius, aliique. Quo anno obierit non constat, hoc certum obiisse ante annum 378. quo S. Augustinus repudiato Manichæorum dogmate ad partes Catholicorum transiit. Ejus opuscula nemo in unum volumen collegit. Hactenus excusa hæc memini.

I. Duos libellos: 1. *ad Justinum Manichæum contra duo Manichæorum principia, & de vera carne Christi*: Alterum *de principio diei* à R. P. Jacobo Sirmondo Soc. Jesu anno 1630. cum dogmaticis quatuor aliorum Veterum scriptorum opusculis publicatos.

II. *Libros quatuor adversus Arianos de Sanctissima Trinitate*: quos sanctus Hieronymus tradit Dialectico more scriptos valde esse obscuros, & nonnisi ab eruditis intelligi, ac cum judicio legendos, cùm nonnulla contineant duriuscula, & ab usu loquendi Theologo-

logorum aliena. Vide Bibliothecas Veterum Patrum, Hæreseologiam, Ortodographa &c.

III. *De Generatione Verbi Divini Confutatorium adversus Candidum Arianum cum ejusdem Candidi libello*, editum Basileæ anno 1548. cum Bernardi Ziegleri Conceptionibus in Genesim apud Joannem Oporinum in folio. Habemus quoque ms. in membranis, ut aliàs monuimus.

IV. *Hymnos tres de Homousio recipiendo*, quos Fabricius ametros notat, & anarythmos, Habes in Bibliothecis Veterum Patrum &c.

V. *Carmen de septem fratribus Machabæis cum fortissima matre interfectis ab Antiocho Epiphane Syriæ Rege*, quod Hilario in quibusdam Codicibus mss. adscribitur. Extat tum in collectione Poetarum Ecclesiasticorum Basileæ anno 1562. impressa apud Oporinum, tum in Bibliothecis Veterum Patrum &c.

VI. *Commentarios in Ciceronis Rhetoricam veterem, sive de inventione libros duos*, sæpè editos Venetiis, Coloniæ, Parisiis, Basileæ &c. ac præsertim Parisiis apud Hadrianum Perier an. 1599. in sylloge Veterum Rhetorum. Eos Cassiodorus è Bibliotheca sua reliquit Vivariensibus Mon. ut in lib. de Rhetorica testatur, sibique ex Italia describendos curavit Gilbertus ep. 130. ad Raynaudum.

VII. *Versionem Isagoges Porphyrianæ de Quinque Vocibus*, quæ extat cum Boethii commentariis. Videtur autem periisse liber de syllogismis hypotheticis, quem idem Victorinus scripserat teste Cassiodoro in lib. de Dialectica.

IX. *De enunciatione litterarum, ortographia, & ratione carminum, sive metris Comicis libros quatuor* excusos Basil. 1527. sub 1537. & fortè alibi. In collectione Veterum Grammaticorum studio Heliæ Putschii anno 1605. Hanoviæ excusa, habentur aliquot libri ad Grammaticam spectantes, ac primò quidem Maximo Victorino tributi libri de re *Grammatica*, *de Carmine Heroico*, *de ratione metrorum*, deinde Mario Victorino adscripta *Ars Grammatica* in quatuor libros divisa: I. de Ortographia, & ratione metrorum. II. de didascalicis metris. III. de conjunctis inter se & mixtis metris. IV. de connexis inter se atque inconnexis quæ Græci ἀσυνάρτητα vocant. Ab his fortè non differunt Commentarii in Poeticam exquisitæ frugis, si integri & non mutili à studiosis haberentur, inquit Simlerus.

Sunt & alia suo tempore, si Deus voluerit, publicanda. Certè meminit Sanctus Hieronymus Commentariorum ejus in Apostolum, ex quibus superesse arbitror in Epistolas ad Galatas, & ad Philippenses.

(*a*) Cum Sirmondo nostro in Notis ad Ennodium Ticinensem Episc. Fabius Laurentius Marius Victorinus, quæ integra est nomenclatio clarissimi Rhetoris qui in Ciceronis libros de Arte Rhetorica scripsit: proprium verò nomen quod postremum &c. Non fuisse S. Hieronymi præceptorem docet Marianus Victorius tum in ejus vita, tum in notis Indici operum insertis maximè ex libro 1. adv. Ruffinum.

De Sancto Hilario. 355.

SANCTUS HILARIUS Pictavorum Episcopus sancti Athanasii æqualis fuit, & quamvis jam provectæ ætatis Christianus factus, tamen brevi in Ecclesiastica doctrina ita profecit, ut Doctor maximus, & Ecclesiæ Catholicæ columna merito habitus sit. Ejus opera hæc extant: *De Trinitate, libri* 12. *Adversus Constantium Augustum*, 1. *Ad eumdem*, 1. *Ad eumdem alter*. *Adversus Auxentium Arianum*, 1. *De Synodis adversus Arianos*, 1. *Ad Apram*

A *filiam epistola*. *Ad eamdem Hymnus*; *In Matthæum Commentaria*. *In Psalmos aliquot explanatio*. *De Patris & Filii unitate*, 1. *De essentia Patris, & Filii*, 1. *Ad Augustinum, epistolæ* 2. *Carmen in Genesim*.

Et quidem de libris de Trinitate, De duobus libris adversus Constantium, De libro contra Auxentium, De libro de Synodis, De Commentariis in Matthæum, & in Psalmos, nulla dubitatio est: horum enim & meminit sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & nemo illis contradixit unquam.

De epistola, & Hymno ad Apram filiam Erasmus non solùm dubitavit, sed etiam scripsit notha esse. Cæterùm Fortunatus sancti Hilarii successor in vita B ipsius disertis verbis scripsit, dedisse sanctum Hilarium epistolam ad Apram filiam, & totum argumentum epistolæ descripsit, ut non sit dubium hanc ipsam, quæ extat epistola, verè S. Hilarii esse, ut etiam hymnum adjunctum.

De epistol. ad Augustinum extra controversiam est, eas non esse Hilarii Pictaviensis, sed Hilarii alterius multo recentioris: nam & Pelagiani, de quibus in illis epistolis agitur, post Hilarii obitum exorti sunt, & ipse Augustinus, ad quem scribuntur, post Hilarii excessum Christianus factus est.

Pari ratione carmen in Genesim Hilarii esse non potest, cùm ad Leonem Papam scriptum sit, sed etsi hoc carmen non sit Hilarii: tamen constat ex Con- C cilio Toletano 4. can. 12. hymnos aliquot S. Hilarii cani in officio Ecclesiastico.

De libris duobus de Patris, & Filii unitate & de essentia Patris, & Filii, non omnino certus sum, Hilarii ne, an alicujus alterius sint: nam S. Hieronymus horum librorum non meminit, & in posteriore invenitur fragmentum valde magnum ex lib. 8. de Trinitate; quæ sunt argumenta, quod libri isti non sint Hilarii, sed alterius, qui Hilarium imitari voluerit. Libri certè graves sunt, & docti, & Hilarii spiritu, & eloquentia non indigni.

Una superest quæstio: An liber primus adversus Constantium Imperat. sit scriptus ipso Constantio vivente, an post ejus mortem. Sanctus Hieronymus D in lib. de Script. Eccles. dicit unum librum scriptum esse Constantio vivente, alterum post ejus obitum: & nisi is qui primus nunc extat, sit scriptus Constantio mortuo, nullus erit illo mortuo scriptus: nam alii duo citra controversiam scripti sunt vivente Constantio. Erasmus hoc argumento ductus, primum librum existimat scriptum esse post obitum Constantii. Cardinalis Baronius tomo tertio Annalium pagina 714. & 715. contendit omnes tres libros scriptos esse vivo adhuc Imperatore Constantio, & librum, quem sanctus Hieronymus testatur post obitum Constantii scriptum, non extare, & rationem adducit, quia sanctus Hilarius in hoc libro scribit, se per hanc liberrimam confessionem tendere ad martyrium & E animat alios ad martyrium per eamdem libertatem loquendi. Ponamus, inquit, animas pro ovibus, quia fures introierunt, & Leo sæviens circumit. Ad martyrium per has voces exeamus, quia Angelus Satanæ transfiguravit se in Angelum lucis, clament pastores, quia mercenarii fugerunt. At si jam persecutor erat mortuus, ridicula videtur Hilarii jactantia. Deinde scribit, se ita loqui cum Constantio ut Joannes Baptista loquebatur cum Herode: at Joannes Baptista Herodi viventi non mortuo dicebat, Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Præterea ipse Hilarius describit tempus, quo hunc librum scripsit, & dicit, ante annos quinque missos fuisse in exilium Paulinum, Eusebium, Luciferum, Dionysium: at illi in exilium pulsi sunt anno 9. Constantii, tempore Concilii Mediolanensis: ergo scripsit Hilarius librum illum

anno

anno Constantii 24. quo anno Constantius vivebat. Obiit enim ad initium anni 25. Sed fortasse possunt hæ sententiæ conciliari, si dicamus, Hilarium scripsisse librum illum ex Gallia, cùm putaret, Constantium adhuc vivere, sed verè mortuus esset: constat enim ex Sulpitio, in secundo de sacra historia, & ex sancto Hieronymo in chronico, & ex ipso Cardinal. Baronio, S. Hilarium rediisse in Galliam paulò antequam Constantius moreretur: & quia res in tam remota regione gestæ continuo resciri non possunt, facilè concurrere potuit finis scriptionis Hilarii, cum fine vitæ Constantii. Itaque immerito Erasmus in annotationibus marginalibus irridet Hilarium, quasi Constantio minetur audacter, sed post mortem ejus.

Dissertatio Historica.

Sanctus Hilarius, Ecclesiæ Catholicæ adversus hæreticos acerrimus, & ut in Epitaphio additur, Terrificus defensor, in Galliis natus, ac patriæ suæ urbis Pictaviensis in Aquitania II. Episcopus, Saturnini Arelatensis Episc. & aliorum Arianorum hæreticorum factione è Concilio Biterrensi in Phrygiam anno 356. relegatus, Olymp. 283. quarto, multa in exilio adversus eosdem scripsit, ac nominatim anno 358. librum de Synodis, tum anno 360. Invectivas adversus Constantium Imp. cujus jussu post quadriennium tandem suis redditus Galliis, Ariminensis perfidiæ dolis damnatis, fidem Catholicam in singulis urbibus restituit, multisque perfunctus pro Christo laboribus, è vita migravit die 13. Januarii anno, ut plerique censent, Christi 367. aut sequenti Valentiniani & Valentis Impp. 4. labente. Sunt quoque, qui in 369. differant: imò & Joannes Trithemius in annum 371. Severus Sulpitius libri 2. Historiæ annum tantùm numerat à reditu in Gallia sextum, cùm 8. aut 9. numerare debuisset. Ejus laudes celebrant uno ore Sancti Patres, quorum sententias non licet describere. Athanasius in epist. ad Epictetum Corinthi Episcopum, sanctus Ambrosius Mediolani Episcopus, S. Hieronymus in Chronico, Catalogo, Epistolis, Apologiis, & Commentariis, S. Augustinus in libris adversus Pelagianos, Ruffinus lib. 2. cap. 30. & seqq. Cassiodorus cap. 18. libri primi Divinarum lectionum, & alibi sæpius, Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. cap. 35. & 38. & lib. 3. cap. 36. Honorius Augustod. cap. 101. libelli 1. de Luminaribus Ecclesiæ, & alii plures cùm antiqui, tum nuperi scriptores (a).

Bellarminus usus videtur editione aliqua Basileensi operum Sancti Hilarii, quæ quòd minus perfectæ sint, & à pestilentibus hæreticis fœdatæ, atque corruptæ, nos Parisiensem anni 1605. & auctiorem, & accuratiorem exhibebimus.

Post doctissimi viri Joannis Gillotii Campani commentationem, Vitæ sancti Hilarii libros duos auctore Venantio Fortunato, quibus Epistola, & Hymnus ad Afram filiam subjiciuntur (ab Erasmo quidem, Georgio Fabricio, & similibus Aristarchis inter nothos prius rejecta, sed à Bellarmino, Theophilo Raynaudo, aliisque Catholicis eruditè vindicata) testimonia SS. Hieronymi Catalogi cap. 100. & Greg. Tur. cap. 2. libri de Gloria Confessorum, nec non sermonem Petri Damiani in Translatione S. Hilarii habentur.

De Trinitate libri XII. (b).

Adversus Constantium Imp. lib. 1. quem etiam scriptum fuisse ipso vivente Constantio Imp. cum duobus sequentibus contendit Cardinalis Baronius, eumque librum non extare, quem S. Hieronymus in Catalogo asserit post obitum Constantii scriptum. Bellarm. alia ratione rem componit, & meritò castigat Erasmi petulantiam. *Ad eumdem Imperatorem liber* 1. *Item ad eumdem liber* 1. *Auxentii Mediolanensis Episcopi Ariani Epistola, & S. Hilarii adversus eumdem liber* 1. *De Synodis adversus Arianos liber* 1. *Commentaria in Evangelium S. Matthæi.* (c)

Commentaria in plerosque Psalmos (d) Hæc ex Origene versa contendit Erasmus, ideò per omnia sapiunt & ingenium, & phrasim Origenis.

Hilarii (neque Pictaviensis, neque etiam Arelatensis) *epistola ad sanctum Augustinum*, de reliquiis Pelagianæ hæreseos, quæ vivente nostro Hilario nondum erat exorta.

Ejusdem Hilarii (Laici hominis, & S. Augustini cum Prospero defensoris) *alia ad eumdem Augustinum epistola.*

Carmen in Genesim ad Leonem Papam, quod Arelatensi convenire supra docuimus.

Liber de Patris & Filii unitate, consarcinatus est ex libris 2. & 9. de Trinitate, Sancti Hilarii paucis aliunde insertis.

Liber quoque, De essentia Patris & Filii, excerptus est ex libris 7. & 8. de Trinitate, cum Appendice de variis Christi cognominibus.

Addita sunt, & suis locis inserta *Fragmenta operis Historiæ ejusdem Hilarii*, primùm vulgata anno 1598. ex Bibliotheca Petri Pithæi, cura & studio V. C. Nicolai Fabri, qui longam præfationem præmisit cum *Catholicæ Fidei professione apud Parisiam civitatem ab Episcopis Gallicanis ad Orientales Episcopos missa*, & multis aliis ad Concilium Ariminense & Arianos spectantibus, de quibus consule Baronii Annales Eccles. ad an. 352. & 357.

Enarrationes in Psalmos XIII. XIV. CXLIX. & CL. Variæ denique lectiones ex mss. codicibus.

(a) Iis possunt addi Cassianus, Lanfrancus, Philippus Abbas Bonæspei, S. Bonaventura, Guillelmus Parisiensis, Sixtus Senensis, Theophilus Raynaudus, cùm alibi, tum pag. 81. de Calumnia, ubi eum purgat ab accusationibus Claudiani Mamerti Viennensis libri 3. de statu animæ cap. 9.

(b) De quibus S. Hieronymus in epistola ad Magnum Oratorem ait imitatum fuisse Quintiliani libros & stylo & numero. Perierunt magno Ecclesiæ damno Homiliæ in Jobum ex Origene collectæ, de quibus idem Hieronymus epistola ad Vigilantium hæreticum, & S. Augustinus lib. 2. adversus Julianum Pelagianum.

(c) Quod distinxit, ut benè monuit Sixtus Senensis in 33. Canones secutusque hujus partitionis ordinem succincta, sed erudita ac solida explanatione totum ferè Evangelistam disseruit, allegorico magis quàm litterali sensu delectatus.

(d) Plura de iisdem ex Sancto Hieronymo observat idem Sixtus, quos consule.

De Gregorio Betico, & Sebadio Agennensi.

Gregorius Boeticus in Hispania, & Sebadius, sive Phegadius sive Phœbadius Agennensis in Gallia, eodem tempore, quo sanctus Athanasius, & sanctus Hilarius, adversus Arianos librum quisque suum edidit. Meminit horum auctorum & librorum sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & libri ipsi nunc extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 4. Phegadii verò miræ laudes extant apud Sulpitium lib. 2. histor.

Disser-

DISSERTATIO HISTORICA.

GREGORIUS BOETICUS, Episcopus Elliberitanus, quod quondam oppidum fuit celebre in monte haud procul Granatensi urbe sito constructum, vivebat anno 392. quantum ex sancti Hieronymi cap. 105. de Scriptoribus Ecclesiasticis, & ex Honorii Augustod. cap. 106. libelli primi de Luminaribus Ecclesiæ colligi potest. Ad hunc extat scripta ab Eusebio Episcopo Vercellensi epistola post Concilium Ariminense, ex qua constat eum Osio in Hispaniam revertenti restitisse. Plura in eam rem Isidorus cap. 1. libelli de Viris Illustribus à Marcellino Presbytero schismatis Luciferiani sectatore, ut creditur conficta. (a)

Elegans de fide adversus Arianos libellus qui ex editione Romana in quarto anno 1575. in ædibus populi Romani studio Achillis statii procurata, & Mariæ Augustæ Regis Emanuelis filiæ Infanti Portugaliæ dicata, in Bibliothecis Patrum nomen ejus præfert, ad Faustinum pertinet, Presbyterum Luciferianum, de quo superius diximus suo loco. Expungenda ergo Miræi in Hieronymianum Catalogum scholiis hæc verba: Gregorii Bœtici liber contra Arianos extat in Bibliotheca Veterum Patrum; vel addendum Pseudepigraphum ab eruditis judicari.

(a) Potior enim ac similior veri est S. Athanasii in epistola ad Solitarios & aliorum sententia, qui docent Osium facti pœnitentem orthodoxum obiisse. Vide Baronium, Possevinum, & Gloriæ Ibericæ Vindices modernos.

PHOEBADIUS, sive Sebadius, aut Fegadius Agenni Nitiobrigum ad Garumnam in Aquitania II. sive Episcopus, sive ut quidam minus rectè scripserunt Diaconus, Vernacula dialecto *Sainct Fiari* apud Agennenses, vicinosque eis populos dictus, floruit anno Christi circiter 360. vivebatque adhuc anno 392. Theodosii Senioris Imp. 13. quo Sanctus Hieronymus Catalogum texebat scriptorum Ecclesiasticorum, cujus cap. 108. hæc leguntur: Phœbadius Aginni Galliarum Episcopus edidit contra Arianos librum, vivit usque hodie decrepita senectute, Sophronius in metaphrasi Græca Catalogi ejusdem insinuat se vidisse opuscula illa, quæ se necdum legisse professus est Hieronymus. De eo vide Severum Sulpitium lib. 2. Historiæ sacræ, quo loco vocat Episcopum suum, S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi epistolam 55. quæ est ad Phœbadium, & Delphinium Burdegalensem, Honorium Augustodunensem libelli primi cap. 109. Sirmondum Tomo I. Conciliorum Galliæ, &c.

Liber ille contra Arianos in quo Sirmiensem Fidei formulam ad Gallos anno 358. missa per singula capita discutit, primum prodiit studio Petri Pithæi cum aliquot aliorum Veterum Galliæ Theologorum scriptis, Parisiis apud Nivelium 1586. in 4. hoc titulo: liber contra Epistolam, sive edictum sub nomine Constantii Imp. emissum in Synodo Mediolanensi. Nec deinde omissus fuit in Bibliothecis Veterum Patrum. Notas quoque in eum scripsit Gaspar Barthius.

De Paciano Episcopo Barcinonensi. 360.

PACIANUS EPISCOPUS Barcinonensis obiit Theodosio imperante: & scripsit *epistolas tres contra Novatianos*, quarum meminit sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Nunc verò in Bibliotheca sanctorum Patrum, & seorsim in editione Romana anni Domini 1564. non solùm extant tres illæ epistolæ; sed etiam *parænesis* ejusdem Paciani ad pœnitentiam, & *libellus de baptismo*. Neque aliquid occurrit, unde de eorum librorum auctoritate dubitari possit.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS PACIANUS, Barcinonensis in Pirenæi jugis Episcopus, vixit sæculo Christi quarto, obiitque jam ultima senectute die 9. Martii Imperante Theodosio Seniore circa annum 380. Vide cap. 106. Catalogi de Scriptoribus Ecclesiasticis, quem S. Hieronymus dicavit ejusdem Paciani Filio Flavio Lucio Dextro, Præfecto Prætorio; & Sophronius sancti Hieronymi æqualis in Græcum sermonem transtulit. Extant cùm seorsim, tum in Bibliothecis Veterum Patrum,

Tres epistolæ contra Novatianos ad Sympronianum Novatianæ hæresis labe infectum. Parænesis, sive exhortatio ad pœnitentiam. Libellus, sermonem alii vocant, *de Baptismo ad fideles Catechumenos*.

De Eusebio Vercellensi. 360.

SUPPLEMENTUM.

EUSEBIUS natione Sardus, & ex Lectore ùrbis Romanæ Vercellensis Episcopus, ob confessionem fideī à Constantio Principe anno 355. Scythopolim, & inde in Cappadociam relegatus, sub Juliano principe ad Ecclesiam suam anno 360. reversus, post multos pro Christo labores passos mortuus est anno 369. Kalendis Augusti, Valentiniano seniore, & Valente regnantibus. De eo Hieronymus in Chronico ad annum 360. & in Catalogo cap. 96. Epiphanius in Panario Hæresi 30. Honorius Augustodunensis lib. 1. *de Scriptoribus* cap. 97. Baronius *in Martyrologio Romano* ad diem 1. Augusti, *& in Annalibus suis* anno 311. num. 42. & anno 328. n. 22. Onuphrius anno 352. Aubertus Miræus *in Auctario Scriptorum Ecclesiasticorum* cap. 40. Scripsit in exilio *Epistolam De statu suo, & vita ad Presbyteros, & quasdam Italiæ plebes*, item *libellum quemdam ad Patrophilum*, quæ extant in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Parisiensis annorum 1575., & 1589. itemque in aliis.

De Dydimo Alexandrino. 361.

DYDIMUS ALEXANDRINUS cœcus à prima ætate dictavit opera prima & nobilissima, teste sancto Hieronymo in libro de Scriptor. Ecclesiast. Nunc solùm extat *liber de Spiritu sancto* inter opera sancti Hieronymi, quoniam eum librum idem sanctus Hieronymus latinitate donavit: & *expositio in epistolas canonicas* in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. Extat etiam *liber contra Manichæos* apud Henricum Canisium tomo quinto antiquæ lectionis. Claruit sub Valentiniano & Valente Principibus. In eo reprehenditur ab ipso etiam sancto Hieronymo, ejus alioqui admiratore, quòd Origenis errores secutus est. Vide Apologiam adversus Ruffinum.

DISSERTATIO HISTORICA.

IS, licèt oculis captus à prima ætate, & ob id elementorum quoque ignarus, plurima tamen nobiliaque opera conscripsit, vivebatque adhuc anno Christi 392. Theodosii Imp. 14. (quo S. Hieronymus ejus quondam in Ægypto discipulus, & auditor, Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum contexebat)

xebat.) præter vectus octogesimum tertium ætatis annum. Vide caput 109. Chronicon quoque, Epistolas, & alia ejusdem Sancti opera, ubi se usum eo magistro sæpius gloriatur, Ruffinum lib. 2. Historiæ Eccles. cap. 7. Socratem lib. 1. cap. 3. Honorium Augustodun. cap. 110. libelli primi de Luminaribus Ecclesiæ, aliosque. Extant in Bibliothecis SS. Patrum, & alibi.

Liber de Spiritu Sancto, interprete S. Hieronymo. *Breves quædam enarrationes in Epistolas Canonicas*, de quibus nonnihil dicitur ubi de Clemente Alexandrino. Henricus quoque Canisius Tomo V. Antiquæ Lectionis vulgavit *librum contra Manichæos* interprete Francisco Turriano Soc. Jesu. (a)

(a) Hic Didymus inquit Magister sacri Palatii in Expurgatorio Indice an. 1607. Romæ edito, tametsi & sanctitate & doctrina vir magnus ab initio fuerit, ut plura de eo Patrum elogia testantur: tandem in Origenis errores præcipitatus, & præcipuus Origenista habitus tamquam hæreticus condemnatus est una cum Origene, & Evagrio Pontico in Quinta Synodo Generali, ut auctores sunt S. Tharasius Episcopus C. P. in Confessione Fidei quæ habetur in VII. Synodo Actione Tertia, Nicephorus lib. 17. Historiæ cap. 27. Cedrenus in Annalibus. Eumdem cum eisdem damnavit quoque S. Martinus Papa, & Martyr in Concilio Lateranensi sectione V. canone 18.

Ejusdem verò Didymi, ne hoc te fugiat Lector, fragmentum libri adversus Manichæos ex veteri libro descriptum exhibet Possinus noster in eruditissimis notis ad S. Nili Abbatis 355. Epistolas.

De S. Optato Milevitano. 365.

SANCTUS OPTATUS Milevitanus Episcopus eodem tempore floruit: & egregios *septem libros adversus Donatistas* edidit. Sanctus Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, sex libros ab Optato scriptos fuisse dicit: sed nunc septem numerantur, neque septimus dissentit à cæteris. Facile fuit in librum sancti Hieronymi irrepsisse errorem in numeris.

Dissertatio Historica.

OPTATUS Milevi in Numidia Episcopus, floruit sub Valentiniano, & Valente Imperatoribus circa annum 370. De eo Martyrologium Romanum ad diem Junii 4. S. Hieronymus cap. 110. Honorius Augustod. Trithemius, Balduinus, Pithæus, Baronius, Possevinus Barchius, &c. Extant cum seorsim variis in locis, tum in Bibliothecis Veterum Patrum excusi.

Septem libri de Schismate Donatistarum adversus Parmenianum Episcopum Donati successorem, in quos Franciscus Balduinus J. C. celeberrimus Prolegomena, commentarios, & Recognitiones edidit, & alii post eum S. Hieronymus sive lapsu memoriæ, ut quidam censent, sive librarii vitio sex dumtaxat enumerat libros adversus Donatianæ partis calumniam conscriptos, in quibus asserit crimen Donatianorum falsò in Catholicos retorqueri: sunt tamen, qui cum Balduino conjiciant sex tantum initio scriptos fuisse, cùm auctor ipse libro primo nonnisi sex librorum argumenta proponat, septimum verò postea ab eodem additum, quem Rivetus supposititium agnoscit.

Eosdem libros cum observationibus & notis Reverendissimi D. Gabrielis Albaspinæi Aurelianensium Episcopi. R. P. Carolus Paulinus Aurelianensis Soc. Jesu Theologus, ac postea Christianissimi Francorum, ac Navarræorum Regis Ludovici XIV. à sacris Confessionibus, Parisiis anno 1631. in fol. apud

A Claudium Sonnium edendos curavit post narrationem felicis ad Deum exitus ejusdem Episcopi Aurelianensis hoc ordine.

Observationes undecim Gabrielis Albaspinæi in Optatum Episcopum. S. Optati Milevitani Episcopi libri septem de schismate Donatistarum adversus Parmenianum, pag. 33. *Notæ ejusdem Albaspinæi in septem illos libros*, pag. 114. *Annotationes Francisci Balduini* J. C., pag. 163. *Delibatio Historiæ Africanæ, ex ejusdem Balduini commentariis rerum Ecclesiasticarum*, pag. 199. *Incerti Auctoris emendationes, & notæ in Optatum*, pag. 248. *Gesta purgationis Cæciliani, & Felicis*, pag. 265. *Exemplum epistolæ Constantini*, pag. 280. *Concilium Episcoporum Arelate celebratum, & directum Sylvestro Episcopo Romanorum*, pag. 282. *Fragmenta à Donatiano quodam scripta ex Historia Passionis Martyrum Africanorum sub Anulino Proconsule*, pag. 290.

B *Gesta collationis Carthagine habitæ Honorii Cæsaris jussu inter Catholicos & Donatistas coram Marcellino V. C. Trib. & Not. post Consulatum Varanis V. C.* studio Papyrii Massonis primùm edita, deinde à P. Pithæo cum mss. collata & emendata, pag. 303. *Gesta primæ cognitionis*, pag. 440. *Gesta secundæ cognitionis*, pag. 524. *Gesta tertiæ cognitionis*, pag. 536.

Historia Carthaginensis Collationis, sive disputationis de Ecclesia olim habitæ inter Catholicos, & Donatistas ex rerum Ecclesiasticarum Commentariis Francisci Balduini J. C. pag. 599.

C Observationum ejusdem Gabrielis Albaspinæi libri duo, tum Commentaria, & Notæ in aliquot Concilia & Tertulliani locos sequuntur huic quoque editioni superadjecta. Prodiit quoque eodem anno 1631. & alia Optati editio Londini in Anglia, cui Emericus Casaubonus Isaaci filius annotationes adscripsit.

Optatus, inquit Albertinus pag. 516. libro 2. testatur se scripsisse tempore Syricii Episcopi Romani. Syricius autem factus est Episcopus Romanus ad initium anni 385. Quàmquam nescio quomodo id congruat cum altera Epocha, quam idem Optatus habet libris primo, & tertio. Baronius verò

D (a) ad ann. 386. contendit pluribus conjecturis ex ipso opere depromptis Commentarios illos circa initia Pontificatus sancti Damasi fuisse conscriptos. Tu Lector arbiter, ac judex esto. Balduinus enim, & alii viri perquam eruditi censent verba illa, *Damaso Syricius* à librario qui Syricii tempore librum illum exscripsit, fuisse addita: quod admodum probabile mihi semper visum est.

(a) Scribe ad annum 368. contendit pluribus conjecturis, tum ex SS. Hieronymo in Catalogo, & Augustino adversus Parmenianum & lib. 2. de Doct. Christ. cap. 40. tum ex ipso opere &c.

Sic itaque legi debet eximius ille Optati locus ex libro secundo, quo vel solo convicti Novatores omnes ad Catholicam redirent Ecclesiam, si vel

E exigua in eis pietatis ac veræ, non dicam fidei, sed etiam rationis scintilla remansisset: *Sedet Petrus prior; Cui successit Linus &c. Julio Liberius, Liberio Damasus* (Damaso Syricius) *hodie, qui noster est socius: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat. Vestræ cathedræ vos* (Lutherani, Calviniani, Sociniani, Anabaptistæ &c.) *originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare. Unde est ergo quòd claves regni vobis usurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri vestris præsumptionibus, & audaciis sacrilegio militatis? In consilio impietatis itum est à majoribus vestris, ut dividerent Ecclesiam. Iverunt etiam peccatorum viam, dum Christum partiri conati sunt &c.* ad quæ schismatis hæreseonque fautores provoco, ut resipiscant. *Intelligite serò vos esse filios impios, vos esse ramos fractos ab arbore,*

vos

vos esse abscissos palmites à vite, vos esse rivum concisum à fonte &c.

De Tito Bostreno. 365.

TITUS BOSTRORUM Episcopus vixit Imperatore Juliano, sed obiit sub Valente, ut sanctus Hieronymus testatur in lib. de Script. Eccles. Scripsit egregios *libros contra Manichæos* è quibus tres cum argumento quarti, editi sunt Ingolstadii anno 1604. ab Henrico Canisio tomo quinto antiquæ lectionis: Extant etiam ejusdem Titi *commentaria in Matthæum, & Lucam* impressa cum aliis quibusdam Ingolstadii apud Sartorium. Observandum est autem Commentaria in Matthæum, & Lucam non posse esse hujus Titi, quoniam auctor horum commentariorum passim citat Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, & Pelusiotam, qui pueri erant cum Titus moreretur.

DISSERTATIO HISTORICA.

TITUS BOSTRORUM in Arabia Petræa Episcopus, floruit sæculo Christi quarto sub Juliano & Joviano Principibus, fortes adversus Manichæos scripsit libros, & interfuit Concilio Antiocheno anno 364. Sozomenus refert lib. 5. Hist. cap. 14. Julianum Imp. conatum fuisse exturbare Titum Episcopum illius urbis, & ad nostram usque ætatem servata est ejusdem Apostatæ epistola ad Bostrenos de hoc argumento. Obiit sub Valente saltem ante annum 378. ex Hieronymi Catalogo cap. 102. & Honorio libelli 1. cap. 103. ideoque nequit esse legitimus parens Commentariorum in Evangelium Sancti Lucæ quæ ipsi tribuuntur, & ex quibus multa citantur in Catena LX. Patrum Græcorum in eumdem Lucam cum in iis nominentur Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Isidorus Pelusiota &c.

I. *Libri tres adversus Manichæos cum argumento libri quarti qui desideratur*. Latinè extant interprete Francisco Turriano Soc. Jesu Tomo V. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii, ad quem eos cum pluribus aliis opusculis misit Possevinus noster, & in Bibliothecis Veterum Patrum Coloniensi, & Parisiensibus reperiuntur.

II. Ejusdem, alteriusque junioris Titi, qui quo tempore vixerit, ignoratur, nomine edita est in Auctario G. L. F. Francisci Combefis Dominicani à columna 635. ad 652. *Oratio in Ramos Palmarum* εἰς τὰ βάια.

III. *Commentaria in Lucam*, Græcè & Latinè edita sunt in Auctario C. L. Bibliothecæ Veterum Patrum anni 1624. & Tomo XIII. Morellianæ pag. 761. R. P. Thodorus Peltanus Soc. Jesu Theolog. è Græco vertit in Latinum sermonem, sententias melius ordinavit, rectiusque ad Evangelii contextum ordinavit, ac locos non paucos interpretatus est. Prodiit primum Ingolstadii apud Davidem Sartorium anno 1579. & sequenti cum Victore Antiocheno in Lucam, ac cum Dionysii Alexandrini Epistola de Dominicæ Resurrectionis tempore, atque Paschalis jejunii termino. R. P. Fronto Ducæus è Codice ms. Bibliothecæ Regiæ Græcum textum primus publicavit. Hìc autem monendus est Lector Heterodoxum Criticum Andream Rivetum, qui aliena nullo judicio solitus est corradere, duo hìc peccasse: Primum quòd Commentaria in Matthæum, & Lucam asserat impressa fuisse Ingolstadii & in Bibliotheca Patrum Parisiis edita, quod falsum est: licèt enim scripsisse dicatur Titus etiam in Matthæum, desiderantur tamen illa, nec hactenus prodierunt: quin imò observatum est jam à viris eruditis, quæ Lucæ cum Matthæo communia sunt, aut omitti, aut levi brachio exponi, ideoque hunc Commentarium in Lucam non esse usquequaque perfectum. Alterum est, Titum Bostrenum vixisse anno 305. Voluit fortasse ipsæ aut is, unde suffuratus est, dicere anno 350. aut potius 365. ut habet Bellarminus, unde pleraque solet mutuari. Apud Trithemium, inquit Suffridus Petrus in Annotatione ad caput 102. Hieronymi, Hic Titus ponitur ad annum 340. numeris planè depravatis, cum Valens Imperator, sub quo mortuus asseritur, imperare demum cœperit ann. 379. Verùm nihil obstat quin Titus ille per 30. circiter anno floruerit ab an. 340. ad 370. & aliunde certum est Valentem ab anno 364. imperare cœpisse, & ante annum 379. in casa à Gothis combustum periisse. Suffridi verba exscripsit, nec emendavit Possevinus.

De S. Cyrillo Hierosolymitano. 365.

SANCTUS CYRILLUS Hierosolymæ Episcopus sub Constantio Episcopus factus, ac sæpè de sede ejectus, & sedi restitutus, tandem Theodosio imperante obiit. Scripsit in adolescentia *Catecheses*, quæ nunc Latinè, & Græcè extant. Fertur etiam ejus *epistola ad Constantium de apparitione Crucis*: cujus epistolæ sanctus Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis non meminit, sed nihil est cur improbetur.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS CYRILLUS, ex Catechese on Magistro factus ann. 350. Episcopus Hierosolymitanus, de sua sede sæpè dejectus, sæpè in eam remissus vixit usque ad diem 18. Martii anni 386. quo decessit, quinque annis post Concilium Generale II. elapsis cui ipse cum aliis pluribus Const. interfuerat, Macedoniumque damnaverat. De eo S. Epiphanius hær. 73. Ruffinus lib. 1. cap. 23. aliique. (*a*) S. Hieronymus in Chronico, & Epistola 348. parum illi æquus testatur cap. 112. libri de Scriptoribus Ecclesiasticis sub Theodosio seniore Principe octo annis inconcussum Episcopatum tenuisse, & in adolescentia *Catecheses* suas composuisse: quæ citantur à Theodoreto Dialogo 2. qui ἀσύγχυτος inscribitur, S. Joanne Damasceno Oratione 3. de Imaginibus, Joanne Cyparissiota Decadis 6. cap. 4. & aliis Doctoribus Catholicis.

Scio hujus ætatis Heterodoxos egregium illud opus dente Theonino arrodere, quod in iis 18. *Catechesibus quæ Extemporaneæ dicuntur ad Illuminatos, & in quinque Mystagogicis, quæ sequuntur, ad eos, qui recens erant baptizati* Græcè & Latinè jam sæpius editis, interprete Joanne Grodecio Canonico Varmiensi, & opera diligenti notisque Joannis Prevotii Burdegalensis, vanitas Calvinisticæ novitatis, & certissima Catholicæ doctrinæ, præsertim de Sanctissimo Christi Domini Corpore & Sanguine veritas luce meridiana evidentius declaratur. Robertus Cocus adversus quinque Mystagogicas Catecheses utitur argumento hoc planè ficulneo: In Indice librorum Græcorum quos Respublica Augustana emit ab Antonio Eparcho Corcyreo, quinque Catecheses Mystagogicæ (in epitome Bibliothecæ Gesnerianæ idem dicitur de 18. Catechesibus τῶν φωτιζομένων) attribuuntur Joanni Episcopo Hierosolymitano (incuria haud dubiè aut imperitia librarii properantis aut cæcutientis) ergo non sunt Cyrilli ejusdem urbis Antistitis, & Joannis decessoris. Sanè qui simili argumentatione utitur, non aliquis mihi ex eruditis illis Britannis, sed asinus videtur indutus pelle Leonis, & perditissimus nebulo, ut eadem ipsius verba melius profectò collocata in eum regeram. Nec verò validiora sunt, quæ ejus sym-

symmistes, & pariarius Andreas Rivetus operosius congessit, & in tria quatuorve capita digessit, ut, Deo dante demonstrabimus ex examine Heterodoxorum Criticorum. (*b*) A

In Bibliotheca SS. Patrum occurrit ejusdem Cyrilli Hierosolymitani *Epistola ad Constantium Imperatorem de Crucis apparitione in festo Pentecostes*, quæ & seorsim Græcè & Latinè Federico Morello interprete excusa est, & in editione Catecheseon à Joanne Prevotio procurata. Hanc Rivetus ablegare jubet Crucis Christi, omniumque, quæ ad eam, ejusque promovendum cultum pertinent, pro genio factionis suæ semper inimicus.

Tomo XIII. Magnæ Bibliothecæ Parisiensis pag. 849. reperitur ejusdem Cyrilli nomine insignita *Oratio de occursu Domini*, sive *De Simeone Christum Dominum in ulnas suas suscipiente* Græcè & Latinè interprete Laurentio Sifano. Eamdem Latinitate quoque donavit Jacobus Pontanus noster. Adi quoque, si lubet, Auctarium Græco-Latinum à pag. 621. ad 634. & Surianam collectionem ad diem 2. mensis Februarii. Sed de his jam satis. B

(*a*) Præsertim Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Nicephorus, qui de eo multa, & ex Recentioribus Eminentissimus Cardinalis Jacobus Peronius ἀσεβείας Calvinianæ debellator fortissimus.

(*b*) Aubertinus quoque ex eadem gente pag. 422. editionis Latinæ, ut fidem Catecheseon illarum, quas reluctante conscientia mentitur Catholicorum causæ in re Eucharistica nihil prorsus favere apud imperitam pusilli gregis plebeculam elevare videatur, sibi, suisque meritò suspectas contendit. Fatetur, inquit Prevotius se Græcorum aliquot Catecheseon excusarum infinitas propè lacunas supplevisse (ex mss. scilicet Bibliothecæ Vaticanæ Codicibus) mendas correxisse, reliquas verò nec paucas, nec editas descripsisse. Nescimus autem quisnam (lege quænam) fides sit codicum illorum Romanorum, quos non licet inspicere, ne dicam etiam ipsius Prevotii supplentis, & corrigentis. Metuimus enim fraudes Danaum, & inimicorum dona (quod equidem credideris velim mendaci sanctè dejeranti.) Corruptas eas esse variis locis pridem demonstrarunt è nostris (Acatholicis) & nos quoque in Bibliotheca Regia vidimus tractatum exiguum ms. incerti Auctoris περὶ θείων μυστηρίων, in quo nonnulla loca quæ sunt in Mystagogicis sub nomine Cyrilli proferuntur: verùm cum sat magna dissimilitudine, ut taceam nescire, sitne ille vetus auctor, an Græculus quidam recentior. In Catechesibus Illuminatorum aliquot reperiuntur loca à Theodoreto, Damasceno, & Cyparissiota citata, ut verisimile sit vel omnes, saltem aliquas, licèt non omninò puras, illius esse. Mystagogicarum verò nec idem stylus, nec veterum quisquam notus meminit. Simlerus ante multos annos monuit in ms. Augustano eas tribui Joanni cuidam Hierosolymitano, quod æquè incertum. Verùm castigandus cùm in plerisque aliis vitiligator ille retorridus, tum quòd alienis oculis Bibliothecam Simlerianam lustraverit, & aliena araverit vitula, quod aridam è Catholicis alicubi objicit. Nec enim Simlerus de solis Mystagogicis loquutus, sed etiam de Catechesibus 18. Illuminatorum τῶν φωτιζομένων; nec Joanni cuidam, sed Episcopo Hierosolymitano satis eruditis viris cognito attribuerit. Certè quod ignoravit Simleratus, non longè posterior fuit Cyrillo, sed ejus proximus successor, atque ut volunt etiam è sorore nepos Jo: cujus si ætatem spectes par propemodum apud æquos rerum æstimatores debet esse auctoritas. Vixit enim eodem tempore cum Chrysostomo, Epiphanio, Hieronymo, Augustino, aliisque magnis Ecclesiæ Doctoribus.

C D E

De Apollinario. 365.

APOLLINARIUS Laodicenus Episcopus vixit à tempore Constantii Imperat. usque ad Theodosium seniorem, vir fuit magis Peritus Poeticæ, & Rhetoricæ, quàm Theologiæ; ideò in errores gravissimos incidit, atque in eum potissimum, quòd in Christo non esset anima rationalis. Scripsit innumerabilia, teste sancto Hieronymo in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & sancto Basilio epist. 72. ubi dicit, Apollinarem fuisse nimis promptum ad scribendum & mundum totum libris suis replevisse, sed libris parum consideratè scriptis. Nunc solùm extant Psalmi Davidis ab ipso carmine heroico descripti, & Parisiis impressi anno 1580.

DISSERTATIO HISTORICA.

APOLLINARIS minor primum Laodiceæ maritimæ in Syria civitatis Lector, ac deinde Episcopus (*a*) Sanctorum Basilii Magni, ac Gregorii Theologi æqualis, sub Juliano Apostata Imperatore multa in gratiam Christianæ Fidei, tum prosa, tum stricta oratione edidit, ac præsertim celebrata adversus Porphirium 30. volumina. Is in hæresim deinde lapsus, quæ ab eo Apollinaristarum dicta est, damnatus fuit cum Vitale discipulo in Synodo Romana anno 375. Præside S. Damaso Papa, vixitque usque ad tempora Theodosii Imperatoris. Quo verò anno obierit non constat. In eo videndi S. Athanasius epist. ad Antiochenos, S. Basilius epist. 72. S. Hieronymus in Chronico ad annos 366. & 373. in Catalogo, in Apologia ad Pammachium, in Præfatione, & cap. 12. Comment. in Danielem, epist. 84. ad Magnum Oratorem, & alibi. Ruffinus libr. 11. cap. 20. Philostorgius lib. 8. cap. 15. Vincentius Lirinensis in Commonitorio. Liberatus cap. 3. Suidas, Trithemius aliique passim. Extat ex tot tantisque ejus operibus una dumtaxat.

Metaphrasis, seu interpretatio Psalmorum Davidis versibus Heroicis scripta quæ sæpius typis commissa est. Præcipuæ tamen editiones Græco-Latinæ sunt. Parisiensis anno 1580. apud Joannem Benenatum, cum luculento Indice Græcarum vocum, quæ in eadem Metaphrasi reperiuntur, Commeliniana anni 1569. cum versione Friderici Sylburgii & quæ habetur Tomo VIII. Bibliothecæ Veterum Patrum Parisiensis anni 1624.

Sunt quoque qui eidem tribuant Tragœdiam quæ inscribitur *Christus patiens*, & reperitur inter opera Poetica S. Gregorii Nazianzeni.

Ejusdem quoque libellus, *de Hominum ætatibus*, dicitur prodiisse Leodii anno 1575. sed cùm illum non viderim, nihil certi de eo affirmare possum.

(*a*) Apollinaris senioris, & in eadem Ecclesia Presbyteri Filius, Epiphanii celeberrimus per ea tempora Sophistæ discipulus, De quibus præter citatos Basilius quoque in aliis epistolis, Theophilus Alexandrinus Antistes in epistola 1. Paschali, Epiphanius libro 3. Panarii, Sozomenus libro 5. Justinianus Imp. in Decreto de Fide, Facundus Hermianensis, & ad eum Sirmodi notæ consulendæ, ubi docet Græcè dici Ἀπολλινάριος, Latinè verò tamquam ab Apolline geminata litera Apollinares, Joannes Sarisberiensis lib. 8. de nugis Curialium, Sixtus Senensis qui seniori omnia tribuit poemata, Baronius, aliique.

De san-

De ſancto Ephrem Syro. 365.

SANCTUS EPHREM Diaconus Edeſſenus obiit ſub Valente Principe, ſcripſitque plurima opera, quæ teſte ſancto Hieronymo in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Eccleſiis poſt lectionem ſcripturarum publicè legi ſolebant. Edita ſunt Coloniæ anno 1547. multa opera S. Ephrem, magis pia, quàm docta, ſed multo plura Romæ à Gerardo Voſſio partim anno 1589. partim anno 1593. Sed non vacavit mihi legere, niſi ſermones aliquos de compunctione, & pœnitentia, & de S. Cruce & paſſione Domini & de S. Deipara, & alia quædam: ideò judicare nequeo an ſint omnia verè S. Ephrem opera, an ſuppoſititia aliqua ſint admixta.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS EPHREM, ſive Ephraim, Niſibi in Meſopotamia natus, Edeſſenæ verò in Syria Eccleſiæ Diaconus, Orbis magiſter dictus, ad tantam venit claritudinem, ut poſt lectionem ſcripturarum publicè in quibuſdam Eccleſiis ejus ſcripta recitarentur: obiit die prima Februarii anni 378. ſub Valente Principe. De eo S. Hieronymus cap. 115. Catalogi Amphilochius in comparatione SS. Baſilii & Ephremi ſanctus Baſilius homilia 2. in Hexaemeron, S. Gregorius Nyſſenus in oratione de ejus vita, S. Chryſoſtomus in ſermone de falſis Prophetis & Doctoribus, Sozomenus, Theodoretus, Nicephorus, Photius thematе 196. ubi 149. ejus Homilias recenſet, Gennadius cap. 3. ubi de diſcipulo ejus Paulino, ſive Paulona, Honorius Aug. libelli 1. cap. 116. Moſes Barcepha libro de Paradiſo, & alii. Omnia ejus opera ſtudio Gerardi Voſſii ſeu Voskens, Borchiovii Præpoſiti Tungrenſis è Græco ſermone in Latinum converſa, Romæ primùm fuere edita anno 1593. tum Coloniæ anno 1603. Antuerpiæ 1619. hoc ferè ordine, quem omiſſum à Bellarmino hìc exhibebo.

Tomo I. Continentur.

Vita, & encomium S. Patris Ephrem Syri per S. Gregorium Nyſſenum Epiſcopum cum Scholiis. Alia quoque Vita ab Anonymo ſcripta, & comparatio inter Sanctum Baſilium & S. Ephrem, quam Amphilochio Iconienſi quidam tribuunt. 1. *De Sacerdotio.* 2. *Ad quem hoc pertineat Apoſtoli dictum*: Melius eſt nubere, quàm uri. 3. *Apologia ad fratrem quemdam*, de Heli ſacerdotio. 4. *De feſtis diebus, & de dignitate Divinorum myſteriorum.* 5. *De charitate, ſive dilectione.* 6. *Encomium in Pſalmos.* 7. *De orando Deum, ſive de precatione.* 8. *De amore Pauperum.* 9. *De jejunio.* 10. *Quonam pacto illud intelligendum ſit*: duo erunt in agro. 11. *De his quæ præſens hæc noſtra vita in ſe continet.* 12. *De manſionibus beatis.* 13. *De locis beatis.* 14. *De non ſuſpiciendis rebus hiſce momentaneis: & ne patiamur nos decipi hujus vitæ oblectamentis, & in Pſalmum* 72. 15. *Ode aptiſſima in quotidie peccantes, & quotidie pœnitentes.* 16. *De virtutibus, & vitiis per oppoſitionem.* 17. *De timore Dei, & de eo qui non habet timorem Dei.* 18. *De charitate, & de non habente charitatem.* 19. *De Longanimitate, & ea carentibus.* 20. *De patientia, & impatientia.* 21. *De lenitate animi*, ſive *benignitate, & iracundia.* 22. *De manſuetudine, & de malitia* ſive *improbitate.* 23. *De veritate, & mendacio.* 24. *De obedientia, & inobedientia, ac murmuratione.* 25. *De eo qui invidiæ & æmulationis eſt expers, & de invido.* 26. *De iis qui à maledicentia alieni ſunt, & de maledicis.* 27. *De temperantia, & continentia, vitiiſque contrariis.* 28. *De recta vivendi ratione capita XCI.* 29. *Conſilium de vita ſpirituali capitibus XCVI.* 30. *De non ſcandalizando proximo, & de recta vitæ ratione.* 31. *De vera atque perfecta ratiocinatione &c.* 32. *Quomodo anima cum lachrymis ad Deum recurrere debeat tentationis tempore.* 33. *De timore animi.* 34. *Reprehenſio ſui ipſius, atque confeſſio.* 35. *Ad Pietatem adhortatio.* 36 *Sermo ad pietatem, bonaque opera Chriſti athletam exercens.* 37. *De divina gratia.* 38. *De Fide & in illud*: Qui in modico fidelis eſt, & in multo erit. 39. *Adverſus eos qui volunt terræmotus à terræ inflatione fieri.* 40 *Ne decipiamur erroribus Gentilium.* 41. *Ad everſionem ſuperbiæ.* 42. *Ad eorum correctionem, qui vitiosè vivunt, & honores appetunt.* 43. *De morbo linguæ, aliiſque vitiis.* 44. *Non eſſe ridendum, ſed lugendum potius atque plorandum.* 45. *Quod ludicris rebus abſtinendum ſit Chriſtianis.* 46. *Adverſus eos, qui animas perniciosè ad impudicitias pelliciunt.* 47. *De abſtinendo à cupiditatibus carnalibus.* 48. *De abſtinendo ab omni conſuetudine pernicioſa, & de continentia.* 49. *Adverſus improbas mulieres.* 50. *Antirrheticon de virginitate, & continentia.* 51. *De caſtitate.* 52. *Sermo de virginitate.* 53. *De paſſionibus, ſive animi perturbationibus ſermo.* 54. *De compunctione, ſermones quatuor.* 55. *De pœnitentia, ſermones duo.* 56. *De pœnitentia, & converſione.* 57. *De pœnitentia, & patientia.* 58. *De Patientia.* 59. *Sermo adhortatorius de patientia & compunctione.* 60. *De patientia & conſummatione ſæculi, ac de ſecundo adventu Domini.* 61. *De Beatitudinibus animæ per varia capita.* 62. *Beatitudines aliæ.* 63. *De Beatitudinibus, & miſeriis.* 64. *Chriſtianæ, ac perutiles interrogationes, ac reſponſiones.* 65. *Adverſus eos, per quos blaſphematur nomen Dei &c.* 66. *Quid ſibi vult illud Apoſtoli: Per prævaricationem legis Deum inhonoras.* 67. *Hæretici canibus, & lupis, & porcis comparantur.* 68. *De gravitate peccati, quod eſt in Spiritum Sanctum.* 69. *Quàm deteſtandum ſit malum odiſſe proximum.* 70. *Interr. & Reſp. De iis, quæ fient in extremo judicio.* 71. *De abrenuntiatione in ſacro Baptiſmate facta, & quomodo ea à nobis requiretur in die Judicii, ac de variis inferni tormentis &c.* 72. *De variis cruciatuum generibus, ac locis in inferno.* 73. *De recordatione mortis, &c.* 74. *De morte oratio alia perelegans.* 75. *De Reſurrectione mortuorum.* 76. *Adverſus illos, qui dicunt reſurrectionem mortuorum non eſſe.* 77. *De Antichriſto, & conſummatione ſæculi.* 78. *De apparitione Crucis in cœlo tempore univerſalis judicii.* 79. *De judicio, & retributione.* 80. *De judicio extremo, & de compunctione.* 81. *Sermo in ſecundum Adventum Domini Noſtri JESU CHRISTI.* 82 *Alius ſermo de futuro Judicio.* 83. *Threni, ſeu lamentationes, De Divina retributione.* 84. *Pia ad Deum Oratio.* 85. *Lamentatio de die Judicii.* 86. *Alia Lamentatio ad animam negligentem.* 87. *Pia animæ pœnitentis, & ad Deum recurrentis precatio.* 88. *Confeſſio, atque precatio ad Deum.* 89. *Variæ precationes ad Deum dignæ, quæ ab omnibus crebrò legantur, atque recitentur.*

Secundo Tomo continentur.

Vita S. Ephrem Syri per Simeonem Metaphraſten cum ſcholiis. Sententiæ ex operibus ſancti Ephrem ſelectæ, quæ in veteri mſ. Vaticano de Collationibus ſanctorum antiquorum Patrum repertæ ſunt. 1. *S. Ephrem narratio ad Monachos de ſua converſione.* 2. *Canticum Spirituale in laudem doctrinæ, & ſapientiæ ad juventutem chriſtianam.* 3. *Epiſtola ad Joannem Monachum de patientia, atque tolerantia.* 4. *Hypomneſticon in formam epiſtolæ.* 5. *Quatuor adhortationes de Virtute ad Monachum, cum Prologo.* 6. *Capita decem de virtute, cum Prologo.* 7. *Capita novem in illud: Attende tibi ipſi, cum Prologo.* 8. *Sermo Paræneticus in illud idem: Attende tibi.* 9. *Adhortationes ſeu Paræneſes quinquaginta, cum Prologo.* 10. *Capita numero centum, quæ & narrationes, & apophthegmata ac*

scitè dicta doctrinamque variam cum admonitionibus continent, & de ratione, ac modo acquirendæ humilitatis. 11. *De Monachis, ac de turture.* 12. *De perfectione, qua præditum esse decet Monachum.* 13. *De Panoplia, sive armatura spirituali.* 14. *De agone, sive luctamine spirituali.* 15. *Sermo asceticus, & exhortatorius ad Fratres.* 16. *Sermo Paræneticus de secundo adventu Domini, de Pœnitentia, ac resipiscentia.* 17. *Ammonis Abbatis capita Parænetica novemdecim.* 18. *Apophthegmata aliquot salutaria, atque enarrationes Sanctorum, & antiquorum Patrum.*

Tertio Tomo continentur.

1. *Sermo asceticus ad imitationem Proverbiorum.* 2. *De Timore Dei.* 3. *De vita Religiosa atque Monastica.* 4. *De Pœnitentia tractatus prolixus.* 5. *De Compunctione animi.* 6. *Confessio Ephrem, & sui ipsius reprehensio.* 7. *De universali resurrectione, & extremo judicio: de regno cælorum, præmiisque justorum & pœnis impiorum.* 8. *Pia, humilis, ac compunctoria ad Deum oratio.* 9. *De Noe, & de continentia.* 10. *Sermo in Abraham, & Isaac.* 11. *In Loth, & de securitate nimia.* 12. *De Laudibus Joseph Patriarchæ.* 13. *In Danielem Prophetam, & in sanctos tres pueros.* 14. *In Jonam Prophetam, & de pœnitentia Ninivitarum.* 15. *In sanctum Heliam Prophetam, & in viduam Sareptanam.* 16. *In margaritam pretiosam.* 17. *Adversus eos qui Filii Dei naturam curiosè scrutari conantur.* 18. *Sermo in Transfigurationem D. N. J. C.* 19. *De Passione D. N. J. C.* 20. *Lamentationes Deiparæ super Passione Domini.* 21. *Sermo in pretiosam & vivificam Crucem Domini.* 22. *De Laudibus B. Mariæ Virginis.* 23. *Oratio ad Sanctissimam Dei Genitricem.* 24. *Sermo in mulierem peccatricem.* 25. *Sermo in Peccatricem & Pharisæum.* 26. *Encomium in S. Basilium Magnum.* 27. *Encomium in SS. 40. Martyres.* 28. *Encomium in omnes SS. Martyres D. N. J. C. qui in toto mundo martyrium sunt passi.* 29. *Sermo alius de eodem argumento.* 30. *Vita S. Abramii Eremitæ, & Mariæ neptis ejus.* 31. *De S. Juliano Monacho, & Anachoreta.* 32. *Sermo in SS. Patres, qui temporibus suis consummati sunt.* 33. *Sermo alius de eodem argumento.* 34. *Tetrasyllaba oratio.* 35. *Sermo Heptasyllabus.* 36. *Sermo in eos, qui in Christo obdormierunt, & de brevitate vitæ humanæ, de morte, variisque morientium generibus.* 37. *Testamentum sancti Ephrem*: quod etiam extat apud Surium Kalend. Februarii ex translatione Julii Clementis.

Accessit eo omidis loco sermo Sancti Joannis Chrysostomi, *de Pseudo-Prophetis, & falsis Doctoribus, impiisque hæreticis, & de signis futuris in consummatione hujus sæculi*, eodem interprete Vossio cum quibusdam aliis. (*a*)

Ambrosius Camaldulensis Monachus quosdam ex iis sancti Ephrem tractatibus Latinitate donarat, ac nominatim sermones 19. excusos Argentorati apud Matthiam Shurerium anno 1509. ac deinde Coloniæ anno 1547. in octavo apud Novesium. Ejusdem quoque nonnulla opuscula Dillingæ dicuntur edita Petro Francisco Zino interprete.

Hoc in universum de iis dici potest, omnia illa miram ubique spirare pietatem, & sinceram christianæ Religionis formam exhibere, unde nulli mirum accidere potest, quòd in ea tanto furore bacchati sint Heterodoxi Novatores, Perkinsus, Cocus, Rivetus quem non puduit doctissimum Fevardentium horum Tractatuum vernaculum interpretem appellare impurum sycophantam, similesque (*b*) Quid enim Jejuniorum, Pœnitentiæ, Compunctionis, Lachrymarum, sobrietatis, continentiæ, Virginitatis, Monasticæ disciplinæ, memoriæ mortis, Judicii, atque Inferni, Timoris Dei, cæterarumque virtutum perpetuo præconi, atque encomiastæ faveant ventri, crapulæque addicti nebulones, & ex disciplina Lutheri, Carlostadii, Zvvinglii, Calvini, ac Bezæ, similiumque monstrorum, Momi, Comi, Veneris, ac Bacchi potius, quàm Christi ejus discipulorum, sanctorumque Patrum sectatores? Plura aliàs in examine. Interim hortor Christianum Lectorem ut Tomi primi paginam 184. per otium consulat, in qua hæretici præcipuè hæreseon mangones, ac ministri omnes Veteres, Novi, Novantiqui Canibus, & Lupis, & Porcis comparantur, & Anti-Christi appellantur, nec omittat homiliam Chrysostomi mox laudatam de Pseudo-Prophetis, falsisque Doctoribus, atque Hæreticis &c.

Prodiit quoque Romæ anno 1645. typis Francisci Moneræ, ut didici ex Bibliotheca Mariana Hyppoliti Maraccii, *S. Ephremi de Maria, & Magis Canticum*, è Syriaca lingua ab Abrahamo Ecchellensi Maronita viro eruditissimo Latinè redditum, & studio Joannis Baptistæ Marii vulgatum, quod ego nondum vidi.

(*a*) Leontius lib. 1. adversus Nestorium, & Eutychetem, Ephrem Antiochenus Patriarcha apud Photium codice 219. Bibliothecæ &c. Videndi quoque Bollandus, & Henschenius eruditissimi Soc. nostræ Scriptores in Actis Sanctorum ad Kal. Febr.

(*b*) Hæreticis Criticis junge Aubertinum pag. 449. & seq. de quo plura in examine. Scio Homiliam de Pseudo Prophetis in dubium verti cujus Auctoris sit, Peronio, Halloixio, Vossio, aliisque Chrysostomo tribuentibus, nonnullis verò cum nostro Frontone Ducæo in notis ad Tomum sextum abjudicantibus. Sed quidquid de ea controversia sentiendum sit, certum est apud omnes eruditos ejusdem sæculi, aut supparis ætatis fœtum esse, nec multum inferioris apud æquos judices auctoritatis.

De Cæsario Fratre S. Gregorii Nazianzeni. 369.

SUPPLEMENTUM.

Hunc Cæsarium vide sæculo 5. post Cæsarium Arelatensem.

De Quinto Julio Hilarione. 393.

SUPPLEMENTUM.

QUINTUS JULIUS HILARION scripsit Latinè *Chronicon*, seu *libellum de duratione mundi*, in quo libello dicit se scripsisse librum de die Paschatis, qui interiisse videtur. Libellus *de Duratione mundi* editus primùm à Petro Pithæo Trecensi, unde postea in supplementum primæ editionis Bibliothecæ veterum Patrum anni 1575. immissum est, quod anno 1579. impressum Parisiis; denique in secundam ejusdem editionem, quæ anno 1589. prodiit ibidem apud Michaelem Sonnium, via Jacobæa, sub scuto Basileensi. Putatur scripsisse Cæsario, & Attico Consulibus, hoc est anno Christi 397. sed cujus nullus antiquorum mentionem facit, quod mirum est.

De sancto Basilio. 370.

SANCTUS BASILIUS Magnus Archiepiscopus Cæsariensis in Cappadocia, Valente imperante floruit, & sub Gratiano obiit, ut sanctus Hieronymus testatur in libro de Scriptor. Ecclesiast. Opera ejus præclarissima sunt, & quatuor tomis continentur in editione Basileensi anni 1540.

Tomi

Tomi Primi hæc sunt.

In opificium sex dierum homiliæ 11. *In Psalmos homiliæ* 17. *Variorum argumentorum homil.* 28.

Tomi Secundi.

De Virginitate lib. 2. *De Paradiso*, 1. *Contra Eunomium libri*, 3. *Contra Sabellianos*, *& Arianos lib.* 1. *De Spiritu sancto*, 1. *De libero arbitrio*, 1. *De Baptismate*, 2.

Tomi Tertii.

Sermones ascetici 7. *De Judicio Dei*, 1. *De Confessione fidei*, 1. *Moralium summa*, 80. *Quæstiones fusè explicatæ* 55. *Quæstiones compendio explicatæ* 31. *Constitutiones Monasticæ.*

Quarti Tomi.

Epistolæ Basilii, *& Gregorii Theologi*, 180. *Epistola ad Chilonem de vita solitaria. Aliæ ejusdem epistolæ. Oratio adversus eos*, *qui calumniantur*, *quòd tres Deos dicimus.*

Observatio in Opera S. Basilii.

In primo tomo ponuntur homiliæ undecim de opificio sex dierum : sed novem tantùm censentur à nonnullis esse Basilii, quia sanctus Hieronymus novem tantùm meminit. Duæ postremæ tribuuntur Gregorio Nysseno, qui opus Basilii imperfectum perficere studuit. Sed falli videntur, qui decimam, & undecimam, homiliam Gregorio tribuunt, & Basilii esse negant : nam ipse Gregorius in libro suo de opere sex dierum extremo dicit quidem in supplementum operis Basilii composuisse se librum de opificio hominis, sed non duas homilias : & liber ille extat inter opera Gregorii Nysseni, sed diversus omnino ab illis duabus homiliis Basilii. Scribit sanctus Hieronymus in libro de Scriptor. Eccles. homilias Basilii de opere sex dierum esse novem; sed hoc dicit quia Basilius novem tantùm initio scripsit, sed postea addidit alias duas, quarum initium est : Veteris debiti solutionem &c. Vide infra in observatione in opera Gregorii Nysseni.

In secundo tomo ponitur liber unus de Paradiso : sed in editione Antuerpiensi anni 1568. ponuntur homiliæ quatuor.

Item in secundo tomo ponuntur libri tres contra Eunomium: sed in editione Antuerpiensi, libri quinque : & quamvis duos ultimos libros Erasmus sustulerit, ut indignos Basilio; alii tamen Basilio non indignos censent.

In tertio tomo sunt quæstiones compendio explicatæ, quæ non sunt indubitatæ : Nicephorus enim lib. 9. cap. 16. & lib. 13. cap. 29. & Sozomenus lib. 3. cap. 13. dicunt, à multis tribui Eustathio Sebasteno Ascetica Basilii : id quod de quæstionibus compendio explicatis intelligendum videtur : nam qu. 1. & 95. videtur damnare traditiones, quas Basilius acriter defendit in libro de Spiritu sancto cap. 27. item q. 4. & 293. videtur tollere de medio discrimen peccati mortalis, & venialis : quod certè sancto Basilio tribui non potest. Additur etiam in editione Antuerpiensi Commentarius S. Basilii in 16. capita Isaiæ Prophetæ : & alia quædam minutiora, tum in ea editione, tum in aliis adduntur.

A

Dissertatio Historica.

Sanctus Basilius, Cappadox (*a*) meritò Magnus appellatus, qui plures annos S. Gregorii Nazianzeni Athenis, & in solitudine comes individuus, Cæsareæ in Cappadocia, quæ prius Mazaca dicebatur, Archiepiscopus creatus est die Junii 14. Dominica anni 369. Arianis, ipsique Valenti Augusto sæpè restitit, multisque exantlatis pro fide Catholica laboribus, ad meliorem vitam transiit Kalendis Januarii anni 378. nono mense ante Antiochenam Synodum ejusdem anni Octobri celebratam, teste S. Gregorio Episcopo Nysseno, ejus fratre,

B

in vita S. Macrinæ utriusque sororis. De eo, ejusque scriptis S. Hieronymus in Chronico, & in Catalogo cap. 116. S. Gregorius Theologus epist. 38. in Oratione de ejus laudibus, & alibi, Theodoretus libro 4. Hist. Eccles. cap. 19. & in Præfatione in Cantica Canticorum, SS. Augustinus & Gaudentius, Photius, Suidas, Trithemius, aliique. Bellarminus Latinam Basilii operum editionem anni 1540. exhibuit, nos Græco-Latinam Parisiensem anni 1618. omnium absolutissimam breviter pro more nostro repræsentabimus.

Tomo I. continentur.

C

Homiliæ IX. in Hexaemeron, Interprete Joanne Argyropylo, recognitæ per Godefridum Tilmannum Carthusiæ Parisiensis Monachum (*b*) Quæ verò à quibusdam adduntur X. & XI. non sunt Basilii, qui testibus S Gregorio Nysseno, S. Hieronymo, & Suida, nihil de hominis opificio egit, & IX. dumtaxat de opere sex dierum Homilias sumpsit, sed vel à S. Gregorio Nysseno, vel ab aliquo alio fuerunt adjectæ, ut opus integrum appareret. (*c*)

Homiliæ XXII. in quosdam Psalmos, eodem Godefrido Tilmanno interprete. *Diversæ Homiliæ num.* 31. Desiderio Erasmo Roterodamo interprete. *De Baptismo libri duo. De vera, atque integerrima Virginitate*, ad Letojum Melitensem Episcopum, Ambrosio

D

Camaldulensi Monacho interprete.

In Isaiæ capita sexdecim Commentarii, eodem Godefrido Tilmanno interprete, cum ejusdem prolixa præfatione, qua meritò invectus est in Erasmum temerariis suis censuris sincera quæque fœdantem. Quod verò ad Rivetum spectat, Erasmi sordes, ac quisquilias magno studio, atque impensis corradentem dicemus in Examine.

Tomo II. continentur.

Adversus Eunomium hæreticum libri V. Georgio Trapezuntio interprete.

E

De Spiritu Sancto ad Amphilochium liber, Desiderio Erasmo interprete, cujus præcipitem de hoc libro censuram Heterodoxi mangones plurimi faciunt, & tueri hactenus tamquam pro aris focisque conati sunt. Sed Strophas eorum rectè elusit Fronto Ducæus initio eruditissimarum notarum, quos consule, interim dum nostrum Heterodoxorum Coci, Riveti, similisque farinæ Criticorum Examen in lucem prodeat. Equidem actum est de fanatica eorum doctrina, si quæ de Traditionibus in hoc libro leguntur à Sanctissimo Præsule verè fuerunt conscripta. (*d*)

Ascetica, *& Ethica*, interprete Adamo Fumano, & recognita studio Godefridi Tilmanni, cum *fusius disputatis*, *iisdemque compendiosè expositis animadversionibus adversus Canonicos*, *& Canonicas delinquentes*, *Constitutionibus Monasticis &c.* Photius codd. 144. & 191. Regulas breviores ipsi etiam Basilio vindicat, nec

nec difficile erit refellere rationes, quibus Garetius, & nonnulli alii ex Sozomeno libri tertii Hist. cap. 14. Nicephoro Callisto lib. 9. Historiæ cap. 16. & lib. 13. cap. 29. Eustathio Sebasteno illas supponere conantur. Vide Baronium anno Christi 361. num. 51. & Notas R. P. Frontonis Ducæi. Quod verò Gregorius Presbyter in vita S. Gregorii Nazianzeni asserit, ab eo, & S. Basilio Constitutiones Monasticas conscriptas esse, vereor, ut de his intelligi debeat quæ ad nos usque pervenerunt.

Epistola ad Chilonem discipulum ex Monacho Anachoretam. Godefrido Tilmanno interprete. *Epistola ad Monachum lapsum, & ad Virginem lapsam*. Wolfango Musculo interprete.

Ad Amphilochium Canonica epistola. Gentiano Herveto interprete. Vide Joannem Zonaram ac Theodorum Balsamonem.

Epistolæ SS. Basilii Magni, & Gregorii Theologi CCXIV. Guillelmo Budæo, Jacobo Micræo, Flaminio Nobilio, aliisque interpretibus. Notandum epistolam 80. non differre à Tractatu Sancti Gregorii Nysseni de Trinitate ad Eustathium Medicum, proindeque ruere argumentum, quo Rivetus contendit probare Commentarios in Isaiam non esse Basilii.

Aliæ CCXIV. ejusdem S. Basilii Epistolæ à Richardo Montacutio Anglo interprete, tunc primùm in lucem emissæ.

In Appendice continentur:

Conciones morales numero XXIV. de vita & moribus, ex omnibus D. Basilii libris industria Simeonis Magistri & Logothetæ selectæ interprete Simeone à Maille Archiepiscopo Turonensi. Eædem etiam seorsim in 8. Parisiis, & alibi ex alterius versione prodierunt.

De Grammatica exercitatione libellus Gilberto Cognato Noozereno interprete cujus ἀκρισία non satis exagerari potest, cùm Moschopuli Grammaticæ compendium pro genuino S. Basilii fœtu eruditis obtrudere molitus est. Vide Crusium in Turco-Græcia, Theophilum in Erotematis aliosque.

Tractatus, sive epistola de Consolatione in adversis, Latinè tantùm, incerto, sed antiquo interprete.

De Laudibus eremi, sive Vita solitariæ encomium, non fuit ex Græco S. Basilii contextu translatum, cum fragmentum sit delibatum ex cap. ultimo libri, quem *Dominus vobiscum* inscripsit Petrus Damiani, qui anno 1072. obiit.

Admonitio ad filiam spiritualem. Latinè tantùm incerto interprete.

Inseritur Gennadii Scholarii P. C. P. *Epistola de Prædestinatione* ad Josephum Monachum Thessalonicensem, à Federico Morello Latinè reddita, & cum Græco textu vulgata.

Sequuntur Notæ R. P. Frontonis Ducæi Burdegalensis, è Societate JESU Theologi, cum variis Lectionibus in Asceticos, & quosdam alios S. Basilii libros.

In Magna Bibliotheca Veterum Patrum.

Homiliæ in Hexaemeron, G. & L. Eustathio interprete, Tomo I. col. 1467.

Liturgia S. Basilii, G. & L. ex interpretatione Gentiani Herveti Aurelianensis, Canonici Remensis, Tomo XII. pag. 381. & in Auctarii G. L. Tomo II. ex editionibus Græca Parisiensi Guillelmi Morelli ann. 1560. & Veneta apud Alexandrum Bruciolum an. 1548.

Ejusdem Liturgia, Latinè tantùm Tomo VI. col. 1.

Anaphora ejusdem, ex Syriaca lingua traducta per Andream Masium Bruxellensem ibid. col. 13.

A *Precatio, qua idem S. Basilius solebat uti apud Deum sacris operaturus*, ibid. col. 22.

Alia Liturgia, ex Arabico conversa à Victorio Scialagh Accurensi Maronita è Monte Libano, ibid. col. 75. quas Deo dante à calumniis Philippi Mornagi, Riveti, similiumque Heterodoxorum vindicabimus. (*e*)

(*a*) Vel ut alii ex Helenoponto Provinciæ Ponti oppido patre Basilio, qui Sacerdos postea fuit, & Eumelia parentibus nobilibus ortus, fratribus Petro Sebastæ & Gregorio Nyssæ Episcopis, dictus Christianorum Philosophus, & Philosophorum Christianissimus, Ecclesiæ columna, & firmamentum, Fidei columen, & regula veritatis, Spiritus S. Domicilium,

B oculus orbis, Mediator Dei, & hominum &c.

(*b*) Eustathius vir disertus Latinè reddidit, & Syncleticæ Diaconissæ germanæ suæ dicavit. Vide Cassiodorum libro Institutionum Divinarum cap. 1. Bedam præfatione Commentariorum in Genesim, quos Typographi sub nomine Junilii Afri publicarunt, & Sigebertum Gemblacensem cap. 21. Catalogi scriptorum Ecclesiasticorum.

(*c*) Duos illos sermones ad Basilii, qui ut verbis Cassiodori utar, usque ad hominis conditionem novem libros tetendit, Hexaemeron adjectos dicitur vertisse Latinè Dionysius Exiguus Abbas Romanus. Vide eumdem Sigebertum cap. 27.

(*d*) Infensissimus Baronii hostis Exercitatione XVI.

C hæc habet: Locus Basilii est in capite 27. libri ad Amphilochium de Spiritu Sancto. Nam ut hoc obiter dicam, Erasmo non assentior, qui partem postremam ejus libri suspectam habuit: parum memor Joannem Damascenum bis ejus meminisse, & τριακοντα κέφαλον librum nominasse; quia in capita divisus esset triginta, ut hodieque dividitur. Omitto nunc graves illas causas, quæ me movent. Basilius igitur in eo libro ritus sacros aliquot commemorans non è Scripturis derivatos, sed Apostolica traditione acceptos inter prima exempla &c.

(*e*) Albertinus ait Basilii Liturgiam Acatholicis esse valdè suspectam eò quòd Græca, quæ nunc habemus, non conveniant nec cum Latina veteri Trans-

D latione, nec cum ea quam è Syriaca lingua Andreas Masius vertit, sed multo prolixior sit. Is fuit, inquit, perpetuo hominum in religione sensus, ut intra præscriptas à Patribus cæremonias quantumvis sanctissimas sese continere pauci potuerint, unde pro temporis tractu ad illas pro vario Antistitum pietatis affectu alia, atque alia addita, multa etiam mutata videre est. Ipse tamen ut oculatior, sic interdum æquior cæteris Symmystis suis, ex ea argumentum ducit, & à validissimis Cardinalis Perronii solutionibus, quamvis pro more suo insulsissimè vindicare conatur. Nos aliàs ex S. Gregorio Nazianzeno, ejusque scholiaste Nicolao Heracleensi Metropolita, S. Proclo Archiep. C. P. Leontio scholastico, aliisque plu-

E ra Deo dante.

SUPPLEMENTUM.

BASILIUS re, & cognomento Magnus, decursis in urbe Atheniensi studiorum spatiis, ad philosophandum solitudinem aptiorem ratus, in Eremum cum Gregorio Nazianzeno se se contulit, quo nemo illi conjunctior ob studiorum, animorumque similitudinem, ac nec fratrum quidem suorum ullus charior. Habuit fratres duos ob morum probitatem, & doctrinam inclytos *Gregorium, & Petrum*, illum Nyssæ, hunc Sebastæ Episcopum; aliosque duos anonymos Monasticen professos, cum sororibus, quæ sæculum & ipsæ nuntio remisso abjecerunt. Cæterùm S. Basilius Eusebio defuncto anno 370.

370. Cæſarienſis creatus Epiſcopus, cùm annis octo, & menſibus aliquot præfuiſſet anno ineunte 379. Kalendis Januarii in Domino obdormivit, Martyrologio Romano, & Menologio Græcorum, ad eumdem diem adſcriptus. Ex veteribus plerique omnes doctrinam, & eloquentiam D. Baſilii extollunt, ejuſque honorificam mentionem habent. S. Hieronymus in Chronico, & in Catalogo cap. 16. ſanctus Gregorius Nazianzenus epiſtola 8. 38. & in Oratione quam de laudibus ejus habuit, & alibi. Theodoretus libro 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 19. & præfatione in Cantica Canticorum, Sancti Auguſtinus, & Gaudentius, Photius in ſua Bibliotheca Codd. 128. 141. 142. 143. 144. 191. Philoſtorgius in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica, Suidas, & alii. Bellarminus Latinam Baſilii operum editionem anni 1540. exhibuit, & Labbeus Græco-Latinam Pariſienſem anni 1618. duobus tomis in fol. Nos ultimam Pariſienſem Græcè & Latinè 3. in fol. tomis anno 1638. apud Claudium Sonnium, via Jacobæa ſub ſcuto Baſileenſi.

Tomo I. continentur.

Hom. IX. in Hexaemeron pag. 1. Hom. XVII. in quoſdam Pſalmos pag. 107. Hom. XXXI. de Diverſis pag. 276. De Baptiſmo lib. 2. 548. De vera Virginitate liber 1. 609. Adverſus Eunomium Hæreticum lib. 5. 695.

Tomo II.

Commentarius in Iſaiam Prophetam pag. 1. De Spiritu Sancto ad Amphilochium liber 279. Aſcetica, & Ethica pag. 366. cum Proœmiis de vera & pia fide pag. 384., & de Judicio Dei pag. 392. poſt quæ ipſa capitula Ethica ſequuntur pag. 405. De Inſtitutionibus Monachorum ſermones duo 508. Regulæ fuſius diſputatæ. 525. Regulæ compendiosè expoſitæ. 608. Animadverſiones adverſus Canonicos. 740. Conſtitutiones Monaſticæ. 745. Pœnæ incerti Auctoris in Monachos delinquentes. 804.

Tomo III.

Epiſtola ad Chilonem diſcipulum, 1. Ad Monachum lapſum, 9. Ad Virginem lapſam, 13. Epiſtola Canonica ad Amphilochium, 19. Epiſtolæ S. Baſilii Magni, & Gregorii Theologi CCXIV. pag. 41. & ſeqq. Aliæ Epiſtolæ S. Baſilii CCXIV. interprete Richardo Montacutio 230. & ſeqq. Conciones Morales XXIV. de Vita, & moribus Chriſtianis, à Simeone Magiſtro, & Logotheta ex libris S. Baſilii Magni excerptæ, pag. 445. Sancti Baſilii libellus de Grammaticæ exercitatione, 592. Epiſtola conſolatoria in adverſis, 613. De laudibus Eremi, 621. Admonitio ad filium ſpiritualem. 624. Notæ, & variantes Lectiones, quibus varia loca emendantur. 633.

Commodius autem, meo quidem judicio, in proxima editione, ſic omnia S. Baſilii Cæſarienſis Archiepiſcopi opera diſtribuerentur in tres tomos, quorum primus eſſet *Homiliarum*; ſecundus *aliorum ejuſdem librorum & tractatuum*; tertius *epiſtolarum*, additis ad ſingulos tomos, quæ noviſſimè ſub nomine S. Baſilii edita ſunt opuſculis; hoc ordine.

Tomus I. Homiliarum.

Hom. IX. in Hexaemeron ex interpretatione Joannis Argirophyli, & recognitione Godefridi Tilmanni Carthuſiæ Pariſienſis Monachi. Eædem Homil. IX. in Hexaemeron, quæ Græcè, & Latinè

A Euſtathio interprete ad Syncleticam Diaconiſſam leguntur in magna Bibliotheca Veterum Patrum Editionis Pariſienſis anni 1644. tom. 1. pag. ſeu fol. 1467. ex interpretatione vetuſtiſſima, de qua Caſſiodorus. Hom. XVII. in quoſdam Pſalmos. 107. Homil. XXXI. de diverſis argumentis, 276. quibus addere potes Homilias Morales tomi Secundi. Homiliam ſeu ſermonem de abdicatione rerum, tomo 2. pag. 370. De Cultu, ſive Exercitatione Monaſtica, pag. 382. Aſcetica, ſeu de Inſtitutionibus Monachorum ſermones duo, pag. 508. & 515.

Denique poſt ſermones duos *de Jejunio* pag. 276. & 286. Homiliam, ſeu ſermonem de eodem, quem cum altero *in Proverbiorum cap. 6.* ex manuſcriptis

B Codd. Regio, & Colbertino, edidit Joannes Baptiſta Cotelier Societatis Sorbonicæ Theologus, & linguæ Græcæ Profeſſor Regius, tom. 1. pag. 28. & ſeq. veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ, apud Franciſcum Muguet anno 1677. Pariſiis in 4.

Tomus II. Librorum, ac Tractatuum.

Adverſus Eunomium hæreticum lib. 5. to. 1. pag. 695. De Baptiſmo libri duo, ibidem pag. 548. De vera, & illibata Virginitate liber pag. 609. Commentarius in Iſaiam Prophetam pag. 1. tomi ſecundi. De Spiritu Sancto ad Amphilochium liber pag. 297. Prologus Aſceticorum, & Ethicorum pag. 366. cum opuſculis

C de vera ac pia Fide pag. 384. & de judicio Dei pag. 392. ad proœmium Ethicorum ſpectantibus, inde ipſa Ethica pag. 405. cum indiculo præcedente.

Regulæ fuſius diſputatæ pag. 525.

Regulæ Brevius ſeu compendiosè expoſitæ pag. 608. Has porrò Regulas ex veteri translatione Latina Ruffini Aquilejenſis Presbyteri, cum prologo ad Urſejum Abbatem, habes in Collectione Regularum Holſtenii parte prima fol. 95. & ſeqq.

Conſtitutiones Monaſticæ pag. 745.

Animadverſiones in Canonicos peccantes pag. 740. cum pœnis in Monachos delinquentes pag. 804. incerti Authoris, quæ inſcriptione carentes inter Baſilii ſcripta repertæ ſunt, ſed quas alii opinantur eſſe

D ipſius S. Baſilii.

Tomus III. Epiſtolarum, & aliorum adjunctorum.

Epiſtolæ ſub nomine ſancti Baſilii CCCCXXXII. de quibus ſuprà egimus, quibus addantur *Epiſtolæ XII. mutuæ Baſilii, Apollinaris, & Libanii*, quas ex variis manuſcriptis Codicibus Bibliothecæ Regis Chriſt. edidit Joannes Bapt. Cotelier, de quo jam ſupra T. 2. pag. 84. & ſeqq. veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ apud Franciſcum Muguet, anno 1681. Pariſiis in 4. Item Amphilochii Baſilio pag. 99. quæ XII. eſt Baſilium reſpectans.

Liturgia S. Baſilii Græcè, & Latinè ex Interpre-

E tatione Gentiani Herveti Aurelianenſis, Canonici Remenſis tom. XII. pag. 382. Magnæ Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Pariſienſis anni 1644. & in Auctario Græco-Latino Frontonis Ducæi anni 1624. tom 2. ex editionibus Græca Pariſienſi Guillelmi Morelli anni 1560. & Veneta apud Alexandrum Bruciolum ann. 1548. *ejuſdem Liturgia* Latinè tantum, tom. 6. ejuſdem Bibliothecæ pag. 1.

Alia Liturgia, ex Arabico converſa à Victorio Scialagh Accurenſi Maronita, è Monte Libano ibidem col. 75.

Anaphora ejuſdem ex Syriaca lingua traducta per Andream Maſium Bruxellenſem, ibidem columna 13.

Precatio qua idem S. Baſilius ſolebat uti apud Deum, antequam ſacra operaretur, ibidem col. 22.

Admonitio S. Baſilii ad filium ſpiritualem. Latinè tantùm

tùm pagin. 624. Habetur autem eadem Admonitio ex veteri Manuscripto latino, antiqui interpretis Anonymi, sed ordine aliquantulum meliori, in appendice ad Codicem Regularum Lucæ Holstenii pag. 20. Impressus Codex in 4. Parisiis anno 1663. apud Ludovicum Billaine in Aula Palatii.

Conciones Morales XXIV. de Vita, & Moribus Christianis, à Simeone Magistro, & Logotheta excerptæ ex libris Sancti Basilii Magni. Hic meo quidem sensu rectus ordo operum S. Basilii, qui meliorem inveniet hic Sanctum Doctorem honorabit.

De Andrea Episcopo Cæsarea.

ANDREAS Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, vir doctus, scripsit *Commentaria in Apocalypsim*, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum, tomo primo editionis secundæ. Quando vixerit non est omninò certum, sed hoc loco eum posuimus, quia post S. Basilium, Episcopus Cæsariensis fuit, eumque sæpè citat, & omnium consensu antiquus scriptor habetur, ex quo Aretas Cæsariensis compendium suum decerpsit in Apocalypsim.

Dissertatio Historica.

ANDREÆ Cæsariensis in Cappadocia Archiepiscopi extat in Bibliothecis Veterum Patrum ac seorsim etiam editus Græcè, & Latinè.

Commentarius in Apocalypsim cum R. P. Theodori Peltani Soc. JESU Theologi interpretis adscriptis ad marginem summariolis.

Quo vixerit tempore nondum compertum est eruditis, nec veterum quisquam ejus, quod saltem viderim, audiverimque mentionem fecit. Bellarminus, aliique post eum ad annum circiter 500. referunt. Hoc unum certum est ante Aretam Cæsariensem pariter Antistitem, qui ex eo suas in eamdem Apocalypsim commentationes concinnavit, uno minimum, alterove sæculo floruisse.

De S. Andrea cognomento Hierosolymitano, quod Damasco oriundus, Monasticam Hierosolymis vitam fuerit professus, postmodum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diacono, ac demum Cretensi Archiepiscopo, dicendum erit cùm explicabuntur scriptores, quos Bellarminus prætermisit. (*a*)

(*a*) Sixtus Senensis arbitratus est claruisse ante mille annos, hoc est anno circiter 600. mendosè omnino, si verum est quod refert Miræus ex Coccio anno 540. floruisse Aretam.

Idem Sixtus Andream Homiliarum, sive Orationum variarum Auctorem in duos dividit, ac I. Andream Cretæ Episcopum vocat, eique tribuit plures sermones, atque in primis celebrem in Lazarum quatriduanum Homiliam. II. verò Hierosolymitanum appellat Episcopum eique adsignat luculentissimam orationem in Deiparæ Virginis Annunciationem, ac salutationem ex Lucæ capite primo, quæ incipit: *Adest hodie gaudium omnium.*

De Andrea Hierosolymitano. 720.

Supplementum.

ANDREAS Damasco oriundus, dictus Hierosolymitanus ob Monachismum in his regionibus professum, Cretensis postea Archiepiscopus, atque (ut quidam censent Docti) pro more Græcorum ab Archiepiscopatu Cretæ ad Cathedram Cæsareæ Cappadociæ translatus, floruit circa annum 720. mortuusque fertur die 14. Junii anni 724. inde corrigendus error multorum qui illum sæculo sexto adsignant. Multa de illo Triodium Græcorum quæ refert Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 182. sed quæ falsa sunt, oreque pleno fabulas Græcorum sapiunt. Scripsit *Homilias plures*, quas hinc & inde collectas evulgavit Franciscus Combefis Ordinis FF. Prædicatorum, Parisiis in fol. anno 1644. græcè & latinè apud Simeonem piguet, via Jacobæa sub signo Prudentiæ. Addidit in Auctario græcæ Sanctorum Patrum Bibliothecæ, quod duobus tomis in fol. evulgavit anno 1648. sumptibus Antonii Berthier via Jacobæa sub signo Fortunæ, ad præcedentem Collectionem *Orationes duas in Sancta Maria Nativitatem* tom. I. pag. 1289. quarum secunda est in Bibliotheca Sanctorum Patrum sub nomine sancti Germani Constantinopolitani; atque etiam aliam in *Decollationem sancti Joannis Baptistæ* pag. 1327. Item tom. 2. p. 235. *Eucharisticum Carmen* ad Agathonem Diaconum ob Acta sextæ Synodi Oecumenicæ ad eum missa, unde collegimus eum vixisse Agathonis hujus temporibus, circa annum 724. & ulteriùs. Hoc etiam Eucharisticum Carmen insertum Collectioni Conciliorum editionis ultimæ Parisiensis anni 1671. Habentur *duæ Orationes Græco-latinæ* hujus Andreæ Cretensis sive Jerosolymitani in *Exaltationem sanctæ Crucis*, apud Jacobum Gretzerum tomo 2. de Cruce, cujus Opus nobile & amplum impressum est in 4. Ingolstadii variis tomis anno 1610. Item ejusdem *Computus* græcè & latinè cum Uranologio Dionysii Petavii edito Parisiis in fol. anno 1630. apud Sebastianum Cramoisy, via Jacobæa sub Ciconiis. Ejusdem denique (si tamen idem est, qui successivè Cretensis ac Cæsariensis Archiepiscopus factus sit) *Commentarius in Apocalypsim B. Joannis* græcè & latinè per Theodorum Peltanum cum Notis Sylburgii in fol. typis Commelini 1596. tumque iisdem typis anno 1603. græcè & latinè cum Operibus sancti Joannis Chrysostomi. Denique latinè tantùm interprete eodem Peltano Ingolstadii anno 1584. in 4. Porrò qui unum eumdemque faciunt Andream Cretensem Archiepiscopum cum Cæsareensi, innituntur solis conjecturis. Volunt enim proclive fuisse Aretæ Cæsareensi, ut ex Cretensi Cæsareensem faceret ad honorandam patriam; unde negant consequenter fuisse unum eumdemque Andream, utriusque Sedis successivè Archiepiscopum: sed dictum ab Areta Cæsareensi Andream Cæsareensem, quem Cretensem appellare debuerat. Sanè cùm Aretas qui Commentarium scripsit in Apocalypsim circa annum 912. (scripsit enim etiam *Acta sancti Euthymii Patriarchæ Constantinopolitani* anno 911. ad cœlos translati) Andream suum à quo sumpsit plurima, habeat velut Auctorem uno aut altero sæculo à se antiquiorem: rectè consequenter in unum idemque tempus incidunt Andreas Cæsareensis & Cretensis, ac forsitan in eumdem coeunt, qui successivè utramque Sedem tenuerit pro more Græcorum, & qui nunc Cretensis, nunc Jerosolymitanus, nunc Cæsareensis vocatus sit. De Andrea Cretensi Possevinus in *Apparatu sacro*, Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 182. pag. 216. Bibliothecæ Ecclesiasticæ: Franciscus Combefis locis citatis, tam in præliminaribus specialis suæ editionis Operum Andreæ, quàm in Auctario suo Græco-latino anni 1648. ad Bibliothecam Sanctorum Patrum, & in Apparatu ad Bibliothecam Concionatoriam prævio, verbo *Andreas Cretensis*.

De S. Gregorio Nazianzeno. 370.

SANCTUS GREGORIUS Episcopus Nazianzenus, cognomento Theologus, S. Basilii æqua-

æqualis & ſtudiorum comes, floruit ſub Valente, & anno 11. Theodoſii obiit, teſte Sancto Hieronymo de Script. Eccleſ. Multa ſcripſit, in quibus ſapientiam cum eloquentia mirificè copulavit: quæ extant Coloniæ edita, anno Domini 1570. hæc ſunt:

Libri ſcripti ſoluta Oratione.

Apologetici lib. 4. *Orationes ad diverſos*, 3. *Orationes funebres*, 7. *Oratio in laudem Heronis Philoſophi*, 1. *Orationes de pace*, 3. *Orationes ſive libri de Theologia*, 5. *Orationes in Julianum Imp.* 2. *Ad Clidovium epiſtolæ*, 2. *Orationes in dies feſtos*, 7. *Tractatus de fide*, 1. *Tractatus de fide Nicænæ Synodi*, 1. *Orationes variorum argumentorum*, 17. *Ad virginem exhortatio*, 1. *Metaphraſis in Eccleſiaſten.* 1. *Epiſtolæ* 80.

Carmina.

Tragœdia, *Chriſtus patiens*, 1. *De rebus ſuis*, 2. *De variis argumentis veteris*, *& novi Teſtamenti*, 9. *De Virginitate inſigne carmen*, 1. *De præceptis à Virgine ſervandis*, 1. *Spiritualia epigrammata*, 13. *Sententiarum ſpiritualium carmine ſcriptarum libri* 3.

Obſervatio in opera S. Gregorii.

Oratio in laudem Heronis Philoſophi, debet inſcribi, in laudem Maximi Philoſophi, ut teſtatur S. Hieronymus in libro de Script. Eccleſ. in Gregorio Nazianzeno, ubi reprehendit eos, qui mutaverunt nomen Maximi in nomen Heronis.

Metaphraſis in Eccleſiaſten non eſt Gregorii Nazianzeni, ſed Gregorii Thaumaturgi, ut ſupra oſtendimus. Tragœdia Chriſtus patiens, non videtur habere gravitatem ſolitam Nazianzeno, præſertim cùm deſcribitur ejulatus matris Chriſti, quæ prudentiſſima, & conſtantiſſima erat.

Dissertatio Historica.

Sanctus Gregorius, cognomento Theologus, Nazianzi in Cappadocia natus, Athenis operam dedit ſub Libanio, aliiſque Sophiſtis cum S. Baſilio circa annum 354. Poſt aliquot annos reverſus ex ſolitudine in patriam, Soſimorum factus eſt à S. Baſilio Cæſarienſi Archiepiſcopo Epiſcopus, quibus relictis (*a*) vivo adhuc patre adminiſtravit Nazianzenam Eccleſiam, unde Nazianzeni cognomen ei adhæſit. Inde Valente Auguſto Arianorum fautore mortuo, Conſtantinopolim venit anno 379. ubi paſtorali per aliquod tempus functus officio, occaſione excitatorum à Timotheo Alexandrino Patriarcha, aliiſque Præſulibus tumultuum in Concilio Conſt. Generali ſponte ſeceſſit Nazianzum anno 382. ibique plerumque ruri vixit uſque ad annum Chriſti 389. Theodoſii Imp. undecimum, quo obiit, vel die Maii 7. ex Martyrologio Romano, vel die 25. Januarii & Græcorum Menologiis. De eo plura S. Hieronymus cap. 117. ubi opera ejus ad triginta millia verſuum acceſſiſſe, ſeque eo magiſtro Scripturas explanante didiciſſe aſſerit, & alibi ſæpè, ſummus ejus amicus S. Baſilius epiſt. 141. & alibi, Ruffinus lib. 2. & alii Scriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tum Græci, tum Latini, S. Auguſt. S. Leo, Gelaſius, S. Gregorius Papa, Vincentius Lirinenſis Simeon Metaphraſtes, Leo Imp. Conſtitutione 88. Suidas, Honorius Auguſtod. Trithemius, & ex recentioribus Eraſmus, Billius, Baronius, &c. ex quibus retundas impurum os Martini Kemnitii Lutherani, qui cap. 11. Theol. Jeſuic. deblaterat Nazianzenum apoſtrophis ſuis floridis magis, &

A Rhetoricis, quàm Theologicis, occaſionem dediſſe multis ſuperſtitionibus.

Bellarminus in recenſendis S. Gregorii Nazianzeni operibus mancam admodum ſequutus eſt, multiſque partibus imperfectam, editionem Colonienſem anni 1570. Nos verò Græco-Latinam Pariſienſem anni 1609. omnium abſolutiſſimam exhibebimus in duos tomos diſtinctam, cum doctiſſimis Nicetæ Serronii, Pſelli, Nonni, & Eliæ Cretenſis commentariis, interprete Jacobo Billio Prunæi S. Michaelis in Eremo Archimandrita, viro ob ſingularem diligentiam, ac pietatem numquam ſatis commendando, ex qua cæteræ deinceps prodierunt.

B *Tomo I. continentur.*

Vita S. Gregorii Nazianzeni. 1. *Apologeticum de fuga ſua in Pontum.* 2. *Oratio poſtquam Presbyter factus eſt.* 3. 4. *Invectivæ duæ in Julianum Imp.* 5. *Oratio ad Patrem ſuum Gregorium*, *& Baſilium Magnum poſt reditum ex fuga.* 6. *Oratio ad Gregorium Nyſſenum Baſilii fratrem.* 7. *Apologeticus ad Patrem ſuum præſente Baſilio Magno*, *cum Saſimorum Epiſcopus creatus eſt.* 8. *Oratio ad Patrem*, *cùm ei curam Eccleſiæ Nazianzenæ commiſiſſet.* 9. *De ſuis ſermonibus*, *ad Julianum tributorum exæquatorem.* 10. *Oratio funebris in laudem Cæſarii fratris*, *ſuperſtitibus adhuc parentibus.* 11. *Oratio funebris in laudem ſororis ſuæ Gorgoniæ.* C 12. 13. 14. *Orationes tres de Pace.* 15. *In plagam grandinis.* 16. *De pauperum amore.* 17. *Ad cives Nazianzenos gravi timore perculſos*, *& Præfectum iraſcentem.* 18. *In laudem S. Cypriani Martyris.* 19. *Oratio partim funebris in laudem patris ſui mortui partim conſolatoria ad matrem Nonnam præſente S. Baſilio.* 20. *Oratio funebris in laudem S. Baſilii Cæſareæ Archiepiſcopi.* 21. *Oratio in laudem Magni Athanaſii Alexandrini Epiſcopi.* 22. *In Machabæorum laudem.* 23. *In Laudem Heronis*, ſeu potius Maximi, *Philoſophi Alexandrini.* 24. *In Ægyptiorum adventum.* 25. *Ad Arianos*, *& de ſe ipſo.* 26. *De moderatione in diſputationibus ſervanda.* 27. *Ad eos*, *qui ipſum Cathedram Conſt. affectare dicebant.* 28. *Oratio cùm rure in urbem* D *rediiſſet poſt ea*, *quæ à Maximo fuerant perpetrata.* 29. *De dogmate*, *& conſtitutione Epiſcoporum.* 30. *In electione Eulalii*, *Doarenſium Epiſcopi.* 31. *In illud*: Cùm conſummaſſet Jeſus hos ſermones &c. 32. *Oratio in præſentia CL. Epiſcoporum habita.* 33. *&* 1. *De Theologia adverſus Eunomianos.* 34. *&* 2. *De Theologia.* 35. *&* 3. *De Theologia*, ac 1. *De Filio Dei.* 36. *&* 4. *De Theologia*, ac 2. *De Filio Dei.* 37. *&* 5. *De Theologia*, atque unica *de Spiritu Sancto* 38. *Oratio Panegyrica in Chriſti Nativitatem.* 39. In Sancta Lumina. 40. In Sanctum Baptiſma. 41. In Paſcha, & in tarditatem. 42. Secunda in Paſcha. 43. In nonam Dominicam. 44. In ſanctam Pentecoſten.

E 45. *Ad Evagrium Monachum de Divinitate.* Hanc non eſſe germanam S. Gregorii Naz. arbitratur Petavius Tomo I. Theologicorum Dogmatum libro 2. cap. 6. n. 3. tum ob ſtyli diſſimilitudinem, tum quòd pedeſtris illius ac plebejus ſermo minimè Nazianzeni elegantiam, & granditatem redoleat.

46. *Ad Nectarium Conſt. Epiſcopum.*

47. *Significatio in Ezechielem*, quam aut illius non eſſe, aut certè ab eo non editam cenſet Billius, ejuſque ſimiolus Rivetus, qui etiam Morelli annotationem tacito ejus nomine deſcripſit.

48. *Oratio in laudem Martyrum*, *& adverſus Arianos.* Latinè tantùm.

49. *Tractatus de Fide.* Latinè tantùm ex verſione Ruffini Presbyteri Aquilejenſis. Hìc quoque Morelli notam ſuffuratus eſt Rivetus, qui hìc, ut in aliis

alieno jecore sapit, non suo, nisi cùm calumnias, & mendaciorum probrorumque plaustra in Orthodoxos convectat. Modestior paulò est Hottingerus, qui lacinias Riveti in compendium pressit.

50. *Tractatu de fide Nicæna.* Eodem interprete, de quo videndus idem Morellus.

51. 52. *Epistolæ duæ ad Clodonium Presbyterum.*

Metaphrasis seu translatio in Ecclesiasten. Quam esse Gregorii Thaumaturgi ex Hieronymi Catalogo de Scriptoribus Ecclesiasticis, & in Ecclesiastæ cap. 4. ex Ruffino libro 7. cap. 24. aliisque docuerunt Billius, Bell. aliique Catholici, qui facem prætulerunt Riveto, similisque farinæ Heterodoxis.

Epistolæ ejusdem S. Gregorii Nazianzeni num. 232. cum scholiis ejusdem Jac. Billii. (*b*)

Appendix ad primum Tomum.

Oratio in Sanctos Martyres, & contra Arianos, Græcè. Nicolaus Faber V. C. excerptum esse teste Morello censuit ex aliqua B. Joannis Chrysostomi oratione fragmentum, quod hianti ore illicò devoravit hostis SS. PP. Rivetus εὐρὺ κακοδαίμονος στόμα καὶ τοῦ ᾅδου βαθὺ φρέαρ.

Epistolæ decem S. Gregorii. Græcè & Latinè interprete Fed. Morello.

Testamentum S. Gregorii Eucherio & Evagrio Coss. pridie Kal. Januarias G. & L. interprete Jacobo Sirmondo Soc. Jesu. Presbytero: quod à Baronio aliisque viris eruditis probatum labefactare conatus est Rivetus, sed quia in eo, ut subjungit vir profligatæ fidei, reperit nihil dogmaticum, evertere noluit, cujus beneficii magna semper apud nos vigebit gratia, ἀλλ᾽ ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα καὶ οὐκ ὀνήσιμα.

Notæ in Vitam S. Gregorii Nazianzeni, ejusque
53. Orationes, & Epistolas.

Tomo II. continentur.

Vita S. Gregorii Nazianzeni ab ipso scripta Jambico carmine. Græco-Latinè eodem interprete Jacobo Billio S. Michaelis in Eremo Abbate. *Carmen* 1. *de rebus suis, & cohortatio ad piam vitam, & Christo dignam. In laudem Virginitatis, Carmen* 2. *cujus Sanctus Hieronymus meminit in Catalogo. Præcepta ad Virgines, Carmen* 3. *De animæ suæ calamitatibus, Carmen lugubre* 4. *De suis calamitatibus, Carmen* 5. *De hujus vitæ vanitate &c. Carmen* 6. *De suis ærumnis* 7. *Ad seipsum per interrog. & resp.* 8. *In somnium de Anastasiæ templo Const.* 9. *De diversis vitæ generibus, & adversus falsos Episcopos* 10. *Ad Episcopos* 11. *Ad Const. Episcopos, & ipsam urbem* 12. *De humana natura* 13. *De vilitate hominis & rerum vanitate* 14. *De vitæ itineribus* 15. *Beatitudines, & spiritualis vitæ regulæ* 16. *Jusjurandum Gregorii* 17. *Adversus carnem* 18. *Adversus Diabolum* 19. *Sese cohortatur ut ad Deum mentem convertat* 20. *Carmen quo Diabolum avertit, ac Christum invocat* 21. *Luctus* 22. *Ad animam* 23. *De humanæ vitæ fragilitate* 24. *Aliud de eodem argumento* 25. *De Dei desiderio* 26. *Carmen lugubre pro anima sua* 27. *Luctus* 28. *Carmen supplex* 29. *Epitaphium, & Epitome vitæ ipsius* 30. *Carmen pœnitentiale, & deprecatorium* 31. *Adversus diabolum* 32. *De veris & germanis Scripturæ libris* 33. *Ægypti plagæ* 34. *Mosis Decalogus* 35. *De duodecim Patriarchis* 36. *De duodecim Apostolis* 37. *De Christi Genealogia* 38. *Miracula Christi secundùm Matthæum* 39. *Christi parabolæ, & Ænigmata secundùm Matthæum* 40. *Christi miracula secundùm Joannem, & Lucam* 41. 42. *Parabolæ secundùm Lucam* 43. *Miracula secundùm Marcum* 44. *Parabolæ quatuor Evangelistarum* 45. *Ad Monachos in cœnobio degentes* 46. *Ad Hellenium pro Monachis admonitorium carmen* 47. *Ad Julianum* 48. *Ad Nicobulum Patrem, Nicobuli filii nomine* 49. *Nicobuli Patris ad filium* 50. *Ad Vitalianum filiorum nomine* 51. *In divitem malè moratur* 52. *Precatio ad Christum peregrè profecturi* 53. *De silentio quod jejunii tempore coluit* 54. *Hymni ad Christum post silentium in Paschate* 55. *Paræneticum carmen ad Olympiadem Virginem nubilem* 56. *De seipso post reditum ex urbe Const.* 57. *De virtute humana* 58. *Ad fictos Monachos* 59. *Ad Diabolum in morbo* 60. *Ad Nemesium* 61. *Sententiæ distichis versibus constantes* ἀκροστιχικῶς 62. *Adversus mulieres ambitiosius sese exornantes* Fed. Morello interprete 63. *Basilii Magni Epitaphia*, eodem int. 64. *Sententiæ Distichis Jambis constantes* 1. *De vita humana* 2. *De fortuna, & prudentia* 3. *Tetrasticha* 59. 4. *De principiis seu principio* Carmen 1. *De Filio Carmen* 2. *De Spiritu Sancto Carmen* 3. *De mundo* 4. *De providentia* 5. *De substantiis mente præditis* 6. *De anima* 7. *De Testamentis & adventu Christi* 8. *De pudicitia Jambicum* 1. *Ad suam animam* 2. *Supplicatio ad Christum* 3. *Lamentatio ad Christum* 4. *Alia oratio ad Christum* 5. *Precatio matutina* 6. *Lamentatio vespertina ad Christum* 7. *Oratio postridiana* 8. *Ad seipsum* 9. *Aliud ad Christum* 10. *Ad Diabolum* 11. *Ad eumdem* 12. *Ad animam suam* 13. *Lamentatio* 14. *Lamentatio altera ad Christum* 15. *Alia lamentatio* 16. *Ad Diabolum* 17. *Aliud ad Diabolum* 18. *Lamentatio ad Christum* 19. *Alia Lamentatio* 20. *Precatio in morbo* 21. *Lamentatio* 22. *Alia Lamentatio* 23. *Sermocinatio cum mundo* 24. *In vitæ exitum* 25. *De vita humana* 26. *Heroici versus* 27. *Pauli cujusdam Epitaphium Anacreonticis metris* 28. *Ad Sigantium Eremitam* 29. *De patientia* 30. *Admonitio* 31. *Oratio ad Christum in morbo* 32. *Oratio alia* 33. *Ejusdem Elegiacum* 34. *Oratio ad Christum* 35. *In secessionem* 36. *De patientia* 37. *De desiderio* 38. *De morte charorum* 39. *De malis amicis* 40. *De eadem re* 41. *Ad Virginem* 42. *Ad suam animam*, Anacreonticum carmen. *Hymnus ad Deum*, Anacreonticis metris. *Monosticha*, secundùm ordinem Alphabeti. *De se ipso adversus invidos* ἀκροστιχικῶς Jambicum 1. *De providentia*. Jambicum 2. *Ad Seleucum* Jambicum 3. quod ab aliis Amphilochio Iconii Episcopo tribuitur, repugnante Billio, qui phrasis Gregorii nostri cothurnum planè resipere contendit, & in Græco codice, à quodam verbis Græcis annotatum observat. *Epigramma in templum Eliæ* Jamb. 4. *Ad Christum* Jamb. 5. *Ad eumdem* Jamb. 6. *Adversus brutam animæ partem* Jamb. 7. *De Philosophica paupertate* Jamb. 8. *Admonitio ad seipsum* Jamb. 9. *Ad Deum* Jamb. 10. *Vitæ finem optat* Jamb. 11. tamen Latinè. *De seipso* Jamb. 12. *Ad Christum* Jamb. 13. *Ad Diabolum* Jamb. 14. *Definitiones minus exactæ* Jamb. 15. *In sepulchrorum effossores* Jamb. 16. *Eliæ miracula* Jamb. 17. *De Virtute* Jamb. 18. valdè prolixum. *Comparatio vitarum* Jamb. 19. *Dialogus adversus eos, qui frequenter jurant* Jamb. 20. *Adversus iram* Jamb. 21. prolixum. *Adversus opem amantes* Jamb. 22. *De seipso* Jamb. 23. *Senarii adversus Apollinarium de Incarnatione* Federico Morello interprete. *Ejusdem Senarii in suos versus* eodem int. *Ad Maximum* Jambici eod. int. *Ad non amicos. In nobilem malè moratum. In invidos. De castitate* Anacreontici. *Hymnus ad Deum. Ad Christum.*

Tragicomædia Christus patiens, à Claudio Roilleto Belnensi versibus Latinis exposita. Possevinus, Bellarminus, Baronius, Theophilus, aliique Catholici Nazianzeno ereptam tribuunt Apollinari Laodiceno, aut cuivis alteri Poetæ Christiano, ut minus necesse sit Deum Accaron Beelzebub consulere, hoc est, ad Perkinsos, Cocos, Rivetos, similesque Heterodoxos sciscitatum oracula mittere.

Ad Virgines exhortatio, versibus Trochaicis Tetrametris

metris catalectis, quos Jambicis Senariis expressit Federicus Morellus.

De Episcopis, & de hominum ingratitudine querela, Latinè tantùm ex libro Cygneorum carminum Gregorii à Joanne Leunclavio editorum, Basileæ anno 1571. apud Hervagium.

Eliæ Cretensis Metropolitani Commentarius in orationem Gregorii Theologi, cui Scholia Billii interpretis sunt inserta. Eorumdem Commentarii in duas invectivas Nonni collectio, & expositio profanarum Historiarum, quarum S. Gregorius meminit in utraque invectiva. Scholia Billii in Orationem 5. In 6. ex Græco Nicetæ Metropolitani Heracleensis à Billio collecta. Scholia Billii in Orationes 7. & 8. In 9. Scholia magna ex parte ex Nicetæ Commentario à Billio collecta. Eliæ Metrop. Cretensis in Orationes 10. & 11. cum scholiis Billii. Billii scholia in Orationes 12. 13. & 14. In Orationem 15. ex Græco Nicetæ. Ejusdem Nicetæ Commentarius in 16. Billii scholia 17. In 18. ex Niceta à Billio maxima ex parte collecta. In 19. Eliæ Cretensis Commentarius cum scholiis Billii. In 20. ex Niceta, & Nonno Monacho. Ex Niceta in 20. & 22. In 23. & 24. Eliæ & Billii scholia. In 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. Jac. Billii. In 32. ex Nicetæ Commentariis. Billii scholia in Theologicas 5. Nicetæ in 38. 39. & 40. Commentaria. In 41. & 42. Commentariis Nicetæ ex Psello & Billio nonnulla inserta. Nicetæ ejusdem in 43. 44. Billii scholia in 44. 45. 46. 47.

Eliæ Cretensis in Epistolas ad Cledonium quæ numerantur 51. & 52. orationes, quibusdam à Billio insertis.

In Metaphrasin Neocesariensis, Non Nazianzeni, breviffima ejusdem Billii scholia: paulò verò largiora in Nazianzeni vitam ab ipso Jambicis scriptam, & alia carmina pleraque.

In carmen 13. de humana natura scholia ex Cyro Niceta, & in quatuor sequentia.

Ad carmen 38. de Christi genealogia, 47. 48. 49. 51. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. Jacobi Billii scholia.

In sententias distichis constantes Cyri: in alias Jambis expressas Billii scholia.

Cyri Nicetæ Dadybrensis Episcopi Comm. in Tetrasticha cum Billii scholiis, & in Carmina de Principio, Filio, & Spiritu S. &c.

In Jambica Billii scholia, ejusdemque interpretatio soluta quatuor ejusdem Gregorii Poeticorum opusculorum, maximè illius, quo in mulieres καλλωπιζομένας invehitur, cum scholiis.

Joannes Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis testatur Baptistam Guarinum Veronensem, Guarini doctissimi viri filium, vertisse è Græco in Latinum sermonem Orationes nonnullas S. Gregorii Nazianzeni ad Christum & Mariam, quas certè excusas nondum vidi.

(*a*) Sunt enim qui Sasima numquam adiisse dicant, saltem repudiatis, vivo &c.

(*b*) Ad Theodorum scriptæ epistolæ non sunt ad Theodorum Mopsuestenum, ut credidit Facundus Hermianensis libri 7. cap. 7. sed ad Theodorum Episcopum Tyanensem in Cappadocia secunda, ut docet Justinianus Imperator in edicto de Fide ad Jo: II. Papam.

De S. Damaso. 367.

SANCTUS DAMASUS Romanus Pontifex anno sexto Theodosii obiit, & scripsit *de Virginitate*, & alia, quorum meminit sanctus Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Sed vera ejus scripta non extant, exceptis paucis epistolis, quarum aliquæ sunt inter epistolas S. Hieronymi, aliquæ in

A historia Theodoreti lib. 2. cap. 22. & lib. 5. cap. 10. & 11. Tribuitur S. Damaso *liber de vitis Pontificum*, qui extat in primo tomo Conciliorum: sed liber ille est Anastasii Bibliothecarii, non Damasi, ut notum est.

Dissertatio Historica.

SANCTUS DAMASUS, Romanus post Liberium Pontifex ab anno 367. ad annum 384. sedit per annos 17. menses duos, & dies 28. atque ad superos abiit die 11. Decembris propè octogenarius Theodosio seniore imperante. Meminerunt ejus S. Hieronymus cap. 103. de Scriptoribus Ecclesiasticis (ubi ele- B gans ejus in componendis versibus ingenium celebrat, & multa quidem sed brevia opuscula Heroico metro edidisse testatur) & alibi sæpè præsertim in Chronico & Epistolis, S. Athanasius in Epist. ad Africanos anno 307. scripta, S. Ambrosius Ep. 30. Optatus lib. 2. Ruffinus libri 2. cap. 10. S. Aug. ep. 164. Severus Sulpitius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, ut recentiores omittam, atque ex Ethnicis Ammianum, Symmachumque, & Impp. rescripta.

S. Damasi opera, quæ extant, ac vitam ex mss. codicibus edidit Romæ anno 1639. Federicus Ubaldinus, cum Notis Martii Milesii Sarrazanii J. C. Romani, cujus studio fuerant collecta. Præmittuntur *Carmina de variis argumentis num.* 40. Sequuntur *Epi-* C *stolæ, earumque fragmenta* ex codice Epistolarum S. Hieronymi, ex Theodoreti Historia, Conciliorum Tomis, & Decretorum Collectoribus depromptæ: de quibus, aliisque quibusdam omissis proclive est cuivis erudito judicium ferre, nec opus est ad Blondellum, similesque Heterodoxos accedere.

Scitè verò omisit *librum de Romanis Pontificibus*, quem vulgò plerique hac ætate Anastasio Bibliothecario vindicant, licèt immeritò. Etsi enim librum illum adjectis ad priores multorum Pontificum Vitis auxerit ac locupletarit, non potuit tamen auctor esse prioris partis, cùm viderim mss. Codicem optimæ notæ tempore Caroli Magni exaratum, in quo vitæ illæ Damaso jam tum tribuebantur, antequam aut D natus esset Anastasius, aut saltem ex primis infantiæ crepundiis emersisset. Quòd verò Damasum Papam parentem non agnoscant, vel inde mihi fit manifestissimum quod S. Hieronymus aliquot post Damasi obitum annis texens Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum sola Pontificis illius carmina commemoret, non præteriturus haud dubiè tam insigne opus, si ejus auctor ipse fuisset, ut missa faciam quæ congerunt alii. Neque mihi eruditius sapere videntur qui cum Papyrio Massono adscribere moliuntur Damaso nescio cui Portuensi Episcopo. Vide Bar. Binium, Possevinum, Miræum, Vossium, similesque ex quibus sua pro more corrasit Rivetus, cujus à Claudio Salmasio acceptum impudentissimum men- E dacium de Jesuitis Moguntinæ editionis anni 1602. procuratoribus pellucet ipsum per se se collatum cum antiquis mss. Codicibus, atque editione Regia anni 1649. studio V. C. Caroli Annibalis Fabroti peracta, tum à Davide Blondello earumdem partium scriptore, cum Fabula Joannæ Papissæ, quæ Salmasium, ut à summis ejus amicis accepi (*a*) incucurbitaverat, appositissimè confutatum est.

(*a*) Petro, & Jacobo Puteanis patribus judicio ac eruditione præstantibus, qui miseram amici sui vicem sæpè dolebant.

De Faustino Diacono. 367.

FAUSTINUS DIACONUS vixit tempore Damasi Pontificis & bis schismaticus fuit

semel in schismate Ursicini contra Damasum, & iterum in schismate Luciferianorum, ut testantur Gennadius de viris illustribus, & Cardin. Baronius tomo 4. Annalium, ad annum Damasi I. & Syricii IV. placuit tamen eum in hoc Catalogo ponere, quoniam scripsit *ad Flacillam Imperatricem libros 7. contra Arianos* satis eruditos, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 4. edit. 2.

DISSERTATIO HISTORICA.

FAUSTINUS, ex Gennadii cap. 16. Presbyter, aliis dumtaxat Diaconus, scripsit ad personam Flacillæ Reginæ Theodosii Magni Imperatoris uxoris *adversus Arianos & Macedonianos, libros septem*, qui extant Tom. IV. Magnæ Bibliothecæ Parisiensis hoc titulo: Gregorii Bœtici Elliberitanæ sedis Antistitis liber de Trinitate, sive de Fide, adversus Arianos, cum Epistola ad Flacillam, eaque mutila. Verùm Faustino quem sub Damaso ejusque successore Syricio vixisse constat, opusculum illud esse asserendum omnes eruditi existimant post Trithemium, qui anno 390. claruisse asserit.

Extat quoque à Sirmondo nostro anno 1650. editus ejusdem Faustini ac Marcellini, seu Marcelliani Luciferianæ factionis signiferorum libellus, circa annum 384. oblatus Imperatoribus Valentiniano, Theodosio, atque Arcadio adversus Damasum Papam pro Ursicino Antipapa, cujus idem, qui supra, Gennadius meminit. De Marcellino verò consule, si vacat, caput ultimum Auctoris incerti, qui ad Isidorum, & Ildefonsum brevem de duodecim scriptoribus Appendicem subjecit.

De sancto Epiphanio. 370.

SANCTUS EPIPHANIUS Salaminæ Cypri Episcopus, floruit sub Valente, Gratiano, & Theodosio Augustis. Scribit S. Hieronymus in libro de Scriptor. Eccles. Epiphanium anno quartodecimo Theodosii adhuc superfuisse, & in extrema etiam senectute libros scripsisse.

Opera ejus hæc extant.

Opus panarium contra omnes hæreses, quæ tunc ad octoginta numerabantur. *Liber inscriptus Ancoratus. Anacephalæosis, sive summa panarii. De mensuris & ponderibus liber. Historia brevis de Prophetarum vita. Ad Joan. Episcopum Hierosolymitanum epistola* à S. Hieronymo latinitate donata. De his operibus nulla dubitatio est. Dicitur Epiphanius scripsisse vitam Sancti Hilarionis: sed ea non extat. Ad finem epistolæ ad Joannem Hierosolymitanum videtur aliquid additum ab Iconoclastis: de qua re vide Controversias nostras lib. 2. de Sanctis cap. 9.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS EPIPHANIUS, Eleutheropoli Palæstinæ oppido oriundus, Constantiæ, seu Salaminis in Cypro insula Episcopus, floruit sub Juliano, Valente, Gratiano, Theodosio, atque Arcadio Imperatoribus, ab anno 301. ad 403. quo obiit die 12. Maji valdè senex; πεντάγλωττος ob quinque linguarum peritiam merito appellatus, & à sanctis Patribus sæpè multumque commendatus. De eo S. Hieronymus tum in epistolis, Apologia 2. ad Rusticum, & alibi, tum capite 114. Catalogi, quem scribebat anno Theodosii 14. Christi 392. Sanctus Augustinus lib. de hæresibus ad Quod-vult-Deum, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Nicephorus, Photius Codd.

A 122. 123. & 124. Suidas &c. atque ex recentioribus Baronius Cardin. & R. P. Dionysius Petavius Soc. JESU qui omnia illius opera ex veteribus libris recensuit, pleraque Latinè vertit, animadversionibus uberrimis illustravit, ac duobus Tomis Græcè simul ac Latinè excudenda curavit Parisiis anno 1622. (a).

Priore tomo continentur.

Opus insigne adversus LXXX. Hæreses quod *Panarium* sive *arcula* inscribitur: quem librum scribebat anno Valentis 13. Christi 376. ut docet Hæresi 66. cap. 20. ex interpretatione Dionysii Petavii.

B *Posteriore tomo continentur.*

Ancoratus ἀγκυρωτὸς in cap. 3. distributus Petavio interprete. *Anacephalæosis*, sive eorum, quæ in Panario dicta sunt, summa comprehensio, eodem interprete. *De mensuris & ponderibus* eodem interprete. *Physiologus*, interprete & scholiasta Consalvo Pontio de Leon. *De duodecim gemmis, quæ erant in veste Aaronis*, Interprete Jola Hierotarantino. Ejusdem libri Epitome *de duodecim lapidibus Rationali Sacerdotis infixis*: interprete Francisco Turriano Soc. JESU.

De vita Prophetarum eorumque obitu & sepultura, interprete Petavio, cui ψευδεπίγραφον esse persuaserunt sexcentæ mendaciorum nugæ, quibus ille liber
C refertus est, nec aliud judicium fuerat Joannis Rainoldi, ejusque Simiolorum Perkinsi, Coci, & Riveti, quamquam non ignorem à multis excipi solere; non esse omnia Hieronymo, veteribusque Patribus subtrahenda, in quibus Thalmudica commenta, & Hebraicæ quædam δευτερώσεις continentur. Vossius veteres hujus libelli non meminisse causatur, nec satis Epiphanio dignum judicat, quem jam olim Albanus Torinus G. & L. edendum curaverat Basileæ anno 1529. tum deinde Joachimus Zehenerus, superintendens Lutheranus Schleusingæ in quarto anno 1612.

Orationes VIII. quæ Epiphanii nomine sucum faciunt, inquit Petavius, satis, cum stylo ipso, tum aliis quibusdam indiciis alterius vel Epiphanii, vel
D Auctoris, se se esse declarant. Cumque præter hunc duo fuerint Epiphanii in Cypro insula Episcopi, horum alteri, vel ambobus, vel minus denique pótius quàm Epiphanio seniori orationes illas tribuendas monet. Sunt autem hæ:

1. *In festum Palmarum*, interprete Consalvo Pontio. 2. *In Christi sepulturam*, interp. Stanislao Phœnicio. 3. *In Christi Resurrectionem*, interp. Dionysio Petavio. 4. *De Christi Assumptione*, interp. Theodoro Peltano Soc. Jesu. 5. *De Laudibus B. Mariæ Virginis*, interprete Joanne Pico Canonico B. Mariæ Parisiensis, & Classium Inquisitoriarum in supremo Senatu Præside. 6. *In festo Palmarum*, interp. Petavio. 7. *De Numerorum mysteriis*, eod. interp. 8. *De Christi Resur-*
E *rectione*, Latinè tantum, interprete Gerardo Vossio, Præposito Tungrensi.

Epistola S. Epiphanii ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum Latinè reddita, ut creditur à S. Hieronymo, & inter ejus opera sæpius edita. De ea vide Bellarminum lib. 2. de Imaginibus, Baronium anno 392. aliosque.

Vita S. Epiphanii Græcè & Latinè incerto interprete.

Animadversiones in Epiphanium eruditissimæ R. P. Dionysii Petavii, in quibus multa habentur ad Chronologiam, & Antiquitates Ecclesiasticas spectantia.

(a) Citatis adjunge Theophilum Patr. Alex. epistola 67. inter Hieronymianas, Cyrillum cap. 19. vitæ S. Euthymii, ubi eum non à patria, sed ab Episcopatu Cyprium vocat, Facundum Hermianensem

ſem lib. 4. cap. 2. Aretam in Apocalypſim, Damaſcenum oratione 1. de Imaginibus, Sixtum Senenſem &c. Michael Glycas Parte 3. Annalium pag. 213. editionis noſtræ Græcolatinæ Epiphanium Presbyterum ab Epiſcopo diſtinguit, eique tribuit orationem de impollutæ B. V. Mariæ Nativitate.

De Philone Carpathio. 374.

PHILO CARPATHIUS à S. Epiphanio Epiſcopus ordinatus eſt, ut in vita S. Epiphanii legitur. Scripſit *Commentaria in Cantica canticorum* quæ extant in primo tomo Bibliothecæ ſanctorum Patrum, ſecundæ editionis. Sed videntur multa inſerta ex Commentario ſancti Gregorii Papæ in Cantica, quæ cum reliqua explicatione non multum cohærent.

DISSERTATIO HISTORICA.

PHILO, CARPATHI inſulæ Aſiatico tractui adjacentis, à qua Carpathium mare dictum eſt, Epiſcopus à S. Epiphanio, ut in ejus vita ſcripta à Polybio dicitur, ordinatus illius urbis Antiſtes imperantibus jam Arcadio, & Honorio fratribus Auguſtis: ideoque ſaltem vixiſſe inter annos 395. & 403. fatendum eſt. Quo verò anno obierit non conſtat.

Commentarius in Cantica Canticorum ad Euſtratium Presbyterum, & Euſebium Diaconum, qui nomen ejus præfert in Bibliothecis Veterum Patrum, interprete Stephano Salutato ſeu Salvato Piſcienſi, non eſt modò ſincerus, pluribus aliunde admixtis à recentiore aliquo interpolatore, præſertim ex Commentariis S. Gregorii Papæ in Cantica, quæ cum reliqua interpretatione haud multum cohærent, ut notarunt poſt Martinum Delrium Soc. JESU Theologum ejuſdem Societ. duo clariſſima lumina Poſſevinus, & Bellarminus: necnon Joannes Maria Braſichellanus O. P. Magiſter Sacri Palatii in Expurgatorio Indice Romano anni 1607. Certè Philonem Carpathium ſcripſiſſe in Cantica Canticorum teſtis eſt Suidas in Lexico, idque evincunt Veteres ex Patribus connexæ Catenæ, in quibus hujus non infrequentia fragmenta occurrunt. Videnda quoque interpretis ad Nicolaum Bargileſium Epiſtola nuncupatoria.

SUPPLEMENTUM.

PHILO CARPATHI Inſulæ, quæ Aſiatico tractui adjacet, Epiſcopus circa annum 396. floruit, de quo ſufficienter agunt Bellarminus, & Labbeus occaſione cujuſdam commentarii falsò ei adſcripti. Huic igitur *Commentarium in Cantica Canticorum* ad Euſtratium Presbyterum, & Euſebium Diaconum Stephanus Salvatus Piſcienſis Interpres attribuit, ſed perperam. Verus enim Philonis hujus Commentarius, cum illa interpretatione veteri, cujus meminit Caſſiodorus libro de divinis Inſtitutionibus cap. 5. habetur mſ. in Bibliotheca clariſſimi viri Domini Emerici Bigotii Rotomagenſis, quem dare optat in lucem publicam.

De S. Ambroſio Mediolanenſi. 374.

SANCTUS AMBROSIUS Epiſcopus Mediolanenſis vir planè ſanctiſſimus, & doctiſſimus, Gratiano, & Theodoſio Imperatoribus floruit. Obiit anno tertio poſt exceſſum Theodoſii qui erat trecenteſimus nonageſimus ſeptimus ab adventu Salvatoris, ex Card. Baronio.

Opera ejus in editione Pariſienſi, anni Domini 1549. qua ego utebar cum hæc ſcriberem, hæc ſunt:

Tomi Primi.

De Officiis, lib. 3. De Virginibus 3. Ad Virgines exhortatio 1. Inſtitutio Virginis 1. Ad Virginem devotam 1. Ad Virg. lapſam 1. De Viduis 1. De Pœnitentia 2. Exhortatio ad Pœnitentiam 1. De fuga ſæculi 1. De bono mortis. 1.

Tomi Secundi.

De vocatione gentium, lib. 2. De fide ad Gratianum 5. De Spiritu Sancto ad eumdem 3. De fide contra Arianos. 1. De Incarnationis Sacramento 1. De myſterio Paſchæ 1.

Tertii Tomi.

Oratio funebris de obitu Valentiniani. Alia de obitu Satyri. De fide Reſurrectionis Oratio. Alia de obitu Theodoſii. Epiſtolarum ad diverſos, lib. 10. Conciones ad Populum, 92.

Tomi Quarti.

Exameron, lib. 6. De Paradiſo 1. De Cain, & Abel 2. De Noe, & Arca 1. De Abraham patriarcha 2. De Iſaac, & Anima 1. De Jacob & beata vita 2. De Joſeph Patriarcha 1. De benedictionibus Patriarcharum 1. De Nabuthe Jezraelita 1. De Elia, & Jejunio 1. Te Tobia 1. De interpellatione Job, & David 3. Apologia David 1. De Salomone 1. De iis qui myſteriis initiantur 1. De Sacramentis 6. De Dignitate Sacerdotali 1. Precationes ante Miſſam 2. Commentarii in Pſalm. 1. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 43. 45. 47. 48. 61. & 118. Alia David Apologia. De interpellatione David.

Tomi Quinti.

In Evangelium Lucæ, lib. 10. In omnes epiſtolas Sancti Pauli commentaria. De fide reſurrectionis acephalus. Precationis piæ Hymni ſacri. Canticum ſanctorum Ambroſii & Auguſtini, quod incipit, Te Deum laudamus.

Obſervatio in Opera S. Ambroſii.

In primo tomo, Liber ad Virginem lapſam non videtur eſſe S. Ambroſii: nam cap. 8. ſic loquitur auctor. Inhære pœnitentiæ uſque ad extremum vitæ, nec tibi præſumas ab humana die poſſe veniam dari: quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit: quæ enim propriè contra Dominum peccaſti, ab illo ſolo te convenit in die Iudicii expectare remedium. Atqui hæc ſententia Novatianum errorem continet, & contra eam diſputat ſanctus Ambroſius in duobus libris de pœnitentia: quos libros indicat ipſe cap. 8. lib. 2. à ſe fuiſſe compoſitos, dum deſcribit, quo pacto à forenſi negotio ad ſacerdotium repente vocatus fuerat. Petrus quidem à Soto lect. 2. de neceſſitate confeſſionis libros duos de pœnitentia non audet affirmare eſſe S. Ambroſii: ſed communiter S. Ambroſio adſcribuntur.

In ſecundo tomo, libri de vocatione gentium falſo tribuuntur S. Ambroſio, cùm manifeſtè S. Proſperi ſint. Certè Ambroſii eſſe non poſſunt, cùm lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 8. diſputet auctor adverſus Pelagianos, qui poſt mortem S. Ambroſii exorti ſunt.

In tertio tomo, certum eſt aliquas epiſtolas & aliquos ſermones non poſſe eſſe Ambroſii. Nam in epiſtol. 84. quæ eſt ad Demetriadem, mentio fit Pelagianorum, qui (ut paulò ante dixi) Ambroſio noti

non fuerunt. Sunt etiam, qui epistolam 8. ad Vercellenses, S. Ambrosii esse negant, quod in ea fiat mentio Venetiarum, quæ tempore S. Ambrosii nondum conditæ erant. Sed falluntur: nam per Venetias eo loco non intelligitur civitas Venetiarum, sed regio: conjunguntur enim Venetiæ cum Liguria, & Æmilia: sic enim loquitur auctor in principio epistolæ, Ex omnibus Liguriæ, atque Æmiliæ Venetiarumque, vel cæteris finitimis Italiæ partibus, &c.

Sermones, nonus, tricesimus septimus, & septuagesimus secundus inveniuntur etiam inter sermones sancti Augustini. Item sermo *69*. qui est de S. Eusebio Vercellensi Episcopo, & sermo septuagesimus tertius, qui est de sancto Cypriano, inveniuntur etiam inter sermones sancti Maximi, sed verbis alicubi mutatis.

Sermones verò sequentes nempe 3. 14. 30. 31. 32. 44. 47. 50. 51. 52. 53. 54. *56*. 57. 58. *60*. *61*. *62*. *66*. 71. 77. 78. & 82. sunt ad verbum inter sermones sancti Maximi, ut planè judicare non possis, utrum Ambrosio, vel Maximo tribui debeant. Sed cujuscumque sint, antiqui, & Sancti auctoris sunt.

Sermo nonagesimus de passione B. Agnetis dubius redditur, quoniam sanctus Ambrosius libro 1. de Virginibus significat, Beatæ Agneti cervicem gladio amputatam. Stetit, inquit, oravit, cervicem inflexit. At illius sermonis auctor scribit, B. Agneti ad palum alligatæ, ut combureretur, cùm flamma divinitus extincta esset, jussu Aspasii judicis gladio guttur fuisse perfossum.

Sermo quoque nonagesimus secundus, de Baptismo S. Augustini, longissimè distat à stylo, & gravitate Ambrosii: neque ullo modo credibile est, quod in eo sermone dicitur, Ambrosium sæpè Deum orasse, ut eum à captionibus Augustini liberaret. Augustinus enim non disputando cum Ambrosio, sed eum concionantem audiendo ad fidem Catholicam conversus est, ut ipse idem testatur lib. 5. confess. cap. 13. & lib. *6*. cap. 1.

In quarto tomo Apologia David posterior, & liber etiam posterior de interpellatione David non videtur esse Ambrosii, tum quia stylus diversus est, & jam ante scripserat Ambrosius Apologiam David, & libros tres de interpellatione David, tum quia auctor posterioris Apologiæ negat, adulterium David fuisse verum adulterium, & allegoricè interpretandum censuit; Ambrosius autem in vera Apologia sua peccatum adulterii confitetur, sed laudat pœnitentiam.

In quinto tomo, sunt commentaria in epistolas sancti Pauli, quæ à multis non creduntur Ambrosii, nec sine causa.

Primò, quia Sanctus Augustinus, qui libenter, & frequenter Ambrosii testimoniis utitur contra Pelagianos, ex his commentariis nulla testimonia petit.

Secundò, quia Pelagius ipse, qui Ambrosii testimonia sancto Augustino objicere solet, ex his commentariis nihil objecit, cùm tamen in his commentariis sint non pauca, quæ Pelagii errores continere videntur, ut perspicuum est ex commentariis in epistolam ad Romanos.

Tertiò, quia auctor horum commentariorum multa exponit contra sententiam S. Ambrosii, quod planè perspiciet, qui conferre voluerit illud Philipp. 2. Qui cùm in forma Dei esset: explicatum in commentario hujus auctoris, cum explicatione Ambrosiana in epistol 47. & lib. 2. de fide cap. 4. & illud 1. Tim. 1. Regi sæculorum immortali: explicatum in commentario hujus auctoris, cum expositione Ambrosiana lib. 2. de fide cap. 1. & 3. & lib. 3. cap. 2.

Quartò, quia sanctus Augustinus lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4. citat sanctum Hilarium in expositione illorum verborum ad Rom. 5. in quo omnes peccaverunt: & sententia, quam sanctus Augustinus citat, habetur totidem verbis in commentario hujus auctoris: non igitur auctor hujus commentarii est Ambrosius, sed Hilarius Pictaviensis, aut Hilarius Arelatensis: nam iste auctor vixit tempore Damasi, ut ipse testatur in Commentario ad caput tertium prioris ad Timotheum: tempore autem Damasi Hilarius Arelatensis, aut natus non erat, aut adolescens erat: S. autem Hilarius Pictaviensis obiit anno quinto Valentiniani Imp. ex Hieronymo in Chronico: annus autem quintus Valentiniani erat secundus Damasi: non est autem credibile in extrema ætate tam ingens opus cudisse Hilarium, & stylus Hilarii cum stylo hujus auctoris nihil simile habet: Hilarius verò Arelatensis post Damasi tempora floruit. Credibile igitur est auctorem horum commentariorum esse Hilarium Diaconum Romanum, qui Luciferi schisma propagavit, & libros etiam non paucos scripsit, ut sanctus Hieronymus testatur in dialogo contra Luciferianos extremo. Neque mirum est, hunc Hilarium à sancto Augustino, sanctum Hilarium vocari, cùm nuncupatio Sancti tunc satis communis fuerit Christianis, præsertim Ecclesiasticis.

Postremò accedit, quòd idem videtur esse auctor horum commentariorum, & quæstionum veteris, & novi testamenti, quæ extant inter libros sancti Augustini: doctrina enim horum commentariorum, & illarum quæstionum simillima est, ut notaverunt Censores Lovanienses in notis ad Augustinum; stylus videtur etiam esse idem, & ætas mirificè consentit: auctor enim illarum quæstionum quæst. 44. scribit, ab excidio Hierosolymæ usque ad sua tempora fluxisse annos trecentos: quibus si addas annos à Nativitate Christi usque ad excidium Hierosolymæ erunt omnes anni 372. vel 373. ut ex Chronico S. Hieronymi apparet. Hoc eodem tempore sedisse Damasum Pontificem, sub quo auctor horum commentariorum scripsisse se memorat in explicatione capitis primi epistolæ prioris ad Timoth. notissimum est.

Quòd si auctor horum commentariorum idem sit cum auctore illarum quæstionum, planè efficietur auctorem horum commentariorum non esse Ambrosium. Ambrosius enim nihil scripsit antequam Episcopus fieret, neque factus est Episcopus ante annum Dom. 374. ut Card. Baronius in Annalibus docet. Ille autem auctor cùm scriberet, numerabat annum Domin. 372. vel 373. ut supra diximus.

In eodem tomo sunt hymni sacri, ex quibus aliqui certo sunt Ambrosii, ut ille, Deus creator omnium, Polique rector vestiens, &c. cujus meminit sanctus Augustinus lib. *9*. confess. cap. 12. & ille, Æterne rerum conditor Noctem diemque qui regis &c. cujus meminit idem Augustinus lib. 1. Retract. cap. 21. Aliqui certo non sunt Ambrosii, ut ille, Vexilla Regis prodeunt, qui est Fortunati, & alii quidam in quibus non servatur ratio metrica quæ Ambrosio notissima erat, ejusmodi est ille, Optatus votis omnium sacratus illuxit dies. Quo Christus mundi spes Deus conscendit cœlos arduos; & ille: Christe, qui lux es & dies, Noctis tenebras detegis, &c. Isti enim indigni videntur qui Ambrosio tribuantur. Canticum, Te Deum laudamus, Ecclesia in divinis officiis, Ambrosii, & Augustini canticum vocat; & extat Chronicum S. Dacii

Dacii Episcopi Mediolanensis, qui Justino imperante floruit, in cujus chronici libro primo cap. decimo, scribitur, completo baptismo S. Augustini, toto obstupescente populo repente canticum illud à sanctis Ambrosio, & Augustino alternatim fuisse cantatum,

Præter opera supra scripta, in editione Romana anni 1585. adduntur opera quædam sancto Ambrosio adscripta, quamvis ejus non sint, ut commentarius in Apocalypsim, & alia quædam, & rectè dicuntur ea opera non esse sancti Ambrosii, ac præsertim explicatio Apocalypsis, cum auctor mentionem faciat Longobardorum Italiam invadentium quæ invasio diu post mortem S. Ambrosii contigit.

Dissertatio Historica.

Ambrosius natus fuit seu Romæ, seu Treveris aut Arelate ad Rhodanum, ut quidam viri docti existimant, anno Christi 333. patre Ambrosio Præfecto Prætorio Galliarum missus ab Anicio Probo Mediolanum anno 369. ad gubernandas Insubriam, Liguriam, atque Æmiliam, post mortem Auxentii Hæretici Ariani creatus consensu omnium Mediolanensis Archiepiscopus, & consecratus die 7. Decembris anni 374. omnem ad fidem rectam convertit Italiam, ut ad annum Christi 375. Olympiadis 288. tertium, inquit in chronico S. Hieronymus. Ad Maximum tyrannum bis in Gallias Legatus profectus est annis 383. & 387. Dein, ne pluribus in percurrendis ejus præclarè gestis immorer, gloriosis pro Ecclesia Catholica perfunctus laboribus, sanctissimè obiit die 4. Aprilis, Sabbato sancto sub diluculum, seu, quod idem est, pridie Paschatis, quod in Nonas Aprilis incidit anno Christi 397. Cæsario, & Attico Consulibus, ætatis 64. Episcopatus 22. cum quatuor circiter mensibus. Errant proinde Miræus, aliique non pauci qui cum Marcellino Comite mortem S. Ambrosii differunt in annum sequentem Honorio IV. Augusti. & Eutychiano Consulibus. De eo, præter Paulinum Diaconum qui præsens morienti adfuit, multa SS. Basilius, Hier. Aug. Paulinus, Severus, Prosper, Cassianus, Theodoretus aliique, ex recentioribus Bell. & Baronius Cardinales, Theophilus Raynaudus in libello qui inscribitur Ambrosius succus cœlestis, &c. Ferdinandus Ughellus &c.

Omnia ejus opera in aliquot Tomos distincta Basileæ, Parisiis, Romæ, & alibi sæpius edita habentur, quibus admixta sunt nonnulla spuria, & suppositia, de quibus Sixtus Senensis, Possevinus, Bell. & alii Catholici, ne quis ad Cocum, Rivetum, Junium, similesque confugiat Calvini asseclas, qui nonnumquam Harpiarum more, sacra quæque attactu suo fœdare non verentur, ut planum pluribus faciemus in examine Heterodoxorum Criticorum.

Quia verò in recensendis mellitissimi Ambrosii operibus Bellarminus usus est editione Parisiensi anni 1540. quæ à Romana 1581. & seqq. jussu Gregorii 13. Papæ publicata, & Parisiensibus, quæ eruditorum modò teruntur manibus, omninò discrepat, operæ pretium visum est syllabum posteriorum illarum editionum præmittere, ut ad illum quivis observationes suas imposterum accommodare possit.

Tomo I. continentur.

Vita S. Ambrosii à Cæsare Baronio Sorano Presbytero Congregationis Oratorii collecta ad Felicem de Monte-alto Cardin. tit. S. Hieronymi. *Vita S. Ambrosii* à Paulino Presbytero ad B. Augustinum conscripta. *Hexaemeron* ideft de operibus sex dierum super primum caput Geneseos libri sex. (a) *De dignitate conditionis humanæ* super idem caput primum Genesis libellus. Examinantur duo dubia super idem caput Genesis *per duas Enarrationes ad Horontianum*. *De Paradiso* super caput 2. & 3. Genesis liber unus. *Paradisi locus* examinatur per enarrationem unam ad Sabinum. *De arbore interdicta* super caput 3. Geneseos libellus. *De Abel, & Cain* super caput 4. Geneseos libri duo. *De Noe & arca* super capp. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. Geneseos liber unus. *De Abraham Patriarcha* super capp. 12, 13. 14. 15. usque ad cap. 24 Geneseos libri duo. *De Isaac & Anima*, super caput 25. & 26. Geneseos liber unus. *De bono mortis* liber unus. *De Jacob & Beata vita* super capp. 27. 28. & seqq. usque ad caput 35. Geneseos libri duo. *De fuga sæculi* liber unus. *De Joseph Patriarcha* super cap. 37. 39. 40. & seqq. usque ad 46. Geneseos liber unus. *De Benedictionibus Patriarcharum* super cap. 49. Genesis liber unus. *In Exodi* capp. 8. 16. 26. 30. & 32. Annotationes. *In Levitici* capp. 10. 12. & 16. Annotationes. In Numerorum caput 23. Annotationes, & super caput 22. *de mansionibus* 42. *filiorum Israel*. Tractatus. *In Deuteronomii* cap. 22. Annotationes. *In libri secundi Regum* caput 11. Annotationes sub titulo *prioris Apologiæ David*.

Super caput 12. ejusdem libri secundi Regum Annotationes, quos sequitur *Posterioris Apologiæ David* liber unus, Quem librum Nicolaus Faber opusculo ultimo quod est ad Frontonem Ducæum, Possevinus, & Bellarminus nostri suppositum fuisse S. Ambrosio censent. Verùm rationes eorum diluit Theophilus Raynaudus tract. de librorum confixione pag. 123. quem consule.

De Elia & jejunio super capp. 17. 18. & 19. libri 3. Regum liber unus. *De jejunio Eliæ*, super iisdem capitibus tertii Regum sermo. *De Nabuthe Jezraelita* super caput 21. libri tertii Regum liber unus. *Sermones duo* super caput 6. libri 4. Regum.

Tomo II. continentur.

De Tobia seu adversus fœnoris, fœneratorumque pravitatem liber unus, Erasmus solita prurigine ut adulterinum rejicit. *De Job*, seu de interpellatione sancti Job libri duo. *In ejusdem libri Job* caput septimum sermo. *In Psalmos David* argumentum. Enarrationes in Psalmos 1. 21. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. seu de interpellatione Sancti David. 42. seu iterum de interpellatione Sancti David 43. 45. 47. 48. 50. seu de Apologia David. 61. 67. seu de interpellatione David. *Tractatus in Psalmum* 104. *Sermo in Psalmum* 109. *Sermo in Psalmum* 117. *Enarrationes* 22. *in Psalmum* 118. ad Hebraici Alphabeti partitionem.

In Proverbiorum cap. 30. sive *de Salomone* liber. Erasmus tradit argutum quidem esse, & eruditum, sed nonnihil dissonare à stylo Ambrosiano. (b)

In idem caput fragmentum enarrationis. *Enarratio in caput* 31. *Proverbiorum*, seu *de muliere forti*. *In caput quartum libri Ecclesiastes* ad Clericos exhortatio. *In caput tertium libri Ecclesiastici* sermones duo. *In caput primum Esaiæ Prophetæ* sermo. (c) *In caput* 52. *ejusdem Esaiæ* sermo. *In Hieremiæ caput* 16. enarratio. *In caput* 18. *Danielis Prophetæ* sermones duo. *In caput* 3. & 4. *Jonæ Prophetæ* enarrationes duæ. *In Michæam Prophetam* observationes duæ. *In caput* 1. & 2. *Aggæi Prophetæ* observatio. *In caput* 1. *Malachiæ Prophetæ* sermo.

Tomo III. continentur.

In Evangelium secundùm Lucam Commentaria decem libris divisa. *In Epistolæ Beati Pauli ad Romanos cap. 16. In prioris Beati Pauli ad Corinthios Epistolæ cap. 16. In posterioris ad Corinthios epistol. cap. 13. in Ep. ad Galatas cap. 6. in ep. ad Ephesios cap. totidem. in ep. ad Philippenses cap. 4. in ep. ad Colossenses cap. totidem. in ep. ad Thessalonicenses prioris cap. 5. in ep. secundæ ad Thessalonicenses cap. 3. in prioris ad Timotheum cap. 6. in posterioris ad Timotheum cap. 4. in epistolæ ad Titum cap. 3. in Epistolam ad Philemonem. in Epistolæ ad Hebræos capita decem, reliquis omissis.*

Cæterùm de Commentariis illis in Epistolas S. Pauli plura ubi de Hilario Diacono qui illorum verus auctor censetur ab eruditis, non secus ac Quæstionum Veteris ac Novi Testamenti, quæ excusæ sunt inter opera S. Augustini; quamquam de solis Commentariis in Epistolam ad Hebræos dubitaverit Usserius, quod excerpti sint ex Sancti Chrysostomi in eamdem Ep. Homiliis à Mutiano Latinè redditis. (*d*)

Tomo IV. continentur.

De Officiis libri tres. *In Symbolum Apostolorum tractatus. De Fide ad Gratianum Augustum libri quinque*, ex quibus nonnulla citavit Theodoretus in Polymorpho. *De Spiritu Sancto ad eumdem Gratianum Augustum* liber.

De Filii Divinitate, & consubstantialitate contra Arianos liber unus, quem Joannes Costerius docet esse S. Gregorii Nazianzeni ex epistola 3. S. Augustini ad Fortunatianum à S. Ambrosio Latinè redditum, ideoque inter ejus lucubrationes receptum. Alii malunt interpretem fuisse Ruffinum, qua de re non est acriter disputandum, cùm nihil de libri auctoritate inde minuatur. Sunt quoque qui Hegesippi nomine vulgatos libros quinque de Excidio Hierosolymitano, Ambrosio tribuant. Vide v. Hegesippus.

De incarnationis Dominicæ mysterio liber unus. De mysterio Paschæ libellus. De Paschalis celebritatis ratione enarratio ad Episcopos per Æmiliam constitutos. *De Satyri fratris obitu liber unus. De fide Resurrectionis liber unus* in ejusdem fratris sui Satyri obitu. *De initiandis liber unus.*

De Sacramentis libri sex à Ratberto, Ratramno, Lanfranco, Guitmundo, aliisque Catholicis tractatoribus jampridem laudati. Nos arrodere gestiunt Heterodoxi Censores. Sed eorum argutationibus respondebimus in Examine Criticorum à Catholica majorum suorum Religione apostatarum Coci, Albertini, Falcherii, Salmasii, Riveti, atque aliorum ejusdem factionis scriptorum qui cùm certò sciant horum librorum pondere obteri Calvinisticam impietatem apud omnes æquos judices, ideò adversus illos excipere moliuntur. (*e*)

De Sacerdotali dignitate liber unus, quem Anselmum potius quàm Ambrosium redolere scribit, nihil tamen audet definire laudatus supra Theophilus.

De Pœnitentia contra Novatianos libri duo quos Ambrosio vindicant adversus Petrum Soto in Institutione Sacerdotum, titulo de necessitate Confessionis, Lectione 2. Bellarminus noster, & Theophilus Raynaudus loco supracitato: cujus observationi adjungi velim & locum alterum S. Augustini desumptum ex libro 1. Operis perfecti, seu imperfecti contra Julianum, pag. 56. editionis à Claudio Menardo peractæ, & pag. 14. Tomi 2. supplementi operum S. Augustini à R. P. Hieronymo Viguerio vulgati, ut ob-

A struatur os Riveti qui Soto subscripsisse videri voluit.

De Virginis institutione liber unus ad Eusebium. *De Hortatione ad Virginitatem tractatus.*

De Virginis forma vivendi, ad Virginem devotam tractatus. Hunc arrodunt Virginitatis hostes impudici Novatores Perkinsus, Rivetus, similesque.

De Virginis lapsu ad Virginem lapsam tractatus, de quo ambigit Bellarminus post Possevinum.

De Virginibus ad suam sororem Marcellinam libri tres.

De Viduis liber unus, cui dentem maledicum impressit quoque Perkinsus, sed infelici planè successu.

B *De Vocatione omnium gentium* libri duo. Verùm de libris illis maximi sanè apud Catholicos momenti, dicitur suo loco in Prospero, cui eos Bellarminus aliique plurimi adscribunt, alii verò Hilario Prosperi adversus reliquias Pelagianorum socio, & collegæ, Erasmus non abhorrere à phrasi Eucherii.

Tomo V. continentur.

Sermones de Tempore. Conciones pro variis actionibus. Sermones de Sanctis.

Sermo de Purificatione B. Mariæ Virginis. Verùm de sermonibus aut suppositis, aut dubiis, consule Bellarminum: nec enim minutatim singula hìc enu-
C cleare licet. Si quis ardentius efflagitet, non negabimus operam.

Epistolarum libri octo. In quibus, quæ olim numero erat 84. ad Demetriadem non est S. Ambrosii, ut bene Bellarm. sed Prosperi, ideoque ab editione Romana rejecta.

Precationes duæ præparantes ad Missam: quas esse sancti Anselmi contendit P. Theophilus, ideoque tributas Ambrosio, quòd in msf. scriptum esset cum sola initiali litera: Orationes Sancti A. Episcopi.

Hymni diversis temporibus concinendi. (*f*) De Hymno Dominicali, Te Deum laudamus, consule quæ tum ex aliis, tum ex Hugone Menardo O. B. in Notis ad Ritum antiquum unctionis Regum Francorum,
D quem subjecit libro Sacramentorum Sancti Gregorii coacervavit R. P. Theophilus mox citatus. De aliis vide Bellarminum.

Libri & Tractatus S. Ambrosio adscripti.

1. *In Apocalypsim B. Joannis Apostoli Commentaria*, quæ Berengaudo quidam tribuunt. Non esse Ambrosii docent Sixtus, Possevin. Bellarm. Salmeron, & alii (*g*).

2. *De Vitiorum, Virtutumque conflictu ad Simplicianum liber*, quem alii pari falsitate tribuerunt Augustino, Leoni, aut Gregorio Magnis Pontificibus.

3. *Expositio Fidei*, sive *Niceni explicatio contra Arium*
E *& Photium*, cum notis Guillelmi Damasi Lindani Episcop. Ruremondæ. Verùm nihil aliud esse quàm Epitomem ex libro primo de Fide ad Gratianum concinnatam rectè monuit Baronius.

4. *De Spiritu Sancto* libellus, seu Fragmentum: de quo vide Possevinum, non secus ac de sequenti.

5. *De Concordia Matthæi, & Lucæ in Genealogia Christi describenda.*

6. *De Pœnitentia* liber, cum exhortatione ad peragendam pœnitentiam; & epistola, Cur Deus permiserit Monachum quemdam à Dæmone vexari. Non sunt Victoris Cartennæ in Mauritania Episcopi, ut quidam cum Possevino censuerunt, sed alterius Victoris Tunonensis in eadem Africa Episcopi, cujus extat Chronicon. Huic enim adscriptum legi in Codice Sanctæ Mariæ Remensis, & in altero Herival-

rivallenſis Monaſterii, locuples mihi teſtis fuit Sirmondus noſter ὁ μακαρίτης.

7. *De origine & moribus Brachmanorum Tractatus*. Vide Poſſevinum.

8. *Expoſitio in Cantica Canticorum* ex variis operum S. Ambroſii locis excerpta ab Antonio Monchiaceno Demochare Doctore Sorbonico.

9. *Sermo de Purificatione S. Mariæ*.

Notationes ex Petri Mannii, & aliorum ſcholiis ſelectæ, & ad illius editionis uſum accommodatæ; cum advertentiis Theologiæ Scholaſticæ, ſive Animadverſionibus Ferdinandi Velloſelli Epiſcopi Lucenſis Pariſienſi poſtremæ editioni anno 1642. adjectis.

(*a*) Seu potius quidam ad populum ſermones, ut notavit Sixtus Senenſis libro 4. mihi pag. 194. quam conſule; quod & eorum inſcriptiones in vetuſtiſſimis Codicibus indicant, & præfatiunculæ ipſæ demonſtrant ad præparandos auditorum animos inſtructæ: item perorationes in Doxologias deſinentes contra Ambroſii conſuetudinem, qui nullum ex libris ſuis ſic finire conſuevit &c. Quantum verò Sanctiſſimus ille Pater à tribunalibus, & adminiſtrationis infulis raptus ad Sacerdotium ex Philone, Hippolyto, Origene, Apollinario, Euſebio, Baſilio, ſimilibuſque Patribus profecerit docent tum alii, tum præcipuè S. Hieronymus, & ſub initium Apologiæ ad Pammachium & Marcellinum, & in epiſtola de erroribus Origenis. Nuper S. Ambroſius ſic Hexaemeron illius (Origenis) compilavit, ut magis Hippolyti, & Baſilii ſententias ſequeretur: Philonis quoque laciniis abundat &c.

(*b*) De tribus problematibus ſcitu difficillimis Eraſmus, Geſnerus, & quidam alii tradunt.

(*c*) Citat S. Aug. libro 2. adverſus Julianum, & lib. 4. contra ſecundam epiſtolam Pelagianorum.

(*d*) S. Hieronymus præfatione in librum Didymi de Spiritu Sancto innuit S. Ambroſium quædam ex eo mutuaſſe, unde occaſionem calumniandi arripuit Ruffinus libro 2. Invectivarum: qua de re plura Theophilus pag. 251. Operis de Calumnia.

(*e*) Albertinus editionis Latinæ pag. 507. tria, quatuorve profert argumenta quæ alias accuratius examinabimus.

I. Dicendi genus Ambroſii, inquit Sixtus Senenſis, prout rerum varietas expoſtulare videtur, varium eſt, ſed ubique lucidum ac perſpicuum eloquentiæ flumen effundens, ut ait Auguſtinus. Contra verò auctor librorum de Sacramentis ubique, locis iis exceptis quæ ex Ambroſio tranſcripſit, barbariſmis ſcatet: quorum quædam affert exempla, quæ nos cum aliis ejuſdem Sancti Viri locis conferemus.

II. Nonnulla levia habet, & ridicula, Ambroſianaque gravitate prorſus indigna, nonnulla repugnantia, & contradictoria, nonnulla etiam ſimpliciter falſa &c.

III. Aliam ſcripturæ verſionem ſequitur, quam Ambroſius.

IV. Bertramum, cujus temporibus libri hi primò apparuerunt à Paſchaſio citati, ſatis innuere, magnam in iis factam eſſe mutationem, cùm è primo libro varia proferat loca, quæ in eo nullo modo reperiuntur, ſed capitibus 8. & 9. libelli de his, qui myſteriis initiantur. Quamvis duo ex libro quinto adducat, quæ in eo ipſo libro unde citat inveniantur. Hæc ille de libris iſtis, quos tamen ſui immemor inter indubitata Ambroſii opera recenſet indice: nullum enim Lectori monitum adſcribit, quemadmodum in Commentariis in epiſtola S. Pauli, ubi hæc leguntur: Ambroſius ſeu potius Hilarius Diaconus; & de Fide contra Arianos, eſt Nazianzeni. Jugulat quoque ſe Albertinus ipſe producto in medium textu Sixti Senenſis libro quarto Bibliothecæ: ſi enim varius eſt Ambroſii ſtylus, & ut ſcribit Auguſtinus cap. 4. lib. 4. de Doctrina Chriſtiana de humilibus ſubmiſsè, de mediocribus temperatè, de magnis ſublimiter, pro rerum diverſitate, & dignitate diſſerere ſolet, quo tandem pacto colligi certo poteſt ex eo, quòd ſit aliqua ſtyli diſſimilitudo, non eumdem eſſe auctorem? Quid verò ſi interpolator aliquis, aut librarius nonnulla fortè admiſcuit in iis quæ ad controverſias inter Catholicos veritatis Euchariſticæ aſſertores, & umbrarum hæreticarum ſectatores agitari ſolitas nullatenus pertinent, ac inde continuò inferent Novatores cæteris omnibus, quæ ab octingentis, & mille, & quod excurrit annis, in ore omnium verſantur, & à doctrina indubitati apud omnes libri de iis qui initiantur myſteriis non diſcrepant, ut in pleriſque, vel ipſi ultro fatentur, detrahendam eſſe fidem? Parum certè intereſt modo Ambroſiana ſit in rebus ipſis ſententia, nihilque ab ea detractum ſit, eive additum, ſitne idem, an paulò mutatus verborum contextus ſi præſertim Eccleſiæ à pluribus ſæculis conſenſus accedat. Verùm ſentio me ſenſim ſine ſenſu extra præſcriptos limites abripi. Videndi quoque in Indice ſuo Nuperi Lectionum Euchariſticarum Collectores pag. 507.

(*f*) De quibus videſis Sanctum Auguſtinum cùm cap. 12. lib. 9. Confeſſionum, tum cap. 21. libri 11. Retractationum.

(*g*) Hæc primus edidit Cuthbertus Tonſtallus Ep. Dunelmenſis ex Cod. mſ. Bibliothecæ Corporis Chriſti in Academia Oxonienſi, cujus fini adſcriptum fuiſſe dicitur hoc lemma: Auctor hujus libri Berengaudus. Alii Ambroſio cuidam Monacho tribuere malunt. Certè quiſquis eſt auctor ſtylo prodit ætatem ſuam, & aſſutis identidem S. Gregorii Papæ ſententiis. Idem cap. 17. aſſerit ſe ſcripſiſſe poſt Romanum Imperium à Longobardis occupatum. Vide & Blaſium Viegam noſtrum in Comm. ad S. Joannis Apocalypſim.

Periiſſe nonnulla S. Ambroſii opera ex Auguſtino diſces, qui libro 11. Retract. cap. 4. & lib. 11. contra Julianum cap. 5. & 7. meminit libri de Sacramento Regenerationis ſive de Philoſophia, ubi inter cætera refellebat quod quidam dixerant Chriſtum ex Platone pleraque ſumpſiſſe.

De S. Philaſtrio Brixienſi. 380.

SANCTUS PHILASTRIUS Epiſcopus Brixiæ, tempore S. Ambroſii vixit, ut ſanctus Auguſtinus teſtatur initio libri de hæreſibus ad Quod vult Deus: ſcripſit *librum de hæreſibus* uſque ad ſua tempora, qui liber extat in Bibliotheca ſanctorum Patrum ſecundo edita, tomo 4. Sed illud eſt obſervandum, multa à Philaſtrio inter hæreſes numerari, quæ verè hæreſes non ſunt: proinde cum prudentia legendus eſt. Quod autem in hæreſi 63. meminit anni Domini 430. mendum eſt Typographorum: nam ad eum annum hic auctor non pervenit.

Dissertatio Historica.

PHILASTRIUS, Brixienſis in Italia Epiſcopus ab anno ut volunt 380. Concilio Aquilejenſi adverſus Arianos interfuit cum Sancto Ambroſio, pluribuſque aliis Sanctis Præſulibus. Eum ſe vidiſſe Mediolani teſtatur Sanctus Auguſtinus initio libri de Hæreſibus ad Quodvultdeum Diaconum. Obiit XV. Kalendas Auguſti ſeu 18. Julii anno 387. cum octo circiter annis præfuiſſet. Succeſſor ejus, & Encomiaſtes S. Gaudentius ejus vitam ſcripſit, laudeſque celebrat in ſermone, quem de ordinatione ſua coram S. Ambroſio Mediolanenſi Antiſtite ha-buit.

buit. Ejusdem meminit Auctor Appendicis ad Isidorum, & Ildephonsum cap. 3. Joannes Trithemius, Sixtus Senensis, Alphonsus à Castro, Guill. Estius præfatione Comm. in epistolam ad Hebr. Poss. Baronius, Vossius, Miræus, & Ughellus qui memorat apud S. Andream tumulum accepisse, ibique à Ramperto Episcopo anno 838. 5. Idus Aprilis repertum lineis involutum cum hac inscriptione. *Philastrius beatissimæ memoriæ hic requiescit in pace.*

Liber de Hæresibus, sive quæ in populo Judæorum fuerunt ante Incarnationem Christi, quas 28. numerat, sive quæ post Domini Salvatoris adventum adversus Catholicam Fidem exortæ sunt, quas 128. describit seorsim editum apud Henr. Petri Basileæ 1528. & in Bibliothecis Veterum Patrum. Hæresi 63. numerat inde à Domino usque ad sua tempora annos CCCXXX., quos Latinus Latinius apud Baronium, aliique rectè mutarunt addita, quæ exciderat quinquagenarii nota in CCCLXXX., inde quoque mendum exortum est, quo dicitur à Christo Domino, usque ad illud tempus cùm ea scriberet intercurrisse annos quadringentos triginta CCCCXXX. pro CCCLXXX., neque verò omittenda videtur cautio Jo: Mariæ Sacri Palatii Magistri. Verùm, etsi S. Philastrius sanctitate & doctrina præclarus extiterit, hoc tamen ejus opus de hæresibus, cautè & cum judicio quibusdam in locis legendum, quod nonnulla contineat cum placitis rectæ Theologiæ non satis cohærentia. Certè S. Augustinus in citata supra Præfatione libri de Hæresibus monet doctius de hæresibus præscripsisse Sanctum Epiphanium, quàm S. Philastrium.

De Idacio Claro. 380.

IDACIUS, sive Ithacius Clarus Episc. Hispanus, de quo multa Sulpitius in historia sacra cùm de Priscilliano agit. Scripsit *libros tres adversus Varimandum Arianum*, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 4. edit. 2. scripsit etiam *Apologeticum adversus Priscilliani hæreses*, teste Isidoro de viris illustribus cap. 15. quem librum extare non puto. Vixit circa annum Dom. 380. & in eo reprehensus, & punitus ab Episcopis fuit, quòd Priscillianum apud sæculares Judices accusaverit, & occidi curaverit.

Dissertatio Historica.

IDACIUS, sive Ithacius, Hispanus cognomento, & eloquio Clarus, *auctor libri adversus Warimamandum, seu Varimundum Arianæ sectæ Diaconum, atque explanationis difficiliorum Sacræ Scripturæ de Trinitate locorum* Tomo IV. Magnæ Bibliothecæ Parisiensis Veterum Patrum, & alibi, idem planè videtur quamplurimis recentioribus cum Idacio Sossubensi, seu Osnobensi in Hispania Episcopo qui cum Ursacio Episcopo, ob necem Priscilliani Episcopi, cujus accusatores apud Maximum tyrannum fuerant, communione Ecclesiæ privatus, exilio condemnatus est, & in eo diem ultimum obiit, Theodosio Seniore, & Valentiniano II. imperantibus circa annum 388. ut ex S. Hieronymo in Priscilliano, Severo Sulpitio sub finem libri secundi Historiæ sacræ, Sancto Isidoro cap. 2. libri de Scriptoribus Ecclesiasticis, aliisque colligitur. Ambigit tamen, nec immeritò, Vossius, tum quòd altum illius operis apud Isidorum silentium, qui Apologetici adversus Priscillianum meminit, tum quòd Auctor in præfatione dicat ista se scripsisse Neapoli in Campania, quam fortè numquam vidit Priscilliani hostis.

De S. Gregorio Nysseno. 380.

SANCTUS GREGORIUS Nyssenus Episcopus, S. Basilii frater vivebat adhuc, & scribebat anno 14. Theodosii, teste S. Hieronymo libr. de Script. Eccles. Interfuit Concilio Primo Constantinopolitano, & scripsit *Symbolum fidei* in ea Synodo editum, ut refert Nicephorus lib. 12. hist. cap. 13.

Ejus opera ex editione Basileensi anni 1562. hæc sunt: *Epistola de nomine Christiani. De Oratione Dominica, lib. 1. De octo Beatitudinibus in cap. 5. Matth. 1. Sermones de Nativitate. De S. Stephano. In sextum Psalmum.* De *Octava. De Pascha. De Christi assumptione. De Trinitate, & quòd Spiritus S. sit Deus. De eo, quòd non sint tres Dii. De differentia essentiæ, & hypostaseos. De fide Trinitatis. In dictum Apostoli, Tunc ipse filius subjicietur ei. De dormientibus. De infantibus prœmaturè raptis. De Resurrectione, Orationes 4. De Assumptione Domini. In dictum Domini, Quatenus fecistis uni ex minimis his, mihi fecistis. De Anima & resurrectione disputatio. De Trinitate contra Judæos. De sancto Baptismate. Orationes laudatoriæ in Basilium. In 40. Martyres. In Pulcheriam. In Placillam. In Gregorium Neocæsariensem. In Theodorum martyrem. In Meletium. De imagine, sive de creatione hominis, supplementum hexaemeron Basilii. De Philosophia, lib. 8. De vita Moysis 1.*

Prima observatio in opera S. Gregorii Nysseni.

Deesse videntur in hoc librorum Catalogo libri in Eunomium, quorum meminit S. Hieronymus in libro de Script. Ecclesiast. Neque dici potest, contra Eunomium scriptum esse librum de Trinitate, & Quòd Spiritus sanctus sit Deus: nam hic est libellus non libri plures: & in hoc libello Eunomius ne nominatur quidem. Audio ex Bavarica Bibliotheca depromptos Græcè libros duodecim contra Eunomium, eosque latinitate donatos à Patre Jacobo Gretsero nostro de literis, & quod est longe amplius de Ecclesia Catholica optime merito. Hi sunt igitur libri, quos commemorat S. Hieronymus & sibi ab ipso Gregorio lectos fuisse dicit.

Secunda Observatio.

Præter libros supra numeratos extant ex editione Parisiensi anni 1373. *In Ecclesiasten conciones octo. In Cantica Canticorum explanatio. De perfecti hominis Christiani forma. Catechetica Oratio, quæ dicitur magna. In eos, qui differunt baptisma. De fugienda fornicatione. In eos, qui ægrè ferunt reprehensiones. In mulierem peccatricem. De Pauperibus amandis. De vera Virginitate. Ad Flavianum epistola.*

Tertia Observatio.

Libri octo de Philosophia non videntur esse S. Gregorii Nysseni: nam in lib. 2. docet, animam non creari in corpore, sed ante corpus fuisse creatam, qui est error Origenis: & præterea totum hoc opus philosophicum est & sapit Pelagianismum. Adde quod hoc idem opus invenitur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo nono, ex editione secunda sub nomine cujusdam Nemesii Philosophi Christiani, eo solùm excepto, quod apud Nyssenum dividitur in octo libros, apud Nemesium est unus liber divisus in capita 45. & inscribitur: De homine, sive de anima. Hic autem Nemesius, quando scripserit, ignoratur: sed quia nominatim refellit Manichæos, Apollinarem, & Eunomium, videtur vixisse, & scripsisse tempore S. Gregorii Nysseni, aut certè non antea.

Quarta

Quarta Observatio.

Possèt ab aliquo quæri, cur Gregorius scripserit de creatione hominis ad supplendum hexaemeron Basilii, cum ipse Basilius suppleverit opus suum addens decimam, & undecimam homiliam, in quibus creationem hominis satis copiosè explicat. Respondemus, Basilium in duabus illis postremis homiliis absolvisse explanationem divinæ Scripturæ de opere sex dierum, sed non accuratè disputasse de tota structura corporis humani, imò verò solùm attigisse ea, quæ ad oculos pertinent, ut ex illis cætera colligerentur. Itaque in homilia postrema apertè indicat, se non omnia dixisse, quæ dici potuissent; cùm ait: Si mihi tantum superesset otii, ut tibi hominis structuram demonstrare possem, ex te ipso sanè disceres sapientiam Dei circa te. Gregorius igitur ex his & aliis Basilii verbis occasionem accipit scribendi libri de creatione hominis, libri, inquam, longissimi, in quo suppleret ea, quæ Basilius omisit, de voce, de auribus, de manibus, de aliis denique membris, vel sensibus, quæ structuram humani corporis admirabilem reddunt.

Quinta Observatio.

Hæretici, qui peregrinationes ad loca sancta reprehendunt, nituntur maximè Oratione quadam valde prolixa sancti Gregorii Nysseni, quam totam referunt Magdeburgenses Centuria quarta cap. 10. Sed eam orationem non invenimus hactenus inter opera S. Gregorii Nysseni. Neque argumenta, quæ inde colligunt hæretici aliquid probant, ut nos apertè ostendimus in controversiis lib. 3. de Sanctis cap. 8.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS GREGORIUS, Nyssæ in prima Cappadocia Episcopus, S. Basilii Cæsareæ Archiepiscopi frater natu minor, vir eloquentissimus, ut qui ex Rhetorices Professore ad curam pastoralem traductus fuerit sub Valente Imp. antequam S. Gregorius Theologus Sasimorum fieret Antistes, ut ex ejus orationibus constat. Interfuit Concilio Const. Generali anno 381. vivebatque adhuc anno 392. Theodosii Imp. 14. obiisse tradunt alii anno Christi 395. alii sequenti, vel die *9*. Martii ut Latinum Martyrologium, vel *9*. Januarii, ut Fastis Græcorum adscriptum legitur. De eo S. Basilius ejus frater ep. *46*. S. Gregorius Nazianz. oratione *6*. & in epistolis præcipuè 37. ubi eum consolatur de morte fratris sui. S. Hieronymus cap. 12*9*. libri de Script. Eccles. & ex eo Sophronius, Socrates lib. 3. cap. 8. lib. 4. cap. 21. & lib. 5. cap. *9*. Sozomenus lib. 7. cap. 10. Theodoretus lib. 4. cap. 28. & in Polymorpho Dialogis 1. & 2. (*a*) Photius Bibliothecæ codd. *6*. & 7. Leo Sapiens Græcus Imp. Constitutione 88. ubi eum vocat dulcem, & illustrem Ecclesiæ fontem, Honorius Augustod. libelli 1. cap. 12*9*. Suidas in Lexico, Nicephorus Callixtus libro 11. cap. 2*9*. & libri 12. cap. 13. Trithemius, qui mendosè Emisenum Ep. vocat, Baronius, aliique recentiores.

Opera ejus omnia antea dispersa, in unum corpus collegit, & edenda curavit Parisiis anno 1605. Latinè duobus tomis R. P. Fronto Ducæus Burdegalensis Soc. Jesu, vir ad omnia præclara natus, & SS. Patrum nitori suo atque integritati restituendorum studiosissimus. Eadem anno 1615. Græcè & Latinè ejusdem studio, & hortatu duobus Tomis edidit claudius Morellus, cujus editionis ordinem sequemur.

Tomo I. continentur.

1. *Hexaemeron*, *sive Historia de opere sex dierum*, Petro Francisco Zino interprete. 2. *De hominis opificio liber*, Joanne Leunclavio interprete, 3. *In ea Scripturæ verba*, Faciamus hominem ad imaginem &c. eodem interprete.

4. *Altera oratio in procreationem hominis*, eodem interprete. Verùm hæc, & præcedens à quibusdam falsò adscriptæ S. Basilio, ut etiam decimum, undecimumque librum Hexaemeri constituerent in quibusdam editionibus Latinis, videntur, ut ab ipso Gregorio Nysseno juniore compositæ, antequam absolutissimum opus de hominis opificio perscripsisset, aut certè, quod probabilius est, ab alio quopiam, sed antiquo probatoque auctore scriptæ, quæ sententia est Frontonis Ducæi, qui recensioni operum Nysseni præfuisse noscitur, & de antiqua versione Dionysii Exigui multa in notis habet lectu dignissima.

5. *De Vita Mosis*, *sive*, *de Vita perfecta liber*, Greg. Trapezuntio inter. recognita & aucta à Front. Duceo.

6. *Tractatus prior in Psalmorum inscriptiones*, Jacobo Gretsero Soc. Jesu Theologo interprete. 7. *Tractatus posterior de inscriptionibus Psalmorum*, eodem interprete. 8. *In sextum Psalmum de Octava*, Laurentio Sifano interprete. *9*. *In Ecclesiasten Conciones* 8. Gentiano Herveto interprete. 10. *In Cantica Canticorum Explanatio*, eod. int. 11. *De Oratione Dominica homiliæ quinque*, Laur. Sifano int. 12. *De Vita Beata comparanda*, sive *de beatitudinibus orationes octo*, eod. int.

13. *Oratio in illud Apostoli* 1. *Corinth.* 15. Quando sibi subjecerit omnia, tunc etiam ipse Filius subjicietur ei qui subjecit omnia, eodem interprete.

14. *Ex quæstionibus de eo*, Quid sit ad imaginem, & similitudinem Dei, *de imagine Dei in hominem libellus*, Frontone Ducæo interprete.

15. *Epistola de Ventriloqua*, *seu Pythonissa*, eodem interp. 1*6*. *Oratio in suam ordinationem*, eod. int. 17. *Contra Apollinarem*, eod. int. 18. *Contra Fatum*, eod. int. 1*9*. *Tractatus adversus Græcos ex communibus notionibus*, Feder. Morel. int. 20. *De anima*, eod. int.

21. *Epistola Canonica ad S. Letojum Mitylenes Episcopum*, Gentiano Herveto interprete. Eadem Venetiis anno 1585. prodiit interprete Maximo Margunio Episcopo Cytherensi. Suppositam fuisse ab aliquo Græculo recentiori contendunt Scultetus, Rivetus, similesque ψευδολόγοι κεκαυτηριασμένοι τὴν συνείδησιν pœnitentiæ veteris, omnisque exactæ disciplinæ osores, quos Theodorus Balsamon, qui in eam Commentarios scripsit, Jo. Zonaras, adeoque omnis omnino Græcia abundè refellit. Sed quid facias? Novandi studio excæcatos Criticos istos profanos nemo non videt, ut ea quæ in promptu sunt omnibus obvia, ipsi non videant. Quid notius editione G. L. operum Nysseni? Ecce tamen oculatus ille Rivetus, Canonicam hanc epistolam, quæ in priore Tomo legitur pag. *946*. ad posteriorem revocat, & Catecheticam Magnam, librum de Virginitate, & alia, quæ in secundo volumine leguntur, in primo collocat posteritatis securus, & famæ suæ, quam infamis Apostata nonnisi ad similes sui tueri potuit. Certè se sequuturum Morellianæ editionis anni 1*616*. ordinem in dubiorum aut suppositıtiorum S. Gregorii Nysseni operum recensione disertis verbis fuerat pollicitus, quod tamen non præstitit. Sed hæc levia videri possunt præ cæteris, quæ deliquit.

22. *In eos qui differunt baptisma*, Latinè tantùm ex versione Gentiani Herveti. Abrahamus Scultetus, atque ex eo Rivetus falsò abjudicant, ut aliàs demonstrabitur.

23. *De fugienda fornicatione in illud Apost.* 1. *Cor.* 6.

Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, Latinè tantùm eodem int.

24. *In mulierem peccatricem, & in eos qui durius alios judicant* &c. Latinè tantùm Petro Franc. Zino interp.

25. *De pauperibus amandis, & benignitate complectendis Oratio*, Latinè tantùm eod. interp.

26. *Oratio in Pentecosten* eodem int.

27. *Contra Usurarios Oratio*, Latinè tantùm, Paulo Gretsero Soc. Jesu Theologo int.

28. *De Trinitate adversus Judæos ex veteri Testamento delecta Testimonia cum explicatione*. Laurentio Sifano interprete.

Annotationes Frontonis Ducæi, & aliquot eruditorum.

Tomo II. continentur.

1. *Contra Eunomium refutatoriæ Orationes* 12. Græcè & Latinè Nicolao Gulonio Græcarum litterarum Professore Regio interprete, quas ejus filius R. P. Joan. à S. Francisco Fuliensis Ordinis recognovit & in lucem edidit.

2. *De Sancta Trinitate, & quòd Spiritus Sanctus sit Deus*; Laurentio Sifano interprete. Bellarminus rectè monuit esse S. Basilii epist. 80. ad Eustathium Medicum, & alii post eum.

3. *Tres Deos dici non oportere*, eod. int.

4. *De differentia substantiæ, & hypostaseos*, eodem interprete. Non est quid diversum ab epistola 43. S. Basilii ad hunc Nyssenum fratrem suum scripta.

5. *De Fide ad Simplicium Tribunum*, eodem interprete.

6. Catechetica magna Oratio. Gentiano Herveto interprete. Nysseni γνήσιον esse fœtum, ut quæ à Theodoreto sæpè citetur in Dialogis adversus hæreticos, etiam ipsi fatentur hæretici sedatiores cum Casaubono, qui rectè admonuit, si nævos paucos excipias, idest, dogmata nonnulla à sectatoribus Origenis identidem aspersa, opus esse eximium. Mentitur pro more Rivetus, dum ait nec à Sifano, nec à Leunclavio agnitum ut germanum Gregorii librum ideoque in Basileensi editione omissum. Causam enim veram Ducæus videtur attigisse, quòd novæ Protestantium doctrinæ adversaretur. (*b*)

7. *De Virginitate vera & incorrupta*, Petro Galesinio interprete. Verùm hæc oratio spurcas Sculteti, & similium Virginitatis hostium manus vix evasit: cùm tamen indubitatus sit Nysseni partus, quem uxoratum fuisse, antequam Episcopus fieret, docet ep. 95. S. Gregorii Nazianzeni ad hunc Nyssenum de Theosebiæ uxoris obitu, quam nemo sanus revocavit in dubium.

8. *Contra Manichæos syllogismi decem*, Frontone Ducæo interprete.

9. *De Anima, & Resurrectione Dialogus cum sorore Macrina*, cujus meminit etiam Suidas, Laurentio Sifano interprete. Hunc librum aureum vocat Baronius anno 378. §. 46. nec abnuit Bellarminus. Possevinus verò eo tantùm sensu negare videtur, quòd ab hæreticis capiti sexto insertum sit dogma Origenis de animis simul cum Angelis à Deo creatis, quod Nicephorus libri 11. cap. 19. testatur se accepisse Nysseni operibus hæreticos quosdam Origenis dogmata injecisse. Neque propterea Possevino stercoreus est ille liber, ut nec Casaubono licet nævis infectus Catecheticus, ut tartareo afflatus spiritu Rivetus effutiit Pontificiorum Catholicorum hostis implacabilis, stercorumque amantissimus Borborita. Hottingerus verò ejus, Simleri, Coci, similiumque ab avita fide Apostatarum sordes corrasit, ne minima quidem aspersa critici salis mica; mentiturque opiparè, dum

A falsò attribui ait Nysseno orationes, quas unus alterve nebulo rejecit, aut de quibus vir fortè aliquis sapiens dubitavit, aut amplius cogitandum pronuntiavit.

10. *Adversus Apollinarem ad Theophilum*, Frontone Ducæo interprete. 11. *Quid nomen, professione Christiani sibi velit*, Laurentio Sifano int. 12. *De perfectione christiani ad Olympium*, Petro Franc. Zino int. 13. *De proposito secundùm Deum*, Federico Morello int. 14. *In eos, qui ægrè ferunt reprehensiones*, Gentiano Herveto inter. 15. *De infantibus qui præmaturè abripiuntur*, Laurentio Sifano interprete. Eidem immistum Origenis furfurem quidam queruntur. 16. In diem natalem D. N. J. C. Petro Fr. Zino int. 17.
B *De sancto Stephano Protomartyre oratio*, Laurentio Sifano int. 18. *De sancto Christi baptismate*, eodem interprete. 19. *De sancto Paschæ festo, & resurrectione*, Petro Franc. Zino interp. 20. *De sancta Resurrectione Domini oratio secunda*, eodem interprete. 21. *De sancto Paschæ festo oratio tertia*, Laur. Sifano int. 22. *De eodem oratio quarta* eodem int. 23. *De eodem oratio quinta*, Fed. Morello int. 24. *De Ascensione Domini*, Petro Fr. Zino int.

25. *De occursu Domini, de Deipara Virgine, & Simeone*, Laurentio Sifano int. Sunt qui tamquam fœtum illegitimum ideò rejicere velint, quòd eam in aliquibus tum immutaverit, cùm uberiorem fecerit Simeon Metaphrastes: sed unde id eis constet, non-
C dum satis compertum.

26. *De deitate Filii, & Spiritus Sancti, & de Abraham*, eodem int. 27. *In laudem Basilii Magni fratris sui oratio*, eodem int. 28. *In laudem SS. XL. Martyrum oratio*, eodem int. 29. *In laudem eorumdem SS. oratio secunda*, eodem int. 30. *In funere Pulcheriæ oratio consolatoria*, eodem int. 31. *De Placcilla Aug. Theodosii senioris uxore, quæ Flaccilla sæpius dicitur, saltem apud Latinos, oratio funebris*, eodem interprete.

32. *De Vita S. Gregorii Thaumaturgi Episcopi Neocæsariensis*, eodem int. Quam etsi Suidas inter ejus opera numeraverit, & omnes hactenus Catholici, & Hæretici ut legitimam agnoverint, unus tamen re-
D pertus est Abrahamus Scultetus, qui reclamante conscientia, ut labantem, ac propè desperatam Protestantium causam, vel hoc tibicine arundineo fulciret, somnium somniorum appellare ausus sit. Quid ita? 1. Joannes & Maria apparuerunt Gregorio Miraculorum opifici, eique confessionem de Deo & Trinitate dictarunt. 2. Saxum solo Dei verbo transtulit, Magna, Deus bone, & inaudita crimina! quæ qui transcripsit Andreas Rivetus, ne verbulo quidem firmare voluit, nec ejus exscriptor, simiolusque Tigurinus Zuinglista, adeò vel illis judicibus visa est ab omni rationis umbra aliena reprehensio. Deinde subdit Sculteus hæc verba, quibus suam ipse censuram vel invitus proscindit: Non
E ignoro Socratem lib. 4. cap. 12. prædicantem Gregorii miracula, scribere illum per epistolas fugasse dœmones: atque hæc ipsa causa est cur credam Orationem hanc Nysseni esse, è qua Socrates ista transcripserit. Reliqua in Examine fusius.

33. *De laudibus sancti viri, ac Martyris Theodori*, eod. int. Hanc quoque orationem arrodere gestiunt omnes Heterodoxi tam futilibus ratiunculis, ut penè pudeat eas referre, nedum refellere. Vide Patrologiæ consarcinatorem p. 298. quem cum similibus unde ista descripsit, Criticis excutiemus in Examine.

34. *De magno Meletio Episcopo Antiochiæ oratio funebris*, eod. interp. 35. *Vita, atque Encomium S. Patris Ephraim Syri*, Gerardo Vossio int.

36. *Oratio quæ docet non esse dolendum ob eorum obitum*,

bitum, qui in fide dormierunt, Petro Franciſco Zino interprete. In eadem non ſecus, ac in nonnullis aliis, quoſdam ex Origene nævos ſe deprehendere quidam argutantur.

37. *Epiſtola ad Flavianum*, Joanne Leunclavio interprete.

38. *Oratio de iis, qui adeunt Hieroſolymam*, incerto interprete: non ita prolixa illa quidem, ſed quæ multas lites peperit, aliis eam penitus rejicientibus, aliis in varios ſenſus trahentibus: qua de re plura Deo dante aliàs proferentur à nobis. Bellarminus duo dicit: Primum non ſe eam hactenus vidiſſe inter opera S. Gregorii Nyſſeni, ſed cap. 10. Centuriæ IV. Magdeburgenſis: alterum, argumenta quæ inde colligunt hæretici nihil probare, idque ſe apertè oſtendiſſe in Controverſiis libro 3. de Sanctis, cap. 8.

39. *Epiſtola ad Euſtathiam, Ambroſiam, & Baſiliſſam*, Iſaaco Caſaubono interprete. Sequuntur Joannis à S. Franciſco, & Frontonis Ducæi notæ, cum Jacobi Gretſeri refutatione, ſeu notis ſuper notas Petri Molinæi Miniſtri Calviniani in Ep. Nyſſeno adſcriptam de euntibus Hieroſolymam, in quas effrænj licentia debacchatur Calviniſtarum penè omnium maledicentiſſimus Andreas Rivetus à nobis in Examine pro merito caſtigandus. Succedunt Correctiones notarum Caſaubonianarum in Epiſtolam Gregorii Nyſſeni ad Euſtathiam, Ambroſiam, & Baſiliſſam, quas non ſine uberrimo fructu conſulet lector veritatis amans.

In Appendice anno 1618. *Pariſiis edita.*

Poſt Prolegomena Jacobi Gretſeri Soc. Jeſu Theologi, in quibus de ſancto Gregorio Nyſſeno, ipſiuſque adverſus Eunomium opere.

1. *Epiſtola Nyſſeni ad Petrum fratrem ſuum Epiſcopum Sebaſtenum de ſuſcipienda refutatione Eunomii*, Græcè, & Latinè, interprete Jacobo Gretſero.

2. *Reſponſio Petri Epiſcopi Sebaſteni ad S. Gregorium Epiſcopum Nyſſenum fratrem ſuum*, eodem interprete.

3. *Summaria, ſeu Periochæ duodecim librorum adverſus Eunomium*, eod. int. 4. *Liber Primus contra impium Eunomium*, eod. int. ex Bibliotheca Bavarica.

5. *Oratio de pœnitentia ad eos, qui durius & acerbius alios judicant, atque condemnant, quique converſione indigent, & pœnitentia*, Petro Franciſco Zino interprete. Verùm hanc alii Aſterio Amaſeæ Epiſcopo adjudicant, ut ex Photio apparet, qui hæc citat *ὁ τοίνυν Λουκᾶς ὁ πλεὸν ψυχῶν ἢ τῶν σωμάτων ἰατρὸς* &c.

6. *Vita ſanctæ Macrinæ Virginis, Sanctorum Baſilii Magni, & Gregorii Nyſſeni ſororis*, eod. interp. Non differt ab epiſtola S. Baſilii ordine 80. ad Olympium Monachum.

7. *Oratio tertia in quadraginta Martyres*, dicta in eorum martyrio, hoc eſt, Baſilica, Jacobo Gretſero interprete. 8. *Oratio adverſus eos, qui differunt baptiſmum*, Gentiano Herveto interp. 9. *Oratio contra uſurarios*, Jacobo Gretſero interprete. 10. *De pauperibus & beneficentia oratio*, Petro Franciſco Zino interprete.

11. *Oratio in principium jejuniorum*, Jacobo Gretſero interprete. Eſt Aſterii Amaſeæ Epiſcopi *εἰς παρείσβασιν τῶν νηστειῶν* ex qua Photius quædam excerpſit.

12. *Oratio contra fornicarios, ſive in illud Apoſtoli*: Qui fornicatur, in proprium corpus peccat, &c. Gentiano Herveto int.

13. Lacunæ quædam in libris contra Eunomium, ex codice Bavarico, & Livinciano ſuppletæ.

Accedunt addenda quædam notis R. P. Frontonis

A Ducæi Soc. Jeſu Theologi; in orationem 1. de Reſurrectione, in Encomium Sancti Theodori Martyris, & invectivam adverſus fornicarios.

Præter iſta omnia, extant tum ſeorſim, tum Tomo 13. Magnæ Bibliothecæ veterum Patrum p. 681. Græcè, & Latinè edito, trium Patrum, S. Gregorii Ep. Nyſſeni, S. Nili, & S. Maximi in Cantica Canticorum Expoſitiones, & Commentaria, Michaele Pſello collectore.

(*a*) S. Germanus Patr. Conſt. apud Photium cod. 233. in libro qui dicebatur *ἀνταποδοτικὸς ἢ ἀνόθευτος*, ubi contendebat Gregorium Nyſſæ Epiſcopum, ejuſque ſcripta ab Origenis errore eſſe immunia, nimirum Dialogum ad Macrinam ſororem, B librum Catecheticum, & illum, qui de perfecta vita narrationem continet, S. Joannes Damaſcenus, Vincentius Lirinenſis, Epiphanius Diaconus in ſeptima Generali Synodo Actione 6. Parte 5. ubi eum vocat Patrem Patrum, Euthymius Zigabenus in Panoplia, &c.

(*b*) Noſtrorum (hoc eſt Acatholicorum) nonnulli dubitant, inquit Albertinus, quibus ipſe reluctatur veritatis pondere oppreſſus.

Nemeſius, ex Philoſopho chriſtiano, Emeſenus, ut ferunt, in Phœnicia Epiſcopus, incertæ mihi ætatis eſt auctor. Molanus apud Miræum adſcribit anno 380. fortè quod eumdem fuiſſe cenſuerit cum Nemeſio legum perito, ad quem extat S. Gregorii C Nazianzeni Epiſtola, & Carmen. Alii ſæculo ſequenti 5. adfigunt ab anno 400. ad 500. aut ſaltem ante medium ſæculi ſexti collocare moliuntur, quo tempore in Synodo 5. Generali Conſt. damnata eſt Origenis de animis ante corpora exiſtentibus ſententia, ex Pythagoræ, Platoniſq. deliriis deprompta, in quam pronus noſter videtur Philoſophus.

Liber de natura hominis capp. 45. diſtinctus cum tractatibus de junctione animæ & corporis, de elementis, de quinque ſenſibus &c. in quibus nominatim refelluntur Manichæus, Apollinarius, & Eunomius, extat Græcè & Latinè, interprete Nicaſio Ellebodio Casletano, tum ſeorſim editus Antuerpiæ apud Plantinum in 8. anno 1565. tum in Auctario Bi- D bliothecæ Patrum anni 1614. & Tomo 12. Morellianæ pag. 748. Aliam libri illius de natura hominis verſionem Latinam à Georgio Valla Placentino elaboratam emiſit in lucem Lugduni anno 1538. Sebaſtianus Gryphius. Quod verò libri 8. de Philoſophia, & de homine falsò aliàs S. Gregorio Ep. Nyſſeno, ab hoc Nemeſii libro non differant plures jam docuerunt. Vide Erotemata Theophili, ubi Jacobi Pamelii Nyſſeno vindicare conantis argumenta diluit, & Moſem Barcepham hunc librum Nemeſio adſcribere docet ſuffragantibus variis antiquis codicibus, Hier. Mercuriali, & aliis.

SUPPLEMENTUM.

E GREGORIUS NYSSENUS Epiſcopus, frater fuit ſancti Baſilii Magni, quem perperam Emeſenum Honorius Auguſtodunenſis, & Joannes Trithemius in Catalogis appellant, quem veneranda Eccleſiæ antiquitas eximiè coluit laudibuſque extulit, quem ſequentibus ſæculis Theologi, tam Græci quàm Latini ad confirmanda orthodoxæ fidei dogmata teſtem certiſſimum adhibuerunt: quippè qui in iis quæ ad fidem pertinent, nulla in re à Baſilio, ut inquit etiam Cardinalis Bellarminus, diſſenſerit. Vitam ejus, ſtudia, res geſtas præſertim pro fide Catholica, nemo quidem unus per Hiſtoriæ ſeriem (quemadmodum fit in aliorum vitis) pertexuit, quod ſciam. At quæ ſanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione ad eum habita commemorat, tot & tanta ſunt, ut inſtar

ſtar hiſtoriæ eſſe queant. Theodoretus autem lib. 4. cap. 28. & in Polymorpho Dialogis 1. & 2. ſanctus Hieronymus cap. 129. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Socrates lib. 3. cap. 8. lib. 4. cap. 21. & lib. 5. cap. 9. Sozomenus lib. 7. cap. 10. Photius Bibliothecæ Codd. 6. & 7. Leo Sapiens Orientis Imperator Conſtitutione 88. ubi eum vocat dulcem & illuſtrem Eccleſiæ fontem, Suidas in Lexico, Nicephorus Callixtus lib. 11. cap. 29. & lib. 12. cap. 13. Honorius Auguſtodunenſis libelli 1. cap. 129. & Martyrologium Eccleſiæ Romanæ præter recentiores; ut Raphael Volaterranus, Joannes Trithemius & alii, honorificentiſſimè de ejus vita, doctrina, eloquentia, tamquam patre aliorum ſanctorum Patrum loquuntur. Atque cùm idem Nazianzenus varias ad eum Epiſtolas ſcripſerit, nimirum 34. 35. 36. 37. 42. 43. 95. & 142. ex his elici poteſt, quid de eo vel dicere, vel ſentire poſſimus. Sanè quod is ipſe Nyſſenus ſub Valente Imperatore actus ſit in exilium, quodque hoc demortuo deſtinatus ſit ab Antiochena Synodo ad inſtaurandas Orientales Eccleſias, & ab Synodo Oecumenica Conſtantinopolitana, ſub Theodoſio habita, ad viſitandas Arabiæ Eccleſias: dignus autem fuerit, ut inter præcipuos fidei Catholicæ propugnatores ſanctione etiam imperiali laudaretur, maxima ſunt, quæ nos provocent & ad ejus Scripta legenda, & ad imitandam in fide fortitudinem. Vixit dudum in Epiſcopatu, obiitque die 9. Martii anni 395. vel ſequentis, cujus diem mortis anniverſarium Latini 9. die Martii, Græci in Menologio quarto Idus Martii cultu unanimi concelebrant. Agunt ad plenum de Scriptis ejus, variiſque eorum editionibus Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro, verbò *Gregorius Nyſſenus*; Bellarminus & Labbeus, uterque in opere ſuo, *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Omiſit tamen hic ultimus perfectiſſimam atque ultimam omnium Divi Gregorii Nyſſeni Operum editionem Græcolatinam 3. in fol. tomis factam Pariſiis anno 1638. apud Ægidium Morellium, quem hic repræſentabo, aliis alibi allegatis.

Tomus I.

Hexaemeron ſive Hiſtoria de opere ſex dierum, pag. 1. De hominis Opificio, pag. 44. In ea Scripturæ verba, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, Oratio I. 139.

In hominis creationem Oratio II. 153. Porrò Dionyſius Abbas Romanus, cognomento Exiguus, qui circa annum 533. floruit, tranſtulit è Græco in Latinum, *librum S. Gregorii Nyſſeni de Opificio hominis*: quem dicavit Eugippio Abbati, quæ verſio primùm typis vulgata eſt Baſileæ anno 1562. tum Coloniæ anno 1573. ſed utrobique abſque epiſtola translatoris Eugippio Presbytero inſcripta, immò etiam abſque verſione præfationis Gregorii Nyſſeni, quas exhibet Joannes Mabillon tom. 2. Analectorum ſuorum, pag. 1. ex manuſcripto Codice Abbatiæ Corbejenſis. Hæc autem antiqua Dionyſii Abbatis translatio convenit optimè primæ editioni futuræ Operum ſancti Gregorii Nyſſeni, facta nimirum à docto viro atque antiquo.

De vita Moſis, ſive de vita perfecta liber 167. Tractatus prior in Pſalmorum inſcriptiones 177. Tractatus poſterior, qui eſt de inſcriptionibus Pſalmorum 291. In ſextum Pſalmum de Octava, 367. In Eccleſiaſten Conciones octo, 373. In Cantica Canticorum explanatio perfecta, 468. De Oratione Dominica Homil. quinque, 712. De vita Beata comparanda, ſive de Beatitudinibus Orationes octo, 762.

Eſt autem advertendum Petrum Poſſinum Societ. Jeſu Tholoſanum, Theologum doctiſſimum, de A ſanctis Patribus evulgatis optimè meritum, in prologo ad *Theſaurum Aſceticum*, quem in 4. evulgavit Tholoſæ hoc anno 1684. apud Guillelmum Boſch, aſſerere haberi apud ſe proximum editioni integrum Commentarium D. Gregorii in Eccleſiaſten, quem tantùm mutilum & imperfectum hæc editio nobis exhibet, illumque tranſcriptum ex manuſcripto Codice Romano.

Tomus II.

In illud Apoſtoli 1. Corinth. 15. *Quando ſibi ſubjecerit omnia, tunc etiam ipſe Filius ſubjicietur ei, qui ipſi ſubjecit omnia*. 6. Ex quæſtionibus de eo, quid ſit ad B imaginem & ſimilitudinem Dei, 22. Epiſtola de Ventriloqua ſeu Pythoniſſa, 35. Oratio in ſuam Ordinationem, 40. Contra Apollinarem, 47. Contra Fatum, 62. Tractatus adverſus Græcos ex communibus Notionibus, 82. De Anima, 90. Epiſtola Canonica ad ſanctum Letojum Mitylenes Epiſcopum, 114. Oratio in eos qui differunt Baptiſma, 124. De fugienda fornicatione in dictum Apoſtoli 1. Corinth. 6. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo*, &c. 129. In Mulierem Peccatricem, vel in eos qui duriùs & acerbiùs alios judicant atque condemnant, quique converſione indigent & pœnitentia, 132.

Hæc Homilia non ſpectat ad ſanctum Gregorium Nyſſenum, ſed ad Aſterium Amaſeæ Epiſcopum, C cujus excerpta dat Photius in ſua Bibliotheca Codice 271. unde Auctori reſtituenda eſt.

De Pauperibus amandis & benignitate complectendis, 138. Contra Uſurarios, 144. De Trinitate adverſus Judæos, ex veteri Teſtamento ſelecta teſtimonia, cum explicatione, Laurentio Sifano interprete, 153. Oratio de pœnitentia, 165. Vita ſanctæ Macrinæ Virginis, ſororis ſancti Gregorii Nyſſeni, 177. Oratio tertia in quadraginta Martyres, 205. Oratio adverſus eos qui differunt Baptiſmum, 225. Oratio de Pauperibus & beneficentia, 235. Oratio in principium jejuniorum, 247. quæ etiam non eſt ſancti Gregorii Nyſſeni, ſed Aſterii Amaſeæ Epiſcopi, cujus excerpta refert Photius in D Bibliotheca Cod. 271. unde reddenda eſt Aſterio vero illius parenti.

Oratio contra Fornicarios, 260. Contra Eunomium Orationes ſeu libri duodecim, 265. uſque ad finem tomi.

Tomus III.

De ſancta Trinitate, & quòd Spiritus ſanctus ſit Deus, 6. Tres Deos dici non oportere, 15. De differentia ſubſtantiæ & hypoſtaſeos, 28. De Fide ad Simplicium Tribunum, 38. Catechetica magna Oratio, 43. De Virginitate vera & incorrupta, 111. Contra Manichæos Syllogiſmi decem, 180. De Anima E & Reſurrectione Dialogus, 181. Adverſus Apollinarem ad Theophylum, 216. Quid nomen vel profeſſio Chriſtiani ſibi velit? 267. De perfectione Chriſtiani ad Olympium, 275. De propoſito ſecundùm Deum, 298. In eos qui ægrè ferunt reprehenſiones, 311. De Infantibus qui præmaturè abripiuntur, 317. In diem Natalem Domini noſtri Jeſu Chriſti, 339.

De ſancto Stephano Protomartyre, 354. Homilia quæ non eſt ſancti Gregorii Nyſſeni, ſed Aſterii Amaſeæ in Ponto Epiſcopi, cujus excerpta dat Photius in Bibliotheca, cod. 271.

De ſancto Chriſti Baptiſmate, 366. De ſancto Paſchæ feſto & Reſurrectione, 382. De ſancta Reſurrectione Domini Oratio II. 400. De ſancto Paſcha & Reſurrectione Oratio III. 416. De ſancto Paſchæ Feſto Oratio IV. 435. De ſancta Domini Reſurrectione

Oratio

Oratio V. 437. De Ascensione Domini, 441. De Occursu Domini & Simeone, 444. De Deitate Filii & Spiritus sancti, & de Abraham, 464. In laudem Basilii Magni fratris sui Oratio, 479. In laudem sanctorum quadraginta Martyrum Oratio, 499. In laudem eorumdem Sanctorum Oratio secunda, 504. In funere Pulcheriæ Oratio consolatoria, 514. De Placilla Oratio funebris, 527. De Vita sancti Gregorii Thaumaturgi, 534. De laudibus sancti viri ac Martyris Theodori, 570. De Magno Meletio Oratio funebris, 580. Vita atque Encomium sancti Patris Ephraim, 595. Oratio qua docet non esse dolendum ob eorum obitum, qui in fide dormierunt, 617. Epistola ad Flavianum, 645. Oratio de iis qui adeunt Jerosolymam, 652. Epistola ad Eustachiam, Ambrosiam & Basilissam, 655.

Possent autem commodiùs omnia sancti Gregorii Nysseni Opera distribui in duos tomos, quorum primus esset Tractatuum majorum & Commentariorum, secundus verò Orationum quas habet multas, & Epistolarum, aliorumque minorum Operum.

De Amphilochio. 380.

AMPHILOCHIUS ICONII Episcopus sancti Gregorii æqualis, quem S. Hieronymus in epistola ad Magnum, parem doctrina sacra, & prophana facere videtur Basilio, & Gregorio Nazianzeno, cùm de his tribus viris dicit, non facilè judicari posse, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi an scientiam scripturarum.

Scripsit *librum de Spiritu Sancto, & homilias non paucas*: de priore libro testis est S. Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. De homiliis testis est Theodoretus, qui eas in dialogis frequenter citat.

An hoc tempore extent liber de Spiritu sancto, & homiliæ, quas Theodoretus citat, equidem certo scire non potui.

Extat quidem sub nomine Amphilochii *vita S. Basilii Magni*, sed haud dubio falsa, vel supposititia. Primùm enim narrat ille auctor Basilium factum Episcopum ante mortem Juliani. Quod repugnat historiis, & ipsi S. Gregorio Nazianzeno in oratione de S. Basilio. Deinde narrat auctor, sanctum Basilium ostensum fuisse per revelationem Eusebio Cæsariensi, cùm antea eum non nosset. Quod etiam falsum esse certum est, ex eo quod Nazianzenus scribit, Eusebium cum Basilio de Episcopatu contendisse, & ea de causa inimicum Basilio factum. Tertiò constat, sanctum Basilium obiisse anno ultimo Valentis Imper. & octo annis Episcopatum administrasse, ex Gregorio Nazianzeno, & aliis: proinde Episcopum factum anno sexto Valentis: at juxta supposititium Amphilochium, Basilius, vel sedisset annis quindecim, vel ante mortuus esset, quàm Episcopus fieret, si vivente Juliano jam Episcopus erat.

Omitto multa alia, quæ perperam narrantur in illa vita tum de Libanio, tum de aliis.

Dissertatio Historica.

AMPHILOCHIUS æqualis fuit sanctorum Basilii & Gregorii Nazianzeni, eique S. Basilius inscripsit librum de Spiritu Sancto, atque Ascetica, multasque ad eum scripsit Epistolas. Vivebat adhuc magnus ille Iconii in Lycaonia Episcopus anno 392. quo S. Hieronymus scribebat librum de Scriptoribus Ecclesiasticis, ut patet ex capite 133. De eo idem quoque Hier. in epistola ad Magnum. Gregorius Nazianzenus Parænetico ad Olympiadem, Theodoretus libri 4. cap. 10. (a) & lib. 5. cap. 16. Sozo-
A menus libri 7. cap. 6. Photius Tmemate 52. Myriobibli, Nicephorus Callistus, Jo: Trithemius, cui Amphilogius, scribitur, aliique. Ejus obitum refert Romanum Martyrologium die 23. Novembris, nec abludunt Græci in Menologiis.

Extant Parisiis anno 1644. edita Græcè & Latinè omnia illi hactenus à variis tributa opuscula, quæ reperiri potuerunt, una cum Methodii Patarensis Episcopi, & Andreæ Cretensis Metropolitæ τοῖς σωζομένοις studio F. Francisci Combefisii Burdegalensis Ord. Prædicatorum Congregationis S. Ludovici.

In Natalitia Magni Dei Salvatoris nostri JESU CHRISTI. *In Domini nostri octava die Circumcisionem, & in Basilium. De occursu Domini.* Antea jam edita
B apud Surium die 2. Februarii, tum in Bibl. Vet. Patrum, & alibi Laurentio Sifano interprete.

In sanctam Deiparam, & Simeonem, quæ tamen Homilia dicitur esse Amphilochii Sidæ Episcopi, qui Concilio Ephesino adversus Nestorium anno 431. celebrato interfuit. Cui etiam fortè, & nonnullæ ex aliis Homiliis tribuendæ videbuntur oculatis Criticis.

In Lazarum quatriduanum. In mulierem peccatricem. In diem Sabbathi sancti. De Pœnitentia, & quòd non sit desperandum. *Ad Seleucum, Jambicum carmen quinam Sacræ Scripturæ libri sint legendi*, interprete Joachimo Zechnero.

Sed videsis amabo, quæ ex Billio observata sunt à nobis in Greg. Naz.

C

Excerpta varia ex Amphilochii deperditis operibus.

Vita S. Basilii Cæsareæ in Cappadocia Episcopi, de qua mox dicemus.

Vita Amphilochii Iconiensis Episcopi, auctore Simeone Metaphraste. Subjiciuntur Notæ F. Francisci Combefisii Dominicani ad Amphilochium.

Observatio.

Vitam S. Basilii jampridem Amphilochio tributam, & ab Urso Cardinale ante annos 800. ut volunt, Latinè redditam, multi Catholici Docto-
D res tamquam spuriam, & ab aliquo nugivendo, sin minus confictam, saltem in plerisque corruptam docuerunt. In iis præcipuè Michael Glycas quarta parte Annalium, Card. Baronius tum in Notis ad Rom. Martyrologium, tum in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 363. num. 74. ad annum 369. num. 41. & ad annum 378. num. 10. Possevinus, Bellarminus, Lippelous, Miræus &c. ut Ivellum, Vossium, Cocum, Rivetum, Blondellum, similesque Heterodoxos Catholicorum in ferendis censuris simios, atque exscriptores, quique omnem carpendæ ac criminandæ Romanæ Ecclesiæ occasionem invidiosissimè captant, omittam. Quæ in ejus defensionem congeri possunt, collegit idem qui suprà Com-
E befisius in Notis. (b)

(a) Et in Polymorpho sæpè citantur ejus Homiliæ.

(b) Videndi quoque Sigebertus cap. 7. ubi Amphilochio tribuit Vitam Sancti Basilii, & Joannes Maria Brasichellanus pag. 233. Indicis Romani.

De S. Hieronymo. 390.

SANCTUS HIERONYMUS Presbyter & Ecclesiæ Doctor floruit anno 14. Theodosii, ut ipse de se testatur in libro de Scriptor. Ecclesiast. extremo. Obiit Honorio imperante anno Domini 422. ætatis suæ anno 91. ex chronico S. Prosperi; vel anno Domini 420. ætatis anno 78. ex Annalibus Card. Baronii. Opera sancti Hieronymi novem tomis continentur in editione Lugdunensi anni millesimi

leſimi quingenteſimi trigeſimi. In editione verò Romana anni 1565. & 1572. Mariani Victorii idem eſt tomorum numerus, ſed quæ prior editio conjecerat in quartum tomum, editio poſterior conjecit in octavum, & nonum: & quæ editio prior collocaverat in tomis quinto, ſexto, & ſeptimo, octavo, & nono: poſterior collocat in quarto, quinto, ſexto, & ſeptimo. Nos ſequemur ordinem editionis poſterioris, quæ ab erroribus Eraſmi purgata eſt.

Igitur in primo tomo hæc opera inſunt.

Primi Tomi.

Epiſtolæ hortatoriæ, ut plurimum, 42. Ad Heliodorum. Ad Ruſticum. Ad Lætam. Ad Salviam. Ad Agereuchiam duæ. Ad Paulinum. Ad Paulum & Euſtochium nomine Marcellæ. Ad Marcellam, tres. Ad Paulum Concordienſem. Ad Theophilum Alexan. Ad Caſtrutium. Ad Exuperantium. Ad Julianum Diaconum. Ad Virgines Hermonenſes. Ad Ruffinum. Ad Chromatium & alios. Ad Antonium. De vitando ſuſpecto contubernio. Ad Sabinianum Diaconum. Ad Nepotianum. Ad Florentinum duæ. Ad Demetriadem. Ad Furiam. Ad Gaudentium. Ad Celantiam. Ad Euſtochium, duæ. Ad Lucinium. Ad Abigaum. Ad Julianum. Ad Caſtorinam. Ad Theodoſium Monachum. Ad Auguſtinum. Ad Niceam Diaconum. Ad Chryſogonum. Ad Ruſticum. In eodem tomo ſunt epiſtolæ laudatoriæ, ſive funebres, numero duodecim. In Nepotianum. In Marcellam. In Bleſillam. In Aſellam. In Leam. In Paulam. In Lucinium. In S. Paulum. In Malchum. In Fabiolam. In ſanctum Hilarionem. In mulierem ſepties ictam.

Denique ad finem primi tomi, eſt liber de Script. Eccleſiaſt. ſive de viris illuſtribus.

Obſervatio in primum Tomum.

In hoc primo tomo nihil eſt, de quo merito dubitari poſſit.

Secundi Tomi.

In Secundo Tomo libri ſunt contra hæreticos, vel calumniatores. *Adverſus Helvidium lib. 1. Adverſus Jovinianum, lib. 2. Apologia pro libris in Jovinianum. Apologeticum ad Domnionem. Ad Pammachium pro iiſdem libris. Adverſus Vigilantium ad Riparium epiſtola. Adverſus Vigilantium, lib. 1. Ad Marcellam adverſus Montanum epiſtola. Adverſus Luciferianos Dialogus. Ad Avitum contra Origenem. Ad Joannem Hieroſolymitanum Originiſtam. Ad Pammachium de erroribus Jo. Hieroſolym. Ad Theophilum contra eumdem Joannem. Apologia adverſus Ruffinum lib. 3. Ad Cteſiphontem adverſus Pelagium. Adverſus Pelagianos lib. 3.* Ad diverſos diverſorum argumentorum *epiſtolæ triginta, nec non epiſtolæ Epiphanii, Theophili, Auguſtini. Ad Hieronymum epiſtolæ octo.*

Obſervatio in ſecundum Tomum.

In hoc etiam tomo nihil eſt dubium, vel ſuppoſititium.

Tertii Tomi.

In Tomo tertio ſunt præfationes, & quæſtionum explicationes. *Ad Paulinum de libris divinæ ſcripturæ. Præfationes in Pentateuchum. In Joſue. In libros Regum. In librum Paralip. 2. In Eſdram. In Tobiam. In Judith. In Eſther. In Job. In Proverbia. In Eccleſiaſten. In Cantica. In Iſaiam. In Hieremiam. In Ezechielem. In Danielem. In 12. Prophetas. In quatuor Evangelia.*

Sequuntur in eodem tomo explicationes quæſtionum à diverſis propoſitarum. *A Damaſo. A Dardano. A Vitali. Ab Amando. A Minerio, & ab Alexandro. A Cypriano. A Paula Urbica. Ab Evagrio. A Marcella. A Sophronio. Ab Hedibia. A Principia Virgine. A Fabiola. A Ruffino. A Sunia, & Fretella. Ab Algaſia. A Paulino. A Deſiderio.*

Denique ſunt in eodem Tomo, Traditiones ſive quæſtiones Hebraicæ. *In Geneſim. In libros Paralipomenon. In libros Regum.*

Item, libri de locis Hebraicis, & de nominibus Hebraicis, quæ in omnibus libris teſtamenti veteris & novi occurrunt.

Obſervatio in Tomum tertium.

In hoc tomo nihil eſt, de quo dubitetur exceptis quæſtionibus in libros Regum, & in libros Paralip. Sanctus enim Hieronymus in libr. de Script. Eccleſ. extremo teſtatur, ſe ſcripſiſſe traditiones, ſive quæſtiones Hebraicas in Geneſim, loca Hebraica, & nomina Hebraica: & de traditionibus, ſive quæſtionibus Hebraicis in libros Regum, & in lib. Paralip. nihil dicit, præterea in quæſtionibus Hebraicis in Geneſim adſcribit idem Hieronymus paſſim verba Hebraica, in quæſtionibus autem in libros Regum & Paralip. nonniſi ſemel, aut iterum id facit. Denique gravior videtur ſcriptio illa in Geneſim, quàm iſta in libros Regum, & Paralipomenon: ſed cujuſcumque ſit hoc opus, non magni refert.

Quarti Tomi.

In 4. tomo ſunt *commentaria in quatuor Prophetas majores, & Threnos Hierem.*

Quinti Tomi.

In quinto tomo ſunt *commentaria in Eccleſiaſten & in duodecim Prophetas minores.*

Sexti Tomi.

In tomo ſexto *commentaria in Matthæum, In epiſtolas ad Galatas, ad Epheſios, ad Titum, ad Philemonem. Liber Didymi de Spiritu S. à Hieronymo latinus factus.*

Obſervatio.

In his tribus tomis omnia ſunt legitima, & certa quod attinet ad auctorem excepto Commentario in Threnos Hieremiæ, qui videtur eſſe potius Rabani, quàm Hieronymi: habetur enim inter opera Rabani, & inveniuntur in eo ſententiæ aliquæ ex ſancto Gregorio decerptæ.

Poſt Commentarium in Matthæum, ſequebatur Commentarium in Marcum, quod Marianus prudenter omiſit quia auctor oſtendit ſe neque Græcæ linguæ, neque Hebraicæ fuiſſe peritum: & in explicatione cap. 14. & 15. multa ſcribit inepta, & falſa.

Septimi Tomi.

In tomo ſeptimo *Commentaria in Pſalmos omnes.* Verſio S. Hieronymi ex Hebræo.

Obſer-

Observatio.

De Commentariis in psalmos obscura quæstio est: scripsit sanctus Hieronymus in psalmos septem; videlicet in Psal. 14. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. ut ipse testatur in libr. de Script. Eccles. Deinde scripsit in Psalm. 44. 89. & 126. ut notum est ex Epistolis ejus ad Principiam, & ad Cyprianum, & ad Marcellam. Scripsit denique Commentariolos in omnes Psalmos, ut ipse idem testatur in Apologia prima contra Ruffinum. Certum est primos tractatus in Psalmos septem periisse: non minus certum est, explicationem trium Psalmorum, esse S. Hieronymi, & extare inter epistolas. De Commentariolis quæstio est, an sint ista Commentaria, quæ sub nomine sancti Hieronymi extant in hoc septimo tomo. Quod enim sint ista ipsa Commentaria, quæ nunc extant, probari potest, primò ex eo quod sanctus Hieronymus in Apologia prima contra Ruffinum, scribit, se in Commentariolis illis vertisse verba Hebraica, nassecu bar, quæ habentur in secundo Psalmo, adorate filium, eadem autem verba in interpretatione Psalterii de Hebræo in Latinum vertisse, adorate purè: & utramque lectionem defendit. Atqui in istis Commentariis, de quibus agitur, invenitur, adorate filium: & in interpretatione ex Hebræo invenitur, adorate purè; igitur sicut interpretatio Psalterii ex Hebræo, quæ extat, est sancti Hieronymi, ita & Commentaria quæ extant ejusdem sunt Hieronymi. Deinde probari potest alio simili argumento ex sancto Augustino. Sanctus enim Augustinus in epistola ad Fortunatianum citat verba S. Hieronymi exponentis Psalmum nonagesimum tertium: & verba illa omnia inveniuntur in Commentario isto, ut non videatur posse esse dubium, quin sanctus Augustinus citaverit Commentaria ista sub nomine S. Hieronymi. Accedit tertium argumentum ex testimonio sancti Gregorii, qui explicans verba illa Psalmi quarti pœnitentialis: Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies, allegat sanctum Hieronymum exponentem eumdem locum: & expositio illa in his Commentariis invenitur: proinde testimonio sancti Gregorii, hæc ipsa Commentaria sancti Hieronymi esse videntur. Contra tamen sunt argumenta non minus probabilia. Nam hic auctor in explicatione Psalmi sextidecimi, disertis verbis citat Eucherium: Eucherium autem, qui ex scriptis notus est, multis annis sanctus Hieronymus præcessit: neque in libro de Script. Eccles. ullius Eucherii sanctus Hieronymus meminit, cùm tamen nullum ferè prætereat ex majoribus, vel æqualibus suis. Deinde hic idem auctor in explicatione Psal. 108. scribit, suo tempore fuisse annum quadringentesimum ab excidio Hierusalem, in quo cœpit ultima captivitas Judæorum: excidium autem Hierusalem contigit anno quadragesimo secundo post passionem Domini, ut idem auctor ibidem affirmat: quibus annis si addamus annos triginta tres vitæ Christi, erunt omnes simul anni 475. Igitur auctor horum Commentariorum vivebat anno Domini 475. Atqui sanctus Hieronymus obiit anno Domini 422. ut supra dictum est. Accedit tertium argumentum, quòd hic auctor in explicatione Psal. 86. dicit illa verba: Numquid Sion dicet homo, esse ex Hebraica veritate: & tamen in translatione Psalterii ex Hebræo sanctus Hieronymus vertit, Ad Sion dicetur homo: & verè sic est in Hebræo, ut videatur auctor horum Commentariorum non calluisse linguam Hebraicam, ac per hoc non esse Hieronymus, qui ejus linguæ, sine controversia peritissimus erat. At (ut omittam alia multa) S. Hieronymus in Apologia prima contra Ruffinum scribit, se Commentariolos confecisse in Psalmos: auctor autem horum Commentariorum in quorumdam Psalmorum explicatione longissimas disputationes vel cohortationes adjungit. Vide Commentaria in Psal. 81. 86. 132. 133. & secundam expositionem Psalm. 119. quæ habetur ad finem Commentarii: isti enim Psalmi brevissimi sunt, & Commentaria habent fusissima. Ego igitur (si mihi liceat sententiam meam exponere) existimo, Commentaria, de quibus agimus, verè esse sancti Hieronymi, sed non pura. Videtur enim aliquis longe posterior scriptor adjunxisse multa de suo: quod idem accidit versioni Scripturarum ex Hebræo, quam habemus in editione vulgata: est enim versio ipsa sancti Hieronymi, exceptis Psalmis, in editione vulgata, sed multis additis, ut ostendi in Controversiis, lib. 2. de Verbo Dei, cap. 9. extremo: sic igitur Commentaria ista Hieronymi sunt, sed aucta ab aliquo, qui multa inseruit ex Hilario, ex Ambrosio, ex Ruffino, & ex Augustino, & qui etiam adjecit cohortationes sive conciunculas, quæ habentur interdum ad finem; & qui illa adjecit videtur vixisse anno Domini 475. ut etiam facilè Eucherium citare potuerit. Atque ex hac observatione solvuntur omnia argumenta, quæ nos paulò ante adduximus, quæque ab aliis Scriptoribus adducuntur. Illud unum videtur solvi non posse, quòd hic auctor dicat, secundùm Hebraicam veritatem haberi in Psal. octuagesimo sexto: Numquid Sion dicit homo? Respondemus tamen, vocem illam (Hebraicam) irrepsisse in textum scioli alicujus temeritate, & omnino abradendam esse: auctor enim dixerat: alicubi legi, Mater Sion, alicubi, Numquid Sion: & addidit, in textu Græco haberi μήτι, idest, numquid, sed ab aliquo mutatum est in μητὴρ, idest, mater: & se velle utroque modo exponere: & cum exposuisset, Mater Sion, addit, exponamus nunc secundùm Hebraicam veritatem, quæ habet, Numquid Sion, ubi illud, Hebraicam, supervacaneum est: & legendum videtur: exponamus nunc secundùm veritatem, quæ habet, Numquid Sion: illud enim, Mater Sion non est secundùm veritatem Græci textus, sed secundùm corruptionem: in illis enim Commentariis sanctus Hieronymus exponit Psalterium secundùm versionem Græcam LXX. Interpretum, non secundùm versionem ex Hebraico.

Octavi Tomi.

In Tomo octavo hæc sunt. *In Job Commentaria Bedæ. In Proverbia Commentaria Bedæ. In Cantica Homiliæ Origenis. In omnes Pauli epistolas Commentaria* falsò attributa Hieronymo.

Observatio.

Rectè Marianus Victorius Commentaria in Job non tribuit sancto Hieronymo, sed Bedæ; nam in extremo volumine scribit auctor, se scripsisse in gratiam Vecterii: Vecterium autem Episcopum fuisse in Anglia tempore Bedæ, ex historia ejusdem Bedæ manifestè colligitur.

Rectè quoque Commentaria in Proverbia tribuuntur Bedæ, non autem Hieronymo, siquidem in caput 21. & 31. citatur S. Gregorius Papa; & in cap. 30. citatur nominatim S. Hieronymus.

Commentaria in omnes Epistolas, non solùm non sunt Hieronymi, sed, quod magis mirum est, Pelagii hæresiarchæ sunt. Nam sanctus Augustinus lib. 3. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 1. dicit, se legisse Commentaria Pelagii brevia in omnes epistolas

stolas Pauli: & infra cap. 12. allegat quædam ex Commentario in cap. 7. prioris ad Corinth. quæ in his Commentariis inveniuntur. Vide auctorem horum Commentariorum, in cap. 5. 6. 7. & 8. & 11. ad Romanos, item 1. Corinth 4. Philip. 1. & 3. & in caput 6. prioris ad Timoth. & invenies sententias manifestè Pelagianas.

Noni Tomi.

In Tomo nono sunt multa aliorum ut Eusebii Cæsariensis, Ruffini, Augustini, Gennadii, & aliorum de quibus nullum est dubium.

Plurimi etiam libri, vel epistolæ ponuntur, quas Erasmus tamquam suppostitias in tomum quartum conjecerat. Verè enim nihil horum est, quod Hieronymi doctrina, vel fide sit dignum. Ego solùm ea commemorabo, quæ manifestè comperi ad Hieronymum non pertinere.

Epistola ad Demetriadem Virginem, quæ incipit: Si summo ingenio, Pelagiana est, & à S. Augustino tribuitur ipsi Pelagio, & confutatur in libro de gratia Christi cap. 22. 27. 37. 38. & 40.

Epistola ad Geruntii filias, similiter Pelagiana est: sicut etiam

Epistola ad Amicum de cognitione divinæ legis.

Epistola de Scriptoribus Ecclesiast. ad Desiderium ponit inter lumina Ecclesiæ Origenem, Jovinianum, Pelagium, hæreticos: numerat etiam Hilarium Pontificem, qui S. Leoni successit, qui diu post mortem S. Hieronymi clarere cœpit.

Epistola de filio luxurioso, & frugi, Pelagiana est: & multum omnino discrepans à vera epistola sancti Hieronymi de eodem argumento.

Simbolum ad Damasum, quod incipit, Credimus in Deum Patrem, & clauditur illis verbis, se imperitum, & malevolum, vel non Catholicum, non me hæreticum comprobabit, non est Hieronymi ad Damasum, sed Pelagii ad Innocentium. Id ostendit S. Augustinus in lib. de gratia Christi. cap. 30. 31. 32. & 33. ubi dicit Pelagium misisse ad Innocentium Papam libellum fidei suæ, & ibidem recitat verba ejus libelli, quæ sunt illa ipsa, quæ in hoc Symbolo continentur.

Epistolæ sancti Augustini ad Cyrillum Hierosolymæ Episcopum de obitu sancti Hieronymi, sine dubio falsæ & suppostitiæ sunt. Constat enim Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum obiisse diu antequam sanctus Hieronymus moreretur: scribit enim sanctus Hieronymus in lib. de Script. Ecclesiast. in Cyrillo, Cyrillum sæpius expulsum, & revocatum, tandem octo annis pacificè sedisse. Adde quòd epistolæ istæ, ut etiam epistola Eusebii ad Damasum de morte sancti Hieronymi novitatem suam manifestè produnt. Nec solùm novitatem, sed etiam imperitiam, & imposturas: scribit enim fictitius Cyrillus ad Augustinum, hæresiarcham quemdam Sylvanum docuisse, duas in Christo esse voluntates: sed miraculis sancti Hieronymi hunc hæresiarcham fuisse confutatum. At hæresis monothelitarum ducentis annis post tempora Cyrilli, & Hieronymi exorta est: & non est hæresiarcha dicendus, qui duas voluntates in Christo confitetur, sed qui unam tantùm, ut ex Concilio sexto generali intelligi potest. Itaque auctor harum epistolarum confundit tempora, hæresim monothelitarum pro fide Catholica vendit, Cyrillum, Augustinum, & Hieronymum pro magna laude hæreticos monothelitas facit.

Tribuitur ad ultimum sancto Hieronymo liber de vitis sanctorum Patrum: sed sciendum est, eum librum non esse unius auctoris: nam in prima parte ponuntur vitæ Monachorum, quas scripsit Evagrius Ponticus, de quo scribit sanctus Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, ex illis vitis solam primam esse veram, quæ est Joannis Abbatis: eidem Evagrio tribuit vitas Patrum Gennadius in suo catalogo scriptorum. Vitis illis ab Evagrio scriptis adjunctæ sunt vitæ Pauli primi Eremitæ, Hilarionis, & Malchi à sancto Hieronymo scriptæ: item vita sancti Antonii scripta ab Athanasio: item vita Mariæ Ægyptiacæ à Zozimo edita: item multa ex collationibus Cassiani: denique vita sancti Hieronymi parum fideliter conscripta.

Dissertatio Historica.

Sanctus Hieronymus, Stridone in Dalmatiæ Pannoniæque confinio, patre Eusebio natus est circa annum 329. Romam cum Bonoso veniens, Donatum audivit, atque in adulta jam ætate Baptismum suscepit; in Gallia deinde profectus, multisque peragratis Græciæ Asiæque Provinciis, constitit in Syriæ Eremo, Monasticam vitam agens, Antiochiæ à Paulino anno 378. Presbyter ordinatus, ita tamen ut nulli adscriberetur Ecclesiæ (si sic Presbyterum tribuis, ut Monachum non auferas tu videris, inquit epistola 61.) inde Romam reversus anno 382. Damaso Papæ adfuit in scribendis Epistolis eoque mortuo anno 385. Roma discedens navigavit in Syriam, & media fermè hyeme Hierosolymam intravit, anno seq. Ægypti Monasteria lustravit, per duos menses Didymi auditor Alexandriæ fuit, &c. quæ longum est persequi. Anno 392. Theodosii Imp. 14. laudatum à Cassiodoro, & aliis Catalogum de Scriptoribus Ecclesiasticis scripsit ad Dextrum Præf. Prætorio Paciani Barcinonensis Ep. filium. Bethleem tandem secessit, ibique in Monasterio scribendo, & commentando consenuit grandi admodum ætate usque ad diem 30. Septembris anni 420. Theodosii junioris 13. ætatis 91. quo ex hac vita migravit. Bellarminus, & quidam alii fatalem ejus annum censent fuisse Christi 422. nec Prosper in chronico iis favet, si benè intelligatur. Baronius ei annos tribuit tantùm 78. minus, ut arbitror, appositè: neque enim si 12. tantùm annis natu major fuit Augustino, se ut senem, illum verò ut juniorem toties jactare debuerat. De suis scriptis ipsemet loquitur cap. 135. atque ultimo citati Catalogi, & in plerisque aliis locis operum suorum. (a) Omitto S. Augustini pluribus locis, Idacii, Cassiodori cap. 20. Div. Lect. aliorumque de eo Elogia, & ad recentiores scriptores curiosum Lectorem ablego: nec refellendam puto insulsam Martini Chemnitii Lutherani sententiam, qua in Oratione de Lectione Patrum temerè effutiit: Quæ pertinent ad Grammaticam, & Historiam, ea ab Hieronymo disci posse; doctrinalia non item; quæ vox pecudis est, non hominis, non parum absimilis illi quam inter epulas evomuerat Lutherus: Hieronymus legitur propter historias: hæreticus est, salvatur tamen per fidem in Christum &c. Neque tamen conferenda cum ea quæ legitur in libro de servo arbitrio adversus Erasmum: Hieronymus (ea fuit oscitantia, & hebetudo ejus in scripturis intelligendis) multa impiè scripsit, &c. Sed quid aliud expectes, amabo, ab Apostatis vino madidis?

Editionis Romanæ omnium operum S. Hieronymi à Mariano Victorio Amoretto, Reatino, Episcopo Amerino, recognitæ ordinem sequutus est Bellarminus, qui certa ab incertis, spuria à genuinis discernit, nos Parisiensem anni 1623. exhibebimus.

Tomo I. continentur.

Epistolæ 49. *cum vitis SS. Pauli Eremitæ, Hilarionis, & Malchi Monachi, cum Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ejusque versione Græca Sophronii*, & in epistolas ac Catalogum illum eruditissimis ejusdem Mariani Victorii, Frontonis Ducæi Soc. Jesu, & Henrici Gravii annotationibus post præcedentem editionem Parisiensem à R. P. Andrea Schotto Soc. Jesu emendatis, auctis, & recognitis.

Advertat Lector epist. 14. quæ est ad Celantiam matronam, de ratione piè vivendi, à quibusdam D. Paulino Episcopo Nolano tribui, & dubias videri 40. ad Augustinum, 56. ad Apronium, 98. ad eumdem Augustinum, & fortè nonnullas alias, quæ non magni sunt momenti. Sunt etiam qui 61. ad Pammachium velint favere Pelagianismo, &c.

Tomo II. continentur.

Adversus Helvidium liber unus. Adversus Jovinianum libri duo. Apologia ad Pammachium pro libris adversus Jovinianum, seu Ep. 50. *Apologeticon ad Domnionem Ep.* 51. *Ad eumdem Pammachium pro libris iisdem adversus Jovinianum Ep.* 52. *Adversus Vigilantium ad Riparium Presbyterum, Ep.* 53. *Liber adversus Vigilantium. Ad Marcellam adversus Montanum, Ep.* 54. *Epistolæ* 55. *Ripario*, 56. *Apronio*, 57. 58. *Damaso. Dialogus adversus Luciferianos. Ad Avitum, quid cavendum in libris* περὶ ἀρχῶν *Origenis, Ep.* 59. *Ad Joannem Hierosolymitanum, Ep.* S. Epiphanii Salaminæ Cypri Antistitis epistola ab Hieronymo Latinè reddita. *Ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani*, Ep. 61. *Ad Theophilum contra eumdem Jo: Hierosolymitanum* Ep. 62. Præfatio Ruffini in libros περὶ ἀρχῶν Origenis Ep. 63. Pammachii, & Oceani Epistola ad Hier. *Ad Pammachium & Oceanum, Ep.* 65. *Ad Ruffinum, Ep.* 66. *Apologiæ adversus Ruffinum libri tres ad Pammachium & Marcellinum. Ad Ctesiphontem adversus Pelagium. Dialogorum adversus Pelagianos libri tres. Post, & ante breves aliquas epistolas. Liber adversus Vigilantium.* Hier. & Aug. mutuæ epistolæ, & aliquot aliæ, præsertim c. 5. *de optimo genere interpretandi*, ad Pammachium.

Tomo III. continentur.

Epistolæ complectentes τὰ ἐξηγητικά, sive explanationes sacræ Scripturæ. *Ad Paulinum de libris sacræ Scripturæ, ep.* 103. *Ad Desiderium Præfatio in Pentateuchum, ep.* 104.

Præfationes in Josue, libros Regum, Paralipomenon tum ad Chromatium, tum ad Domnionem, & Rogatianum, in Esdram & Nehemiam ad utrumque in Tobiam ad Heliodorum, & Chromatium, in Judith, in Hester, in Job, in Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum ad Chromatium, & Heliodorum Episcopos, ad Paulam & Eustochium in Ecclesiasten, ad easdem in translationem Esaiæ ex Hebraica veritate, in Jeremiam, Ezechielem, Danielem, duodecim Prophetas, in quatuor Evangelia ad Damasum.

Mutuæ Hieronymi, & Damasi Papæ Epistolæ 124. & 125. *Ad Evagrium ep.* 126. *Ad Fabiolam de* 42. *mansionibus in deserto ep.* 127. *Ad eamdem de vestitu Sacerdotum ep.* 128. *Ad Dardanum ep.* 129. *Ad Marcellam ep.* 130. *Ad Ruffinum ep.* 131. *Ad Vitalem ep.* 132. *Ad Marcellam ep.* 133. *Ad Sophronium ep.* 134. *Ad Suniam, & Fretellam ep.* 135. *Ad Marcellam ep.* 136. 137. 138. *Ad Cyprianum explanatio Psalmi* 89. *ep.* 139. *Ad Principiam Virginem explanatio Psalmi* 44.

A *ep.* 140. *Ad Marcellam expositio Psalmi* 76. *ep.* 141. *Ad Damasum ep.* 142. 143. 145. 146. *Ad Amandum ep.* 147. *Ad Marcellam ep.* 148. & 149. de blasphemia in Spiritum Sanctum. *Ad Hebidiam, seu Hedibiam ep.* 150. *Ad Algasiam, ep.* 151. *Origenis Homiliæ duæ in Cantica Canticorum* int. D. Hieronymo. *Ad Minerium, & Alexandrum ep.* 152. *Ad Paulinum ep.* 153. *Ad Desiderium ep.* 154. *Ad Paulam Urbicam* de interpretatione Alphabeti Hebraici ep. 155. *Quæstiones, seu Traditiones Hebraicæ in Genesim.*

Quæstiones, seu Traditiones Hebraicæ in libros Regum & Paralipomenon: de quibus plura Nicolaus Lyranus, Sixtus Senensis, Marianus Victorius, Card. Bellarminus, & alii, qui Neophyto Judæo tribuunt

B certè Hieronymo abjudicant.

De Locis Hebraicis, ex Eusebio, qui à B. Pamphilo Martyre cognomentum sortitus est. Græcum textum Eusebii edidit Jacobus Bonfrerius Soc. Jesu in Onomastico post Commentaria in libros Josue, Judicum, & Ruth.

De Actis Apostolorum Appendix, non est Hieronymi, cùm ibidem citetur, ubi mentio Smyrnæ Asiæ civitatis. Reperitur inter opera Ven. Bedæ. Hujus libri censuræ Hottingerus Riveti exscriptor hanc præmisit argutiolam nive Rætica frigidiorem. Hieronymum ut longa syrmata rubræ togæ ex portentosis mendaciis pictores Romani depingunt trahentem, ita multa quoque scripta ejusdem nomine Institores

C Papistæ venditant, quæ non Hieronymum auctorem sed alios impudentissimos. En frontem Ministelli Tigurini! sæpè & insulsissimos rabulas præseferunt.

Interpretationes nominum Hebraicorum, quæ in omnibus libris Veteris, & Novi Testamenti occurrunt ex Philonis Judæi, & Origenis Lucubrationibus Græcis Latinè ab eodem sancto Doctore redditæ, ut præfixa docet Præfatiuncula.

Tomo IV. continentur.

Commentaria in quatuor Majores Prophetas.

In Lamentationes Hieremiæ Commentaria ad Eusebium. Dubitavit de iis (*b*) meritò Marianus, sed Six-

D tus Senensis, & Bellarminus Rabani esse suspicantur, in cujus operibus reperiuntur: adde quòd nonnulla ex sancto Gregorio in illis occurrant, & Rabani nomine citentur à sancto Bonaventura in sua ad easdem Lamentationes Expositione.

Tomo V. continentur.

In Ecclesiasten, & in 12. *Minores Prophetas Commentarii.*

Tomo VI. continentur.

Commentaria in Matthæum. Quæ in Marcum in

E antiquis editionibus occurrunt non sunt Hieronymi, ideoque jure à Mariano ablegata. De iisdem vide Maldonatum, Baronium, Bell. & alios.

In Epistolas B. Pauli ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, ad Philemonem. Liber Didymi de Spiritu Sancto, Latinitate donatus à S. Hieronymo cum ejus Præfatione ad Paulinianum fratrem.

Tomo VII. continentur.

Commentaria super Psalmos, de quibus consule Sixtum Senensem, & eruditam Bellarmini observationem. Certè non esse Hieronymi multa demonstrant adversus Marianum, Scultingum, & quosdam alios.

Psalterium ex Hebræo ab ipso Hieronymo Latinitate donatum.

Tomo VIII. continentur.

Commentarii in Job ad Victorium. Sunt Bedæ ex Mariano, Possevino, Bellarmino, &c. (*c*)

Commentarii in Proverbia Salomonis. Eidem Bedæ tribuuntur à Trithemio. Certè non esse Hieronymi compertissimum est. Vide Sixtum, & alios.

Homiliæ quatuor Origenis in Cantica Canticorum. An Origenis sint, an & ab Hieronymo versæ, utrumque controvertitur.

Commentarii in omnes S. Pauli Apostoli Epistolas. Bellarminus censuit esse Pelagii. Verùm quæ S. Augustinus cap. 1. lib. 3. de peccatorum meritis, & remissionibus citat, non inveniuntur, ne illa quidem quæ cap. 11. si benè considerentur. Quod autem ad sententias Pelagianas attinet, eæ locis à Bell. indicatis reperiuntur. Certè Hieronymo abjudicant Ambrosius Catharinus, Marianus Victorius, Sixtus Senensis, aliique passim. (*d*)

Tomo IX. continentur.

Epistola ad Demetriadem Virginem. Est Pelagii cujus nomine citatur à S. Augustino in Epistola ad Julianam, & libro de gratia Christi cap. 21. & sequentibus, ab Orosio aut quocumque alio Auctore Apologetici, &c. Sunt qui etiam Juliano Pelagiano tribuant, alii Cælestio, sed minus rectè: Pelagius enim ut suam sibi vindicat cap. 3.

Augustini, & Alipii epistola ad Julianam Demetriadis Virginis matrem, ep. 2. *Ad Gerontii filias de contemnenda hæreditate*. Bell. & aliis dicitur Pelagiana ep. 3. *Ad Marcellam ut adversa toleret exhortatio*, ep. 4. *Ad Virginem in exilium missam consolatio*, ep. 5. *Ad amicum ægrotum*, ep. 6. *Ad amicum ægrotum de viro perfecto*, ep. 7.

Instituit amicum in scientia, seu cognitione Divinæ Legis, ep. 8. quæ dicitur similiter Bellarmino, & aliis Pelagiana. Cælestii partum esse censuit Joannes Montinius præfatione in S. Prosperi opera.

De tribus Virtutibus, ep. 9.

Epist. 10. *Ad Paulum & Eustochium de Assumptione B. Virginis sermo*. Sophronii esse credidit Marianus & quidam alii. Verùm Baronius Tomo 1. Annalium, junioris alicujus fuisse docet, qui vixerit post exortas Nestorii & Eutychetis hæreses. Vide annum Christi 48. num. 12. unde sua hauserunt Perkinsi, Riveti, Coci, similesque decoctores Heterodoxi. Adde quòd in eo multa sint verbatim desumpta ex epistola S. Leonis Papæ ad Flavianum Const. Patr. scripta anno 448. ad quem non videtur pervenisse Sophronius, qui jam ab anno 392. inter Scriptores Ecclesiasticos numerabatur non amplius puer, sed provectioris ætatis.

Ep. 11. de Assumptione B. Virginis Mariæ sermo, falsò eidem Hier. adscriptus. (*e*)

De honorandis parentibus, ep. 12.

De septem gradibus Ecclesiæ, ad Rusticum Narbonensem Episcopum, ep. 13. Auctor libri hujus de septem ordinibus vixit circa annum 450. vel 460. De Rustico non aliàs plura ex S. Leone Papa, &c. Sunt tamen qui post annum 640. scriptum velint, cùm multa habeat ex Isidoro Hispalensi deprompta. Citatur ab Hincmaro, Micrologi auctore, & quibusdam aliis, sub nomine Hieronymi.

Virginitatis laus ad Mauritii filiam, ep. 14.

De his quæ Deo in Scripturis sanctis attribuuntur, ep. 15.

Damasi symbolum, quod incipit: Credo in unum Deum patrem, ep. 16.

Symboli explanatio ad Damasum; quæ incipit: Credimus in Deum Patrem omnipotentem; & claudi-

A tur illis verbis: Non me hæreticum comprobabit, ep. 17. Bellarminus contendit esse libellum à Pelagio ad Innocentium Papam missum, de quo S. August. lib. de gratia Christi capp. 30. & seqq. In eamdem rem extat libellus Joannis Launoji Theologi Parisiensis. (*f*)

Explanatio Fidei ad Cyrillum, ep. 18.

Symbolum Ruffini ad Laurentium Episcopum.

Ad Præsidium Diaconum de Cereo Paschali, ep. 19. Antiquum esse scriptorem hæc verba docent ab aliis minus fortè animadversa: Nuper Imp. Valentinianus cùm adversus Sarmatas, Quadosque propter Illyrii vastationem in consistorio sævus infremeret, & totius gentis excidium rigidus minaretur, sanguine

B erumpente discrepuit. Quid loquar de fratre ejus, quem contra regale fastigium Thraciæ ignis absorbuit? Necdum annus completus est, quo Principem Gratianum procedente (corrigendum haud dubiè: prodente) exercitu suo ante fœda captivitas, dehinc miserabilior oppressit interitus. Ergo anno 383. vel sequenti scribebat ad Prœsidium, qui videtur fuisse Placentinus. Corrigendum quoque videtur quod cubat mendum in hisce verbis: Ad asylum Romuli fugies, & Comædiæ (lege, Concordiæ) conscendes aram.

De vera Circumcisione ad Therasiam, ep. 20. *De celebratione Paschæ*, ep. 21. *In Susannam lapsam objurgatio*, ep. 22. *In Evagrium objurgatio, quòd Levitam*

C *lapsum non sit consolatus*, ep. 23. *Hortatio ad militem sæculi, ut Christo militet*, ep. 24. *De decem tentationibus populi Israelitici*, ep. 25. *Explanatio in Psalmum* 41. ep. 26. *Explanatio in Psalmum* 117. ep. 27. *Ad Dardanum de diversis generibus Musicorum*, ep. 28. *De Resurrectione Domini*, ep. 29. *De Nativitate Domini*, ep. 30. *De Epiphania Domini*, ep 31. *De Quadragesima*, ep. 32. *In Vigilia Paschæ de Agni esu*, ep. 33. *De Resurrectione Domini*, ep. 34. *Ad Eustochiam de vinculis B. Petri*, ep. 35.

De observatione Vigiliarum, ep. 36. Auctorem habet Nicetam in Dacia Episcopum, de quo, & ad quem S. Paulinus Nolanus Episc. (*g*)

D *Ad Pammachium, & Oceanum exhortatoria*, ep. 37. *Ad quemdam, qui in sæculo pœnitebat*, ep. 38. *De diversis generibus leprarum*, ep. 39.

De duobus filiis frugi, & luxurioso, ep. 40. Bell. censet Pelagianam esse, & multum omninò discrepantem à vera epistola S. Hieronymi de eodem argumento. Reperitur inter opera S. Joannis Chrysostomi, nec tamen ejus est, sed incerti scriptoris.

Paulini ad Sebastianum, ep. 41.

In Apologiam Eusebii Cæsariensis pro Origene falso Pamphilo Martyri adscriptam, Ruffini ad Macarium proœmium.

Apologia Eusebii pro Origene falsò adscripta Pamphilo int. Ruffino. *Ruffinus de adulteratione librorum Origenis ad Macarium. Prologus Ruffini in Periarchon Origenis ad Macarium. Origenis fragmentum librorum Pe-*

E *riarchon. Ruffini ad Anastasium Urbis Romæ Episcopum Apologia pro fide sua. Anastasii Romani Episcopi ad Joannem Hierosolymitanum Episcopum de Ruffino sententia. Ruffini Aquilejensis in D. Hieronymo Invectivarum liber* 1. *Invectivarum liber* 2. *Augustinus Hieronymo de eo, quod scriptum est, Qui totam legem observaverit*, ep. 44. *Idem ad eumdem de ratione animæ*, ep. 45. *Idem ad Optatum Milevitanum Ep. de origine animarum* ep. 46. *Ejusdem Homilia de Pastoribus* ep. 47. *Valerius Ruffino ne ducat uxorem* ep. 48. *Gennadii Massiliensis Presbyteri Illustrium Virorum Catalogus. Martini V. Romani Pontificis, sequentis Regulæ Monachorum approbatio. Regula Monachorum D. Hieronymi*, ex scriptis ejusdem per Lupum de Oliveto collecta. *Dialogus de origine animarum, nomine Augustini & Hieronymi*, ex utriusque

que ſcriptis ab incerto auctore collectas. *De corpore, & Sanguine Chriſti Homilia* incerto auctore. *Homilia ſuper Evang. Matthæi.* Quis veſtrum habebit amicum &c. incerto auctore. *Ad Tyraſium ſuper morte filiæ conſolatio ep.* 49. *Ad Oceanum de ferendis opprobriis hortatio ep.* 50.

Ad eumdem Oceanum de vita Clericorum, ep. 51. Hanc epiſtolam verè eſſe S. Hieronymi adverſus Marianum Victorium probant Baronius in Notis (*b*) ad Martyrologium Romanum die 23. Septembris, & Thomas Maſſutius libr. 4. de vita Sancti Pauli cap. 9.

Damaſi ad Hieronymum, & Hieronymi ad Damaſum epp. 52. 53. *Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogus ad Deſiderium.* Non eſſe Hieronymi, tum alia docent, tum mentio Hilarii Papæ S. Leonis Magni ſucceſſoris qui ab anno 461. ad 467. Romæ ſedit. *Ad Paulam, & Euſtochium de virtute Pſalmorum ep.* 54. *Ad Damaſum de oblationibus altaris ep.* 55. *Regula Monachorum capitibus* 41. Fœminis ſcriptam eſſe non viris, tum alia edocent tum lemmata capp. 7. & 8.

De Epiſtolis Chromatii, & Heliodori ad Hieronymum, & Hieronymi ad eoſdem, cum tractatu de Ortu, ſeu Nativitate S. Mariæ, conſulendi ſunt Baronius ad annum 388. §. 101. Sixtus Senenſis, Melchior Canus, Petrus Caniſius, Gabriel Vaſquez, S. Antoninus in Chronico, aliique, qui auctorem antiquum eſſe fatentur, ſed non Hieronymum.

Euſebii Epiſtola de morte Hieronymi ad Damaſum ſuppoſititia eſt, ut pluribus Bar. Bell. aliique paſſim.

Auguſtini Hipponenſis Ep. ad Cyrillum Hieroſolymitanum Epiſcopum de magnificentiis ſeu miraculis B. Hieronymi, ejuſdemque Cyrilli ad eumdem Auguſtinum Epiſtolæ falsò iis adſcriptæ ſunt, ut Bar. Bell. ſimileſque viri eruditi.

Vita D. Hieronymi incerto auctore.

In Pariſienſi editione anni 1623. quam ſequutus ſum, hæc præ cæteris addita reperiuntur.

I. Difficilia S. Hieronymi loca per Franciſcum à Meſſana Hieronymiani Ordinis Madriti in Hiſpania Doctorem Theologum, ordine Alphabetico digeſta. II. Advertentiæ, ſive Animadverſiones Theologicæ in opera S. Hieronymi, ſtudio Ferdinandi Velloſilli Epiſcopi Lucenſis. III. Federici Morelli Obſervationum, & Emendationum Diatriba. IV. Lælii Epiſcopi Balneoregiani emendatio inſignis loci Hieronymiani.

In Bibliothecæ Magnæ Pariſienſis Veterum Patrum Tomo 3. extant pag. 81. S. Hieronymi quatuor Epiſtolæ ad Theophilum Alex. Epiſc.

Pariſiis anno 1617. prodiit S. Hieronymi nomine *Indiculus de Hæreſibus* non Judæorum dumtaxat, ut fert ineptè titulus, ſed eorum ferè omnium qui ab Eccleſia Catholica defecerunt, editus cura Claudii Menardi Juliomagi Andium Proprætoris. Verùm non videtur eſſe Hieronymi, eique ex Gennadio, & Iſidoro multa fuerunt ad finem adjecta. Deeſt tamen aliquid, & in mſ. codice quem viderat Sirmondus poſt iſta verba: *Aliæ Chriſti de Patre nativitati initium temporis dant*: ſubjiciebantur iſta: *Aliæ liberationem hominum apud Inferos factam Chriſti deſcenſione non credunt: Aliæ animas converti in Dæmones, & in quæcumque animalia exiſtimant: Aliæ de mundi ſtatu diſſentiunt: Aliæ innumerabiles mundos opinantur: Aliæ aquam Deo coæternam faciunt: Aliæ nudis pedibus ambulant: aliæ cum hominibus non manducant.*

Hæ ſunt Hæreſes adverſus Catholicam fidem exortæ, & ab Apoſtolis, & ſanctis Patribus, vel Conciliis prædamnatæ. Quæ cùm in ſe multis erroribus diviſæ invicem ſibi diſſentiant, communi tamen nomine adverſus Eccleſiam Dei conſpirant. Sed quicumque aliter Scripturam ſanctam intelligit, quam ſenſus Spiritus Sancti flagitat, à quo A *conſcripta eſt, licèt de Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt.*

Liber de Vitis Sanctorum Patrum, ſæpè ſub Hieronymi nomine excuſus, & à R. P. Heriberto Roſuveido Soc. Jeſu. Theologo ſuo nitori reſtitutus Antuerpiæ annis 1615. & 1628. ex pluribus conſcriptus eſt, & conſarcinatus diverſorum Auctorum opuſculis, quos ex Roſuveido, cujus Prolegomena, Notas, & Onomaſticon eruditiſſimum conſulat Lector antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſus, in hunc fermè modum collegit Miræus.

In primo libro de Vitis Patrum occurrunt Scriptores iſti. I. *S. Hieronymus* auctor vitarum Pauli primi Eremitæ, Hilarionis Anachoretæ, Malchi Monachi B captivi, Fabiolæ, Paulæ, & Marcellæ Romanarum viduarum. II. *Athanaſius* Alexandrinus Epiſcopus auctor vitæ S. Antonii. III. *Paphnutius*, auctor vitæ S. Onuphrii Eremitæ. IV. *Ephrem* Syrus Diaconus Edeſſenus auctor vitæ S. Abrahami Eremitæ, & Mariæ meretricis ejus neptis. V. *Antonius* auctor vitæ S. Simeonis Stylitæ magiſtri ſui. VI. *Leontius* Neapoli Cypri Epiſcopus auctor vitæ S. Joannis Eleemoſinarii Patr. Alex. VII. *Joannes Damaſcenus* ſeu Sabaita auctor vitæ SS. Barlaami, & Joſaphati. VIII. *Jacobus* Diaconus Edeſſenus auctor vitæ S. Pelagiæ meretricis. IX. *Sophronius* Epiſcopus Hieroſolymitanus auctor vitæ S. Mariæ Ægyptiacæ meretricis. X. *Theophilus, Sergius, & Hyginus* auctores vitæ S. Macarii C Romani. Tum quorum ignorantur nomina, quique ſcripſerunt vitas SS. Baſilii Cæſarienſis Epiſcopi, Pachomii Abbatis Tabennenſis in Ægyto. SS. Epicteti Presbyteri, & Aſtionis Monachi, S. Frontonis Abbatis, SS. Eugeniæ, Euphraſiæ, Euphroſynæ, & Marinæ Virginum, & Thaidis meretricis.

Secundi, & Tertii librorum auctor vel interpres creditur *Ruffinus* Aquilejenſis Presbyter.

Quartus liber excerptus eſt ex *Severi Sulpitii* Dialogo primo, & Joannis Caſſiani Inſtitutis & Collationibus.

Quinti, & Sexti librorum auctor fuit *Græcus Anonymus*, cujus mentio apud Photium cod. 198. Libri verò quinti interpres fuit *Pelagius* S. R. E. Dia- D conus, & Sexti *Joannes* ejuſdem S. R. E. Subdiaconus, de quibus Sigebertus cap. 115. & 116. de viris Illuſtribus. Georgius Garnefeltius cenſuit Pelagium hunc ab anno 555. ad 559. Joannem verò Catellium cognominatum ab anno 559. ad annum 573. fuiſſe Romanos Pontifices.

Septimi auctor fuit *Græcus*; Interpres verò *Paſchaſius* Diaconus rogatu Martini ex Abbate Dumienſi Bracarenſis Metropolitæ qui anno 580. obiit.

Octavi auctor *Palladius* Helenopoleos in Cappadocia Epiſcopus: interpres Gentianus Hervetus Aurelius Canonicus Rhemenſis Lauſiacæ hujus hiſtoriæ veterum verſionem ſubtexuit Roſuveidus, & Fronto Ducæus Græcum textum edidit in G. L. E Auctario Bibl. Veterum Patrum anno 1624.

Noni libri qui Philotheus dicitur; auctor *Theodoretus* Cyri Epiſcopus: interpres Albericus Longus Salentinus ac deinde Gentianus Hervetus.

Decimi qui Limonarium Sophronii, Pratum Spirituale, vel etiam Photii cod. 19. Paradiſus novus inſcribitur, auctor fuit *Joannes Moſchus Eviratus Monachus* ad Sophronium Hieroſolymitanum Epiſcopum, interpres verò Ambroſius Camaldulenſis Monachus.

Addidit Roſuveidus *Heraclidis Paradiſum* qui magna pars eſt Lauſiacæ Hiſtoriæ ex veteri interpretatione, & *Ægyptiorum Patrum ſententias*, interprete Martino ex Dumienſi Abbate, Bracarenſi Metropolitano.

(*a*) Ac præcipuè lib. 2. adverſus Julianum ſub finem, & lib. 18. de Civitate Dei, Severi Sulpitii Dia-

Dialogo primo in persona Postumiani eum laudantis, & à calumniis vindicantis. (*Hieronymo jugis adversus malos pugna perpetuumque certamen concivit odia perditorum : oderunt eum hæretici, quia vitam eorum insectatur, & crimina : sed planè eum boni omnes admirantur, & diligunt.*) Cassiani lib. 7. de Incarnatione Verbi cap. 26. Ennodii ad Faustum, S. Gregorii XI. Moralium, Isidori Hispalensis lib. 2. Originum, Jo: Sarisberiensis, Sixti Senensis, &c.

(*b*) Vel saltem apud eum in admonitione ad Lectorem viri aliquot eruditi, negat enim se posse eum librum uti alienum è loco suo movere, & contra omnem antiquitatem censuram talem primus adprobare. Promiserat quidem se post Ezechielem transiturum ad Hieremiam, quia in lamentationibus suis sub typo Hierusalem quatuor mundi plagas quadruplici &c.

(*c*) Quibus præcinit Sixtus Senensis lib. 4. Bibliot. pag. 246. editionis Lugdunensis, qua utor, ipse tamen pag. 289. Philippo Presbytero Monacho B. Hieronymi auditori optimo tribuere videtur : Cæterùm ipse Beda, inquit in libello de ratione unciarum, hæc ipsa Commentaria in Jobum suo vindicat auctori, quia Philippus in expositione Beati Job æstum maris, &c. Marianus Victorius, Amorettus, cujus indefesso studio, ac labore Hieronymi opera castigatiora prodierunt, in censura Commentariorum qui Octavo Hieronymi Volumine continentur, docet I. Commentarios illos in Job non esse Hieronymi, idque variis argumentis probat ex stylo, ac phrasi, ex vulgata Bibliorum editione, &c. II. Bedæ Presbyteri Angli potius esse, tum quòd stylus ipse, & commentandi modus valdè cum Commentariis in Proverbia Salomonis conveniant, tum quòd editi sint ad preces Vecterii. Fuisse autem Vecterium apud Anglos Episcopum testatur volumen illud, quòd vulgò CHRONICA ANGLICANA appellatur. III. Faustum Galliarum Episcopum initio libri de creaturis ex tractatu quodam S. Hieronymi recensere aliqua, quæ ad verbum sunt in fine XXV. capitis. Quod verò Faustum illum floruisse circa annum Domini 430. asserit, errat, cùm ad annum 475. aut 480. pervenerit Gennadio Massiliensi coævus. IV. Philippum Presbyterum Hieronymi insignem auditorem edidisse teste Gennadio sermone simplici Commentarios in Job, ejusque nomine à Transalpinis Typographis impressos circumferri, libros scilicet tres Nectario Episcopo dicatos, quorum principium est; *Adhortante te, imò potius compellente Nectari Pater Beatissime.* Quos tamen Bedæ Presbyteri potius esse alii existimant, & sub titulo Bedæ à Germanis aliis impressoribus postea typis mandati sint : adeò invaluisse, ut quidquid incertum habet auctorem, Bedę adscribatur. V. Quia ejusdem hominis utrique Commentarii esse non possunt, sequi, quòd si illi ad Nectarium sunt Bedæ, illi ad Vecterium Philippi potius sint, quàm Bedæ, sibique magis persuasum esse hos, qui Hieronymi nomine circumferuntur, Bedæ esse, & illos Presbyteri ut antea invulgatum erat. Verùm non contulerat vir eruditus utrumque Commentarium. Si enim vel breviter inter se commisisset, illicò judicasset Nectarium illum Episcopum à quibusdam librariis appellatum non esse alium à Vecterio, nec aliter inter se differre, quàm quod ex Commentariis illis qui initio Tomi VIII. Hieronymianorum operum leguntur, multa fuerint ab aliquo breviatore circumcisa, quæ fusè atque integrè cum ipsa ad Nectarium, seu Vecterium Præfatione excusa sunt pag. 602. & sequentibus Tomi IV. operum Bedæ; quem auctorem esse ex collatione aliorum ejusdem in Scripturam Commentariorum, de quibus non ambigitur, nullus dubitat.

A (*d*) Iis jam à longo tempore excusis, venit in manus meas Aubertini Latina editio ex cujus pag. 596. hoc segmentum descripsi. Extat, inquit, inter Hieronymi opera Commentarius in Epistolas Pauli, quem apud omnes in confesso est non esse Hieronymi, sed auctoris alicujus veteris Pelagiani. Bellarminus existimat Pelagii ipsius esse, quoniam S. Augustinus lib. 3. de peccatorum meritis cap. 1. dicit se legisse Commentaria Pelagii brevia in omnes Epistolas Pauli: & infrà cap. 12. allegat quædam ex Commentario in caput 7. prioris ad Corinthios, quæ in iis Commentariis inveniuntur. Sed argumentum non satis firmum est, quia Augustinus loco citato refert potius sensum, quàm verba : idem autem sensus dari potuit, tum à Pelagio, tum ab alio authore. B Firmius argumentum suppeditabo ex Sedulio, non authore Paschalis operis, sed alio multò recentiori, cujus extant in Paulinas Epistolas Collectanea. Is enim in caput primum epistolæ ad Romanos postquam exposuisset hæc verba : *Justus ex fide vivit*, immediatè subjungit : *Aliter secundùm Pil.* literis reliquis, quæ Pilagium (sic enim illum appellat, nisi mendum sit) efficiebant, in Codice ms. super quo editio facta, vetustate, ac carie exesis, nec ab Editore intelligentiæ defectu suppletis. Tum subjungit expositionem, quæ iisdem verbis in hoc Commentario, qui non extat, reperitur. Difficultatem tamen nonnullam parit Augustinus, qui loco à C Bell. citato cap. 1. & 3. profert ex Commentario Pelagii in caput quintum Epistolæ ad Romanos verbatim objectiones duas contra fidem de peccato originis, ibidem à Pelagio tamquam ex alia persona, non sua, propositas, quarum jam in hoc Commentario nihil prorsus reperitur, sive quoad sensum, sive quoad verba. Sed ea tolli potest ex Cassiodoro, qui de codice quodam à se reperto loquens ait libro 1. Divin. Instit. cap. 8. In Epistolas tredecim S. Pauli annotationes conscriptas in ipso initio meæ lectionis inveni, quæ in cunctorum manibus ita celebres habebantur, ut eas à S. Gelasio Papa urbis Romæ doctissimi viri studio dicerentur fuisse conscriptæ : quod solent facere, qui D res vitiosas cupiunt gloriosi nominis authoritate defendere. Sed nobis ex præcedentibus lectionibus diligenti retractatione patuerunt subtilissimæ quidem, ac brevissimæ dictionis, sed Pelagiani erroris venena illis esse seminata. Ac immediatè subjungit; primam epistolam ad Romanos qua potui curiositate purgavi. Si enim de hoc Commentario loquitur, ut ego nullus dubito, dici potest nos illum habere, qui à Cassiodoro purgatus sit, ac proinde mirum non esse duas illas objectiones, quarum Augustinus meminit. Quidquid sit Commentarium hunc vetustissimi auctoris esse, ac Hieronymo contemporanei, patet tum ex Primasio plurima illius de verbo ad verbum in commentaria sua innominatim E transferenti, quod mihi quoque indicium est illum rescivisse Pelagii esse, tum ex epistola ad Heliodorum dedicatoria, quæ fortè in causa fuit, cur Hieronymo tributus sit. Hæc ille, quibus ego libens subscribo.

(*e*) Vide Flodoardum cap. 22. lib. 3. Remensis Ecclesiæ. Baronium in Martyrologio ad diem 15. Augusti, & Tomo 1. Annalium Ecclesiasticorum ad annum 44. aliosque recentiores; quamquam non ignorem citari in sermone 5. de Assumptione Deiparæ, qui S. Ildefonsi nomen præfert.

(*f*) Viri doctissimi. Vide & quæ annotavimus, ubi de sermonibus S. Augustini incidit mentio.

(*g*) Sive de Vigiliis servorum Dei Tractatus, qui cum alio tractatu de bono Psalmodiæ tribuitur Nicetæ Episcopo in antiquissimis membranis Vaticanæ

Bibliothecæ. Utriuſque quoque Tractatus extant exemplaria in Bibliotheca S. Maximini Trevirenſis. Nuper utrumque edidit Tomo 3. ſpicilegii D. Ducas Dacherius O. B. tribuitque, non Nicetæ Epiſcopo (quem V. C. Lucas Hoiſtenius, R. P. Jacobus Sirmondus, aliique viri eruditiſſimi cenſuerunt eum eſſe Nicetam Dacorum Epiſcopum, de quo plura S. Paulinus Ep. 10. ad Severum Natali IX. S. Felicis, & fuſius carmine XXX. Propemptico, Martyrologium Romanum ad diem 7. Januarii, Baronius, Bollandus, &c.) ſed Niceto Trevirenſi Archiepiſcopo, cujus diverſus ne ſit ſtylus, an ſimilis duabus, quæ ſuperſunt, Epiſtolis, colligi poteſt judicio Criticorum, quos noſtra ætas protulit hactenus, omnigena eruditione præſtantes.

(*b*) Non arbitror eſse Hieronymi: nec me tantum movet Severi Sulpicii liber de Vita Beatiſſimi Martini, quem potuit vidiſse, ac legiſse Hieronymus, quantum ſtylus, qui ab Hieronymiano diſtat ὅτι πορρωτάτω, ut ſi opus eſset pluribus probarem.

De Nectario Conſtantinopolitano. 381.

NECTARIUS ex genere Senatorio adhuc Catechumenus, Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopus Creatus eſt, tempore ſecundi Concilii univerſalis, ideſt anno 381. ut narrant Socrates lib. 5. hiſtor. cap. 8. Soſomenus libro 7. cap. 8. & alii. Hujus extat homilia unica, de feſto ſancti Theodori Martyris, Cur nimirum primo quadrageſimæ Sabbato celebretur, & de Eleemoſyna, & jejunio, Joachimo Perionio interprete; quam profert etiam Lipomanus tom. 5. ex Simeone Metaphraſte. Sed Cardinalis Baronius eam ab aliquo ex recentioribus Græcis non nihil depravatam fuiſse exiſtimat tomo 4. Annalium in anno 362.

Dissertatio Historica.

NECTARIUS ab anno Chriſti 382. ad annum 397. quo obiit Archiepiſcopus urbis Conſtant. Socrati, Sozomeno, Theodoreto, aliiſque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptoribus notus; ſcripſiſſe dicitur paſſim à Bibliographis.

Homiliam de feſto S. Theodori Martyris, quam Latinè reddiderit Joachimus Perionius Benedictinus, quamque etiam Aloyſius Lipomanus Tomo V. inſeruerit ex Collectaneis Simeonis Metaphraſtæ, & de qua Baronius verba fecerit anno Hiſt. ſuæ Eccleſ. 362.

Poſſevinus ex Simlero annotat Nectarii hujus, & Joannis Chryſoſtomi, quem nactus eſt in ſede Conſt. ſucceſſorem, orationes ad Populum Pariſiis in 8. anno 1554. prodiiſſe apud Sebaſtianum Nivellum. Eas ego vidi Latinè redditas à Joachimo Perionio Benedictino Cormæriaceno ad Marcellum Cervinum Cardinalem Sanctæ Crucis; addit quoque ejuſdem Nectarii homiliam de jejunio mſ. reperiri in Bibliotheca Imp. Viennæ ad Danubium. Verùm hæ non videntur diverſæ niſi ſolo titulo ab edita anno 1554. qua docetur cur primo ſanctorum Jejuniorum Sabbato ſancti magnique Theodori feſtum diem Græci agant, ac de jejunio, & Eleemoſyna.

De Theophilo Alexandrino. 309.

THEOPHILUS Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſancti Hieronymi æqualis, ut epiſtolæ utriuſque invicem ſcriptæ teſtantur, ſcripſit *epiſtolas tres Paſchales*, quas ſanctus Hieronymus latinas fecit. Atque epiſtolæ iſtæ ſatis utiles, & doctæ extant in Bibliotheca ſanctorum Patrum tomo 3.

A Scripſit præterea *adverſus Origenem*, & alia quorum meminit Gennadius in lib. de viris illuſtribus, ſed hæc non extant. Ad initium epiſtolarum paſchalium ponitur epiſtola quædam, ſub nomine Sancti Hieronymi ad Theophilum quæ epiſtola ſuppoſititia eſſe videtur, nam invehitur auctor epiſtolæ in ſanctum Joannem Chryſoſtomum, jam tum defunctum, tanta acerbitate, quanta non poteſt ullo modo tribui ſancto Hieronymo. Deinde ſalutatio initio epiſtolæ eſt omnino inuſitata ſancto Hieronymo. Denique ſtylus non eſt ſancti Hieronymi.

Dissertatio Historica.

B THEOPHILUS Alexandrinæ civitatis Epiſcopus, Timothei ſucceſſor ab anno circiter 385. uſque ad diem 15. Octobris quo obiit feria 4. anno 412. Innocentii I. Papæ undecimo, Epiſcopatus 27. ſuccedente ſibi S. Cyrillo ejus ex fratre Nepote ad annum 444. Origenis fautores Monachos quoſdam, alioſque hæreticos ſtrenuè perſecutus, in S. Joannem Chryſoſtomum infenſior fuit, quem in gratiam Eudoxiæ Auguſtæ anno 403. in Conciliabulo ad Quercum in ſuburbano Conſt. damnavit. De eo S. Hieronymus in epiſtola, quam ad eum ſcripſit in qua eum variis laudibus exornat, & Apologia 2. adverſus Ruffinum, Syneſius ep. 9. S. Leo ep. 52. & 64. Gennadius cap. 33. Catalogi, Gelaſius Papa I. in
C Concilio Romano, ubi inter alia Veterum Patrum opuſcula, quæ S. Romana Eccleſia cuſtodienda, & recipienda decernit, recenſet opuſcula B. Theophili Alexandrini Epiſcopi, Joannes Moſchus cap. 195. Prati ſpiritualis, Iſidorus Peluſiota lib. 1. ep. 152. Vitæ Patrum, ubi moriturus dixiſſe fertur: Beatus es Abba Arſeni, qui ſemper hanc horam ante oculos habuiſti; Socrates, Sozomenus, Theodoretus, S. Joannes Damaſcenus lib. 3. de Imaginibus, Palladius, ſimileſque ſcriptores vitæ Chryſoſtomi, & ex recentioribus Baronius aliique.

Dum adhuc Presbyter eſſet anno 380. ſcripſit de Paſchali cyclo, vel ut cum Gennadio loquar, Paſchæ recurſum, quem Magna apud Nicæam Synodus
D poſt 95. annos agi in tempore, & die, & Luna ſecundùm ſtatum ſuum invenerat, additis quibuſdam ipſius feſtivitatis rationibus, & expoſitionibus Theodoſio ſeniori Imp. obtulit. *Ejus tres Paſchales Epiſtolæ* à S. Hieronymo Latinè redditæ, cum Prologo ad Theodoſium Imp. de S. Paſcha anni 380. extant, tum in Bibliothecis Veterum Patrum, tum inter opera S. Hieronymi, in quibus etiam reperies ejuſdem Theophili epiſtolas ad S. Epiphanium, & alios. Librum de ſacris myſteriis, ſive de ſacris ſupellectilibus Eccleſiæ Dei ſcripſerat, quem rogatus ab ipſo S. Hieronymus Latinè expreſſit, remiſitque cum hoc epiſtolio: In opere tuo utilitatem ſpectavimus Eccleſiarum, &c. Synodicam quoque adverſus Origenem e-
E piſtolam anno 399. ſcriptam idem vertit Hieronymus, ſed ea injuria temporum periit.

Superſunt verò ejuſdem aliquot Canones Eccleſiaſtici in Collectionibus Joannis Zonaræ, & Theodori Balſamonis, nimirum

Edictum προφώνησις *cum Theophania in die Domino inſtarent. Commonitorium quod accepit Ammon propter Lyco canones* 10. *continens. Expoſitio de iis qui dicuntur Cathari. Ejuſdem Agathoni Epiſcopo, & Menæ Epiſcopo data duo Reſponſa.*

Federicus Morellus Græcè, & Latinè anno 1608. in 18. Pariſiis edidit: *Diſſertatiunculam, cujus rei homo ſimilis ſit*, eamque Theophilo Alexandrino attribuit.

De Jo-

De Joanne Episcopo Hierosolymitano. 390.

JOANNES EPISCOPUS Hierosolymitanus vixit tempore sancti Hieronymi, ut notum est ex contentionibus inter eos, non semel excitatis. Scripsit teste Gennadio, *librum in obtrectatores studii sui*, ostendens se non esse Origenistam. Tribuitur eidem Joanni *liber ad Caprasium de institutione Monachi*, qui habetur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo *9.* edit. 2. sed hic liber videtur scriptus ab aliquo longe posteriore: siquidem in eo libro dicit auctor se esse Ordinis Carmelitarum, & describit habitum Carmelitarum: at illis temporibus nomen Carmelitarum Religiosorum erat planè inauditum, ut etiam Card. Baronius affirmat, tomo *6.* Annalium, ad annum 444. adde quòd stylus est hominis Latini, & temporum posteriorum.

Dissertatio Historica.

JOANNES post Cyrillum ejus, ut ferunt, patruum XLIV. seu LII. Hierosolymorum per annos 30. Episc. ab anno 386. ad 416. quo dicitur obiisse succedente Praylio SS. Epiphanii, Chrysostomi, Augustini, atque Hieronymi coætaneus, accusatus à multis tamquam doctrinæ Origenis defensor, conscribere coactus est, teste Gennadio cap. 30. Catalogi, librum adversus obtrectatores studii sui, in quo ostendit Origenis se ingenium, non fidem sequutum, Sunt quoque qui Pelagio favisse contendant, & in alios errores incidisse, quos alii diffusius exagitant. De eo præter citatos, ac nominatim Hier. ep. *61.* Theodoretus libro 5. Hist. cap. 35. Idacius in fastis, & Chronico annis 406. 408. 415. 418. & 419. nisi fortè luxatæ sint annorum periochæ, ubi & gesta ejusdem Episcopi memorat à quodam fuisse descripta, Trithemius, qui Origenis dogmatibus nimium fuisse intentum testatur, ne illi institutionem Monachorum, aut alia opera præter laudatum à Gennadio, & Epistolas quasdam ad diversos attribuit.

Petrus Wastelius, Alostanus sacræ Theologiæ doctor, Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, antiquæ regularis Observantiæ Provincialis Belgii, & Hiberniæ Commissarius Generalis, necnon Prior Carmeli Antuerpiensis, hunc vocat, Joannem Nepotem Sylvanum, Romanis nobilibus editum, sororis Dracontii filium, discipulum Sancti Pambonis, à parva ætate Theologum, amatorem B. Virginis, ex Abba, seu Patre Fratrum Eremitarum ejusdem B. Virginis in monte Carmelo Patriarcham Hierosolymitanum, & S. Cyrillo successorem, idemque Bruxellæ anno 1643. duobus Tomis in folio opera omnia, quæ hactenus fuerant omnibus eruditis scrutatoribus incognita, quæque quacumque tamdem ratione inveniri potuerunt, in unum collecta, & tribus Vindiciarum libris asserta emisit in lucem hoc Ordine.

Tomo I. continentur.

Liber de Institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium ad Caprasium Monachum, interprete Aymerico Patriarcha Antiocheno. Hunc librum à posteriore aliquo scriptore, eoque Latino fuisse Joanni Hierosolymitano suppositum, eruditissimi, & acutissimi viri censuerunt Baronius ad annum 444. num. 18. Sanè quidem respuimus & exsufflamus commentum illud &c. Bellarminus supra relatus, Sherlogus in Cantica, & Theophilus Raynaudus in Erotematis, quæ post Walstelianam editionem prodierunt; cujus hæc verba exscribam: Mihi neque hic Joannes æqualis S. Hieronymi, neque ullus Græcorum veterum libri illius auctor videtur. Stylus enim clamat auctorem esse Latinum, neque adeo antiquum, ut S. Hieronymi dici possit æqualis. Sed idem circa hunc librum de institutione Monachi asserendum Joanni Hierosolymitano Hieronymi æquali, apud scriptores Carmelitas obtigisse videtur; quod apud Augustinianos circa sermones ad fratres in Eremo, quos unanimiter FF. Eremitæ S. Augustino adscribunt, sicut unanimiter FF. Carmelitæ tribuunt prædicto Joanni, plaudente extra utrorumque cœtum nemine. Nec amabo omittat studiosus Lector, quæ congessit Magister Sacri Palatii Joannes Maria Brasichellanus pag. 254. & sequenti Tomi 1. Indicis librorum expurgandorum editionis Romanæ anni 1607. cujus hæc sunt postrema verba: Magis putamus esse opus Auctoris Latini, & recentioris, nec esse ex omni parte sinceræ & integræ fidei: Addatque plagulam ex Pietate Lugdunensi erga B. Virginem immaculatè conceptam: Qui æqualem, & concertatorem S. Hieronymi statuunt P. Walstellus, & Michael Munnos, & auctor Paradisi Carm. nequaquam id persuaserint Baronio, & Bellarmino, & vix ulli extra suum cœtum.

Commentarius in stratagemata B. Job, dividi solitus in libros tres.

Commentarius in Evangelium S. Matthæi: qui hactenus sub nomine operis imperfecti in Matthæum, cum S. Joannis Chrysostomi operibus genuinis sæpius recusus est. Monet verò idem qui supra Theophilus eos, qui Joanni Hierosolymitano adscribunt opus illud Imperfectum in Matthæum Chrysostomo consertum non probare quod dicunt. Quod ad alia quoque quæ eidem tribuuntur meritò extendi debet: neque enim omnibus Vindiciæ faciunt satis, quas strictiori aliorum censuræ permittimus. Suave porrò est, prorsusque mirandum illud argumentandi genus. Reperitur inter opera Chrysostomi, alteriusve coætanei scriptoris hoc vel illud opusculum, quod viri docti abjudicant Chrysostomo, aut saltem dubitant, an genuinus sit illius auctor: ergo tribuendum est illud Joanni Episc. Hierosolymitano, tamquam vero ac germano ejus parenti. Quid verò si 10., si 20., si 30. aut plura sunt ejusmodi rejectanea, diverso stylo, tempore, locoque edita, omnia nihilominus Joanni Hierosolym. tamquam omnium orphanorum parenti, aut curatori adscribenda. Adeò plerumque occæcat homines sui, suorumque nimius amor, aut scribendi ingentia librorum volumina non satis moderatum κακόηθες.

Fragmenta perpetui Commentarii in Evangelium S. Marci, quæ in Catena aurea S. Thomæ Aquinatis in eumdem Marcum sancto Joanni Chrysostomo tribuuntur. Notabilia aliquot fragmenta, necnon minora quædam Excerpta illius, quod ibidem extat editum. *Commentarii in Evangelium S. Lucæ*, quod S. Joanni Chrysostomo tribuitur partim in Catena S. Thomæ, partim in Catena LX. Patrum R. P. Balthazaris Corderii. *Homilia in Josephum, & de Castitate*, interprete R. P. Frontone Ducæo S. J. T. *Homiliæ sex in Job*, Lelio Tifernate interprete. *Fragmentum homiliæ proœmialis in Davidicos Psalmos*, interprete Gentiano Herveto Aurelio-Rhemensi Canonico. *Homiliæ in aliquot Psalmos*, eodem interprete. *De tribus pueris, & de fornace Babylonica*, interprete Frontone Ducæo S. J. *De Susanna*, eodem interprete. *De Decollatione S. Joannis Baptistæ*, incerto interprete. *De vitandis scandalis*, incerto interprete. *De divite, & paupere, & de eleemosyna facienda*,

cienda, incerto interprete. *Quatuordecim Homiliæ in Marcum*, incerto interprete. *Quinque Homiliæ in Lucam*, incerto interprete. *Tres Homiliæ in Joannem*, partim incerto, partim Ducæo interprete. *In laudem S. Crucis, & de transgressione Adam*, Godefrido Tilmanno Carthusiano interprete. *De Eucharistia in Encæniis*, incerto interprete. *In Ascensionem Domini*, Gerardo Vossio interprete. *De Pentecoste*, incerto interprete. *Duæ de Spiritu Sancto*, incerto interprete. *De Christi divinitate*, incerto interprete. *De fide & lege naturæ*, incerto interprete. *In Præcursorem Domini*, Petro Pantino interprete. *De Ecclesia*, sive *Turture*, incerto interprete. *In SS. Petrum, & Paulum*, Gerardo Vossio interprete. *In S. Thomam Apost.* Frontone Ducæo interprete. *In SS. Duodecim Apost.* Gerardo Vossio interprete. *In S. Stephanum*, Frontone Ducæo interprete. *Tres de Pœnitentia*, Lælio Tifernate interprete. *De David*, eodem interprete. *De persecutione à Novatianis*, incerto interprete. *De vanitate hujus sæculi*, Joachimo Perionio interprete. *De cæco & Zachæo*, Frontone Ducæo interprete. *De Pseudoprophetis, & hæreticis*, Gerardo Vossio interprete. *In terræmotum, & in divitem, & Lazarum, atque unde servitus orta sit*, Frontone Ducæo interprete. *Sermo de Sancta, & consubstantiali Trinitate*, incerto interprete. Notæ variarum Lectionum libelli de Institutione primorum Monachorum.

Tomo II. continentur.

Libri tres Vindiciarum, quibus Joanni Hierosolymorum Episcopo opera hactenus incognita adstruuntur, veritas inscriptionis demonstratur, maculæque nomini illius falsò aspersa diluuntur, fides denique & religio extra omnem dubitandi ponuntur aleam. Quàm verò feliciter vir eruditus in hoc ancipiti admodum, ac periculoso argumento versatus sit, malim ego aliorum præstolari judicium, quàm meum in medium proferre. Certè nemo paulò acutior negaverit in grandibus illis vindiciis nonnulla reperiri fabulis propiora, quàm vero, pleraque meris niti conjectationibus, iisque valdè infirmis, quæque occurrunt multis in locis erudita, atque ingeniosa operosissimo labore, magnaque ambitione, hinc inde spatio plurimorum annorum conquisita, vix aut parum ad rem facere, nec quod caput est controversiæ attingere. Unde factum arbitror, ut extra Ordinem Carmelitarum plures nacti sint adversarios, quàm suffragatores.

De Diadocho. 390.

DIADOCHUS Episcopus Photices scripsit insignem librum *de Perfectione* continentem capita centum: hic liber extat in Bibliotheca, sanctorum Patrum tomo quinto, edit. 2.

Dissertatio Historica.

SANCTUS DIADOCHUS, Photices in Veteri Epiro, sive Illyrico Episcopus à Bellarmino, ejusque exscriptore Miræo floruisse dicitur exeunte sæculo quarto, circa annum Christi 390. Hoc unum ego certò profiteri possum, antiquiorem fuisse illum S. Maximo Abbate, qui caput aliquot illius citasse reperitur, & Photio P. Const. qui ejus meminit Myriobibli cod. 201. & 231. Extant, tum seorsim Antuerpiæ typis Plantinianis, tum in Bibliothecis sanctorum Patrum.

De perfectione spirituali Ascetica capita centum, interprete Francisco Turriano Soc. JESU Theologo, cum S. Nili 150. capitibus de Oratione.

Bellarm. de Script. Eccl. Tom. VII.

A

Supplementum.

DIADOCHUS, Photices in Veteri Epiro, seu Illyrico Episcopus à Bellarmino, & Auberto Miræo in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 30. pag. mihi 182. floruisse dicitur exeunte sæculo 4. circa annum Christi 390. Sed perperam, cùm circa 460. floruerit, ut constat ex Præfatione Victoris Vitensis ad libros quinque de *persecutione Africana* quos evulgavit Petrus Franciscus Chifflet Presbyter S. J. De illo hoc unum certè profitetur Labbeus, antiquiorem fuisse illum S. Maximo Abbate & Martyre; qui capita aliquot illius citasse reperitur. Itemque Photio P.

B

Const. qui ejus meminit in Myriobiblo, capp. 201. & 231. scripsit *centum capita de perfectione spirituali*, quæ latinè passim impressa sunt ex interpretatione Francisci Turriani Soc. Jesu, græcè verò tantùm cum duabus centuriis *sententiarum spiritualium S. Nili* collatis cum tribus mss. Exemplaribus, & scholiis appositis, Florentiæ apud Bartholomæum Sermaterellium anno 1578. in 8. Itaque de eo Victor Vitensis in prologo ad libros *de Persecutione Africana*, Possevinus in *Apparatu sacro*, cum aliis de quibus suprà. Habentur ejusmodi capita S. Diadoci mss. in Bibliotheca S. J. Romana, inter Codices, quos attulit ad societatem Franciscus Turrianus; in Veneta Serenissimæ Reipublicæ inter libros, quos ei reliquit Bes-

C

sarion Cardinalis; in Bavarica Serenissimi Ducis Monachii num. 88. cum sermonibus Asceticis Dorothei, Isaiæ, & aliorum.

De Dorotheo Archimandrita.

DOROTHEUS Archimandrita scripsit sermones vigintiquatuor, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum, tomo secundo edit. 2. Hi duo quando vixerint, non compertum habeo, quamvis antiquos fuisse satis constet.

Dissertatio Historica.

D

IN Bibliothecis Veterum Patrum extant *sermones*, seu *doctrinæ XXIV. de vita rectè, & piè instituenda*, Hilarione Veroneo, Cassinensis Congregationis Monacho interprete. Easdem quoque ante paucos annos Latinitate donavit, notisque brevibus illustravit R. P. Balthazar Corderius Societatis Jesu Theologus.

Quod ad ætatem ejus attinet, ea mihi nondum comperta, Bellarminus circa annum Domini 560. collocat, cùm tamen nulla ratione fieri possit, ut qui S. Zosimæ Abbati, qui sub Imperatore Justino Justiniani avunculo, ac decessore senex floruit, familiaris fuit, alleget Joannem Climacum qui post annum 580. scripsisse perhibetur. Anonymus, qui ei-

E

dem præfationem præmisit, doctrinam illam asserit per manum parentum traditam Magnum illum Tharasium Patr. Const. qui anno 787. floruit, veneratum fuisse.

Supplementum.

DOROTHEUS Archimandrita celebris est inter auctores Græcos qui de moribus scripserunt. Quoad ejus ætatem ea mihi non omninò nota est. Bellarminus circa annum Christi 560. collocat, cùm tamen nulla ratione fieri possit, ut qui S. Zosimæ Abbati qui sub Imperatore Justino Justiniani avunculo, ac decessore senex (ut ipse vult) floruit, & familiaris fuit: alleget Joannem Climacum, qui post annum 580. scripsisse perhibetur.

Hunc ego convenientius circa annum 660. figimus, donec aliquis certas de eo Epochas inveniat. Extant in Orthodoxographis, & in Bibliothecis Veterum Patrum Græcè & Latinè, *Dorothei sermones, seu Doctrinæ XXIV. de vita rectè & piè instituenda*, interprete Hilarione Veronensi Congregationis Cassinensis Monacho. Iidem Latinè facti per Chrysostomum Calabrum impressi in 8. Cremonæ 1595. cum Chrysostomi Homilia de educatione liberorum. Eosdem quoque ante paucos annos Latinitate donavit notisque brevibus illustravit Balthazar Corderius S. J. Theologus, de quibus in Bibliotheca Script. Soc. Jesu, ultimæ editionis, agitur. Anonymus qui eidem præfationem præmisit, asserit doctrinam illam per magnum parentem traditam, magnum illum Tharasium Patriarcham Const. qui anno 787. floruit veneratum fuisse. Habentur mss. Græcè hi sermones Dorothei cum sermonibus Asceticis Isaiæ Abbatis in Bibliothecis Vaticana sæpius, Veneta, Bavarica cod. 88. Regia Gallica, & alibi.

De Ruffino Presbytero. 390.

RUFFINUS Presbiter Aquilejensis sancti Hieronymi quondam amicissimus, deinde æmulus factus, scripsit *libros duos historiæ Ecclesiasticæ*, quos addidit ad historiam Eusebii Cæsariensis à se conversam ex Græco: scripsit etiam *explicationem Symboli Apostolici*: item *in Psalmos aliquot Commentaria*, *Invectivas duas in sanctum Hieronymum*, & *Apologiam pro Origene*, in qua multa mentitur, ipso Hieronymo teste in secunda Apologia: scripsit quoque multas epistolas. Hæc omnia extant, partim inter opera sancti Hieronymi, partim in historia Eusebii, partim etiam seorsim. Vertit quasdam sententias Sixti Philosophi Pythagorici, easque tribuit sancto Sixto Pontifici & Martyri, ut testatur Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem. Sanctus etiam Augustinus ex versione Ruffini deceptus, eas sententias esse putavit sancti Sixti Martyris: quod retractat lib. 2. retractat. cap. 46. Hæ sententiæ extant in tomo quinto Bibliothecæ sanctorum Patrum, editionis secundæ. Vertit præterea in Latinam linguam Recognitiones Clementis, ut Gennad. testatur in lib. de viris illustribus. Sed sicut ipsæ Recognitiones falsò fortasse tribuuntur Clementi, ita etiam non est incredibile, falsò adjunctam illis fuisse præfationem Ruffini, quasi interpretis. Denique Ruffinus meritò notatur erroris à Gelasio Papa, cap. sancta Romana, distinct. 15.

Dissertatio Historica.

RUFFINUS Toranus, seu Turanius Aquilejensis Ecclesiæ Presbyter, ac Monachus, cum Florentio, & Bonoso à S. Hieronymo in Chronico ad annum Christi 377. Olympiadis 289. 1. & in ep. 5. ad Florentium, in 41. ad ipsum Ruffinum, & alibi non semel laudatus, tum subortis variis ob causas simultatibus sæpius ab eodem exagitatus, partim ut Origenis partium acerrimus defensor, partim ut Pelagianorum amicus, & novorum sectator dogmatum. Quamvis de anno mortis ejus non constet, hoc unum videtur certum S. Hieronymo, qui obiit anno 420. non superfuisse. Laudatur à S. Paulino ep. 9. ad Severum, ubi postquam S. Melaniæ in spiritali vita comitem verè sanctum, & piè doctum appellavit, subdit, *si ille has, quæ meritò te permovent de annorum, sive regnorum non congruente calculo hiantis historiæ causas non ediderit; qui & scholasticis, & salutaribus litteris Græcè juxta ac Latinè dives est: vereor, ut apud alium in his regionibus frustra requiramus.* At verò Gelasius Papa can. *Sancta Romana Dist.* 15. hæc habet: *Item Ruffinus vir Religiosus plurimos Ecclesiastici operis libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam B. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quæ B. Hieronymum sentire cognoscimus, & non solùm de Ruffino, sed etiam de universis quos vir sæpius memoratus, zelo Dei, & fidei Religione reprehendit.* De eo qui plura volet præter SS. Hieronymum, & Augustinum ep. 93. inter Hieronymianas, & alibi, consulat Gennadium cap. 17. Cassianum lib. 7. de Incarnatione c. 27. Palladium in Lausiacis cap. 78. Cassiodorum de Divinis lectionibus cap. 17. quibus ex recentioribus addendi Anonymus qui Isidoro, & Ildefonso subjici solet cap. 5. Appendicis, ubi Tyranium Ruffinum vocat, Honorius Augustod. libello 2. cap. 17. Vincentius Bellovacensis, S. Antoninus Florentinus, Joannes Trithemius, Sixtus Senensis, Baronius, Hieronymus à Messana, Victorius, Ribera, Possevinus, Bellarminus, Rosweidus Prolegomenis 4. & 5. in Vitas Patrum, aliique (*a*)

Ejus opera in editione Parisiensi in folio apud Michaelem Sonnium anno 1580. hæc habentur.

1. *De Benedictionibus Judæ liber* 1. juxtà triplicem Divinæ Scripturæ sensum, ad S. Paulinum Nolanum Episcopum cum utriusque mutuis Epistolis.

2. *De Benedictionibus reliquorum undecim Patriarcharum liber* 2. ad Genefeos caput 49. ad eumdem S. Paulinum cum mutuis utriusque epistolis. Disseruit, inquit Gennadius, & Benedictionem Jacob super Patriarchas triplici, idest Historico, morali, & mystico sensu.

3. *Commentariorum in Oseam Prophetam libri tres* cum præfatione Auctoris in opus quod scripserat aut scribere moliebatur in XII. Prophetas qui minores, non pro meritis, sed pro numero versuum numerantur. Ex quo decerpta hæc verba videntur dubitationem ingerere an Ruffinus eorum sit Auctor: qua de re Ribera in caput 2. Oseæ num. 78. & Theophilus in Erotematis. Apud Græcos, & apud Syros extitere nonnulli. Ex quibus mihi sanè pauca aliqua S. etiam Joannis Constantinopolitæ Episcopi legere contigit, sed suo more, idest exhortationi magis, quàm expositioni totam penè operam commodantis. Origenes autem proprio tenore decurrens allegoriarum magis lepida, quàm Historicarum explanationum solida ac tenenda componit. Hieronymus porrò & ingenii capacis vir, & studii pertinacis in Prophetarum quidem libros commenta digessit, sed quasi inter genuinas traditiones ire contentus de perquirenda consequentia nihil aut voluit aut potuit sustinere curarum: ita vel per Allegorias Origenis, vel per fabulosas Judæorum traditiones tota ejus defluxit oratio. Hæc iste, quibus & alia adjungam suo loco.

4. *Commentaria in Prophetas Joel & Amos*, in reliquos verò desiderantur.

5. *Expositio Symboli ad Laurentium Episcopum.* Proprio labore, inquit Gennadius, imò gratia Dei & dono exposuit Symbolum, ut in ejus comparatione alii nec exposuisse credantur. Commentarius autem ille à quibusdam fuit S. Cypriano, ab aliis S. Hieronymo temerè attributus, & inter eorum opera infartus. Nec de eo vel verbulum apud Sixtum Senensem in Ruffini elogio pag. 296.

6. *Historiæ Ecclesiasticæ libri duo* ad Chromatium Aquilejensem Episcopum post Eusebii Cæsariensis Latinam versionem scripti eo tempore, quo diruptis Italiæ claustris ab Alarico Rege Gothorum se pestifer morbus infudit, & agros, armenta, viros longè lateque vastavit ut ipsemet in Præfatione testatur.

Illos

Illos addita præfatione in Græcum sermonem vertit Gelasius Cæsareæ in Palestina Episcopus S. Cyrilli Hierosolymitani ex sorore nepos, ut docet Photius Bibliothecæ codice 89. Suidas idem de Diogeniano refert. Vide acta Synodi I. Nicenæ, & Actionem primam secundæ.

7. Guillelmus Rovillius Lugduni anno 1570. excudit sub Ruffini nomine *Commentaria in Davidis Psalmos* 75. ex vetustissimo ms. exemplari Bibliothecæ Monasterii Insulæ Barbaræ ad urbem Lugdunensem. Verùm eos quidam saltem ex eo capite rejiciendos putant, quòd eadem verba eædemque sententiæ in iis præsertim 1. 3. 4. 9. ac similibus reperiantur, quibus usus est S. Augustinus in Commentarios in eosdem Psalmos, imò & S. Gregorius Papa in Moralibus in Job aliisque libris, ut scitè observarunt post Lorinum nostrum Præfationis in Psalmos cap. 16. viri eruditi, eidemque Catholici, ut de Roberto Coco, ejusque exscriptore Riveto, ac similibus Heterodoxis Daniele scilicet Chamiero, & Patrologo Jenensi nihil dicam: aut certè fatendum erit ab aliquo, qui Augustino, & Gregorio posterior fuerit adsutis subinde quibusdam aliorum centonibus fuisse interpolatos. Certè Ruffinum in Psalmos fuisse commentatum, nec Gennadius, nec Anonymus, nec Honorius aut Trithemius docuerunt, aut ex recentioribus Sixtus Senensis.

8. Scriptis quoque Ruffini propriis adjungi poterunt præter nonnullas Epistolas ad timorem Dei hortatorias, in quibus præeminebant, teste Gennadio, quas ad Probam dederant, quæ perierunt, *Apologia pro Origene*, sive opusculum de depravatione librorum, præcipuè Origenis, quod legitur ad calcem primæ partis operum Origenis editionis à Genebrardo procuratæ, & inter opera S. Hieronymi, ut nihil modo dicam de Apologetico sive Pamphili Mart. sive potius Eusebii Cæsariensis pro eodem Origene ab eo Latinè reddito: de quo S. Hieronymus in caput 18. Ezechielis: Nec mirum si Ruffinus Sixtum Gentilem Philosophum in Martyrem, & Romanæ Ecclesiæ Episcopum transtulerit; cùm Eusebii quoque Cæsariensis primùm pro Origene librum Pamphili Martyris vocabulo commutarit. Item *Apologiæ duæ adversus S. Hieronymum*, quæ in Appendice operum S. Hieronymi reperiuntur, de quibus hæc Gennadius ipsi nimium adblanditus: sed & Obtrectatori Opusculorum suorum respondet duobus voluminibus arguens, & convincens se Dei intuitu & Ecclesiæ utilitati ingenium auxiliante Domino agitavisse, illum verò æmulationis stimulo incitatum ad obloquium stylum vertisse. Sed de his jam satis: ad ea quæ ex Græcis vertit veniamus: de quibus præmittenda censeo ejusdem Gennadii verba loco indicato.

Ruffinus, vel ut in mss. libris scribitur Ruffinus, Aquilejensis Ecclesiæ Presbyter, non minima pars fuit Doctorum Ecclesiæ, & in transferendo de Græco in Latinum elegans ingenium habuit. Denique maxima parte Græcorum Bibliothecam Latinis exhibuit: Basilii scilicet Cæsariensis Cappadociæ Episcopi: Gregorii Nazianzeni eloquentissimi hominis: Clementis Romani Recognitionum libros: Eusebii Cæsariensis Palestinæ Ecclesiasticam Historiam: Xysti sententias, Pamphili Martyris adversus Mathematicos. Horum omnium quæcumque præmissis Prologis à Latinis leguntur à Ruffino interpretata sunt. Quæ sunt sine Prologo, ab alio translata sunt, qui Prologum facere noluit. Origenis autem non omnia, quia & S. Hieronymus aliquanta transtulit, vel, ut in ms. habetur, transfudit alia, quæ suo Prologo discernuntur. Hæc ille de quibus sigillatim nobis modo agendum.

A *Quæ ex Græcis Ruffinus vertit.*

1. *Josephi Judaicarum Antiquitatum libros* 20. *De Bello Judaico libros* 7. *Et de antiquitate Judæorum adversus Apionem libros duos* reddidit Latinè: quæ excusa habentur sæpius, eorumque exemplar dicitur asservari Mediolani in æde S. Ambrosii Longobardicis scriptum literis.

2. *Eusebii Cæsariensis Palestinæ Episc. Ecclesiasticæ Historiæ libros decem in novem contractos*, Latinis verbis exposuit liberiore usus interpretandi ratione addendo, demendo, mutando, interpolando multa; quibus & ipse addidit libros duos decimum & undecimum usque
B ad Theodosii Imperatoris felicem obitum anno 395. suamque ætatem rerum narrationem continuantes. De quibus vide Vossium, & quæ observavimus ubi de Eusebio.

3. *S. Clementis Romani Pontificis Recognitionum libros cum Præfatione*, de quibus hæc Bell. sicut ipsæ Recognitiones falsò fortasse tribuuntur Clementi, ita etiam non est incredibile falsò adjunctam illis fuisse Præfationem Ruffini quasi interpretis. Verùm imposturam non agnovit Gennadius nec ejus sequaces Honorius & Trithemius.

4. *Xysti, sive Sexti Pythagorei Philosophi hominis absque Christo, & Ethnici sententias*, Latinitate donavit, falsoque ipsis S. Sixti II. Romanæ Ecclesiæ E-
C piscopi, ac Martyris præfixo titulo multos, ipsumque adeò S. Augustinum in errorem induxit, ut ipse meminit libri 2. Retractationum cap. 40. Pluribus verò in hoc facinus invehitur S. Hieronymus, tum in epistola ad Ctesiphontem adversus Pelagianos, tum in 18. caput Ezechielis, tum præfatione libri 4. in Hieremiam, & cap. 22. ejusdem libri 4. Commentariorum in eumdem Prophetam. (*b*) De iis ubi de S. Sixto, & Baronius ad annum Christi 410. ubi execrabilem illam, ut vocat, imposturam traducit. Idem quoque Ruffinus Theophili Martyris nomine librum cujusdam Ariani supposuit, ut ex eodem S. Hieronymo discimus Apologia adversus eum. In futuro judicio tu videris, quid ad Martyris contra te
D respondeas querimonias? (*c*)

5. *Origenis* multa, ac præcipuè libros *περὶ ἀρχῶν de principiis*, de quibus multa ex S. Hieronymo, & aliis Baronius ad annum 397. atque ex eo Possevinus ac recentiores, quos vide.

6. *Pamphili Martyris* titulo insignitam, sed re vera scriptam ab Eusebio Cæsariensi *pro Origene Apologiam*, de qua paulò ante dictum, cùm de eidem adjuncto opusculo Apologetico de adulteratione librorum Origenis verba fecimus. Ejusdem verò Pamphili adversus Mathematicos sententiæ, una cum earum Ruffiniana interpretatione periisse videntur.

7. *SS. Basilii Cæsariensis, & Gregorii Nazianzeni*, nonnulla à Ruffino versa reperiuntur in antiquis ope-
E rum illorum Latinis editionibus.

8. De Evagrii Pontici sententiis, ac vita Eugeniæ similibusque nihil addam iis quæ abundè præstitit noster Rosweidus.

(*a*) Capta anno 409. Urbe Romana à Wesegothis secessit in Siciliam, ut cùm ex aliis conficitur, tum ex epistola ejusdem Ruffini ad Ursacium præfixa interpretationi Homiliarum Origenis in Numeros quam nuper ex mss. exemplari doctissimi viri Emerici Bigotii emisit in lucem V. C. Henricus Valesius pag. 129. Annotationum in Eusebii Cæsariensis Ep. Ecclesiasticam Historiam: ubi fugitur per varia discrimina & ne ipsa quidem absque metu habentur exilia. In conspectu etenim, ut videbas etiam ipse, nostro Barbarus qui Rhegino oppido miscebat incendia angustissimo à nobis freto, ubi Italiæ solum Siculo dirimi-

dirimitur, arcebatur. Mortuus verò jam tum fuisse in eadem insula videtur cùm S. Hieronymus ad B. Eustochium scriberet Præfationem Commentariorum suorum in Ezechielis Prophetiam: cùm enim præmisisset subito mortem sibi Pammachii atque Marcellæ, Romanæ urbis obsidionem, multorumque fratrum & sororum dormitionem nuntiatam, seque ita conservatum obstupuisse, ut nihil aliud diebus ac noctibus nisi de salute omnium cogitaret seque in captivitate Sanctorum putaret esse captivum; cùm clarissimum terrarum omnium lumen extinctum est, imò Romani Imperii truncatum caput, & in una urbe totus orbis interiit: subjungit paulò post: Verùm quia & tu indesinenter hoc flagitas, & magno vulneri paulatim cicatrix obducitur: scorpiusque; idest Ruffinus, inter Enceladum, & Porphyrium Trinacriæ sinu premitur, & Hydra multorum capitum contra nos aliquando sibilare cessavit &c. Obierit ergo in Sicilia vel anno 410. vel sequenti, quod etiam ex proœmio in librum primum Commentariorum in Hieremiæ Prophetiam datur intelligi, ubi cùm Grunnium memorasset præcursorem Cælestii, sive Pelagii quem vocat stolidissimum, & scortorum (alii Scottorum) pultibus prægravatum addit: Legat ejusdem operis Apologiam quam ante annos plurimos adversus magistrum ejus gaudens Roma suscepit, & tunc animadvertet alienis se vocibus blasphemare, & in tantum esse imperitum, ut ne maledicta quidem habeat propria, sed inimicorum etiam olim sepultorum contra nos utatur rabie. Confer proœmium in 6. librum Comm. in Ezechielem. Putabam quòd medio serpente confosso non reviviscerent hydræ novella plantaria, &c.

(*b*) Miserabilis Grunnius, qui ad calumniandos sanctos viros aperuit os suum linguamque suam docuit mendacium. Sexti Pythagorei hominis gentilissimi unum librum interpretatus est in Latinum, divisitque eum in duo volumina, & sub nomine S. Martyris Xysti urbis Romanæ Episcopi ausus est edere: in quibus nulla Christi, nulla Spiritus sancti, nulla Dei Patris, nulla Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum fit mentio: & hunc librum solita temeritate, & insania Annulum nominavit, qui per multas provincias legitur & maximè ab his qui ἀπάθειαν, & impeccantiam prædicant. Quomodo igitur Dominus Jechoniam instar annuli de domo sua, & digito se projecturum comminatur, ita Lectorem obsecro, ut nefarium librum abjiciat, legatque si voluerit, ut cæteros Philosophorum libros, non ut volumen Ecclesiasticum.

(*c*) Hìc juvat S. Hieronymi verba referre ex epistola ad Ctesiphontem adversus Pelagium ejusque sectatores aculeatè conscripta, quibus Ruffini artes detegit, refellitque: Illam autem temeritatem, imò insaniam ejus, quis digno possit explicare sermone, quòd librum Xysti Pythagorei hominis absque Christo, atque Ethnici, immutato nomine Sixti Martyris, & Romanæ Ecclesiæ Episcopi prænotavit? In quo juxta dogma Pythagoreorum qui hominem exæquant Deo, & de ejus dicunt esse substantia, multa de perfectione dicuntur, ut qui volumen Philosophi nesciunt, sub Martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipso volumine nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apostolorum, nulla Christi fit mentio, ut Episcopum, & Martyrem sine Christi fide fuisse contendat. Unde & vos plurima contra Ecclesiam usurpatis testimonia &c.

De Palladio Galata. 390.

PALLADIUS GALATA Ruffini æqualis, & amicus fuit, ut ex operibus ejus intelligi potest. Scripsit *historiam Lausiacam*, *& Paradisum Heraclidis*, in quibus describuntur breviter multorum sanctorum vitæ, quæ non modicam præstare possunt legentibus utilitatem. Ipse tamen reprehenditur, ut Origenista, à sancto Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem, & à sancto Epiphanio in epistola ad Joannem Hierosolymitanum, quæ extat in secundo tomo sancti Hieronymi. Extat etiam *dialogus* quidam sub nomine Palladii in tomo 1. operum sancti Joannis Chrysostomi, editionis Parisiensis.

Dissertatio Historica.

PALLADIUS, natione Galata Helenopoleos in Cappadocia primùm, tum Asponitanus Episcopus Evagrii Pontici discipulus, & Ruffini Aquilejensis Presbyteri æqualis, atque amicus fuit, in Origenis, ac Pelagianorum errores propensior obiit sæculo Christi quinto post annum 410. aut etiam 418. Ejus mentio apud S. Epiphanium Ep. ad Joannem Ep. Hierosolymitanum, quæ est 60. inter Hieronymi epistolas, eumdem S. Hieronymum in proœmio libri ad Ctesiphontem adversus Pelagianos, Gelasium primum Papam Præfatione in librum adversus Pelagianos, Socratem libro 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 18. Cassiodorum Historiæ Tripartitæ libro 8. cap. 1. Joannem Damascenum, sive quem alium auctorem libri de iis qui in fide dormierunt. Nicephorum lib. 11. cap. 44. Possevinum, Vossium, &c.

Historia Lausiaca, sic appellata quòd ad Lausum Virum Illustrem, & sacro cubiculo præpositum, eam Palladius scripserit anno ætatis 53. Episcopatus 20. vitæ solitariæ 33. post lustratam Eremum, extat Græcè & Latinè interprete Gentiano Herveto Aurelio edita anno 1624. curante R. P. Frontone Ducæo Soc. Jesu in Auctario Græco-Latino Bibliothecæ Veterum Patrum ex editione Græca Lugduno-Batava Joannis Meursii, & ms. codice Bibliothecæ Christianissimi Regis. De aliis ejusdem libri, necnon Heraclidæ Paradisi, ac similium, versionibus editionibusque: consulesis doctissimas observationes R. P. Heriberti Rosweidi S. J. Theologi ad Vitas Patrum Antuerpiæ impressas annis 1615. & 1628. nec non Historiam Patrum Laurentii Barræi, & Bibliothecas Veterum Patrum.

Idem *Vitam S. Joannis Chrysostomi Archiep. Const.* fusè descripsisse creditur in Dialogo, quem cum Theodoro Ecclesiæ Romanæ Diacono instituit, qui Latinè dumtaxat hactenus prodiit interprete Ambrosio Camaldulensi Monacho. Sunt tamen qui alium illius auctorem existiment, nimirum Georgium Alexandrinum Patriarcham Trithemius tribuit Palladio qui à Cælestino Papa anno 430. missus in Scotiam primus Hiberniensis insulæ Apostolus, prædicatione sua gentem sibi commissam ad Fidem Christi convertere vel saltem à Pelagiana hæresi avertere cùm non potuisset, Romam reversurus in Britanniam trajecit ibique apud Pictos decessit 15. Decembris anni 431. ut ex ejus vitæ auctoribus vulgò fertur, quibus tamen haud consentiunt verba Prosperi cap. 4. adversus Collatorem: *dum Romanam insulam studet servare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam*, quod vix unius anni spatio confici potest. Quid verò si verba Prosperi intelligi debeant de S. Patricio anno 432. ut volunt, ab eodem Cælestino Papa in Episcopum consecrato, & in Scotiam, sive Hiberniam ac Britanniam misso. Sed de his aliàs. Joannes

annes quoque Balæus Palladium Scotorum Episc. cum Palladiis Helenopolitano, & Amasiensi Episcopis confudit.

SUPPLEMENTUM.

PALLADIUS natione Galata, Helenopoleos in Cappadocia Episcopus, Evagrii Pontici Discipulus, & Ruffini Aquilejensis Presbyteri æqualis, atque amicus fuit, propensior in Origenis ac Pelagianorum errores, obiit sæculo Christi quinto, post annum 410. aut etiam 418. Mentio illius apud S. Epiphanium Epist. ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum quæ est 60. inter Hieronymi Epistolas, apud S. Hieronymum in procemio libri ad Ctesiphontem adversus Pelagianos, Gelasium I. Papam præfatione in librum adversus Pelagianos, Socratem lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 18. Cassiodorum Historiæ tripartitæ lib. 8. cap. 1. Joannem Damascenum, seu quemvis alium auctorem libri, de iis qui in fide dormierunt; Nicephorum lib. 11. cap. 44. Possevinum, Vossium &c.

Hic anno ætatis 53. Episcopatus 20. vitæ solitariæ post lustratam, & pedibus obitam Eremum scripsit Græcè *Historiam Lausiacam* (dicta autem est *Lausiaca* quia ad Lausum virum illustrem, & sacro Cubiculo Præfectum dicta fuit) quam habes Latinè ex veteri interpretatione editam cum notis Heriberti Rosweidi in Vitis Patrum Antuerpiæ in fol. annis 1615. & 1628. Item Græcè cum Notis Joannis Meursii anno 1619. Lugduni Batavorum in 4. denique Græcè & Latinè cum notis Frontonis Le Duc in Supplemento Græco-Latino Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Parisiensis 1624. pag. 893. Sed quia multa in Græco textu desunt ex defectu mss. Codd. in illa Meursii ac Ducæi editione græca; Joannes Baptista Cotelier in *suis veteribus monumentis Ecclesiæ Græcæ* anno 1681. Parisiis in 4. editis apud Franciscum Muguet tom. 2. pag. 341. addidit supplementum ejusdem textus græci Historiæ Lausiacæ, collatum ad ms. Cod. Græcum 2466. Bibliothecæ Regiæ; & ad 3. mss. Codd. Bibliothecæ Colbertinæ, unde integer prodire potest. Item scripsit tractatum *de Gentibus Indiæ & Bragmanibus* græco-Latinè ex ms. Cod. Anglico, per Eduardum Bissæum Londini 1665. in 4. Item *vitam S. Joannis Chrysostomi* quam habes Latinè tantùm inter ejus opera Græco-Latina in fine 2. voluminis scriptam per modum Dialogi inter Episcopum & Theodorum, unde quidam illam Theodoro adscripserant. Sed eamdem Græcè & Latinè ex ms. Cod. Bibliothecæ Florentinæ quo olim usus fuerat Ambrosius Camaldulensis in interpretatione sua, edidit Emericus Bigotius Doctissimus Rotomagensis in 4. anno 1680. Parisiis apud Viduam Edmundi Martini via Jacobæa sub sole Aureo. Omisit præfationem huic operi à Palladio præfixam Emericus Bigot ob rationes, quas Critici idoneas non censent, ideoque malæ fidei apud multos accusatur, quod ingenuo homine, litteratoque est indignum. Opus autem Palladii inscriptum *Historia Lausiaca* olim Romæ ms. in Bibliotheca Sfortiana in classe Historicorum numer. 93. tractatus *de Gentibus Indiæ & Bragmanibus* ibidem in classe Theologorum num. 106. *Vita S. Joannis Chrysostomi* ms. in Bibliotheca Imperatoria Vindobonensi.

De sancto Gaudentio Brixiensi. 390.

SANCTUS GAUDENTIUS successor Philastrii in Episcopatu Brixiæ, scripsit utilissimos tractatus de variis argumentis, qui extant in tom. 2. Bibliothecæ sanctorum Patrum editionis 2. *De dedicatione Basilicæ, tractatus unus. De Pascha in Exodum*, 7. *De lectione Evangelii*, 2. *De Exodo iterum*, 1. *De Paralytico*, 1. *In illud, Nunc judicium est Mundi*, 1. *De promissione Paracleti*, 1. *De Machabæis Martyribus*, 1. *De Villico iniquitatis ad Germinium*, 1. *In illud, Pater major me est*, 1.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS GAUDENTIUS, Philastrii in Brixiensi Episcopatu ab anno 387. successor usque ad initia sæculi quinti, & annum vel 410. ut quidam, vel 427. quantum quidem ex ejus successoris Pauli initiis datur intelligi, quem Ferdinandus Ughellus Tomo IV. Italiæ sacræ docet Episcopalem dignitatem adeptum anno 427. Gaudentius verò obiit die 25. Octobris, conditus Brixiæ in Basilica S. Joannis Evangelistæ. De eo Romanum Martyrologium.

Præter vitam S. Philastrii prædecessoris sui, quam retulit Surius ad diem 18. Julii extant Tomo II. Magnæ Parisiensis Bibliothecæ & aliarum *Tractatus*, sive, *sermones de variis argumentis*, numero XVII. à Bellarmino aliisque notati, cum Responsionibus ad Germinium, *De Villico iniquitatis*, ex Lucæ cap. 16. & ad Paulum Diaconum de eo, quod Dominus dixit Apostolis: *Quia Pater major me est*. Joannis cap. 14.

In præfatione sermonum ad Benevolum servum Christi, Justinam sui temporis Reginam, Jezabelam, Arianæ perfidiæ patronam ac sociam appellat, quæ cùm S. Ambrosium Mediolanensis Ecclesiæ Antistitem persequeretur, eumdem Benevolum Magistrum Memoriæ, vel ut Ruffinus nuncupat, scriniis memoriæ præsidentem, compellere voluit, ut contra Catholicas dictaret Ecclesias: quod ne faceret, ultrò & promotionis politicæ dignitatem, & ambitionem sæculi, gloriamque mundanam pro Dei gloria contempsit, magis eligens privatus vivere, quàm mortuus militare. Unde colligimus non ante annum 387. Sermones illos omnes, qui ad Sacratissimæ Paschalis Hebdomadis solemnitatem, dedicationem Ecclesiæ in honorem XL. Martyrum, quem qui vel semel obiter legerit, omnem Heterodoxæ impietatis caliginem dispellet, aliaque argumenta spectant, fuisse conscriptos, ac præcipuè illum, quem prima ordinationis suæ die habitum coram S. Ambrosio, aliisque Præsulibus, quorumdam civium Notarii exceperunt. (*a*)

(*a*) Ex his puto elegantes illos Tractatus non totam penes titulum fidem habere, ut nugatur Albertinus pag. 518. etsi nullus veterum quod sciam, vel tenuissimam de his fecerit mentionem. Addit tamen subinde, nihil sibi occurrere, quo vel illius esse, vel illius non esse, manifestum facere potuerit. Simlerus in Bibliothecæ Epitoma asserit Gaudentii sermones nominari in Catalogo librorum veterum mss. quem Scipio Tettius dicitur scripsisse. Idem Gaudentii Philosophi Harmonicam introductionem memorat, & Gaudentii cujusdam epistolas VII. Tomo S. Augustini.

De Aurelio Prudentio. 390.

AURELIUS Prudentius, Poeta Christianus, floruit sub Theodosio seniore, & filiis ejus: scripsit egregia *carmina*, *psicomachiam*, *de pugna Fidei*, *& Idololatriæ*: *Pudicitiæ*, *& libidinis*: *Patientiæ*, *& iræ*: *Superbiæ*, *& humilitatis*: *Luxuriæ*, *& sobrietatis*: *Avaritiæ*, *& largitatis*: *Concordiæ & discordiæ*.

Scripsit librum *Catemerinon*, idest, rerum divinarum, in quo continentur hymni à matutino ad Vespertinum.

Scri-

Scripsit librum *Peristephanon*, idest, de coronis, in quo sunt laudes multorum martyrum: sancti Laurentii, sancti Vincentii, sanctæ Eulaliæ, SS. Petri, & Pauli, sanctæ Agnetis, sancti Cypriani, sancti Cassiani, & aliorum.

Scripsit *Apotheosim*, idest, de divinitate, ubi sunt hymni in infideles, in hæreticos Sabellianos, in Judæos, item de natura animæ, & de resurrectione carnis.

Scripsit *Hamartigenia*, idest, de origine peccatorum, contra Marcionem.

Scripsit *libros duos contra Symmachum*.

Addit Gennadius in libro de viris illustribus, scripta quoque fuisse ab eo, *Enchiridion veteris & novi Testamenti*, *& de opere sex dierum*. Hoc opus in Bibliotheca SS. Patrum tribuitur Ameno. Ejus initium est, *Eva columba fuit &c.*

Dissertatio Historica.

Aurelius Prudentius Clemens V. C. Hispanus, (*a*) Miles Palatinus (sunt qui virum Consularem, atque Urbi Romanæ Præfectum vocitent) Poeta Christianus, natum se canit anno Christi 348. Philippo & Galia Consulibus, atque in eadem præfatione in Cathemerinon quam anno 405. scribebat stilicone & Aureliano Coss. attigisse fatetur annum ætatis 57. Quamdiù autem postea vixerit N. L. De eo Gennadius cap. 13. Catalogi, qui ex operum ejus lectione Palatinum fuisse militem agnovit. Walafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 25. ubi inter Hymnographos memorat, vocatque Hispaniarum scholasticum, Jo: Trithemius, Aldus Manutius senior, Lilius Gyraldus, Antonius Possevinus, Ger. Jo: Vossius, aliique.

Opera ejus sæpius edita sunt post Aldi Venetam editionem anni 1501. Ego ordinem sequar editionis Antuerpiensis Plantinianæ tum anni 1564. & aliquot sequentium annorum, cum Theodori Pulmanini Cranenburgii emendationibus, & notis, atque adeò Commentario Victoris Giselini Stranfordensis.

Psychomachia sive de pugna animi Joannes Sichardus in hoc, & tria sequentia opuscula notas edidit. Operam quoque suam in emendandis Prudentii Poematis Georgius Fabricius Chemnicensis impendit. Quin & ipse Desiderius Erasmus hymnos de Natali pueri Jesu, & de Epiphania Commentariis illustravit tum seorsim, cùm in Bibliothecis Veterum Patrum excusis, & Jacobus Spiegelius in hymnos ad omnes horas de miraculis Christi, adnotationes scripsit.

Cathemerinon, sive Diurnarum rerum opus. *Peristephanon*, sive de coronis martyrum. *Apotheosis*, sive de Divinitate. *Hamartigenia*, sive de Origine peccatorum. *Libri duo contra L. Aurelium Avionum Symmachum, urbi Romanæ Præfectum, qui pro Ara Victoriæ ex veteri Deorum cultu differuerat.*

Enchiridion Veteris & novi Testamenti διττοχαῖον Græcè, à duplici veluti cibo appellatum, vel ut contendit Giffanius δίπτυχον de quo etiamsi quidam dubitarint, quod cultius aliis operibus videatur, & Amæno cuidam ignoto Priscis Poetæ cum Georgio Fabricio tribuerint, aut Sedulio cum Jo: Sichardo, Giselinus tamen ex fide mss. codicum, & excusorum, quos quidem viderat, Prudentio asseruit post Gennadium, qui id apertè profitetur (*b*) Addit deinde stylum, verba, sententias, phrases, allegorias, traductiones, omnia denique Prudentium sapere, redolere, loqui. Certè probare nequeo divinandi pruriginem in Melchiore Goldasto, qui duos Prudentios comminiscitur, & Amænum domo Hispanum prænomen Prudentii habuisse, majorique

A Prudentio σύγχρονον fuisse argutatur. Quodque intolerandum videtur Gennadium illorum ὁμωνυμία delusum non potuisse amborum discernere opuscula. Sed de eo Perkinsio, Coco, Hospiniano, Riveto, aliisque Heterodoxis plura in Examine. Interim observet Lector verba appendicis Belgicæ ad indicem Romanum: Annotationum, seu Commentariorum in Prudentium anno 1564. in quibus ad lib. Hamartigeniæ, *Itane ò Prudenti*, corrigatur juxta recognitionem ab ipso auctore editam: ne in alieno opere nimis curiosi sint Heterodoxi.

(*a*) Natione atque ut Sixtus Senensis habet ex urbe Cæsar-augustana, qui etiam Massaliæ, fortè legendum Massiliæ, consulem appellat, sui temporis Poetam celebratissimum, & omnium disciplinarum B varietate ornatum, qui volumen exametri carminis διττοχαῖον idcirco prænotaverit, quod in ipso ex omnibus Historiis Veteris ac novi Testamenti quasi duplicem cibum parasset διττὸς enim duplex, & ὀχὴ cibus.

(*b*) His verbis composuit διττοχαῖον de toto veteri & novo testamento personis excerptis. Subjungit in morem Græcorum commentatum esse Hexaemeron de mundi fabrica usque ad conditionem hominis primi, & prævaricationem ejus. An verò liber Hymnorum unus, & alter quem fecit in laudem Martyrum sub aliorum nominibus invitatorium ad Martyrium iidem sint cum libris καθημερινῶν, ἢ περὶ C στεφανῶν, qui extant eruditis viris dijudicandum permitto. Quod idem Senensis claruisse asserit anno 380. sub Gratiano Augusto, id ex aliis quàm quæ edita sunt operibus divinare debuit: si enim ut ipsemet præmisit, cùm per quinquaginta & septem annos mundanis vanitatibus inservisset Prudentius, tandem iis in senectute relictis, totum se divinarum Scripturarum studio dedicavit, in quo multa carminibus scripsit, consequens est, non anno 380. sub Gratiano, sed anno 405. qui fuit vitæ ejus 57. sub Arcadio & Honorio Augustis claruisse.

De sancto Chromatio Episcopo Aquilejensi. 390.

D Sanctus Chromatius Episcopus sanctissimus, & doctissimus fuit testimonio sancti Hieronymi præfatione in librum Paralip. Scripsisse fertur *commentaria in Matthæum*, sed nunc extant solùm homiliæ de octo beatitudinibus in cap. quintum Matthæi, & *tractatus in illud: Ego à te debeo baptizari*. Vide in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 2.

Extat in quarto tomo operum sancti Hieronymi *epistola* sub nomine Chromatii, & Heliodori ad Hieronymum, & *responsio Hieronymi*, in quibus agitur de Nativitate Beatissimæ Virginis: sed utraque falsa, & suppositia est: ut etiam falsam esse convincit Card. Baronius epistolam eorumdem Chromatii & E Heliodori ad Hieronymum circa Martyrologium. Vide præfationem Card. Baronii ad Martyrologium Romanum, cap. 5. & 7.

Dissertatio Historica.

Sanctus Chromatius, Aquilejensis Episcopus (Romanicianum alii appellant, seu Romatianum, aut Romanum, quòd Aquileja, ob nobilitatem, secunda Roma, vel Romana, seu Romatiana civitas olim dicta sit, quemadmodum Baronius conjicit in notis ad Martyrologium Romanum die 22. Junii occasione S. Niceæ ex Hypodiacono Aquilejensi ejusdem urbis post S. Chromatium Episcopi, & usque ad ejus ab Attila Hunnorum Rege factam anno 451. eversionem superstitis, ut ex scripta ad

pta ad eum à S. Leone Papa epiſtola 79. apparet) vixit exeunte Chriſti ſæculo quarto, & ineunte quinto, ejuſque natalis dies, cujus annus ignoratur, die ſecunda Decembris in Faſtis Eccleſiaſticis conſignatur. Ejus meminerunt cum maxima laude S. Ambroſius epiſtola ad eum ſcripta, S. Chryſoſtomus epiſt. 155. (a) ad eumdem exarata, S. Hieronymus præfatione in libros Paralipomenon, ubi vocat Epiſcoporum ſui temporis doctiſſimum, & ſanctiſſimum. Gennadius tamen ejus non meminit, ſed ſucceſſoris ejus dumtaxat S. Niceæ cap. 22. Atque ex eo Honorius Auguſtodunenſis libello 2. de Luminaribus Eccleſiæ. Tacent quoque Iſidorus, Sigebertus, atque ipſe etiam Joannes Trithemius, quamquam in ſcrutandis priſcis ſcriptoribus diligentiſſimus. Extant Chromatii Epiſcopi Romani nomine in Micropresbytico, & Bibliothecis veterum Patrum, ac ſeorſim etiam anno 1528. Baſileæ apud Adamum Petrum editæ, ex Commentariis in Evangelium S. Matthæi.

Homiliæ duæ de octo Beatitudinibus ad cap. 4. Homilia una in caput quintum, & in partem ſexti cum fragmentis in tertium & quartum.

Superfluum penè videtur hic admoneri paſſim ab eruditis omnibus reprobari ſcriptas ſub ejuſdem Chromatii, & Heliodori nominibus ad S. Hieronymum, & S. Hieronymi ad eoſdem Epiſtolas de Nativitate Beatæ Virginis, & de Martyrologio. Conſule Baronium, & Bellarm. ex quibus ferè cæteri.

(a) His verbis, clariſſima ferventis tuæ, & ſinceræ charitatis tuba ad nos uſque ſonum ſuum diffundit, &c. Ruffinus invectiva prima in S. Hieronymum. De eodem Sixtus Senenſis tum lib. 4. ubi ait ſe ex Commentariis in Matthæum eruditione, ac pietate inſignibus fragmenta hæc legiſſe: in Matthæi cap. 3. ſuper illud, ſine modo, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam: in caput 5. ex integro & in partem ſexti. Item de octo beatitudinibus homiliam elegantem, tum libro 6. Annot. 26. & 81. & Bellarminus lib. 1. de Matrimonio capp. 16. & 17. Ferdinandus Ughellus ait ſediſſe annis 18. menſibus 9. Vide Italiæ Sacræ Tomum Quintum.

De Evagrio Antiocheno Ep. 393.

SUPPLEMENTUM.

Hunc Evagrium vide ſæculo 6. poſt Evagrium Scholaſticum.

De Evagrio Pontico. 395.

SUPPLEMENTUM.

Evagrium Ponticum vide ſæculo 6. poſt Evagrium Scholaſticum.

De Marco Eremita. 395.

SUPPLEMENTUM.

Marcum Eremitam vide ſæculo 10. poſt Leonem Imperatorem.

De Ticonio. 395.

SUPPLEMENTUM.

TICONIUS natione Afer, quem S. Auguſtinus Donatiſtam fuiſſe affirmat, ſcripſit multa, de quibus Gennadius lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 18. & poſt eum Honorius Auguſtodunenſis lib. 2. cap. 18. Habemus ejus opuſculum *de ſeptem regulis ad*
A *inveſtigandam, & inveniendam intelligentiam Scripturarum*, in Bibliotheca veterum Patrum, Pariſienſis primæ editionis anni 1575. de qua jam ſæpius, & in ſequentibus omnibus. Agunt de Ticonio S. Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 30. & lib. 2. Retract. cap. 18. Caſſiodorus Præfatione in Pſalmos, & lib. divinarum Inſtitutionum cap. 9. & Iſidorus lib. 1. de ſummo bono, itemque Molanus in mſ. Bibliotheca ſacra. Hujus ſeptem Regularum librum ad mſſ. Codd. collatum Andreas Schottus Antuerpienſis, Societ. Jeſu, tom. V. Bibliothecæ Patrum anno 1618. publicavit. Floruit Ticonius, Theodoſio & filio ejus regnantibus.

B *De S. Joanne Chryſoſtomo.* 398.

SANCTUS JOANNES CHRYSOSTOMUS, magnus Eccleſiæ Doctor, primum in foro verſatus eſt magna cum laude: deinde Monaſticam vitam exercuit, atque ab eremo ad clerum vocatus, Presbyter Antiochenus ordinatus eſt anno 11. Valentiniani junioris, & 8. Theodoſii ſenioris. Anno deinde 4. Archadii, & Honorii Epiſcopus Conſtantinopolitanus factus, tandem anno 13. eorumdem Imperatorum, & Epiſcopatus ſui nono, mortem obiit circa annum Domini 407. Opera, quæ extant quinque tomis comprehenduntur, in editione Veneta anno Dom. 1575. hac enim editione utebar dum
C ſcriberem.

Primi Tomi.

In Geneſim, homiliæ. 67. *In Pſalmos, homiliæ.* 26. *In varia loca teſtamenti veteris*, 52. *Ex quibus quinque ſunt de viſione Iſaiæ.*

Secundi Tomi.

In Matthæum, homil. 89. *In eumdem operis imperfecti, hom.* 54. *In varia loca Matthæi, homil.* 26. *In Marcum, homil.* 14. *In varia loca Lucæ, hom.* 7.

D *Tertii Tomi.*

In Joannem, homil. 87. *In varia loca Joannis, hom.* 6. *In Acta Apoſtolorum, hom.* 15. *Conciones de ſacris feriis*, 32. *In varia loca Pauli, hom.* 14. In quibus ſunt multæ *de laudibus Pauli.*

Quarti Tomi.

Commentaria per homilias in omnes Epiſtolas Beati Pauli.

Quinti Tomi.

E *Ad populum Antiochenum, homil.* 80. *De Sacerdotio dialogi ſive libri* 6. *De compunctione cordis, lib.* 2. *De providentia Dei, lib.* 6. *De orando Deo, lib.* 2. *De comparatione Regis & Monachi*, 1. *Contra vituperatores vitæ Monaſticæ*, 3. *Contra Gentiles, ſive in Babylam mart.* 1. *De pœnitentia ſermones*, 12. *Adverſus Judæos, & hæreticos, ſerm.* 15. *Contra Concubinarios, ſerm.* 2. *Variorum argumentorum, ſerm.* 48. *Epiſtolæ*, 8. *Ad Innocentium Papam*, 2. *Ad Cyriacum*, 1. *Ad Epiſcopos, & Presbyteros ob pietatem in carcere incluſos*, 1. *Ad Theodorum lapſum*, 2. *Ad Eutropium*, 1. *Ad Olympiam illuſtrem fœminam*, 1. *Liturgia, ſive Miſſa S. Joannis Chryſoſtomi.*

Obſervatio.

In primo Tomo ex homiliis in diverſa loca teſtamenti

menti Veteris, est homil. in cap. 2. Genes. quæ incipit, Deus institutor Mundi: quæ homilia non videtur posse esse Chrysostomi, cùm in ea inserta sint duo integra capita ex libro latino de Ecclesiasticis dogmatibus, videlicet tricesimum primum, & tricesimum secundum. Liber autem iste habet auctorem Chrysostomo posteriorem, ut infra dicemus. Aliæ quoque nonnullæ sunt, quæ dubiæ fidei videri possunt. Sed homiliæ in Genesim, & in Psalmos, & de visione Isaiæ, & aliæ plurimæ indubitatæ sunt.

In secundo tomo Commentaria in Matthæum sine dubio Chrysostomi sunt. Sed opus imperfectum non videtur esse Chrysostomi: non enim erat ulla ratio, cur bis de argumento eodem tam multa idem auctor scriberet. Sed cujuscumque sit opus, aut ab hæretico aliquo compositum fuit, aut ab hæretico aliquo corruptum, quamvis alioqui liber sit doctus, & minimè spernendus. Homil. 4. dicit, Spiritum sanctum esse ministrum filii: & hom. 48. homousianos numerat inter hæreticos: quę duæ sententiæ Arianorum sunt. Contra tamen hom. 27. & 44. dicit hæreticos esse, qui affirmant, filium esse minorem patre: quæ superioribus dictis contraria sunt, proinde credibile est auctorem fuisse Catholicum, sed opus illius ab Arianis esse depravatum.

In eodem tomo sunt Commentaria in Marcum, quæ sine dubio Chrysostomi non sunt, sed alicujus simplicis Monachi, qui fratribus suis Evangelium explicabat, ut constat ex homil. 3. 4. 8. 9. & ex aliis, quæ in eodem tomo habentur, quædam sunt manifestè Chrysost. ut homilia de proditione Judæ, item de divite, & Lazaro, Homil. 4. & alia de Publicano, & Pharisæo, & alia de Cruce, & Latrone. Reliqua videntur excerpta partim ex Comment. Chrysost. in Matth. partim ex opere imperfecto, partim ex hom. in Marc.

In tertio tomo hom. 87. in Joann. omnium consensu Chrysostomi sunt. Idem omnino sentiendum existimo de homiliis 55. in Acta Apostolorum, quamvis ab Erasmo revocentur in dubium. Certè hom. 9. auctor Episcopum se esse dicit, & homil. 1. addit Episcopum se esse Urbis amplissimæ, & homil. 41. dicit, se vixisse tempore Juliani apostatæ, & hom. 52. nomen suum dicit esse Joannem: neque est aliquid alicujus momenti, unde suspicio suppositi operis colligi possit. Adde quòd Joannes Damascenus lib. 3. de fide, & OEcumenius in catena explanationis in Acta, testimonia petunt ex his homiliis sub nomine S. Joan. Chrysostomi. De sex homiliis interpositis inter Commentaria in Joannem, & in Acta, non est omnino certum, an sint Chrysostomi, excepta tertia, quæ incipit, Hirundinum pulli. Reliqua omnia creduntur esse Chrysostomi, ac præsertim homiliæ de laudibus Pauli.

In quarto tomo nihil est, quod jure revocari possit in dubium.

In quinto tomo omnia ferè sunt certa, & indubitata, exceptis homiliis ad populum Antiochenum, ex quibus viginti & una tantùm reperiri dicuntur manuscriptæ in antiquis Bibliothecis, & apertè colligitur ex contextu ipsorum; permultas earum esse fragmenta homiliarum Chrysostomi in Matthæum, vel in Joannem, vel in Acta Apostolorum, vel in epistolas Pauli: ut exempli gratia, homilia ad populum Antiochenum vicesima septima decerpta est partim ex homil. 1. partim ex 11. partim ex 12. in Acta, & homil. 60. & 61. ad populum decerptæ sunt ex hom. 83. in Matthæum, & 4. in Joann. Sed hoc non multum refert, cùm sententiæ ejusdem auctoris sint.

A

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS JOANNES, propter admirabilem in dicendo eloquentiam dictus à Græcis χρυσόςομος, ἢ χρυσορ ῥήμον, Antiochiæ anno 355. aut præcedenti natus, cùm aliquot annos in foro versatus fuisset, ad severioris vitæ genus, ac Christianam pietatem sedulò conversus, adversus Gentiles, & Judæos anno 382. scripsit, tum anno 386. à Flaviano Patriarcha Antiocheno Presbyter ordinatus, cum Marcionitis non semel disputavit. Anno Christi 398. Arcadii Imp. ab obitu patris quarto post Nectarium ad Thronum Const. Regiæ urbis evectus ex eo dejectus est anno 403. conspiratione Eudoxiæ Augustæ, Theophili Alexandrini, & aliorum Episcoporum, & in exilium ejectus, unde paulò post revocatus anno seq. iterum deportatus est Cucusum Armeniæ oppidum, & Arabissum, ac in villam, quæ Comana dicitur, in regione Pontica, in qua, cùm rediret, obiit die 14. Septembris, anno 407. ætatis 53. sedis 9. cum mensibus 6. & diebus 20. Sanctus Hieronymus cap. 129. Catalogi, vocat Antiochenæ Ecclesiæ Presbyterum Eusebii Emeseni, Diodorique Tarsensis Episcopi sectatorem, additque ex iis, quæ multa (ante annum 392.) composuerat legisse se tantum περὶ ἱερωσύνης. De eodem vitæ ejus scriptores Palladius, Georgius, Leo Imperator, Simeon Metaphrastes, Cosmas Vestitor, similesque, tum S. Augustinus in libris adversus Pelagianos, Isidorus Pelusiota lib. 1. ep. 156. Joannes Cassianus extremo lib. 7. de Incarnatione, Theodoretus Dialogis 1. 2. & 3. idemque ac Socrates, Sozomenus, Evagrius, Nicephorus, cæterique Historiæ Græcæ scriptores, Isidorus Hispalensis cap. 8. unde discimus multa ab eo composita opuscula fuisse Latinè reddita, Photius Codd. 25. 86. 172. 173. 174. 270. 274. 277. Sigebertus cap. 36. Catalogi, Suidas, Honorius Augustodunensis, Trithemius, & ex recentioribus Sixtus Senensis, Baronius, qui ad annum 438. multa refert de corporis ejus in urbem Regiam gloriosa sub Theodosio juniore Translatione, & miraculis pluribus eo tempore editis, Bellarminus, Possevinus, Fronto Ducæus, Henricus Savillius, aliique, quos prolixum nimis esset sigillatim enumerare velle, neque oppido fructuosum, cùm ii abundè sufficiant, ut obstruatur impurissimum os Danielis Tossani Calvini asseclæ, qui pro ingenita Heterodoxis impudentia ausus est in synopsi de legendis Patribus, scribere Chrysostomum eloquentia, & zelo plus valuisse, quàm scripturarum peritia, ideoque in Ethicis plus excelluisse, quàm in didascalicis, & exegeticis, sæpè nimis subtiliter philosophatum, iracundiorem fuisse, & paulò liberioris linguæ, libero arbitrio nimis tribuisse, &c.

Ex multis operum S. Chrysostomi editionibus, Græca tantùm Tomis 8. anno 1613. prodiit Etonæ in Collegio Regali propè Londinum in Anglia cura Henrici Savillii nobilitate, eruditione, ac studio juvandi litteras clarissimi viri, quæ tamen non adeò perfecta est, ut quidam asserunt, quin ex Parisiensibus, & Commelinianis suppleri, ac emendari multis in locis possit ac debeat. Ex Latinis quæ variis in locis hoc & superiori sæculo emerserunt ea mihi maximè probatur, utpote omnium absolutissima quæ anno 1613. Parisiis prodiit castigata studio R. P. Frontonis Ducæi S. J. Theologi. Bellarminus Venetam anni 1574. in quinque Partes, seu Tomos divisam sequutus est, sed in plerisque mancam, multis scilicet prætermissis, quæ in posterioribus apparent. Certè, si Parisiensem Nivellianam multorum opusculorum supplementis à Billio, Herveto, Bosio

aliisque

aliisque additis locupletatam adhibuisset, næ Lectoribus suis rem gratissimam fecisset.

Quod ad Græco-Latinam spectat, ea conflanda est tum ex sex illis Tomis, qui à R. P. Frontone Ducæo magna diligentia vulgati sunt, tum ex quatuor Commelinianis, quos in sex Tomos distribuit, qui recudere anno 1633. aggressus est, non inutili opera Carolus Morellus, ut tota collectio 10. aut 12. Tomos GL. complectatur. Monendus porrò Lector est, antequam pergam ulterius, à Sebastiano Cramosio, & eodem Morello recusos quoque fuisse sex Tomos Frontonianos, quos tamen non tanti, ac priores facere solent accuratiores Bibliothecarii.

Tomo I. Frontonis Ducæi an. 1609.

Ad populum Antiochenum de statuis homiliæ 21. ex interpretatione Bernardi Brixiani recognita, aucta, & emendata à Frontone Ducæo S. J. T. 1. *In illud* 1. *ad Timotheum* 5. *Vino modico utere*. 2. *In* 1. *ad Timotheum* 6. Divitibus sæculi præcipe. 3. *In profectionem Flaviani Patr. Antiocheni*. 4. *De patientia Job & trium puerorum*. 5. *De afflictione Job*, *& Ninivitarum*. 6. *De Magistratibus timendis*. 7. *De tristitia in illud Genesis*, Adam ubi es? 8. *Exhortatio ad virtutem & in* 1. *Geneseos*. 9. *De vitandis juramentis & in Psalmum* 18. 10. *De mundi pulchritudine & juramentis*. 11. *Exhortatio ad gratias agendas Deo*. 12. *De creatione hominis*, *& de juramentis*. 13. *De creatione hominis rursus*. 14. *De abstinentia à juramentis*. 15. *De calamitate Antiochia*, *& in Eccl*. 9. 20. 16. *De seditione civitatis*, *& in* 1. *ad Philemonem*. 17. *De palmarum eversoribus*. 18. *De jejunio*, *& in Philippenses* 3. Gaudete in Domino &c. 19. *Ad agricolas*, *& de juramentis*. 20. *In reditum Flaviani Episcopi*. 21. *Catechesis ad illuminandos*. 22. *De simultate*, *sive ira*, Petro Nannio Alcmariano interp. 23. *In eos qui Novilunia observant*, Joanne Chero Cantabrigiensi interp. 24. *De Christi Baptismo*, Frontone Ducæo Burdegalensi interp. 25. *De Diabolo tentatore*, eod. interp. 26. & seqq. *De incomprehensibili Dei natura V. contra Anomæos*, Theodoro Gaza Thessalonicensi interp. 31. *De Beato Philogonio*, Desiderio Erasmo Roterodamo interp. 32. *De consubstantiali*, Frontone Ducæo interp. 33. *De petitione filiorum Zebedæi*, eod. interp. 34. & seqq. *Adversus Judæos* 6. prima Davide Hœschelio Augustano, reliquæ Desiderio Erasmo interp. 40. *De Sanctis Juventino & Maximo* incerto interp. 41. *De S. Pelagia Virgine*, inc. int. 42. *In S. Ignatium Ep. Antiochenum*, Petro Francisco Zino Veronensi interp. 43. *De S. Romano Martyre*, inc. int. 44. *De nativitate Machabæorum*, inc. inter. 45. *De S. Meletio Antiocheno*, inc. interp. 46. *De S. Luciano Martyre*, Frontone Ducæo int. 47. *De S. Juliano Martyre*, eod. int. 48. *De S. Romano Mart. II.* eod. int. 49. *De SS. Machabæis*, eod. int. 50. *De SS. Machabæis II.* eod. int. 51. *De SS. Bernice*, *& Prosdoce*, *& Domnina earum matre*, eod. int. 52. *De S. Eustathio Antiocheno Ep.* eod. int. 53. & seqq. *De Pœnitentia* 1. 4. 5. 8. 9. 10. Lælio Tifernate int. *De S. Hieromartyre Babyla*, Frontone Ducæo inter. *Contra Gentiles liber unus*, *Babylæ vitam continens*, Germano Brixio Antissiodorensi, Canonico Parisiensi interp. 59. *Contra Anomæos sexta*, inc. interp. 60. *Catechesis ad illuminandos*, inc. int. 61. & seqq. *De fato & providentia*, *orationes sex*. Jo: Checo int. 67. & 68. *De precatione duæ*, Pomponio Brunello int. 69. *In SS. Petrum Apostolum*, *& Heliam Prophetam*, inc. int. 70. *Laudatio Martyrum Ægyptiorum*, Front. Ducæo int. 71. *De S. Phoca Martyre*, eod. int. 72. *de S. Barlaam Martyre*, eod. int. 73. *De SS. Martyribus totius orbis*, eod. int. 75. *De B. Abraham*, eod. int. 76. *De Anathemate* inc. interp. de qua consulendus Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta libri 6. annotatione 267. 77. *De Pœnitentia*, *Continentia*, *& Virginitate*, Bernardo Brixiano interp.

Notæ Frontonis Ducæi, in quibus rationem reddit eorum, quæ vel in textu Græco mss. codicum, vel in aliorum interpretatione à se recensita, emendata sunt, vel immutata.

Tomo II. Frontonis Ducæi anno 1609.

Homiliæ 67. in Geneseos capita 50. ex interpretatione vulgata recognita, emendata, & aucta opera Frontonis Ducæi S. J. T. *Sermones alii* 9. *in varia Geneseos loca*, primus & ultimus incerto, reliqui Frontone Ducæo interprete. *De Anna matre Samuelis Sermones V.* 1. Frontone Ducæo, 2. 3. Desiderio Erasmo, 4. & 5. Sigismundo Gelenio interpretibus. *De David*, *& Saule Homiliæ tres*, Desiderio Erasmo interp. *Contra ignaviam Sermo*, Joanne Jacobo Beurero interp. Palladii Episcopi Helenopolitani, & Theodori Romanæ Ecclesiæ Diaconi, *Dialogus de Vita Sancti Joannis Chrysostomi* Const. Ep. Latinè tantùm Ambrosio Monacho Camaldulense interprete. *Sermo in Joseph de Continentia*, Latinè inc. interpr. *De regressu S. Joannis de Asia Constantinopolim Homiliæ*. *Homilia cum Saturninus & Aurelianus acti essent in exilium*, *& Gainas egressus esset è civitate*, *& de avaritia*, inc. int. *De recipiendo Severiano Homilia*. *Sermo ipsius Severiani de pace*, *cùm susceptus esset à B. Joanne Ep. Const. Post reditum prioris exilii homilia*: de qua vide Notas Frontonis Ducæi. *De Davidicis Canticis sermo*, inc. interp. *Ad Neophytos Homilia*, quam citat S. Augustinus lib. 1. contra Julianum, cap. 2. Accedunt in Appendicem Latinam Tomi 2. in Genesim Notæ ejusdem Frontonis Ducæi, & fragmentum Græcum ex Dialogo de Vita.

Tomo III. Frontonis Ducæi anno 1614.

In Psalm. 3. *Davidis Homilia*, Gentiano Herveto Aurelio interprete. *In Psal.* 4. *& plures alios Psalmos Davidis expositionum*, *& homiliarum collectio*. quas vir quidam pius in unum librum compegit, eodem Herveto interprete. *In Esaiam Prophetam enarratio*. Godefrido Tilmanno Carthusiæ Parisiensis Monacho interp. *In locum Psalmi* 44. Astitit Regina à dextris tuis, eod. int. *In locum Psalmi* 48. Ne timueris cùm dives factus fuerit, eod. int. *In eumdem locum*, *& de eleemosyna*, Frontone Ducæo int. *In locum Psalmi* 145. Lauda anima mea Dominum, Petro Nannio Alcmariano int. *In Esaiæ caput* 6. *homiliæ* 5. Desiderio Erasmo int. *In seraphim Homilia*, Frontone Ducæo int. *De verbis Esaiæ* 45. Ego Dominus feci lumen, eod. int. *In locum Hieremiæ* 10. Non est in homine via, eod. int. *De Prophetiarum & veteris Testamenti obscuritate homiliæ duæ*, eod. int. *In Psalmum* 13. Gentiano Herveto int. *In titulum Psalmi* 50. Jacobo Billio Prunæo interp. *In reliqua ejusdem Psalmi*, eod. int. *In Psalmum* 51. eod. int. *In Psalmum* 25. Desiderio Erasmo int. *In Psalmum centesimum*, Jacobo Billio int.

Expositiones Psalmi 101. & aliorum sex consequentium, item 118. quæ apparent in editione Latina, nihil aliud sunt quàm Theodoreti commentarius, & allegoriæ quædam, quæ Chrysostomi stylum non sapiunt, inquit Ducæus.

Tomo IV. Frontonis Ducæi anno 1614.

De sacerdotio libri sex, Germano Brixio Altissiodorensi interprete. De hoc opere Sigebertus cap. 36. Cata-

Catalogi. Joannes sub sua, & sui amici Basilii persona scripsit Dialogum de honore, & onere sacerdotii, & quanta sit dignitas, & potestas, vel gravitas Sacerdotum.

De compunctione cordis ad Demetrium liber 1. inc. interp. *De eodem ad Stelechium liber* 2. inc. interp. *De Providentia Dei ad Stagirium Monachum libri tres*, inc. interp. *Quod regulares fœminæ viris cohabitare non debent*, inc. interp. *In eos qui sorores adoptivas habent*, inc. interp. *De Virginitate liber*, Joanne Livinejo Gandensi int. *Adversus vitæ Monasticæ vituperatores libri tres*, Ambrosio Monacho Camaldulensi interp. *Comparatio Regis & Monachi libellus*, Germano Brixio int. *Ad viduam juniorem*, Flaminio Nobilio interprete, cum epistola Cardinalis Varmiensis Stanislai ad eumdem Flaminium. *Ad eamdem de conjugio non iterando*, eod. int. *In Eunopium Eunuchum Patricium, & Consulem*, Sigismundo Gelenio int. *De Pœnitentia homilia tertia*, Godefrido Tilmanno Carthusiano int. *Quòd nemo læditur nisi à se ipso*, interprete docto quodam viro è Soc. Jesu.

Liturgia, sive, *Sancta Missa*, à Desiderio Erasmo Roterodamo in gratiam Episcopi Roffensis versa. Habetur quoque Tomo 2. Auctarii GL. & Tomo 12. Magnæ Bibliothecæ Parisiensis veterum Patrum S. Joannis Chrysostomi Liturgia, Gentiano Herveto Aurelio Remensi Canonico interprete. Audito, vel lecto Liturgiæ nomine versus in furias Calvini administer Rivetus cap. 3. lib. 4. insanit, & debacchatur. Quis enim negat exemplaria esse diversa, & à recentioribus Græcis plurima addita, modò de Nicolao Papa (quem ait fuisse secundum à Joanna Papa fœmina) modò de Alexio Imp. ac similibus? Deinde quod hominis acumen? Constant. legebatur Missa S. Basilii, ergo nulla fuit Liturgia Chrysostomi, &c. Nec saniora Mornæus, aut Hospinianus.

Ad Theodorum lapsum Parænefes duæ, docto quodam viro int. *Epistolæ duæ ad Innocentium Romæ Episcopum, & una ad Episcopos, & Presbyteros, ob pietatem in carcere inclusos*, eod. int. *Ad Olympiadem, & diversos alios Epistolæ* 172. Jacobo Billio Prunæo S. Michaelis in Eremo Abbate interprete. *Ad diversos epistolæ 69. tunc primùm editæ*. Frontone Ducæo int. *Sermo cùm Presbyter esset designatus*, Inc. int. *Antequam iret in exilium sermo*, Godefrido Tilmanno Carthusiano int. *Post reditum ab exilio sermo*, eod. int. ex vita Chrysostomi à Georgio Alexandrino scripta una cum præcedenti. Notæ Frontonis Ducæi cum Indicibus &c.

Tomo V. Frontonis Ducæi 1616.

De diversis locis novi Testamenti Sermones 121. nimirum. 1. *In parabolam decem millium debitoris*, Petro Nannio int. 2. & seqq. *De Lazaro mendico sermones* 4. Desiderio Erasmo int. 6. *In terræmotum, & Lazarum*, Frontone Ducæo interp. 7. *In Paralyticum 38. annorum*, Flaminio Nobilio int. 8. *In illud*: Pater si possibile est, Frontone Ducæo int. 9. *In illud*: Angusta est porta, Achille Statio int. 10. *De Lazaro quatriduano*, Frontone Ducæo int. 11. *In inscriptionem Actorum Apostolorum*, eod. int. 12. *De ferendis reprehensionibus, & in Acta*, Inc. int. 13. *De gloria in tribulationibus*, Rom. 5. Frontone Ducæo interp. 14. *Diligentibus Deum omnia cooperari*, Rom. 8. eod. int. 15. *In illud, si esurierit inimicus tuus*, Rom. 12. eod. int. 16. *In illud*: Salutate Priscillam, Rom. 16. eod. int. 17. *In eumdem locum, & de colendis sacerdotibus*, Sigismundo Gelenio int. 18. *Ad illud*, Propter fornicationem autem, 1. Cor. 7. Frontone Ducæo int. 19. *De libello repudii*, 1. Cor. 7. inc. inter. 20. *In illud*, Nolo vos ignorare, Fratres, 1. Cor. 10. inc. int. 21. *In illud*, Oportet hæreses esse, 1. Cor. 11. inc. int. 22. *De collatione in sanctos*, 1. Cor. 16. inc. int. 23. *De verbis Apostoli*, Habentes eumdem spiritum 2. Cor. 4. Sigismundo Gelenio interp. 24. & 25. *Iterum, & tertiò de iisdem verbis*, eod. int. 26. *In illud*, Utinam sustineretis, 2. Cor. 11. inc. int. 27. *Ad illud*, sive occasione, sive veritate, Philipp. 1. inc. int. 28. *Laus Maximi, & quales ducendæ uxores*, Sigismundo Gelenio int. 29. *In illud*, de dormientibus nolo vos ignorare, 1. Thessal. 4. Jacobo Goupylo interp. 30. *In illud*, Vidua eligatur 1. Timoth. 5. Frontone Ducæo int. 31. *De proditione Judæ, & Paschate*, inc. int. 32. *In Christi natalem*, Petro Pantino Tiletano int. (*a*) 33. *In cæmeterii appellationem, & crucem*, Jacobo Gretsero S. J. T. int. 34. *De Cruce, & confessione Latronis*, eod. int. 35. *De resurrectione mortuorum*, inc. int. 36. *De resurrectione Christi*, Frontone Ducæo int. 37. *De Ascensione Christi*, Gerardo Vossio int. 38. & 39. *De sancta Pentecoste duæ homiliæ*, Frontone Ducæo int. 40. *De Pœnitentia, & Eucharistia*, inc. int. (*b*) 41. *De Laudibus S. Pauli homiliæ septem*, Aniano V. C. interprete cum ejus præfatione ad Evangelum Presbyterum. 48. *De mansuetudine sermo*, inc. int. 49. *In illud*, Paulus spirans minas, Act. 9. Frontone Ducæo int. 50. *In inscriptionem Altaris*, Actorum 17. eod. int. 51. *Ad illud*, Paulus vocatus, 1. Cor. 1. eod. int. 52. *Utilem esse lectionem Scripturæ*, eod. int. 53. *De precibus Christi in miraculis*, eod. int. 54. *In eos qui Pascha jejunant*, eod. int. 55. In eos qui cum Judæis jejunant, eod. int. 56. *In Heliam & viduam*, eod. int. 57. *De futuræ vitæ deliciis*, eod. int. 58. *Non esse desperandum*, eod. int. 59. *Peccata fratrum non evulganda*, eod. int. 60. *Non esse ad gratiam concionandum*, eod. int. 61. *De sanctis Martyribus*, eod. int. 62. *Dæmones non gubernant mundum*, eod. int. 63. *In illud*, In faciem ei restiti, Gal. 2. *Demonstratio, quòd Christus sic Deus*, liber 1. inc. int. *Ad eos, qui scandalizati sunt*, liber 1. Frontone Ducæo int. 64. *In paralyticum per tectum demissum*, eod. int. 65. *Cur in Pentecoste legantur Acta*, eod. int. 66. *De mutatione nominum in scriptura*, eod. int. 67. *In SS. Martyres Homilia* 2. eod. int. 68. *De S. Basso Martyre*, eod. int. 69. *De sancta Droside Martyre*, eod. int. 70. *De pœnitentia, & mæstitia Achab*, eod. int.

Tomo VI. Frontonis Ducæi anno 1614.

De diversis utriusque Testamenti locis Scripturæ 73. quos idem doctissimus Ducæus testatur stylo ab aliis Chrysostomi operibus diverso conscriptos esse: cùm tota dramatica sit oratio, & ex prosopopejis conflata; sæpè commatica, & concisa, atque ad Allegorias traducta, collationibus carens, aliisque leporibus, qui Chrysostomo sunt familiares; Auctorum tamen sunt, inquit, vel Chrysostomo coævorum, vel ex erudita illa antiquitate, quæ ab ejus ætate non multum abfuit.

1. *Unum, & eumdem esse Legislatorem utriusque testamenti*, Joanne Jacobo Beurero int. 2. *In illud Geneseos* 1. Vidit Deus cuncta &c. Frontone Ducæo S. J. T. int. 3. *In illud Geneseos* 1. Faciamus hominem ad imaginem &c. eod. int. 4. *In dictum Abrahami*, Pone manum tuam, Gen. 24. 10. Jo: Jac. Beurero int. 5. *De serpente æneo*, Numerorum 21. eod. int. 6. & seqq. *De justo, & beato Job* Sermones 4. Lælio Tifernate int. 10. *In illud Psalmi* 38. Veruntamen frustra, Joachimo Perionio int. 11. *In Psalmum* 83. Et turtur nidum &c. inc. int. 12. *In Eliam prophetam sermo*, inc. int. 13. *De Joseph, & de castitate sermo*, Frontone Ducæo int. 14. *De Susanna Dan.*

13. eod.

13. eod. int. 15. *De tribus pueris Dan.* 3. eod. int. 16. *De sigillis librorum*, Esaiæ 46. 3. Joanne Jac. Beurero int. 17. *De Fide & lege naturæ*, inc. interp. 18. *De sancta, & individua Trinitate*, inc. int. 19. *De sancto, & adorando spiritu*, inc. int. 20. *De sancta Pentecoste*, inc. int. 21. *In illud Joannis* 1. In principio erat Verbum, Jo: Jac. Beurero int. 22. *De occursu, & Simeone*, Frontone Ducæo int. 23. *In Sancta Theophania Domini*, Achille Statio int. 24. *De nuptiis Joan.* 2. *& contra Judæos*, inc. int. 25. *De Christo pastore, & ove*, Jo: 10. Jo: Jac. Beurero int. 26. *In Decollationem S. Joannis Baptistæ, & de Herodiade*, inc. int. Citatur ab Anastasio quæst. 63. in Scripturam. 27. *In Venerabilem Crucem, & de transgressione Adami*, inc. int. 28. *In dimissionem Cananææ*, Matth. 15. inc. int. 29. *In Præcursorem Domini Joannem Baptistam*, Petro Pantino, int. 30. *In SS. Apostolos Petrum, & Paulum*, Gerardo Vossio int. 31. *In SS. duodecim Apostolos*, eod. int.

32. *In S. Thomam Apostolum*, Frontone Ducæo int. Synodus Lateranensis sub Martino Papa, coacta circa annum 650. adversus Monothelitas: *item S. Joannis Episcopi Const. in Thomam Apostolum*, Hæc *audiens mundavi animam à perfidia &c.* Synodus quoque Const. Generalis sub Agathone, Actione 10. celebrata anno 681.

33. *In S. Stephanum Protomartyrem*, eod. int. 34. *In illud* 11. *Cor.* 2. Sufficit tibi gratia, Jo: Jac. Beurero int. 35. *In Annunciationem Deiparæ*, Frontone Ducæo int. 36. *In sancta Theophania, & S. Joannem Baptistam*, eod. int. 37. *In parabolam de filio prodigo*, eod. int. 38. *In saltationem Herodiadis, & decollationem Joannis*, eod. int. 39. *In illud Matth.* 13. Collegerunt Judæi Concilium, eod. int. 40. *In decem Virgines*, Matth. 25. eod. int. 41. *In meretricem, & Pharisæum*, Lucæ 7. eod. int. 42. *In sancta, & magna Parasceve*, eod. int. 43. *In Samaritanam*, Jo: 4. eod. int. 44. *De cæco à nativitate*, Jo: 9. eod. int. 45. *In triduanam Christi resurrectionem*, eod. int. 46. & seqq. *in Ascensionem D. N. J. C. sermones quatuor*, Gerardo Vossio int. 50. *Bonum Christi discipulum benignum esse*, Frontone Ducæo int. 51. *De Pseudoprophetis, & falsis Doctoribus*, Gerardo Vossio int. 52. *De Circea oratio*, Julio Bulingero int.

53. *In Salvatoris nostri nativitatem*, Frontone Ducæo int. qui etiam monuit in Notis extare inter opera S. Cyrilli Alexandrini, & in Concilio Ephesino pag. 159. editionis Romanæ librum ad Reginas scriptum, in quo profertur testimonium ex hac oratione decerptum. In tam recenti verò memoria falsum esse Cyrillum non est simile veri.

54. *In illud Lucæ* 2. Exiit edictum à Cæsare, eod. int. 55. *In oraculum Zachariæ redditum, Lucæ* 1. eod. int. 56. *In conceptionem Joannis Baptistæ*, eod. int. 57. *In illud Matthæi* 6. Attendite ne eleemosynam, eod. int. 58. *De fugienda simulata specie*, eod. interp. 59. *De muliere, quæ fluxum sanguinis passa*, Matth. 9. eod. int. 60. *De Patrefamilias, & operariis*, Matth. 20. eod. int. 61. *In parabolam de ficu arefacta*, Matt. 21. eod. int. 62. *De Pharisæo, & convivio*, Lucæ 11. eod. int. 63. *De Lazaro, & Divite*, Lucæ 16. eod. int. 64. *De Publicano & Pharisæo*, Lucæ 18. eod. int. 65. *De cæco, & Zachæo*, Lucæ 18. eod. int. 66. *Religiosum facetiis non debere*, eod. int. 67. *De S. Joanne Theologo*, M. Antonio Mureto int. 68. *De Adoratione sanctæ Crucis*, Joachimo Perionio O. B. int. 69. *De confessione S. Crucis*, eod. int. 70. *De negatione Petri, Matth.* 26. Frontone Ducæo int. 71. *De jejunio, & eleemosyna*, eod. int. 72. *In sacrum Pascha*, Theodoro Peltano S. J. T. int. 73. *In secundum Domini adventum*, Frontone Ducæo interprete, qui in notis admonuit exordium dumtaxat novum assutum

Bellarm. de Script. Eccl. Tom. VII.

A fuisse morali exhortationi homiliæ 25. & 31. in epistolam ad Romanos.

Sequuntur Florilegia, sive Eclogæ XXXI. ex variis S. Joannis Chrysostomi homiliis, aliisque operibus, tum extantibus, tum non extantibus excerptæ, consarcinatore quodam, ut volunt, Theodoro Magistro, ex ms. codice Monasterii S Jacobi Moguntiæ descriptæ, & Latinè redditæ à R. P. Balthassare Etzelio Bremensi S. J. T. ex editione G. L. Moguntina anni 1603. in quarto.

Notæ R. Frontonis Ducæi in sermones de diversis utriusque Testamenti locis Chrysostomo, ut ipse censuit, adscriptos. Neque verò, inquit, mirum quosdam ex illis in antiquis etiam Synodis sub no-
B mine Chrysostomi citari, cùm jam in usu essent in Ecclesiis, neque soleant Concilia, dum testimonia proferunt, in auctores inquirere, aut alias quæstiones excutere ab ea diversas, quam præ manibus habent, sed quæ passim offeruntur, usurpare, & quacumque ratione receptos scriptores hæreticorum commentis opponere, quemadmodum & Apostoli, ac reliqui Patres apochryphos libros, ut Hermæ Pastoris, & Evangelium Hebræorum, ac Nazaræorum citarunt, &c. sub finem tamen admonet suum hoc judicium, ita non proponere, ut solus de Chrysostomi operibus illis arbiter sedere velit, sed optimi, & eruditi viri Lectoris censuræ illud subjecit, ut videat num multò satiùs sit, quæ vera sunt &
C genuina distinguere à suppositititiis, & suo momento scripta quæque ponderare, quàm spuria pro germanis venditare.

In eamdem rem multa præmiserat superiori sæculo maximum Ordinis sui, & Ecclesiæ ornamentum Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ Sanctæ, quem secuti sunt deinde Possevinus, ac Bellarminus. Nonnulla quoque adjecit Joannes Poza S. J. T. Elucidarii B. V. libro 4. tractat. 3. cap. 7. Sermo, inquit, de Adam & Eva, & alter qui insequitur (in editione videlicet Latina Par. anno 1588.) de interdictione arboris, & alter de lapsu primi hominis, & alter de eodem themate, alienissimi sunt à stylo, & gravitate Chrysostomi. Homilia de ver-
D bis quibusdam David, ubi refertur locus S. Cypriani, non sapit Chrysostomum: nec sermo de Absalon, nec duplex sermo de Helia, nec alter de ascensione Heliæ, nec alter de Naaman Syro. Homilia quædam de B. Job, quæ proximè antecedit homiliam alteram de Job, & Abraham dissimilis est S. Chrysostomi stylo. Homilia quædam in Psalmum 142. quæ est postrema earum, quæ in eumdem Psalmum adducuntur, alterius scriptoris. Hæc ille, quæ aliis examinanda relinquo, ut ad reliquos accedam Tomos, qui nostram operam jam pridem expectant.

Tomo I. Commeliniano anni 1603.

E *Commentarii, sive homiliæ* 91. *in Evangelium Sancti Matthæi*, Aniano interprete, cum ejus præfatione ad Horontium Episcopum. De Aniano, quem in Amnuanum quidam transformant, aliàs pluribus dicturi sumus.

Incerti Auctoris imperfectum opus in Matthæum in Homilias 54. *divisum*. De quo plura Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ, atque inter cætera opus disertum & doctum esse, ac dignum quod assiduè legatur, si tamen prius diligentissimè fuerit expurgatum ab erroribus, Henricus Savilius, Possevinus, Bellarminus, aliique, ex quibus sua corrasit impudentissimus Rivetus, qui Lectoribus imperitis fucum facere voluit, dum Baronio & Possevino tamquam implacabiliter dissidentes inducit Josephum Acostam,

& Alphonsum Salmeronem S. J. Theologos, quos conciliari posse inter se docebimus, Deo dante, in Examine Heterodoxorum. Nec prætereundus hoc loco Maldonatus, cujus hæc est verissima sententia in caput 8. Evangelii S. Matthæi: Auctor operis imperfecti, homo, ut ex multis locis commentariorum ipsius manifestum est, Arianus. Nec omnino citaremus, nisi hanc illi & antiquitas, & eruditio, & subtilitas interpretandi auctoritatem tribuisset, ut etiam hæreticus à Catholicis citari posset, sicut Tertullianum, & alios nonnullos, quos hæreticos fuisse scimus, sæpè citamus. Quod autem ad Petrum Waftelium Carmelitam attinet, suo Joanni Hierosolymitano ista veluti postliminio, sed longissimo, vindicare omni nisu conantem, viderint alii. Certè longè probabilius est, quod plerique viri eruditi hactenus senserunt, ab auctore Latinè ista scripta fuisse commentaria, non ex Græco sermone ad nos derivata.

Tomo II. Commeliniano anno 1603.

Commentarii, *sive homiliæ* 87. *aut* 88. *in Evangelium S. Joannis*, interprete Francisco Aretino.

Petrus Stevartius in additis ad Tomos VI. antiquæ lectionis Henrici Canisii uno volumine anno 1616. Ingolstadii excusis, exhibuit brevem expositionem in caput primum Evangelii S. Joannis, Gerardo Vossio interprete.

Tomo III. Commeliniano anno 1603.

Commentarii, sive *homiliæ* 53. *in Acta Apostolorum*, interprete Desiderio Erasmo Roterodamo: qui cùm initio subdubitare visus esset, ut & nonnulli alii apud Savilium, tandem in eruditorum omnium sententiam concessit, & Chrysostomi genuinum fœtum agnovit.

Tomo IV. Commeliniano anno 1603.

In prima parte, *Homiliæ* 32. *in Epistolam ad Romanos*, Interprete Germano Brixio Antisiodorensi. *Homiliæ* 44. *in* 1. *Ep. ad Corinthios*, Gentiano Herveto Aurelio interp. *Homiliæ* 30. *in* 11. *Ep. ad Corinthios*, Jacobo Billio Brunæo interp. In altera parte, *Commentaria in Ep. ad Galatas*, Desiderio Erasmo interp. *Homiliæ* 24. *in Ep. ad Ephesios*, Gentiano Herveto interp. *Homiliæ* 15. *in Ep. ad Philippenses*, Flaminio Nobilio interp. *Homiliæ* 12. *in Ep. ad Colossenses*, Gentiano Herveto interp. *Homiliæ* 11. *in Ep.* 1. *ad Thessalonicen.* eod. interp. *Homiliæ* 5. *in Ep.* 11. *ad Thessalonicen.* eod. interp. *Homiliæ* 18. *in Ep.* 1. *ad Timothæum*, Inc. interp. *Homiliæ* 10. *in Ep.* 11. *ad Timothæum*, Inc. interp. *Homiliæ* 6. *in Ep. ad Titum*, Ambrosio Camaldulensi interp. *Homiliæ* 3. *in Ep. ad Philemonem*, Eod. interp. *Homiliæ* 34. *in Ep. ad Hebræos*, Incerto interprete, à quo omissam Præfationem Theodorus Gauterus Aurelius interpretatus est. (*c*)

Sequitur Andreæ Archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ commentarius in Apocalypsin B. Joannis, Theodoro Peltano S. J. T. interprete, cum notis Frederici Sylburgii, quem huic labori immortuum testatur Commelinus.

Parisiensis Morelliana anni 1633. in hoc à Commeliniana differt. I. quòd in VI. Tomos divisa sit: ac Primò quidem Hom. in Matth. Secundò opus imperfectum in Matthæum, Chrysostomi Hom. in Joannis Evangel. & Aretæ comm. in Apocalypsin, Tertiò hom. in Acta Apostolorum; Quartò denique, Quintò, & Sexto Homilias, & Expositiones in 14. Epistolas B. Pauli repræsentet. II. quòd,

A ut in Admonitione ad Lectorem dicitur, Græca ad Anglicanum exemplar numquam satis laudatum, castigata; Latina verò versio ad R. P. Frontonis Ducæi Parisiensem editionem ad idem Anglicanæ editionis exemplar recognitam, suppletam, & correctam fuerit exacta. III. quòd quædam in postremis Epistolis B. Pauli Latinæ versioni fuerint inserta ex fide ejusdem Græci exemplaris. Quæ an fideliter præstiterint Typographi, oculatis Lectoribus dijudicandum permitto.

Expositio in Marcum nomine Chrysostomi in Latinis editionibus olim vulgata Bellarmino Judice, est alicujus simplicis Monachi, qui fratribus suis Evangelium explicabat. Hoc avidè arripuit Rivetus,
B quæque sequuntur de Homilia Severiani Gabalensis, tacito tamen nomine ejusdem, unde id didicerat, Bellarmini. Quod verò addit de libro, seu epistola ad Cæsarium Monachum scripta à Chrysostomo tempore secundi sui exilii, contra eos, qui divinitatem, & humanitatem in Christo confundebant, id non ægrè refelletur in examine nostro, etiam frementibus, & frendentibus profanæ aræ camillis, si queis Rivetiana insomnia à nobis confutata adhuc placere deprehendam.

Fuerunt olim & quædam alia spuria, ac supposititia, atque ex variis hinc inde centonibus consuta Latinis, de quibus non est necesse monere Lectores post Sixtum, Possevinum, Bellarminum, ac præci-
C puè Frontonem nostrum Ducæum, cujus studio indefesso, ac planè Giganteo labore Sanctissimus ille, tersissimusque Orator nitori suo restitutus, omnium oculos, mentesque pascit, ac recreat.

Tomo II. Auctarii G. L. Bibliothecæ Veterum Patrum anno 1624. Parisiis cura ejusdem R. P. Frontonis Ducæi publicati, extat S. Jo: Chrysostomi nomine inscripta Liturgia, de qua jam supra nonnihil præmisimus, seu Divini Sacrificii ritus, ex Guillelmi Morelli editione Græca anni 1560. cum Latina interpretatione Gentiani Herveti ex editione Veneta Alexandri Brucioli anno 1548. Sequitur ibidem officium de Mysteriis ante consecratis tempore Sanctæ Quadragesimæ, & Liturgia Mysteriorum
D ante consecratorum ex editione Romana Demetrii Ducæ anni 1526. unà cum interpretatione Gilberti Genebrardi Theologi Parisiensis, Hebraicarum litterarum Regii Professoris.

R. P. Franciscus Combefis Ordin. Prædic. anno 1656. edidit in hac urbe Parisiensi in 8. apud Antonium Bertier Græcè, & Latinè sequentes Homilias.

1. *De inani gloria, & educandis à Parentibus liberis.* 2. *In sanctam Christi Nativitatem*, nisi fortè Procli potius sit, aut alterius. 3. *In sancta Lumina*, quæ ad Amphilochii stylum dicitur accedere. 4. *In recens baptizatos, & de Paschate.* 5. *In S. Basili Episcopi, & Martyris memoriam dicta in timores, & in illud*: Disci-
E te à me quia mitis sum, & humilis corde. 6. *Post terræmotum.*

Addidit I. Severiani Gabalorum Episcopi Homiliam in pretiosam Crucem; & in illud: Tu es qui venturus es, an alium expectamus. II. Basilii Isauriæ Episcopi laudationem Protomartyris Stephani, deque ejus pretiosi corporis inventione. III. Epistolam è Perside scriptam à Zacharia Episcopo Hierosolymitano ad Ecclesiam suam Pastore destitutam, cum incerti Auctoris Narratione de Persica illa captivitate.

Idem anno 1645. ediderat Græcè, & Latinè ejusdem Sancti Tractatum, sive *Homiliam de Morali Politia*, *in Præcursoris decollationem*, *atque in mulierem peccatricem*. At de his jam modo satis superque. Temperare tamen nequeo, quin malè sanam calumniandi pru-

di pruriginem in Albertini editione Latina annotem, castigemque. Bellarminus junior libro secundo de Eucharistia scripserat Chrysostomum anno 409. Hieronymum anno 422. obiisse, doctior verò postea factus, Chrysostomi mortem in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 159. circa annum Domini 407. collocat, Hieronymi autem obitum anno vel 422. ex Chronico Prosperi, vel anno 420. ex Annalibus Baronii: cumque librum hunc sæpius volutarit Albertinus, quis in eo livorem malamque fidem non arguet? quis reformatam temeritatem non mirabitur?

(*a*) Eam Homiliam Chrysostomo abrogare conatur Gretserus noster in Notis ad Codinum reluctante Combefisio pag. 310. Tomi II. Auctarii G. L. qui cum aliis viris eruditis Chrysostomo tribuit Antiochiæ tempore Flaviani conciones habenti.

(*b*) Homilia ejusdem S. Joannis Chrysostomi de Pœnitentia, & Eucharistia in Encæniis revocatur in dubium à quibusdam levi admodum de causa. Ajunt quippè sub initium Homiliæ S. Jacobum vocari ἀδελφόθεον: qua nomenclatura vix ullus usus est ante exortum Nestorium. Etsi enim id vocabulum reperiatur in chronico Græco Eusebii, Georgii tamen Syncelli potiùs quam Eusebii, illud esse colligunt ex eo quod Eusebius in Historia sua semper eum fratrem Domini, aut Christi, aut servatoris nominat. Addunt Nestorium hanc nomenclaturam valdè exagitasse. Nam Concilii Ephesini actione prima in 16. quaternione, inquit, οὐδὲ ἔτης ἀδελφὸν τὸν Ἰάκωβον ἔσχεν. Non est autem verisimile illud epitheton tantopere esse vituperaturum, si Chrysostomus, quem magni faciebat, cujusque sermones audierat, & viderat, eo fuisset usus. Verùm levissima mihi videtur hæc causa. Quis enim præstabit Nestorium omnibus Chrysostomi concionibus interfuisse, omnia ejus scripta, omnes homilias, Epistolas τευμάχια pervidisse; aut si viderit, legerit, audieritve, memoria retinuisse, si meminerit non dissimulasse, ut hypothesi serviret, & in pervicacia obstinatus subsisteret? Numquid apud Chrysostomum sæpius habetur Christum esse verè, & substantialiter Deum & hominem, ut & Joannes Cassianus ejusdem Chrysostomi discipulus extremo lib. 7. de Incarnationis mysterio non semel ipsi objecit, quod tamen impudenter, & præfractè, ut mos est hæreticorum inficiatus est? Numquid Albertinus ipse omnia Sanctorum Patrum, veterumque Ecclesiæ scriptorum opera diligentissimè excussit, in quibus plusquam solaribus radiis evidentissima depingitur veritas realis, & substantialis Corporis, & Sanguinis Christi præsentiæ in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, Sacrosancti Missæ Sacrificii pro vivis, atque defunctis, ac similium, & tamen ille præ detestabili induratæ mentis contumacia absurdissima quæque παραδοξότατα, καὶ παραλογότατα devorare maluit, seque ludibrio omnium ubique eruditorum exponere, quàm veritati sibi cognitæ, & oculos excæcanti obtemperare? Tantum valet præjudicata opinio, & apud suos gloriolæ, aut lucri spes aliqua affulgens. Quid de cæteris Lutheri, & Calvini ministris dicam, qui dum Conciliorum, Patrum, Scriptorum antiquorum opuscula interdum volvunt apertissimam hæreseon suarum damnationem legunt, numquid non dissimulant, numquid non tergiversantur, numquid non argutantur? Audi domesticum testem Hieronymum Zanchium, omnium Sacramentariorum subtilissimum: *Legi librum* (Pseudo-Evangelici nescio cujus) *sed non sine stomacho perlegi; cùm nimirum viderem, qualisnam sit scribendi ratio, qua in Ecclesiis ex Evangelio reformatis* (eo nomine Lutheri, Calvini, similiumque sectas appellat) *permulti, ne dicam plerique omnes utuntur: qui tamen Pastores, qui Doctores, qui Columnæ Ecclesiæ videri volunt. Statum causæ ne intelligant, de industria sæpenumero tenebris involvimus: quæ sunt manifesta, impudenter negamus: quæ falsa, sine fronte asseveramus: quæ apertè impia, tamquam prima fidei principia obtrudimus: quæ orthodoxa, hæreseos damnamus: scripturas ad nostra somnia pro libidine torquemus: Patres jactamus, cùm nihil minus, quàm eorum doctrinam sequi velimus: sophisticari, calumniari, conviciari nobis est familiare; modo causam nostram sive bonam, sive malam, quo jure, quaque injuria tueamur; reliqua omnia susque deque facimus.* Hæc ille τὶς ἐξ αὐτῶν ἴδιος αὐτων προφήτης, ut de Epimenide Cretensi dixit Apostolus Paulus cap. 1. Epistolæ ad Titum. ἡ μαρτυρία αὕτη ἐστὶ ἀληθής.

(*c*) Homilias illas ex ore dicentis è suggestu Chrysostomi excepisse, & exscripsisse perhibetur Constantinus quidam Presb. Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ docet Constant. illum Presb. post mortem præceptoris sui S. Joannis Chrysostomi ex ennarrationibus ejus dispersis collegisse has homilias 33. in unum integræ enarrationis corpus, & Mutianum scholasticum easdem Latinas fecisse.

De Severiano Gabalensi. 398.

SEVERIANUS Episcopus Gabalensis, vir eloquentissimus dicitur fuisse: & Gennadius in libro de viris illustribus scribit se legisse hujus severiani *expositionem in Epistolam ad Galatas*, & alia quædam; addit etiam, illum sæpè invitari solitum à S. Joanne Chrysostomo, & ab Archadio Imperatore ad sermones habendos in Ecclesia Constantinopolitana. Extat hujus Severiani *sermo unus*, in quinto tomo operum S. Joan. Chrysostomi. Hujus Severiani editæ sunt nuper in Anglia græcè *homil. 6. in Exaemeron*, cum operibus S. Joan. Chrysostomi, sunt etiam inter decem homilias à Card. Sirleto editas sub nomine sancti Joannis Chrysostomi: sed eas Severiani esse constat ex Theodoreto, & Damasceno, qui eas citant.

Dissertatio Historica.

SEVERIANUS Ecclesiæ Gabalorum in Syria Episcopus in homiliis declamandis eloquentissimus frequenter à S. Joanne Chrysostomo Episcopo Const. & Imperatore Arcadio ad faciendum sermonem evocatus Const. ut cùm ex aliis, tum ex cap. 21. Gennadii discimus, floruit maximè ineunte sæculo Christi quinto. An diu S. Chrysostomo superstes fuerit, quove anno obierit N. L. Hoc verum ex eodem Gennadii capite mortuum fuisse Theodosio juniore imperante. Quod verò in mss. Cod. additur post Theodosio, *filio suo* id fortè quidam ad baptismum ejus referent, ego verò respexisse arbitror ad Imperatorem Arcadium cujus paulò ante inciderat mentio. Multæ ejus sunt Homiliæ inter opera S. Jo: Chrysostomi, & aliorum veterum delitescentes, nam Expositio in Epistolam ad Galatas, & gratissimus de Baptismo, & Epiphaniæ solemnitate libellus, & fortè alia opuscula desiderantur.

Homiliæ sex in Hexaemeron Mosis ἢ περὶ κοσμοποιΐας, Græcè ab Henrico Savillio cum S. Joannis Chrysostomi operibus Græcis editæ sunt Etonæ propè Londinum anno 1612.

Inter decem Homilias editas Romæ anno 1581. studio Cardinalis Sirleti sub nomine S. Joannis Chrysostomi dicatasque Greg. Papæ XIII. quasque Latinè vertit Florens Christianus.

Secunda εἰς τὸν τίμιον σταυρὸν περὶ τοῦ κατὰ μωυσέα ὄφεως, ὃν ἐσταύρωσεν ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ περὶ τῆς ἁγίας, καὶ ὁμουσίου Τριάδος, ἣ ἀναγινώσκεται, καὶ τῇ κυριακῇ τῆς μεσονη-

μεσονηστίμων, ut habent mss. Codices, est Severiani, cui eum tribuunt S. Damascenus oratione 1. 2. & 3. de Imaginibus, Hadrianus Papa I. cap. 26. de Imaginibus, Conventus Parisiensis anno 824. celebratus &c.

Decima quoque ex illis est ejusdem Severiani *εἰς τὰς σφραγῖδας τῶν βιβλίων, καὶ ὅπως προσφέρει ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ, καὶ εἰς τοῦ σωτῆρος οἰκονομίαν.* Certè illi tribuitur à Theodoreto Dialogo tertio, ab Hadriano Papa libro citato, & aliis *ἔνδυμα βασιλικὸν ἐὰν ὑβρίσης, οὐ τὸν ἐνδεδυμένον ὑβρίζεις.*

Post Chrysostomi librum de educandis liberis, ejusdemque quinque alios tractatus Græcè, & Latinè edidit anno 1656. Parisiis apud Antonium Bertier F. Franciscus Combefis Ord. Præd. Homiliam Severiani Gabalorum Episcopi *de Cruce*, cujus fragmentum vulgatum fuerat à Jacobo Gretsero Tomo II. de Cruce.

A Sunt & aliæ quæ eidem tribuuntur in mss. codicibus, de quibus non est proprius dicendi locus. Hic inter cætera ingenii sui monumenta, inquit Sixtus Senensis, reliquit in Genesim Homilias plures, ex quibus quatuordecim nondum ex Græco translatæ servantur Viennæ in Bibliotheca Brassicana: reliquit etiam in Epistolam ad Galatas Commentarios. Oecumenius in Commentariis Epistolæ primæ ad Corinthios octo & quinquaginta sermonum ipsius refert volumina. De dissidio inter S. Chrysostomum, & Severianum opera Serapionis Diaconi exorto, & per Eudoxiam Augustam reparato plura dabunt otiosis Lectoribus Socrates, Sozomenus, Nicephorus & alii.

SÆCULUM QUINTUM

Ab anno Dom. 400. *ad* 500.

De sancto Augustino. 420.

SANCTUS AUGUSTINUS Episcopus Hypponensis florebat circa annum Domini 420. cujus anni ipse meminit in Epistola ad Isichium, quæ est octogesima. Obiit autem anno ætatis suæ septuagesimo sexto, teste Possidio in ejus vita & à natali Dom. anno 433. ut Prosper testatur in chronico. Ac ut ex Catalogo librorum ipsius possit lector intelligere, quæ sint opera ejus indubitata, adscribam locum Retractationum, in quo ipsemet operis sui mentionem facit, vel adscribam, Indic. quod significat, eum librum esse in indiculo Possidii, qui diligentissimè in indiculum redegit omnes libros S. Augustini. Ubicumque igitur invenitur notatus liber Retract. vel Indic. is liber sine dubio erit S. Augustini: ubi nihil erit annotatum, de eo libro dicemus in observatione, quam subjiciemus.

Primi Tomi hæc sunt.

Retractationum, *lib.* 2. Lib. 2. retract. cap. 67. *Confessionum*, 13. lib. 2. retract. cap. 6. *De Grammatica*, 1. lib. 1. retract. cap. 6. *De Dialectica*, 1. lib. 1. retract. cap. 6. *Categoriæ decem*, 1. lib. 1. retract. cap. 6. *Principia Rhetorices*, 1. lib. 1. retract. cap. 6. *De Musica*, 6. lib. 1. retract. cap. 11. *Contra Academicos*, 3. lib. 1. retract. 1. *De ordine*, 1. lib. 1. retract. 3. *De vita beata*, 1. lib. 2. retract. 2. *Soliloquiorum*, 2. lib. 1. retract. 4. *De Magistro*, 1. lib. 1. retract. 12. *De immortalitate animæ*, 1. lib. 1. retract. 5. *De quantitate animæ*, 1. lib. 1. retract. 8. *De libero arbitrio*, 3. lib. 1. retract. 9. *De vera religione*, 1. lib. 1. retract. 15. *De moribus Ecclesiæ*, 1. lib. 1. retract. 7. *De moribus Monachorum*, 1. lib. 1. retract. 7. *De Genesi contra Manichæos*, 2. lib. 1. retract. 10. *Regulæ Monasticæ*, 3. *De vita Eremitica ad sororem*, 1.

Observatio.

In hoc tomo, ut notum est ex libris retractationum, sola duo opera dubia esse possunt: Regulæ, & de vita Eremitica, quorum non fit mentio in lib. retract. Et quidem ex tribus regulis, sola tertia est

B certa Sancti Augustini, sed fœminis data, non viris: habetur enim epistola 109. reliquæ duæ non videntur Augustini. Liber de vita Eremitica non potest esse Augustini, nam in eo nominantur SS. Patres, Benedictus, & Gregorius.

Tomi secundi hæc sunt:

Epistolæ S. Augustini cum iis, quæ ad ipsum scribuntur num. 222.

C *Observatio.*

Ex his inveniunrur in Retractationibus septem. *Epistolæ duæ ad Januarium, idest*, 118. *&* 119. Lib. 2. retract. 20. *Epistola ad Deo gratias*, 49. lib. 2. retract. 31. *Epistola ad Honoratum*, 120. lib. 2. retract. 36. *Epistola ad Paulinum*, 112. lib. 2. retract. 41. *Epistola ad Bonifacium*, 50. lib. 2. retract. 48. *Epistola ad Dardanum*, 57. lib. 2. retract. 49.

Admonet tamen ipse idem in extremo lib. 2. Retractationum, à se epistolas, & sermones omnes, D non fuisse in retractationibus comprehensos.

Epistolæ sexdecim Augustini ad Bonifacium, & Bonifacii ab Augustinum quæ interseruntur inter epistolam ad Honoratum de fuga in persecutione, & epistolam ad Ediciam de foro continentiæ, non videntur esse Augustini, sed brevissimæ sunt: & non multum refert cujus tandem sint.

Epistolæ Augustini ad Cyrillum, & Cyrilli ad Augustinum, de obitu & miraculis S. Hieronymi, falsæ sunt, ut notavimus supra in observatione ad Tomum nonum S. Hieronymi.

E *Tomi tertii hæc sunt:*

De doctrina Christiana, *lib.* 4. Lib. 2. retract. 4. *Locutionum sacræ Scripturæ*, 7. lib. 2. retract. 54. *De fide, & Symbolo*, 1. lib. 1. retract. 17. *Enchiridion*, 1. lib. 2. retract. 63. *De Trinitate*, 3. lib. 2. retract. 15. *De Genesi imperfectus*, 1. lib. 1. retract. 18. *De Genesi ad literam*, 12. lib. 2. retract. 24. *De mirabilibus sacræ Scripturæ*, 3. *De agone Christiano*, 1. lib. 2. retract. 3. *De opere Monachorum*, 1. lib. 2. retract. 21. *De spiritu & litera*, 1. lib. 2. retract. 37. *De divinatione dæmonum*, 1.

lib. 2.

lib. 2. retract. 36. *De Ecclesiasticis dogmatibus*, 1. *De spiritu, & anima*, 1. *De fide ad Petrum*, 1. *Speculum*, 1. Indic. *Quæstiuncula de Trinitate*, 1. *De benedictionibus Patriarcharum*, 1. *Sententiæ*, 1.

Observatio.

Liber de mirabilibus sacræ Scripturæ non sine causa non invenitur in retractationibus, neque in Indiculo Possidii, quoniam liber est indignus ingenio, & gravitate sancti Augustini, quem etiam non magni fecit, & S. Augustini esse negavit S. Thomas 3. p. qu. 45. art. 3. ad secundum.

Liber de Ecclesiasticis dogmatibus non videtur esse sancti Augustini, cum præcipuè conflatus sit ex sententiis Concilii Arausicani, & summorum Pontificum Innocentii, Zozimi, Cœlestini, & maxima ex parte ex operibus sancti Augustini: atqui Concilium Arausicanum, & epistolam Cœlestini scripta esse constat post obitum S. Augustini. Hadrianus Papa in epistola ad Carolum Magnum tom. 3. epistolarum summorum Pontificum, citat de reliquiarum veneratione cap. 73. libri de Ecclesiasticis dogmatibus sub nomine Gennadii Massiliensis Episcopi. Algerus, qui floruit anno Dom. 1100. tribuit eumdem librum Gennadio, scribens de corpore & sanguine Domini lib. 1. cap. 22. quod etiam facit Platina in vita Symmachi ubi dicit, tempore hujus Pontificis scriptum fuisse à Gennadio Massiliensi librum de Ecclesiasticis dogmatibus.

Liber de spiritu & anima, non est S. Augustini, sed alicujus multo recentioris, cùm cap. 37. citet Boetium, qui ferè centum annis fuit Augustino posterior, & cap. 48. multa proferat ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus: est tamen liber doctus, & pius.

Liber de fide ad Petrum, non videtur esse sancti Augustini, cùm non fiat ejus mentio nec in Retractationibus, nec in Indiculo. Tribuitur à multis sancto Fulgentio, tum quòd Petrus quidam Diaconus ejus amicissimus fuerit, & hic liber scribatur ad Petrum Diaconum: tum etiam quia stylus conformis sit stylo S. Fulgentii. Denique Bertramus presbyter, qui circa annum Dom. 850. scripsit de corpore & sanguine Christi, hunc librum sub nomine sancti Fulgentii citavit: & (quod majus est) in Breviario Romano recognito, in festo sanctissimæ Trinitatis assignantur lectiones secundi nocturni ex lib. de fide ad Petrum sub nomine S. Fulgentii.

Liber qui inscribitur, speculum, quamvis de ejus auctore aliqui dubitaverint, verè S. Augustini est: nam & habetur in Indiculo Possidii, & ipse idem Possidius in vita S. Augustini, tradit, hunc librum ab Augustino fuisse conscriptum.

Quæstiunculæ de Trinitate, videntur excerptæ ex libris Augustini de Trinitate, incertum à quo.

Liber de benedictionibus Patriacharum similiter excerptus videtur ex quæstionibus Hebraicis S. Hieronymi. Uterque parvus libellus est, ut non multum referat, quis eorum sit auctor.

Sententiæ sine dubio Augustini sunt, sed collectæ à S. Prospero, nec solùm soluta oratione, sed etiam carmine descriptæ, ut in ejus operibus videre licet.

Tomi quarti hæc sunt.

De mendacio, *lib.* 1. Lib. 1. retract. 27. *Contra mendacium*, 1. lib. 2. retract. 60. *De fide*, *& operibus*, 1. lib. 2. retract. 38. *Quæstionum in eptateuchum*, 7. lib. 2. retract. 55. *Quæstionum Evangelicarum*, 1. lib. 2. retract. 12. *Quæstionum ex Matthæo*, 1. Indic. *De consensu Evangelistarum*, 4. lib. 2. retract. 6. *Octoginta trium quæstionum*, 1. lib. 1. retract. 26. *Sententiarum viginti & unius*, 1. *Quæstionum ad Simplicianum*, 2. lib. 2. retractat. 3. *Quæstionum ad Dulcitium*, 1. lib. 2. retract. 65. *Quæstionum sexaginta quinque*. *Quæstionum veteris & novi Testamenti*. *De cura pro mortuis*, 1. lib. 2. retract. 46. *De Catechizandis rudibus*, 1. lib. 2. retract. 14. *De incarnatione Verbi*, 2. *De Trinitate & unitate Dei*, 1. *De essentia divinitatis*, 1. *De fide rerum invisibilium*, 1. *De substantia dilectionis*, 1. *De continentia*, 1. Indicul. *De patientia*, 1. Indicul. *De bono viduitatis*, 1. Indicul. *De vera*, *& falsa pœnitentia*, 1. *De salutaribus documentis*, 1. *De amicitia*, 1. *De sermone Domini in monte*, 2. lib. 1. Retract. 19. *Expositio inchoata in epist. ad Rom.* 1. lib. 1. retract. 25. *Expositio quarumdam propositionum epistolæ ad Romanos*, lib. 1. retract. 23. *Expositio epistolæ ad Galatas*, lib. 1. retract. 24. *Annotationes in Job*, lib. 1. retract. 13.

Observatio.

Ex libris quos Augustinus pro suis agnoscit in Retractationibus, nemo jure dubitare potest, nisi fortè de libro annotationum in Job. Ipse enim Augustinus dicit, eum librum ita se depravatum invenisse vitio librariorum, ut vix audeat illum pro suo agnoscere.

Liber Sententiarum viginti unius: & liber quæstionum sexaginta quinque non videntur esse S. Augustini, non solùm quia non habentur in retractationibus, neque in Indiculo, sed etiam quia nihil habent grave, & dignum Augustino.

Liber quæstionum veteris & novi Testamenti, non est Augustini, sed alicujus hæretici, nam quæst. 2. dicit, Mundum factum fuisse propter diaboli præsumptionem, quæst. 13. dicit parvulos filios, qui una cum Parentibus perierunt in subversione Sodomæ, liberos esse à Gehenna: ac per hoc negat iste auctor peccatum originis, qu. 21. dicit mulierem non esse creatam ad imaginem Dei, qu. 43. dicit Jephte nullum habere testimonium justitiæ: & tamen extat clarissimè ad Hebr. 11. quæst. 80. dicit, homines non nasci filios diaboli, quæst. 109. dicit, Melchisedech esse Spiritum Sanctum, & esse Sacerdotem, sed non summum, ut in oblatione, inquit, præsumunt Antistites. Ubi reprehendit canonem Missæ, ubi legitur, summus Sacerdos tuus Melchisedech.

Hunc locum videtur notare sanctus Hieronymus in epistola ad Evagrium, ubi dicit, auctorem cujusdam operis, in quo asseritur, Melchisedech esse Spiritum sanctum, esse imperitum sermone, & scientia. Quæst. 44. dicit, ab excidio Hierusalem usque ad sua tempora fluxisse annos trecentos: ex quo planè colligitur, hunc auctorem esse antiquiorem Augustino: nam anni trecenti ab excidio Hierusalem, sunt anni trecenti septuaginta tres à nativitate Domini: eo autem tempore S. Augustinus erat adolescens annorum sexdecim. Obiit enim anno Dom. 433. cùm esset ætatis annorum 76. ut supra diximus: proinde nasci debuit anno Dom. 357. ex quo usque ad 373. sunt anni sexdecim, nec scribere cœpit libros Ecclesiasticos; nisi post baptismum quem suscepit post annum tricesimum: quis autem credatur fuisse auctor harum quæstionum diximus supra, dum sancti Ambrosii libros recenseremus.

Libri de Incarnatione Verbi, De Trinitate, & unitate Dei, De essentia divinitatis, De fide rerum invisibilium, De substantia dilectionis, non videntur esse S. Augustini; cùm non inveniantur in retractationibus, nec in Indiculo Possidii, qui diligentissimus fuit in libris Magistri sui colligendis, neque etiam sapiunt phrasim, & doctrinam S. Augustini.

Libri de continentia. De patientia, & de bono viduitatis, S. Augustini sunt, etiamsi Erasmus reclamet:

met: nam inveniuntur in Indiculo Possidii, & citantur à venerabili Beda sub nomine S. Augustini in Commentario ad cap. 8. ad Rom. & in cap. 1. & 7. prioris ad Corinth. in cap. 4. ad Philip. & in cap. 5. 1. Timoth. & alibi: denique nulla est probabilis ratio in contrarium.

Liber de vera & falsa pœnitentia non est S. Augustini: nam præterquamquod non sit ejus mentio in retractationibus, nec in Indiculo, cap. 17. hic auctor adducit sententiam quamdam S. Augustini, & ab ea dissentit.

Liber de salutaribus documentis, & liber de amicitia non videntur esse S. Augustini, tum quia eorum non facit mentionem Possidius in Indiculo, tum quia stylus humilior est, & oratio ipsa magis jejuna, quàm soleat S. Augustini: libri tamen pii sunt, & non inutiles.

Tomi quinti sunt.

Libri viginti duo de Civitate Dei, quos & S. Augustinus pro suis agnoscit in lib. 2. retract. cap. 43. & grande opus appellat, ut re vera est, & tempus etiam, & occasionem scribendi fuisse dicit, eversionem Urbis Romæ, sub Alarico Rege Gothorum.

Tomi sexti hæc sunt.

De hæresibus ad Quod vult Deus, lib. 1. Indic. *De quinque hæresibus Oratio.* Indic. *Concio ad Catechumenos.* Indic. *Oratio adversus Judæos.* Indic. *De altercatione Ecclesiæ, & Synagogæ. De utilitate credendi, lib.* 1. Lib 1. retract. 14. *Contra Epistolam fundamenti,* 1. lib. 2. retract. 2. *De duabus animabus contra Manichæos,* 1. lib. 1. retract. 15. *Contra Fortunatum Manichæum,* 1. lib. 1. retract. 16. *Contra Adimantum Manichæum,* 1. lib. 1. retract. 22. *Contra Faustum Manichæum,* 33. lib. 2. retract. 7. *De actis cum Felice Manichæo,* 2. lib. 2. retract. 8. *Contra Secundinum Manichæum,* 1. lib. 2. retract. 10. *De natu a boni contra Manichæos,* 1. lib. 2. retract. 9. *De fide contra Manichæos,* 1. *Contra adversarium legis, & Prophetarum,* 2. lib. 2. retract. 58. *Contra Priscillianistas, & Origenistas,* 1. lib. 2. retract. 44. *Contra sermonem Arianorum,* lib 1. retract. 52. *Contra Maximinum Episcopum Arianorum,* 3. Indic. *Contra Felicianum Arianum,* 1. Indic. *De bono conjugali contra Jovinianum,* lib. 1. retract. 22. *De sancta Virginitate,* 1. lib. 2. retract. 23. *De adulterinis conjugiis ad Pollentium.* lib. 2. retract. 57. *De Stoicis, & Epicureis tractatus* 1. *De eo quod dictum est, Ego sum qui sum, tract.* 1.

Observatio.

Liber de hæresibus S. Augustini est, nam & est in Indiculo, & citatur à S. Gregor. lib. 6. epist. 179. Sed duæ postremæ hæreses Nestorii, & Euthychetis dejectæ sunt ab aliquo post obitum S. Augustini: ipse enim recentissimam esse scripsit hæresim Pelagianorum.

Libellus sive Oratio de quinque hæresibus, quicquid Erasmus dicat, verè est sancti Augustini, cùm sit in Indiculo, & citetur à Beda in commentar. ad cap. 1. ad Roman.

Idem judicium esse debet de concione ad Catechumenos, & de Oratione adver. Judæos.

Liber de altercatione Ecclesiæ & Synagogæ non videtur esse Augustini, cùm nec sit in retractationibus, nec in Indiculo, nec ab ullo bono auctore testimonium habeat, neque phrasim sancti Augustini sapiat.

Liber de fide contra Manichæos, non videtur esse

A S. Augustini, quia non sit ejus mentio in retractationibus, nec in Indiculo Possidii, & quia utitur phrasibus insolitis Augustino, ut est illa cap. 18. si Deus incorruptibilis est, vel omnis natura summi boni inviolabilis, immaculabilis, inadibilis, incoinquinabilis, &c. Alioqui liber est doctus & hominis in scriptis Manichæi versatissimi.

Libri tres contra Maximinum tametsi non habentur in libris Retractationum, tamen sine dubio sancti Augustini sunt, quia habentur in Indiculo Possidii, & citantur à Beda in cap. 18. ad Rom. & in sexta Synodo generali Act. 4. ex epistola Agathonis Papæ.

B Idem Judicium fieri debet de libro contra Felicianum, etiamsi Erasmus nolit, nam & habetur in Indiculo, & citatur à Beda in primum caput prioris ad Corinth.

Tractatus de Stoicis & Epicureis, & tractatus in illud, Ego sum qui sum, pulcherrimi sunt, & Augustino dignissimi, & posterior citatur à Beda in 1. cap. prioris ad Corinth. Neque mirum est non haberi hos tractatus in retractationibus, aut in Indiculo: debuissent enim hi tractatus collocari in tomo 10. cum sermonibus, non in sexto cum libris: tractatus enim & sermones, sive homilias S. Augustinus testatur se non recognovisse, fortasse ob nimiam multitudinem, & varietatem. Possidius quoque non singulos tractatus in indicem redegit.

C

Tomi septimi hæc sunt.

Psalmus contra partem Donati, Lib. 1. retract. 20. *Contra epistol. Parmeniani, lib.* 3. lib. 2. retract. 17. *Contra litteras Petiliani,* 3. lib. 2. retract. 25. *Contra Cresconium Grammaticum,* 4. lib. 2. retract. 26. *Contra epistolam Gaudentii,* 2. lib. 2. retract. 59. *De baptismo contra Donatistas,* 7. lib. 2. retract. 18. *De unico Baptismo contra Petilianum,* 1. lib. 2. retract. 34. *De unitate Ecclesiæ contra Petilianum,* 1. Indic. *Opus breviculæ collationis contra Donatistas,* 1. lib. 2. retract. 39. *Post collationem contra Donatistas,* 1. libro 2. retract. 40. *Sermo super gestis cum Emerito.* Indic. *De gestis cum Emerito Donatista,* 1. lib. 2. retract. 51. *Contra Fulgentium Donatistam,* 1. *De peccatorum meritis & remissione,* 3. lib. 2. retract. 53. *De natura, & gratia,* 1. lib. 2. retract. 42. *De Gratia Christi, & peccato originali, contra Pelagianos,* 2. lib. 2. retract. 50. *De nuptiis & concupiscentia,* 2. lib. 2. retractat. 53. *Contra duas epist. Pelagianorum,* 4. lib. 2. retract. 61. *Contra Julianum Pelagianum,* 6. lib. 2. retract. 66. *De anima, & ejus origine,* 4. lib. 2. retract. 56. *De prædestinatione & gratia,* 1. *Prosperi, & Hilarii epistolæ ad Augustinum. De prædestinatione sanctorum & bono perseverantiæ,* 2. Indic. *De prædestinatione Dei,* 1. *De gratia & libero arbitrio,* 1. lib. 2. retract. 66. *De correptione & gratia,* 1. lib. 2. retract. 67. *Ad articulos sibi falso impositos,* 1. *Hypognosticon contra Pelagianos,* 6. *De perfectione justitiæ contra Cælestium,* 1. Indic. *De gestis Pelagii,* 1. lib. 2. retractat. 47.

D

E

Observatio.

Omissis libris, quorum mentio fit in retractationibus, vel in Indiculo, de quibus dubitatio esse non potest, de reliquis dicemus.

Liber contra Fulgentium Donatistam, dialogus est, in quo primùm introducuntur interlocutores Donatista, & Catholicus, deinde Fulgentius, & Augustinus, & certè nihil est in hoc dialogo, unde probari possit, auctorem ejus non esse Augustinum, nisi quòd ejus mentio non habetur in retractationibus, neque in Indiculo. Sed fieri potest, ut in tanto numero

mero librorum, tum ipse Augustinus, tum Possidius unius libelli oblitus fuerit: si hoc non placet, non habeo quod dicam, nisi librum alicujus esse, qui Augustinum in dialogo loquentem introduxit, quo modo M. Tullius Lælium, & Catonem, Antonium, & Crassum in dialogis loquentes facit.

Liber de Prædestinatione, & gratia, non videtur esse Augustini: nam discrepat à phrasi, & à doctrina Augustini: siquidem cap. 16. dicit hic auctor, hominem potuisse justè à Deo damnari, etiamsi non peccasset. Contrarium docet S. Augustin. in epist. 10. & 106. & lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 16. & alibi: deinde nulla erat ratio cur hunc librum scriberet, qui tam copiosè scripserat de prædestinatione sanctorum. Denique liber hic neque à Beda, neque ab alio veteri testimonium habet.

Libellus de prædestinatione Dei non est S. Augustini, cùm in extremo libro doceat, prædestinationem esse ex prævisione operum: quam sententiam ubique S. Augustinus oppugnat.

Responsio ad articulos sibi falsò impositos, Sancti Prosperi est, & inter ejus opera habetur.

Libri qui inscribuntur Hypognosticon, eruditi sunt, & utiles, & vetusti auctoris, sed phrasim non habent Augustini, neque à Possidio, vel Beda, vel alio vetere citantur sub nomine Augustini.

Liber de perfectione justitiæ, S. Augustini est: non enim solùm est in Indiculo, sed etiam citatur sub nomine Augustini in libro contra Collatorem extremo à S. Prospero, & venerabili Beda passim.

Liber de gestis contra Pelagium non extat in tomis S. Augustini, sed eum addimus, quia nuper inventus, & typis mandatus est.

Tomi octavi hæc sunt.

Tractatus in omnes Psalmos Davidis: cujus operis mentio fit in Indiculo Possidii, & omnium consensu Augustini sunt illi tractatus: sed eos partim concionando in populis, partim dictando confecit, ut ipse testatur in præfatione Psalm. 118.

Tomi noni hæc sunt.

In Evangelium S. Joan. tractatus, 124. Indic. *In Epist. primam Joannis tract.* 10. Indic. *In Apocalypsim Joannis homil.* 18. *Meditationum liber* 1. *De diligendo Deo*, 1. *Soliloquiorum* 1. *Manuale*, 1. *De triplici habitaculo*, 1. *de scala Paradisi*, 1. *De* 12. *gradibus abusionum*, 1. *De contritione cordis*, 1. *De cognitione veræ vitæ*, 1. *de Speculo*, 1. *De vita Christiana*, 1. *de Assumpt. B. Mariæ*, 1. *De disciplina Christiana*, 1. Indic. *De decem chordis*, 1. Indic. *de cantico novo*, 1. *De contemptu Mundi*, 1. *de vanitate sæculi*, 1. *De obedientia, & humilitate*, 1. *De bono disciplinæ*, 1. *De visitatione infirmorum*, 1. *De consolatione mortuorum*, 1. *De quarta feria*, 1. *De Cataclismo*. *De tempore barbarico*. *De sobrietate*. *Speculum peccatoris*. *De pœnitentiæ medicina*. *De utilitate pœnitentiæ*. *De conflictu virtutum & vitiorum*. *De quatuor virtutibus Charitatis*. *De laudibus Charitatis*. *De honestate mulierum*. *De Pastoribus, & de ovibus, lib.* Indic. *De Symbolo fidei*, 4. *De convenientia decem præceptorum, & decem plagarum*, Indic. *De rectitudine Catholicæ conversationis*. *De utilitate jejunii*. *De Urbis excidio*. *De creatione primi hominis*. *De arbore scientiæ boni, & mali*. *De pugna animæ*. *De Antichristo*. *Psalterium Matri suæ*. *Expositio super Magnificat*.

Observatio I.

Ex tot libris indubitati sunt, Expositio Evangelii,

A & Epistolæ S. Joannis: de his enim nulla unquam controversia fuit, & habentur in Indiculo Possidii.

Item liber de disciplina Christiana, & liber de decem chordis, & de utilitate pœnitentiæ & de Pastoribus, & de ovibus, & de convenientia decem præceptorum, & decem plagarum. Hi enim omnes sunt in Indiculo Possidii. His accedunt liber de quatuor virtutibus charitatis, quem citat Beda in c. 13. prioris ad Corinth. & liber de Urbis excidio, quem citat Beda in cap. 10. prioris ad Cor. & liber de pœnitentiæ medicina, quem etiam citat Beda non raro.

Observatio II.

B Manifestè supposititii hi sunt: Liber de Speculo; nam cap. 3. citantur versus Boetii.

Liber de conflictu virtutum, & vitiorum qui tribui solet etiam S. Leoni: nam in extremo libro commendatur regula S. Benedicti, qui utroque posterior fuit, & stylum habet omnino diversum à stylo SS. Augustini, & Leonis.

Liber explicationis Apocalypsis, quoniam exponit caput 21. de statu præsentis Ecclesiæ, quod impudentiæ nimiæ esse dicit S. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 17.

Liber de Antichristo, nam mentionem facit Imperii translati à Græcis ad Francos: quod contigit 400. annis post Augustini tempora.

C *Observatio III.*

De reliquis libris nihil certi habemus. Nam nec possumus certo astruere eos esse Augustini: cùm diligentissimus collector Possidius eos prætererit, neque inveniamus à Beda citatos, qui ex operibus Augustini Commentaria in epistolas B. Pauli confecit: neque audeamus plerosque horum librorum negare esse Augustini, cùm pii sint, & docti, & Augustini ingenio non indigni.

Tomi decimi hæc sunt.

D *De verbis Domini homil.* 64. *De verbis Apostoli homil.* 35. *Liber quinquaginta homiliarum*. *De tempore homil.* 256. *De Sanctis homil.* 51. *Ad fratres in Eremo homil.* 76. *De communi vita clericorum serm.* 2. *Sermones nuper excusi ex Carthusia Parisiensi*. *Sermones novi, idest, recens inventi & excusi, num.* 128.

Homiliæ, sive sermones de Verbis Domini, & de Verbis Apostoli, aut omnes, aut ferè omnes S. August. sunt: multi enim habentur in Indiculo Possidii, & qui non habentur similes sunt aliis, sive gravitatem sententiarum, sive stylum, & verba consideres.

Liber quinquaginta homiliarum totus, aut ferè totus Augustini est, eadem ratione.

E De homiliis de tempore, & de Sanctis non eadem certitudo haberi potest: credibile tamen est magna ex parte Augustini esse.

Sermones ad fratres in Eremo videntur magna ex parte conficti: dicit enim auctor illorum sermonum, Augustinum degisse in solitudine cum Monachis, ibique ad eos sermones istos habuisse. At constat ex Possidio in vita S. Augustini, Augustinum post baptismum Mediolani susceptum rediisse in Patriam, ad propriam domum, & agros, ibique tres annos cum paucis amicis suis in commune vixisse: deinde factum Presbyterum Hipponensem, monasterium habuisse intra ipsam Ecclesiam, ibique cum nonnullis vitam Apostolicam duxisse, non utique in Eremo, sed intra urbem. Denique factum Episcopum cum Clericis suis in domo Episcopali vitam communem egisse: de qua re extant duo sermones

ejus de communi vita Clericorum, qui sunt inter sermones ad fratres in Eremo quinquagesimus secundus, & quinquagesimus tertius: qui duo sermones sine judicio collocati inter sermones ad fratres de Eremo, arguunt reliquos fictitios esse: inde enim intelligi potest, S. Augustinum, monachum quidem fuisse, sed non in solitudine cum Eremitis, sed in civitate, & Episcopali domo cum Clericis suis monasticam vitam duxisse. Addo quod inter sermones ad fratres in Eremo multi sunt leves, & fabulosi, ut est sermo vicesimus quartus, in quo narratur, S. Hieronymum Cardinalem fuisse in Ecclesia sancti Laurentii, & veste muliebri indutum irrisum à Romanis, quæ sunt omnia falsa & conficta. Addo denique quod phrasis horum sermonum, exceptis duobus de communi vita Clericorum, qui vere sunt Augustini, est inepta, impropria, luculenta, ut mirum sit potuisse ejusmodi sermones S. Augustino ab aliquo viro prudente tribui.

Sermones recens excusi, præsertim opera Lovaniensium Doctorum, sunt omnes Augustini: nam vel habentur in Indiculo, vel citantur à Beda, & sunt omnes graves & docti, & S. Augustino (mea saltem opinione) dignissimi.

Dissertatio Historica.

Aurelius Augustinus, patre Patricio, matre S. Monica, Tagastæ in Numidia natus Arbetione & Lolliano Coss. anno Christi 355. Idibus Novembris. Romam ex Africa venit anno 383. deinde Mediolanum anno 384. ubi à S. Ambrosio Mediolanensi Præsule ad fidem Catholicam à Manichæorum hæresi conversus, & baptizatus est Paschali tempore anno 388. ætatis 34. Post Sanctæ matris obitum, ad Ostia Tiberina die 4. Maji anni 389. reversus in Africam, à Valerio Hipponensi Episcopo anno 391. Presbyter ordinatus, deinde Episcopus anno 396. jubente eodem Valerio à Megalio Calamensi Episcopo Numidiæ Primate consecratus novo more, ut non succederet in cathedra Episcopali, sed accederet, commissam sibi Ecclesiam rexit per annos 35. usque ad diem 28. Augusti anni 430. quo Vandalis Hipponem Regium jam tertium mensem arcta obsidione vallantibus, ad cœlestem patriam evolavit, cùm libris Juliani Pelagiani responderet, annos natus 76. corrigendisque est haud dubiè Bellarmini, Tirini Maraccii, & quorumdam aliorum calculus, qui ex Prosperi Chronico aut corrupto, aut malè intellecto, in annum 433. biennio post Concilium Ephesinum mortem ejusdem differunt. De ejus scriptis legendi Retractationum libri duo, Indiculus Possidii, Sixtus Senensis, Lovanienses, Possevinus, Bellarminus, Theophilus, aliique recentiores Catholici, ut non necesse sit ad Guillelmum Perkinsum, Robertum Cocum, Andream Rivetum, eorumque gregales Heterodoxos declinare. Augustini verò elogia ex SS. Patribus, Romanis Pontificibus, Conciliis, omnisque generis scriptoribus passim obvia.

Præcipuas, ac penè omnes S. Augustini operum editiones, præsertimque omnium confessione, tres præstantissimas, Basileensem Frobenianam anni 1529. Antuerpiensem Plantinianam anni 1577. & Parisiensem sub signo Magnæ navis anni 1586. diligenti studio, servataque temporum serie collectas reperiet harum rerum curiosus Lector in Præfatione supplementi præcedentium sancti Augustini editionum, quod publicæ omnium eruditorum utilitati R. P. Hieronymus Vignier Blesensis, Congregationis D. N. J. C. Presbyter, eruditione ac pietate clarissimus, anno 1654. in hac civitate Parisiensi duobus Tomis in folio excudendum curavit.

A *Tomo I. Supplementi hæc habentur.*

Sermones novi XL. de variis argumentis à R. P. Jacobo Sirmondo anno 1630. cum notis primùm editi. Quosdam ex iis videtur revocare in dubium Rivetus. Verùm parum Sirmondi refert quòd duo tresve ministelli hortatu Riveti non admittant, cùm eos universus quaqua patet litteratus orbis obviis ulnis fuerit amplexus, eique de oblato tam pretioso munere gratias amplissimas egerit. Nec video cur tam infensus sit cryptis Monachorum propudiosus ille terræ Pictonicæ filius, cùm ex iis cunabulis majores ejus Lutherus, Marloratus, Ochinus, similesque prodierint, quorum Natales ipse benè noverat, ut nihil ampliùs dicam. Nemo verò pullo

B humanior nescit quantum debeat respublica litteraria Bibliothecis Monasteriorum, quas ille litterarum osor cryptas subsannando vocitare consuevit.

Sermones de Diversis, numer. 123. additi studio Theologorum Lovaniensium, probatique omnibus eruditis: quibus subjunguntur undecim Homiliæ à Parisiensibus adjectæ ex codice ms. Bibliothecæ Majoris Carthusiæ.

Brevis explicatio Symboli. In Kalendas Januarias. De Kalendis Januariis. Ante Altare ad infantes de Sacramento. Sex Sermones, Romæ anno 1644. à Joanne Baptista Maro primùm editi ex Bibliothecis Vati-

C cana & Barberina. *Tractatus de septem vitiis, & septem donis Spiritus Santi*, vulgatus cum quibusdam B. Fulgentii opusculis à Guillelmo Camerario Scoto anno 1634.

De Gestis Pelagii contra adversarios Gratiæ D. N. J. C. *ad Aurelium Episcopum Carthaginensem liber*, editus primùm Augustæ Vindelicorum anno 1625. in 8. Ne quis verò Rivetus fastidiat depromptum ex Fesulana Abbatia hujus operis meminerunt Aug. lib. 2. Retract. cap. 47. Possidius Indiculi cap. 4. Photius cod. 54. aliique.

Epistolæ penè 60. quæ ante Antuerpiensem studio Lovaniensium vulgatam editionem, in editionibus Basileensibus, Parisiensibus, & Lugdunensibus, o-

D missæ erant. *Speculum S. Augustini in Scripturam sacram* diversum ab eo quod jampridem apparuerat, & tunc primò vulgatam ex apographo mss. Bibliorum Theodulfi Aurelianensis Episcopi.

Tomo II. reliqua hactenus inedita.

Contra Julianum hæreticum Pelagianum Operis Perfecti, sive, Responsionis postremæ libri sex, ex codice Claravallensi publicati, cùm duo tantùm, iique admodum imperfecti, lucem vidissent Parisiis anno 1617. in 8. opera Claudii Menardi Proprætoris Andegavensis è tenebris mss. codicum educti; & postea à Michaele Paludano Ordin. August. Lovanii

E anno 1641. in 4. fuissent editi emendatis ex conjectura dumtaxat prioris editionis innumerabilibus erratis.

Epistola ad Macrobium, quam scripsit nondum Episcopus, sed Presbyter. *Sermones*, XLVI. hactenus inediti, atque ex variis Bibliothecis deprompti. *De Oratione & Eleemosyna Tractatus*, ut ex codice B. R. seu potius majoris operis Fragmentum. Testimonia adversus Pelagianos hæreticos, quæ ex alio quoque ampliori Tractatu videntur delibata.

Ac ne quid omisisse videar Tomo XI. magnæ Parisiensis Bibliothecæ Veterum Patrum, pag. 540. extat Græcè & Latinè S. Augustino tributus *Tractatus brevis de Trinitate*, ex libro qui de Cognitione veræ vitæ inscribitur, in quo tamquam in Dialogo Fratres interrogant, Magister respondet. Tomo verò

verò XV. pag. 811. habentur *Excerpta de Arbitrii libertate*, ex cap. 10. & sequentibus libri de natura & gratia.

Quam verò in recensendis S. Augustini operibus, & in ordinem digerendis Bellarminus noster sequutus sit ex omnibus editionem, mihi certè non liquet, nec ipse ullibi, quod viderim, insinuat. Hoc mihi certum, Antuerpiensi, seu Plantiniana non fuisse usum, quæ cùm omnium perfectissima sit, ac cæterarum, quæ exinde variis in locis prodierunt, fons fuerit atque origo, non vulgare mihi videor operæ pretium facturus, si indicem illius paucis hoc loco repræsentem, ut uno velut intuitu omnes intelligant, quid Lovanienses Theologi probaverint, quid reprobaverint, nostrasque ad dubios spuriosque Tractatus exiguas animadversiones veluti Scintillulas commodiùs admovere possimus.

Tomo I. Editionis Antuerpiensis 1577.

Post vitam Sancti Augustini, & Indiculum librorum ejus auctore Possidio Calamensi Episcopo ipsius discipulo, qui cap. ultimo vitæ asserit se cum ipso annis fermè 40. familiariter vixisse. Post Tripartitum Indicem.

1. *Retractationum libri duo*. 2. *Confessionum libri* 13. 3. *Grammatica*. 4. *Dialectices principia*. 5. *Categoriæ decem*. 6. *Principia Rethorices, Geometriæ, Arithmeticæ, Philosophiæ*. 7. *De Musica libri sex*. 8. *Contra Academicos libri tres*. 9. *De Ordine libri duo*. 10. *De vita beata liber*. 11. *Soliloquiorum libri duo de cognitione Dei & animæ*. 12. *De Magistro liber*. 13. *De animæ immortalitate*. 14. *De quantitate animæ*. 15. *De libero arbitrio libri tres*. 16. *De vera Religione liber*. 17. *De moribus Ecclesiæ Catholicæ*. 18. *De moribus Manichæorum liber*. 19. *De Genesi contra Manichæos libri duo*.

20. *Regula sancti Augustini*, fœminis data non viris ex Ep. 109. Meminitque Possidius in Indiculo *Sanctimonialibus objurgationem & regulam*. Neque verò difficile fuit titulum & pronomina atque adjectiva ex fœmineo genere in virile commutare, ut viris quoque prodesset. Ejus meminit sanctus Bernardus, eamque Commentario illustravit Ugo Victorinus.

In Appendice Tomi I.

1. *Regulæ Clericis traditæ fragmentum*. Negatur esse Augustini, tam ex stylo, quàm communi Doctorum consensu.

2. *Regula secunda*. Eadem est hujus ratio.

3. *Liber de Vita Eremitica ad sororem*. Incerti auctoris, qui SS. Patres Benedictum ac Gregorium allegat, nec habetur editus ab Erasmo, multaque habet vocabula B. Augustino incognita.

Tomo II. Editionis Antuerpiensis 1577.

Epistolæ tum Sancti Augustini, (*a*) *tum aliorum ad ipsum numero* 271. quarum septem dumtaxat in Retractationibus exertè memorantur. Notandum tamen cum Bellarmino sanctum Augustinum monuisse libro 2. Retractationum sub finem, non fuisse Epistolas atque Sermones omnes à se in Retractationibus comprehensos.

In Appendice Tomi II.

1. *Mutuæ Epistolæ S. Augustini & Bonifacii sexdecim brevissimæ*. Abjudicant Augustino Erasmus, qui antiquas esse fatetur, Bellar. & Lovanienses, quibus multùm discrepare videntur à vena & stylo Augustiniano, atque ab aliquo confictæ censentur exercendi styli gratia. Baronius anno 427. num. 7. asserit fortè mutato stylo à S. Augustino scriptas ad Bonifacium R. 1. perduellem, aut certè ab aliquo Africanorum Episcoporum Aurelio vel Alypio.

2. *Epistola ad Demetriadem*. Pelagii est, aut certè Pelagiani Juliani, sive alterius, ut ex August. ep. 143. ad Julianum Demetriadis matrem intelligitur, ex libro de gratia Christi, ex Prosperi Epistola ad eamdem Virginem, ex Beda libro 1. in Cantica, & communi Doctorum consensu.

3. Et 4. *Augustini ad Cyrillum de laudibus S. Hieronymi*, *& Cyrilli ad Augustinum de ejusdem obitu & miraculis*, sunt suppostitiæ, ut docent Lovanienses, Bellarm. Possevinus, aliique vulgò.

Additas à Lovaniensibus Epistolas ex mss. optimæ notæ codicibus, erutas num. 20. ultra præcedentes 242. Erasmo aliisque agnitas, Perkinsius ejusque simiolus Rivetus spurias pronuntiant. Quid ita? quia duobus à fide malorum suorum apostatis non placuerunt. Nullam enim censuræ suæ rationem attulere.

Tomo III. Antuerpiensis 1577.

1. *De Doctrina Christiana libri quatuor*. 2. *Locutionum sacræ Scripturæ libri septem*. 3. *De Fide & Symbolo liber*. 4. *Enchiridion ad Laurentium de Fide, Spe, & Charitate*. 5. *De Trinitate libri quindecim*. 6. *De Genesi ad litteram imperfectus liber*. 7. *De Genesi ad litteram libri duodecim*. 8. *De Agone Christiano*. 9. *De Opere Monachorum*. 10. *De spiritu & littera ad Marcellinum*. Tomo VII. habetur. 11. *De divinatione dæmonum*. 12. *Speculum ex utroque Testamento*.

In Appendice Tomi III.

1. *De Ecclesiasticis dogmatibus*, sive, de Definitionibus orthodoxæ fidei. Est Gennadii Massiliensis, ut ex Hadriano I. Papa in epist. ad Carolum Magnum, Walafrido Strabone, Algero, Magistro sententiarum, D. Thoma, Platina, aliisque constat. Capita quæ sequuntur, quos consule, cum Geberhardo Elmenhorstio, qui edidit illud opusculum cum Notis anno 1614.

2. *De Fide ad Petrum Diaconum*, sive, Regula veræ fidei. Est S. Fulgentii Ruspensis Episcopi, ut Lovanienses, Bellarm. Theophilus, aliique.

3. *De Mirabilibus sacræ Scripturæ libri tres*. Abjudicant S. Augustino D. Thomas, Lovanienses, Bellarminus, aliique. Incertus Auctor vixit post annum 530. aut etiam 700. cùm cyclorum meminerit lib. 2. cap. 4. S. Marchiano (*b*) Hiberno asserit Henricus Firthsimon S. J. T. In Catalogo Sanctorum Hiberniæ.

4. *De Spiritu & anima*. Auctor incertus citat Boetium, quem falsò Rivetus scribit anno 521. jussu Theodorici Regis necatum, & nonnulla ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus. Trithemius numerat inter libros Hugonis à S. Victore. Cuidam Cisterciensi tribuit S. Thomas opusculo 72. quæst. unica de Anima, art. 12. ad primum.

5. *Quæstiunculæ de Trinitate*, *numero* 33. decerptæ ex lib. 5. de Trinitate.

6. *Interrogatio de Benedictionibus filiorum Jacob*. Incerto auctore decerptus ex libro Sancti Hieronymi Quæstionum Hebraicarum in Genesim, omisit, aut mutatis aliquot verbis.

7. *Prosperi Aquitanici Sententiarum* 388. *ex operibus Sancti Augustini excerptarum liber*. Eædem reperiuntur editæ cum operibus S. Prosperi & seorsim.

Tomo IV. Editionis Antuerpiensis 1577.

1. *De Mendacio ad Consentium liber*. 2. *Contra Mendacium ad eumdem*. 3. *De Fide & operibus*. 4. *Quæstionum in Heptatheucum libri septem*. 5. *Quæstionum Evangelicarum libri duo*. 6. *Quæstionum Evangelicarum super Matthæum liber unus*. 7. *De Consensu Evangelistarum libri quatuor*. 8. *Octoginta trium quæstionum liber*. 9. *De diversis quæstionibus ad Simplicianum libri duo*. 10. *De octo Dulcitii quæstionibus*: de quo ineptissima est Erasmi censura.

11. *De cura pro mortuis gerenda ad Paulinum Episcopum*: ex quo vel unico libro subrui potest universa Justificationis Calvinisticæ substructio. Si vel attendas verba Paulini: Universa pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit: sive auream Augustini sententiam: In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parva tamen est UNIVERSÆ ECCLESIÆ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas. Ubi in precibus Sacerdotio, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum etiam habet commendatio mortuorum. Quid clarius? (*c*)

12. *De catechizandis rudibus*.

13. *De Continentia*. Est in Indiculo Possidii, necnon apud Trithemium, & citatur à Beda, aliisque: ideoque Erasmi, Riveti, similiumque ridetur à doctis censura.

14. *De Patientia*. Eadem est ratio hujus Tractatus ac præcedentis:

15. *De bono viduitatis*. Agnoscit Possidius citatque sæpissimè Beda. Erasmus & Hosius Juliano opus illud tribuere videntur, Pamelius tamquam incerti auctoris allegat. Nos cum Lovaniensibus, Bellarmino, aliisque Catholicis Augustini esse censemus, nec tricæ Riveti deterrent.

16. *De sermone Domini in monte libri duo*. 17. *Expositionis epistolæ sancti Pauli ad Romanos inchoatæ liber unus*. 18. *Expositio quorumdam Propositionum ex eadem ep. ad Romanos*. 19. *Liber Expositionis epistolæ S. Pauli ad Galatas*.

20. *Annotationum in Job liber*, quem S. Aug. ita se depravatum vitio librariorum deprehendisse asserit, ut vix auderet illum pro suo agnoscere.

In Appendice Tomi IV.

1. Liber viginti unus Sententiarum, sive Quæstionum. Abjudicant quoque Augustino Erasmus, Bellarm. & alii.

2. *Sexaginta quinque Quæstionum dialogus, sub titulo Orosii percunctantis, & Augustini respondentis*. Non est Augustini omnium consensu.

3. Quæstiones veteris & novi Testamenti. Non sunt S. Augustini, ut facilè omnes consentiunt ab Episcopis Lutetiæ Parisiorum anno 824. congregatis, & quibusdam aliis. Quidam apud Lovanienses in extrema hujusce Tractatus censura, sed paulò obscurius; apertè verò ac ferè sine ambagibus Joannes à Lovanio, R. P. Benedictus Justinianus S. J. de Epistolis Apostolorum Disp. 2. cap. 4. & post eos David Blondellus ac Rivetus docent Auctorem illum esse Hilarium Diaconum Luciferianum Orbis Deucalionem cui tribuuntur Commentarii in Epistolas S. Pauli inter opera sancti Ambrosii. Certè quisquis ille auctor est tradit quæstione 44. se in urbe Romæ scribere annis trecentis post elapsas 70. Danielis hebdomadas, hoc est anno Christianæ Epochæ circiter 370. ejusque errorem refellit sanctus Hieronymus in epist. ad Evagrium, quo qu. 109. asseruerat Melchisedechum esse Spiritum Sanctum, & esse Sacerdotem, sed non summum, ut in oblatione, inquit, præsumunt Antistites, hoc est, in Canone Missæ. Unde nemo, nisi prorsus hebes aut Morycho stolidior, negare poterit unde colligi posse nostri Canonis (*d*) antiquitatem, mirabiturque quisquis Christianus est impudentiam Borboritæ Riveti, cujus ex corde, ore, calamoque impurissimis modestissima hæc scilicet tantoque digna Magistro morum promanavit animadversio: *Verùm, ò Jesuita observatio hæc tua stercorea est*. Præfiscinè. Adde impietatem, cùm sacrum Liturgiæ nostræ Canonem novam ineptamque farraginem deblaterat.

4. *Libri duo de Incarnatione Verbi*, sive, de Deitate & Incarnatione Verbi ad Januarium. Non sunt Augustini, quem citat Auctor ille ignotus, qui multa ex libro Origenis Periarchon hinc inde decerpsit.

5. *De Trinitate & Unitate Dei liber*. Non est Augustini.

6. *De Essentia Divinitatis*. Rejicitur. Vide priora capita libri S. Eucherii Lugdunensis Archiepiscopi de Formulis spiritualis intelligentiæ.

7. *De Fide rerum invisibilium*. Consutus ex sententiis Augustini.

8. *De substantia dilectionis & amoris*. Esse pium opusculum, cujuscumque sit, censent Lovanienses.

9. *De vera & falsa pœnitentia ad Christi devotam*. Non esse sancti Augustini sentiunt Trithemius, Lovanienses, Bellarminus, & quidam alii. Nonnulli tamen ex Catholicis refragantur, Bunderius, Navarrus, ac novissimè Illustrissimus Tullensis Episcopus, in libro de laudibus Sancti Andreæ Apostoli.

10. *Exhortatio de salutaribus documentis ad quemdam Comitem*. Incertus Auctor sed vir pius.

11. De Amicitia. Indignus Augustino.

Tomo V. Editionis Antuerp. 1577.

Libri 22. *de Civitate Dei contra Gentes, ad Marcellinum*, de quibus vide cap. 43. libri 2. Retractationum. Rogo autem Riveti, similiumque à Fide Catholica Apostatarum æmulos ac successores, ut ejus grandis operis, quod nemo unquam in dubium revocavit, vel unicum caput 8. libri postremi percurrant; nec dubito, quin cooperante gratia Christi, ex lectione tot insignium miraculorum, præsertim illuminati cæci ad corpora Sanctorum Martyrum Protasii atque Gervasii immenso populo teste in urbe Mediolanensi; in qua tunc erat Imperator, ipseque Augustinus, ut creberrima ad reliquias S. Stephani ab Hierosolymis in Africam allatas miracula, ipso præsente ac vidente Augustino patrata, & alia fidei Catholicæ firmamenta omittam, ex mentibus eorum, nisi ferro quovis ac silice duriores sint. Calvinistica omnis ac Lutherana impietas penitùs aboleatur. Neque est, quòd Ludovici Vivis quemquam movere debeat admonitio; qui enim vel minimum gustum Augustinianæ phrasis habent, illicò sentiunt, nihil non in toto illo capite à S. Doctore fuisse perscriptum, nisi fortè tria quatuorve glossemata, de quibus intelligendus Vives, non de miraculorum narrationibus cùm ait: *In hoc capite non dubium quin multa sint addita, velut declarandi gratia, ab iis, qui omnia magnorum auctorum scripta spurcis suis manibus contaminabant, quorum alia resecabo, alia more meo contentus ero velut digito indicasse*. Et sanè eam fuisse Vivis mentem omnes æqui Lectores mecum lectis ejus adnotationibus fatebuntur, ac mirabuntur *μανίαν* Riveti, qui ea aliò detorquere voluit, & tantùm non in patrocinium suæ causæ Belgicos Censores, Inquisitores Hispanicos, &

Lusita-

Lusitanicum Indicem anni 1624. advocare. Ita excæcaverat hominem suus in Catholicam fidem furor, & odium in Sanctos, eorumque martyria, basilicas, &c. Notent quoque sequentis capitis hæc verba: *Pro hac fide præcessit eorum mira patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur &c.* quæ Monachorum corruptelis, opinor, non adscribet impudentissimi Riveti effrænis in Catholicos insania. (*e*)

Appendicis vice sequuntur in hosce 22. libros de Civitate Dei, Joannis Ludovici Vivis Valentini ad Henricum VIII. Angliæ Regem Commentaria, nonnullis tamen omissis ex Censura Facultatis Theologicæ Lovaniensis.

Tomo VI. Editionis Lovaniensis 1577.

1. *De hæresibus ad Quodvultdeum*, cui à Gennadio IV. hæreses additæ, Nestoriana, Eutychiana, Prædestinatiana, & Timotheana: quare videndus omninò Sirmondus noster in elegantissima, atque omnium Doctorum consensu doctissima Prædestinatianæ hæreseos Historia: in qua non sine causa miramur, qui factum sit, ut in Lovaniensium Theologorum studio procurata Antuerpiana, sola è quatuor hæresibus, quæ in mss. Codicibus reperiuntur additæ Prædestinatiana fuerit prætermissa. (*f*)

2. *De quinque Hæresibus oratio*, sive, liber contra quinque hostium genera. Multa de hujus libri capite quinto citat Beda in primum caput epistolæ sancti Pauli ad Romanos. Tribuit tamen S. Chrysologo Ildefonsus, aut quis alius auctor libri de Virginitate & Parturitione Sanctæ Mariæ Virginis. Verùm cùm sit in Indiculo Possidii, & apud Trithemium, non videtur amplius disputandum, quidquid garriat Erasmus.

3. *Concio ad Cathecumenos contra Judæos, Paganos, & Arianos*. Bellarminus eamdem judicat esse Augustini, estque in Possidii Indiculo.

4. *Oratio adversus Judæos*. Eadem ejusdem est opinio, cùm sit in Indiculo.

5. *De utilitate credendi ad Honoratum*. 6. *Contra Epistolam Manichæi, quam vocant Fundamentum*. 7. *De duabus animabus contra Manichæos*. 8. *Contra Fortunatum Manichæorum Presbyterum*. 9. *Contra Adimantum Manichæi discipulum*. 10 *Adversus Faustum Manichæum libri* 33. 11. *De actis cum Felice Manichæo libri duo*. 12. *Contra Secundinum Manichæum*. 13. *De natura boni contra Manichæos*.

14. *De Fide, seu Unitate Trinitatis contra Manichæos*. Profectò mirum nulli esse debet, quòd non sit in Retractationibus, neque in Indiculo, cùm sit Evodii Episcopi Uzalensis ut evicit Sirmondus noster cap. primo Historiæ Prædestinatianæ ex fide mss. codicum præcipuè Corbejensis. Ejudem verò Evodii extant epistolæ aliquot inter Augustinianas, ut evicit in codice ms. Sancti Maximini Trevirensis una ad Valentinum Abbatem, & Monachos Adrumetinos, cujus fragmentum edidit citato loco Sirmondus.

15. *Contra Adversarium Legis & Prophetarum libri duo*. 16. *Contra Priscillianistas & Origenistas ad Orosium*, cujus Commonitorium, sive Consultatio præmittitur. 17. *Sermo Arianorum numeris distinctus* 40. 18. *Contra Sermonem Arianorum*.

19. *Contra Maximinum Arianorum Episcopum libri tres*. Sunt in Indiculo, & citantur in ep. Agathonis Papæ, recitata in Concilio VI. Generali, & à Ven. Beda.

20. *Contra Felicianum Arianum de Unitate Trinitatis ad Optatum*. 21. *De bono conjugali adversus Jovinianum*. 22. *De Sancta Virginitate*. 23. *De adulteri-*

A *nis conjugiis ad Pollentium libri duo*. 24. *De Epicureis & Stoicis Tractatus*.

25. *De eo quod scriptum est, Ego sum qui sum*. Citatur à Beda in caput 1. prioris ad Corinthios. Rectè Bellarminus monet non reperiri in Retr. nec in Indiculo, cùm sermones potiùs sint quàm Tractatus hoc & superius opusculum.

In Appendice VI. Tomi.

De Altercatione Ecclesiæ Dialogus. Rejicitur quoque à Bellarmino, quòd nec sit in Retractationibus, nec in Indiculo reperiatur, nec ab ullo bono auctore testimonium habeat, neque phrasim Augustini sapiat. Erasmus elegantem vocat ab aliquo Aulico, aut Jureconsulto scriptum. (*g*)

B

Parte I. Tomi VII. Editionis Ant. 1577.

1. *Psalmus contra partem Donati*. 2. *Contra Epistolam Parmeniani Donatistarum Episcopi libri tres*. 3. *De Baptismo contra Donatistas libri septem*. 4. *De unico baptismo contra Petilianum Donatistarum Antistitem*. 5. *Contra litteras ejusdem Petiliani libri tres*. 6. *De Unitate Ecclesiæ contra ejusdem Petiliani epistolam*. 7. *Contra Crescentium Grammaticum libri quatuor*. 8. *Breviculus Collationum cum Donatistis*. 9. *Epistola nomine Cirtensis Concilii ad Donatistas*. 10. *Post Collationem ad*
C *Donatistas*. 11. *Sermo ad plebem Ecclesiæ Cæsariensis de Emerito*. 12. *De gestis cum eodem Emerito Cæsariensi Donatistarum Episcopo*. 13. *Contra Epistolas Gaudentii Donatistarum Episcopi libri duo*.

In Appendice prima partis Tomi VII.

Contra Fulgentium Donatistam Dialogum incerti Auctoris. Neque enim ejus mentio in Retract. nec in Indiculo, nec citatur ab aliquo vetere Scriptore, quod sciam, sub nomine Augustini. Vide quoque quid de eo Bellarminus.

II. Parte Tomi VII. Editionis Ant. 1577.

D

1. *De peccatorum meritis & remissione ad Marcellinum libri tres*. 2. *De spiritu & littera ad eumdem*. 3. *De natura & gratia contra Pelagianos*. 4. *De gratia Christi, & de peccato originali contra Pelagium & Cælestium libri duo*. 5. *De nuptiis & concupiscentia ad Valerium Comitem libri duo*. 6. *Contra Julianum Pelagianum libri sex*. 7. *Contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Romanæ urbis Episcopum libri quatuor*. 8. *De anima & ejus origine libri quatuor*. 9. *De perfectione justitiæ contra Cælestium*. 10. *De gratia & libero arbitrio ad Valentinum, & cum illo Monachos*. 11. *Epistolæ duæ ad eumdem*. 12. *De correptione & gratia ad eumdem*. 13. *Epistolæ duæ* ad S. Augustinum altera Prosperi Aqui-
E tani, altera Hilarii (qui in titulo à Lovaniensibus aliisque mendosè dicitur Arelatensis Episcopus, ut alibi docuimus) de reliquis Pelagianæ hæreseos in Gallia Massiliensi subolescentibus. 14. *De prædestinatione Sanctorum ad eosdem Prosperum & Hilarium*. 15. *De dono perseverantiæ ad eosdem*.

In Appendice II. Partis Tomi VII.

1. *S. Prosperi*, quem contra veterum scriptorum morem, Regiensem Episcopum vocant Lovanienses, *libri quatuor Responsionum adversus calumniatores doctrinæ B. Augustini de gratia Dei*.

2. Cælestini Romani Pontificis pro B. Augustino ad Episcopos Galliarum epistola.

3. *Concilium Arausicanum II. adversus reviviscentes*

per

per Gallias Pelagianæ hæreseos errores, non sub sancto Leone, aut ejus successore Hilario, sæculo quinto celebratum, sed anno demum 529. præside S. Cæsario Arelatensi Episcopo.

4. *Contra Pelagianos incerti auctoris Hypognosticam libri sex*, quos falsò fuisse sancto Augustino adscriptos, docuerunt jam olim Lugdunenses, aut quisquis est Auctor libri adversus Jo. Erigenam Scotum, & libri de tribus Epistolis. Vide Lovanienses, Bellarm. similesque orthodoxos, ex quibus sua hauserunt Heterodoxi.

5. *Liber de prædestinatione & gratia*. Est S. Fulgentii Ruspensis Episcopi, ut eruditè adversus Lovanienses, & quosdam alios refragantes probarunt duo Societatis nostræ Lumina, Jacobus Sirmondus in præfatione ad illum librum cum aliis S. Fulgentii opusculis editum Parisiis in 8. anno 1613. & Theophilus Raynaudus in Censura inofficiosæ Censuræ cujusdam Parci Charitatis pro Sancto Valeriano Cemeliensi Episcopo, ac similibus scriptoribus antiquis temerè de Pelagianismo suspectis atque accusatis.

6. De Prædestinatione opusculum. Non esse Augustini contendit Bellarminus, qui neque est in Retr. nec in Indiculo, & videtur repugnare doctrinæ S. Augustini.

Tomo VIII. Editionis Ant. anni 1577.

Præfatio cujusdam in Commentarios Sancti Augustini in Psalmos.
Prologus in librum Psalmorum.
Enarrationes in Psalmos Davidis CL.

Tomo IX. Edit. Antuerp. 1577.

1. *In Evangelium S. Joannis Apostoli Expositio, seu Tractatus* 124. (*h*) 2. *In Epistolam primam S. Joannis Expositio, seu Tractatus decem.*

3. *De decem chordis*. Est in Indiculo, & citatur à Ven. Beda.

4. *De Pastoribus in caput* 34. *Ezechielis*. 5. *De ovibus in idem caput ejusdem Prophetæ*. 6. *De Symbolo vel Regula Fidei ad Catechumenos libri quatuor*. 7. *Tractatus de diversis quatuordecim*, ideft 1. De Disciplina Christiana, vel, de domo disciplinæ. 2. De Cantico novo, & de reditu ad cœlestem patriam ac de vitæ periculis. 3. De quarta Feria, sive, cultura agri dominici. 4. De Cataclysmo. 5. De tempore Barbarico. 6. De quatuor virtutibus charitatis: est sermo 46. de Tempore Tomo X. 7. De laudibus charitatis: est sermo 39. de Tempore. 8. De Honestate mulierum: est sermo 250. de Tempore. 9. De convenientia decem præceptorum & decem plagarum. Vide Indiculum Possidii & Enarrationem ipsius S. Augustini in Psal. 77. Vide Fragmenta Tomi X. ex Eugipio Abbate. 10. De utilitate Jejunii: recensetur à Possidio. 11. De urbis excidio: citatur à Beda in cap. 10. prioris ad Corinthios. 12. De pugna animæ. Vide sermonis 43. de Verbis Domini partem extremam. 13. De utilitate pœnitentiæ: est homil. 27. inter 50. Tomo X. 14. Psalterium, quod Matri suæ composuit. 8. *Meditationum liber*. Vel ipse auctor, vel qui ejus libro probè calluit.

In Appendice IX. Tomi.

1. *In Apocalypsin Joannis Expositio, seu Homiliæ* 18. Esse Tychonii docuit R. P. Franciscus Ribera Soc. JESU Theologus, in judicio de Interpretibus Apocalypsis, post Nicolaum Zegerum, quem in eam rem recitant Lovanienses.

2. De diligendo Deo liber, qui & Meditationum inscribitur. Liber pius, sed ab Augustini phrasi alienus.

3. *Soliloquia*, quæ incipiunt: Cognoscam te, Domine, cognitor meus, &c. de quibus vide censuram Lovaniensium.

4. *Manuale*. Ex superioribus libellis aliisque collectum magnam partem.

5. *Tractatus vigintiquatuor de diversis.*

1. De triplici habitaculo. (*i*) Citatur nomine sancti Fulgentii à Sancto Bonaventura cap. 4. Soliloquiorum. Incerti auctoris esse Lovanienses profitentur.

2. Scala Paradisi: quæ etiam versatur inter opera Sancti Bernardi.

3. De duodecim abusionibus sæculi. Quis sit auctor ignoratur.

4. De contritione cordis. Neque hujus scitur auctor.

5. De cognitione veræ vitæ. Sancto Anselmo tribuitur à Thoma Aquinate in 2. dist. 37. qu. 1. art. 2. in corpore, ut monuit Theophilus. Ex eo quædam Græcè reddita leguntur in Bibliotheca Veterum Patrum, ut monuimus.

6. De Speculo. Manifestè suppositititus, cùm in eo citentur versus Boetii, & in eo negetur Spiritus Sanctus à Filio procedere.

7. De vita Christiana. Fastidius Britannus Episcopus auctor perhibetur hujus Tractatus ad sororem, ideft, piam fœminam, quæ erat vidua.

8. De Assumptione B. Mariæ. Videndus Baronius ad an. 48. num. 17.

9. De contemptu mundi, Auctor ignotus. 10. De vanitate sæculi, Auctor ignotus. 11. De obedientia & humilitate, Auctor ignotus.

12. De bono disciplinæ. Melchior Hamenueltonus, Goldastus, ac Jacobus Sirmondus noster docuerunt esse Valeriani Cemelensis Episcopi, cujus Homilias viginti in lucem emisit, qui posterior nominatus est. 13. De visitatione infirmorum.

14. De eadem. Utriusque auctor ignotus. Bellarminus libro primo de Extrema unctione cap. 4. antiquum & bonum asserit. Erasmus verò pro modestia sua locutelejum eum appellat, nec doctum, nec disertum.

15. De consolatione mortuorum. 16. De eadem. Hujus & præcedentis ignoratur auctor. 17. De sobrietate & virginitate, Auctor incognitus. 18. Speculum peccatoris: eadem & hujus ratio.

19. De conflictu virtutum & vitiorum. Neque Augustini est, nec S. Leonis, sed posterioris auctoris, nempe Isidori Hispalensis, qui Regulam S. Benedicti allegat, ac stylum habet ab Augustini charactere dicendi omninò discrepantem.

20. De rectitudine catholicæ conversationis. Est concio sancti Eligii Noviomensis Episcopi, cujus meminit S. Audoenus Rotomagensis Archiepiscopus libri 2. c. 16. Vitæ S. Eligii, ut observavit Sirmondus in Notis ad Concilium Autisiodorense, Tomo I. Conc. Galliæ.

21. De creatione primi hominis, Fragmentum incerti auctoris. 22. De arbore scientiæ boni & mali. Non videtur Augustini. 23. De Antichristo; Meminit Imperii à Græcis ad Francos translati: sunt qui tribuant Rabano Mauro Arch. Mog. Vide Rupertum in cap. 8. Apocalypseos. 24. Super Magnificat, Canticum B. Mariæ. Incerti auctoris.

Tomo X. Editionis Antuerp. 1577.

I. *Sermones de Verbis Domini*, sive, *de Verbis Evangelii*, ut Possidius & Beda vocant, *numero* 64. (*l*)

1. In illud, Agite pœnitentiam, &c. 2. Sic luceat lumen vestrum, &c. 3. *Appendicis sermo I.* 4. Qui dixerit fratri suo, Fatue. 5. Petite, & dabitur vobis. 6. Domine non sum dignus, ut intres, &c. 7. Sequar te, quocumque ieris. 8. Confiteor tibi Pater, Domine, &c. 9. Venite ad me omnes, qui laboratis. 10. In eumdem locum Evangelii. 11. Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum. 12. Aut facite arborem bonam. 13. De Christo ambulante super aquas. 14. *Appendicis sermo* 2. 15. Si peccaverit in te frater tuus. 16. De festuca & trabe. 17. Si vis venire ad vitam, serva mandata. 18. De duobus cæcis clamantibus. 19. *Appendicis sermo* 3. 20. *Appendicis sermo* 4. 21. De die illo & hora nemo scit. 22. Est quæstio 59. libri 83. quæstionum. 23. De decem Virginibus. 24. Qui vos spernit, me spernit. 25. De divite & Lazaro. 26. De Martha & Maria Magd. 27. De eisdem, de quibus in præced. 28. *Appendicis sermo* 5. 29. Quis vestrum habebit amicum. 30. Pharisæi, quod foris est lavatis. 31. De arbore ficulnea, & muliere 18. an. 32. Domine, si pauci salvantur. 33. Homo quidam fecit cœnam magnam. 34. Est Tomo VIII. in Psalmum 70. 35. Facite vobis amicos de mammona. 36. De iniquo Judice. 37. Homo quidam descendit ab Jerusalem. 38. In principio erat Verbum. 39. Sint lumbi vestri præcincti. 40. Cùm esset sub arbore fici. 41. De conversione aquæ in vinum. 42. De infirmo jacente ad piscinam. 43. Si ego testimonium perhibeo de me. 44. De tribus mortuis à Domino resusc. 45. Scrutamini Scripturas. 46. Qui manducat meam carnem. 47. Est Tract. 39. in Joan. Tomo IX. 48. Si manseritis in verbo meo. 49. De Pastore, mercenario, & fure. 50. Ego sum Pastor bonus. 51. Ego & Pater unum sumus. 52. *Appendicis sermo* 6. 53. Qui credit in me, credit in eum, &c. 54. *Fragmentum Homiliæ* 34. *inter Hom.* 50. 55. Ego sum via, veritas, & vita. 56. *Tractatus* 71. *in Joan. Tomo IX.* 57. *Appendicis sermo* 7. 58. *Appendicis sermo* 8. 59. De operariis in vinea. 60. Ego veritatem dico vobis. 61. Ipse arguet mundum de peccato. 62. De trina Domini interrogatione. 63. De manifesta Trinitatis ostensione. 64. Amen amen dico vobis quia venit hora.

II. Sermones de Verbis Apostoli Pauli, & aliorum, & de actibus Apostolorum numero 35.

1. De individua Trinitate & unitate. 2. Cum timore & tremore salutem. 3. Spiritu ambulate, & concupiscentias. 4. Cùm essemus in carne, passiones. 5. Lex peccatum est, absit. 6. Ego ipse servio mente legi. 7. Peto non infirmari in tribulationibus. 8. Humanus sermo, & omni acceptione. 9. De eodem. 10. De eodem. 11. Si enim lex esset data. 12. Et quod lex spiritualis. 13. Si enim data esset lex, quæ posset. 14. De Baptismo parvulorum contra Pelag. 15. Nos enim sumus circumcisio. 16. Si Deus pro nobis, quis contra nos? 17. Humanum dico propter infirmitatem. 18. Nescitis quia corpora vestra. 19. Oportet Episcopum sine crimine esse. 20. Miserebor cui misertus fuero. 21. *Quæst.* 71. *libri* 83. *Quæstionum.* 22. Invicem onera portate. 23. Spe salvi facti sumus. 24. Videte quomodo cautè ambuletis. 25. *Appendicis sermo.* 9. 26. *Appendicis sermo* 10. 27. Audivimus vocem de cœlo. 28. Ante omnia nolite jurare. 29. Si dixerimus, quia peccatum non habemus. 30. Nolite omni spiritui credere. 31. Omnis Spiritus, qui confitetur JESUM. 32. De dormientibus, ut non contristemur. 33. De eodem. 34. *Appendicis sermo* 11. 35. *Appendicis sermo* 12.

III. *Liber quinquaginta Homiliarum.*

1. Quis est homo qui vult vitam. 2. *Appendicis sermo* 13. 3. *Fragmentum epistolæ ad Probam.* 4. *Appendicis sermo* 14. 5. Esto consentiens cum adversario. 6. Diligite inimicos vestros. 7. Clama, ne cesses; quasi tuba. 8. Radix malorum omnium cupiditas. 9. *Ex verbis Apostoli sermo* 19. 10. *Sermo* 14. *de verbis Apostoli in Apendice* 16. 11. Sustine Dominum viriliter. 12. Confitemini alterutrum peccata. 13. Ne tardes converti ad Dominum. 14. Capillus de capite vestro non peribit. 15. *Appendicis sermo* 17. 16. De Resurrectione Domini, & Alleluja. 17. Pax fratribus & charitas cum fide. 18. Frange esurienti panem tuum. 19. De exhortatione ad eleemosynam. 20. Deposita omni malitia. 21. *Sumpta ex sermone in Psalm.* 50. 22. *Appendicis sermo* 18. 23. De muliere peccatrice. 24. De Anniversario Episcopalis Institutionis. 25. De eodem cum præcedenti. 26. De sedendo in Ecclesia. 27. Averte faciem tuam à peccatis. 28. Deus manifestè veniet. 29. Remittite, & remittetur vobis. 30. *Est sermo* 15. *de Diversis.* 31. *Sermo idem* 15. *de Diversis.* 32. Non potest Filius à se facere quicquam. 33. Cor meum, & caro mea exultaverunt. 34. Ego sum via, veritas, & vita. 35. De prædicatione temporum Christi. 36. Ascendet sicut virgultum. 37. Qui amat animam suam, perdet eam. 38. Diliges proximum tuum sicut teipsum. 39. Beatus qui intelligit super egenum. 40. De concordia fraterna. 41. De verè pœnitentibus. 42. De oratione Dominica. 43. De cæco nato, & mundi cæcitate. 44. Non surrexit major Jo: Bapt. 45. *Appendicis sermo* 19. 46. *Appendicis sermo* 20. 47. De remediis peccatorum. 48. De divite sua horrea destruente. 49. Legatione fungimur pro Christo. 50. De utilitate ac necessitate pœnitentiæ.

IV. *Sermones de Tempore*, quibus admixtæ sunt complures Homiliæ, quæ alios auctores præseferunt, vel ex aliis Aug. operibus descriptæ sunt. Eos tamen hic sermones recensebo, qui integrè editi sunt à Lovaniensibus.

Dominica 1. Adventus sermo unus. Dominica 2. Adventus sermo unus. Dominica proxima ante festum Nat. In Festo Nativitatis sermones 17. In Festo Epiphaniæ sermones 6. Dominica intra Octav. Epiphaniæ. Dominica 1. post Octav. Epiph. sermones 2. Dominica 2. post. Oct. Epiph. serm. 2. Dominica 3. post. Oct. Epiph. serm. 2. Dominica 4. post Oct. Epiph. Dominica 5. post Oct. Epiph. Dominica in Septuagesima. Dom. in Quinquagesima serm. 3. Feria 4. in cap. Jejunii serm. 2. Feria 5. post Dom. Quinq. serm. 2. Feria 6. post Dom. Quinq. serm. 2. Sabbato post Dom. Quinquagesimæ. Domin. 1. in Quadragesima serm. 3. Feria 2. post Dom. 1. Quadr. Feria 4. post. Dom. 1. Quadr. Feria 5. post Dom. 1. Quadr. Feria 6. post Dom. 1. Quadr. serm. 2. Sabbato post Dom. 1. Quadr. Dominica 2. Quadragesimæ. Feria 2. post Dom. 2. Quadr. Feria 3. post Dom. 2. Quadr. Feria 4. post Dom. 2. Quadr. Feria 5. post Dom. 2. Quadr. Feria 6. post Dom. 2. Quadr. serm. 2. Sabbato post Dom. 2. Quadr. Dominica 3. Quadragesimæ serm. 2. Feria 2. post Dom. 3. Quadr. Feria 3. post Dom. 3. Quadr. serm. 2. Secundum Perkinsus ejusque simius Rivetus dicunt esse spurium.

Feria 4. post Dom. 3. Quadr. serm. 2. Feria 5. post Dom. 3. Quad. serm. 2. Feria 6. post Dom. 3. Quadr. serm. 2. Sabbato post Dom. 3. Quadragesimæ. Feria 2. post Dom. 4. Quadr. Feria 3. post Dom. 4. Quadr. serm. 2. Feria 4. post Dom. 4. Quadr. Feria 5. post Dom. 4. Quadr. Feria 6. post Dom. 4. Quadr. serm. 2. Sabbato post Dom. 4. Quadr. Dominica in Passione Domini

Domini. Feria 2. post Dom. Passionis. Feria 3. post Dom. Pass. Feria 4. post Dom. Pass. Feria 5. post Dom. Pass. Feria 6. post Dom. Pass. Dominica in Ramis Palmarum. Feria 2. post Dom. Palmarum. Feria 3. post Dom. Palmarum serm. 2. Feria 4. post Dom. Palm. serm. 2. Feria 5. in Cœna Domini ser. 2. Feria 6. in Parasceve Domini. Sabbato in Vigilia Paschæ serm. 3. In die Sancto Paschæ. Feria 2. Paschæ serm. 4. Feria 3. Paschæ serm. 4. Feria 4. Paschæ serm. 2. Feria 5. Paschæ ser. 2. Feria 6. Paschæ ser. 2. Sabbato post Pascha. Dominica in Octavis Paschæ serm. 4. Dominica 2. post Oct. Paschæ. Dominica 4. post Oct. Paschæ. Dominica in Rogationibus. Feria 2. Rogationum. Feria 3. Rogationum. In Vigilia Ascensionis. In Festo Ascensionis serm. 5. In Vigilia Pentecostes. In Festo Pentecostes. Feria 2. Pentecostes serm. 2. Feria 3. Pentecostes.

In Festo SS. Trinitatis serm. 7. Tertius ex iis Collectionis antiquæ de Temp. 191. non esse S. Augustini multis comprobatur, cùm contineat integram professionem Pelagii ad Innocentium I. cujus meminit non semel Sanctus Augustinus. Eadem quoque dicitur Hieronymi Confessio, sive Fides, jam olim Gallis nostratibus cognita, ut patet (*m*) ex Concilio Francofordiensi &c. Sed de his plura alii. Nos obiter dumtaxat, atque ut lectorem moneamus.

Dominica 1. Post Trinitatem. Dominica 2. post Trinit. Dom. 3. post Trinit. serm. 2. Dom. 4. post Trinit. serm. 3. Dom. 5. post Trinit. serm. 2. Dominica 6. post Trinitatem. Dom. 7. post Trinit. ser. 2. Dom. 8. post Trinit. Dom. 9. post Trinit. serm. 2.

Dom. 10. post Trinit. serm. 2. Primum Rivetus rejicit, sequutus censuram Perkinsii, cujus usus oculis legisse videtur Augustinum non propriis.

Dominica 11 post Trinit. serm. 2. Dom. 12. post Trinit. serm. 2. Dom. 13. post Trinit. serm. 2. Dom. 14. post Trinitatem. Dom. 15. post Trinitatem. Feria 4. post Dominicam 16. Domin. 17. post Trinit. serm. 2. Feria 4. in quatuor Temporibus. Dom. 18. post Trinit. serm. 2. Dom. 19. post Trinit. serm. 2. Dom. 20. post Trinit. Dom. 21. post Trinit. Dom. 22. post Trinit. serm. 2. Dom. 23. post Trinit. serm. 2. Dom. 24. post Trinit. serm. 2. Dom. 25. post Trinit. serm. 2.

Dom. 26. post Trinitatem. Huic quoque nigrum appingunt theta Heterodoxi Perkinsius atque Rivetus.

In Anniversario dedicationis Ecclesiæ vel Altaris sermones 5. Ex iis quartus non arridet Criticis nostris Heterodoxis Perkinsio atque Riveto.

V. *Sermones de Sanctis*. Iis tantùm recensitis, qui integrè à Lovaniensibus excusi sunt.

De S. Stephano sermo 4. *quamquam primùm in qq. mss. adscribitur S. Fulgentio*.

De SS. Innocentibus serm. 2. De Sancto Vincentio serm. 2. De S. Pauli conversione. De Cathedra sancti Pauli.

De Annunciatione Dominica serm. 7. *quarum alter tribuitur à quibusdam S. Fulgentio*.

In festo S. Jo: Bapt. serm. 2. In Vigilia SS. Petri & Pauli. In festo SS. Petri & Pauli serm. 3. De sancto Laurentio. De animabus fidelium defunctorum serm. 4. De Apostolis in Genere serm. 2. In festo unius Martyris.

In festis plurium Martyrum serm. 6. quorum tertius tribuitur etiam sancto Leoni.

De uno Confessore.

VI. *Septemdecim sermones à Parisiensibus additi*.

1. In Epiphania.

2. Dominica infra Octavam Epiph. *Est fragmentum serm. 63. de Diversis*.

3. Dom. 3. post Oct. Epiph. 4. Feria 4. Paschæ. 5. In die Ascensionis 86. *de Diversis*. 6. In eodem die Ascensionis. 7. Est Fragmentum serm. 18. *de verbis Domini*. 8. In natali B. Vincentii. 9. De eodem. 10. In Decollatione sancti Jo: Bapt. 11. In eodem festo. 12. In natali S. Cypriani. 13. De Martyribus.

14. In festo omnium Sanctorum: Habitus in Basilica Tricillarum, teste Beda in cap. 3. ad Ephesios.

15. In festo sanctæ Crucis, *est tantùm fragmentum*.

16. Et 17. In Dedicationis Ecclesiæ.

VII. *Sermones de Diversis, à Theologis Lovaniensibus additi, num.* 120. quos perditissimus Rivetus nulla prolata in medium ratione præcipuè Spurios censuit, quia scilicet sic voluit, sic jussit apostata. Quàm satius fuerat Bellarmino subscribere dicenti, Sermones recens excusos, præsertim opera Lovaniensium Doctorum, omnes esse Augustini, cùm hac firmissima ratione nitatur: Nam vel habentur, inquit, in Indiculo, vel citantur à Beda, & sunt omnes graves & docti, & sancto Augustino dignissimi. Idem quoque Novator solita impudentia de sermonibus 40. à Sirmondo nostro anno 1631. summa fide editis, & ab omnibus, ut supra jam monuimus, eruditis, etiam Heterodoxis, sæpè laudatis, hæc pronuntiavit: Nolle negare nonnullos eorum Augustinum auctorem habere, maximè qui in Indiculo Possidii numerantur, alios verò qui è Monachorum cryptis prodierunt, suspectæ esse fidei, donec probationibus dignioribus commendentur. Ita scilicet illa sua veteratoria arte existimavit posse se eludere tela, quæ ex his similibusque Sancti Augustini pharetris in perniciem Calvinianæ hæreseos quotidie ab Orthodoxis depromuntur.

VIII. Fragmenta operum D. Augustini num. 27. Ex Eugippii Abbatis primo ac secundo Tomo Thesauri seu collectionum ad Probam Virginem, atque ex Ven. Beda Commentariis.

In Appendice Tomi X.

1. *Epistolæ Aviti Presbyteri de reliquiis B. Protomartyris Stephani*.

2. *Epistola Luciani Presbyteri de revelatione B. Stephani & aliorum Sanctorum*, ab Avito Latinè reddita, & in Hispanias missa.

3. De miraculis beatissimi Protomartyris Stephani libri duo, jussu Evodii Uzalensis Episcopi perscripti, quo fit ut ei nonnumquam tribuantur.

4. *Translatio corporis Protomartyris Stephani de Hierosolymis in urbem Const. auctore incerto*. Ne verò decipiat te lector, Andreæ Riveti fallendi mentiendique ars studio multo quæsita, cùm ait spurios esse Lovaniensibus & omnibus libros de revelatione Stephani Protomartyris, admonendus es omnia, quæ Augustini non sunt; & in Appendices Tomorum ejus rejecta sunt, spuria esse, nulliusque auctoritatis; cùm videris suprà Prosperi ac Fulgentii nonnulla scripta, Cælestini Papæ epistolam. Concilium Arausicanum II. & alia inter Appendices Tomi VII. & aliorum, quæ nemo sanus propterea ut fictilia ac notha repudiare audeat. Quanti autem facienda sit revelatio Reliquiarum sancti Stephani & aliorum sanctorum docebit, cùm ipsemet Augustinus capit. 8. libri 22. de Civitate Dei, Tract. 120. in Evangelium sancti Joannis, & Sermone 51. de Diversis. Idatius in Chronico ad annum 415. & in Fastis. His Consulibus, Honorio X. & Theodosio III. S. Stephanus primus Martyr revelatur S. Presbytero Luciano die sexta feria, quæ fuit tertio Nonas Decembris in Hierosolymis, S. Joanne Episcopo præsidente, & extant ex his gestis epistolæ supradicti Presbyteri, & S. Aviti Presbyteri Bracarensis, qui tunc in Hierosolymis degebant. Ipse quoque

quoque Gennadius in Luciano, Avito, & Orosio Scriptoribus Ecclesiasticis, Ven. Beda, Nicephorus, aliique recentiores, quibus addendæ sunt Circulares litteræ Severi Ep. Minoricæ unius ex Balearibus Insulæ de Judæorum conversione apud Baronium anno 418. (*n*)

Appendix sermonum de Verbis Domini, & Apostoli de Tempore, de Sanctis, &c.

1. *De Verbis Domini* 3. in illud, Qui fecerit, & docuerit, &c.
2. *De Verbis Domini* 14. De Domino ambulante super aquas, & Petro titubante. In mss. codd. inscribitur, Sermo Eradii Presbyteri.
3. *De Vebis Domini* 19. Reddite quæ sunt Cæsaris, &c. Sancti Maximi Taurinensis inter Ambrosianos septimus.
4. *De Verbis Domini* 20. Væ prægnantibus, &c.
5. *De Verbis Domini* 28. Domine doce nos orare, ex cap. 4. libri 5. sancti Ambrosii Ep. de Sacramentis.
6. *De Verbis Domini* 52. De Lazaro resuscitato.
7. *De Verbis Domini* 57. Pacem meam do vobis.
8. *De Verbis Domini* 58. Non turbetur cor vestrum. Prior pars ex Tractatu 78. in Joan.
9. *De Verbis Apostoli* 25. Nemo quicquam ex eo quod possidebat, &c. Est Sancti Maximi inter Ambrosianos nonus.
10. *De Verbis Apostoli* 26. Petrus & Joannes ascendebant in templum.
11. *De Verbis Apostoli* 34. Omnes nos manifestari oportet, &c.
12. *De Verbis Apostoli* 35. De iisdem verbis.
13. *Homilia* 2. *inter* 50. Sedens adversus fratrem, &c. Ex enarr. S. Aug. in Psal. 49. quibusdam mutatis & additis.
14. *Homilia* 4. *inter* 50. Bonitatem & disciplinam. Ex Ambrosii scriptis.
15. *Homilia* 7. *inter* 50. Clama, ne cesses, de periculo Sacerdotis &c. Ex sermone 19. de Verbis Apostoli.
16. *Homilia* 10. *inter* 50. Videte quomodo cautè ambuletis. Est 24. de Verbis Apostoli, pauló acutior.
17. *Homiliæ* 15. *inter* 50. de perfecta dilectione, ex libris Augustini.
18. *Homilia* 22. *inter* 50. Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat.
19. *Homilia* 45. *inter* 50. Ex opere S. Aug. de visione B. Petri, & de Cornelio Centurione.
20. *Hom.* 46. *inter* 50. Confitemini Domino quoniam bonus, &c.
21. *Fuit* 9. *de Tempore*. In Natali Domini. Pleræque sententiæ ex Homiliis S. Bernardi super Missus est.
22. *De Tempore* 10. In eodem Festo.
23. *De Tempore* 11. In eodem Festo. Tribuitur S. Maximo.
24. *De Tempore* 15. In eodem Festo. In mss. vel Severiano, vel Fulgentio tribuitur.
25. *De Tempore* 18. In eodem festo. Hominis ineruditi.
26. *De Tempore* 24. In eodem festo.
27. *De Tempore* 28. In eodem festo.
28. *De Tempore* 33. In Epiphania. S. Leonis Papæ sermo octavus.
29. *De Tempore* 37. Dom. infra Oct. Epiph. Est S. Maximi.
30. *De Tempore* 38. In eadem Dominica.
31. *De Tempore* 43. Dominica 2. post Octavam Epiphan.

A 32. *De Tempore* 47. Dom. 4. post Oct. Epiph.
33. *De Tempore* 48. Dom. 5. post Oct. Epiph. Ex Hilario, Ambrosio, & ipso Augustino.
34. *De Tempore* 51. Dom. in Septuages.
35. *De Tempore* 59. Feria 6. post Dom. Quinquagesimæ. Ex libris S. Augusti. de sermone Domini in monte.
36. *De Tempore* 63. Sabbato post Dom. Quinq. Est S. Leonis quintus in Quadragesima.
37. *De Tempore* 68. Feria 3. post Dom. 2. Quadr. Ex Ambrosii scriptis.
38. *De Tempore* 77. Feria 4. post Dom. 2. Quadr. Inter Ambros. 37.
39. *De Tempore* 97. Dom. 4. in Quadrages.
B 40. *De Tempore* 99. Feria 2. post 4. Dom. Quadr.
41. *De Tempore* 114. Dom. in Ramis.
42. *De Tempore* 115. In eadem Dominica.
43. *De Tempore* 117. Feria 2. post Dom. Palmarum. Ex Ambrosio in Lucam.
44. *De Tempore* 118. In eadem Feria. S. Maximi.
45. *De Tempore* 120. Feria 3. post Dom. Palmarum, Quidam Eusebio tribuunt.
46. *De Tempore* 121. In eadem Feria.
47. *De Tempore* 125. Feria 4. post Dom. Palmarum, Est idem propè Symbolum quod Damaso Papæ tribuitur Tomo 4. operum Sancti Hieronymi, & inseritur Sermoni 191. de Tempore, qui est tertius de festo SS. Trinitatis.
C 48. *De Tempore* 128. Feria 5. in Cœna Domini. S. Maximi.
49. *De Tempore* 130. In Parasceve de Cruce & Latrone. Est S. Chrysostomi.
50. *De Tempore* 132. In Vigilia Paschæ.
51. *De Tempore* 136. In die Paschæ. Inter Eusebianos recensetur.
52. *De Tempore* 137. In eodem festo. Ex Homilia 22. S. Gregorii, & aliunde.
53. *De Tempore* 138. In eodem festo. Inter Eusebianos.
54. *De Tempore* 156. Sabbato post Pascha. Ex Eusebianis unus est.
55. *De Tempore* 159. Dominica in Octavis Paschæ.
D Ex Augustini libris contra Felicianum.
56. *De Tempore* 161. Eadem Dominica.
57. *De Tempore* 169. Dom. Rogationum.
58. *De Tempore* 176. In Ascensione. Inter Eusebianos.
59. *De Tempore* 171. In Vigilia Pentecostes. Utitur verbis S. Gregorii in Moralibus.
60. *De Tempore* 185. In Festo Pentecostes.
61. *De Tempore* 188. Feria 4. Pentecostes.
62. *De Tempore* 207. Dom. 6. post Trin.
63. *De Tempore* 211. Dom. 7. post Trinit.
64. *De Tempore* 224. Dom. 14. post Trinit.
65. *De Tempore* 226. Dom. 15. post Trinit. Ex Ambrosio.
E 66. *De Tempore* 228. Dom. 16. post Trinit. Ex Ambrosio.
67. *De Tempore* 229. Dom. eadem. Ex Ambrosio.
68. *De Tempore* 241. Dom. 21. De Auguriis fortè Severiani Gabalensis.
69. *De Tempore* 242. Dom. 22. de Susanna. Excerptus videtur ex Ambrosio.
70. *De Sanctis* 2. De Sancto Stephano. Ex Eusebiano decerptus.
71. *De Sanctis* 5. De eodem. S. Maximi.
72. *De Sanctis* 10. In festo Innocentium. Conflatus ex sermone 136. de Tempore & aliunde.
73. *De Sanctis* 11. In eodem festo.
74. *De Sanctis* 15. In Cathedra S. Petri.
75. *De Sanctis* 19. In festo Annunciationis cui non congruit, sed S. Cruci.

76. *De Sanctis* 20. In festo S. Joannis Baptistæ.

77. *De Sanctis* 22. In eodem. S. Chrysologi.

78. *De Sanctis* 26. In festo SS. Petri & Pauli. Inter Ambrosianos 68.

79. *De Sanctis* 27. In eodem S. Maximi.

80. *De Sanctis* 30. De Sancto Laurentio, dignus qui legitur, inquiunt Lovanienses, quamvis non sit Augustini.

81. *De Sanctis* 31. De eodem. Inter Ambrosianos.

82. *De Sanctis* 33. De eodem. Inter Ambrosianos.

83. *De Sanctis* 35. In festo Assumptionis B. Mariæ. Fulberti dicitur Carnotensis Episcopi, citatque Isidorum ex opere de vita & obitu Sanctorum.

84. *De Sanctis* 36. In festo Decollationis S. Jo: Bapt. Inter Eusebianos.

85. *De Sanctis* 37. In festo omnium Sanctorum. Habet non pauca ex Sancti Jo: Chrysostomi tractatu de reparatione lapsi, & ex sancto Cypriano, de Mortalitate. In qq. mss. tribuitur Alcuino, inquiunt Lovanienses.

86. *De Tempore* 157. Dominica in Octavis Paschæ ad Competentes. Cujus pars decerpta ex sermone 74. de Diversis.

(*o*) *Sermones* 76. *ad Fratres in Eremo commorantes, & quosdam alios*, sub nomine Augustini conficti sunt ab impostore quodam semilatino qui SS. Augustini, Cæsarii, Gregorii, & aliorum verba? identidem miscet. Ab Apostolico Conservatore Rhegii anno 1414. damnatos, & repudiatos ferunt, eosque pluribus exagitant Joannes Mauburnus in Venatorio Canonicorum Regularium, Card. Baronius annis 382. & 385. Card. Bellarminus, qui inter cætera scribit, phrasim horum sermonum, exceptis duobus de communi vita Clericorum, (qui sunt 52. & 53. & inter Diversos S. Augustini à Lovaniensibus additos numerantur 49. & 50.) esse ineptam, impropriam, lutulentam, ut mirum sit potuisse ejusmodi sermones sancto Augustino ab aliquo viro prudente tribui, ut reliquos prætermittam, qui in farraginem illam gravius invehuntur. An verò Gallo-Flander aliquis exclamator, quod Martinus Lipsius ex phrasibus quibusdam & dictionibus suspicabatur, quove tandem tempore atque ætate eos fabricaverit, mihi nondum planè compertam profiteor.

De vita, conversatione, ac morte Sanctæ Monicæ matris B. Augustini narratio, incerto auctore.

Oratio de Passione Domini nostri JESU CHRISTI. quam sanctus Augustinus fertur edidisse, pro qua diligentius dicenda Bonifacius octavus spirituales indulgentias dedisse narratur.

(*a*) Adversus Erasmum illam defendit Richardus Cenomanus Theologus Parisiensis sub finem Tomi I. Parisiensis editionis apud Guillardum.

(*b*) Seu Manchinano aut Manchino Hiberno asserit H. F. S. J. T. in Catalogo præcipuorum sanctorum Hiberniæ secundæ editionis, dissentiente Waræo pag. 26. libri primi de Scriptoribus Hiberniæ, quia in eo fit mentio temporis obitus Manichæi sapientis Hiberniensis, quem ipse haud dubiis indiciis existimat esse ipsum illum Manchinum Abbatem Maonadrojocensem.

(*c*) Joannes tamen Calvinus libro tertio Institutionum cap. 5. sect. 10. ait tot hæsitationes continere, ut suo frigore stulti zeli calorem extinguat. Daniel verò Tossanus, ut de aliis modo taceam, impudentissimè adjecit non esse dubium, quin liber multis additamentis à Monachis depravatus fuerit. Sic insaniunt Novatores.

(*d*) Canonis ejusdem antiquitas ex Cypriani libro de Oratione, Tractatu de opere & de eleemosynis, Tractatu de lapsis, Optato Milevitano

A lib. 1. adversus Parmenianum, Augustino epist. 57. & libro 1. contra adversarium legis cap. 18. alisque veterum locis vindicabitur suo loco pluribus.

(*e*) Effrenis in Catholicos insania, Riveti, (ad quem miriones suos remittit Patrologus Jenensis omnium Criticorum inficetissimus) atque hæc jampridem.

(*f*) Jampridem fuerant typis informata, cùm vidi Albertinum Rivetiana observatione dementatum hæc ad argumenti Bellarmini solutionem effutiisse. *Non credunt hoc, qui etiam Dominum Jesum per integra Virginalia matris enixum, & ad discipulos suos januis clausis ingressum fuisse non credunt.* Sed primò incertum est, inquit, an hæc narratio verè sit

B Augustiniana. Nam tota pars hujus capitis incipiens ab his verbis, *Ad aquas Tibilitanas* usque ad finem, in quibus hæc narratio continetur, verbatim est sermo septimus de sanctis huc fortè intrusus. At quis nescit sermones illos de sanctis dubios & incertissimos esse? Vives quoque emunctæ naris, ad hoc caput notat, *In hoc capite non dubium, quin multa sint addita,* VELUT DECLARANDI CAUSA (quod de aliquot glossematibus se intelligere apertissimè insinuat) *ab iis qui omnia magnorum Authorum scripta spuriis suis manibus contaminabant. Papæ!* licet exclamare cum illo apud Prudentium:

Impunè tanta, ò miser.
Strophas cavillo mimica
Te nexuisse existimas?

C Primò enim quod ais, fortè sic intrusum fuisse sermonem septimum de Sanctis, fallere vis imperitam Sacramentariorum plebeculam, non persuadere doctis, quæ non temere, sed pro more Sycophanticè ac veteratoriè scribis, quis enim ignorat ex libro 83. quæstionum, ex Tractatibus in Joannem, ac similibus, sermones aliquot fuisse delibatos? Quod verò de Vive adjungit, id vel sola illius loci Lectio absurdissimum esse demonstrat, ac dignum Alastore Riveto effugium.

(*g*) Ostendamus suo tempore Dialogum hunc de Altercatione Ecclesiæ distinctum esse, tum ab Altercatione Ecclesiæ, quæ sine auctoris nomine excusa

D fuit annis 1531. & 1540. Coloniæ Ubiorum, ex qua multa hauserunt quæ Richardi dicuntur Exceptiones, tum ab inedito hactenus quod sciam opere Gisleberti cognomento Universalis adversus Judæos.

(*h*) Notat Sixtus Senensis ab ore loquentis exceptos per Notarios, adeoque nullam fieri ejus operis mentionem in libris Retractationum, cùm sit de numero dictorum, sicut sunt etiam Enarrationes in Psalmos, quas nescio quis Novator arrodere non est veritus apud Patrologum Jen. Vide quid de iis idem Sixtus annotarit pag. 208.

(*i*) Sive de tribus habitaculis, aut de gaudiis electorum & pœnis damnatorum. Bostonus Buriensis libro de Scriptoribus Ecclesiasticis dicitur tribuisse

E S. Patricio Hibernorum ac Scotorum Apostolo cui Balæus adsignat librum de futura electorum vita. Vide Waræum.

(*l*) Et sequentes de Sermonibus sive Homiliis multa possunt annotari, quæ, ne tædium pariant, omittimus.

(*m*) Ex libro de Imaginum cultu, qui Carolo Magno Francorum Regi adscribi solet, scriptusque est circa tempora Concilii Francofordiensis, &c. Vide Usserium pag. 12. Godescalci defensi, ubi Vossium reprehendit qui Sancto Augustino tribuerat: & dissertationes mutuas duorum Theologorum Parisiensium.

(*n*) Tempus ex verbis istis cognosci certò potest: Hæc beatitudo vestra die quarta Nonarum Februalium munere Domini nostri J. C. accepta, octo

diebus

diebus ab eodem consummata esse cognoscat post Consulatum Domini Honorii undecimum & Constantio iterum Victore &c.

(*o*) Pro sermonibus ad Fratres in Eremo multi ex Augustinianis Eremitis, & adversus eos quamplurimi omnium fermè ordinum sæculares Regularesque scripserunt, quorum Catalogum brevi expectamus à R. P. Ludovico à S. Carolo Carmelita, qui Bibliographiam Augustinianam prælo paratam habet.

Nondum vidi Sancti Augustini Dulciloquiorum libros tres, quos ex Bibliothecæ Romersdorpianæ vetere ms. exemplari primùm editos Hebornæ in 12. anno 1592. à fide dignis viris accepi.

De Asterio Amaseensi. 400.

ASTERIUS AMASEÆ Episcopus vixit anno Domini 400. scripsitque Homilias diversas, ex quibus quinque Græcè ac latinè nuper editæ sunt Antuerpiæ, nimirum de divite & Lazaro, de OEconomo iniquitatis, adversus Avaritiam, in festum Kalendarum, &, an liceat dimittere uxorem. Est & alia ejusdem Homilia in S. Phocam martyrem apud Lipomanum tomo *6.* Alia item in S. Euphemiam martyrem citatur in Synodo septima act. 4. & *6.* Alias denique complures Asterii hujus homilias Photius in Bibliotheca sua commemorat: quarum nonnullæ extare nunc etiam dicuntur in variis Bibliothecis.

DISSERTATIO HISTORICA.

ASTERIUS AMASEÆ in Ponto Episcopus, vixit anno circiter 400. à Christi Domini natalibus, ut colligitur ex orationibus de Kalendis, & adversus avaritiam, ubi meminit eorum, quos Julianus Apostata Imperator ad fidem negandam induxerat: Sunt, inquit, etiam num recentia, & nostræ ætatis; cùm enim Imperator ille, &c. Citatur in Nicæna II. Synodo, Actionibus 4. & *6.* ab Adriano I. Papa libro de Imaginibus, à S. Nicephoro Patriarcha Ep. in 1. & 2. Antirrheticis, à Photio, codice 271. Myriobibli aliisque. Diversus porrò fuit tum ab Asterio Arianæ factionis Philosopho, quem constat ex S. Hieronymo cap. *94.* libri de Scriptoribus Ecclesiasticis sub Constantio Imperatore scripsisse in Psalmos, Evangelia, & Epistolam ad Romanos, quique notus Socrati, Sozomeno, cæterisque Historiæ sacræ Scriptoribus, immò & sancto Athanasio in libro de Synodis: tum ab Asterio Petræ in Arabia Episcopo, qui unà cum Acacio legatione functus est ad sanctum Julianum, cognomento Sabam, teste Theodoreto in Philotheo, seu Religiosa Historia, cap. 2. & ex Ariano factus Catholicus, sanctorumque Athanasii atque Eusebii Vercellensis æqualis, in Africam à Constantio Imperatore relegatus, ibidem occubuit; & memoratur Romano Martyrologio ad diem 10. Junii. At verò quinque orationes Asterii nostri Amaseni ex interpretatione Philippi Rubenii J. C. Antuerpiensis Græcè & Latinè editæ tum seorsim in 4. Antuerpiæ anno 1608. tum Tomo II. Auct. 1624. & XIII. magnæ Bibliothecæ Parisiensis veterum Patrum à pag. 561.

1. *In divitem & Lazarum.* 2. *De Villico iniquitatis.* 3. *Adversus avaritiam.* 4. *In festum Kalendarum.* 5. *An liceat dimittere uxorem quacumque de causa.*

R. P. Franciscus Combefisius Burdegalensis, Ord. Prædic. Congregationis Reformatæ Sancti Ludovici, Tomo I. Auctarii G. L. ad Postremam Bibliothecam Veter. Patrum additi, editique anno 1648. has vulgavit orationes.

A 1. *In Danielem Prophetam, & Susannam.* 2. *In cæcum à nativitate.* 3. *In Principes Apostolorum Petrum & Paulum.* 4. *In Martyrem Phocam.* 5. *In Sanctos Martyres.* 6. *In Sanctam Euphemiam, & de ejus imagine.*

7. *In Protomartyrem Stephanum*, quæ inter Procli P. Const. Homilias jam fuerat edita à Vincentio Richardo Clerico Theatino.

Photiana quoque Excerpta ex variis ejusdem Homiliis subjecit, quæ habentur in citata Photii P. Const. Bibliotheca ab Andrea Schotto SOC. JESU, Presbytero Latinitate donata. Eadem omnia Latinè tantùm edita sunt Lugduni anno 1652. post SS. Leonis, Maximi, Chrysologi, Fulgentii, Valeriani, & Amedæi opera in Heptade Præsulum Christiana sapientia, & facundia clarissimorum, quæ sæpius B excusa, multis Asterii carebat Homiliis.

SUPPLEMENTUM.

ASTERIUS Claræ Amasenorum Metropolis Episcopus, vir sanctitate, doctrina & eloquentia conspicuus, floruit ad finem quarti sæculi, sancto Chrysostomo æqualis. Prædecessorem habuit Eulalium, cujus mentio apud Sozomenum libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 2. successorem verò Palladium unum è Patribus Ephesinæ Synodi. Scripsit multa, nota etiam antiquis, Concilio Generali septimo, Adriano Papæ, Nicephoro Constantinopolitano, Photio, auctoribus Catenarum & aliis. C Non pauca edita fuerunt, tum separatim, tum in Bibliothecis sanctorum Patrum, tum alieno nomine alibi. Consule inter recentiores præsertim Antonium Possevinum in Apparatu sacro, Bellarminum & Labbeum de Scriptoribus Ecclesiasticis, *utrumque in Asterio*, hunc *in Gregorio quoque Nysseno*, cujus Homiliæ seu Orationes quinque ex Interpretatione Philippi Rubenii J. C. Antuerpiensis Græcè & Latinè editæ tum seorsim in 4. Antuerpiæ anno 1608. tum tom. 2. Auctarii ad Bibliothecam veterum Patrum anni 1624. Collectore Frontone le Duc Soc. JESU, & tom. 13. pag. 591. magnæ ejusdem Bibliothecæ Parisiensis anni 1644. Item Orationes septem aliæ in Auctario Græco-latino ad postremam D Bibliothecæ veterum Patrum editionem Parisiensium, edito duobus tomis in fol. anno 1648. cura & studio Francisci Combefis Burdegalensis Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in Auctario altero ejusdem Auctoris Combefis, edito in fol. anno 1672. Parisiis, pag. 538.

Addo autem aliquas haberi Homilias ad Asterium pertinentes inter opera Sancti Gregorii Nysseni, de quo supra: nempe tomo 2. pag. 132. *in Mulierem peccatricem, vel in alios qui duriùs & acerbius alios judicant atque condemnant, quique conversione indigent & pœnitentia*: hunc enim tamquam Asterii refert atque delibat Photius in sua Bibliotheca, Cod. 271. in E principium jejuniorum. Ibidem pag. 247. quam etiam velut ejusdem Asterii refert ac delibat Photius loco citato. Denique *in Sanctum Protomartyrem Stephanum*. Ibidem tom. 3. pag. 354. de qua pariter Photius citatus. Item *Homilia in Psalmum quintum*, sub nomine Asterii legitur in Codice manuscripto Bibliothecæ Regiæ, num. 2402. quæ etiam extat Græcè impressa apud Chrysostomum Henrici Savilii tom. 7. num. pag. 431. Denique ex eodem manuscripto Regio, Joannes Baptista Cotelier profundæ eruditionis Theologus & Regius linguæ Græcæ Parisiis Professor, edidit *septem Orationes* sive Homilias sancti Asterii in Psalmos 5. 6. & 7. tom. 2. pag. 1. & seqq. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ*, quæ in 4. duobus tomis edita Parisiis anno 1683. apud Franciscum Moguet. Plura autem habet de his Homiliis in suis

in suis Notis pag. 516. ubi eas asserit & rectè probat esse Asterii, tam ex auctoritate mss. Cod. quam Catenarum veterum eas sub nomine Asterii allegantium.

Vixit Asterius Amaseæ in Ponto Episcopus anno circiter 400. à Christi Domini Natalibus, ut colligitur ex Orationibus de Kalendis & adversus avaritiam, ubi meminit eorum quos Julianus Apostata Imperator ad fidem negandam induxerat; *etiamnum recentia & nostræ ætatis, cùm enim Imperator ille &c.* Citatur in Nicæna II. Synodo Actionibus 4. & 6. ab Hadriano I. Papa libro de Imaginibus, à S. Nicephoro Constantinopolitano, in 1. & 2. Antirrheticis, à Photio Cod. 271. Myriobibli, aliisque. Diversus porrò fuit tum ab Asterio Arianæ factionis Philosopho, quem constat ex Sancto Hieronymo cap. 94. libri de Scriptoribus Ecclesiasticis sub Constantio Imperatore scripsisse in Psalmos Evangelia & Epistolam ad Romanos, quique notis Socrati, Sozomeno cæterisque Historiæ sacræ Scriptoribus, imò & sancto Athanasio in libro de Synodis. Item alius ab Asterio Petræ in Arabia Episcopo, qui una cum Acacio legatione functus est ad sanctum Julianum cognomento Sabam, teste Theodoreto in Philoteo seu Religiosa Historia capit. 2. & ex Ariano factus Catholicus, sanctorumque Athanasii atque Eusebii Vercellensis æqualis, in Africam à Constantio Imperatore relegatus, ibidem occubuit; cujus in Martyrologio Romano memoria ad diem 10. Junii.

De Marco Gazæo 403.

SUPPLEMENTUM.

MARCUS GAZÆ in Palæstina Diaconus, vixit sub annum quadringentesimum tertium, & fidelissimè scripsit *Acta sancti Porphyrii Gazensis Episcopi & Martyris*, relati in fastos Romanos ad diem 26. Februarii. Acta illa græcè apud Metaphrastem, latinè apud Laurentium Surium extant.

De Paulino. 410.

SUPPLEMENTUM.

PAULINUS sancti Ambrosii olim Diaconus, de quo sic Isidorus libro *De Viris illustribus* cap. 4. *Paulinus Presbyter explicuit in benedictionibus Patriarcharum triplici intelligentiæ genere libellum satis succincta brevitate compositum. Idem etiam petente Augustino conscripsit Ambrosii vitam, signis florentem atque doctrinis, & meritis Apostolorum non imparem. Si quidem & Constantius Episcopus Germani vitam contexuit obitumque Paulini Uranius edidit.* Hæc sanctus Isidorus. Opusculum *de Benedictionibus Patriarcharum* est illud ipsum quod habetur sub nomine & inter opera Ruffini Presbyteri; sed illud Paulini Nolani Episcopi, imò Ruffinum habet Aquilejensem auctorem, inter cujus opera est impressum. Deceptus itaque est Isidorus, ex eo quòd dictum Ruffini opus instante Paulino Nolano compositum atque eidem transmissum, Paulini esse crediderit. *Vita autem Sancti Ambrosii à Paulino ejus olim Diacono scripta* solet præmitti omnibus editionibus Ambrosianorum operum. Idem Paulinus obtulit *libellum Zozimo Papæ in gratiarum actionem, ob Pelagium, & Celestium condemnatos*, quem habet ultima Collectio Conciliorum Parisiensis anni 1671. tom. 2. pag. 1578. Claruit anno 400. ad 420. & ultra; distinguendus cautè à duobus aliis Paulinis eodem tempore adhuc viventibus. Horum unus Paulinus Biterrensis in Gallia Episcopus; de quo Aubertus Miræus in Auctario suo de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 63. qui sub annum 410. vixit, sub cujus nomine apud Cardinalem Baronium in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 418. extat *Epistola* enarrans signa terrifica Biterris effecta. Rosweidus in notis ad Paulinum Nolanum dubitat an huic Paulino Biterrensi non sit attribuenda elegans *Homilia in Sanctum Genesium Martyrem Arelatensem*, quem Surius ad diem 25. Augusti edidit, & quæ inter Paulini Nolani opera legitur. Alter Paulinus Ausonii ex filio, vel (ut alii volunt) ex Fratre Hesperio Nepos, hoc etiam tempore extitit, qui ad annum usque vitæ suæ 83. pervenit, cujus *Eucharisticum Carmen* de vita sua legitur post Poemata sancti Paulini Nolani, in Bibliotheca veterum Patrum editionis Parisiensis annorum 1575. & 1589. quas consule.

De Sancto Maximo. 420.

SANCTUS MAXIMUS Episcopus Taurinensis, floruit, & obiit sub Honorio, & Theodosio juniore Impp. teste Gennadio in libro de viris illustribus. Extant hujus Maximi homiliæ Romæ editæ anno 1564.

De adventu Domini, 2. *In vigilia natalis Domini*, 1. *In natali Domini*, 6. *In circumcisione Domini*, 1. *In Theophania*, 8. *In Quadragesima*, 17. *In solemnitate Paschali*, 5. *In litaniis de jejunio*, 1. *In solemnitate Pentecostes*, 3. *In natali sancti Stephani*, 1. *In natali sanctæ Agnetis*, 1. *In nativitate sancti Joannis Baptistæ*, 3. *In natali Apostolorum Petri, & Pauli*, 5. *In natali sancti Laurentii*, 3. *In natali sancti Eusebii Vercellensis*, 3. *In natali sancti Cypriani*, 2. *In feriis sancti Michaelis*, 1. *In natali SS. Martyrum Taurinorum*, 1. *In communi martyrum*, 1. *Item de expositione Symboli*, 1. *De non metuendis carnalibus hostibus*, 2. *De avaritia vitanda*, 2. *De Eleemosynis largiendis*, 2. *De hospitalitate*, 1. *De defectu lunæ*, 1. *In dictum Isaiæ, Caupones tui miscent aquam vino.*

Observatio.

Diximus in Ambrosio multos sermones tribui simul, & sancto Ambrosio, & sancto Maximo, sed credibilius est, sancti Maximi esse illos etiam, qui tribuuntur Ambrosio: Gennadius enim enumerat ferè omnes sermones sancti Maximi, & inter illos sunt aliqui, qui tribuuntur Ambrosio: quamvis non magnus sit error, cùm uterque auctor sit doctus, antiquus, & Sanctus.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS MAXIMUS, Taurinensis in Subalpinis Episcopus floruit, Honorio, qui obiit anno 423. & Theodosio juniore, qui è vita migravit anno 450. imperantibus. De ejus anno fatali, non consentiunt inter se Chronologi: alii enim ante annum 423. aut certè 450. obiisse volunt, quòd Gennadius cap. 40. Catalogi dixerit Maximum mortuum esse Honorio, aut si hunc auferas saltem imperante Theodosio II. Verùm Gennadius quo utor à Miræo editus pro voce *moritur*, quæ in quibusdam aliis editionibus occurrit, exhibet alteram vocem *floruit*, quæ sanè non nocet communi certiorique sententiæ Baronii aliorumque qui Mediolanensi synodo sub Martiano Imp. celebratæ & Romanæ anno 465. interfuisse opinantur sub Hilario Papa post quem primus subscripsit. De eo Martyrologium Romanum die 25. Julii Gennadius qui citato loco multa de eo refert notatu digna, Honorius cap. 40. libelli secundi ubi nulla Honorii facta mentione sub Theo-

A Theodosio dumtaxat claruisse dicitur, Joannes Trithemius qui sub Theodosio mortuum asserit, Vossius qui apud Gennadium legendum arbitratur Odoacro, & Theodorico regnantibus, ut de cæteris sileam.

Homiliæ ejus tum seorsim Coloniæ, Romæ, & alibi editæ sunt, tum in Bibliothecis Veterum Patrum. Editionem Parisiensem anni 1623. hìc tibi, Lector, repræsentabo; quod antequam exequar deridendam omnibus Guillelmi Perkiensis ejusque simiorum Roberti Coci, Andreæ Riveti, Jo. Henrici Hottingeri, similiumque Heterodoxorum argumentationem proponam. Sermones de Martyribus Tacrinensibus, sermo quintus in Natali Petri & Pauli & quidam alii ut spurii suppositique, ut nullius aut B saltem incertæ fidei repudiandi sunt. Quid ita porrò? Quòd ab imperitis amanuensibus ac sciolis quibusdam collectoribus inter sanctorum Ambrosii atque Augustini Sermones reperiantur inserti. Sanè ut nihil gravius eloquar, qui hoc pacto ratiocinantur, in pervolutandis mss. codicibus hospites se præbent ac penitus peregrinos. Quàm rectiùs cum Bellarmino dixissent, etiamsi Augustino quidam aut Ambrosio vindicarentur non fore magnum errorem, cùm uterque auctor doctus sit, antiquus & sanctus. Sed omissis Vitiligatoribus illis inficetis, ad rem promissam veniamus.

In adventu Dom. duæ. In Vigilia Natalis Dom. una.

C *In Natali Domini sex.* Gennadius docet se legisse Homilias de Natali Dòmini, de Epiphania, de Pascha, & Pentecoste, aliasque multas de diversis caussis habitas quas nec retineret. Quæ tertia habetur incipitque: *In Adventu Domini* reperitur ordine 11. inter sermones de Tempore S. Augustini, non ideò tamen Maximo abjudicanda quæ est Heterodoxorum insulsa ἀσυλλογισία.

In Circumcisione Domini, sive de Kalendis Januariis increpatio, quæ memoratur Gennadio.

De Epiphania, *seu Theophania* D. N. J. C. *octo* quarum 7. quæ etiam de Baptismo Christi differit est 37. sermo de Tempore apud Augustinum.

De Quadragesima, Jejunio, Cruce, & Passione Domini, Latrone, sepultura, aliisque ad ista spectantibus D septemdecim. Ea quæ incipit, Mirum forsitan videatur, &c. est sermo 118. de Tempore. Cùm tamen ex Gennadio constet Maximi esse Homiliam de accusato & judicato apud Pilatum Dominum.

In Solemnitate Paschali quinque, quarum quæ est ordine recensetur 126. inter sermones Augustini de Tempore.

In Litaniis & de Jejuniis Ninivitarum, quæ dicitur Gennadio de pœnitentia Ninivitarum.

In Solemnitate Pentecostes tres.

In Natali S. Stephani una, quæ est 5. de Sanctis apud Augustinum.

In natali S. Agnetis Virg. & mart. una.

E *In nativitate S. Joannis Bapt. tres*: meminit Gennadius.

In natalibus Apostolorum Petri & Pauli quinque. Prima quæ incipit *Gloriosissimos*, est apud August. 27. de sanctis. Gennadius narrat composuisse Tractatus in laudem Apostolorum.

In natali Laurentii Martyris tres, ex Gen.

In natali S. Eusebii Vercellensis Episcopi & Confessoris Kal. Aug. duæ, ex eodem Gennadio.

In natali S. Cypriani duæ, meminit Genn.

De eo quod scriptum: *Quis major est in regno Cælorum?* & legitur in feriis S. Michaelis. Gennadius ait de capitulis Evangeliorum & de Actibus Apostolorum multa exposuisse.

In natali SS. Martyrum Taurinensium Octavii, Adventii, & Salvatoris. Non meminit disertis verbis Gennadius, sed quæ tamen ex omnibus videtur esse Maximi hæc ipsa est.

In communi Martyrum: hæc dicitur Gennadio Generalis omnium Martyrum homilia.

In traditione symboli de expositione ejusdem una.

De non timendis hostibus carnalibus & de gratiis post cibum Deo agendis ipsissima sunt Gennadii verba.

De avaritia vitanda, & de eo quod scriptum est: Erant eis omnia communia. Reperitur apud Ambrosium ordine 9. & apud Augustinum 25. de Verbis Apostoli. Esse tamen genuinam Maximi Homiliam discimus ex Gennadio.

Secunda de eodem argumento. De Eleemosynis largiendis duæ, ex Genn. *De Hospitalitate una*, ex eodem. *De defectu Lunæ*, ex eodem.

De eo quod scriptum est in Esaia: *Caupones tui miscent aquam vino.* Consule Gennadium, qui singulatim penè omnes illas legerat Homilias, & Criticorum nostrorum obstruit os, audaciamque comprimit.

De Marcello Memoriali. 420.

Supplementum.

Marcellus Memorialis scripsit Severiano & Juliano *Acta Collationis Cartaginensis lib.* 3. quæ circa annum 411. habita fuit. Hanc è mss. Cod. erutam primus edidit Papirius Massonus Gallus quam correxit Petrus Pithœus Trecensis, habetque Collectio novissima Conciliorum Parisina anni 1671. tom. 2. pag. 1337. floruisse creditur circa annum 420.

De Pelagio Scoto. 420.

Supplementum.

Pellagius natione Scotus, è Britannia oriundus, ex Orosio in Apolog. & sancto Augustino Epist. 106. ad Paulinum, ubi eum Britonem cognominatum esse ait, ut à Pelagio Tarenti distingueretur. Idem constat ex sancto Prospero, initio Carminis de ingratis, ubi eum Britannum Colubrum vocat: qui à sancto Hieronymo præfatione lib. 1. in Jeremiam Scotus dicitur, *& Scotorum pultibus prægravatus*: eò quòd ob gentis utriusque viciniam, Britanni etiam Scoti dicerentur. Professione Monachus fuit, ex sancto Augustino lib. de gestis Pelagii cap. 25. & lib. de Hæresibus cap. 88. non ex eorum genere Monachorum qui Cœnobiticam in Monasterio vel Eremiticam in desertis locis; sed qui Religiosam in suis ædibus vitam agebant, & sæculi contemptum modestiore corporis habitu, moribusque profitebantur. Unde sanctus Augustinus ipsum *veluti Monachum* appellat. Numquam sacris Ordinibus initiatus est, unde ipsum Zozimus Pontifex *virum Laicum* vocat Epistola ad Aurelium, & sanctus Augustinus lib. de gestis Pelagii cap. citato Presbyterum vel Clericum fuisse negat. Neutiquam confundendus, (ut Baronius, Vossius & Usserius fecerunt) cum alio ejusdem nominis Monacho, cujus defectionem à fide luget, moresque pravos arguit sanctus Chrysostomus Epist. 4. ad Olympiadem. Ut enim observat doctissimus Petavius lib. de Pelagianorum & Semipelagianorum Dogmatum Historia, hæc Epistola scripta est à S. Chrysostomo exule circa annum Christi 403. quo tempore etsi concepta esset à Pelagio hæresis, nondum tamen palam innotuerat, maximè apud Orientem. Imo tunc Pelagius magnum sanctimoniæ nomen sustinebat, ut testatur sanctus Augustinus eum vocans sanctum lib. de peccatorum meritis & remissione

A sione cap. 1. quod opus contra ipsius doctrinam edidit anno 413. post damnatum scilicet in Concilio Carthaginensi Celestium, anno 412. Credibile est eum postea in Palæstina Monachum habitu factum, ubi cùm esset, adversus gratiam Christi pestilentissimum Dogma cum Discipulo suo Celestio concepit animo. Celestius qui prior in Africa palam hæresim publicavit, anno 412. Carthagine damnatus fuit. Pelagius stylo primùm à sancto Hieronymo, post ab Augustino perstrictus fuit, demum ab Innocentio I. Papa anno 417. mense Januario, una cum Celestio Ecclesiastica Communione privatus est. Eosdem anno 418. Zozimus Innocentii in Pontificatu successor damnavit, & suo Edicto Honorius Imperator perculsit.
B Africani porrò Episcopi accepto Zozimi Decreto (in plenaria Synodo ut scribit Prosper) Episcoporum 213. Carthagine Congregata contra Pelagianam hæresim canones octo condiderunt, qui Milevitanæ in Numidia Synodo per errorem attribuuntur. Hæc Compendio dicta sint; qui plura voluerit, legat Dionysium Petavium in libro de Historia Pelagianorum & Semipelagianorum ex Theologicis Dogmatibus, Parisiis in fol. tomis 5. anno 1644. apud Sebastianum Cramoisy, Vossium in historia Pelagiana Amstelodami in 4. anno 1655. Usserium Archiepiscopum Armachanum, Henricum de Noris Ordinis Eremitarum sancti Augustini, qui amplis doctisque voluminibus de ea re scripserunt. Plurima etiam de
C Pelagii & Celestii doctrina, moribus, condemnatione, discipulis & impugnatoribus, Natalis Alexander Dominicanus *in selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, tom. 1. sæculi quinti articulis decem capitis 3. à pag. 57. ad 271. quem consulas.

Scripsit Pelagius *Commentarium in Epistolas sancti Pauli*, quem habes tomo 8. operum Divi Hieronymi impressum, & quem nonnulli sancto Doctori perperam adscripserant. Constat autem esse Pelagii tam ex Augustino qui eum Pelagio attribuit variis locis, quàm ex Commonitorio Marii Mercatoris auctoris contemporanei, quod legitur tom. 2. Conciliorum pag. 1512. Item *Epistolam* dedit *ad Demetriadem*
D Virginem tom. 9. eorumdem operum D. Hieronymi, ac post Epistolas D. Augustini, sæpius impressam: denique *Libellum suæ fidei*, ad Innocentium Romanum Pontificem tom. 2. eorumdem Conciliorum pag. 1563. Hæc de Pelagii Scriptis, qui defunctus circa annum 418.

De Polycronio. 420.

SUPPLEMENTUM.

POLYCRONIUS Apameæ Episcopus, Theodori Mopsuestiæ Episcopi frater, Diodori Tarsensis Episcopi auditor, scripsit teste Sixto Senensi in Bibliotheca sancta *Commentaria in Job & Ezechielem*,
E ex quibus multa Theodoretus Cyrensis desumpsit. Vixit sub annum 420. de quo Baronius in Gestis anni 433. Habetur sub nomine Diaconi Polycronii *Commentarius in Ecclesiasten & in Cantica Canticorum* in Bibliotheca Bavarica num. 49. & 50. Itemque *Commentarii in Cantica* Mss. in Bibliotheca Galliarum Regia. Viderint curiosi Antiquitatum, an habeant sæculum & mores Polycronii Apameæ Episcopi.

De Severo. 420.

SUPPLEMENTUM.

SEVERUS minoris insulæ Balearis Episcopus, Asclepiodoro & Mariniano Consulibus, hoc est anno Christi 423. Circularem ad omnes Ecclesias Epistolam misit *de Judæorum in ea Insula conversione deque miraculis ibidem factis ad Reliquias S. Stephani*, quas Paulus Orosius, quia in Hispaniam à Gothis obsessam transmittere non poterat, illic reliquerat. Ex Vaticana eam bibliotheca Baronius in Gestis anni 418. inter Annales edidit.

De Philostorgio. 420.

SUPPLEMENTUM.

PHILOSTORGIUS Arianus scripsit Historiam Ecclesiasticam lib. 12. incipientibus per duodecim litteras sui nominis usque ad annum 425. in quibus maximè favet Arianis, multisque in casibus S. Athanasium culpat. Incœpit Historiam Ecclesiasticam ab Arii in hæresim studio, & desiit in Gestis anni, quo post mortem Honorii, Theodosius junior Valentinianum Juniorem patruelem suum imperii consortem fecit, ut Photius in Bibliotheca Cod. 40. tradit, ubi plura de eo scriptisque narrantur. Nicephorus Callixtus initio operis sui *Deo invisum* vocat, nempè ob hæresim, eumdemque ut ineptum Eunomii laudatorem lib. 12. cap. 29. taxat. Suidas ex Philostorgio non pauca recitat variis in locis. Hoc opus eruit ex ms. Cod. Genevensi Jacobus Godefroy doctissimus Jurisconsultus impressum in 4. Genevæ anno 1652. sed & illud procuravit imprimi iterum anno 1673. Henricus Valesius Regius Historicus, cum Historiis Theodoriti & Evagrii Scholastici in fol. Parisiis apud Petrum le Petit via Jacobæa sub signo Crucis Aureæ.

De Evodio. 420.

SUPPLEMENTUM.

EVODIUS Uzalensis in Africa Episcopus, ad quem frequentes sancti Augustini Epistolæ extant, unus fuit ex quinque illis Africæ Episcopis, quorum litteras ad Innocentium I. Papam habemus. Hic scripto confirmavit miracula facta ad Reliquias sancti Stephani, quas ex Palæstina primus in Occidentem Orosius adtulerat. Ita de eo Augustinus lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. & de miraculis quæ fiebant apud Uzalim. Ita etiam scribit Sermone de Diversis 33. *apud Uzalim: Ubi est frater meus Episcopus Evodius, quanta ibi miracula fiant, quærite & invenietis.* Recitat ibidem de matre rogante Protomartyrem pro filio absque Baptismo defuncto, ad gratiam Baptismi suscipiendam resuscitato, leguntur *D. Augustini ad Evodium Epistolæ* 99. 100. 101. & 102. totidemque *Evodii ad Augustinum Epistolæ inter Augustinianas positæ* 98. 246. 247. 259. Estque unus ex illis quinque Episcopis, quorum apud Augustinum extat *Epistola* 95. *ad Innocentium Papam*. Scripsit etiam *Librum de fide seu de unitate Trinitatis contra Manichæos*, quem habes tom. 6. operum Divi Augustini, ut evincit Jacobus Sirmondus lib. de Historia Prædestinatiana cap. 1. ex fide trium Mss. Codd. & præcipuè Corbejensis Abbatiæ. De Evodio Sigebertus Gemblacensis libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 15. Aubertus Miræus in Auctario cap. 73. Possevinus in Apparatu sacro cum aliis. Floruit circa annum 420. & ultra.

De Leporio. 420.

SUPPLEMENTUM.

LEPORIUS vitam primùm professus Monasticam in Galliis, deinde in Africa promotus ad Sa-

A ad Sacerdotium, Pelagianorum erroribus imbutus est, ac Nestorianam etiam hæresim prædocuit. A Cassiano admonitus cùm adhuc in Galliis versaretur, ab sancto Augustino in Africa ad fidem Catholicam conversus, *libellum suæ emendationis seu fidei professionem edidit*; quam Aurelius Carthaginensis, sanctus Augustinus, Florentius, & Secundus Africani Episcopi probaverunt, & cum litteris de ejusdem Leporii conversione ad Proculum Massiliensem & Cilinium Aquensem in Galliis Episcopos miserunt. Quo præcisè anno, incertum, quamvis circa 425. hoc contingere potuerit juxta Labbeum in Chronologia Ecclesiasticorum Scriptorum. Circa 420. juxta Aubertum Miræum in Scholio ad caput 59. Gennadii Massiliensis de scriptoribus Ecclesiasticis. Hunc B libellum integrum Jacobus Sirmondus cum Victorii Afri, Isaaci & Capreoli Carthaginensis Episcopi & alterius Opusculis Dogmaticis, Parisiis anno 1630. primus in lucem edidit apud Sebastianum Cramoisy via Jacobæa sub Ciconiis. Immissus postea in Collectionem Conciliorum Editionis ultimæ Parisiensis anno 1671. tomo 2. pag. 1678. post primam Sirmondi Editionem. Ubi & quam ob causam scriptus sit præter Gennadium citatum cap. 59. de Scriptoribus, commemorant Cassianus libro de Incarnatione Christi cap. 4. Facundus Hermianensis lib. 1. cap. 4. quorum testimonia ex parte cum testimonio Joannis Papæ II. Epistola 3. ad Avienum & Cæteros Senatores, ad libelli finem adtexta sunt. Sed hunc C illi variis nominibus designant; Joannes Papa *Epistolam* vocat, Cassianus *flebiles confessionis & planctus litteras*, Gennadius *libellum emendationis*, Facundus *libellum satisfactionis*. Ad calcem Sirmondus adjecit sancti Augustini (ab hoc enim dictatum stilus indicat) Collegarumque Africæ Præsulum Epistolam, quam una cum Leporii libello, ut facti fidem facerent, miserant ad Episcopos Galliæ. Hujus etiam meminit Vigilius Tapsensis lib. 2. de Trinitate, & ante hos omnes sanctus Leo Papa in Collectione testimoniorum SS. Patrum pro asserenda veritate duarum naturarum in Christo, subnexa ipsius Epistolæ ad Leonem Imperatorem. Laudat sanctus Leo verba illius Leporianæ Confessionis, sed sub nomine D sancti Augustini, cui etiam attribuitur in illo testimoniorum delectu, quem habet Actio 2. Concilii Calcedonensis. Quare hunc libellum à sancto Augustino conscriptum asserit & probare contendit vir eruditus Paschasius Quesnel Presbyter Congregationis Oratorii, in notis ad Epistolam 134. sancti Leonis Papæ.

De Ausonio Poeta, 420.

AUSONIUS POETA, S. Maximi æqualis, scripsit multa prophana, scripsit etiam *epistolas aliquas* carmine *ad sanctum Paulinum Nolanum*, & extat sub ejus nomine ad Paulinum *precatio matutina ad Deum*, & inter opera Ausonii *egregium carmen de* E *Resurrectione dominica*, ex quo Christianus fuisse intelligitur, quamvis de Diis gentium multa scripserit, more Poetarum.

Dissertatio Historica.

DECIMUS Magnus Ausonius, Patria Burdegalensis, Gratiani Imperatoris præceptor fuit, à quo ad Consularem dignitatem evectus, cum Olybrio purpuram gessit anno Christi 379. Plures adhuc annos superstes fuit, saltem usque ad annum circiter 392. quo ad S. Paulinum, discipulum olim suum, in Barcinonensibus desertis latitantem, aculeatas scripsit epistolas, & ab eodem responsum accepit. Quo autem obierit anno non constat. De ejus carminibus aliisque scriptis, in quibus de se suisque non pauca immiscuit, videsis amabo Eliam Vinetum Santonem, & Josephum Scaligerum Agennensem, qui doctissimis commentariis illa illustrarunt. Quam falsa sunt quæ de eo scripsit Jo: Trithemius quivis vel ex ipsa lectione intelliget: Ausonius, inquit, Episcopus Burdegalensis, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in sæcularibus litteris suo tempore nulli secundus, metro excellens, & prosa non minus sanctitate quàm eruditione clarus effulsit: qui apud Treverim in Concilio sub Maximo principe una cum SS. Martino, Ambrosio, & Hieronymo Presbytero multa præclara gessit. Quod verò subdit claruisse sub Maximo anno CCCX. levi mutatione sanabitur CCCXC.

De Synesio Episcopo, 420.

SANCTUS SYNESIUS Episcopus Ptolemaidis, vir fuit admirandæ sanctitatis, & doctrinæ, floruit tempore Theodosii junioris ad quem scripsit *librum*, ut Evagrius testatur libro 5. histor. cap. 15. scripsit etiam *plurimas & elegantissimas epistolas*. Extant etiam in 8. tomo Bibliothecæ SS. Patrum editionis secundæ Synesii hymni decem, sed anno 1612. prodierunt opera omnia Synesii Parisiis.

Dissertatio Historica.

SYNESIUS, patriam nactus Cyrenen, Pentapoleos in Libya Ægypto proxima nominatissimam urbem, ab ineunte ætate, ut ex epistola 57. adversus Andronicum discimus, Philosophiæ operam dedit, Alexandriæ Magistra in primis usus Hypatia, Theonis præstantissimi Mathematici filia, quæ ut ex Socrate constat anno demum 415. à populo primùm testis obruta est, tum membratim discerpta, fuitque inter Sophistas sui temporis nominatissimus, uxorem duxit, quatuorque ex ea filios suscepit, Legatione pro patria sua per triennium functus est Const. apud Arcadium Imp. circa annum 400. ad quem habuit Orationem de Regno: dein anno 410. Episcopatum Cyrenes sive Ptolemaidis patriæ suæ invitus capessere coactus est, ordinatus à Theophilo Alexandrino Patriarcha sub Theodosio juniore Arcadii filio. Quamdiu in sacra illa ministratione vixerit, quove anno obierit, à nemine proditum est. Plura Petavius noster in primo notarum suarum limine, ubi de Vita ac scriptis Synesii eruditissimè disputat: strictim verò quædam perstrinxerunt Evagrius libro 1. Historiæ cap. 15. Joannes Moschus cap. 195. Prati spiritualis, Photius tmemate 26. Bibliothecæ, Suidas, Nicephorus, atque ex recentioribus Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, Possevinus in Apparatu sacro, aliique.

Omnia illius opera ex officina Cramosiana Græcè & Latinè prodierunt interprete R. P. Dionysio Petavio Aurelianensi S. J. T. cujus studio ex veterum, præsertim Christianissimi Francorum Regis, codicum fide recensita, ac notis illustrata, altera editione anno 1633. (prior enim exierat è prælo anno 1612.) multò accuratiora & uberiora, servato hoc ordine:

De Regno ad Arcadium Imperatorem. Dio, vel, *de ipsius vitæ instituto. Calvitii encomium. De Providentia libri duo. De insomniis. Epistola numero* 155. *Homilia in Psalmum* 74. omnia hæc uno eodemque interprete laudato jam Dionysio Petavio. *Homilia in pervigilio Natalis Domini*, Federico Morello Professorum Regiorum Lutetiæ Parisiorum Decano interprete. *Catastasis in maximam Barbarorum excursionem. Profecto*

Genna-

Gennadio & Duce Innocentio, Dionysio Petavio interprete. *Catastasis in laudem Anysii*, Federico Morello interprete. *De dono Astrolabii, sermo ad Pæonium*, eodem interprete. *Hymni decem*, Francisco Porto Cretensi interprete.

Nicephori Gregoræ (qui perperam Patriarcha Conft. vocabatur) Commentarius, seu explicatio in librum Synesii de Insomniis, Græcè & Latinè ex versione Antonii Pichonii apud Turones Regii Professoris à Fed. Morello anno 1586. excuderat ejusdem Pichonii Latinam libri de Insomniis interpretationem.

Ad Synesii opera Notæ Dionysii Petavii cum Diatriba in quatuor capita distributa de Pœnitentia & reconciliatione veteris Ecclesiæ moribus recepta, ac Velitatione adversus Joannis Croyi Biterrensis Calvinianorum Ministri, Restitutoris nominum Dæmorum, &c. Specimen conjecturarum & observationum totidem capitibus comprehensa.

Joannes Maria Brasichellanus in Romano Indice observat, Hymnos Synesii Græcè ab Henrico Stephano editos & Latinè translatos fuisse à Francisco Porto Cretensi: qui cùm sint hæretici primæ Classis eorum editionibus aut versionibus nullo pacto fidendum, addit an. Domini 1603. Turnoni ad Rhodanum ex Offic. Guillel. Linocerii prodiisse eosdem Græcè & Latinè cum eruditis Scholiis, opera, ut credebatur, Patrum Societatis JESU, quos securius legi ac versari posse admonet.

Subjungit ad hæc, Synesium, qui diutius antè Philosophus Ethnicus vixit, Platonica quædam seu Pythagorica nonnumquam suis hymnis inservisse, præsertim cùm de Trinitate loquitur, vix Poeticis numeris potuisse retinere exactam illam loquendi rationem, quam Theologia in Mysterio sacræ Triadis servandam præscribit.

De sancto Paulino Nolano. 420.

SANCTUS PAULINUS Episcopus Nolanus æqualis fuit Ausonii, vel potius aliquanto junior: notus fuit opinione sanctitatis Ambrosio, Martino, Hieronymo, Augustino, Sulpitio: obiit anno Domini 431. ex Card. Baronio tom. 5. Annalium. Scripsit *Epistolas elegantes, & pias.*

Ad Sulpitium Severum, 14. *Ad Delphinum Episcopum*, 5. *Ad Amandum Episcopum*, 6. *Ad Victricium*, 2. *Ad Aprum*, 3. *Ad Florentium*, 1. *Ad Alithum Episcopum*, 1. *Ad incertos de Gazophilacio*, 1. *Ad Desiderium*, 1. *Ad Macharium*, 1. *Ad Pammachium*, 1. *Ad Jovium*, 1. *Ad militem quemdam*, 1. *Ad Sebastianum Eremitam*, 1. *Ad Augustinum*, 3. *Ad Alypium*, 1. *Ad Romanianum*, 1.

Scripsit etiam Poemata, quæ sunt:

Ad Jovium epistola carmine scripta. Ad Ausonium epistolæ quatuor carmine scriptæ. Ad Citherium de naufragio, 1. *De natali Celsi pueri*, 1. *De natali sancti Felicis Nolani*. 10. *De reditu Nicetæ in Daciam*. 1. *Psalmi tres Davidis metricè decantati. Extant præterea in Bibliotheca SS. Patrum tomo* 8. *secundæ editionis Libri sex de vita S. Martini carmine conscripti.*

Observatio I.

Tribuitur à nonnullis sancto Paulino Nolano vita sancti Ambrosii, sed vita illa Paulini non est hujus Nolani, ut non solùm stylus ipse diversissimus docet, sed etiam quia ille Paulinus S. Ambrosio, ut adminifter assistebat, etiam tempore mortis ejus: imò ut Clericus sub cura Casti diaconi, A amanuensis fungebatur officio, ut ipse indicat in vita beati Ambrosii. S. autem Paulinus numquam astitit S. Ambrosio ut minister, sed multo ante mortem ejus Presbyter erat, & à beato Ambrosio in numero sacerdotum Ecclesiæ suæ habebatur, ut ipse scribit in epistola ad Alipium.

Observatio II.

Libri sex de Vita sancti Martini non possunt esse sancti Paulini Nolani, auctor enim eorum librorum meminit Paulini Nolani, & se ejusdem nominis esse testatur, & sextum librum scribit ad Perpetuum Episcopum Turonensem, qui sedit sub anno 470. B

Observatio III.

Porrò inter opera sancti Paulini fertur etiam carmen Eucharisticum de vita sua; sed non est ejus: ille enim auctor scribit res gestas suas usque ad annum vitæ octogesimum tertium. At Sanctus Paulinus non excessit annum 78. ut ex Card. Baronio constat. Denique tribuit Gennadius S. Paulino librum de pœnitentia, & alium de laudibus Martyrum, qui non extant.

Dissertatio Historica.

C SANCTUS PAULINUS, Nolanus Episcopus (*a*), (quem integra appellatione dictum fuisse volunt, Meropium (Eutropium alii aut Neropum) Pontium Anitium Paulinum) natus in Aquitania II. circa annum Christi 353. aut Burdigalæ aut non procul ab ipsa in oppido Ebromago inter Burgum & Blaviam, discipulus Ausonii Poetæ, Consulatum Romæ gessisse dicitur anno 375. tum baptizatus Burdigalæ à S. Delfino urbis illius Episcopo secessit cum Therasia conjuge sanctissima in deserta Pyrenæorum montium & Barcinonenses campos: deinde Presbyter ab Eulampio Barcinonensi Præsule ordinatus ipso Natali Christi Domini, seu, ut loquitur epist. 6. ad Severum, die quo Deus nasci D carne dignatus est, exeunte anno Christi 393. ea tamen lege, ut nulli manciparetur Ecclesiæ. Quare Hispania relicta Italiam petiit, ac Mediolano, ubi à S. Ambrosio benignissimè exceptus, Romam ingressus est Siricio Romano Pontifice, unde paulò post Nolam venit ad optatum Ecclesiæ S. Felicis portum, in cujus honorem plurimos versus fudit. Quo anno factus sit Nolæ Episcopus, non constat: quòve ductus sit in Africam, & ad quem Vandalorum Principem. Hoc certum, inde reversum Nolæ obiisse ætatis anno 78. Christi 431. die 22. Junii. De eo SS. Ambrosius, Hier. Aug. atque Gregorius, Ausonius, Severus Sulpitius, Eucherius, Prosper, Idatius, Cassiodorus, Gennadius cap. 48. E Catalogi, Sigebertus cap. 14. qui duo asserit, quorum saltem alterum falsum est, nimirum ad S. Augustinum scripsisse vitam S. Ambrosii Mediolanensis Episc. Quod verò addit de vita S. Felicis Nolani verificè scripta; id de Natalibus accipi potest, Honorius Augustodunensis, & alii, quique ei morienti adfuit Uranius, licèt non tam vitam ille scripserit, quàm felicem ad superos transitum. Ex recentioribus Trithemius qui malè cum Paulino vitæ sancti Ambrosii scriptore confudit. Elias Vinetus, Josephus Scaliger, Baronius, Possevinus, quique integram ejus vitam ex veteribus monimentis ingeniosissimè concinnavit R. P. Franciscus Sacchinus Soc. JESU, quam tacito auctoris nomine Antuerpiæ publicavit anno 1622. R. P. Heribertus Rosvveidus ejusdem Societatis Theologus, qui editionem omnium operum

rum sancti Paulini typis Plantinianis in 8. eodem anno 1622. procuravit cum suis & R. P. Frontonis Ducæi Burdegalensis ex eadem Societate eruditissimis notis & observationibus, hoc servato ordine.

Epistolæ numero L.

Ad Severum Sulpitium quatuordecim. Ad Delphinum Burdegalensem Episcopum quinque. Ad Amandum Burdeg. Epist. sex. Ad Sanctum & Amandum una. Ad Victricium Rothomagensem Epist. duæ. Ad Aprum una. Ad Aprum & Amandum duæ. Ad Florentium Episc. Cadurcensium una. Ad Alethium una. Epistola sive Declamatio de Gazophilacio. Ad Desiderium. Ad Macarium. Ad Pammachium. Ad Jovium cum poemate ad eumdem. Ad quemdam militem. Ad Sebastianum Eremitam. Ad S. Augustinum Hipponensem Episcopum quatuor: Ex ejus operibus depromptæ. *Ad Alipium Tagastensem Epist. una*: Inter Augustinianas 35. *Ad Romanianum Licentii patrem*: Inter Augustinianas, 36. *Ad Ruffinum duæ*, quæ habentur inter opera ejusdem Ruffini. *Ad Marcellam una*, quæ Tomo IX. Hieronymi jacet inter incertas. *Ad Celantiam una*, quæ reperitur inter Hieronymianas ordine quarta. *Sequitur Martyrium S. Genesii Arelatensis*, apud Surium die 25. Augusti.

Antequam verò pergam ulterius tacere hîc non possum inscitiam impudentiamve Joannis Gerhardi Senensis Matæologi, qui pag. 406. insulsissimè suæ Patrologiæ Epistolas S. Paulini industria S. Amandi Burdegalensis Ep. conservatas suppositititias nugatur: additque epistola 11. de Ligno Crucis scribi, quòd habeat ea virtutem incorruptibilem, &c. quæ fabula adeo crassa est, ut Censores constituti ad præscriptum Concilii Tridentini Ind. Expurg. mandarint eam deleri. Quod crassissimum est effrontis hominis mendacium: si tamen ejus, non autem alterius Heterodoxi, ex quo hæc, ut cætera omnia, corraserit, satius longè fuerat observare libros sex de vita S. Martini carmine conscriptos non esse S. Paulini, quod monuit Bellarminus, quem exscribere solet, observatione secunda. Verùm non inciderat bonus ille Patrologus in editionem Cramosianam anno 1617. & consequentibus excusam Parisiis, Coloniensi, Lugdunensi, cæterisque locupletiorem. Hanc enim ut alias duas tacito Bellarmini nomine transcribere non omisisset.

Poemata aut fragmenta num. 32.

Ad Gestidium duo. Matutinæ precationes duæ. De Joanne Baptista. Psalmi 1. 2. & 136. Ad Ausonium epistolæ quatuor. Ad Cytherium de naufragio Martiniani, & de filii ipsius Cytherii eruditione. Epithalamium in Julianum & Jam. De obitu Celsi pueri panegiricus. S. Felicis Natales 10. integri. Fragmenta Natalium 11. 13. 14. 15. Natalis incerti fragmentum. De Niceta Episcopi reditu in Daciam. Ad conjugem suam exhortatio, quæ minus commodè à Rosvveido tribuitur Paulino, cùm sit Prosperi, ut omnes ejus operum editiones agnoscunt, & fatetur Venerabilis Beda. *Fragmentum Poematis de Regibus ex Svetonio collectis* ex Ausonii epistola 19. ad Paulinum.

Omisit scitè Rosvveidus idem, tum Eucharisticum carmen de vita sua, cujus auctor fuit Paulinus alter σύγχρονος, & Ausonii ex filio, vel ut alii fratre Hesperio nepos, qui ad annum usque vitæ suæ 83. pervenit, tum libro sex carmine Heroico scriptus ad Perpetuum Turonensem Antistitem de vita S. Martini ejusdem urbis Episcopi, qui Tomo VIII. Bibliothecarum Parisiensium Veterum Patrum & in Coloniensi ac pluribus aliis Poetarum Collectionibus

A Paulino nostro adjudicantur, cum versibus de visitatione neopotuli sui, & perbrevi de orantibus opusculo, quæ primùm carmina Franciscus Juretus ex codice V. C. Petri Pithæi cum notis ediderat. Sex tamen illi libri de Vita S. Martini pertinent ad Paulinum, patria Petricordium seu Petrocorium, qui 30. aut 40. circiter annis ab obitu S. Paulini Nolani Episcopo opus illud suum dicavit Perpetuo Turonensi Archiepiscopo, qui præfuit Concilio Turonensi anno 480. Vide Sirmondi τȢ μακαρίτȢ notas ad Sidonium Apollinarem, Bellarmini observationem secundam in editione omnium amplissima & castigatissima libelli de Scriptoribus Ecclesiasticis anno 1617. Parisiis apud Sebastianum Cramosium aliisque consequentibus emissa, Hubertum Miræum qui Sirmondi vestigiis diligenter insistebat, aliosque eruditos.

B Ejusdem S. Paulini Nolæ Episcopi nomine edita est Tomo III. Parisiensium Bibliothecarum Epistola ad Faustum Regiensem Galliarum Episcopum de variis quæstionibus. Verùm alterius esse tempora vel me tacente manifestant, quemadmodum infra in Fausto Regiensi observabimus & ante nos monuit Joannes Maria Brasichellanus in Expurgatorio indice Romano, ejus fortasse Paulini quem inter Salvianum Presbyterum Massiliensem & Hilarium Arelatensem Antistitem inseruit Gennadius cap. 68. Catalogi, auctoremque dicit Tract. de initio Quadragesimæ, de die Dominico Paschæ, de obedientia, de pœnitentia,

C de Neophytis, &c. sed de nostro Paulino eique cognominibus ex occasione modo satis: miror tamen à Bellarmino omissum Paulinum, qui S. Ambr. Mediolanensis Præsulis vitam conscripsit ad S. August. de quo nos suo loco faventibus superis. Interim moneo insulsum fuisse de illius vitæ auctore judicium prolatum à Desiderio Erasm. in Præfatione ad libros S. Ambrosii: Idem est Artifex, qui tam multa contaminavit in Scriptis Hieronymi & Augustini natus ad hunc ludum: Habebat Historiam Ambrosianæ vitæ, ei attexuit præfationem lepidam, intertexuit interlocutiones, addidit coronidem & aliquot prodigia affinxit. Conferat, qui volet, Paulini Nolani stylum cum hujus assutis pannis, &c. En quò ferat

D hominem præceps censendi ac judicandi cacoethes: quod in Heterodoxis frequentissimum reperitur.

(*a*) Quem tanti fecit S. Hieronymus ut diceret: Paulinus in Epistolari studio propè Tullium repræsentans, voce me provocat ad scribendum, terret eloquentia. Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ tribuit de Benedictionibus Patriarcharum juxta allegoriam Latino ac nitido sermone librum unum, ad imitationem Ruffini Aquilejensis Presbyteri, à quo epistolis impetraverat ejusdem argumenti libros duos. Verùm nec extat liber ille, nec ejus ulla mentio apud Gennadium capite Catalogi supra laudato.

SUPPLEMENTUM.

E PAULINUS qui & Pontius Meropius, ex Senatoribus tum paterno tùm materno genere Romanis, Patre Paulino Burdigalæ in Aquitania natus anno Christi exeunte 353. vel ineunte 354. ab Ausonio Rethoricis & Poeticis artibus institutus Consul suffectus est, non ordinarius. Dives valde Therasiam piam & locupletem duxit uxorem, cujus hortationibus, sanctorumque Episcoporum & Presbyterorum suffragiis anno exeunte 389. ad Christum conversus est ætatis anno 36. à Delphino, Burdegalensi Episcopo baptizatus, in Hispaniam cum piissima conjuge Therasia secessit ante annum 390. seu exeunte 389. ubi quatuor completos annos commoratus, ex ea suscepit filium, qui sub octavum ab ortu diem defunctus Compluti sepultus

est. Inde Paulinus se Deo dicat & consecrat: ac Monasticam vitam amplectitur; vendit prædia & pecuniam pauperibus erogat anno 392. Tum exeunte 393. Barcinone facto multitudinis impetu à Lampio Presbyter ordinatur invitus die Dominica Nativitatis Christi, ætatis anno 394. & Florentiæ peramanter exceptus est ab Ambrosio, qui illum Clero adscribere suo voluit; ut etsi diversis in locis degeret, tamen Mediolanensis Ecclesiæ Presbyter censeretur. Hinc Romam se contulit, ubi dum honorificè admissus est à Populo & Proceribus Urbis, sensit, Siricii Papæ & quorumdam Romanæ Ecclesiæ Clericorum invidiam: quamobrem paucis post diebus Nolam se recipit, & ibi consistit una cum conjuge. In morbum incidit anno 395. & ab Africæ & Campaniæ Episcopis Clericis & Monachis invisitur. Sanctissimo Capuanæ Ecclesiæ Presbytero Basilio, magna vi ereptam domum restitui impetrat. In Paulini gratiam scribit Anastasius Papa anno 399. ad Episcopos Campaniæ, eodemque tempore gravi & diutino morbo laborat Paulinus. Anno 402. à Niceta Dacorum Episcopo & à Melania seniore invisitur, Basilicas anno 403. Nolæ ædificat, itemque Fundis Ecclesiam construi jubet. Ipsius fratre mortuo, Paulinus exeunte anno 409. Nolæ creatur Episcopus, ætatis anno 56. Nola à Gothis capta anno 410. nihil mali Paulino illatum est, imò apud eum se recipiunt Paulini duo unus Presbyter, alter Laicus. Ad Synodum Ravennam anno 419. ab Imperatore invitatur, ut Romanæ Ecclesiæ Schisma componat. Anno 431. mense Junio gravissimo laterum dolore correptus, à duobus Episcopis invisitur triduo ante obitum, cum quibus ante lectulum offert Deo sacrificium. Ad Ecclesiæ communionem revocat à sacris Mysteriis extorres, postridie cum suis matutinum persolvit Officium; & data pace omnibus Ecclesiæ suæ Clericis, circa horam decimam in nocte cubiculum in quo jacebat, motu terræ concutitur, ac paulò post animam Deo reddidit anno Christi 431. die 22. Junii, ætatis anno 78. Vultus ejus niveo candore & totum corpus resplenduit, Pagani & Judæi ingenti fletu & scissis vestibus ad ejus exequias una cum Christianis convenerunt, Nolæque in Basilica sancti Felicis sepultus est, qui anno 432. evocavit ad cœlos sanctum Joannem Neapolitanum Episcopum. Hanc vitæ Epitomen ex nupera editione operum sancti Paulini verbo tenus, huc transtulimus.

De Scriptis sancti Paulini ad plenum agunt Bellarminus & Labbeus *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*: nos tantùm attingemus breviter varias illorum editiones. Prima eorum editio prodiit Lutetiæ Parisiorum an. 1516. typis Jodoci Badii Ascensii, in multis lacera, in nonnullis mutila, ac etiam à censore ipso Badio depravata. Secunda est editio Henrici Gravii Dominicani, qui anno 1560. Coloniæ sub prælo Choliniano Paulini opera multis mendis repurgavit ex veteribus mss. Exemplaribus. Inde tertia prodiit Basileæ anno 1569. inter Orthodoxographos à Joanne Jacobo Grinæo collectos, quæ videtur ex Manuscriptis post priores editiones expressa. Quartam cum ms. Codice collatam immisit Andreas Schottus Jesuita in Coloniensem Bibliothecæ Patrum editionem anni 1618. addito Epithalamio Juliani & Ibæ nondum excuso. Quintam & postremam editionem anno 1622. Antuerpiæ curavit & typis Plantinianis commisit Heribertus Rosvveidus SOC. JESU, vir pius & eruditus, sed tot occupationibus implicatus, ut cum tempus non sufficeret, aliorum sæpè studiis uti cogeretur, & succedaneam dumtaxat imponeret manum. Illam profecto editionem accuratam non existimavit ejusdem

A Societatis Petrus Franciscus Chiffletius, qui ad novam sancti Paulini operum editionem procurandam multa in medium protulit in suo *Paulino illustrato*, quem edidit in 4. Divione anno 1662. apud Viduam Philiberti Chavantii. Tandem jam sub prælo novo sunt Sancti Paulini opera, in 4. duobus tomis evulgata anno 1684. Parisiis apud Edmundum Couterat via Jacobæa sub signo sancti Petri, collata ad plurimos mss. Codices, illustrata notis ac lectionibus variantibus cura ac studio Domini Joannis Baptistæ le Brun doctissimi Presbyteri, cujus laboribus accedere nihil potest.

De Severo Sulpitio. 420.

B SEVERUS SULPITIUS æqualis, & amicissimus fuit S. Paulini, ut notum est ex epistolis invicem scriptis.

Scripsit *libros duos de sacra historia.* Item *vitam sancti Martini Episcopi Turonensis.* Item *dialogum de conversatione Orientalium Monachorum*, in quo interlocutores sunt Gallus, & Postumianus: cujus dialogi meminit S. Hieronymus lib. 11. in Ezechielem cap. 16. Item *epistolas multas*, quarum meminit Gennadius in libro de viris illustribus, qui etiam Gennadius addit, hunc Severum in senectute à Pelagianis deceptum, agnovisse cito errorem suum, & silentium usque ad mortem tenuisse, ut vitium loquacitatis
C taciturnitate deleret.

Observatio.

Severi Sulpitii libri de sacra historia, & dialogi de conversatione Orientalium cautè legendi sunt.

In libro primo de sacra historia dicit, filios Dei, qui filias hominum adamaverunt, fuisse Angelos: quod refellitur à Chrysostomo in cap. 6. Genesis, & ab Augustino lib. 15. de Civitate Dei cap. 23. & aliis probatis auctoribus. Dicit sacerdotes qui habent possessiones immemores esse præcepti dominici dati quondam Levitis. At Levitæ possessiones habebant, quin etiam oppida & suburbana eorum Levit. 25.
D quare Hieremias ex genere Sacerdotum agrum vendidisse legitur Hierem. 32. & Barnabas Levites agrum similiter quem possidebat, vendidit, Actor. 4. Dicit præterea templum fundatum fuisse anno 588. ab egressu filiorum Israel de Ægypto. At scriptura 3. Reg. 6. notat annos 480.

In dialogo dicit, Ecclesiam auro non strui, sed destrui. Reprehendit Episcopos, qui libros Origenis damnaverunt. Scribit conjugium ad veniam pertinere, Virginitatem ad gloriam, fornicationem ad pœnam. Dicit ex sententia sancti Martini Neronem simul cum Antichristo venturum, & Antichristum ex malo spiritu concipiendum. Denique notatur à Sancto Hieronymo in cap. 36. Ezechielis erroris eo-
E rum, qui novam Hierusalem auream, & gemmatam expectant.

DISSERTATIO HISTORICA.

SEVERUS, cognomento Sulpitius, genere, divitiis, ac litteris in Aquitania Provincia nobilis, ac deinde Primuliacensis Presbyter (libro secundo Historiæ sacræ Servationem Tungrorum, Phæbadium verò vocat Episcopum suum & ex epistolis habitasse in Nitiobrigibus, vel in Volscis, Tolosæ atque Elusone colligitur) claruit sub finem quarti sæculi SS. Martino, Augustino, Paulino, aliisque valdè familiaris. Vixit quoque sæculo quinto usque ad annum circiter 420. & disseminatas à Pelagianis adversus Christi Gratiam & Originale pecca-

tum

tum hæreſes, quibus adhæſiſſe videtur ex Gennadio, qui ſic ait cap. 19. Hic in ſenectute ſua à Pelagianis deceptus, & agnoſcens loquacitatis culpam, ſilentium uſque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret. De eodem S. Paulinus Nolanus Ep. in epiſtolis quas ad eum ſcripſit numero quatuordecim ex iis, quæ ſuperſunt, & primo loco ſunt à Roſweido noſtro collocatæ. S. Hier. in Ezechielis caput 36. S. Auguſtinus ep. 25. (neque enim in medium hic proferendas reor ab impoſtore quodam confictas Auguſtini ad Cyrillum Hieroſolymitanum Ep. & Cyrilli ad Auguſtinum de laudibus & miraculis S. Hieronymi epiſtolas quas Lovanienſes in Appendicem rejecere) Paulinus Petracorius libro 5. Carminum de vita S. Martini, ubi dicitur, inſignis mundi titulis, & nobilitate potens, Idatius in Chronico, Gelaſius Papa in Decreto, ubi Poſtumiani & Galli opuſcula refert inter apocrypha, Gregorius Turonenſis libro 1. de miraculis S. Martini, & in Hiſtoria Francorum, Honorius Aug. libelli 2. cap. 19. qui falsò tradit Severum non Martini tantùm, ſed etiam Paulini ſcripſiſſe vitam, atque ex recentioribus Trithemius, Sigonius, Geleſinius, Giſelinus, Bar. Bell. Poſſ. Joannes Maria Braſichellanus, Joſephus Scaliger, Nicolaus Faber, Gaſpar Barthius, Gerardus, Joannes Voſſius, Miræus, &c. Quo anno quove die obierit n. l. nec parum hallucinati ſunt, qui Sulpitium ſeverum ad diſtinctionem Pii ſic cognominatum cum ſevero Sulpitio confuderunt, atque hunc Bituricenſibus Archiepiſcopis annumerarunt: vide Tomum II. Novæ Bibliothecæ Mſſ. librorum pag. 32.

Extant ejus opuſcula, & ſeorſim edita, & in Orthodographis & Bibliothecis Veterum Patrum, nec defuere viri pereruditi, qui ea Commentaris illuſtrarunt Victor Giſelinus, Petrus Galeſinius, Carolus Sigonius, Joannes Druſius, necnon Joannes Pillæus J. C. qui Gallicè vertit ejus Hiſtoriam, ut nuperos quoſdam, tum editores, tum Interpretes prætermittam, Editionem Lugduno-Batavam anno 1647. in 8. procurante Georgio Hornio hic tibi, Lector, repræſentabo.

Hiſtoriæ Sacræ libri duo à mundi exordio ad ſuam memoriam, hoc eſt ad annum uſque æræ Chriſtianæ 400. Conſulibus Stilicone & Aureliano, perducti, videntur illo ipſo anno ad finem vergente ſub Autumnum finiti, paulò ante quàm S. Martinus Turonenſis, ſummus ejus amicus atque optimus pater, ad ſuperos evolaret die 11. Novembris ejuſdem anni 400. Quòd ſi prius, ut quidam volunt, annis nimirum aut 395. aut 397. vita deceſſiſſet, illud non videtur fuiſſe ſilentio prætermiſſurus Severus.

De Beati Martini vita liber, cum Præfatione ad Deſiderium. *Epiſtola prima ad Euſebium Presbyterum contra æmulos virtutum B. Martini. Epiſtola altera ad Aurelium Diaconum, de obitu & apparitione B. Martini. Epiſtola tertia ad Baſſulam ſocrum ſuam, quomodo B. Martinus ex hac vita ad immortalem tranſierit*. Videntur autem jam excidiſſe epiſtolæ illæ, quas ad amorem Dei & contemptum mundi hortatorias ſorori ſuæ ſcripſerat, necnon ad Paulinum, & alios.

Dialogi tres interlocutoribus Gallo & Poſtumiano ſe mediante & judice. I. de converſatione & virtutibus Monachorum Orientalium. II. de virtutibus Beati Martini. III. De eadem re. Tres inciſiones collationis illius vocat Gennadius, docetque in earum priore Severum referre ſuo tempore apud Alexandriam in Synodo Epiſcoporum decretum fuiſſe, Origenem cautius à ſapientibus pro bonis legendum, & à minùs capacibus pro malis refutandum. Cap. 4. Dialogi primi hæc de ſancto Hieronymo Poſtumianus plurimùm obſervanda: Ego apud Hieronymum ſex menſibus fui: cui jugis adverſus malos pugna perpetuumque certamen concivit (ſic enim legendum ac interpungendum moneo) odia perditorum. Oderunt eum Hæretici, quia eos impugnare non deſinit; oderunt Clerici, quia vitam eorum inſectatur & crimina. Sed planè eum boni omnes admirantur & diligunt; nam qui eum hæreticum eſſe arbitrantur, inſaniunt. Verè dixerim Catholica hominis ſcientia ſacra doctrina eſt. Totus ſemper in Lectione, totus in libris eſt, non die non nocte requieſcit: aut legit ſemper aliquid, aut ſcribit. Hæc ille, quæ omnibus Imperatorum trophæis & Rhetorum elogiis anteferenda arbitror.

SUPPLEMENTUM.

SEVERUS SULPITIUS de cujus laudibus & Scriptis Bellarminus & Labbeus in opere ſuo *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Poſſevinus *in Apparatu ſacro*. Hujus Operibus ſæpius impreſſis cum notis etiam & Commentariis, addo duas inſignes Epiſtolas ad ſororem ſuam quas primus evulgavit Stephanus Baluzius tom. 1. Miſcellaneorum ſuorum pag. 329. Itemque alias quinque in Spicilegio Lucæ Dacherii evulgatas ex mſ. Cod. tom. 5. pag. 532. magnum veteris ac venerandi Scriptoris Supplementum.

De ſancto Luciano. 420.

SANCTUS LUCIANUS Presbyter vixit tempore Honorii, & Theodoſii junioris Impp. ſcripſit *librum de inventione corporum ſancti Stephani, & aliorum*, quæ ipſe divina revelatione invenit: hic liber extat apud Lipomanum, & Surium die tertio Auguſt. Eodem tempore ſcripti ſunt libri duo de miraculis ſancti Stephani ad Evodium Uzalenſem Epiſcopum: ſed quia nomen auctoris ignoratur dicuntur libri Evodii.

DISSERTATIO HISTORICA.

LUCIANUS Presbyter, vir ſanctus Gamaliele revelante, S. Stephani primi Martyris & quorumdam aliorum ſanctorum reliquias invenit anno Chriſti 415. Joanne Epiſcopo Hieroſolymis præſidente menſe Decembri Honorio X. & Theodoſio VI. Aug. Coſſ. & epiſtolam ad omnes Eccleſias ſcripſit una cum S. Avito Presbytero Bracarenſi, qui tunc in Hieroſolymis degebat, ut docent Idatius Lemicenſis eùm in Faſtis tum in Chronico Gennadius Maſſilienſis cap. 46. & ſequenti, ubi aſſerit eumdem Avitum Presbyterum, Hiſpanum genere, ante relatam Luciani Presbyteri ſcripturam in Latinum tranſtuliſſe ſermonem, & addita epiſtola ſua per Oroſium Occidentalibus edidiſſe, Marcellinus Comes in Chronico, Honorius lib. 2. cap. 46. Nicephorus Call. libri 14. cap. 9. Beda, Uſuardus, Ado, aliique Martyrologi, Sigebertus cap. 15. Evodium Uzalenſem in Africa Epiſcopum tradit ſcripſiſſe librum de Miraculis in Africa oſtenſis per reliquias Stephani Protomartyris quas detulit in Africam Oroſius S. Auguſtini diſcipulus: Verùm libri duo, qui modo habentur præ manibus omnium, ad Evodium quidem illum conſcripti ſunt, ſed non ab ipſomet Evodio, de quo & ſupra diximus alia occaſione. Scripſit quoque Severus Balearis inſulæ minoris Epiſcopus de miraculis ope S. Stephani perpetratis, qua de re univerſa vide Baronium an. 415. 417. 418. in notis ad Martyrologium Romanum, ex S. Auguſtino libro

22. de Civitate Dei cap. 8. quod solum sufficere potest homini ἀληθοφίλῳ ad execrandam Lutheri, Calvini, Bezæ, similiumque Apostatarum impietatem, ne tres ejus sermones de diversis & Epistolam 103. ad Quintianum commemorem, S. Prospero Aquitano ut dicitur lib. de prædictione dimidii temporis cap. 6. Greg. Turonensi, aliisque.

Luciani narratio & epistola Aviti, extant apud Surium die 3. Augusti, in Historia Patrum Laurentii Barræi, aliisque libris insertæ.

De Paulo Orosio. 425.

PAULUS OROSIUS Presbyter Hispanus, sancti Augustini discipulus, scripsit ad ipsum S. Augustinum *libros septem historiarum ab orbe condito*, in quibus potissimùm clades Romanorum describit, quas dum Idola colerent acceperunt.

Dissertatio Historica.

PAULUS Orosius, Hispanus, Tarracone ortus, S. Augustini discipulus, vir eloquens & Historiarum cognitor, floruit initio quinti æræ Christianæ sæculi sub Honorio Imperatore circa annum 415. à S. Augustino in Palæstinam ad S. Hieronymum missus pro discenda animæ ratione, cùm rediret anno 416. repertas paulò ante S. Stephani Protomartyris reliquias primus intulit Occidenti, & in Africam secum deportavit innumerabilibus miraculis quibus Lutherana, Memnoniana, & Calvinistica impietas invictissimè atteritur, per insignes, ut ex Augustino libro 22. de Civitate Dei, Anonymo ad Evodium Uzalensem Ep. Severo Minoricensi Ep. aliisque constat. De eo Gennadius cap. 39. Catalogi, & ex eo Honorius, Cassiodorus cap. 17. Divinarum Lectionum, Trithemius, Scaliger, Baronius, Lipsius, Casaubonus, Vossius, tum in opere de Historicis Latinis, tum in libris de Hæresi Pelagiana, ut omittam fabulosos quosdam Hispanos Scriptores, quos citat sequiturque Philippus Elssius, qui Augustinianis suis Eremitis accenset, vitamque ejus prorogat usque ad annum 471. quo centenario majorem in Carthagine Spartaria in Hispaniis obiisse contendit, atque inde Romam asportatum, & in Ecclesia S. Eusebii, ubi patruus ejus jacebat, sepultum. Sed hæc penitus incerta dubiæque fidei. Quid quòd & nonnulli Legionensem Episcopum fuisse putent? Satius profectò fuit annotare Isidorum Seniorem Cordubensem Episcopum opus egregium in quatuor libros Regum Orosio nostro circa annum 412. dicasse, sed ad opera Orosii, que modò extant, recensenda properemus.

Historiarum ab exordio Mundi libri septem usque ad annum Christi 416. ad S. Augustinum Hipponensem Episcopum, cujus hortatu opus illud fuerat aggressus querulos & infamatores Christiani nominis, qui dicebant defectum Romanæ reipublicæ Christi doctrina invectum, &c. Ormestam mundi, sive Hormestum ὁρμαθὸν, ἢ ὁρπαςὸν quidam vocant, qua de re multa divinando ni fallor protulit Vossius. Extant excusi 1526. & alibi, maximè verò in Historia Patrum Barræi, & in Bibliothecis Veterum Patrum. Celebratur quoque editio Moguntina anni 1615. cum notis Latii & Schotte, quam nondum vidi.

Eidem Auctori tribuitur à Trithemio aliisque *liber Apologeticus de arbitrii libertate adversus Pelagianos*, editus cùm seorsim & cum Historia Miscella Paulo Diacono tributa, tum anno 1574. Coloniæ apud Maternum Cholinum post Historiarum libros septem illustratos opera Francisci Fabricii Marcodurani in 8. ac postea in Bibliothecis Veterum Patrum Coloniensi maximè & ultima Parisiensi ex recognitione R. P. Andreæ Schotti Soc. Jesu, qui ab eo separavit capita quatuordecim ex libro S. Augustini de Natura & Gratia temerè ab imperito Amanuensi transumpta. Verùm Petrus Wastellus sub finem Vindiciarum Joannis Hierosolymorum Episcopi acerrimè in eum libellum insurgit, & ab Orosio prorsus abjudicare contendit. De eo quoque videndus Vossius, donec nostram ea de re liceat proferre sententiam, libratis, quæ utrimque afferuntur, argumentorum momentis.

Commonitorium sive Consultatio ad S. Augustinum de errore Priscillianistarum, & Origenistarum. Extat tomo sexto operum sancti Augustini ante librum illius contra Priscillianistas, & Origenistas.

De Victore Massiliensi. 430.

CLAUDIUS Marius Victor Rhetor Massiliensis, scripsit tres libros carminum ad Ætherium filium suum, à Principio Genesis usque ad obitum Abrahæ. Qui extant in Bibliotheca SS. Patrum tomo 8. editionis 2. scripsit item versu epistolam, quæ ibidem legitur ad Salmonem Abbatem, de perversis suæ ætatis moribus : ex qua intelligitur eum vixisse, quo tempore Wandali & Alani Galliam populati sunt. Gennadius mortuum ait Theodosio & Valentiniano regnantibus.

Dissertatio Historica.

CLAUDIUS Marius Victor, qui aliis fortè rectiùs dicitur Victorinus, Rhetor Massiliensis, vixit sæculo Christi quinto. Gennadius cap. 60. testatur mortuum esse Theodosio & Valentiniano regnantibus, hoc est ab anno 425. ad 450. Ipse verò in Epistola ad Salomonem Abbatem narrat suo tempore Sarmatas, Vandalos, Alanos, similesque Barbaros percurrisse Gallias, siquidem ipse Massiliensis, ergo post annum 407. & proximè sequentes : nam Vandali, quod scimus, postea Gallias non infestarunt. Mirandum quod ait Aubertus Miræus, Victorini Massiliensis nihil se vidisse hactenus, cùm Carminibus in Genesim, de quibus mox verba faciemus, nihil sit vulgatius; verùm sub nomine Victoris, non Victorini Trithemius anno 430. rectè affigit.

Libri tres Carminum seu Commentariorum in Genesim, à principio libri usque ad obitum Patriarchæ Abrahami, scripti ad filium Ætherium, extant, cùm in Bibliothecis Veterum Patrum, & in collectione Poetarum Christianorum, tum etiam seorsim, partim à Joanne Gagnejo Lugduni è Bibliotheca cœnobii Insulæ Barbaræ, quæ editio corruptissima est, partim anno 1560. Parisiis in 8. apud Guillelmum Morellium è codice ms. sancti Juliani Turonensis, quæ ab altera ita dissentit, ut vix unius esse auctoris deprehendere Lector queat.

Ejusdem epistola ad Salmonem seu Salomonem Abbatem qui Hierosolimytanum Templum religionis causa adierat, eodem metro Heroico de perversis suæ ætatis moribus scripta, cum Commentariis in Genesim edita est. In quibusdam Mss. inscribitur Paulini Epigramma ad Salmonem.

Gaspar Loaisa in scholiis ad Appendicem Isidori & Ildefonsi Victorino Massiliensi tribuit duo brevia Poemata, de quibus mox dicemus in Victorino Petabionensi.

De

De Sedulio. 430.

CAJUS CÆLIUS Sedulius Presbyter Scotus Theodosio juniore scripsit explanationem in omnes epistolas sancti Pauli, ex Origene, Ambrosio, Hieronymo, & Augustino excerptas : ex quo intelligimus errare illos, qui Sedulium floruisse scribunt tempore Constantii filii Constantini Magni, & verius sentire Trithemium, qui ponit Sedulium anno Dom. 430.

Scripsit præterea Sedulius *libros quinque carminum de quinque mirabilibus operibus Dei : & hymnos duos de Christo*, quorum alter alphabeticus est, & in Ecclesia canitur in festis natalis & Epiphaniæ : incipit autem, *A solis ortus cardine.*

DISSERTATIO HISTORICA.

SEDULIUS, quem recentiores passim C. Cælium aut Cæcilium Sedulium vocitant, professione Presbyter, auctor *librorum quinque Paschalis Carminis*, quod cum præfixa ad Macedonium Presbyterum Epistola sæpius editum est, postea eodem hortante Macedonio libros quinque de eodem argumento soluta oratione composuit & *Paschale opus* inscripsit, quos cum altera ad prædictum Macedonium epist. primus in lucem protulit ex codice ms. Petri Pithæi Franciscus Juretus. Quantas unus hic Sedulius lites pepererit inter eruditos recentiores, tum ex me disces, cùm tibi Lector exhibuero, quæ de illo Poeta apud antiquiores reperi.

I. Turcius Ruffus Asterius Epigramma hoc in honorem Seduliani operis ad Macedonium, sive eumdem cum præcedente, sive alterum, conscripsit.

Sume sacer meritis veracis dicta Poetæ,
Quæ sine figmenti condita sunt vitio.
Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,
Per quam justus ait talia Sedulius.
Asteriique tui semper meminisse jubeto :
Cujus ope & cura edita sunt populis.
Quem quamvis summi celebrent per secula fasti,
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

His versibus præmittitur hæc adnotatio: Hoc opus Sedulius inter chartulas dispersum reliquit. Quod recollectum, adornatum, atque ad omnem elegantiam divulgatum est à Turcio Ruffo Asterio V. C. Consule ordinario atque Patricio. In codice Rhemensi teste Sirmondo tam epigramma, quàm adnotatio inter epistolam ad Macedonium & Præfationem Carminis Paschalis inserta leguntur, & in codice ms. sancti Albini, in quo fastus pro fasti, & Exconsule pro Consule reperias, subjiciuntur Carmini Paschali.

II. Gelasius Papa I. in Decreto LXX. Episcoporum, quod ante annum 496. quo obiit, factum oportuit, can. sancta Romana Dist. XV. apud Gratianum : Item Venerabilis viri Sedulii Paschale opus, quod Heroicis scripsit versibus, insigni laude proferimus.

III. Arator S. R. E. Subdiaconus contulisse se ad scribendos Actus Apostolorum idcirco versibus dicitur, quod fecisse idem in Evangelio Juvencum ac Sedulium vidisset, ex Aldo Manutio in editione anni 1501. Poetarum aliquot Christianorum.

IV. Cassiodorus extremo capite 27. de Divinis Lectionibus : ubi Sedulii versus illi dicendi sunt:

Grandia posco quidem, sed tu dare gaudia nosti,
Quem magis offendit, quisquis sperando tepescit.

V. Venantius Fortunatus Presbyter ac tandem Pictaviensis Episcopus, epigr. I. libri 8.

A *Quod tonat Ambrosius, Hieronymus atque coruscat,*
Sive Augustinus fonte fluente rigat.
Sedulius dulcis, quod Orosius edit acutus,
Regula Cæsarii linea nata sibi est.

Idem initio libri primi de Vita S. Martini Tur. Episcopi :

Majestatis opus metri canit arte Juvencus,
Hinc quoque conspicui radiavit lingua Seduli.
Paucaque perstrinxit florente Orientius ore &c.

Huic junge Gregorium Turonensem libro 5. hist. cap. 45. ubi de Chilperico Francorum Rege hæc inter cætera memorat : Confecit duos libros quasi Sedulium imitatus, quorum versiculi debiles nullis pedibus subsistere possunt, in quibus dum non in-
B telligebat pro longis syllabas breves posuit, & pro brevibus longas, &c.

VI. S. Isidorus Hispalensis cap. 7. Catalogi : Sedulius Presbyter edidit tres libros Dactylico Heroico metro compositos, quorum primus signa & virtutes veteris Testamenti potentissimè resonat, reliqui verò gestorum Christi Sacramenta & miracula intonant. Idem libro 20. Originum cap. 4. Aretina vasa ex Aretio municipio Italiæ dicuntur, ubi fiunt : sunt enim rubra. De quibus Sedulius:

Rubra quod appositus testa ministrat olus.

Porrò Honorium Augustodunensem libello tertio eadem cum Isidoro dicentem libens prætereo. Ildefonsum verò ab Isidoro non sejungo, Toletanum ab
C Hispalensi Archiepiscopo, qui Sedulium nostrum Poetam Evangelicum, oratorem facundum & scriptorem Catholicum nominavit. Vide sermonem quintum de Assumptione Deiparæ Virginis, si tamen est genuinus hujus Archiepiscopi fœtus : qua de re pluribus aliàs.

VII. Placidus Lactantius sive Lutatius in scholiis ad librum 8. Thebaidis Papinii Statii : Achæmenia ipsa est Chaldæa, vocata ita à quodam crudelissimo Rege, de quo in Sedulio legitur :

Cujus Achæmeniam rabiemque accenderat ira
Plus fornace sua, &c. non enim poterat ejus ira placari nisi humano sanguine.

VIII. Ven. Beda lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ An-
D glorum cap. 19. Scripsit Adhelmus & de Virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulii geminato opere & versibus hexametris & prosa composuit. Idem quoque Beda refert se vitam S. Cuthberti exemplo Sedulii prius Heroico metro & postmodum plano sermone descripsisse. Sæpius verò in Arte metrica ejus versus allegat idem Venerabilis Beda, atque hos in primis de quibus quidam ambigunt.

Cantemus socii Domino, cantemus honorem,
Dulcis amor Christi personet ore pio.

IX. Sedulius quidam Britanniæ Episcopus Romanæ Synodo interfuisse dicitur nonis Aprilis Indictione quarta, anno Christi 72. sub Gregorio II. cum Fer-
E gusto Scoto Episcopo : sunt quoque qui alteram Synodum adducunt in medium celebratam anno 736. sub Gregorio III. sed de ea nulla apud Severinum Binium mentio : nec in Romanis Conciliis sub Gregorio hoc tertio Papa occurrit nomen nostri Sedulii, quem Baleus, Simlerus, & alii vocant Australium Scotorum Episcopum & scripsisse sancita Romani Concilii apud S. Petrum habiti. Subscriptiones in editis sic se habente : Sedulius Episcopus Britanniæ de genere Scotorum & Fergustus Episcopus Scotiæ dictus huic constituto à nobis promulgato subscripsimus.

X. Hepidannus Monachus S. Galli in Annalibus brevibus à Duchesnio editis Tomo 3. Historicorum Franciæ hæc habet pag. 473. Anno 818. Sedulius Scotus clarus habetur.

XI. Si-

XI. Sigebertus cap. 6. Catalogi: Sedulius Episcopus ad Macedonium Presbyterum scripsit libros de miraculis Veteris & novi Testamenti, quos postea sub metrica lege redactos prætitulavit Paschale carmen. Errat Sigebertus: prius enim stricta seu metrica oratione scripsit Paschale Carmen, quàm Paschale opus soluta, ut supra monuimus. Pergit: Reparavit etiam carmine dactylico omnia Domini opera. Claruit tempore Constantis & Constantii filiorum primi Constantini Imperatoris: & cap. 66. Scripsit & librum de Virginitate Adhelmus, quem exemplo Sedulii geminato, id est prosa & metro composuit.

XII. In veteri codice Pithæi hæc erant adscripta: Incipit ars Sedulii Poetæ, qui primò Laicus in Italia Philosophiam didicit: postea cum aliis metrorum generibus Heroicum metrum Macedonio consulente docuit. In Achaja libros suos scripsit tempore Impp. minoris Theodosii filii Arcadii & Valentiniani filii Constantii. Iis consona exhibet Usserius ex Thorneyana Bibliotheca: Sedulius versificus primò Laicus in Italia Philosophiam didicit: postea cum aliis consociis Heroicum metrum Macedonio consulente didicit. In Achaja libros conscripsit tempore Theodosii ac Valentiniani.

XIII. Trithemius denique (ut omittam Aldum Manutium, Lilium Gyraldum, Sixtum Senensem, Georgium Fabricium, Franciscum Juretum, Jacobum Sirmondum, & ex eo Miræum, atque omnium uberrimè effluentem ac pro merito Thomæ Dempsteri errores castigantem Usserium) hæc suggerit: Sedulius Presbyter, natione Scotus, Hildeberti Scotorum Archiepiscopi ab ineunte ætate discipulus, vir in divinis scripturis exercitatus & in sæcularibus literis eruditissimus, carmine excellens & prosa, amore discendi Scotiam relinquens, venit in Franciam, deinde Italiam perlustravit & Asiam, postremò Achajæ finibus excedens, in urbe Roma mirabili doctrina clarus effulsit. Scripsit autem & metro & soluta oratione plura opuscula. Hic tandem, ut Sigebertus scribit, Episcopus ordinatus fuit: sed Ecclesiam, vel urbem, ubi non exprimit. Claruit sub Theodosio anno 430. Ex his verò licebit Quæstiones aliquot proponere, ac quanta fieri poterit brevitate dissolvere.

I. An Sedulius Poeta fuerit Scotus, nullus id veterum dixit. Recentiores ὁμωνυμίᾳ delusi tres in unum Sedulios confuderunt, ac Poetam sæculo quinto florentem cum Episcopo qui anno 721. & cum sacræ scripturæ interprete seu Collectaneorum Auctore, qui centum post annis vivebat, Scotis temerè accensuerunt: nec ad rem faciunt quæ Usserius partim ex Trithemio qui Epistolarum librum memorat cujus initium, Sedulius Scotigena, unde enim probabit amabo, Poetam earum esse auctorem? partim ex inscriptione Fuldensis adorandæ vetustatis exemplaris, quæ sic habet: Sedulii Scoti Hyberniensis in omnes epistolas Pauli Collectaneum. Illa quippe scripturas sacras interpretandi ratio sæculum nonum redolet, ut suo postea loco monebimus, & in Collectaneis in Matthæum, cum alii recentiores Theodosianis temporibus scriptores, tum & ipse citatur Sedulius Poeta, de cujus patria controversiam monemus.

II. An Sedulius Poeta fuerit Episcopus, nemo veterum id dixit: & argumenta, quibus commentum illud fulcire aggreditur Usserius valdè imbecilla. 1. Sigebertus, tanto posterior id obiter & aliud fortè agens, aut deceptus allusione nominum, ejusque aliquis amanuensis, Presbyterum mutavit in Episcopum, quod in Gennadio & Salviano Massiliensibus, Prospero Aquitano aliisque factitatum non ignoramus. 2. Liberius seu Liberatus scholasticus & Belisarius Poetæ ætatis prorsus incompertæ Sedulium acrostichicis carminibus exornarunt, in quorum initio ac fine leguntur ista verba SEDULIUS ANTISTES: at Antistites ordine in secundo, hoc est Presbyteros Sidonius in Claudiano Mamerto & alii veteres agnoverunt. Nec aliud innuit ἐπιγραφὴ operis Paschalis in vetusto Pithæi codice. Incipit Præfatio Sedulii Antistitis in soluta oratione Paschalis carminis. Adde quòd in duobus illis Acrostichicis Epigrammatibus ne tenue quidem vestigium appareat aut Episcopatus aut Hispaniæ. 3. Pæani sive Hymno Alphabetico in Christi laudem cani in Ecclesia solito sub finem Officiorum Alcuini per Ferias col. 303. editionis Parisiensis præfixus cernitur hic titulus: Hymnus beati Sedulii Episcopi. Sed hæc à recentiore sunt manu. 4. Pseudodexter in Chronico anno 428. meminit Sedulii Oretani Episcopi his verbis: Fatidio Pontifici Toletano succedit Iscius seu Isichius Monachus Palæstinus, qui Sedulium amicum suum & Oretanum Episcopum prædicationis gratia Toleti detinet. Qui dono Dei in Poetica Oratoriaque præclarus multos libros componit: sed nec ipse, nec ejus hyperaspistes Franciscus Bivarius Scotum fuisse potius quàm Hispanum edixerunt. Deinde an unus tantùm hactenus Sedulius fuit? Qui verò sanus credat Dextrum, qui ante annum 393. omnigenam ad S. Hieronymum scripserat Historiam, ea quæ anno 428. contigerunt post S. Hieronymi adeoque & ipsius Dextri obitum, in eodem Chronico annotasse? An non hæc & similia impostoris infrunitam sapiunt audaciam? Certè qui fieri potuit ut S. Isidorus Hispalensis Ep. Dextri illius ὑποβολιμαίου contempto Chronico ejusque Appendice Presbyterum dumtaxat vocaverit, & Oretanis suæque Hispaniæ tantum Episcopum inviderit?

III. Quo tempore vixerit Poeta Sedulius? Aberravit omnium maximè Sigebertus, qui claruisse voluit tempore Constantis & Constantii filiorum primi Constantini Imp. hoc est ab an. 340. ad 350. Alii cum Alberto Stadensi ad annum circitur 378. aut quod idem penè est, & ad Theodosii Senioris & Valentiniani junioris imperium referre volunt, eoque maximè trahit, quòd in antiquis editionibus Carminis Paschalis præmittitur ad Theodosium carmen dedicatorium.

Romulidum ductor, clari lux altera solis:
Eoum quia regna tenes moderamine justo:
Spes orbis, fratrisque decus.

Nam ut rectè Usserius, Valentiniani II. sororem Gallam connubii participem habuit Orientis Imperator Theodosius: non ille junior Arcadii filius, sed senior Arcadii ejusdem parens, quem à Poeta hic intellectum sequentia illa extra omnem ponunt controversiam.

Hæc relegas, servesque diu, tradasque minori
Arcadio.

Idem quoque censuit Carmen illud dedicatorium ad Poema aliquod vetustius, quod à Mundi creatione & formatione hominis capiebat exordium, pertinere; atque eo deperdito fuisse ab antiquario aliquo negligenti præfixum Seduliano Paschali propter quampiam argumenti similitudinem. Adde quòd ab antiquissimis exemplaribus mss. illud abest, neque in ipsius Sedulii metaphrasi prosaica ullum ejus vestigium, aut in gemina ad Macedonium epistola. Plures Sedulium anno circiter 430. imperantibus Theodosio II. & Valentiniano III. affigunt, quibus ego malim interim subscribere, quàm Usserio, qui eum ad annum usque 494. saltem post annum 470. dejicit, quo Gennadius Const. Ecclesiæ erat Episcopus. Turcium

verò

verò Rufium Asterium, sive Asturium illum esse censeas cum Sirmondo qui cum Protogene Consulatum gessit anno 449. sive cum Usserio illum Asterium qui anno 494. collegam habuit Præsidium, perinde mihi est : cùm sincera atque integra Gennadii exemplaria Sirmondum docuerint, ut ipse profitetur, Sedulium regnantibus Theodosio juniore & Valentiniano vita functum fuisse. Nihil enim est quod me in eas compellat angustias ut credam statim ab obitu Sedulii versus in scriniis ejus repertos ab Asterio fuisse recensitos, aut ad Macedonium fuisse missos, quod Vetus illa adnotatio non sat manifestè exprimit. De eburneo Evangeliorum apud Leodienses opusculo, (*a*) quod ex diptychis Consularibus in rem piam translatum est, nihil modò pronuntio, donec venerit in manus meas egregia Dissertatio R. P. Alexandri Wiltheimii Collegii Luceliburgensis Societatis Jesu Rectoris eruditissimi, ad quem & alterius eburneæ tabulæ penè consimilis, quæ in Patriarchali Biturigium Ecclesia S. Stephani Protomartyris asservatur, depictum exemplar mittendum curavi, ut ex utriusque collatione, quæ in iis latent antiquitatis monumenta facilius eruantur. Verùm video me longius opinione mea abripi. Quare præcisis cæteris quas instituceram agitare quæstionibus.

IV. Tantùm loco proponam, Idemne sit Poeta & sacræ Scripturæ Interpres ? Eumdem fuisse censuit Usserius, eodemque calamo exaratum esse Paschale carmen & Collectaneum in epistolas omnes S. Pauli. Ego verò contra sentio Sedulium illum collectorum ex sanctis Patribus fragmentorum consarcinatorem sub Carolo Magno, ejusque filio Ludovico Pio, floruisse ; tum quòd ratio ista explanandi codices sacros sapiat omnino genium sæculi noni, ad quod ab Hepidamno, ut supra observatum est, refertur Sedulius Scottus ; tum quod idem videatur auctor Catenæ illius seu centonis in Paulum, cujus Collectaneum in Evangelium S. Matthæi ex diversis Patribus excerptum possidet Bibliotheca Collegii nostri Parisiensis in nitidissimis membranis elegantissima manu & quæ 700. aut 800. annos superet descriptum : at in eo citantur non modo S. Eucherius, S. Leo, Ambrosius junior, Faustus Regiensis, S. Gregorius, S. Isidorus, Arculfus, ubi de locustis quibus vescebatur S. Joannes Baptista, ac Ven. Beda, sed & ipse Poeta noster ad illa verba : Et ne nos inducas in tentationem : Hinc Sedulius egregiè versibus describit dicens :

Non quia nos Dominus lucis vitaque repertor
In Laqueos tentantis agat, &c. Iis itaque decursis :

Nunc tandem ad Seduliorum, quæ typis impressa sunt, opera veniamus. Sedulii Poemata sæpius excusa fuerunt primò anno 1502. ab Aldo Manutio cum quibusdam aliis Poetis sacris, tum anno 1541. Basileæ cum enarrationibus seu notis Antonii Nebrissensis, deinde in Sylloge Poetarum Christianorum Georgii Fabricii Chemnicensis Basileæ apud Joannem Oporinum 1564. in 4. tandem in Bibliothecis Veterum Patrum & in Choro & Corpore Poetarum Latinorum. Verùm perfectissima editio habetur Tomo 8. Bibliothecæ Parisiensis anni 1614. unde Morelliana profluxit, in quo Poetæ sacri Græcè ac Latinè fuerunt excusi. Hujus pag. 658. extat.

Paschale carmen, id est de Christi miraculis libri quinque, licèt Isidorus tantùm tres, Trithemius, & alii quatuor dumtaxat numerarint. Sed miror detractam fuisse Epistolam ad Macedonium Presbyterum, quæ in quodam ms. dicitur Apologeticus Prologus Sedulii Rhetoris, in qua fit mentio Syncleticæ illius Diaconissæ, ad quam Eustathius conversum à se S. Basilii Cæsariensis Hexaemeron misit. Non deest tamen

A Præfatio metrica quæ incipit *Paschales*, &c. Desunt quoque, sed non immeritò versus ad Theodosium Seniorem, quos supra discimus ex alio opere fuisse assutos.

Veteris & novi Testamenti Collatio, in qua carmine reciproco dimidium versus primi finem complectitur versus secundi, cujus elegiæ initium est, Cantemus socii, &c. Omissum quoque est in fine Sedulii epigramma Tetrastichon quod in Aldina editione reperitur edita sub nomine Turcii Ruffi Asterii Viri Consularis, sed falsò, cùm ejus verus fuerit auctor Sedulius, editor verò Asterius.

Hymnus Jambicus Dimeter de Christo Domino, succinctè ejus opera ab Incarnatione usque ad Ascen-
B sionem complectens, qui incipit, A solis ortus cardine, &c. Ex quo Pæane Alphabetico Ecclesiastici Tractatores mutuati sunt duos Hymnos, qui in solemnibus Christi natalis & Epiphaniæ festis decantantur.

Liberii & Belisarii Poetarum incertæ ætatis *de Sedulio duæ Acrostichides*.

In eodem octavo Tomo Bibliothecæ Veterum Patrum extant ejusdem Sedulii Presbyteri *Paschalis Operis libri quinque soluta oratione descripti*, cum epistola altera ad eumdem Macedonium Presbyterum, qui auctor fuerat, ut Paschalis Carminis textum in Rethoricum sermonem transferret. Quod verò ad titulos geminati illius operis spectat notanda ejusdem
C Epistolæ verba : Priores libri, quia versu digesti sunt nomen Paschalis Carminis acceperunt : sequentes autem in prosa nulla cursus varietate conversi, Paschalis designantur operis vocabulo nuncupati. Primus Franciscus Juretus J. C. Ex ms. codice Petri Pithæi cum notis edidit.

Collectaneum, sive *Explanatio in omnes epistolas S. Pauli* ex Origene, Eusebio, Hilario Diacono, Ambrosio, Ruffino, Joanne Chrysostomo, Hier. Aug. Pelagio, Gennadio Const. aliisque Patribus excerpta ipso etiam S. Gregorio I. Papa, cujus verba transcripsit tacito ejus nomine ex libro 19. Moralium in Job cap. 21. ut rectè observavit Benedictus Justinianus Societatis nostræ Theol. in 1. ad Corinthios cap. 6.
D versu 5. Eadem, inquit, planè verba leguntur in Commentariis quæ nomine Sedulii circumferuntur ; ut vehementer suspicer, eos esse pseudographos, & falsò Sedulio inscribi, cùm sit ille Gregorio longè antiquior, nec verisimile videatur, Gregorium ea à Sedulio mutuatum esse, cùm planè Gregoriani styli simplicitatem redoleant, qui more suo hæc Apostoli verba, non tam ad scribentis mentem, quàm aptè ad mores informandos explicat. Hæc ille. Verùm in nostra Chronologia quæ plures Sedulios admittit, sublatis hisce salebris omnia plana sunt atque expedita. Primò prodiit Basileæ apud Henricum Petri annis 1528. & 1534. tum in Collectionibus & Bibliothecis Veterum Patrum.
E Hujus Auctorem non secus ac *Collectanei in Matthæum* eodem filo contenti & in capita seu lectiones 355. divisi arbitror fuisse Sedulium illum Scotum Presbyterum qui anno 818. florebat, teste Hepidamno, eidemque tribuenda censeo, quæ Trithemius Sedulio Poetæ adjudicabat opuscula : nimirum *In majus volumen Prisciani in secundam editionem Donati, Epistolarum ad diversos librum unum*, qui incipit : Sedulius Scotigena. Eidem quoque adsignare licebit *Commentariolum in artem Eutychii*, qui ms. reperitur in Thuana Bibliotheca, quæque possidebat Goldastus anno 1610. *De regimine Principum & Expositionem in artem Prisciani*. At de his apud alios recentiores Philologos non satis enucleatè hactenus digestis, plus jam satis pro instituta operis hujusce brevitate, si prius monuero Aubertinum pag. 911. Prestigiarum

A ſtigiarum ſuarum de Sacramento Euchariſtiæ quæ nuper in manus meas venerunt, credidiſſe auctorem Commentariorum in Paulum Sedulium Scotum ſive Hyberniensem fuiſſe eum, qui Synodo Romanæ ſub Gregorio II. aut III. celabratæ (Characteres enim ut ait numerales corruptiſſimi ſunt) cum Fergusto Scoto Epiſcopo legitur interfuiſſe & ſubſcripſiſſe, & ibidem Epiſcopus Britanniæ nominatur.

(*a*) De eburneo Evangeliorum apud Leodienſes operculo, ſic enim legendum operculum illud ab eburneis diptychis Leodienſibus diverſum eſſe inde auguror, quod cùm ad me miſerit R.P. Alexander Wilchemius ante aliquot menſes Diptychon ſuum Leodienſe ex Conſulari factum Epiſcopale cum ſuo

B in illud Commentario excuſo Leodii in folio apud Joannem Matthiam Hovium anno 1659. nihil omnino repererim quod ad detegendam Aſterii Ex-Conſulis ætatem conferre potuerit.

SUPPLEMENTUM.

SEDULIUS natione Scotus de cujus conditione an Epiſcopus vel Presbyter tantùm fuerit, nihil conſtat: cautè diſtinguendus eſt ab alio Sedulio Poeta, qui floruit circa annum 430. tempore Theodoſii II. & Valentiniani III. Imperatorum. De Seduliis doctiſſimam diſſertationem inſtituit Labbeus occaſione Sedulii Senioris, in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis tom. 1. pag. 224. & ſeqq.

C ab illo mutuamus pauca quæ de Sedulio juniore dicenda ſunt. Itaque Sedulius junior, Scotus, floruit circa annum 820. de quo Hepidamnus Monachus ſancti Galli in Annalibus Brevibus ab Andrea Duchesnio editis tom. 3. Hiſtoricorum Franciæ hæc habet pag. 473. *anno* 818. *Sedulium Scotus clarus habetur*. Scripſit *Collectaneum* ſive *explanationem in omnes epiſtolas ſancti Pauli*, ex Origene, Euſebio, Hilario Diacono, Ambroſio Ruffino, Jonne Chryſoſtomo, Hieronymo, Auguſtino, Pelagio, Gennadio Conſtantinopolitano, aliiſque Patribus excerptam; imò ex ipſo etiam ſancto Gregorio Papa, cujus verba tranſcripſit tacito ejus nomine ex libro 19. Moralium in Job cap. 21. ut rectè ob-

D ſervavit Benedictus Juſtinianus Societatis Jeſu Theologus in 1. ad Corinthios cap. 6. verſu 5. prodiit primò Baſileæ apud Henricum Petri annis 1528. & 1534. tum poſtea in collectionibus & Bibliothecis Veterum Patrum. Hujus auctorem non ſecus ac *Collectiones in Matthæum* eodem filo contexti ac in capita ſeu lectiones 355. diviſi, arbitratur Labbeus loco citato fuiſſe Sedulium illum Scotum presbyterum, qui anno 818. florebat, teſte Hepidamno: eidemque tribuenda cenſet quæ Trithemius Sedulio Poetæ adjudicabat opuſcula, nimirum in *majus volumen Priſciani* in *ſecundam editionem Donati*, *Epiſtolarum ad diverſos* librum unum

E &c. Addit contra Uſſerium Armachanum Archiepiſcopum Labbeus loco citato pag. 334. Ego verò contra ſentio Sedulium illum collectorum ex ſanctis Patribus Fragmentorum conſarcinatorem ſub Carolo magno, ejuſque filio Ludovico Pio floruiſſe, tum quòd ratio iſta explanandi Codices ſacros ſapiat omnino geſtum ſæculi noni, ad quod ab Hepidamno, ut ſuprà obſervatum eſt, refertur. Tum quòd idem videatur auctor catenæ illius ſeu *Centonis in Paulum*, cujus collectaneum *in Evangelium ſancti Matthæi* ex diverſis Patribus collectum poſſidet Bibliotheca Collegii noſtri Pariſienſis, in nitidiſſimis membranis elegantiſſima manu, & quod à 700. vel 800. annis ſupereſt deſcriptum. At in eo citantur non modò ſanctus Eucherius, ſanctus Leo, Arnobius Junior, Fauſtus Regienſis, ſanctus Gregorius, ſanctus Iſidorus, Arculſus ubi de locuſtis quibus veſcebatur in deſerto ſanctus Joannes Baptiſta, ac Ven. Beda: ſed & ipſe Sedulius Poeta ad illa verba, *Et ne nos inducas in tentationem*: Hinc Vulſinus egregiè verſibus deſcribit dicens:

Non quia nos Dominus, lucis vitæque repertor
In laqueos tentantis agat &c.

De ſancto Cyrillo. 430.

SANCTUS CYRILLUS Epiſcopus Alexandrinus vir ſanctiſſimus, & doctiſſimus, ac præſertim circa myſterium Incarnationis Dominicæ à Deo doctus, imperante Theodoſio juniore præfuit Concilio Epheſino primo, nomine ſancti Cœleſtini Papæ, Neſtoriumque hæreſiarcham primùm ſcriptis egregiis, deinde etiam auctoritate damnavit. Ejus opera in editione Pariſienſi anni milleſimi ſexcenteſimi quinti duobus tomis comprehenduntur.

Primi Tomi.

In Geneſim ad litteram, & myſticè explanationum lib. 11. *In Leviticum*, 16. *In Iſaiam*, 5. *In Evangelium S. Joannis*, 12. *Dicta veteris Teſtamenti anagogicè explicata, collecta ex Cyrillo, Maximo, & aliis. Liber adverſus Judæos cum quæſtionibus. Breves anagogæ de iis, qui floruerunt ante legem.*

Tomi Secundi.

Epiſtolæ ſancti Cyrilli ad diverſos, & diverſorum ad S. Cyrillum, numero 39. *Homiliæ præſertim de incarnatione*, 10. *Apologia ad Theodoſium Imperatorem*, 1. *Declaratio duodecim anathematiſmorum*, 1. *Liber apologeticus pro ſuis anathematiſmis. Alius apologeticus liber ad Evoptium pro iiſdem capitibus contra Theodoretum. Expoſitio Symboli Nicæni. Scholia de Incarnatione Unigeniti. Epiſtolæ duæ ad Succenſum Epiſcopum. Synodales epiſtolæ duodecim. Dogmata Neſtorii ex ipſius libris excerpta. Oratio de exitu animæ, & ſecundo adventu. Opus inſigne Theſaurus inſcriptus, libros continens quatuordecim. Dialogorum cum Hermia libri ſeptem. De adoratione in ſpiritu, & veritate, libri* 17. *Contra Julianum apoſtatam*, 10. *De recta fide ad Theodoſium, & Reginas*, 3. *Adverſus Antropomorphitas*, 1. *De ſacroſancta Trinitate*, 1.

Præter hos libros, extant *commentaria in Prophetas minores* Græcè, & Latinè excuſa Ingolſtadii in folio; *& libri quinque contra Neſtorium* Græcè, & Latinè in fine primi tomi Conciliorum generalium editionis Romanæ: & brevi expectantur *ſermones paſchales triginta*.

Obſervatio Prima.

Extare dicuntur græcè explanationes in totum Pentateuchum, ſed latinè non extant, niſi libri undecim in Geneſim.

Obſervatio Secunda.

Libri ſexdecim in Leviticum Cyrilli non ſunt, ſed Origenis, ut ſupra diximus in Origene, & manifeſtum hoc eſt, tum quia auctor ubique ſenſum litteralem deſtruit, tum quia habentur iſti ipſi inter opera Origenis: ut mirum ſit, cur Impreſſores in omnibus editionibus iſta opera auctori non ſuo attribuant.

Obſervatio Tertia.

Scripſiſſe dicitur Cyrillus in alios etiam Prophetas,

tas, sed non extant commentaria ejus nisi in Isaiam, & Prophetas minores.

Observatio Quarta.

Scripsit Cyrillus libros duodecim in Joannem, sed quatuor intermedii perierunt. Sed Jodocus Clictoveus ad imitationem Cyrilli addidit quatuor libros intermedios. Itaque Cyrilli non sunt, nisi primi quatuor, & quatuor postremi.

Observatio Quinta.

Liber adversus Judæos, & breves illæ anagogæ, haud scio an Cyrilli sint. Sed res parvi momenti est, cum sint libelli brevissimi, & leves.

Observatio sexta.

Thesaurus creditur esse imperfectus: multa enim citantur à S. Thoma in opusculo de erroribus Græcorum ex Thesauro Cyrilli, quæ in his libris non inveniuntur.

Observatio septima.

Liber de sacrosancta Trinitate non videtur esse Cyrilli, sed alicujus posterioris; auctor enim copiosè disputat de duabus naturis in Christo & de duabus voluntatibus, & operationibus, & reddit rationem, cur non repugnent istis dogmatibus, qui aliquando dixerunt, in Christo esse operationem Theandricam, & unam Verbi naturam esse incarnatam. Itaque videtur auctor scripsisse post sextam Synodum.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS CYRILLUS Theophilo patruo suo θείῳ πρὸς πατρὸς &c. successit in Patriarchatu Alexandrino, eumque rexit ab anno 413. ad annum 444. (*a*) quo decessit die 9. Junii, vel ex aliorum calculis, die 28. Januarii anni sequentis. Præfuerat anno 431. Concilio Ephesino adversus Nestorium, nomine S. Cælestini Papæ. De eo Socrates, Evagrius, & Nicephorus in Hist. Eccles. quamquam ei Socrates in plerisque parum æquus videatur. Gennadius cap. 57. de Viris Illustribus, Photius in Bibliotheca, Sigebertus cap. 24. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Anastasius ἐν ὁδηγῷ Liberatus in Breviario, Isidorus libro 6. Originum, cap. 17. aliique passim. Videnda quoque ejus elogia ac res gestæ in Menæis Græcorum ad dictam diem Junii, & apud Baronium, tum in Annalibus, tum in Notis ad diem 28. Januarii Romani Martyrologii, & de ejus scriptis noster Bellarminus, cujus post obitum prodiit in lucem anno 1638. Græco-Latina editio omnium operum sancti Cyrilli, cura & studio Joannis Auberti Laudunensis Canonici, atque Interpretis Regii, in sex Tomos distributa hoc ordine.

Tomo I. continentur.

De adoratione & cultu in spiritu & veritate libri 17. interprete Antonio Agellio Neapolitano, Congregationis Clericorum Regularium, qui Theatini dicuntur, Presbytero.

Glaphyra (*b*), sive, scita & elegantia Commentaria in quinque libros Mosis, interprete Andrea Schotto Soc. JESU Presbytero.

Tomo II.

Commentariorum in Isaiam Prophetam libri quinque, cum Laurentii Humfredi Angli hæretici interpretatione aliquot in locis emendata, ac recensita. Quo fit ut nullo negotio retundi valeat effrænis Andreæ Riveti adversus Possevinum maledicentia.

Tomo III.

Commentarii *in duodecim Prophetas, qui dicuntur Minores*, Jacobo Pontano Soc. JESU Presbytero interprete.

Tomo IV.

Commentariorum in Joannis Evangelium libri decem, quorum quintus & sextus Græcè & Latinè tunc primùm prodierunt una cum fragmentis septimi & octavi, reliquis novam interpretationem habentibus, Jodocus Clictoveus Neoportuensis Doctor Parisiensis, ad imitationem Cyrilli, quatuor, qui deerant libros, quintum, videlicet & sextum, septimum atque octavum efformaverat, unde multi re non animadversa, in fraudem sunt inducti. Quid de Fevardentio narret Theophilus Erotematum pag. 174. non injucundum erit Lectori curioso consuluisse vel semel.

Tomi V. Parte prima.

Thesaurus de sancta & consubstantiali Trinitate, interprete Bonaventura Vulcanio Brugensi. Hunc Thesaurum verè insignem abjudicare ante aliquot annos S. Cyrillo voluit maleferiatus de Calvini grege Novator, qui Arausione Disputationem de supposito publicavit. Verùm hunc pro meritis egregiè dedolarunt ὁ μακαρίτης. Petavius in Theologicis Dogmatibus, & Theophilus Raynaudus in Erotematis. Librum hunc mutilum esse docent citati à D. Thoma plures loci, ac in primis duo illi insignes: 1. Petro omnes jure divino caput inclinant, & Primates mundi tamquam ipsi Domino JESU obediunt: 2. Debemus nos, ut qui membra sumus, capiti nostro Romano Pontifici, & Apostolicæ sedi adhærere. Quibus in furias versi aguntur Novatores, & crimen falsi veracissimo ac sanctissimo Scriptori non verentur impingere Joannes Rainoldus & Andreas Rivetus, quorum impudentiam, Deo dante, in Examine Heterodoxorum Criticorum abundè revincemus.

De Sancta & consubstantiali Trinitate, de Incarnatione Unigeniti, &, quòd Christus sit unus ac Dominus secundùm scripturas, Dialogi novem ad Hermiam: quorum septem priores cum nova interpretatione prodierunt, duo posteriores cum interpretatione ejusdem Bonaventuræ Vulcanii.

Scholia de Incarnatione Unigeniti.

Tomi V. Parte altera.

Homiliæ XXX. ἑορταστικαὶ, sive, *de Festis Paschalibus*, interprete Antonio Salmatia, Theologiæ in Ambrosiano Mediolanensi Collegio Doctore.

Homiliæ diversæ. Item, *Epistola*, & *de recta* ad D. N. J. C. *Fide ad Theodosium Imperatorem liber unus, & ad Reginas unus*, ex editione Græco-Latina Concilii Romani.

Tomo VI. continentur.

Adversus Nestorii blasphemias contradictionum libri quinque, interprete Antonio Agellio Acernensi Episcopo.

Explanatio XII. Capitum: Apologeticus pro XII. A Capitibus adversus Orientales Episcopos; & contra Theodoretum pro XII. Capitibus, ex editione Græco-Latina Concilii Ephesini.

Contra Julianum Apostatam lib. 10. quorum primus interpretem habet Nicolaum Borbonium, Congregationis Oratorii D.N.J.C. Presbyterum: reliqui cum nova interpretatione prodierunt.

Contra Anthropomorphitas liber unus, interprete Bonaventura Vulcanio.

De Sacrosancta Trinitate, liber Beato Cyrillo adscriptus, Joanne Wægelino Augustano interprete. Vide judicium Bellarmini.

Dicta Veteris Testamenti & Sanctæ Scripturæ interpretata anagogicè, breviter & dilucidè collecta à Divino Cyrillo, & à Magno Maximo, & à cæteris interpretibus, B cum Gentiani Herveti Aurelii Canonici Rhemensis Latina versione. Videndus de his quoque Bellarminus.

Vix decem ab hac editione effluxerant anni, cùm R.P. Balthassar Corderius Soc. JESU ejusdem S.Cyrilli Alexandrini Archiepiscopi Homilias XIX. in Hieremiam Prophetam, Latinitate donatas, emisit in lucem Antuerpiæ anno 1648. in octavo, præmisso catalogo præcipuorum Auditorum ineditorum, qui Græcè mss. asservantur in Scorialensi Regis Hispaniæ Bibliotheca, opera & studio Alexandri Barvetii ejusdem Societatis Theologi, qui in peregrinatione Hispanica Corderii comes extiterat. C

Idem verò Corderius *Apologos Morales* Cyrilli nomine præfixo ornatos ediderat Viennæ in Austria anno 1631. sed hic libellus ab Auctore Latino scriptus est, atque, ut observavit Aubertus Miræus, jam olim fuerat Parisiis à Joanne Parvo publicatus titulo *Speciali Sapientiæ*. (*d*)

Jo: Trithemius in Scriptoribus Ecclesiasticis, cùm de Cyrillo nostro loquitur, Concilii Ephesini adversus Nestorium Præside, vocat eum Carmeli Montis quondam decus & cultorem insignem, cùmque re non satis accuratè discussa, Lucius in Bibliotheca Carmelitica, Baronius anno 444. & ex eo Rivetus, aliique exscripserunt. Verùm in hoc erravit Trithemius, quòd, quæ Cyrillo Hierosolymitano Joannis decessori tribui solent, Alexandrino adsignari: neque D enim huic, sed illi, non secus ac nepoti ejus successorique Joanni Carmeliticum imponitur pallium à recentioribus Carmelitici decoris præconibus. Videsis Petrum Wastellum ejusdemque Ordinis scriptores, nisi fortè quis reperiatur adeò liberalis, ut omnes Cyrillos eodem velit involvere. Certum quidem est, nec diffitetur Trithemius Cyrillum Presbyterum & Monachum Montis Carmeli, ejusdemque Ordinis tertium Priorem Generalem, natione Græcum, ad Jochim Abbatem scripsisse, & claruisse sub Impp. Philippo & Othone anno 1200. Verùm de Hierosolymitano & Alexandrino Antistibus, qui id asserat ex antiquis probatisque Scriptoribus vidi nemi- E nem: cætera verò argumenta, quibus id probatur, aliis examinanda relinquo: neque enim id patitur instituta brevitas, nec si liceat, velim cuiquam sincero pietatis Religiosæ cultori molestus esse aut videri.

(*a*) Patrologus Senensis pag. 413. imperitè tradit fuisse σύγχρονον Ambrosii sub Theodosio Imperatore, atque ex Mornæo scribit anno 320. floruisse, nec refellit: tanta fuit Lutherani illius Patriarchæ in Chronologicis Historiæ Ecclesiasticæ intervallis dijudicandis ἀκριβία.

(*b*) Illa ipsa, quæ memorat Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ: In Pentateuchum opus Allegoricum, cui titulus & argumentum est: Quòd per omnem Mosis scripturam Christi mysterium designetur, cum præfatione, quæ incipit ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. Addit aliquos ex his sermonibus ostensos sibi Græcè conscriptos ab Ambrosio Mediolanensi Monacho Cassinensi viro utraque lingua peritissimo, qui eos à se Latinè versos propè diem daturus esset in lucem (quod tamen non præstitit.) Reliquos verò suppeditatos ex codice Græco vetustissimo ab Angelo Justiniano Chio Minorita insigni Theologo, qui ex Græciæ omnis Bibliothecam antiquissimorum Orientalis Ecclesiæ Patrum monumentis instructa multo ære ac labore collegerat, eamque secum veluti sacrum quemdam thesaurum in Italiam advexerat.

(*c*) Origenis esse non Cyrilli existimant Viri peruditi.

(*d*) Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ hæc habet. Cyrilli Episcopi speculum sapientiæ: aliàs Quadripartitus Apologeticus (fortè Apologicus) vocatus, in cujus proverbiis totius sapientiæ speculum claruit. Liber impressus ante annos centum. Idem liber in Germanicum sermonem conversus publicè extat. Cæterùm de Cyrillorum (nam utrumque vindicant PP. Carmelitæ) Monachatu, audio quædam à viris doctis in utramque partem parari, quæ libenter, cùm prodierint, perlustrabo, in veritatis partes, ubi primùm affulserit, ultro concessurus.

De Theodoreto Episcopo Cyriæ. 430.

THEODORETUS æqualis sancti Cyrilli, & aliquando etiam adversarius, ut notum est ex Concilio Ephesino. Quamvis autem Nestorio faverit initio controversiæ: tamen postea resipuit, & Nestorium inter hæreticos numeravit in lib. 4. de fabulis hæreticorum, & in Concilio Chalcedonensi admissus inter Catholicos fuit. Opera Theodoreti ex editione Coloniensi anni 1573. duobus tomis comprehensa, hæc sunt.

Tomi Primi.

De obscuris quæstionibus in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, & Judices, accesserunt *in librum Ruth, in libros Regum, & Paralipomenon. Commentaria in omnes Psalmos Davidis. Commentaria in Cantica Canticorum Salomonis. Commentaria in omnes Prophetas excepto Isaia. Commentaria in Cantica Mosis, Annæ, Habachuc, Isaiæ, Ezechiæ, Trium puerorum, Virginis Mariæ, Zachariæ, & Simeonis.*

Tomi Secundi.

Commentaria in omnes epistolas B. Pauli. Historiæ Ecclesiasticæ à Constantino usque ad Theodosium juniorem libri quinque.

Addit Gennadius continuasse historiam usque ad Leonem Imperatorem quinque aliis libris adjunctis, sed hi posteriores libri non extant.

Dialogorum, libri tres. De hæreticis fabulis, libri quatuor, quibus addidit epitomen divinorum decretorum. Historia sanctorum Patrum, quam religiosam vocat. *De providentia, sermones decem. De curandis Græcorum affectionibus, lib. 12. Denique Epistola ad sanctum Leonem Papam, & altera ad Sixtum Presbyterum Romanum, & Oratio de dilectione valdè insignis.*

Observatio.

Multo plura scripsit Theodoretus, vir planè doctissimus, atque inter alia meminit Gennadius in libro de viris illustribus librorum Theodoreti fortissimorum contra Eutychem & Dioscorum. Scripsit etiam

A etiam nonnulla contra sanctum Cyrillum, quæ extant inter opera sancti Cyrilli, sed in quinta Synodo Generali damnata sunt, una cum scriptis Theodori Mopsuesteni, quem idem Theodoretus mirificè laudat libro quinto extremo suæ historiæ. Extat denique in quinta Synodo Act. 5. epistola Theodoreti ad Joannem Antiochenum de obitu Cyrilli: sed ea epistola, non solùm falsitatis arguitur, quia constat Joannem Antiochenum obiisse ante Cyrillum, sed etiam indigna est, quæ Theodoreto, aut cuivis Christiano attribuatur.

Dissertatio Historica.

Theodoretus, Cyri (quod oppidum est B Syriæ in provincia Augusta Euphratesia, vel à fundatore suo Persarum Rege sic vocatum; vel ut alii ex Procopio, à Judæis in memoriam beneficiorum à Cyro Persarum Monarcha acceptorum ob libertatem patriamque donatam conditum ejusque nomini consecratum) Episcopus ordinatus est circa annum 423. Interfuit Concilio Generali Ephesino anno 431. quo referat licet verba Nicephori Callisti in Præfatione Historiæ Ecclesiasticæ ϗ, ὅτ' ἦν κυρεστῶν προεδρεύσας σοφὸς Θεοδώριτος τῇ τρίτῃ συνόδῳ πρὸς μάχην ἰὼν, ac S. Cyrilli anath. contrariis scriptis refutavit in gratiam Nestorii, qui plerosque Orientales suis ac Theodori Mopsuestiæ Episcopi hæresibus infecerat. C A Dioscoro S. Cyrilli successore in altera Ephesina Synodo, Latrocinali dicta, absens & inauditus Episcopatu spoliatus est, & in exilium pulsus; sed eum S. Leo absolvit, suæque Sedi restituit, & in Concilio Chalcedonensi anno 451. cum aliis Patribus adfuit. Sunt qui grandem natu vixisse usque ad annum 470. arbitrentur: nullo, quod hactenus prolatum legerim, argumento, cùm satius alii existiment Sirmondo subscribere, qui paulò post Synodum Chalcedonensem contendit fuisse defunctum, quòd illius ut superstitis mentio non occurrat. Mediam ego viam ingredior Gennadio duce, qui capit. 89. testatur Theodoretum inter alia multa imitatione Eusebii D Cæsariensis scripsisse decem Historiæ Ecclesiasticæ libros à fine librorum Eusebii usque ad suum tempus, idest à Vicennalibus Constantini usque ad Imperium Leonis Senioris, sub quo & mortuus est. Vixerit ergo saltem usque ad annum 460. novem decemve annis à Synodo Chalcedonensi, immò & 466. ex Chronico Marcellini Comitis cujus hæc verba: Leone Aug. III. solo Consule, Theodoritus Episcopus Cyri Civitatis scripsit de Incarnatione Domini adversus Eutychem Presbyterum & Dioscorum Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum, qui humanam in Christo carnem fuisse denegavit. Quod si verum est, inanis omnino est Gentiani Herveti aut alterius cujusvis marginalis nota ad vitam sancti Simeonis Stylitæ adscripta. Hæc non sunt Theo- E doreti, sed ab aliquo addita post mortem Simeonis: ruitque omnis Heterodoxorum Criticorum conatus adversus Historiam Religiosam de qua postea. Castigandus quoque obiter Daniel Tossanus Calvinianus Minister, qui in Synopsi de legendis Patribus Theodoretum Epiphanii σύγχρονον & Episcopum Cyri urbis in Persia scribit. De eo, præter S. Leonem in epistolis & acta Synodi illius Oecumenicæ quartæ, adeat Lector quicquid in causa Trium Capitulorum actum est sub medium sæculi sexti ab utriusque partis fautoribus, Leontium, Liberatum, Photium codicibus 31. 46. 56. 204. 205. 273. Sigebertum cap. 9. Honorium Augustodunensem lib. 2. cap. 88. Joannem Euchaitam carmine de script. Eccles. Theodorum Abbatem in argumento Synodi Ephesinæ Nicephorum Callisti lib. 14. cap. 54. Bessarionem in oratione ad Græcos in Concilio Florentino pro unione habita, Trithemium, Sixtum Senensem, Jacobum Billium, Baronium, Bellarminum, aliosque recentiores.

Bellarm. de Script. Eccl. Tom. VII.

R. P. Jacobus Sirmondus Soc. JESU Presbyter usquequaque doctissimus, omnia Theodoreti opera, antea mutila, variisque editionibus dissipata collegit in quatuor Tomos, vulgavitque Parisiis utraque lingua anno 1642. Typis Cramosianis. Eorum plurima Græcè, quædam etiam Latinè tunc primùm prodierunt: Græca cum mss. exemplaribus diligenter collata, Latinæ versiones ad Græcorum normam exactæ & recognitæ, scio quosdam graviter expostulasse, quòd omiserit ea, quæ à Photio tribuuntur codice 46. sed cùm ea extent in omnium manibus Tomo II. operum S. Athanasii, levior esse debuit eorum jactura in Generali omnium operum Theodoreti collectione quam modò per partes sigillatim explicabo.

Tomo I. continentur.

Quæstiones in Octatheucum, Joanne Pico Præside Classium Inquisitoriarum Senatus Parisiensis interprete. *Quæstiones in libros Regum & Paralipomenon*, Gentiano Herveto Aurelio Rhemensi Canonico interprete. *Interpretatio in omnes Psalmos*, Antonio Carafa interprete.

Interpretatio in Cantica Canticorum ad Joannem Episcopum, Francisco Zino interprete. Huic à recenti collectore immista fragmenta explanationum Gregorii Nisseni, Maximi, Nili, Pselli, in varios hujus libri locos testatur Sixtus Senensis Bibl. libro quarto.

Tomo secundo continentur.

Interpretationis in Esaiam Epitome, excerpta ex Catenis Græcis & Latinè versa studio & opera Jacobi Sirmondi S. J. *Interpretatio in Jeremiam*, Joanne Pico Canonico Parisiensi, & in Senatu Præside interprete. *Interpretatio in Ezechielem*, Jo: Bapt. Gabio Veronensi interprete. *Interpretatio in Danielem*, eodem interprete. *Interpretatio* in XII. Minores Prophetas, Petro Gillio Albiensi interprete.

Tomo III. continentur.

Expositio in omnes Epistolas B. Pauli, Gentiano Herveto interprete: in quibus, ut rectè Sixtus Senensis annotavit, succinctè, quantum fieri potest eleganter, ordinatè ac piè sensus Pauli explicantur, & sententiæ sententiis quod in Paulo videtur difficillimum, miro artificio conjunguntur.

Ecclesiasticæ Historiæ libri quinque, cum interpretatione à R. P. Sirmondo ex Joachimi Camerarii & Joannis Christophorsoni versionibus concinnata. Photius plures non vidit hujus Historiæ libros quos docet inchoatos ab hæresi Arii & perductos usque ad Theodosii minoris tempora & Theodori exitum Sisinnio Const. Archiepiscopo. Fuisse tamen scriptos volunt omnino decem, eosque pervenisse usque ad Leonis Imperium supra ex Gennadio attigimus. Utinam quis tantum Thesaurum eruat è latebris sicubi adhuc delitescunt, ut obstruatur hiatus Coci, similiumque Novatorum, qui fœtum illum verè aureum Theodoreto planè abjudicandum esse censuerunt.

Philotheus, seu *Religiosa Historia*, Gentiano Herveto Aurelio interprete. Hanc canino dente arrodere ausi sunt Protestantes Critici Rivetus & Cocus. Hic argumento ficulneo petito ex morte Simeonis

V 2 Styli-

Stylitæ, quam ait obiisse anno 460. cùm Theodoretus ipse defunctus sit anno 453. ideoque superstitis obitum non potuisse in scripta sua referre & posteritati commendare Theodoretum, cui proinde hæc fuerint ab alio assuta. Hoc quidem sensisse videtur quibusdam interpres doctissimus Gentianus Hervetus aut quisquis marginalem scripsit notulam, de una hac eaque brevi periocha, quod Rivetus solita fingendi libidine ad multa alia corrivare velle videtur. Ait enim tabellas quasdam adeò ineptas, tam in Historia Ecclesiastica, quàm in Historia Patrum recitari, ut vix sibi persuadeat ejusmodi deliria (verba sunt Reformati illius nebulonis, quæ Symmystes ejus Hottingerus tamquam uniones pretiosissimas elencho suo inserere non dubitavit) vero Theodoreto placuisse, sed à quibusdam nugatoribus fuisse inspersa. Idem quoque paulò post pro innata gregalibus suis modestia à S. Thoma Aquinate Theodoreti ac Cyrilli conficta fuisse testimonia mentitur, & censuram Baronii impudentissimam vocat, eumque contendit idololatriæ suæ zelo abreptum nugas effutire. Vide homuncionis effrænem audaciam & crimine ab uno disce cætera, de quibus in examine copiosius.

Epistolæ ad diversos numero 147. interprete Jacobo Sirmondo Soc. JESU. Plurimas ex iis Annalibus suis Ecclesiasticis intexuit Baronius à Federico Metio Thermularum Episcopo latinitate donatas; inter quas non reperitur ea quæ extat in V. Synodo Generali Act. 5. de obitu Cyrilli ad Joannem Patriarcham Antiochenum. Eam enim à Nestoriano quodam impostore sub Theodoreti nomine fuisse confictam docet Baronius ad ann. 444. & 553. tum quia Joannes ille ante Cyrillum septem annis obierit, tum quod constat ex indubitatis Theodoreti epistolis eum Cyrillo fuisse reconciliatum, & familiares ad eum scripsisse epistolas: tantum abest, ut mortuo insultare voluerit, ejusque famam dicacissimis conviciis proscindere. De ea igitur saltem intelligi debet, quod dixit Leontius libro de sectis ab hæreticis Theodoreto suppositas fuisse epistolas. Quis verò non miretur socordiam Riveti, qui epistolam illam Tomo 2. Concilii Ephesini Actione quinta reperiri asseruit & Theodoretum Cyrenensem vocavit Episcopum.

Tomo IV. continentur.

Eranistes, seu *Polymorphus* in tres Dialogos tributus. I. Immutabilis dictus. II. Inconfusus. III. Impatibilis cum demonstrationibus earumdem rerum per Syllogismos, interprete Gentiano Herveto Aurelianensi. In iis autem quamplurima referuntur SS. Patrum testimonia, quæ curioso Lectori haud parum profuerit sedulò annotasse.

Hæreticarum fabularum libri quinque ad Sporacium: quorum quatuor priores singularum hæreseon brevem Historiam, quintus verò Divinorum Decretorum Epitomen continet eodem Herveto interprete.

Orationes decem de Providentia, interpretibus Nicolao Majorano & Rodulfo Gualtero.

Adversus Gentiles libri XII. sive, Græcarum affectionum curatio. Evangelicæque veritatis ex Gentilium Philosophia cognitio, interprete Zenobio Acciajolo Florentino ad Leonem Papam X. Robertus Cocus libros illos admirabiles ac planè divinos in dubium revocat, iis argumentis, quæ nec ipse ejus Symmysta Rivetus concoquere potuit, dum ait malle se credere libris hujusmodi nonnulla fuisse addita (hæc altera rima est per quam elabi solent apostatæ nostri) quàm de auctore dubitare, à

A cujus phrasi ex Doctorum judicio horum librorum stylus non abhorret. Esto sanè eorum non meminerit Nicephorus Callistus libri 14. cap. 44. At meminit ipsemet non semel Theodoretus, tum quæstione prima in Leviticum πολλαχοῦ ἡμῖν ἤρηται περὶ τούτων de sacrificiis, κἂν τοῖς πρὸς Ελληνας συγγεγραμμένοις, κἂν τοῖς πρὸς αἱρέσεις: tum epistolis 112. ad sanctum Leonem Papam & 116. ad Renatum Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum, ut & hinc occludatur os spurcum Riveti, qui mirum sibi videri dicit in iis illud opus non deprehendisse Nicephorum, cùm Theodoreti supra quingentas epistolas se legisse affirmet. Quid enim, si cursim? quid si non omnes? quid si non istas? Patrologo quoque videntur dubii libri illi XII. sed mendax est & pater ejus. B

In Appendice continentur.

1. *Oratio de Divina & sancta Charitate*, quæ in quibusdam exemplaribus Philotheo seu Religiosæ Historiæ non abs re subjicitur. 2. *Adversus Nestorium liber ad Sporacium*: cujus pars prior extat libro quarto Hæreticarum fabularum cap. 12. 3. Epistola 125. ad Joannem Episcopum Germaniciæ suo loco inserenda. 4. Librorum 27. quos adversus Eutychianos scripserat argumenta ex Photii Bibliotheca num. 46. Eorum plerique à septimo ad 24. extant Tomo II. operum S. Athanasii. 5. *Reprehensio XII. Capitum seu* C *Anathematismorum Cyrilli*, quæ post Acta Synodi Ephesinæ Generalis legitur cum responsionibus Cyrilli. 6. S. Leonis I. Epistola ad Theodoretum. Nec plura exhibet Sirmondi nostri editio Græco-Latina: cætera jam tibi, Lector, obtulimus in S. Athanasio, Alexandrino Patriarcha. Consule pag. 117. & seq. Tomi I.

De Proclo Episcopo Constantinopolitano. 430.

PROCLUS Episcopus Constantinopolitanus S. Cyrilli æqualis, cujus magno cum honore meminit idem sanctus Cyrillus in expositione Symboli Nicæni, & in epist. 31. ad Joannem Antiochenum: D scripsit *epistolam* valde celebrem *de fide ad Armenos*, quæ extat in Bibliotheca sanctorum Patrum, tom. 3. & nuper excusa est Græcè & Latinè, in primo tomo Conciliorum Generalium Romæ typis mandatorum, & fragmentum inde recitatur in quinta Synodo Generali Act. 5. scripsit etiam *de traditione divinæ liturgiæ*. Vide de Proclo, quæ scribit Socrates lib. 7. cap. 40. 41. & 42.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS PROCLUS, discipulus & anagnostes S. Joannis Chrysostomi, Attici ejusdem Urbis E Const. Archiepiscopi amanuensis ac Diaconus, à Sisinio ad Presbyteratum, deinde ad Cyzicenum Episcopatum ordinatus, ex hac sede post Maximianum Nestorii successorem ad thronum Urbis Const. evectus est anno 433. Obiit die 24. Octobris anni 446. succedente S. Flaviano. De Proclo Martyrologia & Menologia, Chalcedonense & V. Generale Const. S. Cyrillus Alex. Patr. in expositione Symboli Nicæni, & ep. 31. ad Joannem Antiochenum, Socrates lib. 7. cap. 26. 28. 35. 36. 40. & sequentibus, Theodoretus libro 5. cap. 36. Anastasius Sinaita, Jo: Damascenus Nicephorus libro 14. cap. 38. atque ex recentioribus Baronius, Possevinus, Petavius Tomo IV. Theol. Dogmatum, & is, de quo mox dicturi sumus, ejus operum editor.

Omnia S. Procli Analecta ex insignium Bibliothe-

carum penu eruta Græcè & Latinè edidit, & commentariis illustrata publicavit Romæ in 4. anno 1630. Vincentius Ricardus Clericus Regularis Theatinus præmissa ejusdem sanctissimi Antistitis vita cum suis ad eamdem notis.

Orationes XXI. cum Fragmentis.

1. *Laudatio sanctæ Dei Genitricis.* 2. *De Incarnatione & infusoriis.* 3. *De Incarnatione Domini.* 4. *In natalem diem JESU CHRISTI.* 5. *Laudatio Sanctæ Dei Genitricis.* 6. *Laudatio ejusdem.* 7. *In Sancta Theophania.* 8. *In Transfigurationem Domini.* 9. *In Ramis Palmarum.* 10. *In Sanctam Feriam quintam.* 11. *De Passione Domini.* 12. *De Resurrectione Domini.* 13. *In Sanctum Pascha.* 14. *In diem Sanctum Pascha.* 15. *In idem, & in S. Joannem Evangelistam.* 16. *In Sanctam Pentecosten.* 17. *Laudatio Sancti Stephani Protomartyris,* quæ tamen Asterii potius dicenda est tum Photii præjudicio, qui eam reliquis Asterii Amaseæ Episcopi annumeravit, tum quòd nullos habeat dictionis S. Procli characteres, nullas antitheses, nullam paronomasiam, non pressas sententias, &c. ut ipse editor scitè advertit. 18. *Laudatio ejusdem.* 19. *Laudatio S. Pauli Apostoli.* 20. *Laudatio S Andreæ Apostoli.* 21. *Laudatio S. Joannis Chrysostomi Arch. Const.* Latinè tantùm. *Tractatus de Traditionibus Missæ. Fragmenta Orationum.*

Epistolæ S. Procli, & aliorum.

Epistola Armenorum & Persarum ad Proclum. Procli ad Armenos de Fide Epistola, ut paulò post monebimus. *Fragmenta ejusdem Epistolæ. Procli ad Joannem Antiochenum de Theodoro & Iba. Alia ad eumdem Joannem Antiochenum. Joannis Antiocheni ad Proclum. Alia ejusdem ad eumdem. Joannis Antiocheni ad Sanctum Cyrillum. S. Cyrilli Alexandrini ad Acacium Episcopum. Sancti Cyrilli Alexandrini ad Proclum. Procli ad Joannem Antiochenum. Theodosii & Valentiniani Imp. ad Joannem Antiochenum Procli ad Domnum Episcopum Antiochenum. Cyrilli ad Gennadium,* ex interpretatione Anastasii Bibliothecarii & ex Romana editione septimæ Synodi Actione I. alio, sed antiquo Interprete, *Theodoreti ad Proclum Ejusdem ad Flavianum.*

Interpretationes Diversorum.

Homilia I. S. Procli de Sanctissima Deipara, ex versione Romana Concilii Ephesini. *Alia ejusdem interpretatio,* ex Vaticano ms. codice. *Oratio V. Sancti Procli de B. Virgine,* ex antiqua interpretatione quæ legitur in codice Vaticano 2836. *Epistola Dionysii Exigui ad Felicianum & Pastorem cum Epistola S. Procli ad Armenos de Fide,* eodem Dionysio interprete insertis quibusdam ex versione V. Concilii Oecumenici Const. *Procli ad Domnum* epistola pro causa Athanasii Perrhenorum Episcopi, Dionysio Exiguo interprete. Prætermissa in Commentariis cum Indice Græcarum vocum &c.

Ex Bibliothecis Vet. PP. aliisque libris.

In Auctarii Græco-Latini Bibliothecæ Vet. PP. Tomo I. anno 1629. cura R. P. Frontonis Ducæi SOC. JESU Parisiis excuso & Tomo XI. Biblioth. Morellianæ, extat Græcè & Latinè *Epistola de Fide ad Armenos,* Antonio Agellio ex Clerico Theatino Acernensi in Italia Episcopo interprete. Eadem excusa quoque fuerat utraque lingua ex versione Dionysii Exigui Basileæ apud Henricum Petri in Antidoto adversus hæreses anno 1528. & Parisiis, apud

A Guillardum 1538. & in Hæreseologia Basileensi 1556. & in Micropresbytero 1550. & in Ortodoxographis 1569. ut omittam Bibliothecas Veterum Patrum, Conciliorum collectiones, &c. in quibus inserta est vel Latinè dumtaxat, vel etiam Græcè, ut in Conciliis Generalibus Romanis, Binianis &c.

In Auctario posteriore G. L. cura F. Francisci Combefisii anno 1648. edito à col. 301. eædem quæ supra Procli orationes repræsentantur ex ejusdem Ricardi interpretatione in quibusdam emendata, detractis tamen Commentariis omnique illo magnifico apparatu editionis Romanæ, & additis brevioribus aliquot notis.

Tomo XV. Morellianæ Parisiensis Bibliothecæ Vet.
B Patrum ex aliis præcedentibus editionibus Coloniensi præsertim translatæ apparent ejusdem Procli Orationes. I. *de D. N. J. C. Nativitate. Quòd Deipara sit B. Virgo Maria,* interprete Theodoro Peltano SOC. JESU Theologo. II. *In Sanctissimam Transfigurationem D. N. J. C.* non nominato interprete. III. *In S. Andream Apostolum* Carolo Fabiano interprete ex editione Lugdunensi Thomæ Galleti, cum ejusdem Procli tribus Epistolis. I. ad Domnum Antiochenum Patr. II. ad Joannem ejusdem Ecclesiæ Antistitem. III. eaque Synodica ad Domnum pro causa Athanasii Perrhenorum Episcopi. Verùm eadem est atque prima, sed alia versio tantùm. Poteram & alia plura enucleatiùs perscrutari, sed hæc sufficiant, quæ
C fortè etiam quibusdam nimia videbuntur.

Audio quoque Procli Const. Antistitis opuscula Græcè simul ac Latinè edita fuisse à Geveharto Elmenhorstio, sed ea nondum videre mihi contigit. (*a*)

(*a*) V. C. Claudius Jolius Ecclesiæ Parisiensis Canonicus eruditissimus juxta atque humanissimus, librum illum Lugduni Batavorum apud Joannem Marci in 12. anno 1617. excusum exhibuit, in quo hæc continentur.

Epistola de Fide ad Armenos G. & L. interprete Antonio Agellio Acernensi Episcopo.

Homilia de Domini nostri JESU CHRISTI Nativitate G. & L. interprete Theodoro Peltano
D Soc. JESU Theologo.

Sermo in Transfigurationem ejusdem D. N. J. C. non notato interprete.

Epistola Synodica ad Domnum Episcopum Antiochenum G. & L. cum veteri Translatione.

Homilia in Nativitatem D. N. J. C. Græcè tantùm.

De Traditione Divinæ Liturgiæ Græcè & Latinè, ubi non solùm Transsubstantiationis panis & vini aqua misti oblatorum in altari ad sacrificium tam apertis patentibusque verbis meminit, ut nulla tergiversatione eludi queant, aut in alienum sensum detorqueri; sed etiam cultum religiosum in Ecclesia semper observatum, & usque ad finem sæculorum
E usurpandum appellat sanctam Liturgiam seu Missam, quam quòd prolixior initio esset à SS. Basilio & Joanne Chrysostomo in breviorem formam redactam docet: ut vel hujus libelli perfunctoria lectione qui nondum obfirmatus in malo est, possit nullo negotio omnium Sacramentariorum Zvvinglii, Calvinique Catulorum impudentiam detestari.

Panegyrica oratio in sanctum Joannem Chrysostomum Latinè dumtaxat.

De Proclo duo dicit Sixtus Senensis lib. 4. Bibl. I. cùm Scythæ duce Ruga adversus Romanorum imperium arma sumpsissent, edidisse in Prophetiæ Ezechielis caput 39. Fili hominis vaticinare contra Gog & Magog, luculentissimam orationem, in qua adaptans vaticinium ad occasionem præsentis belli, pœnas ab Ezechiele prædictas Barbaris imminere prædi-

prædixit, quam prædictionem statim Deus comprobavit igne cœlitus demisso, & præcipuis Barbarorum incendio absumptis. II. scripsisse etiam in illud Esaiæ 9. Puer natus est, sermonem unum, quem citat Theodorus Monachus in libro, Quòd pater semper generat. Errat verò quòd claruisse velit sub Theodosio Juniore anno Domini quadringentesimo, cùm octo tantùm elapsis ab illo annis Arcadio patri successerit Theodosius, nec manifestus fuerit orbi hujusce Procli splendor nisi post annum 420. aut 430.

De Eusebio Emeseno. 430.

EUSEBII EMESENI nomine circumferuntur homiliæ in Evangelia totius anni, & rursus homiliæ quinquaginta rariorum argumentorum disertissimæ. Eusebii Emeseni cujusdam meminit sanctus Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, quem dicit scripsisse plurimos libros & vixisse tempore Constantii Imperatoris filii Constantini Magni. Sed illius opera non extant, ideò non posuimus eum suo loco. Hic autem vel est alius Eusebius Emesenus undecumque hoc nomen acceperit, vel sub nomine supposititio homiliæ istæ sunt editæ, cùm verus auctor ignoraretur. Neque videntur homiliæ illæ breves in omnia Evangelia ejusdem esse auctoris cujus sunt quinquaginta homiliæ de variis argumentis: stylus enim valde diversus.

Illud certum est, auctorem quinquaginta homiliarum fuisse Latinum, & Monachum in Monasterio Lirinensi: nam homilia quinta ad Monachos indicat, se fuisse Abbatem Monasterii in Insula constituti. Idem homilia de sancto Maximo, eam insulam Lirinensem vocat. Videtur etiam ex Abbate Lirinensi factus Episcopus, ut ipse subindicat in homilia de sancta Blandina. Disputat etiam contra Pelagianos in homilia de Feria quinta in cœna Domini, unde manifestum est, eum non esse Eusebium Emesenum, qui floruit sub Constantio. Sunt qui has homilias tribuunt Eucherio Episcopo Lugdunensi, nec desunt qui auctorem nominent Cæsarium Arelatensem: vidi unam ex his homiliis prænotatam nomine Fausti Episcopi Regiensis: neque est improbabile, esse omnes ejusdem Fausti qui Abbas fuit Monasterii Lirinensis, & ex Abbate Episcopus creatus, teste Gennadio in libro de viris illustribus.

Non definio, cujus sint, sed hoc loco placuit auctorem earum homiliarum, constituere, quoniam sive sit Eucherius, sive Faustus, sive etiam Cæsarius ante hoc tempus non vixit.

Dissertatio Historica.

EUSEBIUS, EMESÆ Episcopus in Syria, sive Phœnicia, quem Phœnicem Eusebium vocat Theodoretus, Arianæ signifer factionis, vixit tempore Constantii Imp. sub quo mortuus & Antiochiæ sepultus est, ideoque saltem ante annum 361. vivere desiit. (*a*) De eo S. Hieronymus cùm in Chronico ad annum Christi 247. Olymp. 281. tertium, tum Catalogi cap. 91. ubi inter cætera scripsisse asserit in Evangelia homilias breves, sed plurimas, quod etiam repetit Honorius Aug. libello primo de Luminaribus Ecclesiæ.

Quæ tamen hactenus sub illius nomine vulgatæ sunt & ante sexcentos ferè annos à Gultmundo Aversano sub finem libri tertii adversus Berengarium, sæculo undecimo, & sub medium sequentis sæculi à Gratiano Distinctione secunda allegatæ, Auctoris sunt Latini, & ad Syrum Eusebium nullatenus pertinent. Bruno Astensis Episcopus Signinus eas, quæ in Evangelia totius anni circumferuntur, & de Tempore ac Sanctis dici solent, in quibus citatur sanctus Gregorius Magnus, & adversus Pelagium disputatur, sibi meritò vindicat ex Cassinensibus ac Vaticanis Indicibus, & ex fide Petri Diaconi Cassinensis Bibliothecarii. Aliæ verò paulò plus quàm quinquaginta, quæ supersunt, de variis argumentis ex Eucherii Lugdunensis, Fausti Regiensis, Cæsarii Arelatensis, similiumque Gallicanorum illius ævi Episcoporum arculis depromptæ videntur eruditis Sixto, Baronio, Possevino, Bellarmino, &c. Sanè quin plures ex iis in Gallia recitatæ sint, nemo sanus negaverit. Vide Tomum V. Bibliothecæ Coloniensis Veterum Patrum, ubi Homiliæ illæ primùm in lucem emissæ per Joannem Gagnejum Parisinum Theologum continentur recensitæ, & locupletatæ sermonibus à R. P. Andrea Scotto S. J.

(*a*) Sixtus Senensis qui de eo multa congerit accuratiori examine digna, annum ejus morti adsignat Christianæ æræ 350. sed quo auctore nescio. Extant ex ejus Commentariis in sacram Scripturam quædam fragmenta apud Theodoretum & in Catenis Græcarum explanationum.

Supplementum.

EUSEBIUS EMESÆ in Syria seu Phœnicia Episcopus, Arianæ signifer factionis, quem phœnicem Eusebium vocat Theodoretus, vixit tempore Constantii Imperatoris, sub quo mortuus & Antiochiæ sepultus est, ideoque saltem ante annum 361. vivere desiit. De eo Hieronymus in Chronico ad annum 247. olympiadis 281. tertium, & in Catalogo c. 91. ubi inter cætera asserit scripsisse *in Evangelia Homilias breves, sed plurimas*. At hujus ad nos scripta non pervenerunt; omnibus quæ ei inscribuntur suppositis, de quibus nos aliquando speciali dissertatione agemus. Plura Bellarminus & Labbeus.

De Isaaco. 430.

Supplementum.

ISAAC claruit circa annum 430. de quo sic Gennadius cap. 26. Isaac scripsit de sancta „ Trinitate & de Incarnatione Domini librum ob- „ scurissimæ Disputationis & involuti sermonis, con- „ firmans ita in una Deitate tres esse Personas, ut „ tamen sit in singulis proprium aliquid, quod non „ habeat alia. Patrem scilicet hoc habere proprium „ quòd ipse sine origine origo sit aliorum: filium „ hoc habere proprium, quòd genitus Genitore „ non sit posterior: Spiritum Sanctum hoc habere „ proprium, quòd nec factus sit, nec genitus, & „ tamen sit ex altero. De Incarnatione verò ita scri- „ bit, ut manentibus in eo duabus naturis, una „ credatur filii Dei Persona. Isaaci ex Judæo ad „ Christum conversi librum fidei *de sancta Trinitate & de Incarnatione Domini* tractantem, Jacobus Sirmondus Soc. Jesu Theologus cum Leporii Presbyteri, Capreoli Episcopi Carthaginensis & Victorini Afri Libellis, primus anno 1630. Parisiis edidit.

De Ursino Monacho. 430.

Supplementum.

URSINUS Monachus scripsit adversus eos „ qui rebaptizandos Hæreticos decernunt, „ docens nec legitimum esse nec Deo dignum reba- „ ptizari illos, qui in nomine vel simpliciter Christi „ vel in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, „ quam-

„ quamvis pravo sensu baptizentur: sed post sanctæ „ Trinitatis & Christi simplicem Confessionem, sufficere ad salutem manus impositionem Catholici „ Sacerdotis. Hæc Gennadius cap. 27. Hoc opusculum anonymum descripsit primùm Jacobus Sirmondus ex mſ. cod. sancti Remigii Remensis, evulgavit Nicolaus Rigault tacito nomine Auctoris inter notas suas ad Cyprianum, designavit Auctorem Philippus Labbeus in tabula præfixa Conciliis à se collectis ultimæ editionis Parisiensis anni 1671. ex fide mſ. cod. Vaticani, ibidemque recudit tom. 1. Conciliorum pag. 770. Ignoravit Joannes Fell doctissimus Episcopus Oxoniensis in ultima editione operum sancti Cypriani anno 1682. Oxonii procurata, ubi dictum opus anonymum reliquit. Floruit anno 430. de quo post Gennadium Honorius Augustodunensis libello 2. cap. 27.

De Uranio. 430.

SUPPLEMENTUM.

URANIUS sancti Paulini Nolani Discipulus, magistro suo morienti anno 431. adfuit, & narrationem de ejus obitu ad posteros transmisit, quam Surius primus ad diem 22. Junii publicavit, ac post eum Franciscus Chiffletius Soc. Jesu in suo *Paulino illustrato* anno 1662. Denique ultimus editor & illustrator Operum sancti Paulini de quo statim tom. 2. pag. 143. editionis Parisiensis 1684. Uranii Paulinus ipse epistola 17. & Isidorus in Catalogo cap. 4. meminerunt.

De Capreolo. 430.

SUPPLEMENTUM.

CAPREOLUS Carthaginensis in Africa post Aurelium Episcopus, scripsit Epistolam *de una Christi veri Dei & hominis Persona*, contra hæresim Nestorii recens damnatam. Eam Jacobus Sirmondus Soc. Jesu Theologus, cum opusculis Dogmaticis aliorum quatuor Scriptorum veterum, qui ante annos amplius mille ducentos claruerunt, Parisiis 1630. edendam curavit. Atque hujus quidem Epistolæ ad Vitalem & Tonantium Hispanos scriptæ, (cùm ibi Nestoriani Dogmatis semina spargerentur) fragmentum ex Pithæanis Schedis, jam antea Baronius in Gestis anni 432. ediderat. Vincentius porrò Lerinensis in posteriore Commonitorio, insuper cum laude meminit *Epistolæ ab eodem Capreolo scriptæ ad Synodum Ephesinam*, quæ extat in Actione 1. ejusdem Synodi: sed & legationis Ephesum à se missæ Capreolus ipse meminit in Epistola à Sirmondo edita.

De Mario Mercatore. 430.

SUPPLEMENTUM.

MARIUS Mercator Laicus, vir eruditus, sancto Augustino familiaris, ipsum consuluit de quibusdam quæstionibus Pelagianorum, ad quem sanctus Doctor Epistolam unam conscripsit, cujus ipse meminit lib. *de octo Dulcitii quæstionibus* quæst. 3. Hujus incerta patria est; Campanum fuisse vel Appulum, vel ex parte Italiæ, quæ vergit ad Siciliam, conjicit eruditus operum ipsius editor, & interpres Joannes Garnerius Soc. Jesu Theologus; ex eo quòd res Celestii Campani Julianique Appuli domesticas privatasque ita noverit, quemadmodum vix alteri licet, quàm qui fuerit ejusdem aut Civitatis aut

A salutem Provinciæ. Laicum fuisse, ex sancto Augustino *filium* eum vocante certum est, libro *de octo quæst. ad Dulcitium quæst.* 3. ubi meminit Epistolæ ad ipsum datæ, quæ nunc primùm extat in nupera editione operum D. Augustini Parisiis hoc anno 1684. procurata, studiis Benedictinorum Gallicanorum Congregationis sancti Mauri. Palmas autem suas in sacro Ecclesiæ adversus Pelagianos bello retulit Marius Mercator, qui contra ipsos *Commonitorium* Theodosio Imperatori obtulit, Florentio & Dionysio Coss. quorum Consulatus incidit in annum 429. Item librum *Subnotationum adversus Julianum Pelagianum* scripsit post obitum sancti Augustini, tempore Ephesini Concilii. *Adversus Nestorii impios Anathematismos*

B *Contradictiones* scripsit anno 451. ante inchoatum Concilium Ephesinum. *Nestorii Sermones & Epistolas nonnullas, Theodori Mopsuesteni fragmenta, sancti Cyrilli Apologetica adversus Orientales, & Theodoretum, nec non varia ex libris ejusdem Theodori excerpta*; ex græco in latinum transtulit. Lege eruditi viri Joannis Garnerii Soc. Jesu præfationem in omnia Marii Mercatoris opera, quæ ipse edidit & notis doctissimis ac Dissertationibus prolixissimis ampliavit, in fol. Parisiis anno 1673. apud Sebastianum Cramoisy via Jacobæa sub Ciconiis, ex mſ. cod. Bibliothecæ Cathedralis Bellovacensis. Hæc porrò Marii Mercatoris opera iterum edidit Stephanus Baluzius in 8. anno 1684. apud Franciscum Muguet, simpliciter

C & absque omni illo ornatu, & immenso apparatu dissertationum ad nauseam prolixarum, resectis græcis omnibus hinc atque illinc ad majorem operis molem à Garnerio appellatis. Unde longè sincerior ad fidem 3. mſſ. Codd. hæc ultima editio est. Agit de Mario Mercatore Natalis Alexander Dominicanus in *selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus* sæculo 5. tom. 1. pag. 219. & 579. unde ista desumpsimus: qui plura voluerit, legat magnum volumen Joannis Garnerii, de quo supra egimus.

De Philippo Presbytero. 430.

SUPPLEMENTUM.

D PHILIPPUS Presbyter, sancti Hieronymi discipulus & fidelis Auditor, scripsit *Commentarium in librum Job*. lib. 3. sermone aperto ac simplici; dedicatum Nectario Episcopo, quem malè habent opera impressa tam sub nomine venerabilis Bedæ, quàm sancti Hieronymi, in quorum operibus legitur. Vidi illos mſſ. in antiquissimo Codice Bibliothecæ Igniacensis in tractu Rhemensi, cum auctoritate Gennadii operi præfixa. Nulli dubium esse debet, quin opus istud Philippi sit, cujus & Gennadius meminit cap 62. & cui Philippo affirmat ipse Beda in libello *de ratione unciarum*. Claruit circa annum 430. cujus sub proprio nomine

E opus impressum in 4. Basileæ anno 1527. apud Adamum Petrum, & ibidem in fol. eodem anno, apud eumdem Adamum Petrum, atque utriusque impressionis exemplum vidimus & tenuimus. Vide Sixtum Senensem in Bibliotheca Sancta pag. 164. qui ejus opera dicit fuisse edita antea sub nomine Bedæ, cum quibus adhuc perperam leguntur.

De sancto Eucherio Episcopo Lugdunensi. 440.

SANCTUS EUCHERIUS Episcopus Lugdunensis vixit temporibus Theodosii Junioris, & Valentiniani: & sub Valentiano, & Martiano Imperatoribus obiit circa annum Domini 433. ut scribunt Gennadius de viris illustribus, & Ado Viennensis

nensis in chronico. Existimat tamen Card. Baronius tomo 3. Annalium, hos auctores falli, & Eucherium vixisse ultra annum Domini 463. quia invenitur Eucherii nomen in subscriptionibus Episcoporum Concilii Arausicani secundi, & Arelatensis tertii. Sed ego suspicor pervenisse etiam ad annos 499. nam in Vita sancti Cæsarii Episcopi Arelatensis dicitur Eucherius Episcopus Lugdunensis aliquando iter fecisse cum ipso Cæsario Arelatensi. Cæsarium autem fuisse in vivis tempore Symmachi Papæ, qui sedere cœpit anno 499. apertè constat ex eadem vita sancti Cæsarii, apud Surium die 27. Augusti. Itaque vel oportet librum Gennadii esse corruptum, vel fuisse duos Eucherios Lugdunenses Episcopos.

Sed quicquid de hoc sit, scripsit S. Eucherius *varia opuscula*, quæ Gennadius enumerat, nec satis novi an adhuc extent. Scripsit etiam teste Claudiano Episcopo Viennensi in libro de statu animæ, *eloquentissimas conciones*, quæ fortasse sunt illæ, quæ sub nomine Eusebii Emeseni nunc extant. Tribuuntur Eucherio libri explanationum in Genesim, & in libros Regum. Sed Eucherii esse non possunt, cùm auctor sæpè sanctum Gregorium citet, & ad finem expositionis libri primi Regum lectorem invitet ad moralia S. Gregorii perlegenda: sanctus autem Gregorius plus centum annis fuerit Eucherio posterior. Fortasse qui hos libros Eucherio tribuerunt, ex eo permoti sunt, quòd Gennadius testatur, scripsisse Eucherium ad Salonium, & Uranium de obscuris sanctarum Scripturarum capitulis.

Porrò auctor hujus operis in Genesim, & in libros Regum videtur fuisse Anglus: nam in tertio libro Commentariorum in libros Regum cap. 22. sic loquitur: Nostris, inquit, nuper temporibus sanctus Gregorius Papa Evangelicis roboratus eloquiis Romanam rexit Ecclesiam & Reverendissimi Patres Augustinus, Paulus & alii socii eorum jubente illo venerunt in Britanniam, &c. Atque ab hoc auctore multa iisdem penè verbis descripsit Beda in suis quæstionibus super libros Regum.

Dissertatio Historica.

Sanctus Eucherius, vir clarissimus, ex Lerinensi Monacho, seu malis, Eremita, ad Archiepiscopatum Lugdunensem electus anno circiter 434. vixit usque ad diem 22. Junii anni 454. quo Valentiniano & Martiano Principibus ad Superos abiit. De ejus ætate, rebusque gestis plura peccarunt Sixtus Senensis, Baronius, Possevinus, Bellarminus, Miræus, &c. cæteris longè accuratiora proposuit R. P. Theophilus Raynaudus in Indiculo de sanctis Lugdunensibus, ubi rectè duos distinxit Eucherios: Primum, ac seniorem, de quo Gennadius cap. 63. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Sidonius Apollinaris in carmine Eucharistico ad Faustum Regiensem Episcopum, Rusticus Episcopus in epist. ad ipsummet Eucherium, quam edidit Sirmondus ad Sidonii lib. 2. ep. 12. Salvianus Massiliensis in ep. ad Salonium, Claudianus Mamertus libro 2. cap. 9. de Statu animæ, ubi ait editis in rem Fidei multijugis variorum operum voluminibus eum eloquentissimas ad populum conciones habuisse, Marcellinus Comes in Chronico, Isidorus cap. 15. de Viris Illustribus, ubi κατὰ πρόληψιν dicitur Franciæ Episcopus, Ado Viennensis in Chronico, Sigebertus in Chronico anno 435. Petrus Damiani lib. 5. ep. 19. Honorius capite 62. libelli 2. & cap. 17. libelli 3. de Luminaribus Ecclesiæ, Trithemius, & recentiores, quibus omnibus præire debuit S. Hilarius Arelatensis Antistes Panegyrica oratione in S. Honoratum decessorem suum: splendidus mundo, splendidior Christo, æmulus virtutis ejus B. Eucherius, cùm ab eremo in tabulis, ut assolet, cera illitis in proxima ab ipso degens insula, (Leronem puto intelligit, quæ modò à S. Margarita nomen habet, cùm sanctus Honoratus Lerinum, quæ ab ipso nomen suum mutuata est incoleret) litteras ejus suscepisset, *mel*, inquit, *suum ceris reddidisti*, quo nullum aliud clarius proponi potest de S. Eucherii Monastica vita (quam degebant in Capraria, Stæchadibus, cæterisque Ligustici maris Insulis oculati illi mundi contemptores, quos paulò ante, aut fortè illo ipso tempore, quo Eucherius unam ex iis incolebat, vocavit Lucifugas viros Rutilius Numatianus in Itinerario) testimonium, nisi fortè testis ipse loculentior accederet de se ipso ad filium Salonium scribens Eucherius, & ad Hilarium in libello de laude Eremi, ut non repetam famosum *Eucherii venientis iter, redeuntis Hilari*, apud Sidonium citato carmine, & alia, quæ non sunt hujus loci.

Alterius ac junioris Eucherii etiam Lugdunensis Archiepiscopi præclara reperitur mentio, tum in vita S. Cæsarii Arelatensis Episcopi, in Martyrologio Adonis ad diem 16. Novembris, in Actis sanctæ Consortiæ hujus filiæ, quæ in antiquis editionibus reperiuntur post Parænesim ad Valerianum de Mundi contemptu, tum maximè in subscriptionibus Conciliorum Arelatensis IV. & Arausicani II. annis 524. & 529. celebratorum; unde mirum mihi accidit, quo pacto post exscriptam penè integram R. P. Theophili Diatribam tam ineptè concluserit Miræus: Magnos adhuc viros persistere in unico Lugdunensi Eucherio statuendo. Certè numquam is mihi magnus, sive Belga, sive Celta, aut Aquitanus videbitur, qui hæc duo non videat ex diametro, ut ajunt, inter se dissidere, hominem, qui anno Christi 432. Urbis Romanæ 1085. ad Valerianum, jam provectæ ætatis, filiorumque adultorum parens scripserit, eumdem potuisse anno 529. Arausione cum Patribus cæteris præside Cæsario, Semipelagianæ hæreseos placita damnare. Certè vel inde patet sedulitatem ac diligentiam in exscribendis aliorum dictis scriptisque parum conferre nisi maturum judicium, καὶ δριμεῖα κρίσις accedat.

Multa tribuuntur Eucherio seniori opuscula, partim γνήσια, partim νοθευόμενα καὶ ἀμφὶς βητούμενα, de quibus sigillatim apto, quantum fieri poterit, ordine pauca pro more Lectorem admonebo.

I. Insignis ad Valerianum cognatum suum *Epistola de contemptu mundi, & sæcularis Philosophiæ*, sive, ut edidit Romæ Manutius de contemptione rerum humanarum, & veræ pietatis sapientiæque studio. In Bibliotheca Coloniensi malè inscribitur, de Vita solitaria, anno scripta U. C. 1085. Christianæ æræ 432. si Varronianam sequutus est putationem. Erasmus jam ab anno circ. 1520. ediderat cum notis, & accuratissimè omnium R. P. Heribertus Rosweidus S. J. anno 1621. Antuerpiæ, nos quoque in Triade SS. Patrum Epistolica eamdem exhibuimus in 32. anno 1646.

II. *Epistola de laude Eremi*, sive de vita solitaria ad sanctum Hilarium Arelatensem postea Episcopum, proindeq; ante annum 430. quam primus edidit Gilbertus Genebrardus anno 1578. recensuit verò anno 1621. notisque illustravit Rosvveidus.

III. *Liber Formularum spiritualis intelligentiæ*, cum Præfatione ad Veranium filium, postea Episcopum: quæ in ms. codice, & in qq. antiquioribus editionibus incipit: Eucherius Veranio filio in Christo Salutem. Formulas, &c. Jo: Alexander Brassicanus J. C. Basileæ, cum iis, quæ sequuntur, opusculis, Formulas illas excudi curavit studiosè recognitas, adje-

adjectis iis omnibus, quæ priùs desiderabantur. Easdem quoque recudit Manutius cum sequentibus Romæ anno 1564.

IV. *Libri duo Instructionum*, ad Salonium alterum filium, ipsum quoque postea Episcopum. I. Quæstiones ac Responsiones de difficilioribus Veteris ac Novi Testamenti locis continet. II. Interpretationem Hebræorum nominum, quæ in sacris libris occurrunt, complectitur. Ac ne quis opus illud in dubium revocet, atque ut tempus, quo conscriptum est, faciliùs possit intelligi, placet ex Præfatione plagulam decerpere: Dignum namque est quacumque cura mea ingenium tuum reparari, qui vix dum decem natus annos eremum ingressus, inter illas Sanctorum manus non solùm imbutus, verùm etiam enutritus sis ab Honorato patre, illo, inquam, primùm Insularum, postea etiam Ecclesiarum magistro: cùm te illic beatissimi Hilarii tunc Insulani tironis, sed jam nunc summi Pontificis doctrina formaret per omnes spiritualium disciplinas ad hoc etiam te postea consummantibus sanctis viris Salviano atque Vincentio eloquentia pariter sapientiaque præeminentibus, &c.

V. VI. *Commentarii in Genesim*, ac *libros Regum*, falsò alterutri tribuuntur Eucherio, cùm eorum auctor Angliam patriam ætatemque suam satis apertè insinuet. Certè S. Gregorium Papam citat pag. 47. & 130. editionis Basileensis, sive extremo libro primo Regum, & cap. 22. libri tertii, ubi etiam meminit sanctorum Augustini, Paulini, & aliorum, qui ejusdem Gregorii jussu in Britanniam venere. Libro quoque 3. cap. 18. citatur Cassiodorus Senator, qui seniori Eucherio junior, juniori συγχρονος, imò & superstes fuit. (*a*) Mentitur egregiè Rivetus, qui Possevino mendacium falsò affingit, dum ait Eucherium scripsisse in Genesim, & in libros Regum ad filios suos, neque id ex Gennadio, Isidoro, aliove teste antiquo, nec vel ex ipso Trithemio probare potest.

VII. *Historia Passionis SS. Mauritii & sociorum Martyrum Legionis Thebææ Agavus in Sedunis Maximiani Imp. jussu interemptorum ad Sylvium Episcopum*: quam à Laurentio Surio editam ad diem 22. Septembris, seorsim quoque cum notis vulgavit Petrus Stevartius anno 1617. De ea hæc Sigebertus cap. 358. de Illustribus Scriptoribus in Marbado Redonensi Episcopo. Scripsit metricè, inquit, passionem Thebæorum quasi pedibus vadens in sententiam Eucherii Lugdunensis Episcopi, qui eam urbana prosa scripserat ad Silvium Episcopum. Uter fuerit Eusebius non asserit, verùm in eorum libentius sententiam eo, qui juniori adscribunt.

VIII. Supersunt, ni fallor, *Homiliæ*, quæ hactenus sub nomine *Eusebii Emisseni*, vel, ut alii corrigere moliti sunt, *Eusebii Gallicani*, apparuerunt. Verùm quod spectat ad eas, quæ de Tempore & Sanctis dicuntur, illas sibi jam vindicavit Bruno Astensis Episcopus Signinus, de quo supra. Quæ autem supersunt de variis argumentis tum ab aliis sæpè sepius, tum post Theodori Studitæ Catecheses studio Joannis Lucineji Canonici Antuerpiensis Latinè redditas anno 1602. Antuerpiæ editæ, eæ, saltem omnes, Eusebium, sive seniorem, sive juniorem, nequeunt parentem agnoscere, cùm quædam Cæsario Arelatensi tribuantur, aliæ verò, maximè quæ de S. Maximo Regiensi Episcopo, & de S. Blandina, sanctisque Alexandro & Epiphodio habitæ sunt, ad Faustum Regiensem Episcopum referendæ sint. Vide doctissimam observationem Sirmondi nostri ad ep. 5. libri 9. & Eucharisticon Sidonii Apollinaris, &c. Enim verò si liceret mihi excurrere, pronum esset ostendere, plures quoque alias, præcipuè eam, quæ inscribitur: *Sermo exhortatorius Faustini Episcopi*, & quæ dicta est in depositione S. Honorati, ad eumdem Faustum pertinere. (*b*) Sed jam fortè diutiùs in istis, nec tamen sine fructu, ut spero, & lectorum voluptate immorati sumus. Neque tamen omittam monere apud Rosvveidum plura observari de libello Ascetico quod Eucherius noster dicitur ex Severo Sulpitio, & Cassiani collationibus collegisse. (*c*)

(*a*) Vide Sixtum Senenensem libro 4. Bibliothecæ sanctæ; qui ait non audere se affirmare eos esse Eucherii, sed incerti potius, ac recentioris cujuspiam collectoris, qui opus more centonum hinc inde collegerit ex dictis Latinorum Patrum, præsertim ex integris sententiis Gregorii, Isidori, Bedæ, & aliorum Auctorum, quos ducentis ferè annis præcessit Eusebius. Quòd si in tanta scriptorum turba divinare liceat, quis hujusmodi explanationum farraginem in acervum congesserit, suspicor hunc fuisse Anglum fortèque Bedam, &c. Possem quoque ad certiorem hujus nostri judicii comprobationem hoc loco subnectere Indicem innumerabilium locorum, qui tam in hoc Formularum spiritualium, quàm in Geneseos & Regum commentarios ex Beda & Gregorio transfusi sunt: sed eos brevitati consulens prætermitto. Hæc ille.

(*b*) Neque enim vera esse potest Joannis Mariæ Brasichellani sententia, qui in Expurgatorio Indice pag. 110. asserit scitum esse inter eruditos S. Eucherii Lugdunensis Episcopi opus esse omnes illas Homilias, quæ nomine Eusebii Emisseni circumferuntur: citatque Tomum 6. Annalium Eccles. Card. Baronii anno 441. num. 4. & seqq.

(*c*) Tomo I. Bibliothecæ Novæ manuscriptorum librorum pag. 665. edidimus in lucem anno 1657. Epistolam Eucherii Episcopi ad Faustum seu Faustinum presbyterum Insulanum de situ urbis Hierosolymitanæ atque ipsius Judææ, quam ex Codice Vaticano Ven. Bedæ de Tabernaculo cum aliquot opusculis descripserat ante 60. annos R. P. Jacobus Sirmondus.

De Claudiano Episcopo Viennensi. 440.

CLAUDIANUS Mamertus Presbyter Viennensis æqualis sancti Eucherii: scripsit insigne opus *de statu animæ*, in quo Eucherii mentionem facit, ut supra diximus. Habetur hoc opus tribus libris comprehensum in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quarto.

Dissertatio Historica.

CLAUDIANUS Mamertus, aliis Mamercus, Presbyter Viennensis Ecclesiæ, sive ut eum in epitaphio compellat Sidonius, *Antistes ordine in Secundo*, hoc est, ut quidam eruditi viri volunt, sub fratre suo S. Mamerto Viennensi Archiepiscopo Chorepiscopus, *fratrem fasce levans Episcopali. Nam de Pontificis tenore summi ille insignia sumpsit, hic laborem.* Finem non facit ejus laudes deprædicandi Sidonius Appollinaris, cujus videsis epistolam 3. libri 4. qua respondet ad Claudiani, quæ præmittitur, epistolam, & undecimam ejusdem libri ad Petrejum nostri Claudiani ex sorore nepotem, cui epitaphium, de quo mox quædam libavimus, inseritur, necnon epistolam secundam libri sequentis ad Nymphidium, ubi peritissimum Christianorum Philosophum, & quorumlibet primum Episcoporum appellat. Floruit circa annum Christi 460. quo verò anno obierit, non liquet, nec dies ejus natalis Romanis Fastis Inscriptus legitur: sed

tantùm fratris ejus Mamerti die 11. Maji, à quo institutas primùm fuisse Rogationes, sive Litaniam Gallic. quæ etiam Minor dici solet, testes sunt idem Sidonius lib. 3. ep. 14. Avitus & ipse ejusdem Ecclesiæ Episcopus Homilia de Rogationibus, Gregorius Turonensis, aliique. Gennadius Claudiani meminit cap. 83. docetque composuisse tres libros, quasi de statu, vel de substantia animæ, in quibus agit tota intentione, ut ostendat aliquid esse incorporeum præter Deum. Extant in Bibliothecis Veterum Patrum Coloniensi & Parisiensibus, ac seorsim etiam editi, nuper quoque Commentariis amplioribus & Glossario illustrati, à Gaspare Barthio, qui textum à R. P. Andrea Schotto Soc. nostræ Theologo emendatum, & à Coloniensibus excusum exhibuit.

Tres libri de statu animæ, adversus Faustum Regiensem Episcopum scripti, ac dicati Præfectorio Patricio, doctissimo viro & optimo Cajo Sollio Sidonio, nondum, ut vel inde apparet, Arvernorum Antistiti.

Extat quoque præter Epistolam ad eumdem Sidonium jam Papam sive Episcopum, cujus supra meminimus, cuique ipse respondit Sidonius, in iisdem illis Bibliothecis nomine ejusdem insignitum.

Carmen contra varios errores, seu, *vanos Poetas*. Certè Claudianum nostrum Mamertum Poetica laude insignem commendat Sidonius in fine laudatæ Epistolæ his verbis: Nate, cui seu liberum, seu ligatum placeat alternare sermonem, intonare ambifariam suppetit, pauci, quos æquus amavit Jupiter, imitabuntur, ut minùs peccasse videantur, qui sancti Damasi Papæ carmen de Christo huicce Claudiano, quàm qui antiquiori Claudiano laudum Stiliconis, & aliorum Gentilium buccinatori perpetuo, ipsique Ethnico Poetæ suppoluerunt, aut qui eidem Mamerto tribuerunt ἀντοχαῖον, seu carmen de collatione Miraculorum utriusque Testamenti, de quo suo postea loco dicemus in Sedulio vero illius parente. In eadem Epistola Sidonius meminit Hymni à Claudiano Mamerto conscripti, quem quidam Scholiastes, teste Sirmondo in suis ad illam notis, censuit esse Hymnum, cujus initium est: *Pange lingua gloriosi prælium certaminis*. Et quidem stylum redolet cultiorem, quàm Fortunati esse soleat, cui tamen illum tribuunt antiqui etiam codices & scriptores. Nec sanè ullus esset ampliùs ea de re ambigendi locus, si plures Gennadii codices mss. firmarent, quod in membranis Cœnobii sancti Michaelis de Tuba profitetur se legisse doctissimus ille antiquitatis Ecclesiasticæ indagator: *Scripsit & alia nonnulla, inter quæ & Hymnum de Passione Domini, cujus principium est, Pange lingua gloriosi. Fuit autem frater Mamerti Viennensis Episcopi*. Quam sanè appendicem tanti fecit Miræus, ut eodem filo atque contextu cum reliquis Gennadii verbis vulgare non dubitaverit. At de his plus jam satis, nisi fortè quis exigat, ut quæ de eo peccavit Trithemius, evolvam per singula. I. Claudium appellat. II. Episcopum Viennensem. III. Litanias instituisse. IV. Claruisse anno 480. (*a*)

(*a*) Ado Viennensis Archiepiscopus in Chronico recenset à Salviano Massiliensi Presbytero scriptum esse ad hunc Claudianum Presbyterum Viennensem librum unum Expositionis extremæ partis in Ecclesiasten, sed cum aliis florentissimi ingenii lucubrationibus periisse arbitror. Vide infra v. Salvianus.

De Sidonio Apollinari. 440.

SIDONIUS Apollinaris vir nobilissimus eodem tempore floruit. Fuit autem Episcopus Arvernensis. Scripsit *varia opera* soluta oratione, & carmine, ut Gennadius refert in libro de viris illustribus. Nunc *extant libri epistolarum* ejus ad diversos, & *carmina* ejusdem simul edita.

Dissertatio Historica.

CAJUS Sollius Apollinaris Sidonius, patre Apollinare Præfecto Prætorio Galliarum natus Lugduni ad Rhodanum, excultus Rhetorica ac Poetica præsertim facultate, Avitum Imperatorem Socerum suum (Papianillam ejus filiam Ecdicii sororem duxerat ex qua Apollinarem filium duasque filias ante Episcopatum suscepit) Majorianum & Anithemium Augustos carminibus panegyricis celebravit, ab hoc Præfectus Urbi ac Patricius creatus, dein post Eparchium Præsul Arvernorum, seu quod idem est, Claromontanus Episcopus suffectus anno circiter 472. Christiano vigore pollens, Ecclesiam sibi commissam etiam inter barbaræ ferocitatis duritiem per plures annos difficillimis temporibus administravit, Biturigibus concionem habuit in electione Simplicii Archiepiscopi, quam ad Perpetuum Turonensem Antistitem misit, in exilium postea actus, tum revocatus Arvernos, ibidem sanctissimè obiit Zenone Imperante anno, ut videtur, 482. die Sabbati 23. Augusti, cùm successorem suum designasset Aprunculum Lingonis pulsum, sepultusque est in S. Saturnini ædicula, unde in Genesianam basilicam deinde translatus est. Gennadius cap. 92. docet scripsisse varia & grata volumina & sanæ doctrinæ. Claudianus Mamertus vocat eum eruditorum sui ævi peritissimum ac disertissimum, eique libros tres de Anima adversus Faustum dedicavit. De eodem Ruricius Senior Lemovicensis Antistes in epistolis, Avitus Viennensis ep. 38. Gregorius Turonensis libro 2. Historiæ capp. 22. 23. 24. aliisque locis, Flodoardus libro 1. Historiæ Rhemensis cap. 12. Aimoinus, Sigebertus, Honorius Augustodunensis, Trithemius, Baronius, & Sirmondus qui vitam ejus cultissimo stylo conscripsit, ac vetus Epitaphium addidit, in quo verè Sidonius dictus reperitur, nulli incognitus & legendus orbi.

Ejus opera, hoc est *Epistolarum libros novem & Carmina numero* 20. ediderunt, ac Scholiis Commentariisve uberibus illustrarunt Joannes Colutius & Joannes Savaro: sed in eo auctore explicando præcipua effulsit industria R. P. Jacobi Sirmondi, Ricomagensis, Arverni, Societatis Jesu anno 1614. in 8. apud Sebastianum Cramosium, qui anno 1652. post Sirmondi obitum eadem Commentaria in quibusdam auctiora & castigatiora typis iterum emisit in 4. nobis ut quàm emendatissima prodirent adlaborantibus. Ut verò videas Lector, quid sperare debeas emolumenti ex lectione Heterodoxorum Criticorum, placet pauca subtexere ex Patrologo Jenensi Lutherano. Fuit, inquit, Episcopus Avernensis (Baron. Arvernensis legit). Alii Claromontanum Episcopum fuisse referunt. Floruit circa annum 440. O miseram Segregum sortem, qui tales magistros ad cœlum evehunt & Catholicis Doctoribus objicere non verentur.

De Joanne Cassiano. 440.

JOANNES CASSIANUS sancti Joannis Chrysostomi olim Diaconus, & postea ad Gallias accedens, ibique sedem figens apud Massiliam Presbyter ordinatus, scripsit Latino idiomate.

De habitu Monachorum, & de canonico Orationum & Psalmorum modo, lib. 3. *Institutionum*, 1. *De origine & remedio octo principalium vitiorum*, 8. *Collationes Patrum*, 24. *De Incarnatione Verbi*, 7.

Et

Et hoc opere expleto ad petitionem Leonis, postea summi Pontificis, finem vivendi fecit Theodosio juniore, & Valentiniano regnantibus, ut testatur Gennadius in libro de viris illustribus. Hæc omnia extant, & utiliter legi possunt, excepta collatione tertia decima, & paucis aliis, quæ in editione Romana notata sunt.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES Cassianus, natione Scytha ex Theodosia Tauricæ Chersonesi urbe oriundus, sed patria Atheniensis, in Bethleemitico cœnobio à pueritia educatus, Ægyptum cum Germano populari suo peragravit, & Monasteria, sanctosque Patres frequens invisit. Constantinopolim profectus, à S. Joanne Chrysostomo illius Ecclesiæ Diaconus creatus est, & ab eodem ad Innocentium I. Papam legatus missus cum Germano Presbytero anno 403. vel sequenti. Aliquot post annis ab eodem Pontifice factus Presbyter, capta ab Alarico Romana urbe, Massiliam anno circiter 410. venit. An venerit in Planosiam seu Lerinam Insulam valdè mihi dubium est, neque hoc testimonio Eucherii ad Hilarium de laude Eremi ulla ratione confici potest, aut præfatione in septem Collationes trium Anachoretarum in Thebaide commorantium. Incertum quoque an Forum Julii unquam adierit, aut Stæchadas Insulas saltem anno 411. post quem longo intervallo scripsit Collationes suas, ut postea certis indiciis docebimus. Massiliam appulsus Monasterium instituit à S. Victore Martyre deinceps nuncupatum, ubi per plures annos vixit sanctissimè usque ad diem 10. Kalend. Augusti, S. Apollinari sacrum, quo obiit anno, ut volunt, 448. ætatis 97. Alterum quoq; mulierum cœnobium fundavit, quod ætate Gennadii adhuc extabat. De eo præter S. Prosperum ejus adversarium, & Cassiodorum, videndi Gennadius Massiliensis cap. 61. atque ex recentioribus, ut antiquiores omittam, Baronius, Possevinus, Gazæus, & in postrema editione additus Auctor Vindiciarum tutelarium pro sanctitate Cassiani, cui Lector jungere poterit Cassianum illustratum R. P. Jo: Bapt. Guesnæi, eloquentia & mira digressionum copia vernantem.

Omnia ejus opera Latinè scripta, ut res ipsa clamat, & postea ab aliquo in Græcam dialectum saltem ex aliqua parte conversa, ut ex Photii codice 197. & Vaticanæ Bibliothecæ 1578. membranis constat, sæpè prælo fuere commissa. Præcipuè editiones Romanæ Petri Ciacconii annorum 1580. & 1611. Antuerpiensis cum notis & censuris Henrici Cuquii postea Ruræmondensis Episcopi, Duacena anni 1616. duobus Tomis in octavo, studio D. Alardi Gazæi Monachi Benedictini, qui anno 1628. secundis curis in folio eadem recudenda curavit. Atrebati, in quo decumano volumine hæc continentur.

Vindiciæ Titulares pro sanctitate Joannis Cassiani.

Jo: Cassiani de Institutis Cœnobiorum, & octo principalium vitiorum remedii libri 12. ad Castorem Aptensem Episcopum, cum commentario ejusdem Alardi Gazæi Cœnobitæ Vedastini O. B. sunt qui in duas partes secent, & libros quatuor institutis Monasteriorum, seu Renunciantium, libros verò octo Colluctationi adversus totidem capitalia vitia adsignet.

Collationes Patrum numero 24. ab eodem itidem Gazæo commentariis illustratæ. Priores decem Patrum in Scythica eremo commorantium dicatæ sunt post mortem Castoris Leontio Episcopo Forojuliensi, & Helladio Monacho. Hic tamen postea factus Episcopus videtur ex duabus præfationibus, & de quibus mox dicendum. Ex Photii verò codice 197. colligere vidimus Helladium hunc (neque enim de Leontio id potest intelligi) fuisse tum cœnobii S. Castoris, cujus causa regulæ illæ missæ fuerant, moderatorem, quem nodum alii solvere nequiverunt. Septem quæ sequuntur Patrum in Thebaide Ægypti consistentium ad Honoratum & Eusebium sanctos Fratres missæ sunt, unde patet scriptas fuisse ante annum 426. quo Honoratus ex Abbate Lerinensi creatus est Archiepiscopus Arelatensis. Septem postremæ cum præfatione ad Jovinianum, Minervium, Leontium, & Theodorum Monachos in Stæchadibus habitantes scriptæ videntur post annum 426. in ea enim fit mentio Helladii & Leontii Episcoporum, Honorati item Episcopi & Eucherii famuli Christi. Neque tamen in sententiam iverim Gerardi Jo. Vossii, qui ex Abbate Urspergensi affirmat anno 432. scriptas fuisse, quod falsum esse, & quæ mox diximus, & Honoratus anno 429. aut circiter defunctus convincunt.

Dionysii Carthusiani Doctrina Catholica Collationi 13. substituta. D. Prosperi Aquitanici liber de Gratia Dei & libero arbitrio, contra Collatorem. Cælestini Papæ pro Prospero & Hilario, de Gratia Dei epistola ad quosdam Galliarum Episcopos. Canones secundi Arausicani Concilii de libero arbitrio &c. D. Prosperi epistola ad Augustinum. R. D. Henrici Cuykii Episcopi Ruræmundensis Annotationes, sive Censoriæ notæ ad Joannis Cassiani libros.

Petri Ciacconii Presbyteri Toletani Observationes in eumdem Cassianum, *Joannis Cassiani de Christi Incarnatione, libri septem adversus hæresim Nestorii*, ad S. Leonem Papam, ejusque jussu scripti, ideoque post annum 440. quo ipse factus est Romanus Pontifex, quibus accessit quoque ab eodem Alardo Gazæo commentarius, unde patet errasse Trithemium, Sixtum Senensem, Maraccium, eosque ex quibus accepere, dum spiritum egisse volunt Massiliæ anno 435. ætatis 97. die 23. Augusti. Vide præfationem, & expende verba Gennadii non interpolati. Nec Baronius scopum attigisse quibusdam videtur. Fateor tamen multa in his libris reperiri ex quibus annus 429. aut 430. designetur, cùm Nestorius adhuc Const. sedem obtineret, necdum edicto Concilii Ephesini depositus, aut sententia Theodosii Imperatoris in Vasim deportatus. Quare cùm ad S. Leonem Papam scripti dicuntur, intelligendum erit ad eum qui tunc S. R. E. Archidiaconus decennio postea factus est supremus Pontifex. Regula S. Pachomii olim à S. Hieronymo Latinè translata, ejusdem Gazæi scholiis & notis illustrata.

Flores Cassiani, sive illustriores sententiæ ex ejus operibus collectæ, cum quatuor Indicibus.

Impurissimus profanæ Aræ ministellus Andreas Rivetus, qui de Libris à se non lectis ausus est judicium ferre, libros septem de Incarnatione rogatu Leonis Papæ scriptos asserit adversus Eutychianos, cùm de iis ne verbum quidem ullum sit in toto illo opere, ex propria ipsius ac Centuriatorum Magdeburgensium confessione eruditissimo stylo, puro, terso, & rerum dignitati respondente sanctissimè conscripto; sed omnis ejus impetus, & mirandum divinæ eloquentiæ robur fertur in Nestorium, quem sub finem auctoritate, ac pondere sanctorum Patrum Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii Nazianzeni, Athanasii, ac Joannis Chrysostomi, aliorumque perinde obruit, ac Catholici Lutherum, Calvinum similesque à fide majorum suorum apostatas eliserunt. Certè vel sola illa libri se-

ptimi clausula sufficit, ut cordati omnes Patribus fidem habere malint, quàm spurcissimis eorum obtrectatoribus.

De Vincentio Lirinensi. 440.

VINCENTIUS Monasterii Lirinensis Presbyter æqualis Cassiani fuit, quippe qui paulò post Concilium Ephesinum se scripsisse testatur, id est, tribus annis post Concilium celebratum. Scripsit *opusculum* parvum mole, sed virtute maximum, *de prophanis vocum novitatibus*, Libellus extat, & utilissimè legitur.

Dissertatio Historica.

VINCENTIUS natione Gallus, apud celeberrimum Lerinensis insulæ Monasterium Presbyter ac Monachus, cujus præceptis informatum constat fuisse Salonium S. Eucherii Lugdunensis postea Antistitis filium, scribebat anno 434. aureum adversus Hæreses libellum triennio scilicet post celebratam Ephesinam Synodum ut ipsemet testatur. De eo Gennadius cap. 64. hæc habet: Vir in scripturis sanctis doctus & notitia Ecclesiasticorum dogmatum sufficienter instructus composuit ad evitanda Hæreticorum collegia nitido satis & aperto sermone validissimam disputationem, quam absconso nomine suo titulavit, Peregrini adversus Hæreticos. Cujus operis, quia secundi libri maximam in Schedulis partem à quibusdam furatam perdidit, recapitulato ejus paucis sermonibus sensu pristino compegit, & uno in libro edidit. Moritur Theodosio & Valentiniano regnantibus: ideoque ante annum 450. quo 29. Julii recessit Theodosius junior. Hunc fuisse fratrem sancti Lupi Trecensis Episcopi perhibent, qui suscepta cum S. Germano Autisiodorensi Episcopo in Britanniam adversus Pelagianos legatione, & pacati civibus suis Attilæ Hunnorum Regis gloria nobilis in omnium ore versatur. Fuerunt & alii duo aut tres eodem nomine sub ea tempora insignes: Vincentius Presbyter, qui Rejensi Concilio anno 439. subscripsit sive Constantini Episcopi, & qui capite 80. à Gennadio celebratur Vincentius Presbyter & ipse natione Gallus, in divinis Scripturis exercitatus, linguam habens usu loquendi & major electione politam, commentatus in Psalmos. Cujus operis legit aliqua homini Dei (sunt qui legant homo Dei) Cannatæ me audiente promittens simul, si Dominus vitam & vires daret, se in toto psalterio eodem studio laboraturum. Hæc ille.

Commonitorium prius adversus profanas omnium hæreseon novitates pro Catholicæ fidei antiquitate & universitate, cum ultimis tribus capitulis Commonitorii sive libelli posterioris, sæpius prodiit hactenus & proprio Vincentii Lerinensis & alieno Peregrini nomine inscriptum tum seorsim, tum in Bibliotheca Veterum Patrum atque hujusmodi opusculorum Ecclesiasticorum systematis. Notis illustrarunt Joannes Costerius, Bartholomæus Petrus Lintrensis Theologus Duacensis qui etiam ut audio, neque enim venit in manus meas, addidit Dissertatiunculam apologeticam de Vincentio ejusque scriptis, & Joannes Filesacus Doctor Parisiensis, cujus Commentarii prodierunt anno 1619. Parisiis in 4. Videnda quoque opuscula Veterum quorumdam Theologorum Gallorum ex recensione Petri Pithæi vulgata in eadem urbe Parisiensi anno 1586. necnon sandapila Silicernio Quinti Evangelii, hoc est Lutheranismo & Calvinismo ad Orcum efferendo humeris ac nisu valentissimorum quatuor succollatorum, Tertulliani, Vincentii, Edmundi Campiani, & Leonardi Lessii, impressa Lugduni in 16. anno 1622. sumptibus Claudii Landry. Audio quoque Callixtum Lutheranum hæreticum, qui Helmostadii periit, Commonitorium illud recensuisse, & edidisse.

Quæritur inter eruditos, quis Auctor fuerit Vincentianarum objectionum adversus scripta & doctrinam S. Augustini, quas Prosper Aquitanus retulit, refellitque. Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium die Maji 24. tribuendas esse suspicatur Vincentio Presbytero, cujus meminit Gennadius cap. 80. Verùm ratio temporum reclamare videtur: Is enim quem Musæo Massiliensis Ecclesiæ Presbytero, qui mortuus est Leone & Majoriano imperantibus subjicit, præmittitque Samueli Edessenæ Ecclesiæ Presbytero, qui initio collati Anthemio Imperii scribebat, quemque legentem suos in Psalterium Davidis commentarios audivit Gennadius, cùm ferverent quorumdam studia in Augustinum anno circiter 430. vix puer erat, & ex primis infantiæ crepundiis egressus, nec is qui adversus tam fortem adversarium lacertos auderet attollere ac de arduis illis gratiæ, liberi arbitrii ac prædestinationis quæstionibus disputare. Quidam apud Baronium loco citato, atque ex Heterodoxis Catholicæ veritatis hostibus Andreas Rivetus, & si qui alii, ut libello illi, quem tantum non ad cœlum ac sanè meritissimo jure Pontificii, quoque se obtritos ac profligatos ultrò fatentur, cùm ad cor redeunt sanamque mentem, omnes à fide majorum suorum Apostatæ Ministri ac Prædicantes Lutherani, Zvvingliani, Calviniani, Anabaptistæ, Sociniani, &c. fidem & auctoritatem juxta Semipelagianismi suspicione laborare contendunt, eique Vincentianas illas objectiones adscribere moliuntur. Sed quibus amabo quàm levibus & inanibus argumentis? Ea Deo dante proponemus & refutabimus in Examine Heterodoxorum Criticorum. Interim moneo mirari omnes Catholicos ac Hæreseos paulò cæteris prudentiores singularem impudentiam Ministelli illius, qui Cardinalem Perronium Gallicani Cleri ac Romanæ Purpuræ decus singulare sugillare ausus est, quòd Ecclesiæ Romanæ exemplo, quæ in Fastis suis die 24. Maji hæc quotannis recitare jubet filios sibi obsequentes: In Monasterio Lirinensi Vincentii Presbyteri doctrina & sanctitate conspicui Vincentium Lirinensem Presbyterum novo crimine nec ullis apud Novatores lustralibus undis expiando, Sanctum appellarit. Meminisse debuerat quisquis ille est avitæ Religionis Desertor Divinæ Augustini Hipponensis Episcopi sententiæ: qua vel sola profanas jugulare potest sectarum Lutheri atque Calvini novitates in epistola 118. ad Januarium: SI QUID TOTA PER ORBEM FREQUENTAT ECCLESIA, QUIN ITA FACIENDUM SIT, DISPUTARE, INSOLENTISSIMÆ INSANIÆ EST.

De Socrate, & Sozomeno. 440.

SOCRATES & Sozomenus historiam Ecclesiasticam scripserunt ab eo tempore in quo desinit historia Eusebii Cæsariensis, usque ad tempora Theodosii junioris. Eodem tempore vixerunt, & quod dolendum est, uterque Novatianis erroribus favisse dignoscitur.

Dissertatio Historica.

SOCRATES, Scholasticus, Ammonii & Helladii Alexandrinorum Const. degentium in Grammaticis discipulus, secta Novatianus ὁ τὴν προσηγορίαν, οὐ μὴν δέ γε καὶ τὴν προαίρεσιν καθαρός, ut cum Nicephoro Callistide in Prologo Historiæ loquar, inchoa-

choatam à Constantino Magno Historiam Ecclesiasticam atque in libros 7. tributam perduxit spatio 140. annorum usque ad Theodosium juniorem ejusque XVII. Consulatum anno 439. cum Festo initum, De eo liberatus cap. 1. Breviarii, Cassiodorus c. 17. de Divinis Lectionibus, Evagrius lib. 5. cap. 24. aliisque locis, Photius codicibus 28. & 30. Sigebertus cap. 10. Catalogi Virorum Illustrium, Anastasius Bibliothecarius in Præfatione ad Historiam Ecclesiasticam Joanni Diacono nuncupatam, Petrus Siculus in Historia de Manichæis & sua ad Armenios Legatione, Trithemius, Jacobus Billius Prunæus, Franciscus Turrianus, Card. Baronius & Bellarminus, Possevinus, Ger. Jo. Vossius Tractatu de Græcis Historicis secundæ præsertim editionis, quam non vidit qui primam exscripsit Miræus, aliique passim. De versionibus ejus Latinis ab Epiphanio Scholastico Wolphgango Musculo, & Joanne Chrystophorsono Anglo Episcopo Cicestrensi elaboratis, non est quod hic plura dicam, ut neque de Græcis aut Græco-Latinis editionibus, cùm sint in omnium manibus. Cassiodori dumtaxat verba huc adducam è Præfatione in Tripartitam, quam vocant. Hanc Historiam Ecclesiasticam à tribus Græcis Auctoribus mirabiliter constat esse conscriptam: uno scilicet Theodoreto venerabili Episcopo, & duobus disertissimis viris Sozomeno & Socrate, quos nos per Epiphanium Scholasticum Latino condentes eloquio necessarium duximus eorum dicta deflorata in unius Styli tractum perducere, & de tribus auctoribus unam facere dictionem.

HERMEAS, Sozomenus, patria Salaminius, in forensibus actionibus diu Const. versatus dictusque ob eam rem Scholasticus, ὁ δίκας λέγων. Historiam quoque scribere aggressus est libris novem, à primi Constantini Imp. tempore, hoc est ab anno Christi 324. quo III. Consul cum fratre suo Constantino Cæsare fuit Crispus & ipse Cæsar usque ad Theodosii junioris Imperatoris, cui eam dedicavit, Consulatum 17. sive annum 439. Multa deesse, hoc est Historiam universam annorum ferè 20. ab anno 420. ad finem usque discimus ex epistola nuncupatoria ad Theodosium juniorem Augustum, in qua singulorum librorum argumenta exponit. De eo Cassiodorus cap. 17. de Divinis Lectionibus, sanctus Gregorius ep. 95. libri 6. ubi docet ab Apostolica sede non recipi, quoniam multa mentitur, Anastasius Bibliothecarius initio Historiæ Ecclesiasticæ Photius codice 30. Nicephorus Callisti in proœmio Historiæ ubi interpres ejus Langus ineptè Hermeam reddit Mercurialem ut aliàs jam observatum, Sigebertus cap. 11. Trithemius qui Zozomenum scribit, Baronius, Possevinus, Vossius, ex quo & Bellarmino sua concinnavit Miræus. Ejus verò interpretes atque editiones disces ex iis quæ in Socrate ejusdem cum eo Novatianorum sectæ Scholastico pariter atque Historico docuimus.

De Sixto Tertio. 440.

SIXTUS TERTIUS Papa sedit Romæ tempore Valentiniani tertii Imperatoris. Scripsit insignem *epistolam ad Joannem Antiochenum*: cujus fragmentum extat in libro Vincentii Lirinensis. Scripsit etiam *alteram ad omnes Orientales*, quæ extat in tomo primo Conciliorum. Extant etiam duæ in tertia parte Concilii Ephesini, editionis Romanæ, extat præterea in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 5. secundæ editionis sub nomine Sixti tertii Pontificis liber de divitiis: & alter de castitate, & epistola de malis doctoribus: quæ tria volumina falso adscribuntur Sixto Pontifici, cùm sint plena erroribus Pelagianorum. Sixtus enim, cùm adhuc Presbyter esset primus damnavit Pelagium, unde est epistola 105. Augustini ad Sixtum: ac deinde magno zelo Pelagianos insecutus est, ut testatur Prosper.

Dissertatio Historica.

SANCTUS SIXTUS III. Romanus Pontifex per annos 7. & menses undecim, ab an. 432. ad diem 28. Martii anno 440. quo obiit, sepultus in Basilica S. Laurentii extra muros via Tiburtina. Huic, quem malè Sixtum II. hujus nominis Papam vocavit Possevinus, falsò tribuuntur tum seorsim Romæ anno 1573. in 8. editi, tum Bibliothecis Vet. Patrum inserti, libelli tres.

1. *De Divitiis*. 2. *De malis Doctoribus, operibus fidei, & judicio futuro*. 3. *De castitate, ad quemdam verè Christianum adolescentem*.

Quos ab anonymo quopiam Pelagiana fuligine aspersos docuerunt Lindanus, Baronius, Possevinus, Bellarm. & ex eo Miræus, qui & nonnulla addit ex Bibliotheca ms. Joannis Molani. Videndus quoque Romanus Index Expurgatorius Joannis Mariæ Brasichellani mihi pag. 167. & sequentibus. Neque enim in iis ac similibus diutiùs hærendum censeo.

De Isidoro Pelusiota. 440.

ISIDORUS PELUSIOTA Monachus doctissimus floruit tempore Theodosii junioris, ad quem extat ejus epistola apud Cardin. Baronium tomo quinto Annalium ad annum Domini 431. Scripsit *epistolas plurimas*, quas Græcè, & Latinè impressas habes Parisiis opera Billii anno 1585.

Dissertatio Historica.

ISIDORUS Presbyter Ægyptius sanctissimus & magnæ in Ecclesia Christi gloriæ vulgò Pelusiota dictus, quòd juxta urbem Ægypti Pelusium, quibusdam modò *Belbeis* vel *Damiata* appellatam, monasticam vitam exercuerit (sunt & qui Abbatem vocent Pelusiaci montis in Ægypto) fuisse S. Joannis Chrysostomi discipulum, & floruisse sub Arcadio ejusque filio Theodosio minore constat. Obiit die 4. Februarii post annum 431. neque enim certus mortis ejus annus cognosci potest. De eo Facundus Hermianensis Episcopus lib. 2. Defensionis trium capitulorum. Evagrius lib. 1. Historiæ c. 15. Usuardus in Martyrologio, Suidas in Lexico qui ter mille Epistolas scripsisse asserit sacræ Scripturæ recondita mysteria interpretantes (quamquam hactenus bis mille ac tredecim dumtaxat prodierint) aliàs verò insuper septies mille & alia quædam, Guillelmus Tyri Archiepiscopus libro 19. cap. 12. & libro 20. cap. 5. Nicephorus Callistus libro 14. Historiæ Ecclesiast. cap. 24. 28. 30. 53. & ex recentioribus Sixtus Senensis qui ait se vidisse Venetiis in Bibliotheca Marciana volumen manuscriptum complectens hujus sancti viri 1148. Epistolas, Baronius, Possevinus, sed præcipuè Sirmondus noster in Notis ad Facundum.

Parisiis prodierunt anno 1658. ejus Epistolarum libri quinque de interpretatione Divinæ Scripturæ Græcè & Latinè ex variorum interpretum versione.

Tres libri priores, ex interpretatione V. C. Jacobi Billii Prunæi, quæ post ejus mortem excusa fuit 1385. cum ejusdem doctissimi ac sanctissimi Abbatis sacrarum Observationum libris duobus opera Joannis Chatardi Arvernii viri eruditi.

Quartus liber, interprete Conrado Ritterhusio J. C. qui & notas uberiores, Summas Indicesque priori-

prioribus libris adjecit ex editione Commeliniana anni 1605.

Quintus denique liber, interprete R. P. Andrea Schotto, Antuerpiano, Soc. JESU Presbytero, ex editione Græca Antuerpiensi anni 1623. & Romana Latina 1624.

Supersunt verò adhuc multæ è tenebris afferendæ in publicam lucem, si verè dixit Nicephorus ab eo scriptas fuisse Epistolarum propè Chiliadas decem omnis generis Divinæ simul & humanæ gratiæ refertarum, in quibus omnem Scripturam sacram clarissimè exponit, omnesque omnium ordinum mores instituit. Quis verò sit *Isidorus* ille *Diaconus* cujus Chronographiam citat S. Joannes Damascenus sub finem libri 3. de Imaginibus quæritur: Incertæ quoque mihi ætatis est Isidorus Thessalonicensis Episcopus vir pius & doctus, quem scripsisse Græcas Homilias in Lucam, quæ in Vaticana Bibliothecà habeantur testis est Sixtus Senensis libro 4. Bibl. sanctæ. (*a*)

(*a*) Iis verò quæ de Isidoro Pelusiota observavimus adjungo, quæ noster Henschenius plena manu congessit ad diem 4. Februarii mensis, & corrige quæ de Usuardo dixi. Sunt & alia plura sparsim à me animadversa, sed levioris momenti. In cenotaphio verò Joannæ Papissæ diruto hæc occurrerunt.

De sancto Petro Chrysologo. 440.

SANCTUS PETRUS Chrysolog. Episcopus Ravennas à Sixto Tertio Papa Episcopus creatus scripsit *homilias* 122. breves, sed disertas. Scripsit etiam insignem *epistolam ad Eutychetem* hæresiarcham exhortans illum ad obedientiam sancto Leoni præstandam in materia fidei potissimùm. *Hortamur*, inquit, *te*, *ut iis*, *quæ à beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt obedienter attendas: quoniam beatus Petrus*, *qui in propria sede vivit*, *& præsidet*, *præstat quærentibus fidei veritatem*. Habetur *alia epistola* inter epistolas, quæ præcedunt Chalcedonense Concilium.

Dissertatio Historica.

SANCTUS PETRUS, natus in Foro-Cornelii, quod recentiores Imolam vocant, nobili genere, Chrysologus ob aureum eloquentiæ flumen dictus, à Sixto III. Romano Pontifice Ravennatium Episcopus factus anno circiter 433. monitu SS. Petri Apostoli & Apollinaris primi ejusdem urbis Antistitis. Obiit in patria sua die 2. Decembris anno circiter 449. aut 450. (siquidem anno sequenti 451. data extat epistola 57. S. Leonis Papæ ad Leonem in Ecclesia Ravennatensi Petri Chrysologi successorem) & à civibus suis in Ecclesia Cathedrali ante altare sancti Cassiani sepultus est. Unde arguas non minimum errorem ejus, qui Summarium Vitæ Chrysologi præmisit ejus operibus, dum ait duobus Conciliis intefuisse subscripsisseque, quorum alterum Ravennæ, alterum Cœlii Symmachi Pontificis Maximi, itemque Theodorici Ostrogothorum Regis jussu indictum est. De eo Martyrologium Romanum dicta die, Hericus Antisiodorensis Monachus libro sexto vitæ S. Germani, Petrus Damiani sermone de S. Barbatiano, Trithemius, Hieronymus Rubeus, Sixtus Senensis, (*a*) Baronius, Possevinus, & Ughellus Tomo II. Italiæ Sacræ

Homiliæ ejus 122. aut 176. extant in Bibliothecis Veterum Patrum Parisiensibus & Coloniensi, seorsim quoque Coloniæ; Parisiis, Venetiis, Antuerpiæ, &c. necnon cum operibus SS. Leonis Papæ & Maximi Taurinensis Parisiis anno 1623. deinde Lugduni sæpius in Heptade.

A *Epistola ad Eutychetem Archimandritam Const. Hæreticum* anno 449. scripta extat in Annalibus Ecclesiasticis, & in postremis operum ejus editionibus. Altera quoque ejusdem epistola legitur inter eas quæ Concilio Chalcedonensi præmittuntur.

Quis porrò, ut id obiter dicam, non miretur impudentiam Patrologi Jenensis, & in veteri Historia inscitiam, qui erroris Chrysologum accusare audeat quòd in epistola ad Eutychetem exhortetur illum ad obedientiam Leoni Papæ præstandam in materia fidei potissimùm? Hortamur, inquit, te, ut iis, quæ à beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria sede vivit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Hæc ille ante celeberrimam S. Leonis Papæ

B ad Flacianum epistola, cui ut certissimæ Fidei normæ frequentissimus Patrum Chalcedonensium Senatus subscripsit, & Gelasius Papa anathemate ferit omnes, qui illi vel ad unum jota non subscriberent. Grande ergo scelus Chrysologi nullisque flammis expiandum, quod Archimandritam hæreseos auctorem ad id faciendum hortatus sit, quod universus orbis & Catholica hactenus præstitit Ecclesia. Verùm miseros homunciones Lutherano poculo ebrios excæcavit malitia, & in Romanam sedem impotens furor. Nos ad institutam operam revertamur.

(*a*) Moritur, inquit lib. 4. Biblioth. suæ apud Foro-cornelienses circa annum Domini quingentesi-

C mum sub Anastasio Augusto, cùm jam præfuisset Ecclesiæ Ravennati annos circiter sexaginta, duobus Conciliis, quibus summa cum laude interfuit, magnopere illustratus. Quæ ut cernis procul à veritate deflectunt; Sermones autem Petri idem breves quidem vocat, sed sensus gravitate venerandos, candore sermonis venustisque verborum flosculis amœnos, argutis quibusdam sententiolis naturali quadam facilitate fluentibus jucundos & validis quibusdam affectibus, tragicis interdum verbis expressis admirandos. Nuperi Eucharisticarum lectionum Collectores mortem ejus designant 3. Decembris anni 45c. cùm tamen Martyrologia diem præcedentem annotent, ac sancti Germani Episcopi Antisiodorensis sanctitate ac miraculis celeberrimi, tre-

D decim minimùm annis, quàm oportuerit, celerius mortem Ravennæ obitam anno scilicet Christi 435. affigunt. In nostram quoque Dissertationem irrepsit nescio quo pacto geminus error jam alibi observatus. Debuerant quippe Typothecæ exhibere 37. S. Leonis epistolam ad Leonem Ravennæ Episcopum datam sub Consulatu Martiani Augusti. Hyppolitus Maravius mendos è patria Foroliviensem fuisse tradit & sermonem de Nativitate B Mariæ Virginis qui inter ipsius opera modò non extat, citari docet à Bartholomæo Pisano in præfatione librorum de vita B. Mariæ.

E

Supplementum.

PETRUS CHRYSOLOGUS Ravennæ Episcopus, de quo abundanter ejusque scriptis Possevinus, *in Apparatu sacro*, & Labeus in opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quos legas. Hæc opera sæpius impressa in Galliis cum operibus sanctorum Leonis Papæ primi, Maximi Taurinensis Episcopi, Fulgentii Ruspensis, & aliorum: sed separatim in 8. Lugduni anno 1636. licèt optima eorum impressio sit ea quam procuravit Dominicus Mita Bononiensis Presbyter factam Bononiæ in 4. apud Carolum Zenerum anno 1643. cum notis atque ad antiqua mss. exemplaria Collationibus, quam legito. Hujus autem sancti Antistitis Homilias seu Sermones, olim ab Annis ad minus Nongentis collegit in unum alius Pontifex

tifex nomine Fœlix, quibus addidit parvulum Prologum ad indubiam eorum veritatem, à me erutum ex mſſ. tribus codicibus operum ſancti Chryſologi, in Bibliothecis Fuſniaci, Signiaci ac Longipontis Ciſtercienſis Ordinis, quem hìc exprimere juvat utpote valdè brevem.

Prologus ad ſermones Sancti Petri Ravennatenſis Eccleſiæ Epiſcopi.

„ Beatus Pontifex Petrus Ravennatenſis Eccle-
„ ſiæ præfulgidum decus, & Catholicæ veritatis
„ præcipuus Doctor, calore ſuperni amoris accen-
„ ſus & rigatione perennis gratiæ irroratus, digno
„ eloquii ſui ornamento vernantium lectionum opuſ-
„ cula de ſingulis Evangeliorum parabolis polito
„ ſermone conficiens, delectabili dulcedine aures
„ omnes replevit & corda. Proinde dilectiſſimi,
„ tanti Paſtoris intentum & anxia mente legamus,
„ & ardenti deſiderio ulniſque ſpiritalibus ample-
„ ctamur; quatenus fructum laboris in veſtræ men-
„ tis cellaria recondentes, ſimul cum eo magnificæ
„ laudis gloria perfruamur, & præmia æterni mu-
„ neris capiamus. Hæc humilis Præſul Fœlix de pau-
„ perculi cordis cellario ſermonis exiguum legenti-
„ bus obtulit munus.

Porrò Fœlix iſte eumdem in mſſ. Codd. ordinem inſtituit, quàm qui vulgaribus operum ſancti Petri Chryſologi impreſſionibus hucuſque legitur. Fœlix ipſe Epiſcopus Ravennatenſis ſuum hunc Prologum Sermonibus illis præfixit, qui in 3. aut 4. mſſ. Codd. à me inſpectis ſunt numero CLXXVI. Claruit Epiſcopus Ravennæ XL. circa annum 702. ad 708. circa quem hanc collectionem aggreſſus eſt.

De ſancto Leone Papa. 440.

SANCTUS LEO primus Papa, jure magnus appellatus, ſedit in Apoſtolica ſede tempore Theodoſii junioris, Martiani, & Leonis Imperatorum ab anno Domini quadringenteſimo quadrageſimo uſque ad quadringenteſimum ſexageſimum primum. Scripſit *homilias* eloquentiſſimas *de præcipuis ſolemnitatibus Domini, & Sanctorum, nec non epiſtolas ad diverſos de rebus graviſſimis numero nonaginta octo.* Ex quibus illa ad Flavianum, quæ incipit: *Lectis dilectionis tuæ litteris, magna veneratione recepta fuit in Synodo Chalcedonenſi Actor.* 4. *ab omnibus, & ſingulis Patribus*: & Gelaſius Papa in decreto de libris Doctorum, dicit anathema iis qui Epiſtolam hanc ſancti Leonis integram, & uſque ad unum jota non recipiunt.

Tribui ſolet ſancto Leoni liber de conflictu virtutum, & vitiorum. Sed (ut ſupra in Auguſtino diximus) S. Leonis is eſſe non poteſt, cùm in eo fiat mentio regulæ S. Benedicti.

Dissertatio Historica.

SANCTUS LEO Magnus, natione Tuſcus, primus hoc nomine Romanus Pontifex per annos 20. & menſes undecim ab anno 440. uſque ad diem 11. Aprilis anni 461. quo obiit Leone & Majoriano Imperatoribus. De eo Gennadius cap. 70. Catalogi, & ex eo Honorius libelli ſecundi cap. 69. Anaſtaſius Bibliothecarius aut quis alius libro de Romanis Pontificibus, Photius cod. 52. Joannes Trithemius & recentiores cum Baronio. Errant verò qui auctorem fuiſſe volunt Sententiarum, ſive Canonum, qui in ſecundo Concilio Arauſicano fuerunt de Gratia & libero arbitrio definiti, neque ad eum miſit Proſperum Aquitanum, uterque enim jampridem migrarat ad cœlos, cùm celebratum fuit præſide S. Cæſario Concilium illud Arauſicanum ſecundum. Omnia ejus opera ſæpè ſæpius prælum fuerunt experta Romæ, Coloniæ, Antuerpiæ, Pariſiis, Lugduni, &c. tum ſeorſim cum SS. Maximi & Chryſologi Homiliis, aliorumque opuſculis.

Index ſermonum S. Leonis I. Papæ.

In Anniverſario die Aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum, Sermones tres. De collectis, & eleemoſynis, Sermones quinque. De jejunio decimi menſis, & Collectis ac Eleemoſynis, Sermones octo. In Solemnitatem Nativitatis D. N. J. C. Sermones decem. In Solemnitatem Epiphaniæ D. N. J. C. Sermones octo.

De Quadrageſima, Sermones duodecim. Quintus reperitur inter Auguſtinianos 63. de Tempore & Octavus eſt ibidem 33. Unde inſulſa in his ſimilibuſque Roberti Coci ſimiliumque argumentatio Sermones illos dubiæ eſſe fidei.

De Paſſione Domini, Sermones novemdecim. De Reſurrectione Domini, Sermones duo. De Aſcenſione Domini, Sermones duo. De Pentecoſte, Sermones tres. De Jejunio Pentecoſtes, Sermones quatuor. In Nativitatem Apoſtolorum Petri & Pauli, Sermones duo. In Octavam eorumdem Apoſtolorum, Sermo unicus. In Nativitatem SS. VII. Fratrum Machabæorum Martyrum, Sermo unicus. In Nativitatem S. Laurentii Martyris, Sermo unicus. De Jejunio ſeptimi menſis, Sermones novem. Contra hæreſim Eutychetis, Sermo ſive tractatus. De Transfiguratione Domini, Homilia unica.

In Evangelium Feſti omnium Sanctorum. Ridiculus pro more Rivetus ſimileſque exſibilandi nugatores Heterodoxi, qui dicunt, aut Sermonem hunc ſpurium eſſe, aut ſaltem titulum confictum fuiſſe, cùm hoc feſtum inſtitutum fuerit à Greg. IV. Papa. Quis enim tam hebes aut plumbeus, qui hoc non videat factum à Collectoribus, aut Amanuenſibus occaſione Evangelii ex capite V. Matthæi quod ſuo tempore videbant ab Eccleſia ſelectum fuiſſe, ut in die omnium Sanctorum recitaretur. Neque in eam rem citandus erat Petrus de Natalibus, dignus certè Riveto auctor, ac valdè ad faciendam fidem, ſi ſolus ſit, idoneus. Verùm Riveti peccata caſtigabimus, Deo dante, plenius in examine Heterodoxorum. Sanè ſi quis librarius imperitus ſuperiori ſermoni titulum De Feſto Transfigurationis D. N. J. C. adſcripſiſſet, an ideò ut ſpurius ab eruditis Criticis eſſet explodendus, qui norunt feſtum illud à Calliſto III. anno 1456. inſtitutum? Caſtigandus quoque obiter Hottingerus qui SS. omnium feſtum an. demum 610. inſtitutum affirmat quod Rivetus ad tempora Gregorii IV. adeoque an. circiter 830. retulit.

In Natale Sancti Vincentii Martyris, Sermo unicus. Falsò adſcriptus S. Auguſtino de Sanctis Sermone 13.

De Martyribus, Sermo: alterius planè auctoris. Reperitur inter Sermones S. Auguſtini de Sanctis, n. 47.

Sermo S. Leonis Papæ de Natali ſuo, ex cod. mſ. Nicolai Fabri.

De Collectarum die. De decimi menſis jejunio.

Alia S. Leonis I. Papæ opuſcula.

Decretales Epiſtolæ ſive Decreta Apoſtolica, & familiares ad amicos litteræ num. 105. parum eſt.

I. Ad univerſos Epiſcopos per Campaniam & Picenum, vel Tuſciam, & per univerſas provincias conſtitutos.

X. Eſt celeberrima illa ad Flavianum Conſt. Epiſcop. contra Eutychetis perfidiam & hæreſim, de qua Concilium Chalcedonenſe Actione 4. Epiſcopi Galliæ Tomo I. Conciliorum Sirmondi, & apud Binium alioſque, Gellaſius Papa in Decreto de libris ſacris & apocryphis, ubi dicit anathema iis,

qui

qui Epistolam illam sancti Leonis integram, & usque ad unum jota non recipiunt. Unde mirum plerisque videri solet, quod asserit Gennadius Massiliensis verbo Prosper, & post eum Marcellinus Comes in Chronico, Epistolam illam insignem à S. Prospero scriptam fuisse. Quid verò si apud Gennadium legas, ut mihi legendum videtur; Epistolæ quoque Papæ Leonis adversus Eutychem de vera Christi Incarnatione, & ad diversos datæ, ab ipso dictatæ dicuntur.

XLVIII. Sanctæ Synodo apud Chalcedonem constitutæ inscribitur; Verùm, ut rectè observat Baronius ad an. 451. V. Kalend. Julii Adelphio Consule nondum quicquam de loco Concilii fuerat constitutum. Amanuensis ergo aut Collectoris hic error, non ipsius Leonis, locum ex post facto adnotantis.

LXIV. Ad Martianum August. de Pascha post Paschasini Lilibetani Episcopi de eodem argumento Epistolam. LXXIX. Ad Nicetam Episcopum Aquilejensem. LXXXI. Ad Anastasium Thessalonicensem Episc.

LXXXVIII. De privilegio Archiepiscoporum & Presbyterorum ad universos Germaniæ atque Galliæ Ecclesiarum Episcopos non est S. Leonis, sed ab aliquo medii ævi consarcinata ex Concilio secundo Hispalensi aliisque.

XCII. Ad Rusticum Narbornensem Ep. XCIII. Ad Turibium Asturicensem Ep.

XCVI. Ad Episcopos & Presbyteros intra Tertiam (mendosè Thraciam) provinciam constitutos: ut Clerici sæcularia judicia non expetant. R. P. Jacobus Sirmondus, & post eum Claudius Robertus, Aubertus Miræus, ac plures alii monuerunt hanc epistolam non esse S. Leonis, sed scriptam ad Episcopos Turonensis Provinciæ, quæ est Tertia Lugdunensis, à S. Leone Bituricensi Archiepiscopo, Eustochio Turonensi similiter Archiepiscopo. Vide pag. 119. Tomi I. Conciliorum Galliæ & subjectas notas.

XCVII. Ad Leonem Augustum adversus blasphemias Nestorii & Eutychetis, &c. in qua multa ex veteribus Patribus testimonia congeruntur.

Has dumtaxat ad specimen selegi, cæteris omissis, iis præsertim, quæ ab Episcopis diversarum Provinciarum ac civitatum ad Sanctum Leonem fuerunt missæ.

Sequitur Tractatus ejusdem Papæ adversus errores Eutychetis, & aliorum Hæreticorum, ex ms. Vaticano probæ notæ editus, cui subjicitur ex ms. codice Illustrissimi Viri Jacobi Augusti Thuani Epistola Petri Chrysologi Ravennensis Episcopi ad Eutychem Presbyterum.

De Conflictu Vitiorum & Virtutum, consule quæ supra diximus V. Augustinus & V. Isidorus Hispalensis.

Guillelmus Perkinsius, projectæ audaciæ nebulo, epistolas 46. 84. & 92. stramineis argumentis labefactare aggressus est, quas tamen Rivetus ejusque gregales paulò pudentiores, ut sinceras amplectuntur, sed ut earum similiumque evitent pondus atque auctoritatem elevent, non minori impietate se obstringunt: Calvinus Dux gregis, ait, hominis esse supra modum gloriæ & dominationis avidi φιλοπρωτεύοντος, Franc. Junius, ut à patria sua, sic à majorum suorum Catholica fide extorris, docet Leonis Epistolas fastum clamare: Witakerus Angliæ bustum, in iis Pontificii spiritus in Leone rugientis notas agnoscit, vocesque Leonis suam sedem ac dignitatem efferentis non esse magni faciendas deblaterat: Rivetus, ne quid inausum aut intentatum pestifera malignantium sineret colluvies, ringentem Leonem inducit, subjungitque horum temporum, hoc est ejusdem, quo

A Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, vixerunt, sæculi, Romanos Pontifices, plerosque quidem (sed amabo, cur non omnes?) in fidei doctrina orthodoxos, sed in politia & sedis prærogativa ambitiosiores fuisse, quàm oportuit, quæ verba breviator Riveti Hottingerus sibi non esse omittenda duxit: adeò verum est gregem integrum sæpè cadere unius porrigine porri, uvamque vicina livorem ducere ab uva. Infelices terque miseri, qui in judices suos omnium sæculorum consensu atque approbatione consecratos tam effusè debacchantur, contumacium reorum more, qui eos, à quibus justè damnati sunt & certissimæ morti addicti, probris ac

B conviciis in summa rerum suarum salutisque desperatione onerare non verentur.

SUPPLEMENTUM.

SANCTUS LEO Magnus cognomine, vitæ sanctimonia, rebusque gestis ac scriptis maximus, Romanus Pontifex, vir apostolicus, Orthodoxæ fidei columna, vocis Apostoli Petri interpres, Apostolicorum Dogmatum defensor, Apostolis comparandus, scripsit Sermones varios & in Ecclesia pronuntiavit, Christiana pietate, eruditione, facundia admirandos. Scripsit etiam plures Epistolas, quibus Catholicam veritatem asseruit. Ecclesiasticam Disciplinam restauravit ac propagavit. Canonum trans-

C gressores & contemptores coercuit: de cujus Scriptis abundè Bellarminus & Labbeus in opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Possevinus *in Apparatu sacro*, Natalis Alexander *in selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* sæculo V. tom. I. cap. 2. parag. 6. pag. 33. cap. 4. art. 24. pag. 620. dum agit de Prospero & Juliano Pomerio, unde hìc sequentia desumam. Inter omnes operum ipsius editiones excellit illa quam accuravit clarissimus & doctissimus vir Paschasius Quesnel Presbyter Congregationis Oratorii D. N. J. C. ex collatis mss. Codicum Exemplaribus cum doctissimis Commentariis variisque dissertationum & operum accessionibus, duobus in 4. tomis anno 1675. Parisiis, apud Joannem Coignard via Jacobæa sub

D Bibliis aureis.

Meritò Paschasius in appendicem rejecit *Sermonem in Natali sancti Vincentii* Martyris, cujus Auctor Hispanum se prodit; & *Sermonem* qui in aliis editionibus secundus erat, in *Natali SS. Apostolorum Petri & Pauli*, cujus initium est: *Exultemus in Domino*: quia præter exordium, quod procul dubio non est sancti Leonis; & quinque circiter lineas quæ desumptæ sunt ex Sermone 2. in Anniversario ipsius Assumptionis ad Pontificatum, reliqua ex Sermone 3. in Anniversario ejusdem transcripta sunt. *Sermonem 96. in Cathedra sancti Petri* quòd cæteris accensuisset, pœnituit virum doctissimum, stylo maturius expenso, illumque tandem sanctissimo Pontifici ab-

E judicavit.

Epistolam *de Chorepiscoporum privilegio* quæ in prioribus editionibus erat 88. rectè abjudicavit S. Leoni idem Paschasius Quesnel; cui hoc in judicio præiverant Joannes Morinus & Sirmondus. Ex Heterodoxis verò Blondellus in suo Pseudo-Isidoro & Turriano vapulantibus. Primum suppositionis argumentum est, quòd in antiquis codicibus mss. non compareat, sed tantùm in recentioribus quibusdam post Isidorianæ Collectionis tempora exaratis. 2. Quòd apud Antiquos Scriptores mentio hujus Epistolæ nulla extet, eamque nullus seu Canonum seu Pontificiorum Decretorum Collector ante Isidorum Mercatorem, seu ante 9. sæculum suis Collectionibus inseruerit. 3. Quòd stylus à Leonino prorsus abhorreat. 4. Quòd titulus sancto Leoni sit insolitus, & quòd nexus Episcoporum

rum Germaniæ cum Gallicanis non ſapiat ætatem ſancti Leonis, ſed Caroli Magni, aut poſteriorem. 5. Cùm Synodum Romæ habitam deſcribit, *Synodum* appellat *Epiſcoporum, ſive Cæterorum Conſacerdotum, Chriſtique Fidelium coadunatam*: quaſi laica plebs in Concilium admitteretur; quæ verba ſancto Pontifice indigna ſunt. Adde nomen ſacerdotis ævo S. Leonis numquam tribui ſolitum Presbyteris abſque additamento hujuſmodi, *ſecundi Ordinis, ſecundi Gradus &c.* Taceo de fœdo ſolecismo. 6. In hac Epiſtola citantur Canones Neocæſarienſes, cùm nec à S. Leone, nec ab ejus Deceſſoribus, Synodorum particularium Canones citatos legamus: & Innocentius I. alios à Nicænis recipiendos non eſſe profeſſus ſit. 7. Canon. 13. Neocæſarienſis ea in epiſtola ex Dionyſii Exigui verſione citatur, quam Leone Magno longè poſteriorem eſſe nemo neſcit. 8. Rabanus Maurus in libro quem *De Chorepiſcopis* ad Drogonem Metenſem Epiſcopum ſcripſit, ejus Epiſtolæ non meminit, quod argumento eſt eam eſſe ſuppoſititiam: numquam enim ille Chorepiſcoporum cauſam defendendam ſuſcepiſſet, ſi ſanctus Leo eos damnaſſet; neque hæc Epiſtola virum tam eruditum & in Germania quò miſſa dicitur, ſcribentem fugiſſet. 9. Epiſtola illa nihil aliud eſt quam Canon ſeptimus Hiſpalenſis Concilii, cui exordium inſulſum præfixit impoſtor, ut Epiſtolæ imaginem indueret. 10. Adulterinam eſſe Epiſtolam clamat ſilentium Synodorum Pariſienſis 6. & Meldenſis, Nicolai I. in Epiſtola ad Rodulphum Bituricenſem Archiepiſcopum, Capitularium Caroli Magni & Ludovici Pii Impp. in quibus frequens Chorepiſcoporum mentio occurrit, nulla Epiſtolæ iſtius ſancti Leonis, quam certè non omiſiſſent. Denique ſunt aliqua in ea Epiſtola, quæ cum Eccleſiæ Romanæ conſuetudine conciliari non poſſunt. *Sed neque*, inquit, *coram Epiſcopo licet Presbyteris in Baptiſterium introire*. An non potiùs coram Epiſcopo, & cum Epiſcopo in Baptiſterium introire, & ex officio baptizanti Epiſcopo adeſſe jubebantur? Ad has non attenderunt rationes viri eruditi, qui hanc Epiſtolam ut genuinam ſancti Leonis admittendam eſſe cenſuerunt Hallerius & Ludovicus Cellotius, in ſuo, uterque opere *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Petrus Aurelius adverſus Sirmondum ſcribens. Dionyſius Petavius *in notis ad ſanctum Epiphanium*, & Petrus de Marca lib. 2. *de Concordia Sacerdotii & Imperii* cap. 13. cum aliis.

Idem operum ſancti Leonis editor atque illuſtrator Paſchaſius Queſnel duos illos *De vocatione omnium gentium libros*, nec non *Epiſtolam ad Demetriadem* edidit ſub nomine ſancti illius Pontificis, eaſque lucubrationes ipſi vindicare conatus eſt duabus diſſertationibus elegantiſſimis. Id autem probat ex ſtylo, dicendique charactere planè ſimili: ex identitate doctrinæ circa gratiam Chriſti, & circa alia etiam capita; ex vocibus Auctori librorum De vocatione gentium & ſancto Leoni communibus, ex convenientia denique utriuſque in citanda Scriptura ſancta. Sed nondum viris omnibus eruditis perſuadere potuit, hos libros & hanc Epiſtolam eſſe S. Leonis fœtus, ejuſque nomine in nova operum ipſius editione, meritò inſcriptos fuiſſe. 1. Quia tanta non eſt ſimilitudo doctrinæ iſtorum librorum cum doctrina Leonis, quin æqualis & fortè major reperiatur cum doctrina ſancti Proſperi, ut in Proſpero dicit Natalis Alexander, nec tamen S. Proſpero indubiè attribuuntur. Stylus verò non eſt Leonino penitùs ſimilis: nam periodi ſancti Leonis ſunt magis commenſuratæ, nec tantæ ſunt in ejus Sermonibus aut Epiſtolis figuræ, tot Rithmi, tanta modulatæ ac tinnulæ orationis affectatio; quanta in libris *De vocatione omnium gentium* aut in Epiſtola *ad* A *Demetriadem*: uno verbo, facundior eſt S. Leonis citra ullam affectationem oratio. Præterea S. Leonem contra Manichæos, contra Priſcillianiſtas, contra Pelagianos, contra Neſtorianos & Eutychianos pugnaſſe, ejus vita & Epiſtolæ teſtantur: ſed contra Semipelagianos ipſum certaſſe non legimus. Amicus Caſſiani erat, qui libros *De Incarnatione Chriſti* ſcripſit ab eo rogatus; eoſque ipſi nuncupavit: qui aliunde Proſperum magni faciebat, quem, ubi creatus eſt Pontifex, ſibi ab Epiſtolis eſſe voluit. Controverſiis igitur illis non ſe videtur immiſcuiſſe ſanctus Leo. Tertio Gelaſius Papa Libros *De vocatione gentium* laudat ſub nomine *cujuſdam Eccleſiarum Magiſtri*. At ſanctum Leonem Deceſſorum ſuorum unum, tot meritis illuſtrem, B tanta nominis celebritate conſpicuum, qui ab annis dumtaxat triginta obierat, ſuo nomine deſignaſſet, non eo modo quo ignoti quique notari ſolent. Nemo enim facilè credet ex hominum memoria deletum fuiſſe hujus Auctoris nomen, præſertim Romæ, ſi is fuiſſet ſanctus Leo Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, ac paulò poſt Pontifex, qui ab annis triginta è vita migraverat. Plura enim Romæ fuiſſent illorum librorum & Epiſtolæ Exemplaria, quorum aliquod adſcriptum habuiſſet ſancti Leonis nomen; & vivebant adhuc plurimi, quibus notum fuiſſet ſanctum Leonem hæc ſcripſiſſe, & id in omnium eruditorum ore verſatum eſſe, nec illud ignoraſſet Gelaſius doctiſſimus Pontifex. Denique nullus Codex C mſ. hæc opera ſancto Leoni adſcribit, ut fatetur ipſe Paſchaſius Queſnel, nec in tota retro Antiquitate genuinus illorum Auctor cognitus eſt. Unde non moleſtè ferat vir doctiſſimus, ſi libros *De vocatione gentium* & Epiſtolam *Ad Demetriadem* ſub S. Leonis nomine (ſub quo illa paulò confidentiùs vulgavit) nec laudemus, nec laudanda eſſe putemus: eo quod ejuſmodi auſus in Scriptis ſanctorum Patrum inſcribendis vel abradendis, *abſque demonſtratione, vel quaſi*, fieri non debeant.

Quantum etiam *ad capitula ſeu Auctoritates de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio*; quæ Cœleſtino Papæ tribuuntur, pro quibus ſancto Leoni afferendis diſſertationem ſuam tertiam Paſchaſius Queſnel inD ſtituit: vix video, quanam ei ratione ſuccedat. Hæc enim ſolas conjecturas, eaſque non ſatis validas, ad Antiquitatem deſtruendam & mille annorum ut ita loquar, Cœleſtini poſſeſſionem. Unde Paſchaſius ſub initium ſuæ diſſertationis adſtringitur fateri eas eſſe Cœleſtino attributas à Petro Diacono, aliiſque qui in cauſa fidei ex Oriente Romam miſſi ſunt, lib. *De Incarnatione & gratia D. N. Jeſu Chriſti ad Fulgentium* cap. ultimo, deinde à Creſconio Epiſcopo Africano, in fine ſuæ Collectionis Canonum circa annum Chriſti *690.* emiſſæ, eidem adſcriptum Pontifici legitur. Tum denique poſterioribus ſæculis, à Floro Magiſtro ſcribente Eccleſiæ Lugdunenſis nomine, adverſùs Joannem Scottum Erigenam; à Lupo FerrarienE ſi Abbate *in Collectaneis* quæſt. 2. ab Hincmaro Remenſi libro *De prædeſtinatione* cap. 22. pag. 128. 130. 133. & Epilogi cap. 5. pag. *379.* Nihil itaque conjecturæ valent ad tam mucidam Antiquitatem evertendam, immò ſpernuntur dum nimium affectatæ ſunt.

Denique inter epiſtolas ſancti Leonis Papæ invenientur inſertæ aliorum Epiſcoporum Epiſtolæ: ut *Proterii Alexandrinæ Eccleſiæ Patriarchæ Epiſtola ad Leonem Romanæ Sedis Epiſcopum De Feſtivitate Paſchali* anno 554. ſcripta, quam ex mſ. Cod. correctam deſcripſit atque inſeruit ſuo in Canonem Victorii Aquitani Paſchalem Commentario cap. 2. Ægidius Bucherius Atrebatenſis Theologus Soc. Jeſu, de qua Gennadius libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 10. mentionem facit. Item *Epiſtola Paſchaſini Lilybæi in Sicilia Epiſcopi ad Leonem præfatum Papam directa de*

eodem argumento, de qua Gennadius citatus cap. sequenti; quamque refert idem Ægidius Bucherius citato libro, sub finem capitis primi. Item *Epistola sancti Leonis Bituricensis in Gallia Episcopi* sub annum Christi 454. una cum Victurio Cenomanensi & Eustochio Turonensi, ad Presbyteros & Episcopos Provinciæ *non Thaciæ*, (ut inter Leonis primi Papæ Epistolas vulgatum est) *sed Tertiæ*, quo nomine Turonica Provincia Designatur, quæ est Tertia Lugdunensis: ut Sirmondus in notis ad Concilia Galliæ observavit. Item *Epistolæ duæ Flaviani Patriarchæ Constantinopolitani*, & una *Ravennii Arelatensis Archiepiscopi*, *Rustici Narbonensis Archiepiscopi*, aliorumque Galliæ Episcoporum &c.

De Dracontio Poeta. 440.

DRACONTIUS Poeta Christianus scripsit Hexaemeron, seu de opere sex dierum librum unum, qui extat tomo 8. Bibliothecæ SS. Patrum editionis 2. Hunc tanti fecit Eugenius II. Archiepiscopus Toletanus, quemadmodum de eo narrat S. Ildefonsus in libro de viris Illustribus, ut ejus libellos injuria temporum depravatos emendarit, & quod illis de die septimo deerat, adjecerit. In hac autem Eugenii collectione, alia est Dracontii elegia ad Theodosium Juniorem Imperatorem, ex qua illum hoc tempore floruisse colligitur.

Dissertatio Historica.

DRACONTIUS, Presbyter Hispanus, ac Christianus Poeta, celebravit *Hexaemeron*, seu *Opus sex dierum carmine Heroico*, quod sanctus Eugenius II. Toletanus jussu Chindasindi Wesegothorum in Iberia Regis emendavit, auxitque, teste sancto Ildefonso cap. 14. libri de Viris Illustribus. Ejusdem quoque Dracontii meminit sanctus Isidorus Hispalensis Præsul, cap. 24. ut per mihi mirum acciderit, quo tandem pacto vir eruditus Gerardus Jo: Vossius libri de Poetis Latinis capite 9. inter Poetas incertæ ætatis numeraverit, & post Caroli Magni Romanorum Imperatoris adeò annum 800. Dracontium nostrum relegaverit. Vixit porrò sub Theodosio juniore Orientis Imperatore, ad quem scripsit Elegiam, quæ extat cum aliis ejusdem versibus typis excusa Parisiis anno 1619. in 8. cura & studio R. P. Jacobi Sirmondi Societatis JESU Presbyteri. In ea autem veniam petit, si fortè in præcedente carmine Heroico incautus erraverit.

De Theodoto. 440.

Supplementum.

THEODOTUS Episcopus Ancyranus in Galatia, quem malè Gennadius in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 55. & Honorius Augustodunensis Libello 2. cap. etiam 55. Theodorum appellat, strenuus sancto Cyrillo in Concilio Ephesino adversus Nestorium socius fuit. Homilias plures scripsit, è quibus alias oravit in eodem ipso Concilio, in cujus etiam acta relatæ sunt, alias etiam allegat Epiphanius Diaconus & quidem plures. Extant *orationes* Theodoti *duæ* in dicta Synodo recitatæ, quas olim alibi dixerat: & *tertia* adversus Nestorium, quam habuit in ipsa Synodo. Photius in Bibliotheca cod. 231. recensens Patrum nomina, quorum testimoniis Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus duplicem in Christo operationem confirmaverat, inter eos nominat sanctum Theodotum qui Ancyræ præfuit. Ipsum *tres libros de Spiritu Sancto* scripsisse, constat ex Nicænæ fidei Expositione contra Nestorium, ad cujus finem hæc habet: *Hæc quidem velut obiter nunc dicta sunto de Spiritu sancto, de cujus divina majestate ac dominatione pleniùs in tribus aliis libris disputavimus; quos si legeris, Spiritum Sanctum pari cum Patre & filio laude celebrari ac conglorificari ex divinis Litteris doceberis.* Sanctus Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus unam omnium certissimè Theodoti Homiliam constare dicit, qua ejus indubiè mens agnosci possit, diffufflatis quæ tot illi falsò adscribunt Hæretici; nempe *in sanctam Deiparam & Symeonem* quam primùm vulgavit Franciscus Combesis Dominicanus in Auctario suo ad Bibliothecam SS. Patrum editionis Parisiensis anni 1648. ex autographo Jacobi Sirmondi, subjectam Orationi Amphilochii ut ejusdem, quamque ms. habet sub nomine S. Theodoti Ancyrani Bibliotheca Cardinalis Mazarini. Hanc idem Combefis inseruerat Amphilochianis operibus anno 1644. Parisiis in fol. procuratis, velut partum Amphilochii, quam Philippus Labbeus Amphilochii Sydæ esse existimavit, sed sola conjectura, cui ejusdem Sirmondi conjectura præiverat. Idem sanctus Nicephorus in Antirrheticis non omnino agnoscit Theodotum laudatæ atque inculpatæ fidei, quem tamen nihil favere Iconomachis tum ipse contendit, tum qui partes Catholicorum in VII. Synodo Epiphanius Diaconus agit. Ait se ejus *tomos sex ad Lausum contra Nestorium* legisse, itemque *fidei Expositionem sanctorum* 318. *Patrum qui Nicæam convenerant seu Symboli Nicæni Expositionem & Nestorii confutationem*, ex Scripturis & fide Niceæ exposita; quam idem Franciscus Combefis latinè & græcè edidit, notis illustravit atque in lucem emisit, cum *sancti Germani Patriarchæ Constantinopolitani Oratione historica in Dormitionem & Translationem sanctæ Mariæ Virginis Deiparæ*, in 8. Parisiis anno 1675. apud Antonium Bertier via Jacobæa sub signo Fortunæ.

De Bachiario. 440.

Supplementum.

BACHIARIUS Natione Hybernus (a), sancti Patricii, ut volunt, discipulus, sancto Augustino coævus, de quo hæc habet Gennadius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 24. *Bachiarius vir Christianæ Philosophiæ, nudus & expeditus vacare Deo disponens, etiam peregrinationem pro conservanda vitæ integritate elegit. Edidisse dicitur grata opuscula; sed ego ex illis unum tantùm de fide librum legi, in quo satisfacit Pontifici urbis adversus querulos & infamatores peregrinationis suæ; & indicat se non timore hominum, sed Dei, eam peregrinationem suscepisse, ut exiens de terra sua & de cognatione sua, cohæres fieret Abrahæ Patriarchæ.* Scripsit *Epistolam ad Januarium De recipiendis lapsis*, quæ extat in Bibliotheca veterum Patrum tom. 1. editionis primæ Parisiensis anno 1575. & secundæ, anno 1589. atque in aliis. De eo Joannes Pitseus lib. de Scriptoribus Britanniæ, Aubertus Miræus in Auctario cap. 77. Ut liceat conjecturis agere, videtur Bachiarius subduxisse se ex Britannia, ob variarum nationum incursiones, tunc afflictissima. Nam sub annum 441. *Angli*, *Saxones*, *Juttæ*, & *Frizii* Germaniæ populi, à Procopio, Beda, aliisque vetustis Scriptoribus commemorati, in Britanniam transierunt. Tiro Prosper à Petro Pithœo & Henrico Canisio, atque demum ab Andrea Duchesnio editus, ad annum 18. Theodosii, sic scribit: *Britanniæ usque ad hoc tempus variis cladibus eventibusque laceratæ, in ditionem Saxonum rediguntur.* Nec multò ante fortasse ex Hybernia sua venerant

Scoti,

(a) [illegible] Hispanus

Scoti, quorum nomen æquè ac *Pictorum*, ævo Julii Cæsaris incognitum fuit.

De Fastidio. 440.

SUPPLEMENTUM.

FASTIDIUS Britannorum Episcopus scripsit ad viduam quamdam *de vita Christiana* librum unum, & alium *de viduitate servanda*, sana & Deo digna doctrina. Hæc breviter Gennadius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 56. Hoc autem opusculum de vita Christiana legitur inter opera sancto Augustino supposita tom. 9. operum pag. 416. ad cujus tomi censuram Philippus Labbeus in opere suo de Scriptoribus Ecclesiasticis tom. 1. pag. 148. adjudicat hoc opus Fastidio Britannorum Episcopo: unde & ex fide ms. Codicis, impressum est etiam Romæ anno 1663. sub nomine hujus Fastidii, correctumque in multis locis.

De Proba Falconia. 440.

SUPPLEMENTUM.

PROBA Falconia (ut inquit Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ fol. 293.) illustris fœmina, Adelphi Proconsulis uxor, rari & elegantis ingenii Matrona, græcè & latinè ad summum erudita, divinarum Litterarum amantissima, & quasi altera Christianorum Latina Sapho; prima omnium excogitavit ex verbis Virgilii quem totum memoria tenebat, varios utriusque Testamenti locos metricè describere. Excerptis ergo hinc inde ex Virgilii Poematibus nunc integris versibus, nunc hemistichiis & hemistichiorum particulis, opus propositum veluti centonem ex multis pretiosis pannis insutum, servata Hexametri lege collegit, ipsumque *Virgilio-Centones* inscripsit. Ita Sixtus Senensis, sed Gelasius Papa in Decreto de libris Apocryphis anno 494. edito *hunc Virgilio-Centonem* inseruit, quod ejus antiquitatem valdè commendat. Hos autem Centones primùm olim Lugduni in Gallia anno 1516. impressos vidimus, una cum Poematibus Baptistæ Mantuani. Inde hoc Poema inductum in Bibliothecam veterum Patrum tom. 8. editionis primæ & secundæ Parisiensium annorum 1575. & 1589. tum in sequentes. Idcirco autem inter Ecclesiasticos viros positam ait Isidorus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 5. *quod in laudibus Christi versata sit*. Sigebertus verò lib. de viris illustribus cap. 52. inquit *Centonem de mundi Fabrica & Evangeliis plenissimè expressisse*. Claruit sub Valentiniano III. & Honorio Juniore circa annum Domini 430. & ultrà, de qua etiam Antonius Possevinus in Apparatu sacro verbo *Proba Falconia*. Et in Selecta Bibliotheca lib. 16. editionum Venetæ & Coloniensis, Venetæ apud Societatem Venetam 1602. & alterius auctæ per Auctorem, anno 1608. apud Joannem Gymnicum.

De Eudocia. 440.

SUPPLEMENTUM.

EUDOCIA vel Eudoxia clarissima fœmina, Leonis Atheniensis Philosophi filia, Theodosii Junioris Imperatoris uxor, eximiis corporis & animi dotibus insignis, christianæ Religionis perpetua cultrix, sanctorum Voluminum studiosa, & Poeticæ artis gloria inter omnes sui temporis Poetas præcipua, collegit breviter ac summatim ad imitationem Probæ illustris fœminæ, ex græcis Homeri carminibus admirabili industria plurimas veteris ac novi Testamenti historias servata pedum mensura & Homerici carminis majestate, quod opus in compendium redactum *Homero-Centones* attitulavit. Asserit tamen Joannes Zonaras græcus Auctor, Patricium quemdam doctum virum hoc opus primùm collegisse, & postea imperfectum & indigestum reliquisse: sed Eudociam demum absolvisse & in ordinem redegisse, ut declarat græca inscriptio heroicis versibus operi præfixa. D. Hieronymus in Epistola quadam ad Paulinum, scribit se *Homero-centonas & Virgilio centonas* legisse, sed cujusnam sint, ipse non indicat. Idem quoque auctor narrat eam cùm primùm ob singularem pudicitiam & egregiam formam esset marito charissima, in ejus acerbum odium ob sequentem causam innocenter incidisse. Pomum inusitata magnitudine sibi oblatum Imperator admiratus uxori suæ misit. Id illa Paulino dedit viro erudito & hanc ob causam sibi familiari, qui rei ignarus illud Imperatori offert, ut rem miram. Quo ille agnito & occultato, uxorem interrogat, ubi sit Pomum ipsum missum? Illa verita, ne quid suspicaretur maritus quod jam suspicabatur, se comedisse respondit: verùm illo acriùs urgente jurejurando affirmat se jam comedisse; tum Imperator ira percitus, pomum profert. Sic illa in manifesto mendacio deprehensa, suspicio mariti confirmatur. Paulinus verò innocens occiditur. Eudocia cum se invisam esse cerneret, facultatem abeundi Hierosolymam poscit: quò cum magnis opibus profecta, & Templa ædificavit, & pauperibus hujus loci Monasteriis multa dedit. Inde reversa, post mariti obitum, eò rediit, ibique mortua est, non sine magna opinione sanctitatis, regnante Marciano Augusto, anno salutis nostræ 460. Hæc Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta lib. 4. pag. 227. editionis Parisiensis in fol. anni 1610. apud Rolinum Thierry via Jacobæa sub Sole Aureo. Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Eudoxia* Editionis Coloniensis in fol. 2. tomis anni 1608. apud Joannem Gymnicum. Hoc autem opus inscriptum Homero-centones extat versum latinè tom. 8. Bibliothecæ veterum Patrum editionis primæ & secundæ Parisiensis anno 1575. & 1589. atque etiam in aliis editionibus: sed græcè & latinè simul in editione nupera Parisiensi anni 1644. tom. 11 pag. 572. Meminit etiam hujus Eudociæ Photius in Bibliotheca sua codd. 183. & 184. narrans eam scripsisse *Metaphrasim in Octateuchum* metricè, *& in Zachariam & in Danielem & libros tres in Cyprianum Martyrem*: ubi etiam judicium de ipsius Scriptis profert, commendans ejus laborem, quod à muliere & à Regina profectum sit, quòdque *perspicuus quidem sit labor ut Heroico scriptus carmine, si quis alius*. Addit legibus artis ipsam esse profundam, nisi quòd quæ poetica consuevit licentia, fabulis delectans eos qui legunt, ipsas non intermiscuit. Sed hoc certè majori laudi donandum est nobilissimæ fœminæ, quin etiam subdit hæc verba: *Sententias quidem non protendens, neque contrahens, servat semper proprias*. Addit ipse Photius hac occasione historiam conversionis atque martyrii SS. Cypriani & Justinæ, ut hic non sit Cyprianus ille, qui in Africa fuit ob Christum interemptus, ac cujus insignia scripta extant.

De Eustathio. 440.

SUPPLEMENTUM.

EUSTATHIUS vir disertissimus, à Cassiodoro, Beda, & Sigeberto hoc loco laudatus, *novem Sermones sancti Basilii Magni in principium Geneseos*

neseos ex græco latinos fecit, & Syncleticæ sorori Diaconissæ inscripsit. De eo sic Cassiodorus cap. 1. de divinis lectionibus: *Geneseos principia Basilius attico sermone elucidavit, quem Eustathius vir disertissimus ita transtulit in latinum, ut ingenium doctissimi viri facundiæ suæ viribus æquiparasse videatur; qui usque ad hominis conditionem novem libros tetendit*. De eodem ita Junilius Episcopus Africanus, seu potiùs venerabilis Beda in præfatione Commentarii in Genesim. *De principio Libri Genesis multi multa dixere, sed præcipuè Basilius Cæsariensis, quem Eustathius interpres de græco fecit esse latinum*. Syncleticæ porrò sororis Diaconissæ, ad quam Eustathius scripsit, meminit in præfatione Operis sui Paschalis Sedulius, his verbis: *Quis non optet & ambiat eximiæ Syncleticæ sacræ Virginis & Ministræ Christi placere judicio, quæ superbi sanguinis nobilitatem sic humilitate provexit ad gloriam, ut in Cœlestis patriæ senatu fieri mereatur athleta? Scripturas Ecclesiastici dogmatis ita sitiens epotavit, ut nisi sexus licentia defuisset, potuisset docere quàm membris fœminei corporis animus sit virilis*. Extat hoc opus cum Scriptis sancti Basilii Impressis Antuerpiæ in fol. typis Plantinianis anno 1616. Parisiis & alibi, floruitque Eustathius circa annum 440. & ultra.

De sancto Nilo. 445.

SANCTUS NILUS Constantinopolitanus Monachus, sancti Joannis Chrysostomi discipulus vixit tempore Theodosii junioris, & multa sc[illegible] *de institutione Monachorum*, ut refert Nicephorus libro histor. 14. cap. 53. Nunc extant in Bibliotheca SS. Patrum tomo quinto edit. 2. *capita parænetica*: item *asceticus*: item *adversus vitia*: item *de Oratione centum quadraginta octo capita*. Extat etiam separatim *liber sancti Nili de Christiana Philosophia*, quo nomine Monasticen significat. Citantur etiam epistolæ Nili in septima Synodo, Act. 4. Sed loci quidam ab hæreticis depravati esse dicuntur.

Dissertatio Historica.

SANCTUS NILUS, ex Præfecto urbis Const. Monachus & Abbas, S. Joannis Chrysostomi, ut ferunt, discipulus, floruit sub Theodosio juniore Augusto circa ann. 440. obiitque die 12. Novembris anno mihi nondum comperto. De eo Martyrologium, Menologiumque, Synodus VII. Generalis, in cujus Actione 4. citantur duæ sancti Nili epistolæ, altera ad Heliodorum Silentiarium, altera ad Olympiodorum Præfectum, Photius tum codice 201. ubi Νείλου μοναχοῦ λόγον ἐν κεφαλαίοις ρνγ. vertit interpres Nili Monachi de oratione capita 153. quia postea subjicitur τὸν τῆς προσευχῆς δὲ ἐν τούτοις ὁ θεῖος ἀνὴρ ἀναπευάσει τύπον: tum 276. in quo fragmenta exhibentur ex ejusdem Nili sermonibus duobus de Paschate, & tribus de Ascensu Domini hactenus ineditis, S. Joannes Damascenus in Eclogis seu Parallelis mss. Nicephorus Callistus libro 14. Hist. Eccles. cap. 14. & 53. Sixtus Senensis, Possevinus, &c. Omnia ejus opuscula nondum quispiam justum in corpus redegit, quod fuerat optandum. In Bibliothecis Veterum Patrum Coloniensi & Parisiensibus pleraque ex sequentibus reperiet Lector curiosus. Hæc mihi certè occurrerunt hactenus.

I. *Expositio in Cantica Canticorum* ex SS. Gregorii Nysseni, Nili, & Maximi Commentariis, cum versibus politicis Michaelis Pselli, Græcè & Latinè Francisco Zino interprete Tomo II. Auctarii Bibliothecæ VV. PP. Græco-Latini anni 1624. & Tomo 13. Morellianæ.

II. *Parænetica capita* 229. interprete Francisco Zino Veronensi Græcè & Latinè ex editione Orthodoxographorum in Auctario GL. anni 162. & Tomi 13. Morellianæ.

III. *De oratione capita* 150. *seu* 147. Photius numerat 153. Latinè tantùm interprete Francisco Turriano, qui cum Diadochi Photices Episcopi capitibus de perfectione spirituali edenda curavit Antuerpiæ typis Plantinianis, unde in Bibliothecas Veterum Patrum à Margarino Bignæo deducta.

IV. Liber Asceticus. V. Institutio ad Monachos. VI. Orationes octo adversus octo primaria vitia. VII. *Brevis institutio ad juniores Monachos*. VIII. *Epistola ad Anastasium Presbyterum cum duobus fragmentis*.

IX. *Tractatus de octo vitiosis cogitationibus*, Latinè interprete Jacobo Bilio Prunæo S. Michaelis in Eremo Cœnobiarcha, qui illum cum Joannis Damasceni operibus edidit Parisiis anno 1577. subjecitque Evagrii opuscula de eodem argumento.

X. XI. *Narrationes septem, quibus cædes Monachorum Montis Sinæ, & captivitas Theoduli filii à S. Nilo tum Eremita describitur*; extant Græcè & Latinè Parisiis in 4. editæ anno 1639. apud Cramosium interprete R. P. Petro Possino Soc. Jesu Theologo; qui etiam utraque dialecto addit *Orationem in Albianum*, qua idem Nilus viri sanctissimi hactenus ignoti vitam descripsit, & virtutes mirabiles commendavit.

R. P. Bollandus ad diem 14. Mensis Januarii Sanctorum Martyrum in Monte Sina & regione Rhaytu à Barbaris occisorum certamen refert à S. Nilo conscriptum Græcè, & à se vel alio quopiam innominato latinè redditum & brevibus pro more notis illustratum.

XII. Epistolæ S. Nili numero 355. in quibus controversiarum hodie flagrantium luculenta extant præjudicia. Nunc primùm editæ ex Bibliotheca Medicea G. & L. interprete eodem R. P. Petro Possino Societatis Jesu Presbytero cum ejusdem notis, in quibus præter fragmentum Didymi adversus Manichæos extat G. & L. Simeonis Junioris Theologi Abbatis S. Mammantis in Xerocerco de altercationibus animæ, & corporis, &c. Parisiis è Typographia Regia 1657. in 4. In Bibliotheca Gesnero Simleriana unus & idem Nilus in quatuor scriptores divisus reperitur. Episcopo & Martyri tribuit Gnomas quasdam selectiores impressas Basileæ apud Robertum Winter & Coloniæ apud Gymnicum, easdemque asserit à Michaele Toscita carmine redditas excusas fuisse Argentinæ à Cratone Mylio. Subjungit quædam opera mss. in Vaticana aliisque Bibliothecis, additque Nili oratiunculam contra Barbaros in Latinam linguam conversam à Joanne Sanibuco editamque Patavii in folio anno Domini 1555. sed eam non memini me vidisse hactenus.

De sancto Simeone Stylita. 445.

SANCTUS SIMEON, cognomento Stylita, quia stetit in columna annis 81. floruit tempore S. Leonis Papæ, & Leonis Imperatoris. Scripsit *librum de morte assiduè cogitanda*, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum secundæ editionis tomo secundo. Idem scripsit *epistolas pro Concilio Chalcedonensi*, quæ an extent ignoro: sed earum meminit Cardin. Baronius tomo quinto Annalium ad annum Dom. 458. Fuit etiam alius Simeon Stylita junior, tempore Justiniani Imp. cujus *una epistola* recitatur actione quinta Concilii Nicæni secundi: de quo vide Evagrium lib. 6. historiæ cap. 22.

Dissertatio Historica.

SANCTUS SIMEON Græcis Συμεὼν ἢ Συμεώνης natione Cilix, à columnis, quibus annos 48. insedit Stylita nomine Græco dictus ϛυλίτης ἀπὸ τȣ̃ ϛύλȣ, ἢ ϛηλίτης ἀπὸ τῆς ϛήλης. Latinè verò Columnator seu Columnarius, obiit die 5. Januarii anno circiter 460. ætatis 109. de quo Theodoretus cap. 26. Philothei, Acta S. Danielis Stylitæ 12. Decembris. Evagrius Eulogius apud Photium cod. 230. mihi pag. 879. ὁ μέγας Συμεὼν, &c. Cedrenus, Glycas, Nicephorus Metaphrastes, & ex recentioribus Baronius tum in Annalibus tum ad diem V. Januarii Martyrologii Romani, Rosweidus, Raderus, Gretserus, & Bollandus. Sunt & alii duo juniores Simeones Stylitæ in Fastis Ecclesiasticis veterumque monimentis novissimis, sed non iis, verum seniori tribui solet fermè ab omnibus, quos vidi.

Sermo brevissimus de mente complectendo suum decessum, sive Epistola de morte assiduè cogitanda, in Bibliothecis Veterum Patrum.

Extat quoque apud Evagrium Scholasticum libro 2. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 10. ejus epistolæ quam ad Basilium Antiochiæ Archiepiscopum scripsit de Concilio à DCXXX. sanctis Patribus celebrato, in qua se vocat præ summa animi modestia ταπεινὸν καὶ εὐτελῆ, τὸ ἐκτρωματῶν τῶν μοναχῶν.

Junioris verò Simeonis Stylitæ, cujus natalis dies consignatur in Martyrologio Romano die 3. Septembris, quemque ex Evagrii libri 6. cap. 22. constat sub Justiniano Imp. vixisse, epistola ad Justinum Imp. recitatur Actione quinta II. Concilii Nicæni. Omitto eum de quo Jo: Moschus cap. 57. Prati spiritualis.

De Hilario Arelatensi. 445.

HILARIUS ARELATENSIS Episcopus vixit tempore sancti Leonis Papæ ad quem scripsit heroico carmine *historiam Geneseos usque ad septimum caput*. Scripsisse dicitur præterea, *epistolam unam ad sanctum Augustinum*, scripsit *libros de prædestinatione Sanctorum, & de bono perseverantiæ*.

Sed ea epistola non videtur esse hujus Hilarii, sed alicujus alterius: nam sanctus Prosper in epistola, quam scripsit cum Hilario ad sanctum Augustinum de eadem re, dicit, Hilarium Arelatensem tunc fuisse Episcopum: & tamen iste Hilarius, qui scribit ad Augustinum, significat se tunc fuisse laicum, quod etiam confirmatur ex primo capite libri de prædestin. Sanctorum, ubi Augustinus vocat Filios Prosperum, & Hilarium: quod certè non faceret si hic Hilarius Episcopus Arelatensis fuisset.

Scripsit denique *vitam sancti Honorati* Decessoris sui *& aliqua alia brevia opuscula*, teste Gennadio in libro de viris illustribus. Sed opera superiora scripsit ante Episcopatum: in Episcopatu enim ob nimiam superbiam reprehenditur à sancto Leone Papa in epistola ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos. Postea tamen resipuit, & multis virtutibus clarus sancto fine quievit.

Dissertatio Historica.

SANCTUS HILARIUS, natione Gallus, Cœnobii Lirinensis sub sancto Honorato primùm Asceta, tum ejusdem in Arelatensi cathedra successor creatus circa annum 430. subscripsit Concilio Regiensi anno 439. Arausicano I. anno 441. & aliis, vixitque usque ad diem 5. Maji anni 454. quo obiit, Valentiniano & Martiano regnantibus. Ejus vitam ab Anonymo Auctore, sed coætaneo scriptam exhibent Surius & Barralis in Chronologia Lirinensi, ubi etiam ejus epitaphium reperitur. Saxius in Pontificio Arelatensi auctorem vitæ illius censet fuisse Reverentium, seu Reverentianum ejus immediatum successorem. Periisse verò videtur ejusdem sancti vita, quam ejus alumnus Honoratus II. Massiliensis Episcopus scripserat. De eo Gennadius cap. 69. & penultimo, seu 99. Catalogi de Viris Illustribus, Julianus Pomerius lib. 2. de Vita Contemplativa, cap. 9. Sidonius Apollinaris carmine Eucharistico ad Faustum Regiensem, Hilarius & Prosper Laici, duo viri eruditi, in epistola ad sanctum Augustinum, sanctus Leo in Epistolis, sanctus Eucherius, qui ad eum Monasterio redditum scripsit librum de laude Eremi, S. Isidorus Hispalensis cap. 16. Honorius Augustodunensis libelli 2. cap. 68. & lib. 3. cap. 18. Et ex recentioribus Baronius, Bell. Vossius aliique.

Vita, seu Eremitarum S. Honorati Archiepiscopi Arelatensis prædecessoris sui, extat apud Surium & Bollandum die 16. Januarii.

Ejusdem sermo de miraculis S. Genesii martyris, habetur apud eumdem Surium die 25. Augusti.

Homilias quasdam scripsisse dicitur ex iis, quæ sub Eusebii Emiseni Ep. seu Eucherii Lugdunensis Præsulis nomine hactenus prodierunt; sed quænam illi ex omnibus tribuendæ sunt, quis adeò perspicax ut discernere queat?

Historia Geneseos usque ad septimum caput Heroico carmine descripta ad S. Leonem Papam, à Morellio & quibusdam aliis, ineptè Hilario Pictaviensi tributa, huicce nostro Arelatensi convenientius quadrat, ut jam eruditi viri monuerunt.

Tantum verò abest, ut quæ cum Epistola S. Prosperi ad S. Augustinum de reliquiis Pelagianorum, Hilarii nomen præfert Epistola præfixa libris de Prædestinatione Sanctorum, & de dono Perseverantiæ, & alia ejusdem Hilarii brevior, qua proponit Augustino aliquas quæstiones, de quibus vult doceri, sint Hilarii Arelatensis Episcopi, ut ne quidem illo saltem tempore Presbyteri fuerint, qui eas scripserunt, sed homines merè Laici, ut scitè annotavit Bellarminus, & ex eo viri pereruditi. Quo fit ut gravior sit lapsus Miræi, qui post eum scripsit, confuditque cum Arelatensi pag. 199. sub finem, & Riveti, qui socium illum Prosperi Aquitanici tandem factum vult fuisse Arelatensem Episcopum, & auctorem Poematis Heroici de Genesi. Turpe sanè est Doctori Critico & Criticen professo, cùm culpa redarguit ipsum. Verùm plura dicemus in Examine de impudentissimo illo Calvinista, qui Eminentissimum Cardinalem Baronium, sacræ purpuræ decus eximium, ausus est procaci ac maledicentissima lingua furiosum appellare, quòd in furentium Hæreticorum rabiem quovis prætextu sanctos viros carpere quæritantium fuisset invectus. Idem quoque peccatum peccavit cum aliis quampluribus; Joannes Henricus Hottingerus Tigurinus Zuinglianus in Elencho scriptorum suppositiriorum, quem non ex ipsis auctoribus confecit, sed ex Coco & Riveto fæculentis Novatoribus consarcinavit.

Errat quoque Miræus, dum addit, Hilarium post multos exactos in Episcopatu annos ad dilectam eremum rediisse. Quando enim Lirinum rediit vivente adhuc sancto Honorato, qui cùm Arelatem fuerat profectus, nondum erat Episcopus, sed ejus tantùm adjutor, & comes. Ut enim nondum Episcopi Eucherii venientis iter, sic necdum Episcopi Hilarii reditum celebravit Sidonius. Sed de istis copiosior aliàs nobis disputatio.

De

De Hilario Diacono obiter.

HILARIUS è Sardinia oriundus, sed in Ecclesia Romana baptizatus, & in eadem Diaconatu per aliquot annos functus, anno 355. cum Eusebio Vercellensi, aliisque ejectus in exilium, incidit in Luciferianorum schisma ac rebaptizantium hæresim, ideòque à sancto Hieronymo in Dialogo adversus Luciferianos, per ironiam, vel indignationem potiùs ac sarcasmum cognominatus Deucalion orbis. Is auctor creditur vulgò tum *Commentariorum in Epistolas sancti Pauli*, quæ Ambrosio supposita jam ab anno Christi circiter 550. inter ejus opera recenseri solent, tum *Quæstionum in Vetus Novumque Testamentum*, quæ S. Augustino ab Episcopis Lutetiæ Parisiorum anno 824. congregatis, & quibusdam aliis jampridem tributæ sunt. De utroque illo opere diximus obiter suprà suis locis in Ambrosio & Augustino. Horum auctor vivebat adhuc sub Damaso Papa circa annum 384. ut ex verbis ejus in cap. 3. Ep. 1. ad Timotheum clarissimè patet: ut cùm totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicitur, cujus hodie Rector est Damasus. Ex quibus Petavius lib. 10. Theologicorum Dogmatum cap. 4. meritò dubitat an hominis sint schismatici rebaptizantis, & cum Ecclesia Romana malè convenientis: licèt fateatur cujusquemodi fuerit iste scriptor, cum antiquissimis memorandum.

De sancto Prospero Aquitano. 445.

SANCTUS PROSPER Aquitanus Hilarii æqualis, & sancti Leonis quondam Notarius, Episcopus fuit Regiensis in Italia, vel in Gallia. Scio passim existimari sanctum Prosperum fuisse Episcopum Rhegii in Æmilia provincia Italiæ: sed ego suspicor, Episcopum fuisse Rhegiensem in provincia Provinciæ, Suffraganeum Archiepiscopi Aquensis: nam video sanctum Prosperum subscripsisse in Concilio Provinciali Vasensi, & Carpentoratensi: quod argumentum est, illum fuisse Episcopum in Provincia Galliæ. Præterea sancto Prospero successit in Episcopatu Faustus Rhegiensis, omnes autem Faustum, Episcopum Gallum faciunt, non Italum, ac dicunt Metropolitano Aquensi subjectum, non Ravennatensi, cui subjectus est Episcopus Rhegii in Æmilia. Sed quicquid de hac re fit; (nihil enim definio,) sanctus Prosper multa præclarè scripsit *pro gratia Christi contra Pelagianos*, seque S. Augustini discipulum, & defensorem acerrimum demonstravit.

Scripsit *libros tres de prædictionibus & promissionibus Dei. De vita contemplativa alios tres. De vocatione gentium duos. De gratia & libero arbitrio ad Ruffinum. Responsiones ad capitula objectionum Gallicarum, Vincentianarum & Genuensium. De gratia Dei contra Collatorem. Librum sententiarum S. Augustini. Librum de Providentia Dei. Epistolam unam ad S. Augustinum de Prædestinatione. Commentaria in Psalmos, à centesimo usque ad centesimum quinquagesimum. Librum Epigrammatum, inter quæ est carmen contra ingratos. Chronicum Eusebii & S. Hieronymi continuavit.*

Observatio.

Gennadius in libro de viris illustribus scribit, epistolam illam celebrem sancti Leonis ad Flavianum contra Eutychem, existimari à sancto Prospero fuisse scriptam. At certè si ulla epistola sancti Leonis est, illa omnino est, sive stylum, sive doctrinam Leonis attendas.

Libri de vocatione gentium tribuuntur etiam S. Ambrosio, sed verè Prosperi sunt non Ambrosii, ut supra demonstravimus, cùm de libris Ambrosii ageremus.

Liber de Providentia Dei non videtur Prosperi, sed alicujus ex factione Gallorum, qui Semipelagiani sunt appellati. Legat prudens lector & judicet.

Dissertatio Historica.

SANCTUS PROSPER, Regii Lepidi in Italia Episcopus, si qua fides vetustis Martyrologiis, die 25. Junii obiit, & S. Prosper Aurelianensis Ecclesiæ in Gallia Episcopus ad quem scripsit Sidonius Apollinaris ep. 15. libri 6. mortuus dicitur die 29. Julii ex Beda & Romanis Fastis.

At verò PROSPER homo Aquitanicæ regionis, sancti Augustini (quem fortè ne de facie quidem unquam novit) ut nonnulli volunt discipulus, certè doctrinæ ejus solertissimus ac nervosissimus Defensor, Laicus fuisse creditur, ac conjugio implicatus. Ven. Beda in fine libelli de re Metrica Prospero, quem Tironem vocat, tribuit versus vulgatos inter ejus opera ad Uxorem suam, qui sic incipiunt.

Age jam precor mearum
Comes irremota rerum,
Trepidam brevemque vitam
Domino Deo dicemus, &c.

Dicitur quoque S. Leonis Papæ I. Notarius, eique adfuisse in Epistolis scribendis, ea præsertim celeberrima ad Flavianum Ep. Const. de Fide Incarnationis epistola, qua Nestorii & Eutychetis hæreses profligatæ sunt. Nec unquam, aut apud Rejos Apollinares in Provincia II. Narbonensi, aut Regii Lepidi in Æmilia, aut Aurelianis in IV. Lugdunensi ad Ligerim Episcopali functus est munere sunt qui eum inter Maximum & Faustum Regienses Episcopos interserant, nec quicquam repugnante, qui tum vivebat, Sidonio Apollinare Arvernorum Episcopo, cujus hæc sunt verba in Carmine Eucharistico ad Faustum.

... Quis Maximus ille,
Urbem tu cujus, Monachosque, Antistes, & Abbas,
Bis successor agis.

Fuit quippe Maximi & in Lerinensi Abbatia & in Cathedra Regensi successor immediatus Faustus, ut eruditè probavit Sirmondus in notis ad Sidonii Epistolam 15. libri 8. quas consule, nec audiendus Trithemius, qui Prosperum Regiensem fuisse post Faventium seu Faustum Episcopum scripsit, cùm omnis temporum ratio refragetur. Quia verò nonnullos etiam hoc tempore viros non ineruditos video Prospero Episcopales infulas asserere, & nuperi Galliæ Christianæ post Claudium Robertum editores ad eumdem scopulum alliserunt, placet hìc prolatis Veterum scriptorum testimoniis ostendere, ne quidem ad sacros unquam ordines, saltem majores, fuisse promotum. Præeat, qui cum ipso per multos annos vixit Victorius Aquitanus in Epistola ad Hilarium Urbis Romæ Archidiaconus, quam præfixit Canoni Paschalis festi: *Recensitis igitur fidelibus Historiis veterum; Beati licet Eusebii Cæsariensis Palestinæ civitatis Episcopi, viri in primis eruditissimi atque doctissimi Chronicis Prologoque, ac perinde his quæ à sanctæ memoriæ Hieronymo iisdem Chronicis sunt adjecta Presbytero, per quem in Latinum quoque probantur translata sermonem: iisque etiam quæ à Sancto & venerabili viro Prospero, usque ad Consulatum Valentiniani*

niani Augusti VIII. & Anthemii constat fuisse suppleta, reperi, &c. ac paulò post : *Cujus tenorem vir venerabilis Prosper sequutus iisdem Chronicis hæc eadem egregia brevitate composuit, ut eorum initium à Mundi inchoaretur exordio*. Scribebat anno Christi 457. Victorius Constantino & Ruffo Consulibus, anno postquam excesserat è vivis Prosper (quem sanctum ideò vocare mihi semper visus est ac venerabilem) non tamen Presbyterum aut Episcopum, quos titulos Eusebio Hieronymoque non invidebat, nec denegasset, opinor, amico, si iis unquam fuisset insignitus. Quod palmare est ϗ ἀναμφιβόλως ἀνίκητον argumentum, Victorium sequatur Gelasius Papa can. Sancta Romana Dist. 15. *Item opuscula B. Augustini Hipponensis Episcopi : Item opuscula B. Hieronymi Presbyteri : Item opuscula B. Prosperi viri religiosissimi*. Tertio loco accedat Gennadius Massiliensis Presbyter, qui nullum illi dignitatis Ecclesiasticæ titulum assignat, in cæteris pro merito suo laudandis minimè parcus. Quartus sit S. Fulgentius Ruspensis in Africa Episcopus libro primo ad Monimum cap. 30. Cujus, idest Augustini, dicta, quia ipse celeri preventus est obitu, Prosper vir eruditus & sanctus, recta defendit fide & copioso sermone &c. Quintus Marcellinus Comes in Chronico ad annum 463. (quem tamen non videtur attigisse Prosper) iisdem cum Gennadio verbis usus, *Hominem Aquitanicæ regionis sermone Scholasticum, & assertionibus nervosum* dumtaxat appellat.

Ado Viennensis Archiep. in sexta Ætate, *sed & Presbyter Aquitanicæ regionis Notarius B. Leonis, à quo dictatæ creduntur Epistolæ adversus Eutychen de vera Incarnatione Christi malè sentientem*, ut juniores prætermittam & contemporaneos Hincmarum, Florum, Prudentium, Rabanum, &c. solus Honorius Augustodunensis, aut sciolus aliquis ac semidoctus ejus corrector editorve cap. 83. libelli 2. *Hominem mutavit in Episcopum Aquitanicæ regionis*, quod nemo sanus ne per somnium quidem cogitaverat. Sixtum Senensem, Baronium, Possevinum, aliosque hujus aut superioris sæculi scriptores missos facio, qui Honorium Augustodunensem dumtaxat exscripserunt, aut à Joanne Antonio Flaminio, qui res ejus gestas pro libito ex meris conjecturis composuit à Surio Tomo III. editas, in fraudem inducti, Regii-Lepidi Episcopum fuisse censuerunt. Quod verò Bellarminus noster ex Æmilia transtulit in Provinciam Provinciæ Gallicanæ, & suffraganeum fuisse Archiepiscopi Aquensis edixit, hoc ex malè posita Conciliorum Vasensis II. & Carpentoratensis epocha conclusit. Qui enim anno 527. & 529. Conciliis illis subscripsit, nec ad Augustinum anno 430. mortuum scripsit, nec sancto Leoni Papæ à secretis fuit. Neque validius est alterum, quo utitur, argumentum, quòd Prospero successerit in Episcopatu Faustus Regiensis, id enim cùm supra laudatum Sidonii carmen, tum multa alia falsi arguunt. Quid autem, amabo, facias Elssio ac similibus, qui I. ajunt fuisse Lemovicensem patria. II. cùm adolescens esset an. 399. præsentem fuisse Carthagine, quando Aurelius Cathedram suam posuit in celeberrimo Templo Cœlestis Deæ Carthaginensis. III. fuisse discipulum S. Augustini & ab eo veritatem didicisse. IV. Episcopum saltem circa ann. 442. fuisse. V. S. R. E. Bibliothecarium fuisse. VI. obiisse anno 465. 20. Junii octogenario majorem. Quis enim veterum ista commenta docuit? sed iis aliquando omissis, ad rem nostram veniamus.

Tres operum ejus præcipuas editiones celebrant. Primam Lugdunensem in folio anni 1539. apud Sebastianum Gryphium. Alteram Lovaniensem in 4. ex Typographia Joannis Bogardi anno 1566. opera Joannis Sotealli Montiniensis, Theologi Lovaniensis. Tertiam non quidem locupletiorem, sed fortè in quibusdam emendatiorem Duacenam anno 1577. (ex qua propagata est Coloniensis anni 1609. mendis inquinatissima) studio Joannis Olivarii consecrata Joanni Saraceno Priori Vedastino, hoc servato ordine.

Opus de Promissionibus & prædictionibus Dei in tres partes tributum cum adjunctis libellis qui inscribuntur, *Dimidium temporis*, ubi de Antichristo multa *& de gloria regnoque Sanctorum*. Joannes Olivarius Joannis Helssels à Lovanio aliive Præfationi Lovaniensis auctori succenturiatus de eo dubitare visus est, tum quòd Gennadius & Trithemius recensentes, quæ à Prospero scripta sunt, hujus operis non meminere, tum quòd phraseos ac styli maxima sit dissimilitudo. Verùm eos non advertisse reor à Cassiodoro libri de Divinis Lectionibus capite primo, ut genuinum Prosperi partum, agnosci his verbis : sanctus quoque Prosper sedula cura legendus est, qui tres libros totius auctoritatis Divinæ in centum quinquaginta tribus titulis comprehendit adinstar piscium, quos Evangelica retia de hujus sæculi tempestuosa profunditate traxerunt. Quæ ex Peroratione Prosperiani operis mutuatus est : *Juvante gratia Dei hunc conclusi librum tribus ejus primis partibus quadragenta capitula annotando, velut quadragenos dies, quibus in hujus vitæ curriculis Moyses, Elias, & Dominus Jesu jejunia celebrarunt. Ter enim quadragies ducta centum viginti faciunt. Accedunt alia viginti in Dimidia parte finis mundi, & sunt* 140. *Tredecim quoque in Gloria Sanctorum superadduntur, & perficiunt* 153. *In quo numero sacrati illi pisces reti veritatis incorrupto post Resurrectionem Domini jussione capti sunt millia Sanctorum significantes, &c.* quæ duo quisquis inter se comparabit sanctissimo Prospero opus tam insigne in quo omnia vaticinia & pollicitationes de Christo & Ecclesia in sacris litteris expressas eruditè exposuit ac Catholicis traditionibus congruenter, numquam, si quidem de mente Cassiodori agatur, abjudicabit. Multa tamen ex ipso opere deprompta testimonia suadent Cassiodorum fuisse deceptum, qui opus hominis Afri & ab Africa in Italiam turbine Persecutionis Vandalicæ delati, atque, ut ipse loquitur Parte II. cap. 33. expulsi exiliatique, Prospero Aquitanico tribuerit, qui numquam, ut arbitror, Africam vidit. Neque tamen quicquam detrahit de libri illius auctoritate in rebus fidei stabiliendis firmandisque, cùm constet illius auctorem Carthagine vixisse sub Aurelio Episcopo & an. Christi 434. tum in Campania vixisse cùm S. Leo I. Papa latentes Romæ Manichæos exagitavit. Quid verò si hic quoque Prosper dictus sit? Quid si illi alterum è Chronicis tribuendum?

De Vita Contemplativa libri tres : Juliano Pomerio eos jampridem vindicavit diligens Sirmondi nostri in pervidendis Veterum scriptis perspicacitas & ingeniosa felicitas. Vide ejus notas ad Tomum II. Concil. Galliæ & quæ supra monuimus suo loco.

Ad Ruffinum Epistola de Gratia & libero arbitrio.

Responsiones ad capitula objectionum Gallorum Doctrinam S. Augustini calumniantium.

Responsiones ad capitula sedecim objectionum Vincentianarum. Quis verò fuerit Vincentius ille, penitùs ignoratur. Aristarchi quidam Heterodoxi, quos refellemus postea, hoc crimine volunt infamare Vincentium Presbyterum lerinensem, ut ejus aureolum Commonitorium, quo non secus ac Tertulliani libro de Præscriptionibus adversus hæreticos, omnes sectæ hæresesque perduellium à Simone Mago ad Lutherum, Calvinum, eorumque sequaces, obterun-

teruntur, vel aliqua levis infamia afflare possit.

Responsiones ad Excerpta, quæ de Genuensi civitate sunt missa, seu Dubiorum novem ex libris de Prædestinatione Sanctorum & de Dono Perseverantiæ objectorum solutiones, ad Camillum & Theodorum Presbyteros.

Contra Collatorem liber, sive de Gratia Dei & libero arbitrio, pro defensione Divi Aurelii Augustini, Hipponensis Episcopi, contra Cassiani Presbyteri Massiliensis librum, seu Collationem 13. quæ de Protectione Dei prænotatur. Hìc verò temperare mihi non possum, quin Riveti castigem impudentiam, qui narrat Prosperi exemplar incidisse in spurcissimas manus suas, quod fuit Collegii Jesuitarum Parisiensium, in quo ex illa Societate nescio quis marginalibus notis manuscriptis sæpè Prosperum sugillat, præcipuè in gratiam Cassiani Pelagiani. Sed unde, amabo, Lynceus ille argutator colligere potuit à Jesuita scriptas illas marginales notas, cùm nec soleant Jesuitæ in suis libris id unquam nisi ex peculiari facultate, adeoque rarissimè præstare? Et in eorum Bibliothecis infinita reperiantur volumina sæcularium manu ad oram annotata. Certè in Bibliotheca nostra Collegii hujus Parisiensis, quæ in locum ejus, quæ ex Joan. à S. Andrea Can. Dar. & aliorum Bibl. coaluerat, successit, longè completior ac magnificentior, quamplurimi habentur leguntur que à curiosis codices excusi, scholiis & annotationibus Virorum doctissimorum Guillelmi Budei, Guillelmi Pellicerii, Æmari Ranconeti, ac, ut alios longè plures mittam, Petri Pithæi J. C. diligentissimi ad marginem illustrati. Quorum si quis veniat in manum Heterodoxi cujusdam nugatoris, ac continuò arguere licebit: E Collegio Parisiensi prodiit liber, ergo marginales notæ si quæ sunt calamo inscriptæ Jesuitam aliquem auctorem produnt. O lepidum caput omnique festivitate festivius. Deinde esto, annotationum illarum scriptor sit unus aliquis è Soc. Jesu, qui privatim sibi nonnulla annotarit ad memoriam in libro, cujus usus ipsi superiorum permissu relictus sit: Quis nisi insanus cum Riveto sic argumentabitur: ergo omnis, quanta quanta est, Jesuitarum Ecclesia Cassiano, favet, & in Prosperum insurgit, & in eam vibrandum illud ex Baronio telum ad annum 466. Quænam ista est Ecclesia Dei, quæ opuscula Cassiani ut Catholica probat? Certè non dicenda est Catholica, sed Pelagianorum. Ad hæc Archididascali sui portenta cohorrescent, opinor, Critici Heterodoxi paulò pudentiores, mecumque non sine fructu eoque uberrimo ac grati memorisque animi significatione ut spero quasdam ejus eluent sordes. I. quòd Rhegium Flaminiæ in Italia distinguat à Regio Lepidi. II. quòd utrumque Rhegium scribat non Regium. III. Quòd Regium oppidum hoc tempore *Ries* in Gallia Aquitanica collocet per summam rerum Geographicarum in patria sua inscitiam. IV. Quòd Reiensi aut Regiensi, sic enim scribi debuerat, Episcopatui post Prosperum præfectos fuisse dicat ex Lerinensi Monasterio Maximum & Faustum. V. Quòd ex Claudio Roberto in Gallia Christiana Prosperum inscribat primum Regiensem in Provincia Episcopum. VI. Quòd Concilia Vasionense & Carpentoratense circa annum 508. celebrata scribat, atque ex Vossio mutuetur quæ non percipiebat præ supina historiæ Ecclesiasticæ ignorantia. VII. Quòd in Italia vixisse arguit ex Gennadio, atque inde inferat in Italia promotum fuisse ad Episcopatum Regii Lepidi. VIII. Quòd ex Martino Polono, luculento profectò magnæque fidei in rebus adeò antiquis auctore id adstruat, & ex eo quod Carolus Sigonius de cultu el iquiarum ejus in eadem civitate usque ad hoc tempus testatus est. Sed unusne tantùm hactenus fuit Prosper? IX. Quòd post Sirmondi editionem Conciliorum Galliæ libros de Vita Contemplativa adhuc Prospero tribuat. O Criticum verè sacrum, hoc est Criticis eruditis qui res sacras pro dignitate tractare solent, meritò execrandum! X. Denique quòd Honorium Augustodum in Honorium & Augustinum transformet, ac Marcellinum Comitem Chronici auctorem, qui Illyricianus fuit, & Latinè scripsit, quemque magna suspicio est ne de titulo quidem unquam novisse, à Latinis auctoribus sejunxerit. His verò Lector lectis expensisque quod amabo judicium, quam sententiam feres de Jo: Henrico Hottingero ministro Helvetis Tigurino Zuinglii sectatore, qui in Elencho scriptorum suppositiorum ausus est temerè effutire Andream Rivetum, cujus quisquilias everrere solet, de Prosperi sede & ordine doctè disseruisse, qui tot tamque enormia admiserit scelera vix centum Mastigophoris pro rei indignitate sat dignè vindicanda.

Sententiarum ex operibus Divi Augustini excerptarum Liber 388. numero comprehendens tum ex iis, quæ supersunt; tum ex aliis, quæ injuria temporum aut posterorum incuria perierunt.

Epigrammatum liber ex sententiis ejusdem S. Augustini: sunt omnino 98.

Ad uxorem metrum Anacreonticum cum Elegiaco Ven. Beda libro de Arte metrica I. quo usus est Prosper Tyro in principio exhortationis ad conjugem &c.

De Providentia Divina opusculum Heroicum cum Prologo Elegiacis versibus decurrente. Joannes Hessels, Jo: Olivarius, aliique jam observarunt non videri Prosperi, quòd Pelagianæ doctrinæ in quibusdam capitibus faveat, à qua longè abfuit semper fortissimus Aug. assertor Prosper. Iidem quoque non improbabiliter censuerunt annexum fuisse opusculum illud Poemati de Ingratis, non quòd initio Prosperi existimatum sit, sed ut remedio venenum conferri posset; ne cùm esset perniciosum, suo careret antidoto, si sejunctim legeretur.

In obtrectatorem Augustini Episcopi epigrammata duo.

Epitaphium Nestorianæ & Pelagianæ hæreseon.

De Ingratis περὶ ἀχαρίστων, adversus Pelagianos, Poema Heroicum, cum brevi præfatione, & argumentis capitum singulorum.

Commentarius in Psalmum centesimum & sequentes usque ad 150.

De vocatione omnium Gentium libri duo, de his magna viget hoc etiam tempore controversia: etsi enim vix ullus reperiatur, qui modò S. Ambrosio Mediolanensi Archiepiscopo tribuat, cujus inter opera olim inserebantur, atque omnes fermè Prospero Aquitano vindicent, Joannes tamen Latius, ut ferunt, neque enim vidi, libri 2. de Semipelagianis capite tertio adsignare maluit Hilario (qui malè Arelatensis dicitur) S. Prosperi, in defensionem S. Augustini adversus Massilienses Pelagianorum reliquias socio, cujus extat epistola ad S. Augustinum, cujusque honorifica mentio in S. Cœlestini Papæ missa ad Gallos Epistola reperitur. Vossius verò in Historia Pelagiana propendere potiùs videtur in Prosperum Aurelianensem Episcopum, qui libros illos duos conscripserit, ob nominis similitudinem & argumenti communionem inter Aquitani Prosperi scripta ab amanuensibus postea confusos. Non esse verò Prosperi pro certo habet, quamvis & phrasis ac stylus ad Prosperianum omnino accedat, & in antiquissimis exemplaribus mss. habeantur nomine Prosperi, quòd illius auctoris sententia non videatur ex amussim quadrare cum doctrina Prosperi, & quòd in explicanda Prædestina-

ſtinatione mediam quamdam vim, quæ poſtea in ſcholis Theologorum Catholicorum dominata eſt, videatur amplexus. Verùm hæc relinquenda videntur diſquiſitioni eruditorum Theologorum, quorùm eſt iſta diligentiùs perſcrutari, & efficere, ne ſententia Proſperi ab Auguſtiniana divellatur.

Ad Sacram Virginem Demetriadem Epiſtola una poſt ſcriptam ad eamdem à Pelagio epiſtolam, quæ extat, & damnatam Pelagianam hæreſim: cui in Lovanienſi, Duacena, Colonienſi, aliiſque poſterioribus editionibus inſulsè præfixus eſt ac falsò additus iſte titulus: Proſper Epiſcopus ſacræ Virgini Demetriadi. Eſto enim fatendum eſſet, ad Epiſcopales infulas ſub vitæ finem provectum fuiſſe Proſperum, nemo tamen Eccleſiaſticæ peritus Hiſtoriæ concedet unquam, cùm hæc ſcripta eſt à Proſpero epiſtola, illum jam tunc Epiſcopi dignitate fuiſſe inſignem. Hæc porrò epiſtola Proſpero reſtituta eſt cùm olim Ambroſio tribueretur, & inter ejus opera deliteſceret cum libris de Vocatione gentium.

Ad D. Auguſtinum epiſtola de reliquiis Pelagianæ hæreſeos, de qua, ejuſque ſocii Hilarii Laici perinde hominis epiſtolis jam dictum eſt ſupra.

Cæleſtini Papæ pro Proſpero & Hilario de Gratia Dei epiſtola ad quoſdam Galliarum Epiſcopos.

Canones Concilii Arauſicani II. Quod falsò dicitur celebratum circa tempora S. Leonis I. Papæ, ſed anno dumtaxat Chriſti 529. poſt ipſius S. Leonis Papæ obitum fermè 70.

Ex Gennadio cap. 88. Catalogi 5. Victorius Aquitanus & ex S. Iſidori Orig. l. 6. c. 17. conſtat poſt Hippolytum, Euſebium & Theophilum compoſuiſſe Proſperum atque ediđiſſe Paſchalem curſum, de quo plura Bucherius noſter cap. ſexto Commentariorum Victorii Canonem Paſchalem: ubi etiam de Regienſi ac Aurelianenſi Epiſcopo nonnulla præmiſit & ab iis atque Aquitano Proſperum Tyronem, cujus Beda meminit, omninò diſtinguit. Idem Gennadius cap. 84. docet ſe legiſſe Chronica Proſperi nomine prætitulata continentia à primi hominis conditione juxta Divinarum ſcripturarum fidem, uſque ad obitum Valentiniani Auguſti, & captivitatem Urbis Romæ à Genſerico Vandalorum Rege factam. Hoc idem ex Victorii Prologo ad Canonem Paſchalem ſupra laudato, aliiſque veterum teſtimoniis manifeſtum fecimus aliàs, nec quiſquam tam apertæ veritati refragari audebit impoſterum.

Integrum illud *Proſperi Chronicon ab Adami* Mundique ortu ad annum 455. *cum adnotatione Conſulum Romanorum à duobus Geminis Conſulibus, & anno Chriſtianæ Eræ* 28. uſque ad Valentiniani Auguſti VIII. *& Anthemii Conſulatum*, hactenus maxima ſui parte mutilum atque à pluribus promiſſum & ab omnibus diu deſideratum publicam in lucem emiſimus Tomo I. Novæ Bibliothecæ mſſ. Librorum Pariſiis ex Officina Cramoſiana anno ſuperiori.

Conſulare verò, *ſeu vulgatum*, quod antea dicebatur, *Proſperi Chronicon* Euſebiano ejuſque Appendici Hieronymianæ ab anno 379. ad 445. Valentiniano Aug. VI. & Nonio Coſſ. in præcedentibus editionibus adjungi ſolitum, primus additis decem annorum periochis uſque ad annum 455. & captam à Genſerico urbem ex codicibus mſſ. RR. PP. Sirmondi atque Chiffletii vulgavit Andreas Docheſnius Tomo I. Hiſtoricorum coætaneorum Franciæ.

Nos quoque *Pithæanum*, quod & *Imperatorium* dici poteſt quod per annos Auguſtorum neglectis Conſulibus progreditur, *Proſperi Tyronis Chronicon*, à V. C. Petro Pithæo an. 1588. primùm publicatum, & à Scaligero, Ducheſnio aliiſque non omiſſum, ſubjecimus, ne quid deſiderari poſſet, iterum ad celeberrimi Cœnobii S. Victoris exemplar mſ. exactum

A & quibuſdam in locis emendatum. Sunt qui hoc ultimum Proſpero abjudicent. Ego verò, quamvis fuiſſe exſcriptorum incuria aut interpolatorum audacia in pleriſque corruptum non negem, non video cur idem Proſper Pithæanam appendicem Hieronymianæ non potuerit ſubmittere, ac deinde proprium Chronicon conſcribere ab initio Mundi uſque ad prædictam Romanæ captivitatis metam. Sed de his præter Sirmondi in Hiſtoria Prædeſtinatiana atque Ægidii Bucherii in laudatis Commentariis ſententiam cujus obviam, aliorum quoque Virorum doctorum expectatur judicium. Atque ut manum de Tabula tollam, nec de uno Proſpero plures paginas impleam ad finem breviter manco editam fuiſſe anno 1619.

B poſt Eugenii Toletani opuſcula à Sirmondo noſtro *Tyronis Proſperi Aquitani Confeſſionem* ex codice Bibliothecæ Vaticanæ, quam reperi quoque Tomo XV. Bibliothecæ Morellianæ pag. 814. Verùm ex editione Pariſienſi Pithæi, quæ nulla, quod ſciam, fuit; neque ſanè illius mentio in Collectione operum Pithæi à Carolo Labbæo Biturige J. C. publicata; ut meritò inter μνημονικὰ ἁμαρτήματα recenſeri debeat cum pluribus aliis, quæ Bignæanæ Bibliothecæ amplificatores admiſerunt. (*a*)

(*a*) Nuperi Euchariſticarum Lectionum editores quidquid in Tabula Hiſtorica & Chronologica de Proſpero dixerunt à vulgaribus fabulis alienum id R. P. Jacobo Sirmondo in notis ad Sidonium aliiſque

C operibus acceptum referre debent; nec tamen per pudendum ingrati animi vitium limpidiſſimum ex quo ipſi aliique hauſerunt fontem coronare dignati ſunt. Is enim primus depromptis ex reconditæ eruditionis ſuæ uberrimo penu validiſſimis rationibus nec Regii in Italia, nec Reiorum in Narbonenſi ſecunda Epiſcopalem inſediſſe Cathedram, nec Presbyterum, aut Diaconum, ſed Laicum fuiſſe docuit, atque ex illius & Chifletii noſtri mſſ. codicibus Andreas Ducheſnius Chronicon Proſperianum multis annis aliàs diminutum uſque ad annum 455. perduxit; quo anno, vel ſaltem ſequenti, obiiſſe nec vano nec futili argumento ex Præfatione Canonis Paſchalis Victoriani demonſtravimus. Neque enim ex fine Chronici

D ſi nihil aliud accedat, duci poteſt invictum de morte ejus argumentum à Porturegalenſibus Lectionariis, cùm & Euſebius pari ratione paulò poſt annum 326. & Hieronymus non procul ab anno 379. devixiſſe dicendus eſſet; quantumvis hic anno demum 420. ille verò 340. diem clauſerit extremum, ut ſciunt temporum accurati ſcrutatores.

De Baſilio Seleucienſi. 450.

BASILIUS SELEUCIÆ, apud Iſauros Epiſcopus, ſcripſit Homilias 38. de variis argumentis veteri & novi teſtamenti, quæ Græcè primùm, dein latinè ſeorſim editæ fuerunt. Scripſit præterea

E vitam & miracula S. Theclæ Martyris libris duobus, more declamatorio compoſitis, qui Græcè ſimul & latinè ſunt editi. Hujus Baſilii crebra fit mentio in Synodo Chalcedonenſi, cui interfuit, & purgavit ſe in ea, quòd in falſa Synodo Epheſina egiſſet contra Flavianum.

Dissertatio Historica.

BASILIUS SELEUCIÆ in Iſauria Epiſcopus, interfuit anno Chriſti 448. Synodo Conſtantinopolitanæ adverſus Eutychetem, & anno 451. Concilio Generali Chalcedonenſi ut ex actionibus 5. & 6. Evagrio lib. 2. cap. 4. Leontio Byſantio, Liberato Diacono, Theophane, aliiſque conſtat. Quo verò anno obierit non liquet. Certè ætate admodum provectum

vectum fuisse oportuit; siquidem vera sit Photii conjectura, qui Basilium hunc Magni Joannis Chrysostomi amicum & contubernalem extitisse censuit, ad quem etiam librum de Sacerdotio scriptum miserit: Multa enim, inquit, apparent in hujus orationibus vestigia orationum & sensuum illius, &c. quæ in μυριοβίβλῳ commodiùs leges, nec sine fructu. Nos enim ad alia vocamur. Extant Græcè & Latinè tum seorsim edita, tum in Bibliothecis Veterum Patrum varia ejus ingenii monimenta. Cumque hæc scriberem, præ manibus habebam Parisiensem anni 1621. editionem, quæ S. Gregorii Neocæsariensis Episcopi cognomento Thaumaturgi, S. Macarii Ægyptii, & Basilii Seleuciensis opera conjunctim utraque lingua repræsentat, una cum Joannis Zonaræ expositione Canonicarum Epistolarum.

Homiliæ seu Orationes numero XL. de variis argumentis Veteris ac Novi Testamenti interprete Claudio Dausquejo Audomaropolitano, tum Soc. JESU Religioso, ac deinde Canonico Tornacensi.

De Vita & miraculis Sanctæ Teclæ Virginis & Martyris libri duo, interprete Petro Pantino Toletano, Decano Bruxellensi.

Demonstratio adversus Judæos de Adventu Christi, Latinè tantùm interprete Francisco Turriano Societatis JESU Theologo doctissimo.

Laudatio Protomartyris Stephani, deque ejus pretiosi corporis inventione, interprete F. Francisco Combefis O. P. nuper G. L. prodiit in 8. cum aliquot sancti Joannis Chrysostomi Homiliis, Severiani Homilia in pretiosam Crucem, & Epistola Zachariæ Episcopi Hierosolymitani.

Photius Patr. Const. Bibliothecæ suæ tmemate 168. Basilii nostri tantùm quindecim Orationes commemorat, eumdemque metris prolixè dicit persecutum fuisse præclarè gesta, certamina, ac victorias Virginis, primæque Martyris S. Theclæ. Nec tamen inde quis in dubium meritò revocare debet, quin idem sit Auctor librorum duorum, qui extant de Vita Theclæ; cùm non alienum sit à veterum scriptorum more, ut idem utraque oratione prosa simul ac versu in eodem se argumento exerceat. Quod pluribus, si liberet, exemplis omnium ætatum confirmare mihi non admodum arduum esset aut difficile. (a)

(a) Theclæ Historia, inquit Nicolaus Rigaltius pag. 75. Observationum in Tertullianum, sub nomine Basilii Seleuciensis etiamnum circumfertur ejusdem cum Paulinis actis (de quibus Tertullianus libro de Baptismo) farinæ. Vossius verò libri 11. de Historicis Græcis cap. 24. occasione narrationis de liberata Falconillæ anima, cujus meminit S. Joannes Damascenus, argumentis pluribus conatur ostendere ejus quæ extat B. Theclæ vitæ auctorem non esse nostrum Basilium, sed ab impostore confictam, qui voluerit fumum facere Lectori præfigendo tanti viri nomen.

De Valeriano Cemeliensi.

VALERIANUS Episcopus Cemeliensis, quæ civitas est Provinciæ Alpium Maritimarum, in finibus Italiæ & Galliæ, scripsit de variis argumentis disciplinæ Christianæ homilias viginti, quæ nuper editæ sunt Parisiis, cum ejusdem epistola ad Monachos de virtutibus & ordine doctrinæ Apostolicæ. Homilia prima est de bono disciplinæ, quæ antea inter S. Augustini opera ferebatur.

Dissertatio Historica.

VALERIANUS Cemelenensis (seu Cemelensis aut Cimelliensis Vediantiorum in extrema Alpium Maritimarum provincia sub Ebrodunensi Metropoli civitatis, haud procul à Nicaensi castro, sed ultra fluvium Varum veterem Galliæ atque Italiæ terminum) Episcopus vixit sæculo Christi quinto, interfuit Concilio Reiensi anno 439. memoratur in Synodica Episcoporum Galliæ anno 451. data ad S. Leonem Papam, vivebatque adhuc anno circiter 455. cùm in Arelatensi III. Concilio causa agitata est inter Theodorum Forojuliensem, Valerianum hunc Cemelenensem & Maximum Regiensem Episcopos, ac Faustum Abbatem Lerinensem, & reliquos ejusdem nominatissimæ insulæ fratres Monachos.

Valeriani Homiliæ 20. & Epistola ejusdem ad Monachos de virtutibus & ordine doctrinæ Apostolicæ, à R. P. Jacobo Sirmondo Soc. JESU editæ sunt in 8. Parisiis anno 1622. cum brevi elogio quod exscripsit pro more Miræus ac deinde in Bibliothecis Veterum Patrum Coloniensi &. Parisiensibus: anno quoque 1623. prodierunt in folio in eadem Parisiensi urbe cum SS. Leonis, Maximi & Chrysologi operibus, quod postea Lugdunenses sæpius iteratis operis imitati sunt. Pro Homiliis illis earumque auctore adversus quemdam Parcum Caritatis hoc est Nicolaum Chichonium sanæ doctrinæ criminatorem sive accusatorem acerrimum, egregiam Apologiam edidit R. P. Theophilus Raynaudus Cespitellensis Julius, Soc. JESU Theologus, qua eum à falsò impacta Semipelagianismi calumnia vindicavit, & multa quæ in aliis quoque sanctis Patribus occurrunt de Gratia Dei & libero arbitrio similia loca, luculentissimè explanavit.

Melchior Hamen Weltonus Goldastus damnatæ memoriæ Hæreticus cum Collectaneis quibusdam Genevæ Allobrogum anno 1601. in 8. ediderat sermonem *de Bono disciplinæ*, qui Tomo IX. operum S. Augustini reperitur, & primum modò locum obtinet inter Homilias 20. à Sirmondo editas, atque Augustino ereptum cujus à stylo ingenioque abhorret, nec à Possidio in Indiculo recensetur, ex fide plurium mss. codicum legitimo parenti Valeriano vindicarat. Verùm ea gratia admodum levis est, si cum integra Sirmondi collectione conferatur, nec ipse, si reviviscat quamquam in Jesuitas plusquam Vatiniano efferatus odio, diffitebitur Rivetus, qui minus castigatè addidit ad Goldasti munusculum litterarium adjunxisse Sirmondum ejusdem Auctoris homilias 20. sunt enim dumtaxat undeviginti ab eo primùm ex Corbejensi ms. codice vulgatæ cum epistola ad Monachos.

De Honorato Antonino. 450.

Supplementum.

HONORATUS ANTONINUS Constantinæ in Africa civitatis Episcopus scripsit ad Arcadium quemdam, qui pro *Confessione fidei Catholicæ* in partibus Africæ à Genserico Rege missus exulabat, *Epistolam ad labores pro Christo ferendos exhortatoriam*, & exemplis præsentibus & Scripturarum relationibus roboratam, & quòd Confessionis fidei perseverantia non solùm præterita purget peccata, sed & meritum procuret martyrii. Hæc Gennadius cap. 95. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, *legiturque* Honorati Epistola in Bibliotheca veterum Patrum primæ & secundæ editionis Parisiensis annorum 1575. & 1579. quam etiam reperies tom. 5. editionis à Coloniensibus anno 1618. procuratæ. Floruit circa annum 450. ejusque memo-

memoriam faciunt Possevinus *in Apparatu Sacro*, verbo *Antoninus*; Aubertus Miræus *in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 114. pag. mihi 203. Labbeus *in Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum Chronologica* ad annum 450.

De Arnobio juniore. 460.

ARNOBIUS, non ille, qui scripsit contra gentes, & sub Diocletiano floruit, sed alius junior, qui paulò post sanctum Leonem Papam vixisse videtur; scripsit *librum titulo Conflictus Catholici cum Serapione de Deo trino & uno*: item *de duabus in Christo substantiis in unitate personæ*: item *de gratia, & liberi arbitrii concordia*: qui libri editi sunt Coloniæ anno 1596. Neque est improbabile hujus Arnobii junioris esse *Commentarios in Psalmos*, qui sub Arnobii nomine circumferuntur: de quibus vide quæ diximus supra in Arnobio.

Dissertatio Historica.

ANONYMUS ille Auctor, qui passim Arnobius Junior dicitur, post Chalcedonensem Synodum anno 451. celebratam vixisse videtur, & extremis S. Leonis Papæ temporibus, circa annum Christi 460. ut qui Pelagianæ ac Prædestinatianæ hæreseon apertè meminerit, de duabus Christi Domini naturis in unitate personæ Catholicæ scripserit, & quod caput est, Commentarios suos in Davidicos Psalmos eleganti stylo exaratos dicaverit Leontio Arelatensi, & Rustico Narbonensi Archiepiscopis.

Præter laudatos *Commentarios in CL. Psalmos Davidis*, qui Venerabili Bedæ fuerunt cogniti, tribuuntur eidem quoque Juniori Arnobio sequentia opuscula.

Annotationes ad quædam loca Evangelistarum, quæ teste Bellarmino, parvi sunt momenti.

Conflictus Catholici de Deo trino & uno. De Duabus in Christo substantiis in unitate personæ.

De gratiæ & liberi arbitrii concordia. Sunt tamen, qui unicum Tractatum arbitrentur hoc Donatum titulo: Conflictus Arnobii Catholici cum Serapione de Deo trino & uno, duabus in Christo substantiis, &c. in quem Francisci Fevardentii Ordin. Minorum extant Notæ pag. 352. Tomi XV. magnæ Bibliothecæ Parisiensis veterum Patrum ex editione Coloniensi anni 1596. cum operibus S. Irenæi Lugdunensis Episcopi & Martyris. (*a*)

(*a*) Sixtus Senensis Afrum fuisse eumque Commentarios suos in Psalterium à Ven. Beda laudatos, inventosque, ut ferunt, in Cœnobio Francodalensi inter Vormatiam & Spiram, Episcopis Afris dicavisse asserit. Albertinus, & quidam alii Semipelagianum fuisse contendunt hoc ridiculo argumento quod interdum soleat insectari hæresim Prædestinatianorum: quo nomine, si mendacibus credendum est, Augustinus & Augustini sectatores à Pelagianis infamari consueverant. Cæterùm quod omittendum non est in expositione Psalmi 105. se inter Sacerdotes collocat.

Evangelistarum quæ). testibus Sixto & Bellarmino.

Supplementum.

ARNOBIUS JUNIOR quantum conjicere fas est, Gallus fuit, offerens *Commentarios suos in Psalterium* duobus Episcopis Gallis, Leontio nempe Arelatensi Episcopo & Rustico Narbonensi anno Christi 460. vel 461. quo Cathedræ Arelatensi recens sedebat Leontius, & senex Narbonensi Rusticus. Nullum sanè indicium quod Afer fuerit hujus Commentarii Auctor, hæ conjecturæ eum fuisse Gallum, quamvis inde Gallia nostra magnum non habeat splendorem, ob hujus operis latinitatem barbaram & insulsam, peccantemque Grammaticarum legum despectum. Legitur hoc opus in Bibliotheca SS. Patrum, omnium editionum. Quantum verò ad *altercationem inter Arnobium & Serapionem*, seu *conflictum Catholici de Deo trino & uno*, *de duabus in Christo substantiis in unitate personæ*, *& de gratia ac liberi Arbitrii concordia*; allego infrà opusculum istud, verbo *Vigilius Tapsensis*, ad quem spectat, ut dicemus ad annum DLXX. Agunt de Arnobio Juniore Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ sanctæ Possevinus in Apparatu sacro Bellarminus & Labbeus de Scriptoribus Ecclesiasticis, Natalis Alexander Dominicanus *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ* capitibus, sæculo v. tom. 1. cap. 4. pag. 639. ubi Arnobium Gallum facit contra Sixtum Senensem qui eum Africanum credidit. Hæc ad correctionem Nomenclatorum recentium.

De Theodoro Presbytero in Raytu. 460.

THEODORUS PRESBYTER in monasterio Raytu, scripsit *quindecim libros de Incarnatione Domini*: nunc extat *Commentarium de Incarnatione Domini contra Nestorium, & Eutychetem* in Bibliotheca SS. Patrum tom. 1. edit. 2.

Dissertatio Historica.

THEODORUS, in Rhaythuensi Monasterio Presbyter, vixisse dicitur à Bellarmino circa annum Christi 460. sæculo quinto, sed paulò tardius, si ipse ille est, quem ut idem cum Poss. & Miræo falsò contendit Gennadius cap. 12. & post eum Honorius Augustodunensis vocant Antiochenæ Ecclesiæ Presbyterum, & adversus Apollinaristas & Eunomianos testantur de Incarnatione Domini libros quindecim scripsisse versuum quindecim millia continentes, &c. illum quippè locant medium inter Evagrium Ponticum & Prudentium Poetam, qui initio quinti sæculi jam natu provectiores erant longè ante Eutychetis, Juliani, ac Severi tempora. Photius quoque codice quarto meminit Theodori Antiocheni, qui pro Sancto Basilio adversus Eunomium arbitratur fuisse Mopsuestiæ Episcopum, cujus interpretationem in Genesim cod. 38. de Persarum magia libros tres codice 81. & libros quinque refert cod. 177. contra asserentes peccare homines natura, non voluntate. Quidquid sit ab utroque illo Theodoro diversus fuit Theodorus Abbas seu Presbyter Lauræ Rhaythu, ad quem scripsit Epistolam & varia capitula S. Maximus Martyr de voluntatibus & operationibus in Christo, de essentia, natura, hypostasi, & personis sub medium septimi sæculi. Hunc cum viris doctis auctorem esse censeo.

Commentarii de Incarnatione ejusdem Christi adversus hæreses Manetis, Apollinaris, Theodori Mopsuestiæ, Nestorii, Eutychetis, Juliani Halicarnassei, Severi & aliorum: qui etiam inscribitur, Exercitatio præparatoria, scripta ad eum, qui doceri cupiat, quis fuerit modus carnis à Deo assumptæ, atque dispensationis, quove pacto peracta est, quæ item ab alumnis Ecclesiæ adstruantur adversus minus rectè de ea sentientes. Porrò libellus hic, cujus meminisse constat Suidam verbo Μάνης, primò Latinitate donatus est à Godefrido Tilmanno Cartusiæ Parisiensis Monacho, & in Bibliothecis Veterum Patrum sæpiùs

piùs excusus. Eumdem postea Græcè & Latinè ter quaterve editum fuisse animadverti. I. Genevæ in 4. anno 1580. teste Simlero sive ejus amplificatore Jo: Jac. Frisio, hoc titulo: Theodori Presbyteri Rhetensis libellus adversus hæreses, qui unionem Hipostaticam duarum in Christo naturarum oppugnarunt, primùm Græcè editus, & Latinus factus à Theodoro Beza Vezelio, ac deinde tertio volumine Tractatuum ejus Pseudo-Theologicorum. II. Parisiis anno 1599. apud Federicum Morellum una cum Gelasii Cyziceni Historia Concilii Nicæni interprete Roberto Balphoreo Scoto Aquitanici apud Burdegalenses Collegii Gymnasiarcha. III. & IV. Tomo I. Auctarii G.L. Bibliothecæ Veterum Patrum studio Frontonis Ducæi S. J. excusi anno 1624. & Tomo XI. Morellianæ ex nova, nec antea in lucem edita R.P. Francisci Turriani Soc. JESU interpretatione. Idem autem clarissimus editor Bezam castigat, tum quòd vocaverit Theodorum illum Presbyterum Rhetensem, scilicet ex Rhætia originem ducentem; tum quod eumdem scripserit, aut tempore Concilii quinti Oecumenici sub Justiniano, aut certè proximi secutis temporibus vixisse: nam ab anno Christi 548. quo Synodus quinta est indicta, fat grande interstitium usque ad tempora sancti Maximi, qui ad nostrum scripsisse perhibetur, omnium confessione intercedit. Rivetus Balphoreum tradit notas & correctiones addidisse ex ms. exemplari Petri Stellæ dissimulato Bezæ nomine, in cujus editione pura & vera lectio reperiebatur, quam plagium dissimulans, se ex conjecturis vel alio exemplari emendasse gloriatus est. Idem addit Lectorem eruditum, si versiones conferat, facilè judicaturum, quæ aliis sit præferenda. Rectè id quidem: nam ipsi in Græcis parum idoneo judici vix fidem habituros credo fuisse, vel affines ejus Heterodoxos, paulò eruditiores.

De Salviano Episcopo Massiliensi. 460.

SALVIANUS PRESBYTER, ac postea Episcopus Massiliensis æqualis fuit S. Eucherii Lugdunensis, quippe, qui filiorum Eucherii (habuit enim Eucherius ex legitimo conjugio ante Sacerdotium duos filios, qui ipsi quoque Episcopi fuerunt) Veranii, & Salonii Episcoporum magister fuit, teste Gennadio in libro de viris illustribus.

Porrò Salvianus plurima opera scripsisse fertur, sed nunc extant solùm, quod ego sciam, *libri octo de Providentia, & Judicio Dei, & libri quatuor de Ecclesia* sub nomine Timothei, in quibus ita exaggerat vitia Christianorum, & maximè Clericorum sui temporis, ut nimius videri posset, nisi ex vero zelo gloriæ Dei, & salutis animarum oratio ejus proficisceretur.

Dissertatio Historica.

SALVIANUS TREVIRIS oriundus, numquam fuit Episcopus, ut quidam juniores (*a*) scripserunt, sed tantùm ut loquitur Gennadius capit. 67. ejusque Breviator Honorius Augustodunensis libello secundo, Massiliensis Ecclesiæ, sive ut in mss. legitur apud Massiliam Presbyter, humana & divina litteratura instructus, florebat jam & Episcoporum sanctorum saltem Salonii & Verani magister, (iidem mss. codices hæc tantùm habent: & ut absque invidia loquar, Episcop. magister, scripsit scholastico & aperto sermone multa, &c.) florebat inquam ab anno 440. quem designat, dum ait bellum à Littorio Comite adversus Wisigothos gestum fuisse proximum, meminitque Carthaginis à Vandalorum Rege Genserico captæ anno 439. De eo præter Gennadium citatum, qui eum usque ad sua vixisse tempora in senectute bona testatur, hoc est usque ad annum saltem 495. quo Catalogum scripsisse videtur, ut Honorium; videndi S. Hilarius Episcop. Arelatensis in Encomio S. Honorati prædecessoris sui, S. Eucherius in epistola præfixa libris duobus Instructionum ad Salonium filium, Ado in Chronicis, Trithemius, qui eum claruisse sub Zenone asserit circa annum 480. Sixtus Senensis qui ei Latinum candidum & succinctum sermonem tribuit, Possevinus, &c.

Libri octo de providentia & gubernatione Dei deque justo ac præsenti Dei judicio, ad Salonium Episcopum, cura Joannis Alexandri Brassicani primùm Basileæ anno 1530. apud Frobenium editi, tum Romæ anno 1564. apud Paulum Manutium, in ædibus Populi Romani in folio cum Maximi Taurinensis Homiliis, Paciani Barcilonensis de pœnitentia & confessione, Severi Sulpitii sacræ Historiæ libris duobus, Dorothei Tyrii de Prophetis & Discipulis Domini, ac Haymonis Halberstatensis Epitome, adjunctis in tres posteriores Petri Galesini notationibus, deinde Parisiis, & alibi sæpiùs ex recensione Petri Pithæi, & aliorum deinceps.

Sub Timothei nomine *libri quatuor ad Ecclesiam Catholicam toto orbe diffusam adversus avaritiam præsertim Clericorum & Sacerdotum* cum præfatione ad Salonium Episcopum, cur Timothei nomen suppresso proprio confixerit, curve ad totam Ecclesiam scripserit, nimirum ut neglecta humana gloriæ vanitate soli Deo ejus laboris honorem deferret. Extant *cum nonnullis etiam Epistolis*, tum seorsim excusi post libros de Providentia, tum in Bibliothecis Patrum, similibusque Theologorum veterum collectionibus.

Possevinus addit ex Sixto Senensi Salvianum composuisse tres libros τῶν ἀντικειμένων, in quibus continentur Quæstiones Veteris ac Novi Testamenti de locis in speciem pugnantibus per interrogationem & responsionem. Verùm illi post Salvianum editi anno 1530. Basileæ apud Frobenium & alibi etiam incerto primùm auctore, nunc tribui solent à viris doctis S. Juliano Toletano Antistiti. Idem Sixtus omissis quæ modo commemoravimus opusculis duo non edita protulit ex Gennadio. A principio Genesis usque ad conditionem hominis in morem Græcorum compositum versu quasi Hexaemeron librum unum & Expositionis extremæ partis libri Ecclesiastici librum unum ad Claudianum Episcopum (corrige ex selectioribus mss. Presbyterum) Viennensem. Cur cætera quæ Gennadius refert præsertim de Virginitatis bono ad Marcellum Presbyterum libros tres & Homilias Episcopis factas multas, Sacramentorum verò quamplurimas prætermiserit, nescio, cùm perinde omnia desiderentur hoc tempore. Trithemius certè hæc & alia congesserat in quibusdam castigandus. Philippus quoque Elssius multa peccat, & immeritò Eremitis Lerinensibus, suisque adeò Augustinianis accenset, non secus ac SS. Honoratum, Hilarium, Eucherium, Salonium, Veranum, Lupum, similesque, ut jam alibi questi sumus.

(*a*) Nuperrimè quoque Innominati Lectionum Eucharisticarum Collectores ad hunc scopulum allisorunt. Ajunt enim pag. 530. Salvianum Presbyterum ac deinde Massiliensis Ecclesiæ Episcopum fuisse: atque in eam rem hoc unum argumentum proferunt ex Gennadio petitum, non ut Albani, Torini, Mariani Victorini, Suffridi Petri, Auberti Miræi, aliorumque editiones repræsentant, sed ex editione Erasmi quam veram esse asseverant, in qua tamen non secus atque in aliis Presbyter dicitur. Verùm eos opinione sua falsos multa edocent. I. ipsemet Gennadius qui si Episcopus unquam fuisset Salvianus, absque ulla ad-

la adversus invidos præfatione potuisset illum vocare Episcoporum magistrum, atque illud, *& ut absque invidia loquar* procul amandare, audacterque profiteri multas Homilias ab eo Episcopis aut ad Episcopos factas. II. Quis enim Veterum hoc illum titulo condecoravit, ut eodem quo illi adversus Prosperi Episcopales infulas utar argumento? III. Honorius Augustodunensis Gennadii breviator Presbyterum vocat non Episcopum, unde patet in mss. quibus usus est codicibus non hanc sed illam voculam legisse. Idem de Trithemio, Gesnero, Simlero, atque operum Salviani eruditissimis editoribus Joanne Alexandro Brassicano, Petro Pithæo, aliisque licebit affirmare, quibus unius Erasmi in corrigendis, quos in lucem emisit, auctoribus interdum audacissimi censoris non præponderare debet auctoritas, ut nihil dicam de laudatis supra viris accuratissimis qui Gennadiani Catalogi editiones ad mss. codices exactas procurarunt. IV. ut ostendam omnium inquinatissimam esse Erasmi editionem, placet hic ex Bibliothecæ Sancti Germani Pratensis antiquissimo exemplari totam hanc de Salviano periochen exscribere: Salvianus apud Massiliam Presbyter, humana & divina litteratura instructus, & ut absque invidia loquar, Episcoporum Sanctorum Salonii & Verani Magister, scripsit scholastico & aperto sermone multa ex quibus ista legi: De Virginitatis bono ad Marcellum libros tres: & adversus avaritiam libros quatuor: De præsenti judicio libros quinque & pro eorum præmio satisfaciendo ad Salonium Episcopum librum unum, & expositionis extremæ partis libri Ecclesiastes ad Claudium Ep. Vienn. lib. unum: Et in morem Græcorum à principio Genesis usque ad conditionem hominis compositum versu quasi Hexaemeron librum unum. Homilias ad Episcopos factas multas: Sacramentorum verò quantas nec recordor. Vivit usque hodie senectute bona. Sirmondus alium codicem mss. viderat ferè in omnibus persimilem ex quo etiam illud emolumenti percipias velim, quòd Claudianum Viennensem ut in Chronico Adonis legitur, Presbyterum, non Claudium Episcopum, ut vulgatæ editiones cum plerisque manu exaratis libris præferunt imposterum appelles. Accedat quintum, illudque invictissimum argumentum ex eodem Gennadio depromptum: Is capite 99. atque penè ultimo (quod quædam mss. exemplaria non agnoscunt, legitur tamen in supradicto Corbejano seu Sangermanensi & in omnibus editionibus) pluribus exequitur laudes Honorati Massiliensis Ecclesiæ Episcopi viri eloquentis & absque ullo linguæ impedimento ex tempore in Ecclesia declamatoris, qui litanias ad supplicandam Dei clementiam cum plebe sibi credita pro viribus agebat tum, cùm scriberet catalogum suum Gennadius. Non ergo Salvianum eodem viventem tempore cum Honorato vocavit Ecclesiæ Massiliensis Episcopum, aut doceant, amabo duos in una cathedra eademque civitate sedisse simul Antistites. Erroris fons atque origo prima ni fallor manavit ex membranis quibus usus est aut ex correctione quam architectatus est Erasmus. Cùm enim legeretur *Homilias Episcopis factas multas*, ut Suffridus Petrus, Aubertus Miræus, aliique deinceps ediderunt: vel *Homilias ad Episcopos factas*, quemadmodum ex codice vetustissimo Corbejensi docuimus. Ipse ejusque amanuensis aut corrector imperitus, cùm non intelligeret quid ista vellent in contrarium sensum ac Gennadio omnino repugnantem commutavit, scripsitque *Homilias Episcopus factus multas*, unde in quasdam editiones mendum propagatum est, donec alii accuratiores Critici consultis mss. pluribus Gennadium pristino nitori restituerunt. Desinant ergo veram appellare Erasmianam editionem, quæ tot Fœdissimis mendis infecta est, ut iis plures si vacaret paginæ impleri possent. Nos certè si unquam res ipsa postulet, habemus nonnihil quo Lectoribus in hac parte gratificari valeamus ἐν περιαςίας μέρι.

De Idacio Lemicensi. 460.

IDACIUS LEMICÆ Hispaniarum urbis in Gallecia Episcopus, Chronicon scripsit, quod à primo Thedosii Imp. anno, idest, à fine Chronici S. Hieronymi inchoavit, & ad sua usque tempora perduxit. Sigbertus anno Domini 490. notat, Idatium Chronicon suum usque ad eum annum perduxisse. Sed exemplaria Idatii, quæ extant ultra annum 470. non procedunt.

Dissertatio Historica.

IDACIUS ITHACIUS aut Hydatius, Leonicæ in Gallæcia natus sed Aquiflaviensis in eadem Provincia Episcopus, vixit sæculo Christi quinto, perduxitque Chronicon suum usque ad annum Christi 467. Anthimi Romani Imperatoris secundum. In libello de XII. Scriptoribus Ecclesiasticis (qui Isidori & Ildefonsi de eodem argumento opusculis subjici solet, atque à nonnullis Felici Toletano Episcopo tribuitur) capite octavo dicitur Idacius Historiam à fine Chronici Hieronymiani scripsisse usque ad annum Leonis Imperatoris octavum (Christi 464.) ac sub eo decessisse ultima jam penè senectute. De eodem S. Leo epist. ad Thuribium, Sigebertus anno 490. & cap. 18. Catalogi, Auctor Anonymus apud Canisium Tomo II. Rigordus Trithemius, qui duos Idacios in unum miscuit, Vossius aliique.

R. P. Jacobus Sirmondus ex pervetusto ms. codice Collegii nostri Parisiensis edidit anno Christi 1619. cum Marcellino Comite *Chronicon Idacii* fermè integrum, & partem *Fastorum eidem Idacio tributorum*, ex eodem codice ab anno Christi 270. Aureliani Imp. primo, ad annum Christi 423. Honorii Imperatoris ultimum. Nos Tomo I. Novæ Bibliothecæ mss. librorum, integros illos *Fastos Idacianos* à Regifugio, sive ab anno U. C. 245. primisque Consulibus Bruto & Collatino, usque ad Consulatum alterum Anthemii Augusti an. 468. vulgavimus à quamplurimis viris doctis jampridem expetitos.

Edidit quoque, ut de imperfecto mendosoque ejusdem Chronico à Josepho Scaligero, Henrico Canisio, & Andrea Schotto in lucem emisso nihil dicam, Chronicon Idacii Lemicensis Pampelonæ in regno Navarræ Prudentius Sandovallius, cum Isidoro Pacensi, Sebastiano Salmanticensi, Sampiro Asturicensi, & Pelagio Ovetensi, sed ex furtiva dumtaxat editione Romana anno 1615. ad subductum clam Sirmondo nostro apographum ab æmulis quibusdam deproperata, multisque mendis referta.

De Victorio Aquitano. 460.

Supplementum.

„ VICTORIUS Natione Aquitanus scrupulosus temporum calculator, invitatus à sancto Hilario urbis Romæ tunc Archidiacono, & postea post mortem sancti Leonis Episcopo, composuit *Paschalem cursum* indagatione cautissima; post quatuor priores qui eum in hac parte prævenerant, idest, Hippolytum, Eusebium, Theophylum & Prosperum: protendens temporum seriem usque ad annum 532. ita ut quingentesimo

„ ſimo trigeſimo tertio anno Paſchalis reincipat ſolemnitas, eodem menſe & die, eademque luna, „ qua primùm Paſſio & Reſurrectio Domini facta „ eſt. Hæc Gennadius *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 88. Hunc Victorii Aquitani Canonem Paſchalem primus edidit doctiſſimiſque commentariis ornavit Ægidius Bucherius Atrebatenſis Soc. Jeſu, impreſſum Antuerpiæ in fol. in officina Plantiniana anno 1633. cum aliis aliorum Patrum operibus ad eamdem materiam ſpectantibus. Scripſit Victorius *Canonem Paſchalem* Conſtantino & Rufo Conſulibus, ut ipſe in Prologo tradit, hoc eſt, Chriſti anno vulgari 457. quo claruit.

Victor Cartennæ in Africa Epiſcopus, de quo ſic Gennadius cap. 77. *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Victor Cartennæ Mauritaniæ civitatis Epiſcopus, „ ſcripſit adverſus Arianos librum unum & longum, „ quem Geiſerico Regi Vandalorum per ſuos audiendum obtulit, ſicut ex proœmio Libri ipſius „ didici. Scripſit & de pœnitentia publica librum, „ in quo & regulam vivendi pœnitentibus juxta Scripturarum auctoritatem ſtatuit. Et ad Baſilium „ quemdam ſuper mortem filii conſolatorium libellum, ſpe reſurrectionis perfecta inſtructione munitum. Homilias etiam compoſuit multas, quas „ à fratribus propriæ ſalutis ſollicitis, in libris digeſtas ſervari cognovi. Habetur liber *De pœnitentia* tom. 2. ad calcem operum D. Ambroſii, in multis editionibus. Item liber *De conſolatione in adverſis ad Baſilium*, inter opera Santi Baſilii Magni tom. 3. pag. 613. ultimæ Editionis Pariſienſis anni 1638. quod nullus adnotavit. Sanè iſtud opus editum primò Pariſiis circa annum 1520. apud Claudium Chevallon in 12. cum operibus *Sancti Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi*, ex mſ. Codice antiquo, ut narrat editor nulla facta mentione ullius interpretis: unde liquet eſſe Auctoris latini, non græci; ad Baſilium Victoris Africani, non Baſilii Græci & Cappadocis ad aliquem alium. Claruit anno 460. de quo Bellarminus & Labbeus in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Poſſevinus in *Apparatu ſacro*, Aubertus Miræus *in Scholiis ad Gennadium*.

De Victore Cartenſe Ep. 460.

SUPPLEMENTUM.

Iſtum Victorem vide ſæculo 6. poſt Victorem Africanum.

De Salonio Epiſcopo. 470.

SALONIUS S. Eucherii filius, & Salviani diſcipulus, ſcripſit *in Proverbia, & Eccleſiaſten Salomonis dialogum*, qui extat in Bibliotheca ſanctorum Patrum tomo 1. editionis ſecundæ. An Epiſcopus fuerit Viennenſis nec ne, diſputat Cardin. Baronius tomo 6. Annalium ad annum Dom 441.

DISSERTATIO HISTORICA.

SALONIUS, VERANI frater, & S. Eucherii ante Monachatum Lerinenſem ac Lugdunenſem Archiepiſcopatum filius, à patre ductus adhuc puer in Lerinenſem inſulam, ibi cum Monachis aliquandiu ſub cura SS. Honorati atque Hilarii vixit, ac ſub diſciplina Vincentii, Salviani, & aliorum doctorum virorum eruditus, tandem ad Epiſcopatum promotus (ſunt qui Genabenſem in Allobrogibus ad Lemanum lacum, aut Genuenſem in Liguria adſignent, aliis meritò reclamantibus) floruit maximè anno 450. & ſequentibus. Certè inter epiſtolas S. Leonis

A & Tomo I. Conciliorum Galliæ extat epiſtola à Ceretio, Salonio & Verano Epiſcopis ſcripta ad S. Leonem I. Papam anno 452. Quo verò anno obierit, non liquet. De eo, ejuſque fratre Verano, Salvianus Presbyter Maſſilienſis in Epiſtola ad Sanctum Eucherium, in qua aſſerit utrumque ſuperſtite adhuc patre Magiſtros Eccleſiarum & Epiſcopos eſſe cœpiſſe. Ipſe quoque pater ejus Eucherius in præfatione ad libros duos Inſtructionum, quos ei inſcripſit, virtutes illius celebrat, & primam apud Lerinenſes doctrinæ morumque informationem, ut ſuo loco in Eucherio obſervavimus, Gennadius Salonii ejuſdem meminit cap. 63. & 67. & recentiores Sixtus Senenſis qui cum nonnullis temerè Viennenſem in Gallia Epiſcopum appellat, Poſſevinus, B aliique.

Brevis Expoſitio per Dialogum in Parabolas Salomonis interlocutoribus Verano fratre, ipſoque Salonio, necnon *Expoſitio* myſtica in ejuſdem *Salomonis Eccleſiaſten* ad eumdem Veranum fratrem ſuum, eademque inter utrumque dialogiſmi forma, qua variæ de ſingulis capitibus quæſtiunculæ per interrogationes & reſponſiones explicantur, extant tum in Bibliothecis Veterum Patrum Pariſienſibus & Colonienſi, tum Baſileæ jam ab anno 1550. excuſæ ab Henrico Petri cum aliis veterum Theologorum opuſculis.

De Paulino Petricordio. 470.

C SUPPLEMENTUM.

PAULINUS PETRICORDIUS vel potiùs Petracoricenſis floruit circa annum 460. & ulteriùs cujus habemus *libros ſex carmine heroico ſcriptos ad Perpetuum Turonenſem Antiſtitem*, *De vita ſancti Martini ejuſdem Urbis Epiſcopi*, qui tomo 8. Bibliothecæ veterum Patrum editionis Colonienſis anni 1618. & editionum veterum Pariſienſium annorum 1575. & 1589. ac pluribus aliis Poetarum Collectionibus Paulino Nolano Epiſcopo adjudicantur: cum *verſibus De viſitatione Nepotuli ſui & brevi opuſculo De orantibus*, quæ primùm carmine Franciſcus D Juretus ex Codice V. C. Petri Pithæi cum notis ediderat. Sex tamen illi libri *de vita ſancti Martini* pertinent ad Paulinum patria Petricordium ſeu Petracoricenſem, qui 30. aut 40. circiter annis ab obitu ſancti Paulini Nolani Epiſcopi, opus illud ſuum dicavit Perpetuo Turonenſi Archiepiſcopo, Præſidi Concilii Turonenſis anni 480. Ita etiam volunt mſſ. Exemplaria Vaticanum & Corbejenſe, de quibus Sirmondus in eruditis ſuis ad Sidonium Apollinarem notis. Plura apud Philippum Labbeum in diſſertatione hiſtorica de Scriptoribus Eccleſiaſticis verbo *Paulinus Nolanus* tom. 2. pag. 165. Aubertus Miræus in Bibliotheca ſua Eccleſiaſtica Scholio ad cap. 48. Gennadii de Scriptoribus Eccleſiaſticis pag. E 57. Bellarminus obſervatione ſecunda ad opera ſancti Paulini Nolani, in editione omnium ampliſſima & caſtigatiſſima libri de Scriptoribus Eccleſiaſticis an. 1617. Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſy Noviſſimus editor operum ſancti Paulini Nolani Pariſiis in 4. anno 1684. apud Edmundum Couterot.

De Antonio ſancti Simeonis Stylitæ diſcipulo. 470.

SUPPLEMENTUM.

ANTONIUS ſancti Simeonis Stylitæ diſcipulus, qui Martyrologio Romano 5. Januarii adſcriptus eſt. Magiſtri ſui vitam ſcripſit, quæ in Vitis Patrum

trum Eremitarum tom. 1. editionis Plantinianæ legitur, quam procuravit Heribertus Rosvveidus Soc. Jesu annis 1615. & 1628. Vixit ipse cum Simeone, & vermes de corpore ejus fluentes collegit, & in ulcerum cavernis reposuit, ut ipse de se in hæc verba narrat: *Quidam juvenis adstitit ei nomine Antonius, qui vidit hæc & scripsit. Juxta præceptum illius colligebat vermes de corpore ejus, qui cadebant in terram, & porrigebat illi rursum. At ille ponebat eos sibi in ipso vulnere, ad similitudinem Justi Job dicens, manducate quod vobis Dominus dedit.* Et infra ad finem: *Ego humilis peccator Antonius, in quantum potui, lectionem brevem hanc exposui.* Claruit Antonius circa annum 470. de quo Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 94.

De Fausto Regiensi. 480.

FAUSTUS ex Monacho Lirinensi factus Episcopus Regiensis in Gallia, vixit medio tempore inter sanctum Prosperum, & sanctum Fulgentium: scripsit *de Spiritu sancto, & contra Arianos, & Macedonianos*, quæ non extant: scripsit præterea *libros duos de gratia, & libero arbitrio*, qui extant, & quos Gennadius in libro de viris illustribus miris laudibus effert: sed Gelasius Papa in decreto de libris apocryphis omnino rejicit, ut etiam rejiciunt, & refellunt sanctus Fulgentius, Petrus Diaconus, Alcimus, Avitus & alii. Ado Viennensis in Chronico ad annum 492. sic loquitur: Faustus ex Abbate Monasterii Lirinensis apud Regium Galliæ Episcopus factus, Pelagianorum dogma destruere conatus, in errorem labitur: unde qui ejus sensus in hac parte Catholicos prædicant, sicut Gennadius de viris illustribus scribens, omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus, quàm cæteri Catholici in Ecclesia Dei docent, ut illuminatio, virtus, & salus illi à Christo, per Christum, & in Christo sit. Faustus verò iste ita liberum Christianorum arbitrium docere conatur, ut illuminatio, virtus, & salus non à Christo, sed à natura sit. Contra hunc scribit Beatissimus Avitus Viennensis Episcopus, lucidissima fide ejus redarguens errorem, similiter & Joannes vir eruditissimus Antiochenus Presbyter.

Isidorus de viris illustribus in Fulgentio dicit, à Fulgentio scriptos libros septem contra Faustum, qui mira calliditate Catholicus videri volebat, cùm pelagianus esset. Auctor quoque vitæ sancti Fulgentii cap. 28. testatur à sancto Fulgentio refutatos libros duos Fausti de gratia & libero arbitrio. Et Petrus Diaconus in libro de incarnatione & gratia Christi cap. ult. anathema dicit libris Fausti. Hæc admonere volui propter aliquos, qui nostro tempore Faustum Catholicum fuisse contendunt.

Dissertatio Historica.

FAUSTUS, natione Britannus, (ex iis qui ad ripam Ligeris fluvii in Aremorica habitabant) Monachus Lirinensis, S. Maximo ad Episcopatum Regiensem assumpto electus est illius celeberrimi Monasterii Abbas, quod rexit usque ad obitum ejusdem Maximi, cui suffectus est in eadem Regiensi cathedra.

Urbem tu cujus Monachosque Antistes & Abbas.
Bis successor agis, inquit ad eum Sidonius in Eucharistico carmine, qui de eodem auctor vitæ S. Hilarii Arelatensis Episcopi, Concilium Arelatense III. sub Ravennio circa annum 455. Arelatense sub Leontio circa annum 475. & Lugdunense in causa Prædestinatianorum hæreticorum, Gelasius Papa in decreto de libris Aprocryphis, Gennadius cap. 85. de Viris Illustribus, ubi non benè capio verba illa: Viva tamen voce egregius Doctor creditur & probatur, Fulgentius & in vita Ferrandus, Avitus, Jo: Maxentius Hormisdas Papa in Epistola ad Possessorem, Concilium Aurelianense II. in causa Contumeliosi Episc. Regiensis, ubi & dicitur Sanctus, citanturque hæc verba ex ejus Epistola: Perdit gratiam consecrati. Isidorus cap. 14. de Viris Illustribus, ubi loquitur de S. Fulgentio, Ado Viennensis in Chronico, Honorius lib. II. cap. 84. Atque ut omittam cæteros, ex recentioribus Baronius, Bell. Sirmondus, Cellotius, Petavius, Stephanus Dechamps, aliique, occasione renovatæ à Jansenio & Jansenianis Prædestinatianæ hæreseos. Vixit usque ad annum fermè 480. aut 485. coliturque in Ecclesia Regiensi 16. Januarii, unde meritò exsufflantur à Baronio aliisque eruditis insulsi quidam, qui eum Benedictinis Monachis annumerarunt, & S. Benedicti discipulum fuisse commenti sunt, cùm ad Episcopatum provectus fuerit, antequam S. Benedictus nasceretur. Neque veriora quæ Trithemius memorat: Tandem à B. Fulgentio Ruspensi Episcopo correptum atque emendatum errores deseruisse pristinos, & contra eos edidisse librum de Gratia Dei prænotatum.

Omnia ejus opera nondum fuerunt in unum corpus redacta. Extant in Bibliotheca Magna Parisiensi, quæ sequuntur.

Sermo ad Monachos, Tomo II. col. 147. *Epistolæ ad diversos*, sed pluribus infectæ mendis, Tomo III. coll. 37. & 347. *Epistola ad Lucidum Presbyterum Prædestinatianæ hæreseos veneno infectum*, Tomo IV. col. 693. *Professio Fidei ad Leontium Episcopum Arelatensem*, Tomo eodem, col. 697. *De Gratia Dei, & humanæ mentis arbitrio, libri duo*, Tomi ejusdem col. 699. *Libellus de Creaturis, quòd in illis nihil sit incorporeum*, præfixus libris tribus Claudiani Mamerti, quibus opinionem Fausti refutavit Tomi ejusdem col. 599.

Ad eum quoque spectant non paucæ ex Homiliis quæ sub Eusebii Emeseni nomine olim vulgatæ sunt, maximè quæ de S. Maximi laudibus, de vidua quæ duo æra misit in gazophylacium agit, aliæque, ut supra evicimus variis locis: nec desunt, qui existiment inde ortam hallucinationem, quod Eusebius quoque diceretur Faustus.

Liber de Spiritu sancto, Epistola ad timorem Dei hortatoria ad Felicem Præfectum Prætorio & Patriciæ dignitatis virum conveniens personis pleno animo pœnitentiam agere disponentibus, & si quæ alia à Gennadio, cæterisque commemorantur, periisse quibusdam videntur, non secus atque illa, quæ S. Avitus, S. Cæsarius, S. Fulgentius, Petrus Diaconus & alii adversus eum scripsisse perhibentur: de quibus hic non est proprius dicendi locus: plura fortasse in Examine Heterodoxorum Criticorum, ubi tum aliorum, tum maximè Riveti peccata castigabimus. I. Quòd ex Monacho factum dicat Episcopum, cùm vel pueri non ignorent fuisse Abbatem Lirinensem per multos annos. II. Quòd imprudenter Sanctorum Catalogo inscriptum dicat. III. Quòd per summam impudentiam Baronium mutilaverit, & quæ in additionibus Tomo X. subnexis ad annum 490. quæque in editione Coloniensi num. 42. anni 490. reperiuntur, eraserit. IV. Quòd immeritò clarissimos Scriptores Bellarminum & Genebrardum sugillaverit homo judicii depravatissimi, & quisquiliarum hæreticarum studiosissimus consarcinator. His dudum exaratis animadverti in Collectione veterum aliquot Galliæ Theologorum à V. C. Petro Pithæo emissa Parisiis in quarto, anno 1586. apud Sebastianum

Ni-

Nivellium hæc Fausto Regiensi Episcopo tribui.
I. *Responsionem ad objecta quædam de ratione Fidei Catholicæ*. II. *Contra Nestorii errorem ad Græcum Diaconum*. III. *De variis quæstionibus ad Paulinum*.
IV. *De pœnitentia ad Felicem Papam & Patricium*. Quæ est illa ipsa Epistola omnibus ad apicem Christianæ perfectionis aspirantibus lectu utilissima, atque elegantissima, de qua suprà ex Gennadio meminimus, quamque plurimi deperditam existimant.

Non omittam monere hallucinatum insigniter fuisse virum cæteroquin eruditum, qui Epist. 4. scripsit sanctum Paulinum in Epistola de variis quæstionibus ad hunc Faustum, se discipulum ejus fateri illumque magistrum agnoscere. (*a*)

(*a*) Non viderat, quæ observavit Joannes Maria Brasichellanus; ex stylo & doctrina, ex ratione temporis certam accipi conjecturam hanc Epistolam neutiquam à S. Paulino Nolæ in Campània Episcopo scriptam, quippe qui obierit anno 431. Faustus verò erat Episcopus anno 472. (ante aliquot annos ad sacram illam dignitatem ex Abbate Lerinensi evectus) subdit proculdubio videri scriptam à quodam Benedicto Paulino, ad quem sequens Fausti data dicitur, quæ responsionem ad eamdem continet.

De Constantio Presbytero. 480.

SUPPLEMENTUM.

CONSTANTIUS Presbyter Lugdunensis, (non autem Episcopus, ut sanctus Isidorus in Catalogo cap. 4. scripsit) à Sidonio Apollinari Arvernorum Episcopo sæpè laudatus, scripsit librum unum *De vita sancti Germani Antissiodorensis Episcopi*, qui in collectione sanctorum Laurentii Surii extat ad diem 31. Julii. Hoc opusculum obtulit sancto Patienti Lugdunensi Episcopo, qui obiit die 11. Septembris anno circiter 480. Unde Constantium eodem tempore clarum fuisse liquet. De eo Sammarthani in Gallia Christiana, Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 103. fol. mihi 100. auctores omnes qui scripserunt de Episcopis Altissiodorensibus.

De Ænea Gazeo. 490.

ÆNEAS GAZEUS vir doctissimus scripsit *dialogum* insignem *de animæ immortalitate, & corporum resurrectione*, quem inscripsit *Theophrastum*, quia persona principalis in dialogo nominatur Theophrastus: ætatem suam ipse aperit in extremo dialogo, ubi dicit, se vidisse sanctos illos, qui in persecutione Vandalica abscissis linguis optimè loquebantur: hoc autem contigisse imperante Zenone, notum est ex Victore Uticensi de persecutione Vandalica.

DISSERTATIO HISTORICA.

ÆNEÆ Gazensis, ex Philosopho Platonico ac Sophista doctissimo ad Christianam fidem conversi, ætatem inde certò disces, quòd calcem opusculi sui afferat se vidisse Sanctos illos, qui in sævissima persecutione Hunnerici Vandalorum in Africa Regis abscissis linguis expeditè loquebantur: de quibus Victor Uticensis, seu Vitensis Episcopus, Marcellinus Comes, Victor Tunonensis in Chronicis, Procopius libro 1. Vandalicorum aliique. Obiit verò Hunnericus Genserici filius anno Christi 485. vergente ad finem quinto æræ Christianæ sæculo.

A Insignis Æneæ Dialogus, qui inscribitur, Theophrastus *de Animorum immortalitate, & corporum resurrectione*, interprete Ambrosio Camaldulensi Monacho, (*a*) extat in Bibliothecis SS. Patrum Parisiensibus ac Coloniensi, necnon seorsim Græcè & Latinè editus ante biennium Lipsiæ typis Joannis Baveri in 4. cum Zacharia, Mitylenæo Philosopho itidem Christiano, ex recensione, & cum animadversionibus Gasparis Barthii Equitis, qui Æneam interpretatione nova decoravit, Zachariam verò ex Joannis Tarini versione exhibuit, notisque illustravit.

B (*a*) Primùm editus Basileæ anno 1516. postea prodiit ex Interpretatione Joannis Wolphi Tigurini Hæretici apud Episcopium Basileensem Typographum cum Philonis Judæi operibus, deinde Tiguri apud Gesneros fratres cum Theologorum aliquot veterum scriptis. Joannes Maria Brasichellanus pag. 244. Indicis Romani jubet deleri ex præfatione Margarini Biguæi Tomo IX. Bibliothecæ Veterum Patrum Parisiensis editionis anni 1585. mentionem Beati Rhenani, hominis parum orthodoxi, & Joannis Wolphi, Hæretici primæ Classis.

De Cereali. 490.

C CEREALIS Episcopus Africanus, scripsit contra Maximinum Episcopum Arianum *librum de fide*, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 4. editionis secundæ, cujus meminit Gennadius Massiliensis.

DISSERTATIO HISTORICA.

CEREALIS Castulensis Ecclesiæ in Africa Episcopus (mendosè Castalensis, sive Castellensis) ex iis, quæ de eo habent Gennadius Massiliensis, cap. *96*. Anonymus, qui Isidoro & Ildefonso subjici solet, cap. 10. Honorius Augustodunensis cap. *95*. libelli secundi, aliique, deprehenditur vixisse circa annum *490*. æræ Christianæ sæculo quinto. Trithemius claruisse scribit temporibus

D Leonis Imperatoris anno Domini *460*. Extat ejus nomine in Bibliothecis Veterum Patrum.

Liber de Fide Sanctæ Trinitatis, adversus Maximium, sive Maximianum Arianorum Episcopum.

De sancto Victore Uticensi. 490.

SANCTUS VICTOR UTICENSIS Episcopus scripsit *libros tres de persecutione Vandalica* lectu dignissimos ob insignium Martyrum fortitudinem, qui in ea persecutione claruerunt. Vixit autem ipse regnante Zenone Imperatore, ut ipse testatur lib. 3. de persecutione Vandalica, idest, circa annum Domini *490*.

E

DISSERTATIO HISTORICA.

VICTOR Uticensis, sive, ut quidam viri docti post B. Rhenanum censuerunt scribendum, Vitensis aut Vitanus in Africa Episcopus, scripsit anno sexagesimo post quam Vandali in Africam ex Hispania transmisso Herculeo freto transierant, hoc est anno circiter 487. sub Zenone Imperatore, vergente ad exitum sæculi Christi quinto. Sexagesimus inquit, nunc agitur annus, ex quo populus ille crudelis ac sævus Vandalicæ gentis Africæ miserabilis attigit fines transvadens facili transitu per angustias maris, &c. Illi Martyrologium Romanum die 23. Augusti inter Pontifices Confessores locum dedit, non Martyres; ideoque minus mihi solida videtur

detur Baronii conjectura, qui eum illa quam descripsit Vandalica persecutione sublatum suspicatur, cùm præsertim in fine libri tertii Hunericum sceleratissimum post regni annorum septem & mensium decem dominationem putrefacto corpore ebullientibus vermibus consummatum narret, ipse utique superstes Tyranno. An verò sub aliquo ex sequentibus Regibus martyrium fecerit, non liquet. Quòd verò Vossius persecutionem illam Vandalicam fuisse dicat in Africa Divi Augustini tempore, id mirum, cùm ille, ut omnes fatentur paulò eruditiores Chronologi, anno 430. obierit vixdum consistente in Africa Genserico. Vossium exscripsit errantemque sequutus est Joannes Andreas Quenstdtius Lutheranus.

Libri tres de Persecutione Vandalica sub Genserico & Hunerico crudelissimis Vandalorum Regibus, extant seorsim excusi Coloniæ apud Eucharium Cervicornum anno 1537. in 8. procurante Reinhardo Lorichio Hadamario, quam editionem à Sirmondo nostro ad msſ. codicem exactam, multisque in locis castigatam habemus. Huic verò Historiæ inseruntur Eugenii Carthaginensis Episcopi Confessio fidei & S. Trinitatis: item alia Rebaptistarum opiniones redarguentia, præmissa passione septem Christianorum fratrum qui apud Carthaginem passi sunt 6. Nonas Julii. Eosdem postea recusos sæpius videbis tum anno 1539. Basileæ post Eusebii & Ruffini Ecclesiasticam ac Cassiodori tripartitam Historiam cura B. Rhenani qui eum vocavit sanctum Victorem Episcopum Vitensem, tum in Historia Veterum Patrum Laur. Barnæi ac deinde in Bibliothecis Parisiensibus & Coloniensi.

Ratio fidei à Victore Africano Ep. reddita exigente Rege Hunerico, ad hunc nostrum Uticensem pertinere omnino videtur, ut supra monuimus v. Victor Africanus Episcopus ubi Bellarminum ad annum 530. rejicientem, adeoque & Hunericum in Hildericum qui tum Vandalis in Africa præerat, transformantem reffellimus.

SUPPLEMENTUM.

VICTOR VITENSIS in Africa Episcopus, in Wandalica persecutione pro fide Orthodoxa gravissima incommoda passus, ejusdem persecutionis historiam libris quinque scripsit circa annum 490. quos de Persecutione Africana inscriptos & ad suam puritatem ex collatione msſ. codicum reductos, cum operibus Vigilii Tapsensis Episcopi evulgavit in 4. anno 1665. Petrus Franciscus Chifflet Societatis Jesu Presbyter, Divione apud Viduam Philiberti Chavance, & Parisiis apud Simeonem Piget via Jacobæa sub signo Prudentiæ, quibus subjunxit varias ad calcem lectiones cum notis & vindiciis. Ejus memoria sacris Ecclesiæ fastis inter Confessores inserta est ad diem 23. Augusti. Victorem Vitensem dico cum viris doctissimis, Holstenio & Chiffletio, qui ita dicendum ex msſ. Codicum fide ostendunt, quibus suffragatur vir etiam doctissimus Henricus de Notis Eremita Augustinianus lib. 2. Historiæ Pelagianæ cap. 21. id probans ex notitia Episcoporum Africæ qui sub Hunnerico Genserici successore persecutionem sustinuerunt. In ea namque inter Episcopos Provinciæ Proconsularis legitur *Florentius Uticensis*: in catalogo autem Episcoporum Provinciæ Byzacænæ hæc verba leguntur: *Victor Vitensis* non occurrit. Uticensis igitur Ecclesia spectabat ad Provinciam Carthaginensem, Vitensis verò ad Byzacænam: illi Florentius, huic verò Victor præerat, tempore Vandalicæ persecutionis. Qui plura voluerit, legat notas Petri Francisci Chiffletii ad dicti Victoris libros.

De Gennadio Massiliensi. 490.

GENNADIUS MASSILIENSIS Presbyter, & postea Episcopus, vixit tempore Gelasii Papæ circa annum Dom. 490. nam ad ipsum Gelasium misisse librum suum de fide testatur ipse Gennadius in extremo libro suo de viris illustribus, quamvis non in omnibus codicibus liber Gennadii inveniatur completus.

Scripsit *librum de Ecclesiasticis dogmatibus*, qui extat inter libros sancti Augustini, & hic esse creditur liber, quem ipse misit ad Gelasium.

Scripsit etiam *librum de viris illustribus*, in quo suspicionem non parvam reliquit suæ non rectæ fidei. Laudavit enim Cassianum & Faustum, qui Semipelagiani fuerunt, & S. Prosperum depressit, qui pro gratia Dei contra Pelagium fortissimè dimicavit.

Scripsit præterea *multa alia*, quæ ipse commemorat in extremo libro de viris illustribus, sed ea non extant, aut certè ad manus meas non venerunt.

DISSERTATIO HISTORICA.

GENNADIUS non Episcopus, sed Presbyter dumtaxat Massiliensis, librum *de Viris Illustribus*, qui præsto est ad manum sæpiùs typis editus, & à Cassiodoro Senatore cap. 17. Divinarum Institutionum commendatur, perduxit usque ad tempora Gelasii I. Papæ, qui ab anno 492. ad 496. Pontificem Romanum egit. In Cæsario infra monebimus nonnulla fuisse ab interpolatore quædam addita: at verò dum veterem editionem Basileæ anno 1529. apud Andream Cratandrum vulgatam evolverem, conjecturam meam deprehendi indiciis quibusdam stabiliri. Deest enim Gelasius inter Joannem & Honoratum, inter Theodulum & Joannem Sidonius, inter Faustum & Servum Dei Cæsarius. Ad hæc, in msſ. codicibus magnam reperiri varietatem audio, quam alibi diligentiùs excutiemus.

Liber Gennadii de Fide, sive, *de Ecclesiasticis dogmatibus ad Papam Gelasium missus*, extat inter opera SS. Augustini & Isidori Hispalensis. Sunt quoque non ineruditi viri, qui teste Christophoro Madridio Soc. Jesu Presbytero cap. 3. libri de frequenti Communione, Alcuino librum illum tribuerunt, sed minus accuratè.

Libri octo adversus omnes hæreses, & adversus Nestorem libri sex, & Pelagium libri tres, aliique quos à se scriptos memorat cap. 100. periisse videntur: supersunt tantùm tamquam Appendices ad librum Augustini subjunctæ quatuor hæreses, *Prædestinatiana*, *Nestoriana*, *Eutychiana*, & *Timotheana*, in variis codicibus msſ. ac nominatim in msſ. Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis, ut adversus Jansenium & Jansenianæ sectæ addictos demonstravit Sirmondus cap. 6. libri de Historia Prædestinatiana quem Consule, non secus ac Vossium, tum Pelagianæ Historiæ libri 1. cap. 10. tum libro 2. de Historicis Latinis, unde suo deprompsit pro more Miræus.

Nec verò potest aut debet, verba sunt Guesnayi suo in Cassiano illustrato, tanto cum fastidio Gennadii auctoritas declinari, admittendo ejus lapsum. Nam Adrianus Papa Epist. 3. ad Carolum Francorum Regem de ipso perhonorificè loquitur, testemque producit, & cum laude tamquam scriptorem usquequaque Catholicum allegat in suæ causæ præsidium pro veneratione reliquiarum sancta-

rum, ubi etiam Pontifex titulo sanctitatis eumdem honestat. Unde colligit Suarez Gennadium numquam fuisse Pelagianum, quia si fuisset hæreticus, non tanto honore ab Adriano Papa ad fidei dogma confirmandum allegaretur, &c. lib. 1. cap. 63.

De Pomerio. 490.

POMERIUS, aliàs Julianus Pomerius Presbyter, vivebat cùm Gennadius catalogum suum scriberet: scripsit autem per modum dialogi *libros octo de natura animæ*, qui videntur excerpti ex libris octo Gregorii Nysseni, de Philosophia, sive potius Nemesii philosophi de anima: scripsit etiam *Prognosticon tribus libris comprehensum*, sed diversum ab eo, quod diu postea scripsit sanctus Julianus Archiepiscopus Toletanus, vide Card. Baronium in notis Martyrologii, die 8. Martii.

Dissertatio Historica.

JULIANUS, cognomento Pomerius, natione Maurus, sive Afer (neque enim hactenus mihi videre licuit, unde Miræus, aut Arelatensem, ex Cypriano auctore vitæ S. Cæsarii Arelatensis Ep. aut Gallum fuisse ex Isidoro potuerit expiscari) primùm in Gallia Rhetor, tum Presbyter in eadem Gallia ordinatus, atque Abbas, Arelate aliquamdiu vixit circa annum Christi 496. (ideòque duobus ferè sæculis antiquior fuit S. Juliano Toletano Episcopo qui etiam Pomerius cognominatus reperitur) ut colligimus cùm ex Gennadio, qui eo tempore Catalogum suum de Viris Illustribus adornabat (tamen ejus hæc dici debet periocha quam insertam ab aliquo contendit Suffridus Petrus tum quòd omissa sit ab Honorio Augustodunensi, tum quòd Isidorus eum tamquam à Gennadio prætermissum in suum Catalogum non vidisse satis constat) tum ex Cypriano in prædicta S. Cæsarii vita, Ruricii Lemovicensis Episcopi Epistolis, Isidori cap. 12. libri de Scriptoribus Ecclesiasticis, ipsoque Juliano Toletano Episcopo libro 3. Prognosticon futuri sæculi capp. 16. 19. 20. 26. 27. & 28. Ex recentioribus consule Baronium ad diem 8. Martii, Spondanum ad annos 456. & 686. Bellarminum nostrum, atque Miræum quem exscripsit. Quenstedtius, verùm absque vel minima, quod illi familiare est in omnibus recentioribus quos sublegere solet, critici salis mica. Vide paginam Παρέργων ipsius 685. & quæ nos obiter observavimus libro 9. Bibliothecæ Geographicæ scriptorum omnis generis.

Libri tres de Vita Contemplativa, qui in plerisque editionibus hactenus vulgatis, in Decreto Gratiani, pluribusque aliis locis falsò tribuuntur S. Prospero Aquitano, cùm sint hujus Juliani Pomerii, quemadmodum ex capite citato S. Isidori colligitur; ubi cùm dixisset Julianum scripsisse octo libros de natura animæ in Dialogi morem, & libellum de Virginibus instituendis, subdit edidisse tres alios *de Futuræ Vitæ contemplatione*, vel *de actuali conversatione*, necnon etiam *de vitiis & virtutibus*: quod extremum lemma apud Gennadium superest, prioribus ut par est credere, aut injuria temporis abrasis, aut incuria librariorum omissis. Vide Sirmondi nostri notas (*a*) ad Tomum II. Conciliorum Galliæ, ex quo fonte hortulum suum irrigavit sæpissimè Miræus. Sigebertus cap. 54. hoc dumtaxat annotavit Julianum Pomerium scripsisse *de Resurrectione mortuorum*.

(*a*) Inde non solùm Miræus, sed & alii hauserunt, quæ de libris tribus de Vita Contemplativa vero Auctori tribuendis in medium protulere, ac nominatim Regioportuenses Lectionum Eucharisticarum Collectores, qui cùm quamplurima à Sirmondo nostro primùm ingeniosè ac solerter aut è tenebris eruta sublegerint, tum illud maximè, quod de Juliano Pomerio scripserunt. Vide notas ad Tomum II. Conciliorum Galliæ à nobis indicatas, ut omittam de Alcimo Avito, Theodulpho, Paschasio Ratberto, de Concilio Cabilonensi an. 894. similibusque conqueri, quæ si emisissent in publicum aut insinuassent inferioris longè meriti ac doctrinæ viri, meritis laudibus & præconiis non caruissent. Verùm hæc obiter.

De Gennadio Patriarcha. 490.

Supplementum.

GENNADIUS EPISCOPUS sive Patriarcha Constantinopolitanus, vir (ut inquit Gennadius Massiliensis in libro De scriptoribus Ecclesiasticis cap. 90.) *lingua nitidus & ingenio acer, tam dives ex lectione Antiquorum fuit, ut Danielem Prophetam ex integro ad verbum commentatus exponeret. Homilias etiam multas composuit; moritur Leone seniore imperante.* Hæc Massiliensis Sinonymus. Ejus autem miracula & virtutes persequitur Nicephorus Callixtus Ecclesiasticæ Historiæ lib. 15. cap. 22. & 23. Extat ejus Epistola *Ad Metropolitanos & ad Romanum Pontificem contra Simoniacos* in Orthodoxographis pag. 658. & inde in Bibliotheca sanctorum Patrum Margarini Bignæi, editionum Parisiensium 1575. & 1589. Vixit juxta Trithemium anno 460. sed errore (opinor) Amanuensium, cùm 490. scribendum esset. Quomodo autem Gennadius dudum Pelagianis faverit; qui tamen postea redditus omnino Catholicus. Vide Cardinalem Baronium tom. 2. sub annum Domini 490. Fœlicis autem Papæ nonum. Ita Possevinus in Apparatu sacro, quem amplexus sum.

De Eugenio Carthaginensi. 490.

Supplementum.

„ EUGENIUS CARTHAGINIS Africæ civitatis Episcopus & Confessor publicus, admonitus ab Hunerico Rege Vandalorum, Catholicæ fidei Expositionem & maximè verbi Homousii proprietatem differere, cum consensu omnium Africæ, Mauritaniæ, & Sardiniæ atque Corsicæ Episcoporum & Confessorum, qui in Catholica permanserant fide; librum fidei non solùm sanctarum scripturarum sententiis, sed & Patrum testimoniis communitum, per Collegas suæ Confessionis porrexit. Jam verò asportandus pro fidelis linguæ remuneratione in exilium, Epistolas velut conservandi Baptismatis ovibus suis quasi pastor sollicitus dereliquit. Altercationis quoque quas cum Arianorum Præsulibus per internuntios habuit, conscripsit, & relegendas per majorem Domus Hunnerico transmisit. Similiter & preces pro quiete Christianorum, eidem velut Apologias obtulit. Vivere adhuc ad confirmationem Ecclesiæ dicitur. „ Hæc Gennadius lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 96. quæ breviùs Honorius Augustodunensis ex eodem habet libello 2. cap. 99. Ejus quoque cohortatoriam Epistolam ad Ecclesiam suam Carthaginensem, ut eam in recta fide confirmaret, & adversus Arianorum persecutionem muniret, describit sanctus Gregorius Turonensis lib. 2. historiæ Francorum cap. 3. Quantum autem ad *Orationem quam Hunnerico Vandalorum Regi obtulit*, hanc habes insertam lib. 3. De persecutione Afri-

Africana Victoris Vitensis Episcopi, de quo statim agemus. Claruit Eugenius anno 490. & ultra, de quo mentionem faciunt Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miræus in Scholiis ad Gennadium, Natalis Alexander Dominicanus in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæculo 5. tom. 1. pag. 689.

De Honorato Massiliense. 490.

Supplementum.

HONORATUS MASSILIENSIS Ecclesiæ in Gallia Episcopus floruit circa annum 490. & scripsit teste Gennadio lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 99. (si tamen hoc caput ad eum spectat, cùm in multis mss. Codd. non reperiatur) *De vita S. Honorati Arelatensis Episcopi* tractatum, quem Bollandistæ ad diem 5. Maji, Surius ibidem, & Paschasius Quesnel sub finem tomi primi operum sancti Leonis Magni correctissimè edidit. Vide opera sancti Leonis ultimæ editionis Parisiensis impressa 2. tomis in 4. 1675. apud Joannem Baptistam Coignard via Jacobæa sub Bibliis aureis.

De S. Gelasio Papa. 492.

SANCTUS GELASIUS Papa, primus sedit in Apostolica Sede ab anno Domini quadringentesimo nonagesimo secundo usque ad annum quadringentesimum nonagesimum sextum. Scripsit *epistolas aliquot* insignes ad Imp. & alios, quæ extant. Scripsit *tomum de vinculo anathematis*, qui extat inter epistolas ejus decretales. Scripsit etiam *librum contra Pelagianos*, qui extat inter quintam, & sextam epistolam, in editione Romana. Scripsit etiam *hymnos Ecclesiasticos* ad imitationem sancti Ambrosii, *& libros quinque contra Nestorium*, *& Eutychetem* teste Anastasio Bibliothecario, in vita sancti Gelasii. De hoc opere dubitatio existit, an extet, vel perierit, circumfertur enim liber sub nomine Gelasii Papæ de duabus naturis Christi contra Eutychetem, sed non videtur hic liber esse Gelasii Papæ, & multo minus esse ille, de quo loquitur Anastasius, & de quo etiam loquitur Gennadius Massiliensis in libro de viris illustribus. Non esse hunc librum Gelasii Papæ, videtur manifestum, quia in hoc libro citatur tamquam unus ex catholicis, & sanctis Patribus Eusebius Cæsariensis, quem tamen hæreticum Arianum fuisse, & Origenis acerrimum defensorem, notum erat sancto Gelasio, qui hac de causa reprobavit opera Eusebii Cæsariensis, in decreto de libris apocryphis: adde quòd iste auctor Græcus fuit, non Latinus, cùm inter sanctos Patres non posuerit Hieronymum, Augustinum, Leonem, &c. Non esse hunc eumdem librum eum, cujus mentio est apud Anastasium, & Gennadium, ex eo colligitur, quòd Anastasius dicit opus illud Gelasii divisum fuisse in quinque libros: Gennadius autem dicit fuisse grande volumen: hic vero unus est, & non magnus liber. Non desunt, qui hunc librum velint esse Gelasii Cæsariensis, cujus meminit sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Gelasio. Sed iste Gelasius ad tempora Eutychetis non pervenit, cùm post ipsum defunctum fuerit Episcopus Cæsareæ Paulus, & post Paulum Eulogius, antequam hæresis Eutychetis appareret, ut Card. Baronius demonstrat tomo sexto ad annum Christi quadringentesimum nonagesimum sextum. Præterea ab eo tempore, quo scripsit sanctus Hieronymus librum de Scriptoribus Ecclesiasticis, quod erat annus decimus quartus Theodosii senioris, usque ad exortam hæresim Eutychetis, qui primùm apparuit anno quadragesimo secundo Theodosii junioris, sunt anni paulò minus sexaginta: nam Theodosius senior supervixit tribus annis, quibus si addas annos Archadii tredecim, & annos Theodosii junioris quadraginta duos, fient anni quinquaginta octo: neque credibile est Gelasium scripsisse contra Eutychetem ipso primo anno, quo errorem suum manifestare cœpit, sed post ejus hæresim jam promulgatam, & fortasse etiam damnatam: quare credibile est eum, aut non supervixisse usque ad hæresim Eutychetis, aut planè decrepitum fuisse, & ineptum ad scribendum, quando hæresis Eutychiana confutanda erat: non enim verisimile est, eum fuisse adolescentem, aut puerum, quando à sancto Hieronymo inter Scriptores Ecclesiasticos numeratus est. Alii sunt qui librum istum Gennadii esse credunt, eo quod facile fuerit Gelasium pro Gennadio scribere. Sed neque hoc verisimile est, cùm ipse Gennadius Catalogum librorum suorum scripserit, & hoc opus inter alios non numeravit. Cardin. Baronius tomo sexto Annalium ad annum Christi 496. probat satis apertis conjecturis, auctorem libri fuisse Gelasium Cyzicenum, de quo nunc dicemus.

Dissertatio Historica.

SANCTUS GELASIUS I. Papa, natione Afer sedit per annos 4. menses 8. & dies 19. ab an. Christi 492. ad annum 496. quo obiit, die 21. Novembris.

Extant aliquot ejus Tractatus & Epistolæ in editione Romana Epistolarum Decretalium, necnon apud Binium, cujus ordinem hic altero neglecto adscribam: sic enim Tractatus ab Epistolis commodius distinguentur.

Epistolæ: I. ad Euphemianum sive Euphemium Ep. Const. II. ad Laurentium de Ligerido Episcopum. III. ad Episcopos Dardaniæ. IV. ad Faustum Magistrum fungentem legationis officio Const. Commonitorium. V. & VI. ad Honorium Dalmatiæ Episcopum. VII. ad omnes Episcopos per Picenum. VIII. ad Anastasium Imperatorem. IX. ad Episcopos Lucaniæ. X. ad Episcopos Siciliæ. XI. ad Episcopos Dardaniæ & Illyrici. XII. ad Emium Arelatensem Episcopum. XIII. ad Episcopos Dardaniæ.

Tractatus I. seu Tomus de Anathematis vinculo. II. Adversus Andromachum Senatorem, cæterosque Romanos, qui Lupercalia secundùm morem pristinum colenda constituebant. III. Dicta adversus Pelagianam hæresim. IV. Decretum ejusdem Gelasii Papæ in Concilio Romano cum LXX. Episcopis de libris sacris & authenticis Veteris & Novi Testamenti cum notitia librorum apocryphorum, qui non recipiuntur. Extat apud Gratianum Distinctione XV. Canone sancta Romana Ecclesia, Burcardum Vormatiensem libro 3. capit. 217. Covarruviam Tomo II. Variarum Resolutionum lib. 4. cum notis. Nos quoque illud edidimus ex veteri ms. codice nostræ Bibliothecæ descriptum. V. Exemplar Gestorum de absolutione Miseni Episcopi in Concilio 55. Episcoporum, anno Domini 495. tertio Idus Maji.

Post Appendicem Codicis Theodosiani novis Constitutionibus cumulatiorem, & Conciliorum Italiæ quinque Epistolas edidit Sirmondus noster an. 1631. Felicis III. *Papæ septem Epistolas*, *Gelasii Papæ Tractatum adversus Græcos*, *& Epistolam ad Episcopos Orientales*, cum Vigilii Papæ Encyclica ad universam Ecclesiam, & Breviculo Historiæ Eutychianistarum, seu Gestis de nomine Acacii, & edicto sententiæ ejusdem Felicis Papæ in Acacium.

Baronius ad annum 496. Canus in Locis Theologicis libro 6. cap. 8. Bellarminus, Schottus, Binius, & plures alii passim contendunt non esse legitimum hujusce Papæ Gelasii opus *de duabus naturis contra Nestorium & Eutychetem*, quod in Hæreseologia, Orthodoxographis, & Bibliothecis Veterum Patrum reperitur. Verùm re melius discussa, modò plerique censent non esse illi abjudicandum, ut in margine Epitomes Baronianæ ad annum 496. notavit Illustrissimus Episc. Apamiensis Henricus Spondanus, atque ex eo Miræus pag. 72. & 201. suæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ. I. quia ut mihi locuples testis est Sirmondus ὁμαχαρίτης in mss. codicibus probæ notæ descriptum reperitur inter indubitatas Gelasii Epistolas. II. quòd Gellasii nomine citatur à S. Fulgentio in libro de quinque Quæstionibus, apud Ferrandum Diaconum cap. 18. & à Joanne II. Papa in Epistola ad Avienum cæterosque Senatores, qua fidem de Christi Divinitate & Incarnatione exquisitis undequaque testimoniis confirmat, aliisque recentioribus. III. Accedunt & alii suffragatores Gennadius Massiliensis cap. 94. de Scriptoribus Ecclesiasticis, & ex eo Honorius Augustod. libello 3. cap. 93. atque ipse Anastasius S.R.E. Bibliothecarius, aut quis alius (*a*) in Gelasii vita. Perierunt in sancti Pauli 13. Epistolas annotationes, quas viri doctissimi dicebant à Gelasio Papa urbis Romæ fuisse conscriptos, sed teste Cassiodoro cap. 8. de Institutione divinarum Scripturarum in iis Pelagiani erroris venena fuerant seminata ab iis qui res vitiosas solent gloriosi nominis auctoritate defendere. (*b*)

(*a*) Libri Pontificalis auctor in Gelasii vita. Plura in eamdem rem dabunt Cardinalis Petronius de Eucharistia libro II. auctoritate 25. Petavius libro III. de Incarnatione cap. 2. Chiffletius notis ad Responsiones sancti Fulgentii factas Interrogationibus Ferrandi Diaconi, quique ex iis aliisque diffusè controversiam agitat Albertinus à pag. 819. editionis Latinæ, qui & hunc ex epistola Lugdunensis Ecclesiæ locum profert: In libro, cujus titulus est, De duabus in Christo naturis, &c. Verùm cùm in aliis multis castigandus videtur, tum in eo quòd mala fide interpretatur verba Catholicorum, ac præcipuè Sixti Senensis in epistola Dedicatoria Bibliothecæ suæ sanctæ ad Pium V. Romanum Pontificem: Te auctore prodiit decretum illud sanctissimum de reparanda totius Christianæ Ecclesiæ Bibliotheca, quam perditissimi nostrorum temporum hæretici, suis morbis ac pestibus ita corruperant, ut nihil aliud quàm certissimum ejus exitium esset expectandum, nisi tu repentè opem attulisses. Primùm enim toto Christianorum orbe conquiri nefariæ doctrinæ libros, & publicè exuri jussisti: deinde expurgari & emaculari curasti omnia Catholicorum scriptorum, ac præcipuè veterum Patrum scripta, hæreticorum ætatis nostræ fæcibus contaminata & venenis infecta. Postremò Catalogum vel Indicem edi mandasti auctorum ac librorum omnium hæretici nominis, qui essent ab Ecclesiastica Bibliotheca arcendi, & ab omnibus Christianis Lectoribus abjiciendi, &c. quæ cùm attentè legerit, nemo unquam etiam ex infimis Heterodoxorum subselliis, nisi prorsus amens sit aut perditissimæ conscientiæ, in eumdem cum Albertino sensum detorquebit. Quæ verò cùm ad Laurentium Bochellum hominem dubiæ fidei, atque exiguæ apud eruditos auctoritatis, certè procacioris interdum linguæ, tum ad alios quosdam spectant, ea suo deinceps tempore exequemur.

(*b*) Aut saltem illæ ipsæ sunt, quæ Hieronymo olim tributæ jam passim à viris doctis post Bellarminum dicuntur esse Pelagii: qua de re plura suo loco.

A

De Gelasio Cyziceno. 495.

GELASIUS CYZICENUS vixit tempore Basilisci Imperatoris, sive potius Tyranni, circa annum Domini 476. ut ipse testatur in præfatione librorum de actis Nicænæ Synodi. Scripsit *historiam de actis Nicænæ Synodi tribus libris comprehensam*, quæ nuper excusa est in primo tomo Conciliorum generalium Græcè, & Latinè Romæ editorum. Scripsisse etiam creditur *librum de duabus naturis Christi contra Eutychetem*, qui liber hactenus est editus sub nomine Gelasii Papæ. Conjecturæ, cur auctor hujus libri existimari possit Gelasius iste Cyzicenus, hæ sunt:

B Prima, quòd non inveniatur alius Gelasius cui liber ille tribui possit.

Secunda, quia in hoc auctore conveniunt nomen, & tempus, ut notum est.

Tertia, quia in præfatione historiæ de Actis Nicænæ Synodi, scribit, se disputasse cum Eutychianis.

Quarta, quia sicut Gelasius in historia Nicænæ Synodi lib. 2. mirificè laudat Eusebium Cæsariensem, eumque affirmat numquam adhæsisse Arianis: sic etiam auctor libri de duabus naturis Christi, ponit eumdem Eusebium Cæsariensem inter Sanctos, & probatissimos Patres, Athanasium, Nazianzenum, & alios ejusdem gloriæ.

C Quinta, quia stylus est omnino similis, simplex & nudus omnibus ornamentis. Quomodo autem intelligi debeat, quod iste auctor dicit in libris de duabus naturis Christi, remanere in Eucharistia panis, & vini naturam, diximus in controversiis lib. 2. de Eucharist. cap. 17.

Dissertatio Historica.

GELASIUS CYZICENUS, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, scripsit tribus libris *Historiam de Actis Nicænæ primæ Synodi* in cujus præfatione se vixisse significat tempore Basilisci, qui anno 476. Imperium Orientis cum Marco filio arripuit, Zenone D tantisper in Isauriam patriam expulso. Vide de eo Photium Bibliothecæ c. 15. 88. & 89. Nicetam Choniatam lib. 5. Orthodoxæ Fidei, c. 6. Joannem Lyparissiotam Decadis 3. c. 4. & Decadis 10. c. 2. & ex recentioribus Baronium, Bellarminum, Schottum, &c.

Edidit libros illius Historiæ duos Græcè & Latinè, (nam locum tertii implent duæ tresve Magni Constantini epistolæ) anno 1595. Parisiis apud Morellum Robertus Balphoræus Scotus, Aquitanici Collegii Burdegalæ Gymnasiarcha, cum Theodori Presbyteri in Rhaythu libello: iidem quoque excusi sunt Romæ Tomo I. Conciliorum Generalium, & Coloniæ anno 1618. in secunda editione Conciliorum Binii, atque ex iis aliisque R. P. Alfonsus Pisanus E Soc. JESU Theologus, quatuor de Concilio Nicæno Generali I. libros contexuit.

Fuit & alius Gelasius eo antiquior, Cæsareæ in Palæstina post Euzojum Episcopus, & S. Cyrilli Hierosolymitani Episcopi ex sorore nepos, qui interfuit Concilio Const. anno 398. die 25. Septembris, cujus Sermonem de Epiphania laudat Theodoretus dialogo primo, cujusque meminerunt S. Hieronymus cap. 36. de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Photius cap. 89. Bibliothecæ, ubi testatur Ruffini libros duos Historiæ Eusebii Ecclesiasticæ adjectos ex Latina in Græcam vertisse. Tertius quoque ejusdem Cæsareæ Episcopus ibidem à Photio insinuatur, qui adversus Anomæos scripserat. Verùm nullus ex iis videtur auctor libri de duabus naturis Christi adversus Nestorianos & Eutychianos, sed qui sequitur.

De

De Gilda Sapiente. 495.

GILDA cognomine sapiens scripsit *de excidio Britanniæ*, quod incidit in annum Domini 445. Scripsit etiam *reprehensionem acrem in Clerum Britanniæ*: nam propter peccata populi, & maximè propter peccata Cleri iratus Deus immittit flagella hujusmodi. Extant hæc opera in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quinto editionis secundæ.

Dissertatio Historica.

Duos esse distinguendos in Britannia Gildas, alterum Albanicum dictum, antiquiorem, qui anno 425. natus, obierit solitarius propè Glastoniam ad Axi fluminis ripam an. 512. & in Glastoniensi Ecclesia sepultus sit: alterum minorem, qui Badonicus & Sapiens nuncupari solet, viri eruditi Vossius & Usserius jampridem monuerunt. Hic Badonici cognomen ex eo nactus est, quòd anno ejus natali, Christi 520. Arturus Britonum Rex, propè urbem Badonis, seu Bathonicum montem Saxones ingenti prælio prostraverit. Is Iltuti Morganensis Abbatis cum S. Samsone discipulus, & Bannacorensis Cœnobii in eadem majori Britannia Abbas, tum Monasterii in Aremoricæ ad Venetensem urbem Reuvisio pago fundator, superstesque fuisse videtur usque ad annum 570. quo obiit in Hibernia: ideoque errant, qui cum Bellarmino, Gualtero, & aliis ad annum 495. quo nondum natus erat collocarunt. Ejus vitæ potiùs fragmenta, quàm integram vitam Joannes de Bosco Cælestinus edidit Parte altera Bibliothecæ Floriacensis, ejusque meminerunt Beda lib. 1. cap. 22. Guill. Neubrigensis, Giraldus Cambrius, aliique Historiæ Britannicæ Scriptores.

Epistola de excidio Britanniæ ab Anglis, Jutis, Saxonibus, & acerrima reprehensio, seu objurgatio ad Clerum Britanniæ, extant tum seorsim editæ, tum Tomo V. Bibliothecæ Magnæ Parisiensis col. 389. & 407.

Sunt qui eidem tribuant *Querolum*, sive *Aululariam*, Comædiam Plauto à quibusdam falsò tributam, quam alii volunt ab aliquo Poeta circa annum 410. Rutilio Numatiano dicatam. De ridiculis verò quibusdam oraculis sub ejus nomine ab insulso nugatore confictis, videndus Polydorus Virgilius libro primo Historiæ Anglicæ.

De Vigilio. 495.

VIGILIUS scripsit *libros quinque* valde eruditos *contra Nestorium & Eutychetem*, pro defensione epistolæ sancti Leonis, & Concilii Chalcedonensis: ex quo conjectura est, eum vixisse tempore Zenonis, & Anastasii Impp. quo tempore Concilium Chalcedonense graviter oppugnabatur. Quis fuerit iste Vigilius, non satis constat, non enim potest esse sanctus Vigilius Episcopus Tridentinus & Martyr: ille enim vixit tempore sancti Ambrosii, ad quem etiam est epistola ejusdem Ambrosii, & ex vita ejus, quæ extat apud Lipomanum, & Surium, constat eum martyrio coronatum sub Stilicone Honorii Imperatoris Duce. Vide de hac re Cardin. Baronium tomo quinto Annalium ad annum Domini 400. accuratissimè disserentem.

Dissertatio Historica.

Vigilius, natione Afer, primùm Diaconus, tum, ut quidam volunt, Thapsensis seu Thasitanus in Bizacæna provincia Episcopus, vixit sæculo Christi sexto, circa tempora Justiniani Imperatoris & annum 550. Theodulphus Aurelianensium Episcopus in Tractatu de Baptismo citat Vigilium Africanum in libris quos scripsit Constantinopoli in defensionem Leonis (sive ejus epistolæ famosissimæ) contra Eutychianistas: sed nec ipse, nec Alcuinus aut Agobardus, nec Veterum quispiam, quod sciam Episcopum appellavit Thapsensem seu Thapsitanum. In notitia, quam addidit Sirmondus noster, inter Episcopos Bizacænæ provinciæ, qui ad Hunericum fidei causa venerunt, postremo loco recensetur Vigilius Thapsitanus, sed is non videtur ad tempora illa mox indicata pervenire potuisse. Longius verò aberrant, qui Vigilium, de quo agimus, cum sancto Vigilio Tridentino Episcopo Martyre confuderunt. Iste enim martyrio coronatus est, teste Usuardo ac Martyrologis adstipulantibus die 26. Junii Stilicone Consule, hoc est anno vel 400. vel 405. & ad eum scripsit S. Ambrosius epistolam 24. libri tertii. Gennadius capite 37. dicit Vigilium Episcopum scripsisse ad quemdam Simplicianum (Miræus non quidem suis auspiciis, sed edoctus à Vossio, aliisque, audacter asseruit hunc esse Simplicianum Mediolanensis Archiepiscopi sancti Ambrosii Doctorem ac successorem, quasi verò hic potuerit esse ignotus Gennadio, qui capite 36. proximè antecedenti propria eum laude cumulaverat) libellum in laudem Martyrum & Epistolam continentem gesta Martyrum sui temporis apud Barbaros. Eruditis viris videtur opusculum illud non esse aliud à *Narratione martyrii SS. Sisinnii & Sociorum Anaunensium*, quæ extat apud Surium ad diem 23. Maji. Honorius tamen Augustodunensis libelli 2. cap. 37. Vigilium Episcopum testatur ad Simplicianum scripsisse in laudem Martyrum libros quinque; quocumque è fonte illud hauserit, quod valdè suspectum esse debet veteris memoriæ scrutatoribus. De Vigilio hoc Tridentino Ep. & de Auctore librorum adversus Eutychem plura congessit ex Baronio, aliisque Joannes Maria Brasichellanus pag. 153. & seqq. Indicis Romani Expurgatorii. Alius quoque ab utroque isto videtur Vigilius Diaconus, quem Gennadius idem cap. 51. docet composuisse ex Patrum traditione Monachorum Regulam, breviato & aperto sermone totius Monasticæ professionis in se tenentem disciplinam, eum enim ante Atticum Nestoriumque Const. Antistites collocat. Meritò ergo conquerentur Possevinus, Baronius, Vossius, aliique de eo, qui sancti Vigilii Tridentini vitam, quibusdam inofficiosè nimis detractis, aliis verò insertis, quæ ad posteriores Vigilios pertinent, interpolavit, corrupitque ut pluribus expostulat Baronius Cardinalis ad annum 400. Ea re reperitur, tum in supplementum Mosandri ad Surium 26. Junii, tum initio operum ei falsò attributorum in editione Lipsiensi, aliisque, ac præsertim in Bibliothecis Veterum Patrum. Sed de his opinor plusquam satis, nunc ad opuscula Vigilii nostri accedamus.

Libri V. admodum eruditi contra Nestorium atque Eutychetem pro defensione Epistolæ S. Leonis & Chalcedonensis Concilii, extant & seorsim excusi, & in Hæreseologia, Orthodoxographis, & Bibliothecis Veterum Patrum. In Coloniensi R. P. Andreas Schottus Soc. Jesu quaternionem in opere illo restituit, qui antea desiderabatur. Neque abs re fuerit plagulam hoc loco ex Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ assuere: Vigilii, quem ex inolito plerisque errore Martyrem & Episcopum Tridentinum appellat, libri quinque, quos ille ante mille annos contra Eutychem & alios hæreticos parùm piè de naturarum Christi proprietate & personæ unitate sentientes conscripsit. Froschoverus impressit Tiguri 1539. Eosdem Cassander edidit Coloniæ addito Dialogo Vigilii cum Ario,

Ario, Photino, &c. quem hactenus falsò inscriptum Athanasio, ipse proprio auctore asseruit. Porrò libri quinque contra Eutychem longè emendatiores & locupletiores editi sunt à Josia Simlero cum aliis Patrum scriptis contra Eutychem. Hæc ibi, quæ nobis viam muniunt ad ea, quæ sequuntur.

S. Athanasii nomine scripta à Vigilio disputatio cum Sabellio, Photino, & Ario, habetur tum loco mox, indicato, tum in Bibliothecis Veterum Patrum. Ineptè autem ut cætera fermè omnia, Daniel Tossanus Calvini catulus in Synopsi de legendis Patribus Disputationem hanc & prædictos quinq; libros contra Eutychem tribuit Viglio Episcopo Tridentino, & inter Auditores Augustini numerat Primasium, Prosperum, Hesychium, Fulgentium φεῦ τῆς ἀνισορησίας.

Ejusdem Vigilii sunt libri XI. de Trinitate, iisque, quæ ad varias circa eam adversus Hæreticos controversias pertinent, qui Latino idiomate & seorsim sub Athanasii nomine editi sunt, & inter ejus opera annumerati, quasi ad eumdem Athanasium pertinerent quid quod & ipso ævo Theodulphi atque Hincmari, sub nomine S. Athanasii citabantur. Certè in antiquo & probæ notæ codice Floriacensi, qui jam visitur in nostra Bibliotheca, libri illi undecim de Trinitate subjiciuntur Vigilii libris adversus Nestorium & Eutychem & præmissæ Disputationi. Vide quæ Sirmondus observavit in notis Theodulfi Aurelianensis Episcopi libellum de Spiritu sancto.

Neque tamen iis assentiar libens, qui Vigilio eidem tamquam Auctori putant tribuendum *Symbolum* quod dicitur *Athanasianum* caniturque ad Primam in Officio Divino Dominicis diebus, & ab Antiquis Fides Athanasii; vel sermo de Fide, aut Expositio Fidei dicebatur Grecis ὁμωλογία ἢ ἔκθεσις τῆς καθολικῆς πίστεος, quòdque tanti olim apud Gallos fuit, ut una cum Symbolo Apostolorum memoriæ commendari Presbyteris præcepit Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus in Capitulis ad eos datis, atque illo antiquior Synodus Augustodunensis Clericis omnibus, ut ab eodem Sirmondo annotatum est.

Vigilius quoque Afer Antistes, inquit Cassiodorus Senator cap. 9. Divinarum Institutionum, de mille annorum intelligentia, que in Apocalypsi continetur, unde magna quæstio nonnullis oboritur, plenissima & diligenti narratione disseruit.

SUPPLEMENTUM.

VIGILIUS TAPSENSIS, in Byzacena Africæ Provincia Episcopus, floruit imperante Justiniano, circa annum 560. & ulteriùs, laudatus à Theodulpho Aurelianensi Episcopo *in Tractatu de Baptismo*: sub nomine Vigilii Africani. Scripsit multa quæ dudum latuerunt sub alieno nomine, nimirum SS. Athanasii, Arnobii senioris, Ambrosii, Augustini, & aliorum; vel potius singularem quamdam ac sibi propriam habuit affectationem, ut Opera propria sub alienis nominibus occultaret. Et hanc vel ex motivo Christianæ humilitatis, quæ amat nesciri & pro nihilo reputari, vel ut hujusmodi Vigiliana Opera majorem ex alienis antiquiorum Doctorum nominibus mutuatis, auctoritatem sibi acquirerent. Hæc tandem sollicitudinibus & studiis Petri Francisci Chiffletii Soc. Jesu Presbyteri, sub nomine sancti Vigilii Episcopi Tridentini ut plurimùm evulgata, Auctori proprio restituta sunt, impressa in 4. cum Operibus Victoris Vitensis, anno 1665. Divione apud Viduam Philiberti Chavance, adjectis ad calcem Dissertationibus, Annotationibus & Lectionibus variantibus ejusdem Petri Francisci Chiffletii. Sunt autem *lib. 5. adversùs Eutychetem*, p. 1. olim malè sub nomine Vigilii Tridentini Episcopi & Martyris, evulgati. *Contra Arium Dialogorum* lib. 2. pag. 84. olim sub nomine & inter Opera sancti Athanasii, ad quorum finem, pag. 117. adde tamquam supplementum, Solutiones objectionum Arianorum, pag. 533. *Contra Arium, Sabellium & Photinum* lib. 3. pag. 118. olim sub nomine & inter Opera Divi Athanasii. *De Trinitate* lib. 12. pag. 198. olim sub ejusdem nomine, in ejusdem Operibus. *Symbolum seu Ratio Fidei*, quæ vulgò *Symbolum sancti Athanasii* dicitur, quod sanè est Nestorio posterius, & hominis Latini, ut jam omnes censent, de quo mentionem primus omnium fecit Hincmarus. Habetur in Operibus Divi Athanasii, & in tomis Conciliorum editionis ultimæ Parisiensis anni 1671. De quo qui plura voluerit, legat doctissimum Vossium in Opere *de tribus Symbolis*, in 4. Amstelodami anno 1662. & Godefridum Hermant Canonicum Bellovacensem in doctissimis suis Annotationibus ad Vitam sancti Athanasii, gallicè editam, & Parisiis impressam in 8. & in 4. anno 1679. apud Antonium Dezallier, sub signo Coronæ Aureæ. *Contra Fœlicianum Arianum, de Unitate Trinitatis ad Optatum*, lib. pag. 331. olim & malè sub nomine & inter Opera sancti Augustini. Item scripsit sub nomine Divi Augustini *Altercationem cum Pascentio Ariano coram Judice Laurentio*: quam ex mss. erutam habes in appendice ad volumen Epistolarum Divi Augustini novissimæ Impressionis, p. 41. cum docta Annotatione prævia à nostris Benedictinis Gallis hujus editionis Curatoribus confecta. Scripsit etiam Disputationem inscriptam, *Conflictum sub nomine Arnobii & Serapionis*, quam Commentariis illustravit Franciscus Feu-ardant Minorita Gallus, & quam habes in ultima editione Lugdunensi Bibliothecæ SS. Patrum, tom. 8. pag. 203. & seqq. in aliisque impressionibus ejusdem Bibliothecæ. Item *contra Marivadum Arianum Diaconum*, olim sub nomine Idatii contra Varimadum lib. 3. pag. 357. *Contra Palladium Arianum lib. 1. in specimen Concilii Aquilejensis*, olim sub nomine & inter Epistolas Divi Ambrosii. *Contra eumdem Palladium* lib. 2. sub nomine & inter Opera Ambrosii, hìc pag. 506. sed cujus Prologus seu initium habetur pag. 529. tum ad paginam 532. resume quod habetur pag. 506. deinde ejusdem lib. pag. 524. adde pauca sub finem pag. 532. post quæ addes Epistolas Concilii Aquilejensis ad Episcopos Galliæ, & ad Imperatores, ut hac ratione hi duo libri puri & absque inversione legantur. Hæc sub alienis omnia nominibus, unum spirantia Opera Vigilium Scriptorem, de quo pleniùs Illustrator Operum Petrus Franciscus Chiffletius, ut supra jam monuimus.

De Vigilio Diacono. 430.

SUPPLEMENTUM.

VIGILIUS Diaconus composuit ex Traditione Patrum *Monachorum Regulam*, quæ in Cœnobio ad profectum Fratrum in Conventu legitur breviato & aperto sermone, totius Monasticæ professionis in se continentem Disciplinam. Hæc Gennadius cap. 51. quam nos habemus Regulam in Collectione Regularum Lucæ Holstenii, edita Parisiis in 4. anno 1663. apud Ludovicum Billaine, 1. parte pag. 89.

De

De Paschasio Diacono Cardinali. 499.

PASCHASIUS Diaconus Cardinal. Romanæ Ecclesiæ, floruit sub Gelasio, Anastasio, & Symmacho Pontificibus Romanis. Vir fuit magnæ sanctitatis, & doctrinæ, & scripsit *libros duos de Spiritu sancto*, rectissimos, & valde luculentos: sic enim loquitur S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 40. Hi libri extant in Bibliotheca SS. Patrum tom. *9.* edit. secundæ.

Dissertatio Historica.

PASCHASIUS S. R. E. Diaconus Cardinalis floruit ab anno 492. ad annum circiter 512. sub Romanis Pontificibus Gelasio, Anastasio II. ac Symmacho, obiitque die 31. Maji: quòdque Laurentio Antipapæ favisset in schismate, anima ejus à S. Germano Capuano Episcopo visa est in Thermis emendatorio igne purgari. Ad eum videtur Eugippius Presbyter scripsisse vitam S. Severini Noticorum Apostoli, & ab eo responsum accepisse; quod refert Baronius ad annum *496.* de utilitate commemorationis rerum à sanctis hominibus gestarum. Vitam autem illam scripsit Eugippius biennio post Importuni Consulatum, sive an. 511. De eo Martyrologium Romanum dicta die, S. Gregorius Papa libro 4. Dialogorum capp. 40. & 41. Sigebertus cap. 17. de Viris Illustribus, Jo. Trithemius, & ex iis recentiores.

Libri duo de Spiritu Sancto rectissimi & luculentissimi, quibus symboli enarratio continetur adversus errores Macedonii, Arianorum, Sabellianorum, Novatianorum, &c. sunt editi Coloniæ anno *1539.* & in Bibliothecam Veterum Patrum à Margarino Bignæo translati.

Supplementum.

PASCHASIUS de quo Bellarminus & Labbeus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miræus in Auctario cap. 121. pag. mihi 204. cui omnes attribuunt *Libros duos De Spiritu Sancto contra Macedonium*, & qui inveniuntur in omnibus editionibus Bibliothecæ veterum Patrum, præsertim in ultima Lugdunensi anni 1677. apud Anissonios Fratres tom. 8. pag. *806* sub nomine dicti Paschasii Diaconi. Innituntur auctoritate D. Gregorii Magni qui in libris Dialogorum attribuit dicto Diacono Paschasio libros de Spiritu Sancto, quam auctoritatem esse maximam non diffiteor. At sive Paschasius hos tantùm libros olim à Fausto Regiensi Episcopo compositos transcripserit, sive opus ipsum Paschasii, de quo loquitur sanctus Gregorius lapsu temporum intercideric. Libri qui sub nomine dicti Paschasii evulgantur, non sunt ipsius, sed spectant ad Faustum Regiensem Episcopum. Esse autem ipsum opus Fausti, convincitur 1. ex ms. Cod. Vaticano unde primùm impressi sunt, quem Jacobus Sirmondus vidit & tenuit, sub nomine Fausti inscriptum. 2. Quia scripti sunt hi libri occasione accepta Symboli, ut notat Gennadius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 85. dum loquitur de Fausto ejusque scriptis, unde opus Fausti proprium esse arguuntur. 3. Continent proprias Fausti opiniones, nempe nihil esse incorporeum præter Deum, unde lib. 2. cap. 1. appellat *animam corpoream*. 4. Joannes Trithemius qui viderat hos libros mss. antequam imprimerentur, allegat eorum prima verba, sub nomine Fausti à se inspecta, quæ cum primis operis hujus verbis eadem sunt. Itaque nihil omnino habemus Diaconi Paschasii, cùm opus ei attributum, debeatur Fausto Regiensi in Gallia Episcopo.

De sancto Cæsario Arelatensi. 499.

SANCTUS CÆSARIUS Episcopus Arelatensis vixit tempore Symmachi Papæ, & Theodorici Regis Italiæ, ut in ejus vita scribit Cyprianus ejus discipulus, apud Surium die 27. Augusti: itaque falsum esse videtur, quod Concilium Arelatense tertium, cui præfuit sanctus Cæsarius celebratum sit æra *461.* id est, anno Domini 423. Sed (ut habet alia lectio) æra *492.* idest, anno 454. Falsum quoque est quod Trithemius scripsit, hunc sanctum Cæsarium floruisse anno *670.* & veritas est in medio, pervenit enim ad annum *499.* Extant ejus *homiliæ* 46. in Bibliotheca SS. Patrum tomo 2. edit. secundæ.

Dissertatio Historica.

CÆSARIUS, Arelatensis Episcopus quem aliqui Cabilonensem fuisse volunt, & de cujus ætate multa multi etiam doctissimi hujus & superioris sæculi Scriptores falsò asseruerunt, obiit die 27. Augusti anno 543. cùm ab anno 501. aut præcedenti Æonio demortuo, in ejus locum Cathedram Arelatensem ascendisset, eamque annis 44. obtinuisset. Ejus meminerunt Ruricius Lemovicensis Episcopus ep. 31. & Gennadius Massiliensis, aut ejus quisquis fuit interpolator cap. *86.* quod multis de causis mihi videtur assutum fuisse à posteriore aliquo Scriptore, qui post caput 85. in quo de Fausti Regiensis Episcopi libris agitur, tamquam antidotum voluit adhibere, subjungens multa de Cæsario Fausti hoste acerrimo, (qui Gennadio Catalogum suum scribente nondum erat Episcopus) & de Felice Papa testimonia Scripturarum & SS. Patrum ab eo collecta de gratia & libero arbitrio per epistolam suam confirmante, ac roborante. Quæ omnia manifestè innuunt Concilii Arausicani II. tempora, & annum Christi circiter *529.* ut id obiter moneam, plerosque in Historia Semipelagianæ hæreseos etiamnum cæcutientes. Sigebertus cap. *119.* de Script. Eccles. Abbatem Lirinensem vocat, testaturque declamasse Homilias vitæ Monachorum congruentes, cùm apud Gennadium dumtaxat affirmetur scripsisse egregia, & grata valdè ac necessaria Monachis opuscula. Errant Miræus, & si qui alii scripsisse ad eum volunt Desiderium Cadurcensem Episcopum, qui centum minimùm post ejus obitum annis adhuc superstes erat. Plura de eo leges apud Auctores vitæ ejus Cyprianum, atque Messanium, Ennodium Ticinensem, Florianum, Venantium, Gregorium Turonensem, Concilia Agathense, Carpentoratense, Vasense, Arausicanum II. Epistolam S. Radegundis ad Episcopos in Concilio Turonensi congregatos, ut omittam Trithemium, Sirmondum, & ex eo pro more Miræum, aliosque recentiores, quos plena manu congessit R. P. Ludovicus Jacob à S. Carolo libro 1. de Scriptoribus Cabilonensibus, qui eidem tribuit Regulam ad Monachos, quam alii Teredio seu Tetradio ejusdem S. Cæsarii nepoti adsignant. Sed jam ad ejus ingenii monumenta accedamus. Extant editæ Basileæ in 4. anno 1558. & in Bibliothecis Veterum Patrum Coloniensi ac Parisiensibus.

Homiliæ diversæ numero 46. de variis rerum divinarum argumentis. (*a*) Ex his nonnullas Cæsario suppo-

ſuppoſitas non diffiteor, eam præſertim, in qua Gregorius Papa Romanus, atque Iſidorus Hiſpalenſis ætate juniores memorantur: atque hinc fortè data errandi occaſio Trithemio, & quibuſdam recentioribus, qui Cæſarium ad annum uſque *670.* revocarunt temporibus Conſtantini filii Heraclii, ejuſque filiorum, à quibus longe abſuit Concilium Arauſicanum ſecundum.

Exhortatio ad cuſtodiendam charitatem. Epiſtola ad quoſdam germanos. Tractatus de decem Virginibus.

Regula Sanctimonialium in gratiam ſororis ſuæ ſanctæ Cæſariæ conſcripta, quam etiam poſt vitam B. Radegundis anno *1621.* Pictavis editam cura R. P. Stephani Moquoti, qui hactenus ignotam à R. P. Jacobo Sirmondo acceperat, reperies notis illuſtratam à Franciſco Meynardo J. C. Antecessore Pictavienſi.

Præter hunc Cæſarium duo ſunt inſuper alii, quos prætermiſit Bellarminus. Alter eſt Heiſterbacenſis in valle Sancti Petri Monachus Ordinis Ciſtercienſis, qui vivebat adhuc anno *1233.* cujus extant *Dialogorum libri XII. de miraculis & viſionibus ſui temporis*. Alter eſt S. Gregorii Nazianzeni frater, quem ipſe defunctum oratione funebri laudavit, quæ eſt inter editas numero 10. cujuſque meminerunt Photius in Bibliotheca cod. 210. Nicephorus Call. lib. 12. cap. 24. & Suidas. Extant ſub ejus nomine editæ anno *1626.* in 4. ab Elia Ehingero Auguſtanæ Bibliothecæ Præfecto, *Quæſtiones Theologicæ & Philoſophicæ num.* 78. Græcè & Latinè ex interpretatione Joannis Leunclavii, quam emendavit, atque ſupplevit. Tomo XI. Magnæ Bibliothecæ Pariſienſis Veterum Patrum, pag. 545. habentur G. L. ejuſdem quæſtiones num. 195. in Dialogos quatuor transformatæ ex Auctario anni *1624.* R. P. Frontonis Ducæi Soc. Jeſu, qui primus omnium Græcum textum edidit ex mſ. codice nobiliſſimi viri Franciſci Olivarii Abbatis. Circa has, duo aut tria maximè vellem obſervari. I. eſt ex Photio earum auctorem videri potius eſſe S. Gregorium Nazianz. qui hac ratione voluerit nomen fratris ſui poſteritati commendari. II. à ſecretis quod in titulo occurrit ab interprete vel editore perperam Cæſario adjungi, cùm Leontio tribui debeat. III. eſt eamdem cum ſimilibus Eclogarum libris aleam ſubiiſſe Dialogos illos, hoc eſt, inſerta eſſe ab interpolatoribus quædam Gregorii Nyſſeni, Maximi Abbatis, aliorumque Patrum poſterioris ævi ſegmenta, quo factum eſt, ut illorum auctor Cæſarius à quibuſdam rejectus fuerit poſt annos 700. à Chriſti natalibus. Plura adverſus Leunclavium primum eorum editorem declamavit Jacobus Billius Prunæus præfatione in decimam Orationem Sancti Nazianzeni, quæ aliàs expendemus accuratiùs. Hìc enim parcè dumtaxat, ac per tranſennam iſta attigimus à Bellarmini noſtri, quem *κατὰ πόδας, καὶ καθ' ἕνα* ſequimur, càtalogo aliena.

(*a*) Ex recognitione Reverendi Patris Frontonis Ducæi. Nam in primæ Editionis Bibliothecæ Pariſienſis Tomo VII. ſub nomine Feliciani quædam fuerant editæ.

De Cæſario Heiſterbacenſi. 1230.

SUPPLEMENTUM.

CÆSARIUS HEISTERBACENSIS, in Valle Sancti Petri Monachus Ordinis Ciſtercienſis in Diœceſi Colonienſi, ætate prima Litteris operam dedit in Urbe Colonienſi. Anno 1188. Henricum Cardinalem & Epiſcopum Albanenſem, quem Clemens III. in Germaniam Crucis prædicandæ gratia miſerat, in Baſilica S. Petri in eadem Urbe concionantem puer audivit, & plurimos cruce ſignantem vidit, ut ipſe libro 10. Miraculorum cap. 44. narrat. Anno *1199.* veſtem Monaſticam Heiſterbaci induit, & ibi poſtea ſucceſſu temporum & meritorum Magiſter Novitiorum, & apud Gallobrabantos Prior in Villari extitit. Anno *1226. Libros tres de Vita ac paſſione Sancti Engelberti Colonienſis Archiepiſcopi* ſcribere cœpit, & anno demum *1227.* tertium librum, qui totus eſt in miraculorum inſigniorum enarratione, abſolvit, quos habet Laurentius Surius menſe Novembri. Hos etiam tres Libros Notis & auctario à ſe illuſtratos, Ægidius Gelenius ad S. Andream Colonienſis Canonicus, anno *1633.* eadem in Urbe edidit. Scripſit item Cæſarius per modum Dialogi *Libros duodecim de Miraculis & Viſionibus ſuo tempore in Germania potiſſimùm factis*, Coloniæ olim impreſſos anno *1591.* in 8. quos iterum habes editos tomo I. Bibliothecæ Veterum Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis, de qua jam ſæpiùs locuti ſumus. Hoc in Opere quàm ſimplex fuerit Cæſarius in credendo, quàm facilis in ſcribendo; nullus negabit qui ejuſmodi Monachalem farraginem legerit, nullus leget qui non ad tantas fabulas riſerit. Item *Homilias* ſcripſit ſuper Dominicis totius anni, tribus partibus Coloniæ anno *1615.* in 4. impreſſas, & correctas ab Andrea Coppenſtein Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologo. De hujus libris tam impreſſis quàm manuſcriptis abundè narrat Carolus de Viſch in ſua Bibliotheca Auctorum Ciſtercienſium, & hæc omnia ipſe Cæſarius, particulatim enumerat *in Epiſtola ſua ad Petrum Priorem loci ſanctæ Mariæ*, quam Andreas Coppenſtein præfixit faſciculo Moralitatis Cæſarianæ in Ubiis à ſe edito. Aubertus Miræus *in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis* capite 388. pag. 257. Antonius Poſſevinus *in Apparatu Sacro*.

De Cæſario fratre S. Greg. Nazianz. 369.

SUPPLEMENTUM.

CÆSARIUS frater Sancti Gregorii Nazianzeni, quem ipſe defunctum oratione celebri laudavit, quæ eſt inter editas, num. 10. cujuſque meminerunt Photius in Bibliotheca Cod. 210. Nicephorus Calliſtus lib. 12. cap. 24. & Suidas Obiit *369.* die 25. Februarii. Extant ſub ejus nomine editæ anno *1626.* in 4. ab Elia Ehingero Auguſtanæ Bibliothecæ Præfecto *Quæſtiones Theologicæ & Philoſophicæ* num. 78. Græcè & Latinè ex interpretatione Joannis Leunclavii, quem emendavit atque ſupplevit. Item in magna Bibliotheca Pariſienſi veterum Patrum anni *1644.* tom. 11. pag. 545. habentur *ejuſdem Quæſtiones Græco-Latinæ* numero 195. in Dialogos quatuor transformatæ, ex Auctario anni *1624.* R. P. Frontonis Ducæi Societatis Jeſu, qui primus omnium Græcum textum edidit ex manuſcripto Codice nobiliſſimi viri Franciſci Olivarii Abbatis. Sanè harum quæſtionum ſub nomine Cæſarii fratris ſancti Gregorii Nazianzeni extant manuſcripta Exemplaria in multis Bibliothecis, ut in Regia Gallica, in Bavarica Sereniſſimi Ducis num. 102. hoc titulo: *Cæſarii fratris ſancti Gregorii Theologi Solutiones Quæſtionum 195. Theologicarum, quas illi propoſuerunt Conſtantius, Theocariſtus, Andreas, Gregorius, Domnus, Iſidorus, Leontius.* Item in Auguſtana num. 74. cum eodem titulo, quamvis pauciores inveniantur, forſitan eſt tantùm LXXVIII. quas Elias Ehingerus Auguſtanæ Præfectus Bibliothecæ an. *1626.* in 4. edidit; at in Catalogo Bibliothecæ Monaſterii quod Inſula Pathmos in mari Ægæo habet, quem refert Antonius Poſſevinus ad cal-

calcem Apparatus Sacri pag. 42. *Interrogationes propositæ à diversis Cæsario Gregorii Theologi fratri, cum responsionibus sunt CCXXI.*

Circa has quæstiones, duo aut tria maximè vellem observari. 1. Est ex Photio, earum auctorem videri potiùs esse sanctum Gregorium Nazianzenum, qui hac ratione voluerit nomen fratris sui posteritati commendari. 2. Dialogos illos eamdem cum similibus Eclogarum libris aleam subiisse, hoc est, infarta esse ab Interpolatoribus quædam Gregorii Nysseni, Maximi Abbatis, aliorumque Patrum posterioris ævi segmenta: quo factum est, ut illorum auctor Cæsarius à quibusdam rejectus fuerit post annum 700. à Christi Natalibus, quod adnotasse juvat. 3. Manuscriptos Codices maximè varios esse in numero quæstionum & responsionum, ut constat ex prædictis, estque indicium incerti Scriptoris.

De Ruricio Lemovicensi. 499.

RURICIUS Episcopus Lemovicensis scripsit duos libros epistolarum, qui ab Henrico Canisio editi sunt tomo 5. lectionis antiquæ: ex quibus colligitur illum ad hæc usque tempora pervenisse, cùm diu jam antea notus esset, quia Sidonii ad eum scriptæ sunt epistolæ aliquot.

Dissertatio Historica.

RURICIUS Senior Lemovicensis Episcopus, nobilitate generis, pietate atque eruditione præclarus, sedit ab anno minimùm 470. cùm ad eum scripserit *Sidonius* Apollinaris Arvernorum Episcopus tres epistolas quæ extant lib. IV. 16. V. 15. VIII. 10. cùm in ejus & Iberiæ Ommatii nobilis viri filiæ nuptias antea Epithalamium cecinisset, usque ad annum saltem 506. quo labente apud S. Cæsarium Arelatensem Archiepiscopum se ob infirmam valetudinem excusavit de profectione ad Concilium Agathense. Quo verò anno obierit non constat. Ad eum extant quoque Fausti Regiensis Episcopi, sancti Cæsarii Arelatensis, Euphrasii, Græci, Sedati, Taurentii, Victurini, & aliorum Epistolæ. De eodem ejusque nepote Ruricio juniore Lemovicensi itidem Antistite plura Venantius Fortunatus, quique ejus Carmina Commentariis illustravit noster Chrystophorus Brovverus, necnon Sirmondus in notis ad Sidonium Apollinarem, ex quo sua delibavit pro more Miræus. Tacere verò hic non possum hallucinationem eorum qui nuper scripserunt seniorem Ruricium subscripsisse Synodis Aurelianensi IV. anno 541. & V. anno 549. cùm, quem ducem sequuti sunt, Claudius Robertus rectè in Gallia Christiana Ruricio juniori id tribuisset, atque id exigant tria illa lustra quæ Pontificatui illius successoris Exotii sive Esotii tribuit Fortunatus. De iisdem quoque avo & nepote plura Bernardus Guidonis in variis Tractatibus quos in lucem emisimus Tomo 1. & 2. Novæ Bibliothecæ mss. Librorum.

Epistolarum Ruricii Senioris libros duos ex ms. codice Abbatiæ S. Galli in Helvetiis vulgavit Henricus Canisius Tomo V. Antiquæ Lectionis præmissis Epistolis Fausti & aliorum, subjectisque Desiderii Ep. Cadurcensis ad varios & variorum ad eum Epistolis. Verùm cùm ex codice admodum corrupto plurima menda in eos irrepserint, operæ pretium est in lucem iterum dare correctiores.

SÆCULUM SEXTUM

Ab anno Dom. 500. *ad* 600.

De sancto Fulgentio.

SANCTUS FULGENTIUS Carthaginensis Episcopus Ruspensis, vir sanctissimus & doctissimus, floruit tempore Trasimundi Regis ad quem scripsit libros. Obiit anno Domini 529. vitæ suæ an. 65. Episcopatus autem 25. ut Cardin. Baronius annotat tom. 6. Annalium. Scripsit plura teste Isidoro in lib. de viris illustribus quorum multa perierunt. Extant nunc in editione Antuerpiana anni 1574.

Ad Trasimundum Regem, lib. 3. *De Incarnatione & gratia Christi*, 1. *Ad Monimum*, 3. *Contra objectiones Arianorum*, 1. *Ad Donatum*, 1. *Ad Euthymium*, 2. *Ad Ferrandi quæstiones*, 2. *De fide ad Petrum*, qui inter libros Augustini habetur, de quo diximus supra, 1. *Epistolæ septem* satis prolixæ instar librorum, 7.

Denique *Sermones decem variorum argumentorum*, qui soli supersunt, ex multis, quos scripsisse, & habuisse dicitur.

Edita sunt Parisiis & alia quædam opuscula *de veritate Prædestinationis, & de Trinitate*, quæ ad manus meas non pervenerunt.

Dissertatio Historica.

FABIUS Claudius Gordianus Fulgentius, natione Afer, natus anno circiter 463. vel ex aliorum opinione 467. in Teleptensi civitate provinciæ Byzacænæ, patre Claudio, matre Marianna, Gordiano avo ex numero Carthaginensium Senatorum, unde fortè Bellarmino & quibusdam aliis dictus Carthaginensis, Romam jam Abbas venit anno 500. quo tempore vidit cum ingenti pompa ingredientem Theodoricum Ostrogothorum Regem, & in aurea illa verba prorupit: Quàm speciosa potest esse Jerusalem cœlestis, si sic fulget Roma terrestris! Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor, & gloria, & pax præstabitur Sanctis contemplantibus veritatem! Ordinatus est Ruspensis Episcopus in provincia Byzacæna, anno 504. vel 508. in exilium deinde cum aliis Africæ Episcopis ejectus est in Sardiniam jussu Thrasamundi Regis Vandalorum, unde postea decreto Hilderici anno circiter 523. revocatus, vixit usque ad Kalendas Januarias anni 529. quo annos natus 65. obiit sub eodem Hilderico, ex Baronii & multorum aliorum sententia, vel certè anni 533. sub Hilderici successore Gilimeræ, ex epilogismis R. P. Chiffletii, quem consule tum in notis ad Ferrandi opera, tum in Animadversione in S. Ferrandum redivivum.

Neque enim huic loco convenit tricas illas evolvere scrupulosiùs, & à recto tramite longiùs divertere. De Sancto Fulgentio plura discipulus ejus Ferrandus in vita ad Felicianum Ruspensem Episcopum, sancti Fulgentii successorem scripta, quam post Surium ac Bollandum exhibuit Chiffletius, Isidorus Hispalensis c. 14. Honorius Augustodun. libelli tertii cap. 16. Sigebertus cap. 28. qui eumdem existimavit nostrum Fulgentium cum Fabio Placiade Fulgentio V. C. cujus habentur Mythologicon libri tres, & quædam alia; nisi fortè satius sit legere: *Quòd si est ipse Fulgentius, qui, &c.*

Opera Fulgentii tam ea, quæ Bellarminus enumerat, quàm quæ postea à Sirmondo, Camerario, Chiffletio, Theophilo, aliisque ex mss. codicibus in publicam lucem fuere emissa, repræsentat in unum veluti collecta fascem Heptas Præsulum postremùm Lugduni excusa anno 1652. hoc ordine.

Vita S. Fulgentii Ruspensis Ep. à quodam ejus discipulo, is est Ferrandus Diaconus, de quo vide suo loco, conscripta ad Felicianum Episcopum sancti Fulgentii successorem, 30. capita post Prologum complexa.

Libri tres ad Monimum. I. de duplici prædestinatione Dei, una bonorum ad gloriam, altera malorum ad pœnam. II. Tres quæstiones complectens, unam de sacrificii oblatione, alteram de Spiritus Sancti missione, tertiam de supererogatione sancti Pauli. III. De vera expositione illius dicti Evangelici: Et Verbum erat apud Deum.

Contra Arianos liber unus, ad decem objectiones totidem responsiones continens.

Ad Thrasimundum Vandalorum Regem libri tres. I. De Mysterio mediatoris Christi duas naturas in una persona retinentis. II. De immensitate Divinitatis Filii Dei. III. De Sacramento Dominicæ Passionis.

Ad Donatum liber unus, de Fide orthodoxa & diversis erroribus Hæreticorum.

Liber de Fide ad Petrum Diaconum, qui cùm olim inter opera S. Augustini appareret, atque à nonnullis minùs cautis eidem tribueretur Joannis Molani, aliorumque Catholicorum Doctorum diligentia factum est ut legitimo parenti restitueretur. Regula veræ fidei dicitur in Catalogo Isidori Hispalensis ejusque epitome ab Honorio Augustodunensi concinnata.

Epistola 1. De conjugali debito & Voto continentiæ à conjugibus emisso. 2. *Ad Gallam*, de consolatione super morte mariti & de statu Viduarum. 3. *Ad Probam*, de virginitate simul atque humilitate. 4. *Ad eamdem*, de oratione ad Deum & compunctione cordis. 5. *Ad Eugippium Abbatem*, de Charitate & ejus dilectione. 6. *Ad Theodorum Senatorem*, de conversione à sæculo. 7. *Ad Venantiam*, de recta pœnitentia & futura tribulatione.

Sermo 1. De Confessoribus & dispensatoribus Domini. 2. De duplici Nativitate Christi, una æterna ex Patre, altera temporali ex Virgine. 3. De Laudibus Mariæ ex partu Salvatoris. 4. De sancto Stephano Protomartyre & Conversione B. Pauli. 5. De Epiphania, deque Innocentum nece & muneribus Magorum. 6. De Charitate Dei ac proximi. 7. Super Evangelium S. Matthæi: *Audivit Herodes Tetrarcha*. 8. De S. Cypriano Martyre. 9. In Natali Apostolorum. 10. De Martyribus.

Homiliæ novæ LXXX. à R. P. Theophilo editæ, cum Præfatione ex ms. codice qui fuerat V. C. Nicolai Fabri: quarum aliquæ reperiuntur inter Homilias S. Augustini.

Liber de Trinitate ad Felicem Notarium. Edidit Sirmondus anno 1612. & veteri exemplari Monasterii Trecensis insulæ Germanicæ. Hic ab Isidoro inter

A opera S. Fulgentii recensetur. Quæ verò proximè sequuntur idem eruit ex Vaticana Bibliotheca.

Epistola Victoris ad S. Fulgentium. Sermo Fastidiosi Ariani. *Contra sermonem Fastidiosi Ariani ad Victorem liber*. Epistola Ferrandi Diaconi ad Fulgentium Episcopum. *Ad Ferrandum Diaconum Epistola de Baptismo Æthiopis moribundi*.

Epistola ad Reginum Comitem, utrum caro Christi corruptibilis an incorruptibilis fuerit. Hujus mentionem facit Ferrandus in Parænetico ad eumdem Reginum, docetque Fulgentium morte præventum eam non absolvisse.

Sermo de eo quod ait Michæas Propheta: Indicabo tibi ò homo, quid sit bonum.

B Epistola Ferrandi Diaconi ad Fulgentium de quinque Quæstionibus.

Responsio D. Fulgentii Episcopi de eisdem Quæstionibus.

Petri Diaconi & aliorum qui in causa Fidei à Græcis ex Oriente Romam missi fuerant, liber de Incarnatione & gratia Domini nostri JESU CHRISTI ad Fulgentium & alios Episcopos Africæ.

S. Fulgentii de Incarnatione & gratia D. N. J. C. ad Petrum Diaconum, & alios qui ex Oriente in causa Fidei Romam missi sunt.

Libri duo ad Euthymium de remissione peccatorum.

Epistola Synodica Episcoporum Africanorum in Sardinia exulum, de gratia Dei, & arbitrio humano, in qua librorum meminerunt B. Fulgentii Episc. de veritate prædestinationis & gratiæ. C

S. Fulgentii libri tres de veritate prædestinationis & gratiæ Dei, quorum meminerunt Ferrandus cap. 29. vitæ, Isidorus cap. 14. de Viris Illustribus, Concilia Parisiense anni 829. & Aquisgranense anni 836. Gotheschalcus Monachus Orbacensis in confessione sua, &c. Hos libros primus edidit Sirmondus anno 1612. cùmque tertius in apographo Carthusiæ majoris ms. codicis mutilus esset, Chiffletius & Theophilus integrum ediderunt ex ms. codice Carthusiæ Portarum.

Liber de prædestinatione & gratia cum Censura inofficiosæ Censuræ Lovaniensium, Bellarmini, Possevini, & quorumdam aliorum, qua B. Fulgentio liber hic Tomo VII. Augustini sæpè excusus asseritur, & nitens purusque præstatur à R. P. Theophilo Raynaudo Societ. JESU Theologo. D

Ferrandi Diaconi Ecclesiæ Carthaginensis Epistola ad Egippium de essentia Trinitatis ac natura Christi à Sirmondo quoque Appendicis loco edita cum Fragmentis librorum aliquot B. Fulgentii, qui non extant partim ex Theodulphi Episcopi Aurelianensis collectaneis de Processione Spiritus sancti, partim ex Hincmari Remensis Archiepiscopi libro tertio adversus objecta Græcorum ad Odonem Episcopum Belvacensem.

E Guillelmus Camerarius Scotus, anno 1634. apud Sebastianum Huré edidit in 12. quædam veterum Patrum monimenta, cum brevibus notis, hoc ordine.

1. *De Incarnatione Filii Dei librum Fulgentii ad Scarilam quemdam*, cujus præmittitur Epistola, cum hoc titulo: S. Fulgentii Ruspensis Episcopi Responsio ad interrogationes Scarilæ de Mysterio Incarnationis, & vilium animalculorum auctore. Hunc si librum in lucem emissum novisset vir eruditus in describendis vulgandisque ex eo opere 13. fragmentis, pepercisset operæ laborique suo.

2. *Tractatum de septem vitiis & septem donis Spiritus Sancti*, quem asserit editor tribui à multis viris doctis S. Augustino. 3. *Homiliam, ut putat, Augustini in ea verba*, Si enim vos cùm sitis mali, &c. 4. *Brevem explicationem Symboli Sancto Augustino similiter tributam*.

5. Tra-

5. *Tractatum S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi de custodia interioris hominis*. 6. *Epistolam S. Anselmi Bernardo Priori, & Fratribus S. Albani*. 7. & 8. *Sermones duos in Kalendas Januarias S. Augustini*, cum Claudii Menardi Ex-Propraetoris Andegavensis Praefatione & notulis ad easdem Homilias.

R. P. Sirmondus anno 1643. edidit Parisiis *Excerpta librorum S. Fulgentii contra Fabianum*, ex codice ms. Flori Diaconi seu Subdiaconi Lugdunensis in Epistolas sancti Pauli Apostoli, qui servatur in Bibliotheca primariae Carthusiae, unde & Alcimi Aviti fragmenta nonnulla cum aliis ejusdem Viennensis Archiepiscopi operibus vulgaverat. Decem libros Fabiani mentientis falsa gesta convincens, inquit Ferrandus cap. 19. Vitae, de Veritate praedestinationis & gratiae libellos conficiens tres, aliaque multa digessit reversus de exilio, &c.

Ex iis decem adversus Fabianum Arianum Fulgentii libris Chiffletius noster secutus codicem pervetustum Lingonensem XXXIX. Excerpta secundùm librorum ordinem digesta publicavit Divione anno 1656. cum Alcuini Confessione Fidei, Rabani Mauri libro adversus Judaeos, & Anonymi Commentariolo de damnatione Berengarii. Quae verò subjecit XIII. fragmenta ex libro ejusdem Fulgentii de Incarnatione decisa poterant omitti, cùm liber ille jam ab anno 1634. fuerit integer à Camerario editus.

Superest ab eodem Chiffletio Divionensibus typis excusus cum Ferrandi operibus anno 1649. ex Benigniano & Portensi codicibus, *liber de Trinitate*, quem ipse existimavit esse desideratum hactenus sancti Fulgentii librum adversus Pintam Arianum, cujus meminit Ferrandus, reclamante Sirmondo non solùm quod Librarius ipse nescierit cujus fuerit ille Tractatus, in quo nulla uspiam Pintae mentio, sed quòd nihil habeat simile cum indubitatis Fulgentii operibus, & textu Scripturae aliò quàm Fulgentius saepè utatur. His adde verba illa capitis II. Homousianos, vel Unisubstantianos vocandos esse praesumpserit. Homos namque unus, Usia substantia Graeco sermone appellatur, &c. Quis enim, etsi alia omnia desint, haec Fulgentio tribuat, quem Ferrandus capite primo totum simul Homerum memoriter reddidisse, Menandri multa percurrisse, atque expeditè cum liberet, Graeco sermone locutum asserit. Quid verò si ad septimum octavumque saeculum quis Auctorem illius de Fide Catholica Collectionis dejiciat, cùm etymon illud sumptum videatur ex Concilio Toletano XI. quod anno Christi 675. celebratum est. Vide pag. 543. Conciliorum Hispaniae à Loaisa editorum. Haec si advertissent Bibliopolae Lugdunenses germanis sancti Fulgentii operibus, illud ἀνεπίγραφον non inseruissent. At de his satis. Nisi fortè cuipiam placitura censeas quae sequuntur ex mantissa Miraei deprompta. Fulgentius Ruspensis in Africa Episcopus, ante Episcopatum (ut ex titulo codicis ms. Laetiensis mox laudandi conjicio) scripsit 24. vel ut alii legunt, 23. libros à Sigeberto in catalogo capit. 18. laudatos : quorum primus est absque A, hoc est, ne unam quidem literam A habet : secundus absque B, tertius absque C, & sic consequenter. Hujus operis Fulgentiani exemplar ms. extat in Laetiensi apud Hannones Coenobio hoc titulo: Opus mirificum, sive Fabii Claudii Gordiani Fulgentii V. C. libri 24. per singulos singulis literis secundùm ordinem diminutis. Incipit liber 1. absque A, incipit liber 2. absque B, &c. Sed quod dolendum, libri novem posteriores in ms. codice Laetiensi desiderantur. Fabius verò Planciades, seu Placiades Fulgentius, vir clarissimus, ad Carum Presbyterum scripsit Mythologiarum libros tres; & ad Chalcidium Grammaticum de Allegoria Virgilii librum unum. Quae omnia ope mss. codicum Hieronymus Commelinus recensuit, & anno 1599. edidit cum aliorum Mythologicorum Latinorum, videlicet C. Julii Hygini, Julii Firmici Materni, & Albrici Philosophi scriptis. Haec ille.

SUPPLEMENTUM.

FULGENTIUS RUSPENSIS, in Africa Episcopus, de quo Bellarminus, & plenè Labbaeus locis saepius allegatis. Quibus unum addam, nempe post varias doctorum virorum ad Opera S. Fulgentii procuratas successu temporum Accessiones & Commentarios: ea omnia anno hoc 1684. cum optimo ordine & charactere, impressa in 4. Parisiis apud Guillelmum Desprez, via Jacobaea, sub signo sancti Prosperi, suppositititiis Sermonibus elemento minori ad finem adjectis.

De Adriano. 500.

SUPPLEMENTUM.

ADRIANUS auctor Graecus scripsit graecè circa annum 500. *Isagogem sacrae Scripturae utilem*; & haec anno 1602. graecè prodiit Augustae Vindelicorum ex Bavarico & altero Codice, Manuscriptis. Antiquior est hic Scriptor quàm vulgò credatur, cujus mentio apud Cassiodorum invenitur cap. 10. Divinarum lectionum, ubi agit de Introductoribus Divinae Sapientiae, Ticonio, sancto Augustino, Eucherio, & Junilio. Ejus quoque meminit Photius in sua Bibliotheca cod. 2.

De Laurentio Novariensi Episc. 500.

SUPPLEMENTUM.

LAURENTIUS NOVARIENSIS Episcopus cognomento Mellifluus, de quo haec Sigebertus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 120. pauca habet : *Laurentius Mellifluus scripsit librum De duobus temporibus, idest, uno ab Adam usque ad Christum; altero à Christo usque ad finem saeculi. Declamavit etiam Homilias ore quasi mellito, unde agnominatur mellifluus*. Sunt qui conjiciunt, ipsum ex Novariensi Episcopo sub annum Christi 507. creatum esse Mediolanensem Archiepiscopum, ipsumque laudari ab Ennodio Ticinensi, in Dictione missa Honorato Novariensi Episcopo, cùm Basilica Apostolorum dedicaretur. Hoc autem certum non est, solisque & infirmis nititur conjecturis. Floruit circa annum 510. & ultra, forsitan ad annum 520. Scripsitque *librum de duobus temporibus, seu de Poenitentia & Eleemosyna Homilias duas*, quas habet Bibliotheca SS. Patrum edit. Parisiensis, anni 1579. tomo 9. seu Supplementi pag. 1542. apud Michaelem Sonnium, aliaeque editiones hujus Collectanei omnes, tam Parisienses, quàm Colonienses anni 1618. & Lugdunensis ultima anni 1677. Item *Homiliam de muliere Cananaea*, quam è ms. Corbejensi eduxit Joannes Mabillon tomo 2. Analectorum pag. 18. cum paucis observationibus. De illo praeter Sigebertum, Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miraeus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 119.

De Ennodio. 503.

ENNODIUS Diaconus, & postea Episcopus Ticinensis, claruit tempore Symmachi, & Hormisdæ Pontificum Romanorum, scripsit anno 503. *Apologeticum librum* pro quarta Synodo sub Symmacho, qui receptus fuit, & probatus à quinta Synodo sub Symmacho : scripsit etiam *epistolas & alia*, quæ extant excusa Parisiis in 8.

DISSERTATIO HISTORICA.

MARCUS Felix Ennodius, Sancti Epiphanii Ticinensis, seu Papiensis in Longobardia Episcopi Diaconus, cum eo venit in Gallias ad Reges Wesegothorum & Burgundionum, eique anno 490. in munere Pontificali successit. Pro Symmacho Papa, & IV. Romana Synodo anno 503. adversus schismaticos librum Apologeticum edidit probatum in quinta Synodo ibidem sub eodem Papa celebrata. Missus ab Hormisda Symmachi successore Const. ad Anastasium Imperatorem fuit anno 516. indeque reversus, non, ut vult Vossius, anno 516. sed 521. obiit die 16. Kalendas Augusti, seu 17. Julii annos 48. natus, Valerio Consule, ut docet ejus Epitaphium apud Sirmondum. De eo plures Romani Pontifices, Auctor Pontificalis, Anastasius, seu quis alius in Hormisda, Florianus ex Monasterio Romano in Epist. ad Nicetium Trevirensem Episcopum, Miscellæ compilator quisquis fuit lib. 15. Trithemius cui dicitur Evodius contra mss. codicum fidem, veterumque scriptorum testimonia, & ex recentioribus quamplurimi. Ejus opera eodem fermè tempore in lucem emiserunt duo è Societate nostra viri eruditissimi, Andreas Schottus Tornaci anno 1610. & Jacobus Sirmondus Parisiis 1611. cujus editionem utpote accuratiorem, notisque adjectis longè illustriorem hîc repræsentabo. (a)

Epistolarum ad diversos libri 9. Opuscula Miscella 10. ideft 1. Panegyricus Theodorico Regi Ostrogothorum dictus. 2. Libellus Apologeticus pro Synodo. 3. Vita B. Epiphanii Episcopi Ticinensis. 4. Vita B. Antonii Monachi Lirinensis. 5. Eucharisticon de vita sua ad Elpidium. 6. Parænesis Didascalica Ambrosio & Beato. 7. Praceptum de Cellulanis Episcoporum. 8. Petitorium, quo absolutus est Gerontius. 9. Benedictio Cerei Paschalis 1. 10. Benedictio Cerei 2. Dictiones 28. ideft *Sacræ 6. Scholasticæ 7. Controversiæ 10. Ethicæ 5. Poemata*, seu Carminum liber 1. *Epigrammata*, seu Carminum liber 2. Notæ ejusdem R. P. Jacobi Sirmondi.

(a) Eoque libentiùs, quòd in fœderati Belgii Provincias venisse non arbitrer. Certè eam vir diligentissimus Gerardus Joannes Vossius, aliique ex eadem gente plures ignoraverint.

De Petro Diacono. 503.

PETRUS DIACONUS æqualis sancti Fulgentii fuit, ut notum est ex libris invicem scriptus. Scripsit enim Petrus hic *librum de Incarnatione & gratia Christi* ad sanctum Fulgentium, & alios Episcopos Africanos : qui liber extat inter opera sancti Fulgentii proximè ante librum sancti Fulgentii de eodem argumento.

A DISSERTATIO HISTORICA.

PETRUS Diaconus, unus ex iis, qui è Græcia Romam in causa Fidei sub Anastasio Dicoro Imp. ejusque successore Justino seniore venerunt, vixit circa annum Christi 520. nec certiùs ejus ætas quod sciam dignosci potest, quàm ex libro, quem scripsit ad S. Fulgentium Ruspensem & alios Africæ Episcopos.

De Incarnatione & gratia D. N. J. C. sive de Gratia & libero arbitrio. Extat in Bibliothecis Veterum Patrum. Ubi primùm inventum sit docebit Possevinus, qui etiam refellit eos, qui Augustino B tribuerunt.

De Ferrando Diacono. 504.

FERRANDUS Diaconus Carthaginensis eodem tempore scripsit *Paraneticum ad Reginum Comitem*, qui extat in Bibliotheca SS. Patrum tom. 5. edit. secundæ Scripsit etiam *epistolas*, quæ extant Romæ impressæ. Scripsit denique *breve compendium sacrorum Canonum*.

DISSERTATIO HISTORICA.

C FULGENTIUS Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, S. Fulgentii Ruspensis, cujus vitam scripsit, discipulus, floruit sexto æræ Christianæ sæculo ab anno 520. ad 548. De eo plura Facundus Hermianensis Episcopus, pro defensione trium Capitulorum lib. 4. cap. 3. Victor Tunonensis Ep. in Chronico ad annum 6. Post Consulatum V. C. Basilii, Isidorus Hispalensis cap. 14. & Auctor XII. Elogiorum capite penultimo, Cresconius Episcopus in Præfatione Breviarii Canonum ad Liberium Episcopum, Sigebertus capp. 28. & 29. libri de Scriptoribus Eccl. Honorius Aug. libello 2. Joannes Trithemius, qui in ejus ætate designanda sub Anastasio Imperatore anno 500. aberrasse D cognoscitur, & recentiores plurimi, in quibus eminet R. P. Petrus Franciscus Chiffletius Societatis Jesu Theologus, qui Ferrandi opera omnia divione edidit anno 1649. hoc ordine.

Ferrandi Breviatio Canonum, cum Cresconii Breviario Canonum ad Liberium Episcopum. *Epistola ad Fulgentium de duabus quæstionibus super salute Ethiopis moribundi*, cum responsione S. Fulgentii. *Epistola ad Fulgentium de quinque quæstionibus*, cum responsione ejusdem Fulgentii. *Epistola ad Egippium Abbatem de Trinitate, ac de duabus Christi naturis. Epistola ad Severum Scholasticum Const. Quòd* D. N. J. C. *sit unus de sancta & individua Trinitate. Ad Reginum Comitem Paræneticus*, qualis esse debeat Dux religiosus E in actionibus militaribus, seu, de septem regulis innocentiæ. *Epistola ad Anatolium* S. R. E. *Diaconum*, de duabus in Christo naturis, & quòd unus de Trinitate, natus passusque dici possit. *Vita S. Fulgentii Ruspensis Episcopi*, eodem auctore Ferrando. *Epistola ad Pelagium & Anatolium Diaconos urbis Romæ*, pro Epistola Ibæ Episcopi Edesseni, adeòque pro tribus Capitulis Concilii Calcedonensis adversus Acephalos.

Accesserunt Concilium Carthaginense II. anno Christi 390. collectum, cum S. Fulgentii libro pro Fide Catholica adversus Pintam Arianum, (negabat id Sirmondus, ut memini, cujus ego subscribo sententiæ) & libro tertio ejusdem Fulgentii de veritate Gratiæ & Prædestinationis eatenus magnam partem desiderato.

Idem

Idem in eadem Divionensi urbe post Quinque Opuscula Veterum Scriptorum de Fide Catholica anno *1656.* edidit Animadversionem in Sanctum Ferrandum Redivivum, hoc est, Vitam S. Hectoris Fulgentii Ferrandi, quam R. P. Joannes Ferrandus Aniciensis è Soc. Jesu Theologus Lugduni anno *1650.* ediderat, in qua ex fide nullius fidei Scriptorum, seu nescio quarum quisquiliarum Ibericarum, S. Ferrandus ex Carthaginensi in Africa Diacono, transformatur primùm in Episcopum Carthaginis Spartariæ in Hispania, ac deinde Archiepiscopum Toletanum ejusdem Hispaniæ Primatem.

De Eugippio Abbate. 510.

EUGIPPIUS Abbas Africanus vixit tempore sancti Fulgentii, & composuit magno labore *tomos duos thesaurorum sancti Augustini*: in quorum priore posuit quæcumque sanctus Augustinus scripserat de rebus obscurissimis, ut de Anima, de Charitate, de Resurrectione, de Judicio, de Vita ac Morte æterna. In posteriore collocavit, quæ S. Augustinus disputat contra Arianos, Donatistas, Manichæos & Pelagianos. Editum est hoc opus Basileæ anno Domini 1542. & Venetiis anno 1543. sed cavendæ sunt insidiæ hæreticorum, qui hoc opus in lucem emiserunt.

Dissertatio Historica.

EUGIPPIUS, sive Egippius, Abbas Africani cujuspiam Monasterii, collegit ex S. Augustini operibus, *Thesaurum in libros duos distinctum*, sive, Deflorationem librorum sancti Augustini Hipponensis Episcopi ad Probam Virginem, hortatu Renducis Neapolitani Episcopi pertextam, & per ejusdem manum Ecclesiæ Neapolitanæ oblatam, quæ edita est Basileæ in folio anno 1542. & Venetiis anno 1543. mirumque mihi sæpè accidit, qui factum sit, ut hoc tempore, quo S. Augustinus utramque paginam replet, & ubique dominatur, à duodeviginti minimùm annis, nemo de eo in lucem iterum emittendo cogitarit, nemo saltem emiserit.

Sigebertus Gemblacensis cap. 39. libri de Viris Illustribus, docet vixisse Pelagii II. Papæ, & Tiberii Constantini Imp. temporibus. (*a*) Vix ergo is mihi videtur Eugippius, ad quem sancti Fulgentii Diaconus Ferrandus Epistolam scripsit, quæ est doctorum virorum conjectura, cui suam non deesse probabilitatem ultrò nec invitus fateor, cùm præsertim Trithemius scribat ad eumdem Presbyterum vita & conversatione Monasticæ institutionis præclarum sancti Fulgentii Ruspensis nonnullas ferri Epistolas; multò minus Eugippius Lucullanensis in agro Neapolitano Abbas, Gelasii Papæ I. discipulus, qui teste S. Isidoro cap. 13. de Viris Illustribus, vitam sancti Severini Abbatis & Apostoli Noricorum ad Paschasium Diaconum brevi stylo composuit, & ipse in Præfatione se eam scripsisse memorat biennio post Consulatum Importuni, hoc est, anno æræ Christi 511. quo Magnus primusque Franciæ Rex Christianissimus Clodoveus vivere desiit.

Cassiodorus verò hujus nostri Eugippii meminit cap. 23. de Divinis Lectionibus, quem se vidisse narrat virum non usque adeò sæcularibus litteris eruditum scripturarum Divinarum lectione plenissimum: *Hic*, inquit, *ad parentem nostram Probam Virginem sacram ex operibus S. Augustini valdè beatissimi quasdam sententias, diversasque res deflorans in uno corpore collegit, & in 338. capitibus collocavit.* Quare cùm Cassiodorus Senator post annum 554. illud opus de divinis lectionibus scripserit, & Pelagius II. ad Romanam cathedram ante annum 577. non ascenderit, dicendum est Thesaurum illum multis ante obitum annis ab Eugippio elucubratum fuisse. De eo Vossius, aliique recentiores, ex quibus Miræus, qui pro more sibi non constat, sed chamæleontis instar, uti variis insidet auctoribus, ita diversos colores induit.

(*a*) Sigeberti auctoritate ductus dubitaveram alias de ætate Eugippii: sed caliginem omnem discussit Illustrissimi ac Reverendissimi Petri de Marca Archiepiscopi Tolosani scripta ad me Epistola, quam tibi Lector, ut eximium eruditionis sacræ κειμήλιον repræsentabo.

Ex adnotatione quam ex codice S. Germani Parisiensis, & Monasterii Ruvipullensis in Catalonia descriptam ad te transmisi, potest error Sigeberti & emendari, & unde ortus fuerit perspici, cùm Eugippium ad tempora Pelagii Pontificis & Tiberii Imp. refert. Confundit quippe tempus exscriptionis vel potius emendationis codicis Eugippiani, cum auctoris Eugippii temporibus. Redux quippe adhuc laicus volumen illud exscribi procuravit, deinde Neapolitanæ Ecclesiæ à Pelagio Episc. ordinatus idem volumen corrigi & emendari jussit à Petro Notario Ecclesiæ Neapolitanæ; qui diem suæ emendationis adnotavit, nempè Idus Dec. & annum septimum Tiberii, adjecta quoque Longobardorum obsidione, cujus tempus hoc testimonio evidenter ostenditur. Quanti autem Redux faceret hunc codicem, colligi potest ex eo, quòd tamquam munus pretiosissimum Ecclesiæ suæ illum contulit, in ejus Archivis perpetuo custodiendum, adjecta gravium pœnarum comminatione, si quo prætextu aut colore alienaretur. Cæterùm ex ista Petri Notarii observatione tempus Eugippii anterius quidem Tiberio esse demonstratur, unà cum Sigeberti lapsu, sed vera Eugippii epocha aliunde colligenda est. Pronus sum in eam sententiam, ut hunc putem eumdem cum Egippio à Cassiodoro commemorato. Vale V. C. & amicissime.

Marca Archiep. Tolosanus.

Ex Codice mss. Bibliothecæ S. Germani de Pratis, in quo continetur Evipii. Sic enim nominatur. In fine codicis, hæc perantiqua manu scripta leguntur.

ET orationibus beatæ & gloriosæ semper Virginis Mariæ hunc codicem * *excerptorum*, quæ opusculis sancti Augustini beatæ recordationis Egippius Presbyter & Abbas fecit, & eumdem codicem, Dei aspiratione, pro amore divinarum scripturarum adhuc in laica vita * *constitutus*, Redux misericordia Dei Episcopus conscribi fecit, & privatu Redux Dei gratia faciente in eamdem Neapolitanam civitatem à * *viro* beatissimo Pelagio Sedis Romanæ Pontifice est Episcopus ordinatus. Et eo jubente ego Petrus Notarius sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Neapolitanæ, ut potui, emendavi, sub die Iduum Decembrium, Imperatore * D. N. Tiberio Constantinopolis Augusti anno septimo, * P. C. *id. post Consulatum* ejusdem Augusti anno tertio, Indictione quintadecima, obsidentibus Longobardis Neapolitanam civitatem. Quem codicem pro memoria recordationis nominis sui dictus Episcopus devotè sanctæ Ecclesiæ Neapolitanæ, cui præest, pro ædificatione & populi Christiani noscitur obtulisse. Et obtestor sanctos successores Ecclesiæ supra *scripta* * Dei * *gratia* succedentes, in diversis ordinibus constitutos, per Dei nostri omnipotentis adventum, ut hic codex in Ecclesia Dei semper valeat permanere: ut quomodo fides æterna est Christi una, sic hæc oblatio codicis in Ecclesia jure Deo

re Deo custodiend... vobisque servantibus ibidem perseveret. Testes sitis etiam vos per confessionem, * *meritaque* B. Januarii martyris, ut sub nullo argumento nulla * *alienatione*, nulla commutatione de * *archivo* Ecclesia vel jure aliquo modo * *discedere debeat*, nec cum prædicto Pontifice Reduce in divino judicio causas reddere videamini. Finit. Amen.

Cæterùm quæ Italico charactere adscriptis Asteriscis exaratæ sunt voces, in earum quæ in originali corruptæ sunt locum successerunt.

Eadem verba habentur in Codice mſ. B. Mariæ Rivipullensis in diœcesi Vicensi, ubi etiam nominatur Evipius, sic: *Hic est liber sancti Evipii de diversis Doctoribus.*

Idem & Egippius ni fallor scribitur in libro mſ. Biblioth. Casinensis 232. in quo reperitur Liber S. Gregorii Nysseni de conditione hominis ex versione Dionysii Abbatis cum ejusdem epistola ad Egippium Presbyterum.

Duo quoque hìc adjungere non gravabor. I. Editionem Basileensem apud Robertum Winter duobus Tomis studio Joannis Heroldi fuisse procuratam. II. extare inter opera S. Fulgentii Ruspensis Episcopi ad Egippium epistolam de Charitate & ejus dilectione: unde etiam argumentum duci possit de ætate nostri Eugippi, quem anno Christianæ æræ præter propter 530. floruisse arbitror; non verò anno circiter 580. quo nos pertraxerat Sigeberti hallucinatio ab eruditissimo atque humanissimo Præsule deprehensa & emendata.

De Marcellino Comite, 520.

MARCELLINUS Comes vixit tempore Justiniani: nam anno Justiniani nono & salut. 535. finem imposuit *Chronico* suo, quod à Cassiodoro valde laudatur libro de divinis lectionibus cap. 17. extat hoc Chronicum in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 7. edit. 2. Scripsit idem Marcellinus, teste Cassiodoro, *quatuor libros de Urbe Constantinopolitana & Hierosolymitana*: qui libri (ut opinor) non extant.

Dissertatio Historica.

MARCELLINUS, Comes, Illyricianus V. C. qui adhuc Patricii Justiniani, postea Imperatoris, fertur egisse cancellos, floruit primis ejusdem Augusti temporibus circa ann. Christi 535. ut ex ejus Chronici præfatione constat. Continuator ejus vixit circa annum 565. Justiniani Imperatoris extremum. De Marcellino Cassiodorus de Institutionibus Divinæ Scripturæ cap. 17. & 25. ubi asserit ab eodem civitatem Constantinopolitanam & urbem Hierosolymam quatuor libellis minutissima narratione descriptas; atque ex recentioribus Poss. Vossius, Miræus, &c.

Chronicon rerum præcipue sub Imperio Orientali gestarum ab anno 379. sive à fine Chronici Hieronymiani, *usque ad annum 535.* in plerisque mutilum ac corruptum ediderat Antonius Schonhonius Canonicus Brugensis superiore sæculo, & post eum Onuphrius, Margarinus Bignæus, Josephus Scaliger, aliique. Verùm hujus sæculi anno labente 19. una cum Idacii Lemicensis Chronico ac Fastis publicavit longè perfectius noster Jacobus Sirmondus, ex pervetustæ atque optimæ notæ codice mſ. Bibliothecæ Tilianæ.

A

De Joanne Maxentio. 520.

JOANNES Maxentius Monachus, & ut creditur, Presbyter Antiochenus, vixit tempore Hormisdæ Papæ, contra cujus epistolam scripsit. Ejus opera extant in quarto tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum. Scripsit autem *Catholicæ fidei professionem*, item *libellum contra Acephalos*, item *dialogorum contra Nestorianos libros duos*, item *responsionem ad epistolam Papæ Hormisdæ*, in quibus disputat adversus Nestorianos, & adversus Faustum Regiensem Semipelagianum. Et quidem Faustum, & Pelagianos egregiè refellit, ex libris sancti Augustini: at Nestorianos ita refellit scribens *contra Possessorem* Episcopum Africanum, ut ad Eutychianos declinare videatur. Certè sanctus Hormisda Papa Possessorem defendit, & Joannem cum suis Monachis acriter insectatus est. Vide epistolam Possessoris ad Hormisdam, & responsionem Hormisdæ in ipso opere Joannis Maxentii. Scripsit autem Maxentius contra epistolam Hormisdæ, negans illam esse Hormisdæ, ne videretur contra summum Pontificem scribere; sed re vera negari non potest, epistolam illam verè esse Hormisdæ.

B

Dissertatio Historica.

C

JOANNES Monachus & Presbyter Antiochenus, cognomento Maxentius, natione Scytha, vivebat extremis Hormisdæ Papæ temporibus, hoc est, circa annum 523. Quo verò anno obierit, N. L. Possevinus, Maraccius, Patrologus, aliique insigniter allucinati sunt, qui Joannem illum Maxentium, Gallum fuisse, Monachum & Abbatem Pictaviensem, Congregationis Gallicanæ Floriacensis, & obiisse anno 550. scripserunt. Fuit quidem intra Pictavum terminum anno Christi 507. S. Maxentius Reclusus, cujus meminit Gregorius Turonensis lib. 2. Hist. Franc. cap. 37. Sed neque is Abbas fuit Congregationis Floriacensis, quæ nulla fuit in Galliis sic dicta, nec eo saltem tempore, cùm Floriacense cœnobium tantùm circa annum Christi 650. fundatum sit, nec quicquam scripsisse memoratur, nec pervenit usque ad annum Christi 550. Errarunt quoque, qui Scytham hunc Eutychiana fuligine aspersum cum Joanne Capadoce Conſt. Patr. Jejunatore dicto confudisse noscuntur. (a) Tomo 4. Bibliothecæ Magnæ Parisiensis, à pag. 433. & alibi quoque excusa extant Joannis Maxentii opuscula.

D

Epistola ad Legatos Sedis Apostolicæ. Catholica de Christo professio in confessione suæ fidei. Capitula contra Nestorianos. Alia professio fidei brevior. Ratio adunationis Verbi Dei ad propriam carnem. Responsum ad Epistolam, quam negabat esse Hormisdæ Papæ, ne videretur contra Romanum Pontificem calamum strinxisse. *Libellus contra Acephalos. Dialogorum contra Nestorianos libri duo ad Theophilum.*

E

De eo plura Index Rom. ex Baronio p. 129.

(a) Sunt quoque qui eidem tribuere non vereantur verba ista Gennadii cap. 93. Joannes Antiochenæ Parochiæ ex Grammatico Presbyter scripsit adversus eos, qui in una tantùm substantia asserunt adorandum Christum, nec acquiescunt duas in Christo confitendas naturas: docens secundùm relationem Scripturarum unam in illo Dei & hominis personam esse, non unam carnis & Verbi naturam. Simul & impugnat aliquas Cyrilli Alexandrini Episcopi sententias; dicens incautè ab illo adversus Nestorem prolatas, quæ fomentum & robur addunt Timotheanis, quòd valdè inaniter dicit: Vive-

Vivere adhuc dicitur, & ex tempore declamare. Verùm nonnulla me ab hac sententia revocant: neque enim insolitum videri debet duos in amplissima Antiochiæ diœcesi vixisse Joannes Presbyteros aut eadem prorsus ætate, aut certè tempore proximos. Grammaticus enim iste exeunte sæculo quinto circa annum 490. alter verò Monachus Scytha clarueit sæculo sexto circa annum 523. Neque audiendi sunt qui contendunt ideo à Gennadio minùs quàm vellent benignè habitum, quòd Semipelagianus fuerit, nondum enim quicquam à Maxentio scriptum fuerat adversus Fausti Regiensis Ep. libros de Gratia & libero arbitrio, sed longè post exaratum à Gennadio Catalogum suum.

De sancto Avito Alcimo. 520.

AVITUS ALCIMUS Episcopus Viennensis, vir nobilissimus, sanctissimus & doctissimus, floruit temporibus Papæ Hormisdæ, à quo Vicarius in Galliis constitutus est, ut constat ex epistola Hormisdæ ad ipsum. Multa scripsit & versu & soluta oratione, ut docent Gregorius Turonicus libro secundo cap. tricesimo quarto, & Ado Viennensis in Chronico. Ego solùm legi *libros quinque* metricè scriptos *in Genesim*, *& Exodum*, *& librum de castitate ad sororem*, planè gravissimos & venustissimos, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum editionis secundæ tomo octavo.

Dissertatio Historica.

SANCTUS ALCIMUS Ecdicius Avitus, Isicii Senatoris, ac postea Viennensis Archiepiscopi filius, Aviti Imperatoris Romani nepos, Apollinaris Valentinæ Ecclesiæ Episcopi frater, creatus post patrem suum Viennensis Antistes, exeunte quinto & sexto ineunte Christi sæculis floruit, Symmachum Papam adversus Schismaticos egregiè propugnavit, Sigismundum Burgundionum Regem ad Fidem Catholicam convertit, præfuit (*a*) Conciliis Epaonensi anno 517. & Lugdunensi, obiitque plenus meritis die 5. Februarii anni 523. De eo nobilissimo juxta sanctissimo doctissimoque Archiepiscopo plura Gregorius Turonensis libro 2. Historiæ Francorum, cap. 34. Sanctus Isidorus Hispalensis Ep. cap. 13. de Viris Illustribus, Agobardus adversus legem Gundobadi, & aliis locis, Ado Viennensis in Chronico, Honorius Augustodunensis libello 3. de Luminaribus Ecclesiæ, Sigebertus Gemblacensis in cap. 22. ubi minùs rectè dicitur claruisse tempore Zenonis Imp. Jo: Trithemius, qui accuratiùs Zenoni adjungit Anastasium, aliique. Ejus opuscula vel tum primùm edita vel instaurata anno 1543. ex Officina Cramosiana, studio & cura R. P. Jacobi Sirmondi Societatis Jesu prodierunt.

Epistolæ ad diversos, *aliorumque ad ipsum*, num. 87. *Homilia de Rogationibus*, *Octo Homiliarum fragmenta*, ex schedis Thuanæ Bibliothecæ.

Opusculorum, *in quibus B. Pauli Epistolæ citantur*, *fragmenta* ex codice Flori Diaconi Ecclesiæ Lugdunensis, qui servatur in Carthusiæ Majoris Bibliotheca.

Poematum de Mosaica Historia gestis libri 5. adamussim fidemque veterum exemplarium exacti, rejectis subditițiis versibus, quos Gagneus quingentos penè de suis intruserat.

Ad Fuscinam sororem de laude Virginitatis liber unus, qui cum præcedentibus in Genesim carminibus, & seorsim jam à pluribus editus, & in Bibliothecas Veterum Patrum translatus.

Cæterùm reliquis prætermissis (*b*) non gravabor monere errasse non mediocriter Miræum, dum Apollinarem, cui sua Poemata Avitus inscripsit, arbitratus est fuisse fratrem ejus Valentiæ Episcopum cùm Appolinaris ille fuerit Sidonii Apollinaris Arvernorum Episcopi filius, & ipse quoque ejusdem postea urbis Antistes, de quo non pauca Gregorius Turonensis, aliique.

(*a*) De eo itaque videas ἀπαιδευσίαν Gisberti Voetii Heusdani Pseudo-Teologi Ultraectini, qui 1. parte q. de Patribus, tradit inter Patres comparere aliquos qui Doctorum munere numquam functi fuerint, quamvis scriptis suis erudierint, & inter eos numerat Alcimum nostrum Avitum, quem Regni non modò Burgundiæ, sed & totius Galliæ atque adeò Europæ Doctorem meritò appellare possis Provinciæ Viennensis summum Antistitem, Conciliorum Præsidem, &c. Sixtus mendosè asserit floruisse anno 500. sub Zenone Imp. qui obierat jam ab anno 491.

(*b*) Sic recudendum moneo.

Cæterùm reliquis prætermissis non gravabor monere Avitum sua Poemata inscripsisse Apollinari Valentiæ Episcopo fratri suo sanctissimo: licèt eadem quoque legenda miserit ad Apollinarem C. Sollii Sidonii Apollinaris Arvernorum Episcopi filium, & ipsum ejusdem postea urbis Antistitem, de quo non pauca Ruricius lib. 2. Ep. 25. Gregorius Turonensis, aliique. Itaque, ut ego vineta cedam mea: non Miræus, sed erravi ipsemet splendidè, dum memoriæ nimium confisus, consulere locum neglexi.

De Boetio Severino. 520.

BOETIUS SEVERINUS, vir clarissimus, Senator, & Consularis, floruit tempore Theodorici Regis Italiæ: nam ad ipsum Boetium extat epistola Regis Theodorici, quæ est quadragesima quinta libri primi apud Cassiodorum. Scripsit multa *de re Philosophica*, *& Theologica*, ac ut Philosophica omittam, scripsit *librum unum de Trinitate* ad Symmachum socerum suum.

Item *librum de unitate Trinitatis*. Item *librum unum de duabus naturis Christi adversus Eutychetem*. Item *librum unum*, *de fide ad Joannem Diaconum*.

Item *de consolatione Philosophiæ libros quinque* partim carmine, partim prosa, eruditissimos. Occisus est jussu Theodorici Regis anno Dom. quingentesimo vigesimo primo Papiæ.

Dissertatio Historica.

ANICIUS Manlius Severinus Boethius, seu dempto spiritu, ut ex mss. codicibus colligitur, Boetius, Consulatum anno 510. solus gessit sub Theodorico Italiæ Rege, cujus postea jussu cum Symmacho Socero V. C. in carcerem conjectus, Ticini gloriosa morte occubuit die 23. Octobris, anno, non 526. ut Miræus, non 521. ut Bellarminus, sed 524. ut disertè testatur in Chronico Marius Episcopus Aventicensis, ac sepultus est in æde sancti Petri in Cœlo aureo. Symmachi verò soceri ejus mors dilata fuit usque in annum 526. diebus aliquot antequam Theodoricus Gothorum Rex scelerum suorum pœnas daret Kalendis Septembris ejusdem anni. Boethii duo filii, Symmachus & Boetius Consulatum ordinarium paulò ante gesserant anno 522. ut Fasti docent, ipseque testatur non uno in loco eorum pater: de quo multa Ennodius Ticinensis Antistes, & Cassiodorus Senator in Epistolis, S. Isidorus Hispalensis lib. 3. Originum, cap. 2. Procopius in Gothicis, Auctor Miscellæ, Honorius Augusto-

gustodunensis c. 32. libelli 3. de Lumin. Ecclesiæ, ubi falsò narrat Mediolani interfectum fuisse, Anastasius S. R. E. Bibliothecarius in Joanne I. Papa, Ado, Aimoinus, aliique. Latinè vitam ejus scripsit è recentioribus Julius Martianus Rota, non satis feliciter; Gallico verò sermone, eique disertissimo R. P. Nicolaus Caussinus Societatis JESU, ὁμαχαρίτης, in Aula sancta. Opera in unum congesta volumen Basileæ anno 1546. excusa habentur cura Henrici Loritti Glareani, servato hoc ordine.

In Porphyrium à Victorino translatum, dialogi duo. In Porphyrium à se Latinum factum, libri quinque. In Categorias Aristotelis, libri quatuor. Editionis primæ, seu minorum Commentariorum in librum Aristotelis de Interpretatione, libri duo. Editionis secundæ seu majorum Commentariorum, libri sex. Analyticorum priorum Aristotelis, Boetio interprete, libri duo. Analyticorum posteriorum Aristotelis, Boetio interprete, libri duo. Introductio ad catholicos syllogismos. De syllogismo categorico, libri duo. De syllogismo hypothetico, libri duo. De Divisione. De Definitione. Topicorum Aristotelis, Boetio interprete, libri octo. Elenchorum Sophisticorum, eodem interprete, libri duo. In Topica Ciceronis libri sex. De Differentiis Topicis libri quatuor.

De Consolatione Philosophiæ libri quinque, soluta pariter strictaque oratione, quos plurimi Viri iique pereruditi Commentariis illustrarunt, sæpiusque edendos curarunt, Rodulphus Agricola Joannes Murmellius, Joannes Bernartius, ac nuper Renatus Vallinus.

Adversus Eutychen & Nestorium de duabus naturis & una persona Christi, ad Joannem Ecclesiæ Romanæ Diaconum, qui deinde Papa hoc nomine primus, & Martyr sanctissimus.

Quòd Trinitas sit unus Deus, & non tres Dii, ad Symmachum Socerum.

Utrum Pater, & Filius, ac Spiritus sanctus de Divinitate substantialiter prædicentur, ad eumdem Joannem Ecclesiæ Romanæ Diaconum.

An omne quod est, bonum sit. De unitate & uno.

De Disciplina Scholarium. Liber ei falsò adscriptus, cùm tanto post scriptus fuisse dicatur à Dionysio Rikelio Carthusiano, qui anno demum 1471. Vitam finivit.

De Arithmetica libri duo. De Musica libri quinque. De Geometria libri duo.

Nuper quoque jam laudatus Renatus Vallinus cum quinque libris Consolationis Philosophicæ vulgavit Lugduni Batavorum ejusdem Boetii opuscula sacra, adjuncta *Fidei Confessione*, seu brevi Religionis Christianæ complexione, quam Joannes Trithemius videtur librum de Fide appellare. Hanc editioni proximæ cum non levi aliquot sanctorum Patrum & Ecclesiasticorum Tractatorum manipulo paratam habebam, sed gaudeo jam præivisse.

De Cogitoso Monacho. 530.

SUPPLEMENTUM.

COGITOSUS Scotus Monachus & Abbas scripsit *Acta sanctæ Birgittæ Laginensis Scoto-Hibernæ*, quæ sub annum 521. vixit, estque Martyrologio Romano inscripta, ad diem 1. Februarii. Actorum istorum Baronius in notis ad Martyrologium meminit, eaque primus ex ms. Cod. Henricus Canisius tom. 5. Antiquarum lectionum evulgavit. Hujus Birgittæ nonnulli revelationes celebrant, quas esse Birgittæ junioris apud me constat, quasque nullius aut minimi ponderis esse censeo. Multa habet ex Cogitoso in Typographia Hiberniæ Silvester Giraldus Cambrensis, qui anno 1188. floruit. De eodem habet mentionem Possevinus in Apparatu sacro, Miræus in Auctario cap. 127. pag. 205.

De Nonno. 530.

SUPPLEMENTUM.

NONNUS *Panopolita Ægyptius eloquentissimus, Virginem Theologum, hoc, est Joannem Evangelistam versibus heroicis est interpretatus*. Hæc Suidas in Lexico. Vixit ante tempora Imperatoris Justiniani, nam Agathias qui sub Justiniano floruit, lib. 4. de bello Gothico, auctoritate ejus utitur. Sixtus autem Senensis eum inter græcos Poetas Christianos præcipuum numerat, cujus & (inquit) feruntur Dionysiacon lib. 48. heroicè conscripti, sed ii ad rem Ecclesiasticam nihil conferunt. Antonius Possevinus in lib. 17. Bibliothecæ selectæ cap. 12. juxta editionem Venetam & Coloniensem anni 1608. opponens veram hujus Poetæ Theogoniam falsæ Theogoniæ Hesiodi, inseruit ejusdem Nonni Carmina quædam græca græcæ paraphraseos cum versione latina: ut quàm altè Deo aspirante, idem græcus Christianorum Cothurnus potest incedere, habeatur ad manum: incipit autem Ἄχρονος ἦν ἀκίχητος, ἐν ἀῤῥήτῳ λόγος ἀρχῇ hoc est; ut verbum è verbo reddamus: *Sine tempore erat, incomprehensibilis ineffabili verbum principio*. Et quidem ex Aldi Manutii officina Romæ, idest, circa annum 1508. ex Possevino, qui hoc asserit in Apparatu (centum propè modum abhinc annis) prodiit *hæc paraphrasis græca*, cujus postea latinam versionem Joannes Bordatus & Erardus Hedeneck ediderunt: sed quæ demum emendatior utroque idiomate emissa est Lugduni Batavorum anno 1598. in 8. opera Francisci Nansii cum ejusdem notis ad ipsam. *Hæc Paraphrasis Poetica in Evangelium sancti Joannis*, Græcè etiam cum textu Evangelii & Hensii exercitationibus, prodiit Lugduni Batavorum anno 1627. in 8. & græco-latinè Parisiis anno 1578. in 8. & in Bibliotheca veterum Patrum editionis Parisiensis anni 1624. pag. 302. & seqq. Idem Nonnus collegit & explicavit *Historias, quarum meminit sanctus Gregorius Nazianzenus in duobus Steleteuticis* advesus Julianum: cujus collectio & explicatio græcè edita pag. 127. Etonæ 1610. in 4. eademque latinè per Jacobum Billium inter opera sancti Gregorii Nazianzeni Parisiis in fol. 1583. & 1609. Denique *Libri* 48. *Dionysiacorum* sunt editi græcè per Joannem Sambucum cum lectionibus ac conjecturis Gerardi Falkemburgii, & emendationibus Guillelmi Canteri Antuerpiæ 1569. in 4. & græco-latinè per Lubinum cum lectionibus ac conjecturis Gerardi Falkemburgii Hanoviæ 1605. in 8. Itemque græco-latinè cum variis Lectionibus & notis marginalibus per Jacobum Lectium Aureliæ, Allobrogum anno 1606. in 8. De Nonno Possevinus in Apparatu sacro verbo *Nonnus*, & in Bibliotheca Selecta lib. 17. cap. 12. Aubertus Miræus in Auctario cap. 128. pag. mihi 205.

De Montano Episcopo. 530.

SUPPLEMENTUM.

MONTANUS EPISCOPUS Toletanus, virtute Sancti Spiritus & eloquio pollens, scripsit *Epistolas duas, alteram Palentinæ Urbis Incolis De Ecclesiastica Disciplina & contra Priscillianos; alteram ad Turribium Religiosum Monachum*. Præfuit Concilio Toletano II. anno 527. & ultra; de quo S. Hildephonsus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis c. 3. Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miræus in Scho-

Scholiis ad caput 3. Hildephonsi. Extant ejusmodi duæ Montani Epistolæ in Martyrologio Hispanico ad diem 23. Februarii, pag. 225. & in novissima Editione Conciliorum Parisiensi tomo 4. pag. 1736. Claruit usque ad 530. & ultra, de quo sanctus Hildephonsus loco citato, pauca quidem, sed præclara narrat.

De Remigio Archiepiscopo. 530.

SUPPLEMENTUM.

REMIGIUS Remorum Archiepiscopus, Francorum meritò ob Clodovæum ad Christianam Fidem conversum appellatus Apostolus. Hoc contigit anno Regni Clodovæi xv. post victoriam Alamannicam, idest, juxta æram nostram anno Christi desinente 496. In Natali enim Domini, exeunte anno baptizatum fuisse, Alcimus Avitus Viennensis Episcopus testatur, in Epistola ad ipsum Clodovæum data, quam Sirmondus tom. 1. Conciliorum Galliæ publici Juris fecit. Sigebertus Gemblacensis, triennio seriùs, idest, anno 499. Clodovæi Baptismum statuit: sed more suo, (omnia enim triennii ferè spatio posteriùs narrare solet, quàm gesta sunt) ut in Chronico Belgico annotavit Miræus. Cæterùm anno 471. Remensem Sedem Remigius adiit, duos & viginti annos tunc natus; ut præter Hincmarum in Vita sancti Remigii, Flodoardus in Historia Remensi lib. 1. cap. 11. & 18. asserit. Nam in Epistola quam ad tres Episcopos anno 523. scripsit, & quæ extat tom. 2. Conciliorum Galliæ, testatur se jam annis quadraginta-tribus Episcopatum gessisse. Idem porrò ad Superos transivit ante annum 535. siquidem hoc ipso anno Flavius Remorum Episcopus Concilio Arvernensi subscripsit. Falsò itaque Hincmarus & Flodoardus referunt, illum annis septuaginta-quatuor sedisse, & vixisse annis nonaginta-sex. Habemus paucas & breves Sancti Remigii Episcopi Epistolas *ad Hormisdam Papam, ad Clodovæum Regem & alios scriptas*, quæ extant tom. 2. Conciliorum Galliæ, editionis Jacobi Sirmondi in fol. Parisiis anno 1629. Apud Sebastianum Cramoisy via Jacobæa sub Ciconiis. Item in Collectione ultima Conciliorum editionis Parisiensis anni 1671. quam doctissimi viri Philippus Labbeus & Gabriel Cossartius, ambo Soc. Jesu, 17. vol. in fol. procurarunt. Item apud Marquardum Freherum in Corpore Historiæ Franciæ. Sidonius Apollinaris lib. 9. Epistola 7. ad Remigium data, *Declamationes seu Orationes ejus*, à doctrina atque eloquentia mirificè commendat; sed quod dolendum, nullæ ad nos pervenerunt. Nec recens hæc jactura est, cùm Hincmarus & Flodoardus eas penitus ignorasse videantur. Joannes Baptista Villalpandus Soc. Jesu Theologus, Romæ primùm anno 1598. atque etiam postea Moguntiæ anno 1614. edendas curavit Remigii Remensis nomine *Explanationes Epistolarum sancti Pauli*, ex ms. Codice Bibliothecæ sanctæ Cæciliæ in Urbe: quas nasutiores Critici tam heterodoxi quàm Catholici Remigio Lugdunensi vel Antissiodorensi tribuendas censent. Plurima de his Labbeus tom. 2. De Scriptoribus Ecclesiasticis, verbo *Remigius Antissiodorensis* pag. 285. & seqq. ubi demonstrativè probat eas non posse spectare ad Remigium Remensem. Sanè in multis Bibliothecarum mss. Codd. antiquis sexcentorum & ultra annorum, habentur sub nomine Haymonis Halberstatensis Episcopi, sub quo etiam impressæ sunt Parisiis anno 1556. in 8. longè antequam ederentur Romæ sub nomine Remigii. Adde stylum simillimum aliis Haymonis Halberstatensis Episcopi Commentariis, ut guttæ gutta similior non sit, quod Critici etiam rigidissimi agnoscunt. 3. Tempore jam Fulberti Carnotensis Episcopi, vix elapsis centum ab obitu Remigii Antissiodorensis annis, jam Haymonii tribuebantur, ut patet ex pag. 169. editionis Parisiensis à Carolo Villierio anno 1608. procuratæ. 4. Denique modus agendi in ejusmodi Commentariis consarcinatus ex variis auctoribus antiquioribus, spectat ad sæculum 9. quod optimè quadrat in Haymonem Halberstatensem, non in Remigium Antissiodorensem.

Testamentum sancti Remigii Remensis ediderunt Philippus Labbæus Soc. Jesu, ac post eum Carolus le Comte in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, extabatque priùs in Historia Flodoardi lib. 1. cap. 18. sed tot auctum interpolationibus, quæ nec tempora nec genium Remigii sapiunt, ut plerisque suspectum videretur. Hæc Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo 6. cap. 4. art. 3. pag. 132. ubi & sequentia addit. Sincerum illud sancti Remigii Testamentum, quod brevius vocat, describit *Dominus Guillelmus Marlotus Historiæ Metropolis Remensis tom. 1. lib. 2. cap. 11.* ex mss. Codd. Abbatiarum SS. Remigii, Nicasii, & Theoderici propè Remos. Prolixius illud vocat, quod à Flodoardo refertur, vel à recentioribus ejus historiæ assutum est, & pro breviori suppositum. Prolixius illud Pseudepigraphum esse, viri ut plurimùm eruditi asserunt, his adducti rationibus. 1. Quòd Hincmarus qui sancti Remigii vitam ex Ecclesiæ suæ monumentis conscripsit, illud ignoraverit, solumque brevius operi suo subjecerit ut ex mss. evidens est: nec unquam prolixioris Testamenti auctoritate usus sit, cùm se dedit occasio. 2. Quòd in eo, vocabula quædam sint sancti Remigii ætate minimè usitata, imò prorsus incognita, *ut Austria & Neustria* nomina ad illas significandas regiones, quæ his deinde vocabulis sunt appellatæ. Item vox *Archiepiscopi*. 3. Quòd in Regem ordinatus à S. Remigio dicatur Clodovæus per sacri Chrismatis unctionem, cùm tamen unctus non sit ut Rex fieret, (quippè qui tum decimum-quintum Regni annum agebat) sed ut Christianus fieret. Etsi unctus in Regem esset, non fuisset neglectus ab ejus posteris tam sacræ Inaugurationis ritus. Neminem tamen legimus ex Regibus primæ stirpis unctum. 4. Quòd in prolixiori illo Testamento multa suggerat Remigius de increpando Rege ab Ecclesia Remensi, si à Religione deflexerit, aut Ecclesiæ bona pervaserit: De convocandis Galliarum Archiepiscopis, & de Elogio segregationis à corpore Christi, quæ ab horum temporum Disciplina & moribus abhorrent, quibus Metropolitæ æquales inter se, nec ulli jus erat alios convocandi, nisi Sedis Apostolicæ Vicarius & Primas illorum esset constitutus. Quod licèt sancto Remigio collatum sit ab Apostolica Sede privilegium, non tamen ad ejus successores transmissum est, ut inferiùs probabimus. Prolixius tamen Testamentum à Flodoardo descriptum, vel ipsius historiæ, ut probabilius est assutum, laudatus supra *Marlotus* tueri satagit, & hisce gravissimis rationibus utcumque respondet. Legant quibus per otium licet, deque ejus sententia judicium ferant. Hæc ille verbo tenus, at utrumque brevius & prolixius mihi suspectum, utrumque apud doctissimos viros supposititium.

De Dionysio Exiguo. 525.

DIONYSIUS EXIGUUS natione Scytha, sed moribus Romanus, quemadmodum cognomento Exiguus, sed doctrina & sanctitate maximus, vixit

vixit tempore Theodorici Regis Italiæ, & successorum ejus: nam anno 527. scripsit *cyclum Paschalem*, & omissa profana numeratione annorum ab Imperio Diocletiani impii Persecutoris, numerare cœpit ab Incarnatione Domini Jesu Christi. Scripsit præterea *collectionem sacrorum canonum ex Conciliis Ecclesiæ Catholicæ*: quem postea imitati sunt Martinus Bracarensis, & Cresconius.

Dissertatio Historica.

DIONYSIUS, cognomento exiguus, natione Scytha, professione Monachus & Abbas Romani Monasterii, gemina Scientia Græcè & Latinè clarus, inquit Sigebertus Gemblacensis cap. 27. de Viris Illustribus, floruit initio sextæ æræ Christianæ sæculi, usque ad annum circiter 540. Ejus meminit, qui eodem vivebat tempore, Cassiodorus Senator, cap. 23. Divinæ institutionis, ut Bedam, ac recentiores Computi artifices, Chronologiæ Scriptores, Canonumque Collectores omittam. Extant ex omnibus ejus operibus, quod hactenus investigare potuerim.

Collectio Canonum Ecclesiasticorum, ad Stephanum Episcopum Salonitanum, à V. C. Christophoro Justello edita Parisiis in 8. anno 1628. cum *Epistola Synodica S. Cyrilli, & Concilii Alexandrini contra Nestorium*, ab eodem Dionysio in Latinum sermonem translata.

Epistola S. Proterii Alexandrini Episcopi ad Beatissimum Papam Leonem Romanæ Urbis Episcopum de Ratione Paschali, sive, ut loquitur Sigebertus mox citatus, de celebrando Pascha anno Domini 455. Latinè ab eodem Dionysio conversa, edita est in Appendice Operis de Doctrina Temporum R. P. Dionysii Petavii Soc. JESU, una cum duabus ejusdem Exigui Epistolis Paschalibus.

I. *Ad Petronium Episcopum*, ubi agit de Cyclo Paschali, quem sub Consulatu Philoxeni & Probi junioris scripsisse dicitur.

II. *Ad venerandos Bonifacium Primicerium Notariorum, & Bonum Secundicerium*, de ratione Paschæ, quam constat fuisse scriptam anno Domini 526. Indictione 4. labente, & Lunæ cyclo 14.

Eodem quoque auctore è Græco reddita dicitur *Vita S. Pachomii Abbatis*, necnon oratio S. Procli ex Cyziceno Episcopo P. Const. *de Laudibus sacrosanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ adversus Nestorii blasphemias*.

Extat quoque Gregorii Nysseni de creatione, sive opificio hominis liber in duas distinctus Homilias, ab eo Latinè redditus, excusus Coloniæ 1537. ac deinde alibi. (*a*)

(*a*) Procli Archiepiscopi Const. Epistolam ad Armenos de Fide Catholica vertit dicavitque Feliciano & Pastori, ut præmissa Præfatio sive ad eos Epistola docet, editusque est primùm Tractatus ille Procli G. & L. Basileæ anno 1528. in Antidoto adversus hæreses, ac deinde sæpè sæpius, ut in Proclo monuimus.

Supplementum.

DIONYSIUS cognomento Exiguus, natione Scytha, profectione Monachus, & Abbas Romani Monasterii, gemina scientia græcè & latinè clarus, inquit Sigebertus Gemblacensis cap. 27. De Scriptoribus Ecclesiasticis, floruit initio sexti æræ Christianæ sæculi, usque ad annum circiter 540. Ejus meminit qui eodem vivebat tempore, Cassiodorus Senator cap. 23. divinarum Institutionum, ut Bedam ac recentiores computi artifices, Chronologiæ Scriptores, Canonumque Collectores omittam. Hic autem multa latinè scripsit, vel è Græco in Latinum transtulit, quorum quæ hucusque viderim, hæc sunt. *Collectio Canonum Ecclesiasticorum ad Stephanum Episcopum Salonitanum*, edita tom. 2. pag. 101. Novæ Bibliothecæ Juris Canonici veteris, Parisiis in fol. anno 1661. apud Ludovicum Billaine, cura & studio Guillelmi Vvoeli, Theologi ac Socii Sorbonici, & Henrici Justelli, *cum Epistola sancti Cyrilli & Concilii Alexandrini contra Nestorium*. Ibid. pag. 175. ab eodem Dionysio in Latinum sermonem translata *Collectio Decretorum Romanorum Pontificum ad Julianum Presbyterum Sanctæ Anastasiæ, à Syricio ad Anastasium*, qui sedebat anno 498. Ibidem pag. 183. cui ab Anonymo additum Supplementum, *A Papa Hilario ad Gregorium juniorem*, quod extat ibidem pag. 249. impressum. Transtulit è Græco in Latinum *Librum S. Gregorii Nysseni de Opificio hominis*, quem dicavit Eugippio Presbytero, quæ versio typis vulgata est Coloniæ anno 1573. primùm Basileæ anno 1562. sed utrobique absque Epistola Translatoris Eugippio Presbytero inscripta, imò etiam absque versione Præfationis Gregorii Nysseni, quas exhibet Joannes Mabillon tom. 3. Analectorum, pag. 1. & seqq. ex manuscripto Codice Abbatiæ Corbejensis. Item *vitam S. Pachomii Abbatis*, quam vide in Vitis Patrum illustratis ab Heriberto Rosvveido S. J. & Antuerpiæ in fol. annis 1615. & 1628. impressis. Item *Orationem S. Procli ex Cyziceno Episcopo Patriarcha Constantinopolitani de Laudibus sacrosanctæ Dei genitricis Mariæ adversùs Nestorii blasphemias; cum Epistola ejusdem de Fide ad Armenos*, & altera *ad Domnum pro causa Athanasii Perrhenorum Episcopi*, quas habet Vincentius Richardus in Collectione Operum sancti Procli, impressa in 4. Romæ anno 1630. Habet eamdem Epistolam sancti Procli ad Armenos ab eodem Dionysio translatam, & Fœliciano Pastori dicatam Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Parisiensis anni 1575. tom. 1. pag. 406. & sequentibus. Item transtulit *Epistolam sancti Proterii Alexandrini Episcopi ad Beatissimum Leonem Papam Romanæ Urbis Episcopum De ratione Paschali*, editam in Appendice Operis De doctrina temporum Dionysii Petavii, una cum duabus ejusdem Dionysii Exigui Epistolis Paschalibus. 1. *Ad Petronium Episcopum*, ubi agit de Cyclo Paschali, quam sub Consulatu Philoxeni & Probi Junioris scripsisse dicitur. 2. *Ad venerandos Bonifacium primicerium & Bonum secundicerium De ratione Paschæ*, quam constat fuisse scriptam anno Domini 526. indictione quarta labente, & Lunæ Cyclo 14. Item transtulit *Historiam inventionis Capitis sancti Joannis Baptistæ conscriptam à Marcello Abbate*, cujus translationem dicavit Abbati Gaudentio. Hanc ad calcem Tractatus historici de Capite sancti Joannis Baptistæ pag. 205. subjecit Carolus du Fresne du Cange, Consiliarius & Regius apud Ambianos Quæstor. Opus hoc prostat in 4. apud Sebastianum Cramoisy Parisiis anno 1665. via Jacobæa, sub Ciconiis. Hæc sufficiant de Dionysii Scriptis.

De Victore Episcopo Africano. 530.

VICTOR EPISCOPUS scripsit *de ratione fidei Catholicæ ad Humericum Regem Vandalorum* circa annum Domini 530. extat ejus liber in Bibliotheca Sanctorum Patrum tom. 4. editionis secundæ.

Dissertatio Historica.

VICTORIS AFRICANI Episcopi *liber de ratione fidei Catholicæ* ad Hunnericum Vandalorum Regem, qui rationem suæ fidei ab eo postulaverat, extat in Bibliothecis Veterum Patrum. Errant

Errant Bellarminus, ejusque simiolus Gherardus Patrologus Jenensis, qui Auctorem hujus libri ad annum 530. deprimunt, & Hunnericum eo tempore pro Hilderico regnantem supponunt. Ego illius opusculi parentem non alium esse arbitror à Victore Uticensi sive Vitensi Episcopo, de quo supra sæculo quinto. Hujus verò tempore, vel paulò ante, vixit Victor Cartennæ in Mauritania civitatis Episcopus, qui, ut Gennadius capite 77. narrat, scripsit adversus Arianos librum unum longum, quem Genserico Vandalorum Regi per suos audiendum obtulit, de pœnitentia Publicani Homilias, &c. Fuit etiam sæculo proximo Victor Martyritanus in eadem Africa Episcopus, de quo ex Cassiodoro capit. 19. Divinarum Lectionum & Adonis Chronico dicemus in altera Parte hujusce Dissertationis Historicæ, in qua omissos à Bellarmino scriptores Ecclesiasticos, Deo duce & auspice, sectabimur; quemadmodum & de Victore Antiocheno, &c.

De Victore Cartennæ Ep. 460.

SUPPLEMENTUM.

VICTOR CARTENNÆ in Africa Episcopus, de quo sic Gennadius cap. 77. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*: „Victor Cartenæ Mauritaniæ civitatis „Episcopus, scripsit adversus Arianos librum unum „& longum, quem Geiserico Regi Vandalorum „per suos audiendum obtulit sicut ex proœmio „Libri ipsius didici. Scripsit & de pœnitentia pu- „blica librum, in quo & regulam vivendi pœni- „tentibus juxta Scripturarum auctoritatem statuit. „Et ad Basilium quemdam super mortem filii con- „solatorium libellum, spe resurrectionis perfecta in- „structione munitum. Homilias etiam composuit „multas, quas à fratribus propriæ salutis sollicitis, „in libris digestas servari cognovi. Habetur liber *De pœnitentia* tom. 2. ad calcem operum D. Ambrosii, in multis editionibus. Item liber *De consolatione in adversis ad Basilium*, inter opera Sancti Basilii Magni tom. 3. pag. 613. ultimæ editionis Parisiensis anni 1638. quod nullus adnotavit. Sanè istud opus editum primò Parisiis circa annum 1520. apud Claudium Chevallon in 12. cum operibus *Sancti Eucherii Lugdunensis Episcopi*, ex mſ. Codice antiquo, ut narrat editor nulla facta mentione ullius interpretis: unde liquet esse Auctoris latini, non græci; ad Basilium Victoris Africani, non Basilii Græci & Cappadocis ad aliquem alium. Claruit an. 460. de quo Bellarminus & Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Possevinus *in Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus in Scholiis ad Gennadium.

De Aurelio Cassiodoro. 530.

AURELIUS CASSIODORUS Senator & Regi Theodorico ab epistolis fuit. Scripsit eo tempore *libros duodecim epistolarum variarum, & Chronicum breve* ab initio Mundi usque ad tempora Theodorici Regis Italiæ, quæ simul excusa extant. Scripsit etiam *libros duodecim de rebus gestis Gothorum*, cujus operis compendium fecit Jordanus Episcopus Ravennæ, quod compendium cum libris epistolarum excusum invenitur. Deinde mundo valedicens, & monachus effectus se rebus divinis addixit, & tum scripsit:

De Institutionibus divinarum lectionum libros duos. In omnes Psalmos, & in Cantica canticorum Commentaria. Historiam tripartitam ex libris Socratis, Theodoreti, & Sozomeni, per Epiphanium Scholasticum in latinam linguam conversis, confecit.

Bellarm. de Script. Eccl. Tom. VII.

A Atque hæc omnia extant. Dicitur præterea à Trithemio Cassiodorus scripsisse *in Acta Apostolorum, in epistolas canonicas, & in Apocalypsim Commentaria*: præterea *summam divinæ Scripturæ, quam memoriale Scripturarum* appellavit, quæ an extent ignoro.

DISSERTATIO HISTORICA.

MAGNUS Aurelius Cassiodorus Senator, Consulatum anno Christi 514. solus gessit, & Theodorico Ostrogothorum Regi, ejusque ex filia nepoti Athalarico charissimus fuit, à secretis eorum atque epistolis, ex quibus conflati sunt Variarum libri 12. Vivebat adhuc anno 582. nonagenario major, obiitque circa hoc tempus in suo Vivariensi,
B sive Castellensi propè Syllitanam urbem in Calabria Monasterio, quod extruxerat, ac referta optimis libris Bibliotheca ditaverat, quamvis & dies mortis ejus & annus ignorentur. (*a*) Operum ejus Parisiis anno 1588. editorum hic est catalogus.

Variarum libri 12. & ad singulas Epistolas argumenta Antonii Vaccæ J. C.

De Anima liber unus.

Institutionis ad Divinas Lectiones libri duo. Quod opus post editum Vigilii Papæ constitutum, atque adeò celebratam ipsam quintam Generalem Synodum anno 553. adversus tria Capitula Conscriptum videtur.

C *De Schematibus & Tropis Sacræ Scripturæ.* Est Bedæ.

De Orthographia ex veteribus Grammaticis excerpta, cùm attigisset annum ætatis 93. ut in Præfatione apertè declarat.

De septem Disciplinis.

De Amicitia vera liber unus, qui ab eleganti Nivelliana anni 1579. editione aberat, nec immeritò: cùm liber hic sit Petro Blesensi, tamquam legitimo parenti tribuendus, & extet integer in editione operum ejus Parisiis anno 1519. ac præfatione mutilus in editione Moguntina anni 1602. studio R. P. Joannis Busæti procurata: perfectus autem, atque omni ex parte completus in Paralipomenis anno 1605. in eadem urbe in 8. publicatis, &
D in Bibliotheca Coloniensi Veterum Patrum.

Computus Paschalis, scriptus anno 562. qui à quibusdam revocatur in dubium.

Chronicon ad Theodoricum Regem, desinens in annum 519. quod primus in lucem emisit Jo: Cocleus, & Thomæ Moro inscripsit.

Accesserunt *Theodorici Regis Italiæ Edictum*, *Ennodii Ticinensis Panegyricus eidem Theodorico Regi dictus*, *Jornandis Episcopi Ravennatis de Origine actibusque Getarum liber*, quo duodecim Cassiodori nostri de eadem Historia libros complexus est. Variæ dein lectiones, ac Guillelmi Fornerii Antecessoris Aurelianensis notæ in libros Epistolarum, &c. Extra hanc Collectionem typis præterea commissi sunt, & Basileæ
E anno 1491. excusi. (*b*)

Commentarii in Psalmos Davidis CL. per tria membra, hoc est, Psalmos quinquagenos divisi, Basileæ in folio anno 1491. excusi.

At Commentarios in Cantica Canticorum à Friburgensibus Brisgoiis editos anno 1538. non esse Cassiodori arguit citatus ibidem sanctus Gregorius Papa ad illa verba: Media charitate constravit propter filias Jerusalem: *Quid nos faciemus*, dicit B. Gregorius, *qui nullius meriti sumus?* Joannes tamen Trithemius inter opera ejus recenset, non tamen Sigebertus, aut antiquiores alii.

Tripartita Historia, quam ex Græcis auctoribus, Socrate, Sozomeno, ac Theodoreto per amicum suum Epiphanium Scholasticum Latinè redditis concinnavit. Ejus meminit c. 17. libri Divinæ Institutionis.

Sunt quoque qui eidem tribuant *Sanctorum Paphnutii, Spiridionis, & aliorum vitas*, quæ libro primo collectionis Aloysii Lipomani Veronensis occurrunt.

Sigebertus Gemblacensis cap. 40. libri de Illustribus Scriptoribus, quosdam alios recenset libros, qui desiderantur: sed in quibusdam errasse videtur. 1. enim nomen ejus, quod erat Senator, ignorasse videtur, cùm eum Consulem & Senatorem postea Monachum & Abbatem fuisse dicat. 2. quòd Epiphanium Scholasticum, qui tres Theodoreti, Socratis, & Sozomeni Historias in unam Tripartitam redegit Historiam, asserat è Græco in Latinum transtulisse, cùm è contra, vel ipsomet teste Cassiodoro, loco mox indicato, certum sit ejus postulatu Epiphanium illum Ecclesiasticam Historiam à tribus illis fontibus haustam ex Græco Latinam fecisse. Brevius ista quidem perstrinxit Honorius Augustodunensis cap. 21. libelli tertii, sed iisdem penè ulceribus deformatus, dum ait, Cassiodorum ex Senatoribus Ravennæ Præfectum, arte Philosophum, professione Monachum, transtulisse de Græco Tripartitam Historiam. De eodem consulendi Jornandes in præfatione de rebus Geticis, S. Gregorius epist. 31. & 33. libri 7. Paulus Diaconus lib. 1. cap. 25. de Gestis Longobardorum, Aimoinus lib. 2. Hist. Franc. cap. 9. atque ex recentioribus Sirmondus in notis ad Epistolam 1. libri tertii Ennodii Ticinensis, Vossius de Historicis Latinis, & qui Sirmondianas Observationes sublegere solet Miræus.

(*a*) Sixtus tamen Senensis (qui cum in aliis peccat, tum in eo quòd ex Trithemii, ut arbitror, fide Abbatem Monasterii Ravennatis factum fuisse asserat) floruisse sub Justinis seniore ac juniore tradit, mortuumque esse anno 97. ætatis suæ anno Domini 576.

(*b*) De quibus consule judicium Sixti Senensis pag. 212. In Prologo ait se repulsis sollicitudinibus dignitatum & curis sæcularium noxio sapore conditis religiosam vitam professum fuisse. Capite autem 29. Institutionis Divinarum Lectionum vocat Monasterium suum Vivariense ad piscosi amnis Pellenæ fluenta propè mare & montis Castelli secreta suavia, sic enim corrigendum arbitror, quod in editione Parisiensi anni 1588. apud Marcum Orry pag. 245. B, legitur, habetis montes castelli Secreta suavia, ut velut anachoritæ præstante Domino feliciter esse possitis. Tum cap. 32. Abbates duos sanctissimos viros Calchedonium & Gerontium deprecatur, ut sic cuncta deponant, quatenus gregem sibi creditum præstante Domino ad Beatitudinis dona perducere debeant.

SUPPLEMENTUM.

CASSIODORUS Consul & Senator, postea Monachus & Abbas, quem multis laudibus ornant, quotquot scripserunt de Scriptoribus Ecclesiasticis: ut Bellarminus & Labbeus, Possevinus *in Apparatu sacro*, Aubertus Miræus *in Scholio* ad caput 21. libelli tertii Honorii Augustodunensis *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Sigebertus cap. 40. *de viris Illustribus*. His addam *omnia Aurelii Cassiodori opera* insigni studio, 2. in folio tomis impressa esse Rothomagi anno 1679. impensis Antonii Dezallier Bibliopolæ Parisiensis, & collata ea fuisse cum mss. Codd. curis Domni Joannis Garetii Monachi Benedictini Congregationis sancti Mauri, præmissa dicti Cassiodori vita, cum dissertatione *De ejus Monachismo*, variisque Scriptorum de eo testimoniis. Gessit Consulatum solus anno 514. ac Theodorico ejusque successoribus Gothorum Regibus charissimus, tum relictis negotiis publicis uni Deo vacans, post annum 582. in Vivariensi Monasterio, Nonagenario major obiit, de quo plenè dixit Joannes Garetius in ejus vita.

De Leontio Byzantino. 540.

LEONTIUS BYZANTINUS Monachus paulò ante quintam Synodum floruisse videtur. Scripsit *libros tres contra Nestorianos, & Eutychianos: necnon contra fraudes Apollinaristarum, & contra Severum*, quæ omnia extant apud Henricum Canisium tomo quarto antiquæ lectionis. Extat etiam *liber de sectis* in Bibliotheca sanctorum Patrum.

DISSERTATIO HISTORICA.

LEONTIUS Byzantinus, ex Advocato, vel ut quidam alii scribunt, ex Ecclesiæ Const. Presbytero, Monachus in Laura sancti Sabbæ propè Hierosolymam non scripsit ante Quintam Synodum Oecumenicam, ut Bellarminus, neq. Justiniani Magni Imp. tempore floruit, ut Baronius contendunt, sed ad extrema Justini Junioris & Tiberii tempora, ac fortè etiam Mauricii Imperium pervenit. Nam in Actione quinta de Sectis inter Alexandrinos Antistites extremum numerat Eulogium, qui sedit ab anno 581. ad annum 606. aut 608. atque sub Phoca obiit, cujusque nonnulla excerpta sive Eclogas subministrat Photii Bibliotheca. Errant qui eumdem esse putant cum Leontio Byzaceno cujus meminit Cyrillus in vita S. Sabbæ Abbatis cap. 95. & in Vita sancti Quiriaci Anachoretæ, quique asseritur Origenistarum erroribus imbutus, & Theodori Mopsuesteni sectator: noster è contra Leontius Origenem & Origenistas refellit, invehiturque in Theodorum Mopsuestiæ, Diodorum Tarsi, & Nestorium Const. Antistites.

Excerpta, ex ore Theodori Abbatis religiosissimi & doctissimi Philosophi Divinis pariter externisque litteris eruditi *de sectis Hæreticorum ac Synodo Chalcedonensi*, distincta in Actiones decem extant G. & L. interprete Jo: Leunclavio, tum seorsim cum Legatione Manuelis Comneni ad Armenos in 8. Basileæ 1578. tum in Auctario Bibliothecæ Veterum Patrum an. 1624. & Tomo 11. Morellianæ pag. 493.

Ejusdem, ut creditur, Leontii *libri tres adversus Eutychianos & Nestorianos*: Item *adversus fraudes Apollinaristarum, libri duo*: *solutiones argumentorum Severi*: *Dubitationes Hypotheticæ & definitiones contra eos qui negant in Christo duas naturas*, Latinè tantùm à R. P. Francisco Turriano Soc. Jesu Theologo reddita habentur Tomo IV. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii, & in Bibliothecis Veterum Patrum.

Idem porrò mihi videtur cum Byzantio Leontius Constantinopolitanus, qui scripsit Librum de duplici natura in Christo contra hæresim Monophysitarum: & Disputationem contra Philosophum Arianum, quæ ms. dicitur servari in Bibl. Imp. Viennæ Austriæ: esto in duos tresve etiam secuerit Possevinus delusus hic, ut sæpè aliàs à Gesnero, ejusque Epitomatoribus.

SUPPLEMENTUM.

LEONTIUS BIZANTINUS, ex Advocato, vel (ut quidam alii scribunt) ex Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbytero, Monachus in Laura sancti Sabbæ propè Hierosolymam, non scripsit ante quintam Synodum Oecumenicam, ut Bellarminus censuit, neque Justiniani Magni Imperatoris tempore floruit, ut Baronius contendit, sed ad extrema Justini Junioris & Tiberii tempora; ac fortè etiam ad usque Mauritii Imperium pervenit. Nam in

Actione

Actione quinta de sectis inter Alexandrinos Antistites extremum numerat Eulogium, qui sedit ab anno 581. ad annum 604. atque sub Phoca obiit, & cujus nonnulla excerpta sive Eclogas submninistrat Bibliotheca Photii. Errant qui eumdem esse putant cum Leontio Byzaceno, cujus meminit Cyrillus in Vita Sabbæ Abbatis cap. 95. & in Vita sancti Quiriaci Anachoretæ, quique asseritur imbutus Origenistarum erroribus, & Theodori Mopsuesteni Sectator. Noster enim Leontius è contra Origenem & Origenistas refellit, invehiturque in Theodorum Mopsuestiæ, Diodorum Tarsi, & Nestorium Constantinopolis Antistites. Hujus sunt *Excerpta ex ore Theodori Abbatis religiosissimi & doctissimi Philosophi, divinis pariter externisque litteris eruditi, de sectis Hæreticorum ac Synodo Chalcedonensi*: distincta in Actiones decem, quæ extant græcè & latinè, interprete Joanne Leunclavio, tum seorsim in 8. Basileæ 1578. cum Legatione Manuelis Comneni ad Armenos, tum in *Auctario Bibliothecæ Veterum Patrum* an. 1624. & tom. 11. Morellianæ pag. 493.

Ejusdem, ut creditur, Leontii *Libri tres adversus Eutychianos & Nestorianos*: Item *Libri duo adversus fraudes Apollinaristarum*, *Solutiones Argumentorum Severi*, *Dubitationes hypotheticæ*, & *Definitiones contra eos qui negant in Christo duas naturas*. Latinè tantùm à Francisco Turriano Soc. J. su Theologo redditæ habentur tom. 4. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii, & in Bibliothecis Veterum Patrum: sed græcè mss. sunt Romæ inter Libros, quos idem Turrianus dedit Societati, quando ipsam ingressus est.

Idem porrò mihi videtur cum Byzantino Leontius Constantinopolitanus, qui scripsit librum *De duplici natura in Christo contra Hæresim Monophysitarum, & disputationem contra Philosophum Arianum*: quæ mss. dicuntur asservari in Bibliotheca Imperiali Viennæ Austriæ. Esto in duos aut tres etiam Leontios hunc distinxerit Possevinus, delusus hic (ut sæpius aliàs) à Gesnero, ejusque Epitomatoribus non sufficienter accuratis.

De sancto Victore Capuano. 540.

SANCTUS VICTOR Capuanus Episcopus vir sanctus & doctus, tempore Justiniani Imperatoris circa annum Domini 545. scripsit *de cyclo Paschali*, teste Beda de sex ætatibus, & de ratione temporum cap. 48. Scripsit etiam *præfationem in Armoniam Tatiani*, qua ex quatuor Evangeliis unum facit. Sed rectè Cardin. Baronius monet, tomo secundo Annalium ad annum Christi 174. à Victore Capuano erratum esse in nomine: Ammonii enim, non Tatiani ea Armonia est. Vide Bibliothecam sanctorum Patrum tom. 4. edit. 2.

Dissertatio Historica.

VICTOR Capuæ Episcopus circa annum 545. scripsit de Cyclo Paschali adversus Victorinum Aquitanum, ut præter Bedam à Bellarmino citatum docent Ado Viennensis Antistes & Marianus Scotus Fuldensis inclusus in Chronicis, Sigebertus cap. 20. de scriptoribus Ecclesiasticis, & Joannes Trithemius, aliique recentiores. Notandum verò in mss. editisque Sigeberti codicibus Honorium in locum Hilaris mendosè irrepsisse quod jam alii observarunt: quòdque alibi nos observavimus, Victorium non jubente Hilario Papa scripsisse Paschales Cyclos, cùm anno 457. viveret adhuc S. Leo Magnus, cujus erat tum Hilarius Archidiaconus; ac post aliquot tantùm annos successor. Obitus ejus in Martyrologio Romano confertur in diem 17. Octobris. De anno altum apud omnes silentium.

Præfatio Victoris in Harmoniam quatuor Evangelistarum, extat in Bibliothecis Veterum Patrum, de qua hæc loco citato Sigebertus: Evangelium ex quatuor Evangeliis compactum eleganter composuit, quod vocatur Diapente, quodque sine nomine auctoris invenit: quod, quia sine numeris Canonum confusum esse vidit, dilucidavit, appositis Canonum numeris per quos Eusebius Cæsariensis distinxit quatuor Evangelia, ita sine confusione erroris similia omnium ostendens & singulis sua propria restituens. Plura in eamdem rem diximus supra in Ammonio & Tatiano.

De sancto Justo Orgelitano.

SANCTUS JUSTUS Orgelitanus Episcopus vixit tempore Justiniani Imperatoris, scripsit *in Cantica canticorum*. Extat hoc opus in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 1. edit. secundæ. Vide de hoc auctore Isidorum de Script. Eccles. cap. 14. & de viris illustribus cap. 34.

Dissertatio Historica.

JUSTUS, Urgellensis in Catalonia, sive Orgelitanus Episcopus frater Justiniani Ecclesiæ Valentinæ Episcopi, qui Theuda Wesigothis in Hispania imperante floruit, necnon Nebridii & Elpidii similiter Episcoporum, vixit sæculo Christi sexto, obiitque 28. Maji circa annum 540. tempore Justiniani Imperatoris, ac Vigilii Papæ, cùm jam ab anno 527. Concilio Toletano 2. interfuisset. De eo S. Isidorus capp. 20. & 21. De Scriptoribus Ecclesiasticis, & Montanus Ep. Toletanus in epistola ad Turribium, seu Theoribium Presbyterum & Monachum. Martyrologium quoque Romanum ejus meminit dicta die 28. Maji. Extat in Bibliothecis Veterum Patrum, hortatu Justi Diaconi scriptus & Sergio Antistiti dicatus, qui & Syrgas dicitur. (Neque tamen velim temerè credas Sixto Senensi qui claruisse asserit sub Sergio Papa, cui etiam præsens opus suum dedicarit, nullus enim an. 540. Sergius saltem Romanus Papa.)

Commentariolus, sive Mystica Expositio in Canticum Canticorum Salomonis, quod opusculum breve quidem sed eruditum, elegans, ac pium, à Menrado Molhero restitutum & in lucem productum est Haganoæ anno 1529. Deinde Basileæ anno 1551. inter Orthodoxographa cum pluribus aliis Theologorum Veterum opusculis. Postremò in Bibliothecis Veterum Patrum, atque in ultima Parisiensi Morelliana. De Justo Tiberiensi Historico sive Chronographo ex ejus hoste Josepho sub finem libri vigesimi Antiquitatum Judaicarum, S. Hieronymo cap. 14. Catalogi, Stephano sive ejus breviatore verbo Tiberias, Photio codice 33. Myriobybli, Suida in Lexico, aliique, dicemus plura Deo dante aliàs.

De S. Benedicto. 540.

Supplementum.

SANCTUS BENEDICTUS natione Italus, patria Nursinus, Monachorum in Occidente Antesignanus ac Princeps, Cœnobii Cassinensis Conditor, ibidem anno salutis 543. die 21. Martii, Sabbatho Dominicæ Passionis, non Paschatis, obdormivit in Domino. Cujus res gestas sanctus Gregorius Magnus fusè prosequitur lib. 2. Dialogorum, quem Gregorii Librum Ingolstadienses Græco-Latinum annis

nis superioribus ex Versione Zachariæ Papæ publicarunt. Scripsit *Regulam S. Benedictus, sermone luculentam, discretione præcipuam*, inquit Gregorius I. Papa in Dialogis, quam habes in Collectione Regularum & Constitutionum Asceticarum, procurata Antuerpiæ anno 1638. typis Plantinianis ab Auberto Miræo, de qua etiam in Bibliotheca sua Ecclesiastica ad cap. 30. libri 3. Honorii Augustodunensis de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 126. Habet eamdem Lucas Holstenius in sua etiam Collectione Regularum, edita in 4. Parisiis apud Ludovicum Billaine. De cujus variis impressionibus, & in eam Commentariis, quos tam Antiqui quàm Moderni Scriptores adornarunt, non est hic proprius loquendi locus.

De S. Gordiano. 540.

Supplementum.

Gordianus quidam scripsisse dicitur jussu Imperatoris Justiniani, Vitam & Passionem S. Placidi, Discipuli S. Benedicti Abbatis Cassinensis, ejusque *fratrum Victorini, Eutichii, & aliorum*, Messanæ in Sicilia à Manucha Pirata anno 539. occisorum, quæ apud Surium ad diem 5. Octobris extat, & correctior in Vitis Sanctorum Ordinis Divi Benedicti sæculo 1. Sed Baronius in Notis ad Martyrologium, Operis hujus ita meminit, ut inscriptionem ejus videatur habere suspectam; sic enim inquit: *Acta à Gordiano conscripta, ut ferunt, jussu Imperatoris Justiniani.* Hæc Aubertus Miræus in Auctario, capite 141. pag. 207.

De Anastasio Sinaita. 544.

Anastasius Sinaita Episcopus Antiochenus, vixit tempore Justiniani Imp. ut scribit Evagrius lib. 4. hist. c. 39. scripsit multa, sed solum extat ὁδηγός, idest, dux viæ contra Acephalos, impressus Ingolstadii anno 1606. & præterea extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 1. edit. 2. *Anagogicarum contemplationum in Hexaemeron libri undecim: & de fidei dogmatibus libri quinque.*

Dissertatio Historica.

Anastasii duo fuere præ cæteris Antiocheni, seu Theopolitani Patriarchæ, iique pietatis ac doctrinæ laude celeberrimi.

Primus Sinaita vulgò dictus, quòd in Monte Sinai vitam excoluisset Monasticam, sedem Antiochenam obtinuit ab anno 561. sub extrema Justiniani Imperatoris tempora, sed à Justino Juniore anno 572. in exilium actus, locum cessit Gregorio, cujus post mortem imperante Mauricio dignitatem pristinam anno 595. recuperavit, & aliquot annis moderatus est usque ad annum 599. quo die 21. Aprilis vivere desiit. De eo plura Evagrius Scholasticus libro 4. Historiæ, capp. 38. 39. 40. &c. & Cardin. Baronius tum in Notis ad Romanum Martyrologium tum in Annalibus, aliique, ex quibus Sigebertus cap. 42. de Viris Illustribus testatur ab eo S. Gregorii Papæ Pastoralem librum in Græcam linguam fuisse translatum: quod vel ex ipso S. Gregorio lib. 10. Epistola 22. discere possumus.

Alter Anastasius, Martyr nuncupatus, Sinaitæ successit ab anno circiter 599. Antiochenus Patriarcha, qui à Judæis excarnificatus dicitur die 21. Decembris, ut habet Martyrologium Romanum, anno ut passim docent Christianæ æræ 608. imperii Phocæ septimo, vel ex paucorum sententia, anno se-
A quenti Phocæ octavo jam inchoato. Errant enim haud mediocriter, qui in annum 610. differunt, quo tempore jam cæsus fuerat Phocas ab Heraclio, ut in Chronico ostendimus.

Antiquiori Anastasio Sinaitæ dicto tribuuntur multa opuscula, quorum nonnulla exhibentur in Bibliothecis SS. Patrum, earumque Auctariis, & nos pro more de singulis dicturi sumus.

I. Orationes quinque dogmaticæ. 1. *de sancta Trinitate.* 2. *de Incircumscripto.* 3. *de divina Incarnatione.* 4. *de passione & impassibilitate Christi.* 5. *de ejusdem resurrectione*, Godefrido Titelmanno Parisiensis Carthusiæ alumno interprete.

Easdem Latinitate donatas à R. P. Francisco Tur-
B riano Soc. Jesu Theologo, cum variis veterum opusculis publicavit Ingolstadii anno 1616. Petrus Stevartius, eamque versionem abjecta priore, quæ in Parisiensibus apparet, Colonienses suæ Veterum Patrum Bibliothecæ inseruerunt. Cæterùm, τοῦ δογματικοῦ τόμου, meminit ipsemet Anastasius sub finem Prologi τοῦ ὁδηγοῦ & cap. 8. vocat τὸν τόμον ἀπολογητικὸν πρὸς τὸν λαὸν in quo dicit tractasse se de natura & persona.

II. *Anagogicarum contemplationum in Hexaemeron libri undecim*, qui à Michaele Glyca aliisque citantur. Vertit Latinè ignotus mihi hactenus Auctor, cujus nomen frustrà in Parisiensibus & Coloniensi Bibliothecis requires.

C III. *Dux viæ*, Græcè ὁδηγός, *adversus Acephalos*, Græcè & Latinè editus à R. P. Jacobo Gretsero Soc. Jesu Theologo. Hic verò Commentarius eo fine elucubratus est, ne orthodoxi inciderent in laqueos & retia hæreticorum, eorum præsertim, qui Severum sectabantur.

IV. *Quæstiones & Responsiones de variis argumentis in sacram Scripturam numero* 154. Græcè & Latinè cum insigni Auctario publicatæ ab eodem Jacobo Gretsero, anno 1617. cùm antea à Gentiano Herveto Latinè dumtaxat, ac numero tantùm 93. editæ fuissent, & Anastasio Nicæno Episcopo attributæ, ut in observationibus postea docebimus.

V. *Compendiaria Fidei institutio*, quæ sub nomine Athanasii & Cyrilli Alexandrini prodiit Tomo 15.
D magnæ Bibliothecæ Parisiensis SS. Patrum, pag. 677. & Tomo 6. Coloniensis Parte 2. pag. 712.

VI. Homiliæ aliquot ejusdem nomen præferunt editæ tum Græcè in Variis Divinis Joannis Meursii, tum Latinè tantùm in antiquis Lectionibus Henrici Canisii, tum Græcè & Latinè, partim in Auctario G. L. Bibl. Parisiensis anni 1624. partim in Combefisiano hoc dumtaxat servato ordine à columna 850. Tomi 1.

I. *In Annunciatione B. Mariæ*, R. P. Francisco Combefis interprete. Vide Varia Divina Jo: Meursii.

II. *In Transfigurationem* D. N. J. C. eodem in-
E terprete.

III. *De Sacra Synaxi, & de non judicando, deque oblivione injuriarum*, eodem interprete. Versionem R. P. Francisci Turriani Soc. Jesu exhibuit Henricus Canisius Tomo 3. antiquæ lectionis.

IV. *In Psalmum sextum*, interprete R. P. Philippo Svvenenzelio Soc. Jesu.

V. *In eumdem Psalmum*, eodem Combefisio interprete. Vide Tomo 3. Canisii ejusdem Turriani versionem Latinam.

Observatio prima.

Contemplationes Anagogicas in Hexaemeron vidi, qui assererent scriptas esse ab aliquo alio Anastasio, aut Pseudo-Anastasio, post annum 1050. aut 1078.

1078. quo etiam tempore vixisse contendunt auctorem, aut certè interpolatorem quæstionum ac Responsionum de variis sacræ Scripturæ capitibus, sive 93. tantùm, sive 94. Neque enim sibi constant in similibus Eclogis mss. codices: verùm nulla solida videtur ratio cur utrumque fœtum illum nostro Sinaitæ abjudicemus, ut infrà demonstrabimus.

Observatio secunda.

Quod ad ὁδηγὸν spectat, si nihil à posterioribus insertum sit infartumque, contendunt quidam Heterodoxi non videre se quomodo scribi ab Anastasio potuerit ante annum 598. aut sequentem, quo obiisse omnes fatentur, cum Mahometismi capitibus 7. 10. & 13. saltem obscurè meminerit, & cap. 10. differere etiam adversus Monothelitas videatur. Verùm omnibus ritè diligenterque expensis, nullam, nec Monothelitarum, sed Monophysitarum dumtaxat, nec ullam prorsus Mahometis, aut ejus doctrinæ reperi mentionem. Neque enim existimaverim quemquam hominem sanum verba illa capitis 7. σελήνιαν ἢ τάξει καὶ ψήφῳ ὁ σεληνιαζόμενος Σευῆρος, &c. vel, καλῶς ἐμαθήτευσε τοῖς Ιουδαίων, καὶ Ἑλλήνων, καὶ Ἀράβων διδασκάλοις ὁ Σευῆρος, &c. ad Maomethicam Sectam detorquere posse.

Observatio tertia.

Quæstiones in Scripturam magnum atque insigne præbuerunt hactenus Criticis sacris disputandi argumentum, aliis Anastasio Nicæno Episcopo, aliis Anastasio Sinaitæ Patr. Antiocheno, quibusdam etiam neutri adjudicantibus, sed earum consarcinatorem ad sæculum usque undecimum, & annum Christi 1050. aut 1078. ablegantibus. Horum ista est validissima in speciem argumentatio: In illis Quæstionibus citantur Canones Synodi Quinisextæ, sive Trullanæ, citantur Maximus Martyr. Jo: Climacus, Limonarium Joannis Moschi, Nicephorus Patr. Constantinopolitanus, qui anno 828. defunctus, necnon Olympiodorus, qui post annum 900. floruisse perhibetur: & in quæstione 117. numerat auctor aut interpolator quisquis fuit, septingentos annos ab eo tempore, quo loca Christi mysteriis & miraculis in Palæstina consecrata in potestate & possessione Christianorum orthodoxorum fuerint. Verum ex omnibus hisce tricis facilè se expedit Gretserus noster qui Sinaitæ nobiscum adjudicat. Primò, quòd mss. codices nomen Anastasii Sinaitæ Episcopi Theopolis sive Antiochiæ præferant. 2. Quòd ab altero ejusdem Auctoris ὁδηγῷ stylus ac tota agendi ratio nullatenus discrepet. 3. Quòd Franc. Turrianus in Græcorum monumentis versatissimus illos eidem tribuerit, ductus inter cætera auctoritate Evagrii Scholastici, qui inter alias Anastasii Sinaitæ laudes in dissolvendis quæstionibus acutum & perspicacem fuisse testatur εὐσυμβόλως τὰς πεύσεις διαλύσιτα &c. Fatentur autem viri illi oppido eruditissimi, & sanè ultrò fatendum est huic libro, quemadmodum Athanasiano ad Antiochum, ac similibus Collectaneis, tamquam farragini ac centoni ab aliquo, vel etiam pluribus posteriorum temporum amanuensibus, ac Librariis adjecta fuisse, atque identidem inculcata plurima ex junioribus Anastasio Sinaita Scriptoribus: unde factum sit, ut modò plures, modò pauciores quæstiones, modò plura, modò pauciora in mss. codicibus occurrant Veterum Patrum in illis testimonia. Quæ sanè solvendi ratio mihi videtur aptissima, cùm non ignorem, quid sibi recentiores Græculi in Patrum Scriptorumque antiquiorum monumentis interpretandis, locupletandisque τοῖς πολυανθέσι, καὶ πολυποικίλοις βιβλίοις permiserint. Atque utinam eadem numquam Harpyiarum more turpiter inquinassent!

Observatio quarta.

Compendiariam fidei rationem Anastasio Martyri Sinaitæ nostri in Antiochena cathedra successori tribuere Colonienses, atque ex iis Miræus; sed qua ratione ducti id censuerint, aut id unde accepere, prorsus tacent. Eidem potius tribuendam judicarem Expositionem in Psalmum sextum, ubi Imperatoris Mauritii meminit, quasi sua ætate demortui, his verbis: Improbi plures per pœnitentiam servati, in quibus & ille, qui nostra ætate sub Mauritio Christianorum Imperatore fuit, &c.

Cætera diligens Lector repetat ex Evagrio Joanne Damasceno, Actis Nicænæ II. Synodi, ubi post Ephræmum Patriarcham Antiochenum collocatur, & sanctis Patribus accensetur, Joanne Cyparissiota, Michaele Glyca, Nicephoro Callisto, Baronio, atque Gretsero, ex quibus alii deinceps hauserunt: & observet, quæ postremus non omisit annotare de libro adversus διαιτὴ τὴν ἡ. περὶ ἑνώσεως, & de Relatione de rebus gestis in Perside, sive disceptatione Præsulum cum Ethnicis Græcis atque Judæis, judice Aphrodisiano Persarum Regis Archimagiro. Quod verò ad Criticos Heterodoxos attinet, quibus suum, Deo dante, non deerit Examen, nihil illi in medium proferunt, quod vel non hauserint pro more à Catholicis, aut quod ex his, quæ allata sunt, dissolvi facilè non possit. *(a)*

(a) Iis jampridem excusis in manus meas venit Albertini Latina editio, in qua paginis 893. & 903. nonnulla de Anastasio nostro observantur, quæ in Examine diligentius excutientur.

Editus est, inquit, procurante Gretsero tractatus sub titulo ὁδηγὸς seu *Dux Viæ*, quem contendit esse Anastasii Sinaitæ Patriarchæ Antiocheni hujus nominis primi. Testes duos profert videlicet Codicem Bibliothecæ Bavaricæ nomen illius præferentem & Nicephorum Callistum Hist. Eccles. lib. 18. c. 44. inter Anastasii hujusce opera ὁδηγὸν recensentem. At hi minimè sufficiunt. Nam idem codex Bavaricus, notante ipso Gretsero, eidem Anastasio pariter tribuit libellum cujus titulus est, *relatio de rebus gestis in Persia*, &c. de quo tamen ait: *oratio illa olet nescio quid fabularum ut difficile creditu sit ex Anastasii nostri officina prodiisse*. Ad Nicephorum autem quod attinet authorem recentissimum, præterquam quòd æquè in eo falli potuit ac quando eumdem Anastasium ait à Judæis fuisse occisum, quod certò constat & fatetur Gretserus, contigisse non ipsi, sed alteri Anastasio ipsius successori; incertum esse ajo utrum de hoc ὁδηγῷ, cujus locus nobis opponitur, id intellexerit, an de libro prolixo Quæstionum jam etiam edito, quem ipse Gretserus testatur in codicibus Bavaricis & Romanis pariter inscribi, βίβλος ἡ καλουμένη ὁδηγὸς, &c. Sed plus dico, utrumlibet Nicephorus intellexerit deceptum fuisse, neutrumque illorum Anastasii I. Antiocheni esse posse. Non certè priorem. Nam in illo non modò citantur Authores Anastasio posteriores, ut author Prati spiritualis Joannes Moschus, Maximus, & Nicephorus Const. mentioque fit Cypri à Saracenis expugnatæ, quod contigit annis post Anastasii mortem ad minus 47. Sed & ibidem Author ipse expressè notat annum 700. agi, ex quo loca sancta Orthodoxis erant restituta. Quibus verbis planè indicat se post annum millesimum scribere. Nec quoque posteriorem; quod priusquam ostendamus, juvat Lectores monere tractatum hunc non esse

librum

librum continui tenoris sed rhapsodiam ex variis scriptis tamquam centonibus ἀμεθόδως planè congestam. Nam caput tertium initium est alterius operis à duobus præcedentibus capitibus distincti, ut patet ex titulo illi apposito, *Anastasii minimi Monachi opus de orthodoxa fide ex sacris litteris ac Doctoribus excerptum*. Caput quintum similiter quod pro titulo habet, *Anastasii Presbyteri sancti montis Sina opus de fide Oeconomiæ Christi filii Dei ad sanctam Ecclesiam Catholicam Babylone scriptum*, novum prorsus opus esse & à cæteris separatum non minus liquet. Penes me est codex Græcus pro Joanne de Ragusio olim manuscriptus, ubi sub hoc titulo τοῦ ἐυαγίοις πατρὸς ἡμῶν Αναςασιου Γ. Θ. περὶ πίςεως deprehendi extare duo tantummodo priora hujus ὁδηγοῦ capita, nec ea quidem inchoata à prioris initio, sed ab iis verbis quibus pro titulo apponitur, *brevis expositio fidei*: vicissim autem ad compensationem plurimas alias definitiones & distinctiones habens quæ editioni Gretzerianæ ad finem secundi capitis, & cæteris quos vidi codicibus mss. desunt. Tres autem vidi Bibliothecæ Regiæ, quorum duo sine Authoris nomine, unus cum hoc titulo, σὺν Θεῷ προθεωρία τῶν ὑποθέσεων τῶν ὅρων, &c. Aliter cum illo σὺν Θεῷ ὅροι διάφοροι, &c. ea tantùm complectuntur, quæ tractatus editus habet duobus prioribus capitibus: ac reipsa idem sunt cum libello illis adhuc breviori qui extat inter Athanasii opera sub titulo, *tractatus de definitionibus*; Tertius ea ferè omnia continet quæ habentur in editis, sed & in plurimis multò auctior & ordine non eodem. Caret enim eo exordio & indice quæ in editione caput primum antecedunt. Titulus ferè idem, tamen absque Authoris nomine cui subjiciuntur ea quæ primo editionis capite usque ad §. *universa generis nostri*, &c. His dein verbis, quasi novum opus inchoarent, præponitur hic titulus, Αναςασίου μοναχοῦ τοῦ Σίνα ὅροις σὺν Θεῷ προθεωρία τῆς ὑποθέσεως τῶν ὅρων τῆς βίβλου, ἧς ἐπωνυμία λέγεται ὁδηγός. Inde ad finem usque capitis secundi, scholio excepto, cum editis consentiens, subjungit triginta duo folia quæ ab illo prorsus absunt, excepta de Eucharistia cum Gajanitis disceptatione, quæ cùm in editione remota sit, ad caput nempe 23. nono folio hìc habetur. Ab his autem 32. foliis redit cum editis, in nonnullis tamen brevior, usque ad finem, cui subjunguntur quasi continui operis innumera veterum testimonia tractatum sexies majorem efficientia.

Jam verò ὁδηγοῦ hujus Authorem non esse Anastasium Antiochenum hujus nominis primum duo invictè ostendunt. Unum est quòd in illo codice Regio foliorum supra memoratorum trigesimo secundo citetur Αναςασίος ἐπίσκοπος Αντιοχείας ἐκ τῆς πρὸς Σεργίον Γραμματικόν. Quomodo enim se in hoc tractatu composito cùm adhuc Monachus & Presbyter foret, ut passim testatur & notat Gretserus, tamquam Episcopum citare valeret? Alterum est quòd Author hujus operis meminit Eulogii Episcopi Alexandrini tamquam dudum mortui. *Narrabant*, inquit capite 10. *nobis Catholici qui Alexandriæ degunt post tempora B. Eulogii Papæ ibi fuisse quemdam Augustalem Severianum qui satis diu quatuordecim librarios ejusdem secum sententiæ habuerit, ex ipsius mandato residentes & depravantes libros dogmatum SS. Patrum*. Quomodo autem Anast. Antioch. anno 599. defunctus referre potuerit quod in Alexandria contigit post tempora Eulogii teste Baronio anno 608. mortui? Sed nec quoque dici potest tractatum hunc esse alterius Anastasii qui huic immediatè successit, propter eamdem Eulogii defuncti mentionem. Interfectus enim fuit Anastasius secundus ineunte anno Phocæ septimo, idest anno 608. Decembris 21. Obierat autem Eulogius Septembris præcedentis 13. Quomodo igitur hic Author adhuc Monachus cùm tractatum hunc scriberet, potest esse Anastasius secundus, qui quando Eulogius obiit jam per octennium Episcopatu fungebatur? Primo enim successit anno 599. ex omnium confessione.

Tum pag. 903. Recenset auctor tractatus, cujus titulus ὁδηγὸυ seu *Dux viæ*, nonnulla quæ cùm in Alexandria foret, narrata sunt illi à Catholicis Alexandrinis ibidem contigisse, aliquanto ante quàm hoc opus conscriberet: per quæ nos ad tempus, inter annum trigesimum & quadragesimum supra sexcentesimum, ducere videtur. Nam illi retulerant, satis diu post tempora Eulogii Alexandrini fuisse in Alexandria Præfectum quemdam Augustalem, Severianorum fautorem, qui Veterum libros falsari curarit. Satis longum autem tempus illud non minus probabiliter assignari potest quàm 20. annorum. At obiit Eulogius anno 608. ex omnium confessione. Sed & rursum refert, cùm ibidem foret ac quæstio agitaretur de verbis quibusdam Cyrilli sic falsatis & adulteratis Isidorum quemdam Bibliothecæ Patriarchæ præfectum ac verè orthodoxum codicem Cyrilli sincerum protulisse, quod indicium est Patriarcham tunc adhuc ibi orthodoxum fuisse. Neque enim verisimile est Patriarcham Theodosianum & Eutychianum Bibliothecæ suæ præfectum habere voluisse Catholicum verum qui suorum pudenda revelaret, & confunderet. Videntur ergo hæc contigisse paulò ante annum 630. Sub Georgio ultimo hujus sæculi orthodoxo Episcopo Alexandrino. At testatur Author se aliquanto post scripsisse. Non autem scribere potuit post annum 640. Nam ipsemet narrat fuisse adhuc in Alexandria Præfectos Augustales cùm scriberet, nec ullam mentionem facit Saracenorum in Ægyptum irruptionis. Scripsit igitur necessariò ante annum 39. quo Saraceni Ægyptum oppugnarunt & vi ceperunt, ipsa quoque Alexandria anno 41. oppugnata & Præfectis Augustalibus inde in perpetuum expulsis. Hæc ille satis in plerisque probabiliter, quæ tamen ad severiorem censuram suo tempore revocabimus.

Leo Allatius in Syntagmate de Engastrimytho pag. 528. cùm ex ὁδηγοῦ quæst. 39. nonnulla prompsisset, hæc subdit: Quare non dubito à sciolo quopiam & sequioris sæculi scriptore in ejus (Anastasii Sinaitæ) quæstionibus hanc etiam de evocatione animæ Samuelis, sagæ industria, animasque diabolo esse subjectas fuisse intrusam, sicut etiam alia pleraque à tanti patris pia mente omnino aliena. Quod vel inde patet, quòd in hoc libro Auctores Anastasio posteriores laudantur, ut Maximus Monachus, Joannes Sinaita cognomine Climax, & Nicephorus Constantinopolitanus. Quod etiam factum esse in Athanasii Alexandrini ad Antiochum, & Justini Martyris ad Orthodoxos, multi adnotarunt. Quæ ad quæstiones pertinere videbantur, addita sunt, & solertem Lectorem exposcunt, ut spuria & aliena à genuinis seligere sciat, neque temerè appositas opiniones veluti Patrum proprias parum cautus hauriat.

Supplementum.

Anastasius, Sinaita vulgò dictus, primus ex duobus Anastasiis inter cæteros Antiochenis, seu Theopolitanis Patriarchis, qui pietatis ac doctrinæ laude celeberrimi claruerunt. Hic Sinaita dictus est, quòd in Monte Sinai vitam exercuisset Monasticam, unde ad Sedem Antiochenam est elatus ab anno 561. sub extrema Justiniani Imperatoris tempora. Sed à Justino Juniore anno 572. in exilium

lium actus, locum cessit Gregorio, cujus post mortem, imperante Mauritio, dignitatem pristinam anno 595. recuperavit, atque aliquot annis commissam sibi plebem rexit usque ad annum 599. quo die 21. Aprilis vivere desiit. De eo plura Evagrius Scholasticus libro 4. Historiæ capp. 38. 39. 40. &c. & Cæsar Baronius tum in Notis ad Martyrologium Romanum, tum in Annalibus, aliique: ex quibus Sigebertus capite 42. de Viris illustribus testatur ab eo sancti Gregorii Papæ Pastoralem librum in Græcam linguam fuisse translatum, quod vel ex ipso sancto Gregorio libro 10. Epist. 22. discere possumus. Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miræus tam ad caput 42. Sigeberti pag. 138. suæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ, quàm in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis, capp. 169. & 170. pag. 213. Labbeus in Dissertatione historica de Scriptoribus Ecclesiasticis tom. 1. verbo *Anastasius Sinaita*, & in addendis ad dictum tomum pag. 712. & sequentibus: quem hic ferè totum, sed ordine convenientiori transcribemus, ob intricatas de Scriptis Anastasio Sinaitæ attributis difficultates, cum paucis aliquibus de nostro additis, tam quoad manuscriptos Codices operum Anastasii, quàm quoad varias earum impressiones & translationes Latinas.

ALTER ANASTASIUS Martyr nuncupatus, Sinaitæ successit ab anno circiter 599. Antiochenus Patriarcha, qui à Judæis excarnificatus dicitur die 21. Decembris, ut habet Martyrologium Romanum, anno, ut passim docent, æræ Christianæ 608. Imperatoris Phocæ septimo, vel ex paucorum sententia, anno sequenti, Phocæ octavo jam incœpto. Errant enim non mediocriter, qui in annum 610. differunt, quo tempore jam cæsus erat Phocas ab Heraclio, ut Labbeus rectè ostendit in Chronico. Antiquiori Anastasio Sinaitæ dicto tribuuntur multa Opuscula, quorum nonnulla exhibentur in Bibliothecis Sanctorum Patrum, eorumque Auctariis, alia separatim impressa sunt, de quibus singulis nos dicturi sumus. Advertendum tamen antea maximam eorum partem esse dubiam, de quibus graviter inter Scriptores controvertitur, & pauca sunt contra quæ excipi non possit: unde infirmi sunt & fluctuantes, qui Dogmaticum aliquid ex ejusmodi Scriptis firmiter se stabilire arbitrantur.

1. Orationes quinque Dogmaticæ. 1. *De sanctissima Trinitate*. 2. *De Incircumscripto*. 3. *De Incarnatione divina*. 4. *De Passione & Impassibilitate Christi*. 5. *De ejusdem Resurrectione*. Has ex Manuscriptis Bibliothecæ Regiæ Gallicis erutas, Godefrido Tilmanno Parisiensis Carthusiæ Monacho interprete habent Bibliothecæ Sanctorum Patrum Editionis Parisiensis annorum 1575. & 1589. apud Michaelem Sonnium. Easdem latinitate donatas à Francisco Turriano Soc. Jesu Theologo, cum variis Veterum Opusculis publicas fecit Ingolstadii anno 1616. in 4. Petrus Stevartius Leodiensis, eamque versionem priore abjecta, quæ in editionibus Parisiensibus apparet, Colonienses suæ Veterum Patrum Bibliothecæ anno 1618. inserunt. Extant autem mss. Græca hujus Operis in Bibliotheca Galliarum Regia, Vaticana Romæ, & inter manuscriptos Codices Græcos, quos Franciscus Turrianus cessit Societati Jesu, quando eam professus est. Denique in Sfortiana cod. 31. Cæterùm Dogmatici tomi meminit ipse Anastasius sub finem Prologi τοῦ ὁδηγοῦ, & cap. 8. vocat τὸν τόμον ἀπολογητικὸν πρὸς τὸν λαόν, in quo dicit se tractasse de Natura & Persona. At hoc quidem valeret, si ὁδηγὸς esset indubium Anastasii opusculum. Sed de eo, ut postea dicemus, non minus est controversum, quàm de aliis.

A 2. *Anagogicarum Contemplationum in Hexaemeron libri undecim*, qui à Michaele Glyca aliisque citantur. Vertit latinè ignotus mihi hactenus Interpres, cujus nomen frustrà in Parisiensibus & Coloniensibus Bibliothecis requires, in quibus prædictum opus impressum est. Codices manuscripti harum Contemplationum quæ latinè tantùm prodierunt, in Bibliothecis Vaticana Cod. 372. Heidelbergensi, ubi Homiliæ hujusmodi Anagogicæ in Hexaemeron censentur duodecim; Bavarica Cod. 241. Imperatoria Viennensi Codicibus variis, Vallicellana Romæ, quæ spectat ad Patres Oratorii Domini N. J. C. Labbeus Observatione prima in Anastasium Sinaitam, ait se vidisse aliquos qui *Contemplationes Anagogicas in Hexaemeron* assererent scriptas esse ab aliquo alio Anastasio, aut pseudo-Anastasio, post annum 1050. vel 1078. quo etiam tempore vixisse contendebant Auctorem aut certè Interpolatorem *Quæstionum ac Responsionum de variis Sacræ Scripturæ Capitibus*, sive 93. tantùm, sive 154. Neque enim sibi constant in similibus Eclogis Manuscripti Codices.

3. *Dux viæ*, Græcè ὁδηγὸς *adversùs Acephalos & Severianos*, quem græcè & latinè edidit Jacobus Gretzerus Societ. Jesu Theologus Ingolstadii anno 1606. in 4. apud Adamum Sartorium, cum *ejusdem Oratione de sacra Synaxi, & de non judicando, & de Oblivione injuriarum*. Hic verò Commentarius eum in finem elucubratus est, ne Orthodoxi inciderent in laqueos & retia Hæreticorum, eorum præsertim qui Severum sectabantur. Manuscripti Codices Græci tres hujus Operis in Bibliotheca Galliarum Regia, & quartus in Augustana Cod. 66. alius in Bavarica, unde opinor fuisse eductum à Jacobo Gretzero. Albertinus Calvinistarum in Gallia famosus Minister scripsit grande opus de Eucharistia, quod in Latinam translatum linguam, Daventriæ in fol. impressum est anno 1654. illic pagina 893. nonnulla de Anastasio nostro Sinaita observat sequentibus verbis: Editus est, inquit, procurante Gretzero Tractatus sub titulo ὁδηγὸς, seu *Dux viæ*, quem contendit esse Anastasii Sinaitæ Patriarchæ Antiocheni, hoc nomine primi. Testes duos profert, videlicet Codicem Bibliothecæ Bavaricæ nomen illius proferentem, & Nicephorum Callixtum Histor. Eccles. lib. 18. cap. 44. inter Anastasii hujus Opera ὁδηγὸν recensentem. At hi minimè sufficiunt; nam idem Codex Bavaricus, notante ipso Gretzero, tribuit pariter eidem Anastasio libellum cui titulus est, *Relatio de rebus gestis in Persia*, &c. de quo tamen ait: *Orationem illam olere nescio quid Fabularum, ut difficile creditu sit ex Anastasii officina prodiisse*. Ad Nicephorum autem quod attinet Auctorem recentissimum, non est sufficientis fidei ad hoc Opus asserendum Anastasio Sinaitæ: præterquam quòd in eo falli potuit, ac quando eumdem Anastasium ait à Judæis fuisse occisum, quod certò constat & fatetur Gretzerus, contigisse non ipsi, sed alteri Anastasio ipsius successori. Incertum esse ajo utrum de hoc ὁδηγῷ cujus locus nobis exponitur, id intellexerit; an de libro prolixo Quæstionum jam etiam edito, quem ipse Gretzerus testatur in Codicibus Bavaricis & Romanis pariter inscribi βίβλος ἡ καλουμένη ὁδηγός, &c. *Sed plus dicit Albertinus*. Utrumlibet intellexerit Nicephorus, deceptum fuisse, neutrumque illorum Anastasii primi Antiocheni esse posse. Non certè priorem, nam in illo non modò citantur Auctores Anastasio posteriores, ut Auctor Prati spiritualis Joannes Moschus, Maximus & Nicephorus Constantinopolitanus: sed mentio fit Cypri à Saracenis expugnatæ, quod contigit annis post Anastasii mortem ad minus 47. Sed & ibidem Auctor ,, ipse

„ ipse expressè notat annum 700. agi, ex quo Loca sancta Orthodoxis erant restituta: quibus planè verbis indicat, se post annum millesimum scribere. Nec quoque posteriorem, inquit *Albertinus* quod priusquam ostendamus, juvat Lectores monere hunc Tractatum non esse librum continui tenoris: sed Rapsodiam ex variis Scriptis tamquam Centonibus ἀμεθόδως planè congestam. Nam Caput tertium est initium alterius operis à duobus præcedentibus Capitibus distincti, ut patet ex titulo illi apposito sic, *Anastasii minimi Monachi Opus de Orthodoxa fide ex sacris Litteris ac Doctoribus decerptum*. Similiter Caput quartum quod pro titulo habet, *Anastasii Presbyteri sancti Montis Sinæ, Opus de fide Oeconomiæ Christi Filii Dei ad sanctam Ecclesiam Catholicam Babylone scriptum*, ostendit novum prorsus opus esse & à cæteris separatum. Penes me est Codex Græcus pro Joanne de Ragusio olim Manuscriptus, qui sub hoc titulo: *Sancti Patris nostri Athanasii Patriarchæ Theopolitani de Fide*: ubi deprehendi extare tantummodo duo priora hujus ὁδηγῦ Capita, nec ea quidem inchoata à prioris initio, sed ab iis verbis quibus pro titulo apponitur, *Brevis Expositio Fidei*. At vicissim ad compensationem, plurimas alias definitiones & distinctiones habens, quæ editioni Gretzerianæ ad finem secundi Capitis, & cæteris quos vidi manuscriptis Codicibus, desunt. Tres autem videntur hujus Operis Codices manuscripti in Regia Galliarum Bibliotheca, quorum duo sine Auctoris nomine; illi autem ea tantùm complectuntur quæ Tractatus editus habet duobus prioribus Capitibus: ac reipsa idem sunt, cum libello illis adhuc breviori, qui extat inter Opera Divi Athanasii, sub titulo, *Tractatus de Definitionibus*. Tertius manuscript. Codex ea ferè omnia continet quæ habentur in editis, sed & in plurimis multò auctior, & ordine non eodem: caret enim eo exordio & indice, quæ in editis caput primum antecedunt." Hæc & plura affert Albertinus De Eucharistia locis citatis, pag. 893. & 903. quem verbo tenus refert Labbeus tom. 1. de Scriptoribus Ecclesiasticis, pag. 712. in addendis & corrigendis: ex quibus constat, quantum variant in Bibliothecis manuscripti Codices sub nomine Anastasii, & quàm modicam fidem mereantur.

4. *Quæstiones & Responsiones de variis Argumentis in sacram Scripturam num.* 154. græcè & latinè cum insigni Auctario evulgatæ sunt, ab eodem Jacobo Gretzero Ingolstadii in 4. an. 1617. typis Ederianis: cùm anteà à Gentiano Herveto latinè dumtaxat, ac numero tantùm 93. editæ fuissent, & Anastasio Nicæno Episcopo attributæ, ut in observationibus postea Labbeus docuit. Hæc Gentiani Herveti versio dictarum Quæstionum & Responsionum, tum seorsim excusa est, tum in Bibliotheca veterum Patrum, editionis Parisiensis primæ & secundæ annorum 1575. & 1589. apud Michaelem Sonnium, sub scuto Basileensi. Hæ Quæstiones in Scripturam sacram, hodie atque olim magnum & insigne præbuerunt Criticis sacris disputandi argumentum: aliis Anastasio Nicæno Episcopo, aliis Anastasio Sinaitæ Patriarchæ Antiocheno, quibusdam etiam neutri adjudicantibus, sed earum Consarcinatorem ad sæculum usque undecimum, & annum Christi 1050. aut 1078. ablegantibus. Horum ista est in speciem, & in veritate rei validissima Argumentatio. In istis Quæstionibus citantur Canon 89. Synodi Quinisextæ sive Trullanæ, sanctus Maximus Martyr, Joannes Climacus, Limonarium Joannis Moschi, Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, qui anno 828. defunctus est, necnon Olympiodorus, qui post annum 900. floruisse perhibetur. Item in quæstione 117. numerat Auctor vel Interpolator, quisquis est, septingentos annos ab eo tempore, quo loca Christi mysteriis & miraculis in Palæstina consecrata in potestate & possessione Christianorum Orthodoxorum fuerint. Nec juvat allegare cum Gretzero & Allatio, plurima esse eis Quæstionibus inserta à Recentioribus, sicut & in Quæstionibus Divo Athanasio ad Antiochum attributis, ac similibus Collectaneis: hoc enim eis incumbit probandum, quod ut faciant, debent ostendere manuscripta Exemplaria Græca, varia, antiqua, probatæ fidei, à quibus additiones ejusmodi absint. Quod quamdiu non fecerint atque ediderint, consentaneum rationi erit, ut omnem ejusmodi Operum incertorum seriem alicui alteri Anastasio attribuamus, qui sub finem sæculi 11. vel initium 12. vixerit. Ejusmodi *Quæstionum & Responsionum de variis Argumentis in sacram Scripturam*, extant manuscripti Codices in Bibliotheca Vaticana, Florentina, Messanensi, Imperatoria Viennensi, Bavarica Cod. 105. & aliis celebrioribus Bibliothecis.

5. *Compendiaria fidei Institutio*, quæ sub nomine Anastasii & Cyrilli Alexandrini, prodiit tomo 15. Magnæ Bibliothecæ Parisiensis Sanctorum Patrum, pag. 677. & tomo 6. Coloniensis parte 2. pag. 712. Hanc autem græcè & latinè edidit Theodorus Beza Vezeliacensis Monachus in 8. anno 1570. cum quinque Dialogis & Trinitate, sub nomine sancti Athanasii Alexandrini, quamvis ex fide omnium ferè mss. Codicum, spectent ad sanctum Maximum Monachum, inter cujus Opera extant. Idem forsan opusculum, cum eo qui sub nomine Anastasii in Bibliotheca Florentina inscribitur, *de rectis veritatis Placitis*, quod collatione nosci potest.

6. *Homiliæ aliquot* ejusdem nomen præferunt, editæ tum græcè in variis Divinis Joannis Meursii, tum latinè tantùm in antiquis Lectionibus Henrici Canisii, tum græcè & latinè partim in Auctario Græco-latino Bibliothecæ Parisiensis anni 1624. & in aliis duobus annorum 1648. & 1672. quas hoc ordine servato habet Franciscus Combefis in dicto Auctario seu Supplemento Bibliothecæ veterum Patrum anni 1648. Parisiis, tom. 1. columna 350.

1. *In Annuntiationem Beatæ Mariæ Virginis*, Francisco Combefis Interprete, de qua vide varia Divina Joannis Meursii impressa anno 1619. Lugduni Batavorum in 4.

2. *In Transfigurationem Domini nostri Jesu Christi*, eodem interprete.

3. *De sacra Synaxi, & de non judicando, deque oblivione injuriarum*, eodem interprete. Versionem verò Francisci Turriani Soc. Jesu exhibuit Henricus Canisius tom. 3. Antiquæ Lectionis, eamdemque græcè & latinè ediderat jam antea Jacobus Gretzerus Ingolstadii anno 1606. cum ὁδηγῷ in 4. desumptam, ut opinor, ex manuscripto Codice 75. Bavaricæ Bibliothecæ, ubi legitur.

4. *In Psalmum sextum*, interprete Philippo Svvenenzelio Soc. Jesu Theologo.

5. *In eumdem Psalmum*, interprete Francisco Combefis, cujus etiam alia Versio Latina Francisci Turriani tom. 3. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii: nec desunt manuscripta Exemplaria Græca in Bibliothecis Sfortiana Codd. 32. & 72. Messanensi, Vaticana Cod. Heidelbergensi 4. & 368. & in manuscriptis Codicibus quos Franciscus Turrianus obtulit, quando ingressus est Romæ Societatem Jesu.

6. Anastasii Presbyteri in Sina Monte, *Sermo*

De

De hominis ad imaginem & similitudinem Dei creatione, græcè & latinè, qui & Gregorio Nysseno tribuitur, cum Origenis Philocalia, De obscuris sacræ Scripturæ Locis anno 1618. Parisiis in 4.

7. Alia quoque extant manuscripta græcè in variis Bibliothecis sub nomine sancti Anastasii, nimirum *Anastasii Abbatis Dissertatio contra Judæos* in Vaticana, *Anastasii Explicatio de jejunio, & in Psalmum* 13. in Imperat. Vindobonensi, *Anastasii Theopolitani Archiepiscopi Narratio Actorum in Perside*, in Augustana, Cod. 66. Vaticana Codd. Heidelbergensi 4. & 364. *Anastasii Sinaitæ Sermo in fratres suos morte prægressos*. Ibidem Cod. 308. *Anastasii Sinaitæ Sermo de diversis modis salutis & pœnitentiæ*, ibid. Cod. 367. Hos Codices Docti possunt per otium excutere & conferre, num diversi vel iidem Sermones sint cum editis, qui sæpè sub titulis diversis iidem extant in manuscriptis Bibliothecis.

De Aratore. 545.

ARATOR SUBDIACONUS S.R.E. scripsit *duos libros carminum*, quibus Acta Apostolorum complexus est: eos libros Vigilio Papæ obtulit, & publicè eodem Papa annuente recitavit: extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo octavo.

Dissertatio Historica.

ARATOR S.R.E. Subdiaconus, patria Ligur, edidit carmine Heroico, quod extat sæpius editum atque in duos libros distinctum.

Actus Apostolorum, & Vigilio Papæ obtulit, ut testatur Sigebertus Gemblacensis capit. 38. libri de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus. Extat apud Sirmondum in Notis ad Ennodium Episcopum Ticinensem, & Tomo 1. novæ Bibliothecæ mss. librorum, pag. 668. expressa ex mss. codicibus brevis annotatio, ipsi quoque Jo: Trithemio non incognita, ex qua nonnulla discimus. 1. Auctorem virum illustrem fuisse ex Comite Privatorum, & ex Comite Domesticorum, quod etiam postremum docuit nos Cassiodorus libro 8. Variarum, epistola 12. qua Athelaricus Ostrogothorum Rex Comitivam Domesticorum illi attribuit. 2. Susceptum fuisse illud Poema à Vigilio Papa 8. Idus Decembris in Presbyterio ante Confessionem B. Petri. 3. Ejusdem Papæ jussu recitatum fuisse pluribus vicibus in Ecclesia B. Petri ad Vincula. 4. Ista contigisse tertio anno post Consulatum V. C. Basilii, Indictione 7. hoc est, anno recuperatæ per Christum salutis 543. Trithemius scitè in hæc demum verba prorumpit: Ubi nunc his temporibus tale studium litterarum? Ubi amor scientiæ salutaris? Religiosi nostri & nobiles, Clerici quoque & Pontifices non libros; sed census audiunt; non litteras, sed avaritiam colunt. Jam legit Antimachus plura carmina, & recedentibus singulis, vix unicus Plato invenitur, & remanet. Sed de his importunè jam loquimur. Hæc ille.

Idem quoque Sirmondus edidit ex codice Remensi ejusdem nostri *Aratoris ad Parthenium*, qui pangendi illius carminis auctor fuerat missam, in Gallias Elegiacis versibus *egregiam Epistolam*. Quæ omnia ætatem Poetæ abundè docent.

De Junilio. 545.

JUNILIUS EPISCOPUS Africanus, scripsit *ad Primasium Episcopum Africanum*; item libros duos de partibus divinæ legis qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum editionis 2. tomo 1. Tribuitur etiam Junilio *Commentariolus in prima capita Geneseos*: sed ille non est Junilii, sed Bedæ, citat enim sanctum Gregorium, & habetur inter opera Bedæ.

Dissertatio Historica.

JUNILIUS, EPISCOPUS cujusdam urbis in Africa, cujus nomen se non potuisse reperire testatur Joannes Trithemius, multa dicitur compilasse opuscula, ex quibus extat inter Orthodoxographa, in Bibliothecis Veterum Patrum, ac seorsim etiam Basileæ editus.

Liber de Partibus Divinæ Legis, ad Primasium, quem alii Uticensem, alii Adrumetium censent fuisse Episcopum; unde colligimus vixisse Junilium circa annum 550. & tempora Quintæ Generalis Synodi Const. celebratæ ideoque errasse Trithemium, Sixtum, aliosque qui ex malè collocata Primasii epocha eum anno 440. sub Theodosio II. Imperatore claruisse docuere. Junillus mendosè scribitur cap. 10. de Divinis Lectionibus, ubi inter Scripturæ Divinæ introductores numeratur ultimo loco post Ticonium Donatistam, S. Augustinum de doctrina Christiana, Hadrianum atque Eucherium.

Commentariolus in tria priora capita Geneseos, eidem falsò inscriptus est, cùm sit Ven. Bedæ, qui fragmenta ex S. Gregorii Magni Papæ moralibus in Job inserere potuit. Hexaemeron Bedæ, verba sunt Benedicti Pererii libro primo in Genesim, est brevis & aureus libellus, qui superioribus annis sub nomine & inscriptione Junilii Afri editus est, cùm certis argumentis constet auctorem ejus esse Bedam. Sixtus Senensis sub finem libri quarti: Commentaria quæ nunc circumferuntur Ambrosii in Apocalypsim, Hieronymi in Parabolas Salomonis & Jeremiæ Lamentationes, Eucherii in primum librum Mosis & in quatuor Regum volumina, & Junilii Afri in Hexaemeron, nemo talium auctorum esse dicet, cùm in iis legerit centones, fragmenta ac integras paginas ex Moralibus Gregorii excerptas; nec arbitror aliquem fore usque adeò hebetem vel protervum qui neget hujusmodi rhapsodias ex commentariis Gregorii haustas. Addit Possevinus scire se Junilium, eodem hortante Primasio, explanationem in Genesim collegisse ad utilitatem simplicium, eamque non extare. Unde id sciat, non indicat, nec qui ejus meminerit, novi neminem, inquit Rivetus. Verùm non legerat levis armaturæ Criticus Sixtum Senensem, quem sæpè profitetur Possevinus in multis se exscribere, qui disertè ait hortante Primasio collegisse explanationes in Genesim: pro quibus Typographorum fraus supposuit nobis exiguum commentarium incipientem: De principio libri Geneseos, &c.

De Primasio. 545.

PRIMASIUS EPISCOPUS Africanus tempore Vigilii Papæ Constantinopoli fuit, cùm quinta Synodus generalis celebraretur, ut constat ex collatione secunda ejusdem Synodi: scripsit *in Epistolas sancti Pauli, & in Apocalypsim* non contemnenda *Commentaria*.

Dissertatio Historica.

PRIMASIUS, ADRUMETINUS in Byzacena Africæ provincia Episcopus, tempore Quintæ Generalis Synodi interfuit Const. cum Vigilio Papa, ut constat ex Collatione secunda illius Concilii. De eo præterea meminerunt Junilius Afric. pariter Episc. qui ei de Partibus Divinæ Legis librum

brum dicavit, Victor Tunonensis in eadem Africa Episcopus in Chronico ad annum P.C. Basilii U.C. XI. Cassiodorus Senator cap. nono libri de Divinis Lectionibus, S. Isidorus Catalogi cap. 9. (ubi pro Primasio Primatius & pro Justiniano regnante Julianus perperam legebatur & legitur etiamnum in editione Miræi, qui hæc & pleraque alia præterit) Joannes Trithemius, qui eum dicitur Uticensem in Proconsulari provincia vocasse Episcopum, quod tamen in meo codice non reperitur, Jo: Gagnejus qui falsò non secus ac Sixtus Senensis, Simlerus, & quidam alii, ad annum 440. retulit, deceptus ni fallor, ex eo, quòd dicatur S. Augustini discipulus, cùm hoc de sectatore addictissimo qualis paulò ante extiterat sanctus Fulgentius, atque amatore doctrinæ Augustinianæ intelligendum fuerit. Ad eumdem cum aliis lapidem offendit Philippus Elssius, qui claruisse anno 440. asserit & Augustinianis suis Eremitis inseruit. Eum aliosque refutant etiam me tacente verba Cassiodori loco citato. Nostris quoque temporibus Apocalypsis prædicta B. Ep. Primasii Antistitis Africani studio minutè & diligenter quinque libris exposita est. Quibus etiam libris unus quid faciat hæreticum disputatione subjunctus est. Quæ in templo Dei sacrata donaria sanctis altaribus offerantur.

Commentaria in sancti Pauli Epistolas, ex SS. Ambrosii, Hieronymi, Augustini & aliorum Patrum monumentis collecta, edidit Lugduni Joannes Gagnæus apud Gryphium anno 1543. cùm prius Commentaria in Epistolam ad Romanos Coloniæ apud Gymnicum prodiissent.

Commentaria mysticæ expositionis in Apocalypsim ad Castorium, ex illegibili scriptura antiqua excusa primùm Basileæ anno 1544. apud Robertum Winter, & Lugduni una cum Collectaneis in Epistolas S. Pauli. Omnia autem ejusdem quæ supersunt opera apparent in Bibliothecis Veterum Patrum Parisiensibus & Coloniensi. Libri autem ejus de Hæresibus ad Fortunatum Episcopum videntur periisse, in quibus explicans quod olim S. Augustinus in libro Hæreseon imperfectum morte interveniente reliquerat, in primo ostendebat quid Hæreticum faciat, in secundo & tertio digerebat, quid hæreticum demonstret.

Cæterùm placet hic obiter referre ad Lectoris oblectationem dicam an justissimam indignationem ridiculum Roberti Coci Heterodoxi argumentum: Haymonis Halberstatensis, qui trecentis post Primasium annis vivebat, Commentaria in Epistolas S. Pauli multa habent similia iis quæ sunt apud Primasium: ergo abjudicanda sunt huic Commentaria quæ nomen ejus circumferunt: φεῦ τῆς εὐηθείας. Multa habet Macrobius iis similia quæ scripsit in Noctibus Atticis A. Gellius: non est igitur Gellius Auctor Noctium Atticarum. Miscellæ auctor ex Eutropio, Orosio, Anastasio Theophanis interprete, aliisque penè omnia mutuatus est; ergo auferenda illis, quæ ab omnibus hactenus ipsis tribuuntur opera, &c. Quod si Critico illi mens non læva fuisset, argumentandum fuerat hoc pacto: Haymo itaque, Primasii imitator, multa ex ejus commentariis sublegit, & in suas areolas ex illo fonte derivavit, ut faciebant per ea tempora Rabanus, Florus, Strabo, Hincmarus, Ratramnus, Prudentius, nono florentes sæculo, viri suæ ætatis eruditissimi, qui sæpè centones potiùs quàm libros conscribillabant ex antiquioribus delibatos. Quod verò spectat ad Commentarium in epistolam ad Hebræos, illum esse sive Haymonis, sive potiùs Remigii Antissiodorensis quidam ex nuperis Criticis censuerunt, quòd styli similitudo videatur id arguere. Neque tamen omittendam censeo observationem Jacobi Usserii, Pseudo-Armacani Archie-

A piscopi pag. 175. Gottescalcanæ Historiæ, licèt in nonnullis & ipse aberraverit à recto veritatis tramite. Ejusdem Remigii Lugdunensis in XIII. Pauli epistolas habemus Commentarios, non illos quidem (uti arbitratus est Maldonatus) qui Ambrosio Mediolanensi, sed qui Haymoni Halberstatensi Episcopo vulgò tribuuntur, & à Jo: Bapt. Villalpando, falsò Remigii Remensis titulo sunt editi, ejusque nomine à Cuthberto Tonstallo, Bellarmino, & aliis in Quæstione Sacramentaria prius producti. In XIII. epistolas dixi: quoniam qui in epistolam ad Hebræos reliquis adjunguntur, neque Haymonis, neque Remigii, sed Primasii esse: sicut eos, qui Ambrosianis annectuntur (& Ambrosii nomine ab Algero, B Petro Longobardo, & aliis citantur) ex Jo: Chrysostomi in eamdem epistolam homiliis Cassiodori rogatu à Mutiano Schol. conversis ad verbum exceptos esse deprehendi.

SUPPLEMENTUM.

PRIMASIUS ADRUMETINUS, in Byzacenæ Africæ Provincia Episcopus, anno 553. tempore Concilii quinti Generalis interfuit Constantinopoli cum Vigilio Papa, ut constat ex Collectione secunda istius Concilii. Illius præterea meminerunt Junilius Africanus pariter Episcopus, qui ei *Librum De partibus divinæ Legis dedicavit*. Victor Tunonen- C sis in eadem Africa Episcopus in Chronico, Cassiodorus Senator in Libro *De divinis Lectionibus* c. 9. Isidorus Catalogi cap. 9. atque multi recentiores, inter quos est Philippus Labbæus in Dissertatione historica De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis, tom. 2. pag. 234. illius Opera diligenter notat & recenset. Addit autem pag. 235. *Libri autem ejus de Hæresibus ad Fortunatum Episcopum videntur periisse, in quibus explicatis quod olim sanctus Augustinus in libro Hæreseon, imperfectum morte interveniente reliquerat, in primo ostendebat quid hæreticum faciat; in secundo & tertio digerebat quid hæreticum demonstret*. At salva pace Philippi Labbei, non perierunt illi tres Libri Primasio Episcopo attributi; sunt enim *ipse Prædestina-* D *tus*, quem vir doctissimus Jacobus Sirmondus Anonymum tribus libris edidit Parisiis apud Sebastianum Cramoisy anno 1643. in 8. & hanc observationem debemus Joanni Mabillon, qui tom. 4. Analectorum suorum, describens in Præfatione Iter suum Germanicum pag. 83. & 84. testatur se vidisse in Germania hos libros manuscriptos sub nomine Primasii, quod omnino confirmat sententiam nostram, atque Opus Anonymum restituit legitimo parenti Primasio. Hæc Labbeo addenda censuimus necessarium. Vide Antonium Possevinum in Apparatu sacro, Aubertum Miræum in Bibliotheca Ecclesiastica, pag. 83. Scholio ad caput 9. Isidori De Scriptoribus Ecclesiasticis.

E

De Rustico Diacono. 545.

RUSTICUS Ecclesiæ Romanę Diaconus, scripsit disputationem adversus Acephalos per dialogismum, quæ extat tom. 4. Bibliothecæ sanctorum Patrum, sed imperfecta. Deest enim in fine pars altera, quam scripserat pro defensione trium Capitulorum Synodi Chalcedonensis, cujus quidem controversiæ causa Rusticus, cùm à Vigilio Papa cui affinitate junctus erat, defecisset, ab eodem una cum Sebastiano depositus est, ut constat ex sententia depositionis, quæ legitur inter epistolas Vigilii. Vide Cardin. Baronium tomo 7. Annalium ad annum 547. & 548.

DISSERTATIO HISTORICA.

RUSTICUS Ecclesiæ Romanæ Diaconus vivebat anno 548. & sequentibus tempore Justiniani Imp. & Vigilii Papæ, à quo propter schisma gradu motus est cum Sebastiano, ut ex Epistolis Vigilii aliisque vetustatis monumentis narrat Baronius & ex eo Joannes Maria Brasichellanus, & alii recentiores.

Dialogus adversus Acephalos fine mutilus, in quo fidei definitio in Concilio Chalcedonensi facta defenditur & Hæretici ab ea deficientes refutantur, (quæ enim de Theodoro Mopsuesteno de epistola Idæ & Theodoreto addiderat modò desiderantur) extat in Hæreseologia an. 1556. Basileæ edita, inter Orthodoxographa ibidem annis 1556. 1569. in Collectione Tigurina Patrum adversus Nestorium & Eutychem, necnon in Bibliothecis Veterum Patrum Parisiensibus & Coloniensi. Quod verò addunt è Græco versum fuisse incerto interprete, id mihi parum probabile apparet, cùm Rusticus ille Vigilio affinitate junctus Latinus ipse Latinè scripsisse videatur. In Annalibus Ecclesiasticis de hoc opere illud profertur judicium: Demptis ex illo spinis, quibus ager fertilis abundabat, & vepribus, quibus in angulo sylvescebat, excisis, quæ remanserunt viro docto digna videri. An verò, quæ ibidem subjicitur conjectura de scripto hoc opere ad Sebastianum Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem, cujus nomen postea erasum fuerit, firmis argumentis subsistat, viderint alii.

De Victore Tunonensi. 550.

VICTOR Tunonensis Ecclesiæ Africanæ Episcopus, scripsit, teste Isidoro cap. 25. de Illustribus Ecclesiæ scriptoribus, brevem historiam à principio mundi, usque ad primum Justini Junioris Imp. annum, quæ in lucem ab Henrico Canisio paucis abhinc annis edita est, sed à fine tantùm Chronici Prosperi Aquitani, usque ad initium Justini posterioris.

DISSERTATIO HISTORICA.

VICTOR Tunonensis Ecclesiæ in Africa Episcopus, sive, ut alii scribunt, Tunonensis, aut Tunnunensis: longiùs enim à vera scriptura recedunt, qui cum Trithemio Cummunensem, cum Honorio Cemmensem, cum Othone Frisingensi Episcopo lib. 5. Historiæ c. 6. & cum Adone vulgato (nam ut jampridem hoc est ab an. 1588. docuit V. C. Petrus Pithæus in vetustioribus exemplaribus scriptum legitur Tonnonensis) Turonensem, cum Siffrido & Possevino Tmuensem nuncupant aut Commenensem, vixit labente sæculo Christi sexto. Ob acerrimam Trium capitulorum defensionem circa annum 555. Justiniani Imperatoris jussu exul in Ægyptum deportatus. Unde rursus Const. vocatus est, & in ejusdem urbis monasterium detrusus, obiit circa annum 566.

Chronicon ab initio Mundi usque ad primum Justini junioris annum, scripserat, teste sancto Isidoro Hispalensi Episcopo cap. 25. de Scriptoribus Ecclesiasticis qui brevem per Consules annuos bellicarum Ecclesiasticarumque rerum nobilissimam vocat Historiam Laude & notatione illustrem ac memoria dignam. Ejus extat tantummodo ea pars, quæ *ab anno 444. ubi desierat Prosper Aquitanus in altera è præcedentibus editionibus ad annum usque 565. perducitur*, ab Henrico Canisio Noviomagensi J.C. primùm edita Ingolstadii anno 1600. in 4. cum quibusdam aliis, tum correctior in Thesauro Temporum à Josepho Scaligero post Eusebii, Hieronymi & Prosperi Chronica anno 1606. in folio, additis in utraque editione quibusdam ad marginem appendicibus. De Joanne Biclarensi Abbate & Gerundensi Episcopo Victoris Chronici Continuatore, dicemus suo loco. Porrò præter Isidorum tum loco citato, tum initio Chronici, Victoris hujusce meminerunt Ado Viennensis in primo Chronici sui limite, ubi perperam in omnibus, quas hactenus conspexi, editionibus, etiam postremis, dicitur Turonensis ut supra jam insinuatum est, Honorius Augustodunensis libelli III. de Luminaribus Ecclesiæ cap. 29. Otto Frisingensis Episcopus libro 5. cap. 6. Trithemius, Possevinus, Vossius, nam Miræus ne quidem, ut solet, Bellarminum exscripsit, fortè quod in auctiorem Bellarmini nostri editionem ab anno 1617. Parisiis sæpius emissam non inciderit, sed in aliquam è præcedentibus.

Extat inter supposita S. Ambrosio Mediolanensi Episcopo nonnulla opuscula *Liber de Pœnitentia*, de quo nihil hic addam iis, quæ supra ubi de Ambrosio Mediol. observavi.

De Facundo Hermianensi. 550.

SUPPLEMENTUM.

FACUNDUS Hermianensis, in Africa Provinciæ Bizacenæ Episcopus, floruit post Consulatum Basilii anno 4. & ultra, circa annum 550. duodecim libros scripsit *pro defensione trium Capitulorum*, quæ non posse absque injuria fidei Synodique Chalcedonensis eversione condemnari, falsò sibi persuasum habuit. Horum meminerunt Victor Tunonensis in Chronico, & sanctus Isidorus *lib. De Viris Illustribus* cap. 19. Scripsit etiam librum *adversus Morianum* seu *Mutianum Scholasticum*, qui Africanos Antistites propterea quòd se à Vigilio Papa & ab Ecclesia, trium Capitulorum causa, post illius judicatum segregaverant, meritò redarguebat. Hæc opera eruit è tenebris oblivionis Jacobus Sirmondus Societatis Jesu, impressitque anno 1629. in 8. Parisiis Sebastianus Cramoisy, via Jacobæa sub Ciconiis. Item scripsit Epistolam prolixam quam inscripsit *Epistolam fidei Catholicæ in defensione trium Capitulorum*, à Domno Luca Dacherio Ordinis Divi Benedicti editam tom. 4. Spicilegii jam sæpiùs citati, pag. 106. ex qua probatur Facundum Schismaticum fuisse, & in Schismate occubuisse. De eo sic Cassiodorus in Psalmum CXXXIII. *Facundus venerabilis Episcopus, Hæreticorum penetrabili subtilitate destructor, nuper ad Justinianum Principem scribens de duabus Naturis Domini Christi duos libellos cautè nimis luculenterque tractavit. Quos vobis manuscriptos reliqui, ut nec antiquis egeatis Tractatoribus, nec modernis*. Ubi duos libellos *De duabus Naturis Christi* ipsi tribuit Cassiodorus, sed existimo his verbis eum significasse duo prima Capita libri primi ex duodecim quos ad Justinianum direxit. Qui plura voluerit, adeat Possevinum *in Apparatu suo*. Aubertum Miræum *in Bibliotheca Ecclesiastica*; Scholio ad caput 19. Isidori *De Viris Illustribus*, pag. mihi 86. Natalem Alexandrum Dominicanum *in selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, sæculo 6. capite 4. pag. 156. & seqq.

De Aureliano Arelatensi Archiepiscopo. 550.

SUPPLEMENTUM.

AURELIANUS Arelatensis Archiepiscopus, ex Patriciorum Aurelianorum stirpe editus in Gallia

Gallia Narbonensi, ut memorant Ennodii Litteræ, eodem anno quo Auxanius rebus humanis excessit, ad Pontificatum pervenit 546. quem Vigilius Papa, petente Childeberto Rege, & consentiente Imperatore, Vicarium suum per omnes Gallias constituit, Litteris hoc anno die 23. Augusti missis, cùm ad ipsum Aurelianum, tum ad cæteros Galliarum Episcopos. Concilio Aurelianensi V. secundus à Sacerdote Lugdunensi subscripsit anno 549. ad eumque missa est anno 550. Epistola ejusdem Vigilii Romani Pontificis de quæstione in sui defensionem pro Chalcedonensi Synodo, qua hortatur ut Childeberto suggerat ad Regem Gothorum scribere, ne quid in Ecclesia Romana turbari sinat in præjudicium veræ Religionis, Urbe à Rege Totila novissimè capta, rogatque ut de ejus incolumitate, Ecclesiæque Romanæ juribus conservandis satagat, opera Childeberti Christianitatis (ut vocat) studiosissimi. Sanctus autem Aurelianus dicitur in Epistola Legatis Francorum qui Constantinopolim proficiscebantur directa, sub annum 552. ubi ad Vigilium Legationem in causa trium Capitulorum misisse scribitur, quam recitat Sirmondus. De illo etiam Præsule meminerunt Usuardus in Martyrologio, Baronius, Spondanus, & Proprium Arelatensis Ecclesiæ. Floruit sub Childeberto Rege Francorum, constructoque Monachorum Cœnobio, scripsit eis *Regulam*, quam habet Lucas Holstenius in Collectione sua, parte secunda, pag. 58. & seqq. Item *alteram Sanctimonialibus*, quam idem habet parte 3. pag. 35.

De Cypriano, Messiano & Stephano. 550.

Supplementum.

Cyprianus, Messianus, & Stephanus, tres Discipuli sancti Cæsarii Arelatensis, anno circiter 550. Vitam sui Magistri libris duobus scripserunt, quæ apud Surium ad diem 27. Augusti, mutila & imperfecta, sed quam integram & plenam Vincentius Barralis edidit, in Chronologia illustrium Lirinensis Insulæ virorum, impressa Lugduni anno 1613. in 4. Joannes Mabillon, sæculo primo Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, quibus tamen hunc non accenset Cæsarium.

De Martino Dumiensi, aliàs Bracarensi. 560.

Martinus Dumiensis monasterii Abbas ac deinde Ecclesiæ Bracarensis Episcopus vixit circa annum Domini 572. nam præfuit Concilio secundo Bracarensi, quod habitum est Æra 610. ideft, anno Domini 572. sed videtur anno sequenti obiisse, ut notat Cardin. Baronius. Scripsit *collectionem Canonum ex Græcis Synodis*, qui extant in tomis Conciliorum post secundam Synodum Bracarensem. Scripsit etiam *de quatuor virtutum Cardinalium differentia, & alia*, quæ extant in tomo quinto Bibliothecæ sanctorum Patrum editionis secundæ, meminit hujus Martini sanctus Isidorus in Catalogo Script. Eccles. cap. 22. & in lib. de viris illustribus cap. 35.

Dissertatio Historica.

Beatus Martinus, natione Pannonius, ex Orientis partibus navigans, venit in Galleciam ibique Dumiensi primùm cœnobio tum Ecclesiæ Bracarensi Præpositus multos Svevorum ab Ariana impietate ad Fidem Catholicam convertit. Floruit re-

A gnante Theodemiro seu Mirone Svevorum in illis Hispaniæ partibus Rege temporibus illis, quibus Justinianus in Republica Romana, & Athanagildus Wisigothorum in Hispaniis imperium tenuere, inquit S. Isidorus cap. 22. Catalogi de Viris Illustribus, ubi Gallia mendosè pro Gallecia legitur, necnon apud Honorium Augustodunensem cap. 26. lib. 3. de Luminaribus Eccles. Poss. & alios: obiit an. 580. Childeberti Regis Franc. quinto, ut testatur Gregorius Turonensis ejusdem temporis scriptor libro 5. Historiæ Francorum cap. 37. ejusque successor Pantardus subscripsit Concilio Toletano III. anno 589. die 8. Maji. Præfuerat ipse Concilio Bracarensi II. æra 610. ideft anno Christi 572. nec anno
B sequenti defunctus est, ut ex Baronio innuere videtur noster Bellarm. De eodem perhonorificam mentionem faciunt Concilium Toletanum X. Sigebertus capp. 19. & 117. ubi ait per manum Paschasii Diaconi Interrogationes & Responsionem plurium Sanctorum Patrum Ægyptiorum in suo Dumiensi cœnobio transtulisse, Trithemius, Garsias Loaisa, Ambrosius Morales, & alii Hisp. scriptores, tum Wion, Possevinus, Miræus, cæterique.

Liber de Moribus, falsò Senecæ Philosopho à quibusdam adscriptus, qui scribitur *Formula honestæ vitæ*, sive, *de differentiis quatuor vitutum Cardinalium*, ad Mironem Galleciæ Regem, extat cùm Basileæ curante Gilberto Cognato Nozoreno & alibi excu-
C sus, tum in Bibliothecis Veterum Patrum ac Duaci una cum Heroicis Quæstionibus Boethii Eponis.

Collectio Canonum Orientalium ex Græcis Synodis, in Ninigesii Lucensis in eadem Gallecia Episcopi gratiam, cùm non adeò rectè in Latinum sermonem antea fuisset versa, simpliciùs & emendatiùs, ut loquitur, restaurata extat, tum alibi impressa, tum in Conciliis Binianis post II. Synodum Bracarensem anno 572. celebratam.

Sententiæ Ægyptiorum Patrum, à Græco quodam Anonymo collectæ, & ab hoc B. Martino Latinè redditæ leguntur in Appendice ad Vitas Patrum R. P. Heriberti Rosvveidi Soc. JESU editas Antuerpiæ annis 1615. & 1628.

D Unde verò Miræus cap. 146. Auctarii acceperit à Trithemio Martinum hunc Vocari Mandonensem seu Mindoniensem in Hispania Episcopum nondum intelligere potui, præsertim cùm de eo ad Isidori Catalogum multa fuerit locutus.

De Procopio Gazæo. 560.

Procopius Gazæus Sophista, cujus meminit Photius in sua Bibliothecâ, scripsit *in Octateuchum Commentaria* magis ex aliorum libris, quàm ex proprio ingenio: scripsit etiam *in Isaiam*, quæ extant excusa Parisiis Græcè, & Latinè; dicitur etiam scripsisse *in libros Regum, & Paralipomenon*,
E quæ opera utrum extent, ignoro: quando vixerit, non certum est: sed posuimus eum post annum quingentesimum, quia nec S. Hieronymus, nec Gennadius, neque alii, qui scripserunt ante annum quingentesimum, hunc auctorem nominaverunt.

Dissertatio Historica.

Procopius Gazæus, Sophista, incertæ dicitur ætatis à Bellarmino, aliis eum ad annum 470. aut 500. revocantibus. Certè sub extremis Anastasii Dicori temporibus & Justino Imperatore floruisse videtur, siquidem ille sit, de quo Photius cod. 160. loquitur, qui Choricium Sophistam Gazæum Justiniani Augusti æqualem discipulum habuit in patria sua, eumdemque in docendi munere successorem.

Certè

Certè ea fuit Maximi Margunii mens in Scholiis. Videndi quoque ejusdem Photianæ Bibliothecæ codices 206. & 207. & ex recentioribus, Sixtus Senensis, Possevinus, &c. Fœdè verò lapsus est inficetissimus Patrologus Jenensis Scholæ Patriarcha, Gerhardus qui in ridiculo suo centone cum Procopio Historico nostrum hunc confudit his verbis: Annorum 142. anno Christi 554. terminatorum Historiam Ecclesiasticam scripsisse refert Gault. ex Genebrardo in Vigilio. En cor Zenodoti! Quod facinus, aliaque illi similia, si seriò perpendissent, nec Joannes Ernestus Gerhardus opus illud patris sui luce publica indignissimum eduxissent è tenebris, nec nepos ejus Jo: Andreas Quenfteldtius insulsum illum consarcinatorem tantis beasset laudibus, & cum Heroibus à Semideis tantum non in Cœlo collocasset.

Commentaria in Octateuchum, sive Heptateuchum, hoc est in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, ac Judices, ut Photius appellat, ἐξηγητικαὶ σχολαὶ, ex Vetustissimis Orthodoxorum Patrum, aliorumque scriptorum enarrationibus in unum corpus & perpetuum interpretationis contextum accuratissimè concinnatè. Latinè tantùm, quòd sciam, hactenus prodierunt Tiguri anno 1555. Conrado Clausero Tigurino interprete.

Subjiciuntur Scholia ejusdem *Procopii in quatuor libros Regum & in primum Paralipomenon*, Ludovico Lavathero Tigurino interprete. *Scholia enim in secundum Paralipomenon* Latinè interpretatus est Hartmanus Hamberger Græcè & Latinè Lugduni Batavorum anno 1620. apud Elzevirios edidit Joannes Meurtius.

Ejusdem Procopii Sophistæ, *Variorum in Isaiam Prophetam Commentariorum epitome*, cum præposito Eusebii Pamphili alteriusve Veteris scriptoris fragmento de Vitis Prophetarum Græcè & Latinè prodiit Parisiis anno 1580. Joanne Curterio viro doctissimo interprete ad Illustrissimum Virum D. Joannem Rupifulcadium Majoris Monasterii Abbatem Francisci Rupifulcadii postea S. R. E. Card. Eminentissimi ac sanctissimi patruum, cujus dono codex ille quantivis pretii (*a*) venit in manus nostras, ex quo descripta sunt Græca Esaiæ verba cum additis Veterum septem interpretationum differentiis, earumque notis ab Origenis Hexaplis desumptis, quarum explicatio in eruditissima Præfatione proponitur.

Albertinus pag. 856. editionis Latinæ circa idem cum Hesychio Hierosolymitano tempus vixisse censet Procopium Gazæum. Nam cùm ipse dicat, in Exodum pag. 309. nostro sæculo contigit ut universa idola exscinderentur, & omnis occasio quæ ad hæc fabricanda impelleret; quod in universum ac planè factum non est ante Theodosii edictum anno Domini 439. publicatum: ac rursum videatur multa ex Chrysostomo & Cyrillo Alexandrino desumpsisse, verisimillimum est eum scripsisse circa quinti sæculi finem. Hæc ille: Nos verò etiam labente sexto floruisse arbitramur.

(*a*) Ille ipse est, quem Curterius, Usserius, Valesius, & quidam alii librum Renati Marchali vocant: ego verò longè meliori titulo, ut sanctissimi viri & in Societatem nostram quoad vixit beneficentissimi memoriam sempiternam colam & ad posteros propagem, soleo Rupifulcadianum appellare. Sixtus Senensis observat Procopium in Genesi & Exodo fusiorem esse, pressiorem in sex libris sequentibus, in quibus veluti annotationes quasdam collegit. Additque edisserere eum juxta quadruplicem divinæ Scripturæ intelligentiam non solùm LXX. Interpretum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionisque editiones, & Samaritanorum ac Judæorum codices; sed & D. Hieronymi, quem sæpè nominatim citat, versionem, à Sophronio (ut opinatus est) ex Latino in Græcum conversam. Quod verò ad Commentarios in Isaiam eodem ordine & cura conscriptos spectat, eos nondum sua ætate Latinè versos in Marciana apud Venetos Bibliotheca servatos fuisse testatur.

De Joanne Climaco. 560.

JOANNES CLIMACUS Monachus religiosissimus, scripsit *librum triginta graduum, quibus ascenditur ad perfectionem*; unde ipse nomen Climaci invenit. Existimant aliqui recentiores illum floruisse anno Dom. 340. sed non putamus id esse verum, tum quia nemo veterum hoc dicit, neque ex ipsius libro id colligi potest, tum quia in eo libro fit mentio sancti Abbatis Sabbæ, qui tempore Justiniani Imp. obiit anno Domini 532. ut refert Card. Baronius tom. 6. Annalium.

Dissertatio Historica.

JOANNES CLIMACUS, ob librum 30. capitum, quibus tamquam gradibus, seu scalis, ad perfectionis religiosæ culmen ascenditur, sic vulgò nuncupatus, idem quoque Joannes Sinaita, vel Abbas sancti Montis Sina, cognomento Scholasticus, ὁ σχολαστικὸς reperitur à veteribus dictus. Vixit extremo Christi sæculo sexto circa annum 580. & si Menæis Græcorum fides, penè centenarius obiit die 30. Martii, (*a*) ut habet etiam Martyrologium Romanum. Ejus res gestas Daniel Monachus scripsit apud Lipomanum & Surium. Errat Joannes Trithemius, tum quòd Climacum dicat Latinè sonare Scholasticum: voluit fortasse dicere scalasticum, seu scalarium; tum quòd claruisse scribat circa tempora Constantini, Constantii, & Constantis fratrum Imperatorum, qui regnaverunt anno 346. seu potius 339. nam sequenti interfectus est major natu Constantinus. Certum quippe est vixisse post S. Sabbam clarissimum Abbatem, qui è vita migravit quinto Decembris anni 532. De eodem Elias Metropolita Cretensis, qui explanationes in Scalam scripsit, quemque nonnulli putant interfuisse anno 787. Nicænæ II. Synodo, Joan. Gerson, Volaterranus, & alii recentiores.

Perfectissima omnium ejus operum editio Græcè & Latinè prodiit in folio Parisiis apud Sebastianum Cramosium, hoc ordine.

Matthæi Raderi Soc. JESU Presbyteri Isagoge ad Sancti Joannis Climaci scalam Paradisi, ubi ejusdem vita, &c.

S. Joannis Climaci Scala Paradisi, ad Joannem Abbatem Monasterii Rhaithuni, è Græco recens translata, & scholiis ibidem Græcis Latinè versis illustrata, ab eodem Matthæo Radero in usum Lectoris ad cœlum aspirantis. Latinè primùm reddita fuisse dicitur an. 1294. ab Angelo de Cingulo O. M. qui Clarenus cognominatus est, deinde ab Ambrosio Camaldulensi Monacho recognita, & typis excusa.

Accessit ejusdem sancti Climaci *Liber ad Pastorem*, ab eodem interprete jam olim in lucem datus, iterum recognitus, & scholiis itidem Græco-Latinis explanatus.

Tomo V. Bibliothecæ Magnæ Parisiensis, col. 178. & sequentibus, Leguntur Latinè dumtaxat ex versione supradicti Camaldulensis Epistola ad Joannem Abbatem Raythu, Scala Paradisi, de Officio Pastoris, Commentaria in triginta Sermones Climaci, & ejusdem commendatio facta ab eodem Joanne Raythunensi Abbate, Vita Climaci auctore Daniele, humili Monacho cœnobii ejusdem Raythuni compendiosè

diosè perscripta, & contemplatio scalæ vitæ ejusdem admixta.

Extat quoque Venetiis anno 1590. excusus Climacus in Græco-barbaram seu Vulgarem linguam translatus à Maximo Margunio Episcopo Citherorum, εἰς ὠφέλειαν τοῦ χριστωνύμου λαοῦ ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς διαλέκτου εἰς κοινὴν φράσιν μεταγλωττισθεὶς.

Fuit & alius Joannes Abbas Montis Sina, diversus, ut volunt, à nostro Climaco, qui in mss. codicibus perhibetur auctor germanus Historiæ SS. Barlaam & Josaphat, quæ legitur apud Laurentium Surium die 27. Novembris, & in calce operum Sancti Joannis Damasceni.

(a) Antonius Magister, Arnaldorum è sorore nepos, ex facundissimo Parisiensis Curiæ Advocato primasius Porturegiensis Eremi incola, ac verus variorum quæ à quindecim annis ex illa officina fictis alienisve decorata titulis prodierunt opusculorum scriptor, editum Græcè ac Latinè à Matthæo Radero Soc. JESU Presbytero Joannem Climacum vernacula lingua expressit: tum ne quid à Jesuita hausisse videretur, suppresso ejus nomine, (quod & in Vitis Patrum aliisque factum sæpè docuimus) ad mss. Regiæ ac Seguerianæ Bibliothecarum codices sua vel amicorum opera recognitum quibusdam in locis emaculavit, Eliæ Cretensis Metropolitani aliorumque scholiis propriisque observationibus illustravit, præmissa Climaci vita, quam non tantùm ex Daniele Raythensi Monacho, sed etiam ex Anonymo ejusdem Raderi opera vulgato eleganter contexuit. Iis secunda Editio locupletior prodiit in 8. anno 1658. apud Petrum Parvum. Idem quoque in Tabulam Historicam ac Chronologicam quæ hoc anno labente 1659. ibidem excusa est post Lectionum Eucharisticarum Compilationem Latino-Gallicam nonnulla de Climaco retulit. Quæ ad nostrum institutum facere videntur (neque enim in ipsam versionem inquiro, nec illam in plerisque Paraphrasi in aliis Epitomæ propiorem queror aut à Græco textu longiùs aberrantem. Id faciant qui majori abundant otio) ea ad duo capita revocanda censeo. I. apud Græcos in magno pretio habitum fuisse Climacum, ut ex Athanasii quæstionibus, Elia Cretensi, Theodoro Studita, Philippo Solitario, Joanne Zonara, aliisque constat. II. Vixisse post anno 532. quo S. Sabbas obiit, atque annum 586. Tiberio II. imperante superasse ex conjectura admodum fragili, natum fuisse anno circiter 525. sub Justini I. imperio & Joannis I. Pontificatu, ætatis anno decimosexto, Christi 541. Monasticum habitum induisse, in solitudine ac cœnobio perseverasse annis propè 60. creatum exeunte sæculo Christi sexto Montis Sinai Abbatem, tandemque hortatu Joannis Rhaythensis Abbatis conscriptis qui supersunt libellis abiisse ad superos anno ætatis 85. Christi 605. aut 606. biennio post S. Gregorii Magni Papæ felicem ex hac vita transitum. Verùm subductis rationibus peccasse Magistrum, ejusve subadjuvas deprehendi. Nam si anno 525. sub Justino & Joanne natus annos 85. vivendo attigit aut superavit, non anno 606. sed 610. obiisse dicendus fuerat, annoque præcisè 600. præfuisse Monachis Sinaitis, si susceptа anno 541. Monastica veste annos tum natus erat 75. Præter hæc operosam hujusmodi substructionem nullo negotio destrui necesse est, si vera sunt quæ ipse parum cautus refert sub finem Capitis XV. ex narratione Monachi Sinaitæ. Tria quippè tradit Anonymus ille. I. obiisse Joannem Climacum eodem vertente anno quo frater ejus atque in regimine Cœnobii successor Georgius. II. Georgium elapsis quatuor à morte fratris sui mensibus per revelationem divinitus didicisse PETRUM Patriarcham Hierosolymitanum ex hac quoque vita post sex menses discessurum: III. utriusque mortem decimo post transitum Joannis Climaci mense designato tempore contigisse. Quærendus enim annus est quo Petrus ille Hierosolymorum Patriarcha defunctus est, ut tum Georgii illius celeberrimi Anachoretæ tum fratris ejus Joannis Climaci Abbatum Sinaitarum fatalis annus argumento Chronologico certissimè demonstretur. Theophanes in Chronico ad annum Imperatoris Justiniani 19. Petri primordia refert, atque an. 1. Justini II. Imperatoris, Christi ut putamus 566. post elapsos in Episcopatu annos 20. successorem ei adsignat Macarium ejus nominis II. Hoc si exploratum esset, Joannis Climaci mortem anno 565. Georgii verò ac Petri anno 566. defigendam esse fateremur. At repugnat Evagrius qui cap. 36. libri 4. Macarii initia, viventis adhuc Justiniani temporibus videtur adsignare his verbis: Sedem autem Hierosolymorum obtinet post Martyrium Sallustius, cui successit Helias: Hunc Petrus, Petrum autem Macarius sequutus est, Imperatore nondum ei suffragante, qui postea sede sua pulsus fuit, &c. tum cap. 38. cum Joanne Catelino Papa, Joanne Sirimiota Const. Apollinario Alexandrino, Anastasio Sinaita Antiocheno, Patriarchis, qui Justiniano novam inducenti hæresim obstiterunt, numerat Macarium, αὖθις ἀποδοθέντα τῷ οἰκείῳ θρόνῳ ad propriam sedem restitutum. Nicephorus Const. annos dumtaxat 20. Petro tribuit; Macario autem ejus successori primùm duos, tum post restitutionem quatuor. Quare mirum mihi accidit cur Petri mortem anno 546. tribuerit Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, & alii ante eum anno 545. Certum quippè est eum usque ad extrema ferè Justiniani tempora pervenisse, ideoque si vera narravit Anonymus Sinaita Monachus, Joannis Climaci mortem ejusque fratris Georgii (de quo & de morte Petri Patriarchæ eadem ferè tradit Joannes Moschus cap. 117. Prati spiritualis) inter annos Christianæ æræ 560. & 565. quærendam esse, non verò in annum 586. rejiciendam. Hoc itaque fixum ratumque sit vix certi quicquam de anno mortis Climaci, multoque minus de profectione ejus in cœnobium, de tempore commorationis in eremo, de Præfecturæ Sinaiticæ primordiis pronunciari posse. Ex ejusdem autem ac Georgii fratris ejus, Zosimi Abbatis, Leonis Abbatis, atque aliorum plurium mentione certum est. Joannis Moschi Pratum spirituale, quod sæpissimè Laudavit Dorothæus Archimandrita aut non multò ante, aut etiam post annum à partu Virginis 600. conscriptum fuisse. Sed de iis hactenus, cùm doceero quamobrem fragilem paulò ante dixerim illorum conjecturam, qui annum Christi 586. superasse vivendo Joannem Climacum arbitrati sunt. Ansam opinandi præbuisse videntur cum Illustriss. Baronius qui in Annalibus suis ad prædictum annum retulit & Imperatoris Tiberii jam ab annis quatuor demortui obitum, & celebrem Leonis Abbatis à Barbaris decollati à Moscho cap. 112. narratam historiam, tum Scholiastæ veteres, qui si quæ fides Porturegiensibus Conjectoribus, ad ista verba Gradus XXVI. de Discretione: εἰσὶ γαρ ψυχαὶ αἳ καὶ, ὑπὲρ τὴν ἐντολὴν διεπράξαντο, πεισο σε παντως τὸ εἰρημένον ὁ ὑπὲρ ἑαυτὸν τὸν πλησίον ἀγαπήσας καὶ ὑπὲρ τούτου τὴν ψυχὴν προθέμενος, καίπερ ἐπιταγὴν κυρίου εἰς τουτο μὴ κομισάμενος, insinuant respexisse Joannem Climacum ad eximiam illam memorati Leonis Abbatis charitatem tamquam jam sub Tiberii imperio proximis exhibitam, ideoque eum, aut eodem vivente Tiberio aut post ejus mortem, scalam scripsisse suam. Verùm nec Climaci verba id evincunt, cùm innumerabiles ante eum Christiani pro fratribus suis animas ultronei libentesque posuerint,

ficque reddi possunt ejus verba: Persuadebit hoc tibi quisquis proximum suum plusquam seipsum dilexit, &c. nec Interpres Græcus à Radero editus hac loquendi formula ὁ Ἀββᾶς Λεὼν aliud innuit, quàm in exemplum illius sententiæ Leonem Abbatem posse adduci, sive Climacum præcesserit, sive fuerit subsecutus. Eliam Cretensem non vidi. Joannes verò Rhaythensis Abbas, sive ille Climaco coævus, sive quis alius junior, in scholiis, quorum Græcus desideratur hactenus contextus, hæc habet: *De Abbate Leone dicit*, hoc est potest intelligi, *qui seipsum in mortem pro quodam fratre lucrando tradidit spontaneè, vel de Militum Magistriano, qui in Corintho*, pro cujusdam Virginis *servanda virginitate mortem elegit suscipere*. Ex quibus nemo non videt, tum Leonem, tum Magistrianum, explicationis dumtaxat gratia fuisse in medium adductos.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES CLIMACUS, ob librum 30. Capitum, quibus tamquam gradibus seu scalis ad perfectionis Religiosæ culmen ascenditur, sic vulgò nuncupatus. Idem quoque Joannes Sinaita, vel Abbas sancti Montis Sina, cognomento Scholasticus reperitur à Veteribus dictus. Vixit extremo Christi sæculo sexto, circa annum 580. & si Menæis Græcorum fides, penè centenarius obiit die 30. Martii ut habet etiam Martyrologium Romanum. De eodem Elias Cretensis Metropolita, qui Explanationes in Scalam scripsit, quemque nonnulli putant interfuisse anno 787. Nicænæ Synodo, Joannes Gerson, Volaterranus, & alii recentiores cum Bellarmino & Labbeo, quibus hoc addam:

Nullum Auctorem Græcum inveniri, cujus Opera tam frequentia sint in Manuscriptis Græcis Bibliothecis. Nam in Vaticana decies & ultra mss. sunt, in Vallicellana bis, in Veneta Serenissimæ Reipublicæ ter, in Florentina bis, in Messanensi bis, in Bavarica bis, in Augustana ter, in Imperatoria bis, in Regia Gallica sæpiùs inveniuntur. Fuit & alius Joannes Abbas Montis Sina, diversus, ut volunt, à nostro Climaco, qui in manuscriptis Codicibus perhibetur Auctor Germanus historiæ Sanctorum Barlaam & Josaphat. Hæc legitur apud Laurentium Surium latinè ad diem 27. Novembris, & in calce Operum sancti Joannis Damasceni; quem illius Scriptorem censent Jacobus Billius in editione sua Operum dicti Damasceni procurata in fol. Parisiis anno 1577. & Heribertus Rosvveidus in Notis *ad Vitas Patrum*, evulgatas in fol. Antuerpiæ annis 1615. & 1628. Plantinianis typis. De Scriptore hujus Operis ita habet Codex manuscriptus 368. Bibliothecæ Heidelbergensis, nunc Vaticanus: *Barlaami & Josaphati Vita, Historia ex anteriori Æthiopum seu Indorum regione in sanctam Urbem translata per Joannem Monachum de Contubernio S. Sabbæ*. Codex autem 59. habet, *Barlaami Liber seu de rebus in India gestis à Barlaamo & Josaphato Joannis Damasceni*. Legitur etiam græcè ms. in Bibliotheca Augustana Cod. 79. Bavarica Cod. 205. & 17. atque alibi sæpiùs, ut in Florentina, & Regia Parisiensi.

De S. Dacio Mediolanensi. 560.

SANCTUS DACIUS Episcopus Mediolanensis vixit tempore Justini Imp. teste S. Gregorio lib. 3. dialog. cap. 4. & scripsit *Chronicum*; in cujus Chronici lib. 1. cap. 10. tradit Canticum: *Te Deum laudamus*, compositum fuisse à sanctis Ambrosio, & Augustino.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS DATIUS, sive Dacius, Mediolanensis Archiepiscopus, sæculo Christi sexto floruit, Justiniano imperante ab anno circiter 527. usque ad 552. aut 555. Ad eum scripta fuit Ep. 27. libri 12. Variarum apud Cassiodorum, ejusque meminit Sanctus Gregorius Papa lib. 3. Dialogorum, cap. 4. quod sic incipit: *Ejusdem quoque Principis tempore*, &c. ubi observandum venit erasse hactenus Bellarminum, Vossium, Miræum, aliosque, qui Datium sub Justino seniore vixisse conantur adstruere ex hoc capite, cùm tamen certissimum sit eo loci à sancto Gregorio Justinianum Imperatorem memorari, quem adiit Agapitus Pontifex superiori capite laudatus, non verò avunculum ejus decessoremque Justinum, ad quem sanctus Joannes Papa I. accessit missus à Theoderico Rege, ut pluribus in secundo capite explicatur. Mortem Datii ad annum Christi 555. post Consulatum V. C. Basilii 14. refert in Chronico Victor Tunonensis in Africa Episcopus damnatoribus Trium Capitulorum semper iniquior, his verbis: *Datius Mediolanensis Episcopus Constantinopolim venit, & damnationi eorumdem Trium Capitulorum consentiens, eo die percussus occubuit*. Martyrologium Romanum sanctis nomen ejus adscribit die 14. Januarii, ad quam consule Baronium, & Bollandum. Nec omittendi Ferdinandus Ughellus, & Mediolanensis Historiæ Illustratores. Hæc enim strictim delibamus.

Scripsisse dicitur *Chronicon*, & ex ejus Chronici capite 10. libri primi fragmentum unicum reperi hactenus citatum, ubi de Hymno *Te Deum laudamus*, nonnulla habet. Illud nondum, quod hactenus noverim, ullibi typis mandatum fuit, licèt id videantur plerique Scriptores ut certum supponere, atque D. Hugo-Menardus O. B. in Notis ad Ritum antiquum unctionis Regum Francorum, & ex eo Theophilus noster in Erotematis, dicant, stylum quo liber ille sancto Datio adscriptus exaratus est, non redolere tempora Justiniani, eaque in eo narrari de gestis in sanctorum Ambrosii & Augustini alloquio, quæ planè adversentur ipsi sancto Augustino atque Possidio. Si quando in manus meas oculosque venerit, de illo certiora polliceor, interim ἐπέχω.

SUPPLEMENTUM.

DATIUS Mediolanensis Archiepiscopus, florebat in dicta Ecclesia circa annum 560. cui plures attribuunt *Chronicon ms. in Bibliotheca Mediolanensi*, ut Aubertus Miræus in *Auctario* cap. 155. pag. 210. suæ *Bibliothecæ Ecclesiasticæ*, Ferdinandus Ughellus in Italia sacra, dum de Mediolanensibus Archiepiscopis. Sed quamvis sub sancti Datii Mediolanensis Archiepiscopi nomine inscriptum sit, suppositum tamen est, dum persequitur tempora seu seriem rerum Mediolanensium usque ad ann. 1066. cujus prima pars habet Auctorem Landulphum Seniorem, 2. Arnulphum, 3. Landulphum Juniorem. De hoc Chronico legatur observantia Joannis Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 3. ex litteris Mediolano acceptis, nullum enim argumentum veritatis hujus Chronici Datiani.

De Liberato. 560.

LIBERATUS Archidiaconus Carthaginensis, vixit paulò post quintam Synodum, ut ex ejus Breviario intelligi potest: scripsit enim *Breviarium de causa Nestorii, & Eutychetis*: quod Breviarium extat in 2. tom. Conciliorum, & cautè legendum est: sive enim ab aliquo depravatum fuerit, sive ipse auctor non bene assecutus sit historiæ veritatem, non pauca in eo videntur esse perperam scripta.

Dissertatio Historica.

LIBERATUS, Carthaginensis Ecclesiæ Archidiaconus, vixisse dicitur anno 560. saltem certum est scripsisse post annum Christi 546. ac fuisse unum ex Defensoribus Trium Capitulorum cum Facundo Hermianensi, Victore Tunonensi, aliisque pluribus Africanis. De eo, ejusque in pluribus suspecta fide consulendi Baronius ad annum 435. de Theodoro Mopsuesteno & 538. de Vigilio & Silverio Romanis Pontificibus, & Bellarminus tum loco citato, tum in Controversiis libro 4. de Pontifice Romano cap. 10. Vossius, Binius, Possevinus, aliique.

Breviarium de causa Nestorii & Eutychetis capitibus 24. comprehensum, reperitur in Tomis Conciliorum Generalium post 5. Synodum hoc initio: Peregrinationis necessitatibus defatigatus & aliquatenus feriatus animo à curis temporalibus duarum hæresum hoc est Nestorianorum & Eutychianorum, & Ecclesiastica Historia nuper de Græco in Latinum translata, & ex Gestis Synodalibus, vel SS. Patrum Epistolis, hoc Breviarium collegi, nectens temporum curricula illa, quæ in Græco Alexandriæ scripto recepi, vel gravissimorum hominum didici narratione fideli, &c.

De Joanne Scholastico. 560.

Supplementum.

JOANNES SCHOLASTICUS, ita dictus, quòd primùm in foro ex Scholasticorum, hoc est, Advocatorum seu Causidicorum numero fuerat, Antiochiæ Presbyter & Apocrisiarius, qui & postmodum Eutychio Patriarcha Constantinopolitano in exilium pulso, in ejus locum à Justiniano Imperatore suffectus est. Hic *Syllogem Canonum* composuit, qua priorum Conciliorum Canones in veteri Codice Ecclesiæ universæ sparsim diffusos, in quinquaginta titulos, non servato ordine temporis, nec serie seu consequentia numerorum: sed singulos ex similibus Canonibus, & ad eamdem rem pertinentibus titulos cum Canonibus integris contexuit. Item & *Nomocanonem seu Concordiam Canonum* Ecclesiæ cum Legibus civilibus. Utrumque Opus ex variis manuscriptis erutum, editum est tom. 2. Bibliothecæ Juris Canonici veteris, pagin. 499. & 603. cum doctissima Præfatione Christophori Justelli, apud Ludovicum Billaine Parisiis 2. tomis in fol. 1661. Floruit anno 560. vel circiter, electus Patriarcha Constantinopoleos, vel nominatus anno 554. mortuus anno 578. quo Eutychius iterum ad sedem suam reversus est. Agunt pluribus de eo Baronius in Annalibus 554. num. 11. & seqq. Auctores Bibliothecæ Juris Canonici veteris in Præfatione generali, & specialibus, ad dicta Opuscula Joannis, quos excutias.

A

De Isaaco Juniore. 560.

Supplementum.

ISAACUS Junior Monachus Syrus, distinctus ab Isaaco seniore Syro itidem Monacho, quem Gennadius in Catalogo capite 66. ita memorat: *Isaaco Syrus Presbyter Antiochenæ Ecclesiæ, scripsit Syro sermone, longo tempore, & multa; præcipua tamen cura adversus Nestorianos & Eutychianos. Ruinam etiam Antiochiæ longo carmine planxit, eo auditores imbuens sono, quo Ephrem Diaconus Nicomediæ lapsum. Moritur Leone & Martiano Imperantibus*. Hæc Gennadius de Seniore; sed Junior vixit usque ad extrema Gothorum tempora, ut narrat S. Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 14. Isaacus hic Junior creditur parens libri *De contemptu mundi*, qui tom. 6. Bibliothecæ SS. Patrum editionis à Coloniensibus anno 1618. procuratæ, legitur: eoque magis quòd sanctus Gregorius asserat ibi inter alia, ab Isaaco dictum, *Monachum qui in terra possessiones quærit, non esse Monachum*. Quod quidem ad citati libri Argumentum, facit quàm maximè. Ejusdem autem Isaaci Junioris in Bibliotheca veterum Patrum Sermones Ascetici leguntur, in veteribus editionibus annorum 1575. & 1589. sub titulis sequentibus, latinè tantùm impressi, nimirum

B

Exhortatorium vitæ spiritualis de contemptu mundi, cujus initium *Anima quæ Deum diligit* pag. 1019.

C

De pugna vitiorum, *Multum honorem &c.* pag. 1022.

De accessu ad Deum. *Quando aliquis in aliquam ruinam* pag. 1025.

De difficultate virtutum. *Quamlibet virtutem* pag. 1027.

De profectu spirituali Dialogus. *Quo vinculo retinetur* pag. 1028.

De ordine Monasticæ vitæ. *Ex operatione violenta* pag. 1031.

De humilitate. *Beatus homo qui sit* pag. 1032.

D

De tribus ordinibus proficientium. *Tres sunt ordines* pag. 1033.

De solitudine Monachorum. *Homo multæ solitudinis* pag. 1035.

De diversis tentationibus. *Virtutes invicem* pag. 1038.

De informatione Novitiorum. *Hic est ordo sobrius* pag. 1043.

De pœnitentia. *Fortitudinem quam* pag. 1046.

Habentur autem Sermones ejusmodi græcè mss. in duobus Codicibus Bibliothecæ Vaticanæ sub hoc titulo: *Isaac Abbatis Syri & Anachoretæ, Episcopi Ninive, Sermones ascetici, scripti ab ipso proprio idiomate, expositi autem sive translati à sanctis Patribus Abbate Patricio & Abbate Abrahamo, Philosophis & demorantibus in Laura*. Possevinus in *Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in *Bibliotheca Ecclesiastica* Scholio ad cap. 66. Gennadii Massiliensis pag. 63. & in *Auctario* cap. 162. pag. 211. unde superiora habuimus.

E

De Pelagio Papa. 560.

Supplementum.

PELAGIUS Papa anno 559. mortuus die 4. Martii, putatur ex græco in latinum transtulisse librum *De Vitis Patrum* ab incerto auctore scriptum, qui in Plantiniana editione annorum 1615. & 1628. ordine quintus est. Itemque Joannes III.

Pelagii in Pontificatu Successor, anno 572. die 13. Julii mortuus, putatur latinum fecisse græcum librum *De vitis Patrum* ab Anonymo scriptum, qui in Plantiniana editione est ordine Sextus. Vide Heribertum Rosvveidum in suis *ad vitas Patrum Prolegomenis*, & Miræum in *Auctario* cap. 156. pag. 210. & in Scholio ad caput ultimum Hieronymiani Catalogi pag. 38.

De Zacharia Ep. Mitylenensi. 560.

Supplementum.

Zachariam istum vide sæc. 12. post Zachariam Chrysopolitanum.

De Cyrillo Monacho. 560.

Supplementum.

Cyrillus Monachus ac discipulus sancti P. Sabbæ floruit non anno 490. ut voluit Possevinus in suo *Apparatu sacro*, verbo *Cyrillus*: sed anno circiter 560. vel 553. ut Labbeus in *Chronologia* brevissima *Scriptorum Ecclesiasticorum*. Certum quippe est eum vixisse post sanctum Sabbam clarissimum Abbatem qui è vita migravit quinto Decembris anni 532. unde ad annum 560. vel circiter spectat. Scripsit autem *Vitam sancti Euthymii Abbatis*, de quo Romanum Martyrolog. ad diem 20. Januarii, quam habes græcè ms. in Bibliotheca serenissimi Bavariæ Ducis Cod. 164. Vaticana ex mss. Heidelbergensibus Codd. 308. & 357. in Regia Gallicana Codd. variis: Et quam edidit græcè & latinè ex mss. Regiis duobus 493. 2422. & tribus Colbertinis, Joannes Baptista Cotelier multæ Antiquitatis Theologus & Regius Linguæ græcæ Professor, tom. 2. pag. 200. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ græcæ*, in 4. Parisiis 1681. apud Franciscum Muguet sub signo trium Regum. Item *Vitam sancti Joannis cognomento Silentiarii*, quam græcè & latinè ediderunt ex ms. Vaticano 866. Continuatores Bollandistæ ad diem 13. Maji, editi tribus tomis in fol. Antuerpiæ anno 1680. apud Michaelem Cnobbarum. Item *Vitam sancti Sabbæ Abbatis* de quo Romanum Martyrologium ad diem 5. Decembris, quam habes ms. in Metaphraste apud varias Bibliothecas, & singulariùs in Vaticana Cod. 357. Heidelbergensi. Luculentum de Cyrillo Monacho testimonium dat Cæsar Baronius, de quo sic loquitur: liceat absque invidia dicere, me neminem reperisse post sanctum Hieronymum atque Athanasium, qui majori fide scripserit sanctissimorum virorum res gestas, digerens eas atque distinguens accuratè per tempora, ac ipse Cyrillus: dum quæ ipse vidit, vel sanctorum omni probitate præstantium virorum relatu didicit, absque levi suspicione mendacii, sinceram veritatem veluti sacrosanctum depositum posteris tradidit. Nempe vitam Joannis sanctissimi, qui ex Episcopo Coloniæ quæ erat in Armenia, evasit silentiarius: cùm profectus ad loca sancta, subjiciens se Disciplinæ magni Sabbæ, mutatus in Monachum ob incomparabilem silentii observantiam, *Silentiarius* est dictus. In *Annalibus* anno 491. n. 15. 16. 18. an. 497. n. 58. & anno 498. num. 10.

De Venantio Fortunato. 570.

Venantius Fortunatus Episcopus Pictaviensis, floruit doctrina, & sanctitate tempore Justini Junioris; scripsit *vitam sancti Hilarii*, quæ extat apud Surium die decimo quarto Januarii; scripsit *plurima carmina sacra*, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo octavo, editionis secundæ: sed in Ecclesia celebrantur maximè illa de sancta Cruce: *Vexilla Regis prodeunt*; & *Pange lingua gloriosi*.

Dissertatio Historica.

Venantius Honorius, sive Honoratus, Clementianus Fortunatus, in Italia haud procul Tarvisio, in loco, qui Duplabilis dicebatur, natus, Ravennæ liberalibus imbutus litteris & sancti Martini Turonensis Episcopi virtute, ab oculorum, quos oleo lampadis ad imaginem ejus ardentis inunxerat, lippitudine ac dolore liberatus, suscepto per Germaniam itinere, sat longa peregrinatione, quam alicubi describit, in Gallias venit ad sepulchrum liberatoris sui Martini, non anno dumtaxat 575. ut post quosdam alios scripsit Miræus, sed ante annum 560. Celebravit carmine elegiaco nuptias Sigeberti Regis & Brunechildæ anno 565. Ad Pictavos profectus, primò Presbyter, deinde ejusdem urbis Episcopus fuit, vixitque superstes Gregorio Turonensi Antistiti usque ad annum circiter 600. & post ejus sancti Historiarum scriptoris mortem videtur creatus Episcopus. Obiit die 15. Decembris, at annus ignoratur. De eo præter Gregorium Turonensem, qui sæpè amici sui meminit, & sanctorum vitas ab eo scriptas memorat, & Bandovinianam, quæ eum Episcopum vocat in Appendice seu libro 2. Vitæ B. Radegundis Reginæ, vide Bedam lib. 1. Hist. Eccles. Anglorum cap. 7. Paulum Diaconum libro 2. Historiæ Longobardorum cap. 3. Hilduinum in ep. ad Ludovicum Pium, Aimoinum libro 3. Hist. Francorum capp. 13. & 16. Sigebertum cap. 44. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Trithemium, Gregorium, Lilium Giraldum, Petrum Crinitum, Sixtum Senensem, Baronium, Vossium, ac præ cæteris Christophorum Brovverum Soc. Jesu Presbyterum, qui vitam ejus scripsit, præfixitque Collectioni Carminum & aliquot aliorum opusculorum excusæ in 4. annis 1603. & 1616. Moguntiæ apud Balthasarem Lippium. Nos eadem omnia opuscula Fortunati infinitis locis, partim ex optimæ notæ codicibus, partim ex certissimis conjecturis emendata, atque editis auctiora prælo jamdudum, cùm se dederit occasio, parata habemus.

Poematum libri undecim præmissa ad Gregorium Turonensem Metropolitanum epistola nuncupatoria. Nec enim leviter errarunt, qui ad S. Gregorium Magnum Romanum Pontificem scripsisse docuerunt.

De Vita S. Martini libri quatuor ex variis mss. codicibus ad eumdem Gregorium Turonensem.

Supplementa tria. I. de Excidio Turingiæ ex persona B. Radegundis. II. ad Justinum juniorem Imp. & Sophiam Augustam. III. ad Artachin.

Brovveri ad Venantium Notæ Sacræ Historicæ, & Geographicæ. Quod verò ad Indicem Chronographicum spectat, is omninò mendosus est & ad exactiores calculos revocandus.

Antequam verò pergam ulterius, advertat Lector initio libri decimi Carminum præmitti *Expositionem brevem, piam, atque elegantem orationis Dominicæ, & aliquot epistolas ad Mumulenum*; ipsius verò libri undecimi primo in limine occurrere *Expositionem Symboli Apostolorum*. Quod verò ad Vitas Sanctorum ab eo elucubratas attinet, hæ præcipuæ mihi videntur.

Vita sancti Hilarii Pictaviensis Episcopi libris duobus ad Pascentium ejusdem Pictavorum civitatis Episcopum; apud Surium & Bollandum die 13. Januarii. Eam verò

verò scripsisse animadverti ante annum Christi 559. quo obiit Probianus seu Probatianus Bituricensis Archiepiscopus.

Vita S. Albini Andegavensis Episcopi, apud Surium Kalendis Martii.

Vita S. Germani Parisiensis Episcopi, apud Surium 28. mensis Maji.

Vita S. Medardi Noviomensis Episcopi, quæ habetur apud Surium die 8. Junii, non est ea, quam scripsisse Fortunatum nostrum testis est Gregorius Turonensis libro de Gloria Confessorum cap. 45.

Vita S. Radegundis Reginæ, quæ obiit die 13. Augusti anni 587. apud Surium.

Vita S. Maurilii Andegavensis Episcopi, non est ea quæ apud Surium die 13. Septembris.

Vitam S. Remigii Remensis Archiepiscopi Kalendis Octobris quidam ei tribuunt. Sed teste Hincmaro certum est aliqua tantùm Miracula, quæ in populo recitarentur, excerpta.

Vita S. Marcelli Parisiensis Episcopi ad S. Germanum ejusdem civitatis Antistitem, Kalendis Novembris apud Surium.

Vita S. Amantii Ruthenensis Episcopi, apud Surium die 4. Novembris, & Tomo 2. Novæ Bibliothecæ mss. Librorum pag. 47.

Ex his verò omnibus, Lector, discas velim quantum aberravit à scopo Petrus Ricordatus, qui die seu libro 4. Historiæ Monasticæ scripsit Venantium floruisse sub Theodosio Imperatore primo circa annum Christi 420.

De Procopio Cæsareensi. 570.

SUPPLEMENTUM.

PROCOPIUS Cæsareæ in Palæstina natus, Historicus, Notarius & Comes Belisarii, cujus & res gestas conscripsit. Continet ejus historia *Libros octo*, quorum duo priores sunt *de bello Persico*, duo sequentes *de bello Vandalico*, quatuor postremi *de bello Gothico*. Priores duos in compendium redegit Photius in *Bibliotheca* Cod. 63. sed omnium Synopsim sive Compendium habes apud Agathiam in præfatione, qui suam historiam inde orditur, ubi Procopius desinit. Octo istis Libris postea nonum Procopius adjecit, & eum quòd complecteretur res anteà non editas, *Anecdota sive Arcana* nuncupavit, teste Suida, qui etiam tradit Procopium hoc libro invectum fuisse in Justinianum Imperatorem, ejusque conjugem Theodoram; itemque in Belisarium & ejus uxorem. Anecdota studio Nicolai Alemanni Romæ & Lugduni 1623. typis edita fuerunt. Cæterùm præter octo libros quos dixi, extat volumen Procopii *de Justiniani ædificiis*, in sex narrationes divisum, cujus operis Georgius Codinus in *selectis de Constantinopoli* meminit. Hæc autem omnia Procopii opera sunt edita græcè & latinè, inter Auctores Historiæ Byzantinæ in fol. 24. tomis editos, ex prælo Galliarum regio ab anno 1647. & ad 1670. & ultra. Longè diversus ab illo est Procopius Gazæus Sophista, cujus meminit Photius in *Bibliotheca* Codd. 206. & 207. qui concinnavit ex aliorum libris *Commentaria in Octateuchum*, *libros Regum & Paralipomenon*, Tiguri excusa anno 1555. Item *Commentaria in Isaiam* interprete Joanne Curterio, excusa græcè & latinè Parisiis anno 1580. Quando hic vixerit, certò non constat.

AGATHIAS Mutinæ in Asia natus, Scholasticus sive Causidicus Smirnæus, eodem & tempore quo Procopius vixit. Hic Suida teste, præter Epigrammata multa, scripsit *libros quinque de Imperio & rebus gestis Imperatoris Justiniani*, quos habes græcè & latinè impressos cum notis & interpretatione Bonaventuræ Vulcanii, inter Scriptores Historiæ Byzantinæ ex Typographio Galliarum Regio, de quo statim egimus in Procopio. Agathias creditur fuisse Gentilis, qui hic positus est tamquam Procopii Continuator in rebus Justinianeis.

AGNELLUS Ravennatensis Episcopus scripsit *Epistolam de ratione fidei ad Arminium*, quam reperies tom. 5. Bibliothecæ SS. Patrum à Coloniensibus anno 1618. procuratæ, & in editionibus anterioribus annorum 1575. & 1589. Parisiis apud Michaelem Sonnium. Hunc auctorem Coccius sæculo quinto vixisse existimat, sed sexto circa annum 560. Vossius *de historicis latinis* pag. 757. quem sequor.

NICETIUS Treverensis, pietate zeloque fidei inter alios Treverenses Episcopos conspicuus, apud Lemovices Nobilibus natalibus ortus, quem celeberrimi illius Nicetii tantopere à Sidonio Apollinari laudati, cognatione proximum fuisse aliqui conjiciunt. Hic autem ex Arvernia à Theodorico Mediomatricum Rege apud Treviros in Antistitem missus, & sancto Gallo qui à Clero exposcebatur, ob stirpis nobilitatem & sanctimoniæ laudem prælatus, ex Abbatis officio Treverensem Pontificatum Regis Decreto consecutus est. Qui ob id etiam Theodorico venerationi fuit, quod ipsum peccantem & Theodebertum filium liberè admonere ac emendare consueverat, ut passim ex Gregorii Hist. & ejusdem Nicetii in Vitis Patrum cap. 17. colligitur his verbis: *Venerabatur eum Rex Theodoricus magno honore, eò quòd sæpiùs vitia ejus nudaret ac crimina, castigatus emendatior redderetur: & ob hanc gratiam decedente Trevericæ Urbis Sacerdote, eum ad Episcopatum jussit accersiri*. Illud in eo mirandum narrat & Gregorius eodem capite, quòd ad Clericatus Ordinem non modò institutus, sed natus videretur, ut quidem cum corona quam Clerici tunc temporis gestare solebant Infans instar Attonsi rarescentibus in orbem pilis ex matris utero prodierit. Vir sanè Apostolicus, quem his Elogiis commendat Gregorius lib. 10. Hist. cap. 29. *Erat apud Urbem Trevericam vir eximiæ sanctitatis Nicetius Episcopus, non solùm in prædicatione admirabilis facundiæ, verùm etiam in operibus bonis ac mirabilibus celeberrimus habebatur in plebe*: & cap. 94. De gloria Confessorum, *Nicetius Eleemosynæ, Charitatis, sanctitatisque totius refulsit merito*. Quod autem sæpius pro injustis facinoribus ob incestas nuptias ab ipso Clotharius Rex acerrimè increpatus & excommunicatus fuisset, in exilium amandatur: à quo post hæc revocatus, Sedi suæ restituitur à Sigiberto filio, ut fusius describit idem Gregorius in Vita Nicetii, quam præclarè ex Beati Aredii Abbatis Lemovicini Narratione contexuisse testatur. Interim subscripsit Conciliis Arvernensi anno 535. Aurelianensi V. anno 549. & alteri Arvernensi eodem anno. Scripsit *de Vigiliis servorum Dei* tractatum, qui cum alia tractatu *de bono Psalmodiæ* tribuitur Nicetæ Episcopo in antiquissimis Membranis Bibliothecæ Vaticanæ; cujus etiam utriusque tractatus extant mss. Exemplaria in Bibliotheca sancti Maximini Trevirensis. Nuper utrumque edidit tom. 3. *Spicilegii* D. Lucas Dacherius Ordinis Divi Benedicti, tribuitque non Nicetæ Episcopo (quem vir clarissimus Lucas Holstenius, Jacobus Sirmondus, aliique eruditissimi censuerunt eum esse Nicetam Daciæ Episcopum, de quo plura sanctus Paulinus Epist. 10. ad Severum, Natali 9. sancti Fœlicis, & fusiùs Carmine 30. cùm Martyrologio Romano ad diem 7. Januarii, Baronius, Bollandus &c.) sed Nicetio nostro Trevirensi Archiepiscopo, ad quem spectare videntur. Extat quoque in actis Conciliorum ad annum 549. Epistola Mappinii Remensis ad eumdem Præsulem (quem Bea-

Beatissimum Papam indigitat) excusatoria cur ad Synodum Tullensem non venerit anno 550. Ubi etiam habentur, ut & in *Collectaneo Historicorum Franciæ* & in *Conciliis Galliæ* à Jacobo Sirmondo Parisiis in fol. 3. tomis anno 1629. apud Sebastianum Cramoisy evulgatis, *duæ Nicetii Epistolæ insignes* : quarum priore *Justinianum Imperatorem in hæresim lapsum sub annum* 563. *ab hæresi revocat*, altera *Clodosvindam Clotarii Francorum Regis filiam sub annum* 565. *hortatur ut maritum suum Alboinum Longobardorum Regem ad fidem Catholicam adducat*. Transiit ad Christum Nicetius circa annum 568. Nonis Decembris, quo die ejus Natalitia Ecclesia celebrat, quamquam alii velint obitum adscribi Kalendis Octobris, insigni encomio laudatus à Fortunato lib. 3. Carmine 9. quod vice Epitaphii potest hic referri.

Splendor, Apex fidei, veneranda mente Niceti
Totius orbis amor, Pontificumque caput.
Summus Apostolico præcellens Pastor ovili,
Auxisti meritis quidquid honoris habes.
Divino insistens operi, terrena relinquis,
Cui moritur mundus, non moriture manes.
Vita brevis cunctis, sed non brevis illa Beatis,
Cùm bona non pereant, jure perennis erit.
Dum tibi restrictus maneas & largus egenis,
Quod facis in minimis, te dare credo Deo.
Captivus quicumque redit sua limina cernens,
Ille lares patrios, tu capis inde polos.
Hic habet exul opem, jejunans invenit escas,
Qui venit esuriens, hic satiatus abit.
Tristibus abducis curas purgando querelas,
Et sanat cunctos una medela viros.
Pauperis hinc lachrymas desiccas, gaudia præstans;
Qui prius ingemuit, vota salutis habet.
Te pascente greges, numquam lupus abripit agnos;
Sunt bene securi quos tua caula tegit.
Templa vetusta Dei renovasti in culmine prisco,
Et floret senior te reparante domus.
Hinc populis longos tribuas pia vota per annos,
Et maneas pastor, ne lacerentur oves.

Corpus sepelitur in Basilica Maximini Trevirensis, quo loco memoria ejus in cultu erat ætate sancti Gregorii Turonensis, ut ipse insinuat libro *de Gloria Confessorum* cap. 93. ubi & hodie religiosè clarescit. fuit enim sanctitate, virtutum excellentia, & miraculorum signis admodum spectabilis. De Vita illius plura Gregorius in citatis libris *de Gloria Confessorum*, *Vitis Patrum*, & *Historia Francorum*, Fortunatus in *Carminibus*, Surius in *Vitis Sanctorum*, Baronius & Spondanus in *Annalibus*, Miræus in *Fastis Belgicis*, Brovverus in *Notis ad Fortunatum*, Hadrianus Valesius in libris *Rerum Francicarum*, Sammarthani Fratres in *Gallia Christiana* tom. 1. pag. 717. dum de Archiepiscopis Treverensibus, à quibus præcedentia ferè omnia habuimus.

PASCHASIUS sancti Martini ex Dumiensi Abbate Bracarensis Episcopi Diaconus, floruit anno circiter 580. transtulitque in linguam Latinam librum *de Vitis Patrum*, græcè ab incerto Auctore conscriptum, qui in editione Plantiniana est ordine septimus, quem Martino Abbati Dumiensi dicavit. Alius ab isto fuit sanctus Paschasius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, Martyrologio Romano ad diem 31. Maji adscriptus, à Sigeberto in Catal. cap. 17. & à nobis supra ad annum 520. recensitus.

MARIUS Aventicensis seu Lausannensis Episcopus, Concilio Matisconensi anno Christi 585. subscripsit, in Episcopatu annos viginti & menses octo exegit, anno ætatis sexagesimo quarto, pridie Kalendas Januarias obiit, qua die nomen ejus sacris

A Fastis adscriptum est. Sepultus fuit Lausannæ in Æde sancti Tyrsi, quæ exinde ob novi Hospitis celebritatem sancti Marii nuncupata est. Scripsit *Chronicon* à tempore quo sanctus Prosper Aquitanus definit, sive à Consulibus Valentiniano VIII. & Anthemio, id est, à Christi anno vulgari 455. usque ad annum 581. quod Petr. Fr. Chifflet Soc. Jesu Theologus primus ex mss. eruit, & Andreas Duchesnius inseruit tom. 1. pag. 210. Collectanei sui Historicorum Franciæ, anno 1638. apud Sebastianum Cramoisy, & annis sequentibus impressi. Agunt de Mario Aventicensi dictus Andreas Duchesnius loco citato, Sammarthani in *Gallia Christiana*, dum de Lausannensibus Episc.

B EVANTUS seu EVANTIUS, Abbas primùm, tum postea Viennensis in Gallia Episcopus, putatur vixisse ab anno Christi 580. ad 590. vel circiter. Hunc ut sanctum Ado in Chronico, & Molanus ad Usuardum die 3. Februarii commemorant. Hic Evantius vel Eventius, cujus meminit Fortunatus lib. 3. Epistola ad Euphronium, qui & Eventius & Aventius nominatur: quem Christophorus Brovverius in Notis suis ad Carmina & Opera Fortunati, putat fuisse Viennensem in Gallia Episcopum; & meritò: nam Evantius Viennensis Episcopus Matisconensi I. Concilio, anno 582. Lugdunensi III. 583. Valentino III. 584. & Matisconensi II. 585. subscripsit. Scripsit verò *Epistolam contra eos qui sanguinem animalium immundum esse judicant, & carnem mundam esse dicunt*: quam Epistolam ex manuscriptis Codicibus Cœnobii sancti Galli, Henricus Canisius tom. 5. Lectionis Antiquæ, & Colonienses in fine tomi 6. *Bibliothecæ Patrum* ediderunt. Sanè quod ad Argumentum Epistolæ ab Evantio (quisquis ille fuerit) scriptæ spectat, Joannes Lorinus cap. 15. in Acta Apostolorum & alii docent, primitivam Ecclesiam dudum abstinuisse à sanguine animalium. Gregorius Turonensis lib. 8. cap. 39. suæ Historiæ testatur obiisse anno undecimo Regni Childeberti in Austrasia, hoc est, anno Domini 586. De illo Sammarthani in *Gallia Christiana*, tom. 1. pag. 795. in Episcopis Viennensibus, Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 160. pag. 211. post Antonium Possevinum in *Apparatu sacro*.

C

D

De Joanne Biclarensi. 590.

JOANNES BICLARENSIS Monasterii Abbas, ut testatur Isidorus cap. 31. de Illustribus Eccl. scriptoribus, addidit ad Victoris Tunonensis Chronicon, ab anno primo Justini Junioris, usque ad annum octavum Mauritii Principis: editus est ab Henrico Canisio una cum Victore, anno 1600.

DISSERTATIO HISTORICA.

E JOANNES, Gerundensis Ecclesiæ Episcopus, gente Gothus, Scalabitanus ex provincia Lusitaniæ, in adolescentia per septem annos Constantinopoli Græca & Latina eruditione imbutus, reversus in Hispanias sub Leuvigildo Ariano Gothorum Rege Barcinonem in exilium relegatus, ubi ad radices Pyrenæorum montium condidit Monasterium, quod Biclaro dicitur. Quo anno factus sit Gerundæ Episcopus, quove obierit, non constat. Sunt qui sub Swwinthila obiisse dicant. Trithemius sub Recaredo floruisse dicit anno Domini 600. Verùm cùm Mauritio addat etiam Phocam, ultra signatum annum vitam produxisse oportuit: tyrannidem enim Phocas arripuit exeunte anno 602. De eo S. Isidorus capite 31. de Viris Illustribus, Honorius Aug. libelli 3. cap. 37. Trithemius, Baronius, Mariana, Miræus, &c.

Chro-

Chronico Victoris Tunnunensis in Africa Episcopi, addidit *Appendicem*, sive, *Chronicon ab anno primo Justini II. Imp. Christianæ æræ 566. usque ad annum* 8. Mauritii Imp. & quartum Recaredi Regis, Christi 590. Henricus Canisius Noviomagus J. C. & SS. Canonum Professor ordinarius, descriptum à R. P. Andrea Schotto ex codice Bibliothecæ Toletanæ, edidit primus Ingolstadii anno 1600. non in Antiquæ Lectionis Tomis, quod fuit Ger. Jo. Vossii μνημονικὸν ἁμάρτημα, sed cum Victore Tunonensi dumtaxat, legatione Luitprandi ad Nicephorum Phocam Imp. Synodo Bavarica, &c. Josephus Scaliger emendatius postea recudit anno 1606. cum Eusebio & aliis pluribus Chronographis in Thesauro Temporum.

De Eustathio Presbytero. 590.

SUPPLEMENTUM.

EUSTATHIUS Presbyter & familiaris domesticus sancti Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani, qui obiit anno Domini 586. cum Magistro in exilium profectus est, atque reversus Constantinopolim, numquam ab ejus latere discessit usque ad mortem. Scripsit *Vitam hujus sancti Patriarchæ*, annosque, menses, & dies assiduus diligensque observavit, quam ex Manuscripto Codice Vaticano græcè & Latinè ediderunt Continuatores Joannis Bollandi ad diem 6. Aprilis. Scripsit hanc Vitam imperante Mauritio Eustathius in Anniversario die obitus sancti Eutychii, circa annum 590. vel ultrà.

De Ferreolo Narbonensi. 590.

SUPPLEMENTUM.

FERREOLUS natione Narbonensis, è nobilissimis parentibus originem duxit, cujus genitor Ansbertus ex magno Senatorum genere, accepit & Clotharii Regis Francorum filiam vocabulo *Blithil.* Migrante tandem ad Cœlos Beato Firmino, eligitur Angelica electione B. Ferreolus Episcopus Ucetiensis, qui terrena cœlestis vitæ amore postponens, culmen sancti Officii in se suscepit, unde hujus sanctitatis & prædicationis fama longè lateque est diffusa. Propter sanctitatem vitæ B. Ferreolus à calumniatoribus accusatur, capitur & trahitur, & Parisios in exilium mittitur. Quantò pro Nomine Domini distabat à sæculo, tantò merebatur vicinior fieri Cœlo. Inspirante sancti spiritus gratia suæ Ecclesiæ ruinam mox scivit. Remittitur ad propria vir Beatus, & immensis muneribus à Rege donatur, cui ab exilio revertenti omnis populus occurrit. Hæc vetusta ejusdem Præsulis Vita. Instituit Monasterium, quod de suo nomine Ferriolacense nuncupavit, cujus Monachis *Regulam* scripsit, quam Lucretii Diensis Episcopi, qui in magna existimatione erat in Ecclesia Gallicana, permisit Censuræ, anno circiter 590. Hanc edidit Lucas Holstenius in *Codice Regularum*, parte 2. pag. 69. & seqq. deque eo honorificam mentionem facit sanctus Gregorius Turonensis lib. 6. Historiæ capite 7. sequentibus verbis: *Eo tempore Ferreolus Ucetiensis Episcopus, magnæ vir Sanctitatis obiit, magnus sapientia & intellectu, qui libros aliquos Epistolarum quasi Sidonium secutus, composuit. Post cujus obitum Albinus ex Præfecto per Dynamium Rectorem Provinciæ, extra Regis consilium, suscepit Episcopatum.*

De Dynamio. 590.

SUPPLEMENTUM.

DYNAMIUS Patricius & Rector patrimonii S. R. E. in Gallia, à Sigeberto in Catalogo, capite 114. est recensitus, *quasi scripserit Vitam virtutibus plenam sancti Marii, qui fuit Abbas Bodanensis Cœnobii.* Scripsit verò Dynamius vir illustris ac Patricius Vitam sancti Maximi, primùm Abbatis Lerinensis, post Episcopi Regiensis in Gallia, quam Urbico, qui Fausto in Ecclesia Regiensi successerat, dedicavit. Extat in Vitis Sanctorum Laurentii Surii ad diem 27. Novembris, & apud Vincentium Barralem in Chronologia Lerinensi. An hic apud Sigebertum sit legendum sancti Maximi, valde propendeo, licèt non habeam unde demonstrem. De Mario Bodanensi hactenus nihil legi. Dynamius laudatur à Gregorio Magno, Epistola ad ipsum data mense Aprili. Indictione undecima, anno Christi 593. Idem Gregorius anno 595. in Dynamii locum suffecit Candidum Presbyterum, eique mandavit ut ex solidis patrimonii Ecclesiæ Romanæ in Gallia recipiendis, pueros Anglos Paganos 17. aut 18. annorum compararet, in Monasteriis utique Deo dandos & Christiana doctrina imbuendos. De eodem absque dubio agunt Gregorius Turonensis lib. 6. Historiæ cap. 7. dum de electione Albini in Episcopum Ucetiensem defuncto Ferreolo. Item Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 167. pagin. 212. & Scholio ad caput 114. Sigeberti, Possevinus in Apparatu Sacro.

De Joanne Jejunatore. 595.

JOANNES Episcopus Constantinopolitanus, natione Cappadox, ob miram abstinentiam dictus jejunator, scripsit homiliam de pœnitentia, Continentia, & Virginitate, quæ extat inter opera S. Joannis Chrysostomi tomo 5. post homiliam 21. ad populum Antiochenum. Meminit etiam Isidorus cap. 26. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Alterius operis ab eodem Joanne editi de Sacramento Baptismatis, in quo varias antiquorum Patrum de trina mersione sententias collegerat.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES, natione Cappadox, Jejunator dictus νηστευτής, Patriarcha Const. fuit ab anno 585. ad 596. quo obiit exagitatus sæpè à Romanis Pontificibus Pelagio II. & S. Gregorio Magno, ob titulum Universalis sive Oecumenici, quem sibi arrogarat. De eo S. Isidorus cap. 26. de Viris Illustribus, Sophronius Patr. Hierosolymitanus apud Photium Tmemate 231. Constantinus Hermenopolus, Matthæus Blastares, Nicephorus Callistus, & ex recentioribus Baronius in Annalibus.

Præter *Homiliam de Pœnitentia, Continentia, & Virginitate*, de qua Bellarminus, extant editi à Rev. P. Joanne Morino Congregationis Oratorii D. N. J. C. Presbytero, in Appendice ad Tomum de Pœnitentia, duo Pœnitentiales libelli, de quibus consule præmissas illis adnotationes.

De Eutropio. 590.

SUPPLEMENTUM.

EUTROPIUS Ecclesiæ Valentinæ Episcopus, „ dum adhuc in Monasterio Servitano degeret, „

„ ret, & Pater esset Monachorum, scripsit ad Episcopum Licinianum, cujus suprà fecimus mentionem, valde utilem Epistolam; in qua petit ab eodem pro qua re baptizatis infantibus Chrismatis unctio tribuatur. Scripsit & ad Petrum Episcopum Irtabicensem, *de districtione Monachorum* sermone salubri compositam Epistolam, & valde Monachis necessariam. Hæc S. Isidorus cap. 32. De Viris illustribus. Hanc autem Epistolam *de districtione Monachorum ad Petrum*, edidit Lucas Holstenius anno *1663*. in Appendice ad Codicem Regularum, pag. 82.

De Evagrio. 596.

EVAGRIUS Scholasticus scripsit *historiam Ecclesiasticam libris sex*, ab eo tempore in quo desiit Sozomenus usque ad annum 12. Mauritii Imperatoris, id est ad annum Domini 597.

Dissertatio Historica.

UT nihil hìc dicam de Evagrio Antiocheno Patriarcha, qui cùm adhuc esset Presbyter vitam sancti Antonii ab Athanasio Græcè scriptam de Græco sermone transtulit in Latinum, teste S. Hieronymo cap. 125. & de Evagrio Pontico Monacho Origeniana fuligine asperso, quem Hyperboritam vocat sanctus Hieronymus, aliique ejusdem nominis, quos præteriit Bellarminus.

Evagrius Scholasticus Epiphania Syriæ urbe oriundus, post Eusebium, Socratem, Sozomenum, atque Theodoretum, *libros sex Ecclesiasticæ Historiæ*, ab anno circiter 431. quo Nestoriana impietas in Concilio Ephesino damnata est, usque ad annum 597. Mauritii Imperatoris 12. ut ipse in fine narrat, ubi etiam asserit scriptum à se aliud quoque opus fuisse, quod Relationes, Epistolas, Decreta, Orationes, Disputationes, resque alias ejusmodi complectebatur: seque duos honoris gradus consecutum: & primùm quidem à Tiberio Constantino ad Quæsturam evectum, tum à Mauricio munus adeptum servandarum Tabularum, in quibus non tam nomina, quàm ipsa Præfectorum acta inscribebantur. De eo Photius codice 29. Nicephorus Callistus in Procemio Historiæ Ecclesiasticæ, atque ex recentioribus Billius, Baronius, Vossius, aliique. (*a*)

(*a*) Nuperi Lectionum Eucharisticarum Collectores tria quatuorve peccant. I. Quòd scholasticum Antiochiæ vocent, qui fuerit patria Epiphaniensis. II. Quòd inchoasse asserant Historicam narrationem ab anno Christi 450. Theodosii junioris Imperii postremo, cùm tamen ipse disertissimis verbis asserat initium se ducturum à Nestoriana hæresi, quæ anno demum 431. in Concilio Ephesino velut hydra extincta est 20. an. ante Theodosii obitum: sic quippe loquitur c. 2. ipso ferè initio *δοκῶ μὴν ἀπορύσειν πρὸς εὔλογον διασκευὴν τῆς ἱςορίας ϗ τῆς ταύτης τελευτῆς καταντήσειν ἔιγε προοιμίας θεῖν, Κριςοῦ τοῦ ἐπὶ πάντων συνεργοῦντος Θεȣ̃, ἐκ τῆς Νεςορίȣ δυσσεβοῦς βλασφημίας, ἤρξατο δὲ ὁ τῶν ἐκκλησιῶν πόλεμος ἐνθάδε Αναςασίος τῆς*, &c. & quæ sequuntur, ut mihi ne verbum quidem ex toto libro primo, ejusque capitibus 22. legisse videantur, qui initium Ecclesiasticæ Evagrii Historiæ accersunt à morte Theodosii Minoris. III. iidem addunt Historiam illam desinere in annum Christi 595. Mauricii Imp. X. cùm tamen ipsemet scripserit conceptis verbis, se finem ipsi imponere anno 12. Mauricii: *ἐν ταυθὰ μοι τὰ τῆς ἱςορίας πεπαύσθω, Μαυρικίȣ δωδέκατον ἔτος τὴν Ρωμαίων βασιλείαν διακυβερνῶντος*. Undè patet neque feliciori successu in fine illius Historiæ, quàm in ejus initio fuisse versatos.

De Evagrio Antiocheno. 393.

Supplementum.

EVAGRIUS Sancti Hieronymi comes, tum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus post mortem Paulini Episcopi anno 389. creatus vixisse creditur usque ad annum 392. De eo Socrates Historiæ lib. 5. cap. 15. & Cassiodorus Hist. Tripartitæ lib. 9. cap. 26. Sanctus Hieronymus in Catalogo cap. 125. his verbis: *Evagrius Antiochiæ Episcopus, acris ac ferventis ingenii, cùm adhuc esset Presbyter, diversarum hypotheseon tractatus mihi legit, quos necdum edidit: vitam quoque Beati Antonii, de Græco Athanasii in sermonem nostrum transtulit*. Errant Sixtus Senensis, & Trithemius, dum Evagrium Episcopum Antiochenum & Evagrium Monachum S. Macarii Ægyptii discipulum Origenistam, conflant in unum. Extat vita S. Antonii Abbatis ab Evagrio Antiocheno Episcopo latinè reddita, in Vitis Patrum à Balthazare Moreto Typis Plantinianis anno 1628. Antuerpiæ in fol. editis, cum Notis Heriberti Rosvveidi.

De Evagrio Pontico. 395.

Supplementum.

EVAGRIUS Ponticus Sancti Macarii Ægyptii, & alterius Alexandrini dicti discipulus. Juxta Cassiodorum Historiæ lib. 8. cap. 1. è civitate Iberorum quæ circa Euxinum sita est in Ponto Amasiæ vel Helenopoli, quem Sanctus Hieronymus Hyperboritam appellat, Presbyteri filius erat, Lector ordinatus, à Sancto Basilio Cæsareæ in Cappadocia Episcopo ad Argæum, tum à Sancto Gregorio Nazianzeno ad Diaconatum promotus, ejusque factus Archidiaconus. Lapsus est in Origenis Sectam ab anno 379. Dydimo docente, sed cùm Constantinopoli fungeretur munere. Diaconi, ibi pertentatus ab uxore cujusdam ex Præfectis & visu territus, cogitur excedere divino impulsu. Invisit itaque Melaniam seniorem Hierosolymis versantem, eique adhæsit; cumque in morbum incidisset, Melania induit eum habitu, ut Palladius asserit, monastico, & dimisit ad montem Nitriæ, ubi per biennium commoratus est: tum abiit in solitudinem, ibique annos quatuordecim in celliis vixit, insistens jejuniis & orationibus, longamque complevit ætatem. Scripsit plures libros, de quibus ejusque virtutibus loquuntur Socrates lib. 4. Historiæ cap. 18. Cassiodorus lib 8. Historiæ Tripartitæ cap. 1. ferè per totum, Gennadius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 11. ubi asserit plerasque lucubrationes Evagrii Monachi è Græco in Latinum esse à se conversas, quem appellat *continentissimum & eruditissimum virum*. De eodem Evagrio habet multa Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem contra Pelagianos. Et in vitis Patrum lib. 2. cap. 27. extat vita Evagrii Pontici, qui ibidem *à Spiritualium rerum scientia & incredibili abstinentia* supra modum commendatur; quas quidem laudes Evagrium ipsum de se texuisse non est vero simile. Dicti porrò libri in editione Moretiana secundi & tertii Auctor sive Interpres, fuit Ruffinus Aquilejensis Presbyter, ut Prolegomeno X. ad vitas Patrum Heribertus Rosvveidus docet.

Scripsit Evagrius *librum unum de octo Vitiositatibus*, quem cum antiqua translatione Gennadii nostri vel Ruffini edidit Græcè & Latinè Parisiis in 4. post vitam Sancti

Sancti Joannis Chrysostomi, Emericus Bigot Doctor Rotomagensis, anno 1680. apud Viduam Edmundi Martini, via Jacobæa, sub Sole aureo, de quo, verbo *Palladius*. Item *Sermonem dogmaticum de Sancta Trinitate ad eos qui Monasticam Vitam degunt in patria, dum esset Constantinopoli cum Sancto Gregorio Nazianzi Episcopo:* quem Græcè & Latinè edidit pag. 358. Niliacorum opusculorum, de quibus infra, Josephus Maria Suarez, Episcopus olim Lucionensis, Romæ ex typographio Barberino anno 1673. Item sententias, *quæ ad Monachos & Anachoretas pertinent*, quas Gennadius interpretatus est, uti *libellum ad Virgines Deo devotas, seu doctrinam aptam vitæ communis Cœnobitis*, ex ejusdem interpretatione, ut ipse testatur. Hæc opera vocat Suidas in Lexico historico *Commentarium in Proverbia Salomonis*, eo maximè quòd in iis imitetur librum Proverbiorum Salomonis ut constat legenti utrumque, Latinè tantùm ex veteri hac interpretatione positum in Appendice Regularum Holstenii, pag. 34. ex Codice manuscripto Floriacensi, de qua supra in *Antonio*, & aliis veterum Regularum auctoribus. Item *Capitula gnostica 61.* quæ forsitan Commentarium gnosticum vocat Socrates Historiæ Ecclesiasticæ lib. 4. cap. 18. & quæ Evagrio tribuuntur in Codice Barberino, & in Vaticano 653. quamvis in Vaticano alio 1434. anepigrapha existant, ut appictum est ad oram Codicis Barberini, unde ea exscripsit dictus Suarez, transtulitque. Hæc nos ex Josepho Suare in Indice Operum Sancti Nili, absque præjudicio eorum qui plura cognoverint de Scriptis Evagrii Pontici.

De sancto Gregorio Turonico. 596.

GREGORIUS Turonensis Episcopus floruit imperante Mauritio, & sancto Gregorio Papa aliquanto senior fuit: siquidem anno septimo decimo inchoante Episcopatus Gregorii Turonici, Gregorius Papa creatus est, & anno 21. completo in Episcopatu suo Gregorius Turonicus obiit: cui supervixit Gregorius Papa annis octo. Itaque Gregorius Turonicus obiit anno Dom. 596. Gregorius autem Papa anno Dom. 604. Hæc ex Breviario vitæ S. Gregorii Turonici, & ex vita S. Gregorii Papæ decerpta sunt. Scripsit S. Gregorius Turonicus:

De Historia Francorum, lib. 10. *De gloria Martyrum*, 1. *De Gloria Confessorum*, 2. *De miraculis sancti Juliani*, 1. *De Miraculis S. Martini*, 4.

Alia præterea scripsisse dicitur, quæ vel non exstant, vel certè ad notitiam meam non pervenerunt.

DISSERTATIO HISTORICA.

GEORGIUS Florens, seu Florentinus, Gregorius, patria Arvernus, Florentio S. Galli Arvernorum Episcopi fratre genitus, à Gallo patruo suo educatus, nondum tricenarius S. Euphronio Turonensi Archiepiscopo 18. post ejus obitum die, Augusti mensis 21. feria prima suffectus est anno Christi 572. Sigeberti Regis Metensium 12. à morte Sancti Martini 173. Vivendi finem fecit anno 594. die Novembris 17. à transitu Sancti Martini 195. Gregorii Papæ V. Childeberti Francorum Regis 10. Episcop. 23. ætatis 52. De seipso rebusque suis sæpè loquitur, præcipuè extremo libro 10. Historiæ Francorum, initio libri primi de Miraculis Sancti Martini, & alibi, & de eo Fortunatus sæpè, Hilduinus in Areopageticis, Hincmarus præfatione in vitam Sancti Remigii, Aimoinus lib. 1. cap. 18. Sigebertus cap. 49. Honorius Augustodunensis libello tertio, cap. 33. Matthæus Westm. Trithemius, aliique.

Libri X. Historiæ Francorum, sæpè editi, cum Appendice, quæ dicitur Fredegarii, & aliorum.

Miraculorum in gloriam Martyrum libri duo, quorum secundus totus agit *de passione, virtutibus, & gloria Sancti Juliani Martyris*, qui Brivate in Arvernia colitur.

De Gloria Confessorum liber unus. De Miraculis Beati Episcopi Martini libri 4. Liber de vitis Patrum, in capita seu libellos 20. distributus.

Additur & libellus *de vita & morte septem Dormientium*, quorum corpora in Majori Monasterio continentur, ad Sulpitium Bituricensem Archiepiscopum, jam ab anno 1511. Parisiis editus, & ibidem anno 1640. recusus.

Eumdem narrat Sigebertus citatus scripsisse Chronicum Ecclesiasticæ Historiæ, atque Historiam Francorum parvo libello breviasse, quam postea diffusiùs novem (scribendum decem) libris digesserit. Videtur hic alludere ad Excarpsa illa, quæ sub nomine Thoromachi, hoc est Toronaci, seu Toronici, vulgavit Henricus Canisius.

Historiam Francorum Rivetus non est ausus fœtum ejus negare, verùm quia fanatica Lutheranorum & Calvinistarum novitas Sancti illius Viri lucubrationibus prorsùs evertitur, & manifesta detegitur Calvini, Bezæ, similiumque Francorum Apostatarum à fide magni Clodovei, suorumque Majorum defectio, impudentissimè adjecit forte nonnulla in sequentibus temporibus à malè feriatis Monachis hinc inde fuisse adspersa: quæ calumnia refutatione non indiget. Quod verò de ejus simplicitate ex Hilduino & Baronio subtexuit multa tam facilè admittentis, id occasione Dionysii Parisiensis Episcopi obiter dictum, consueta sibi de SS. Patribus maledicendi prurigine ad detrahendam cæteris illius scriptis fidem atque auctoritatem detorquere molitur vir omnium verè Francorum execratione dignissimus.

SÆCULUM SEPTIMUM

Ab anno Dom. 600. *ad* 700.

De sancto Gregorio Papa. 600.

SANCTUS GREGORIUS, Papa sanctissimus, & doctor eximius, & merito magnus appellatus, floruit Justini, Mauritii & Phocæ temporibus, & anno 14. Pontificatus sui, salutis autem 604. obiit. Scripsit:

Moralis expositionis in Job, lib. 38. *De cura pastorali partes tres*, 1. *Dialogorum cum Petro*, 4. *Expositionis in Cantica*, 1. *Expositionis in Ezechielem, homil.* 22. *Expositionem in septem Psalmos pœnitentiales. In primum librum Regum, lib.* 6. *Epistolarum, libros duodecim. Decreta nonnulla. Responsiones ad undecim interrogationes Augustini Episcopi Anglorum.*

Observatio.

Sanctus Ildephonsus in lib. de viris illustribus, qui extat inter opera S. Isidori, primo loco ponit sanctum Gregorium, eumque omnibus scriptoribus anteponit, meminit autem librorum quos supra enumeravimus, exceptis libris in Job, in primum Regum, in Psalmos & in Evangelia, sed addit, non omnia ejus opera enumerasse. S. Isidorus in lib. de Script. Eccles. meminit Moralium in Job, & homil. in Evangelia, sed & ipse fatetur, ad se non pervenisse omnia opera S. Gregorii. Extant nunc præter libros supra scriptos, Antiphonarium, cujus meminit Sigebertus, & liber Sacramentorum, sive Sacramentarium, vide editionem Romanam anno 1593.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS GREGORIUS Magnus, Romæ natus, patre Gordiano Senatore, Felicis II. aliis III. abnepos, ex Præfecto urbis Romanæ Monachus S. Equitii factus, tum à Pelagio II. Romano Pontifice S.R.E. Diaconus creatus, mittitur Const. ad Mauritium Imperatorem Apocrisiarius anno 582. unde disputatione cum Eutychio P. Const. de resurrectione carnis habita Romam reversus, ædificavit Monasterium Sancti Andreæ in Clivo Tauri, ac Pelagio lue extincto die 8. Febr. anni 590. ipse electus, acceptoque consensu Imp. Mauritii consecratus est die 3. Septembris ejusdem anni, tenuitque Pontificatum annis 13. mensibus 6. diebus 10. usque ad diem 12. Martii anni 604. quo obiit sub Phoca Imp. De eo S. Isidorus Hispalensis cap. 27. & S. Ildefonsus Toletanus Ep. cap. 1. Sigebertus cap. 41. Honorius Augustod. libello 3. cap. 32. Concilium Toletanum VIII. Joannes Diaconus in ejus vita circa annum 875. conscripta ad Joannem VIII. Papam, Gregorius Turonensis initio libri 10. Historiæ Francorum, Paulus Diaconus de Gestis Longobardorum, Beda, Ado, Photius cod. 252. Leo Ostiensis, Trithemius, Baronius, &c.

Omnia ejus opera jussu Sixti V. Romani Pontificis à Petro Tussinianensi Venusino Episcopo in sex Tomos redacta multis Locis prodierunt. Ego Parisiensem editionem anni 1640. quæ in manibus est, tibi, Lector, repræsentabo ad Romanum exemplar exactam.

Bellarm. de Script. Eccl. Tom. VII.

Tomo I. continentur.

Post Vitam quatuor libris distinctam, auctore Joanne Diacono, ad Joannem Papam VIII. & magnorum virorum de eo Elogia, &c.

Libri sex expositionis in librum I. Regum, qui & Samuelis dicitur.

Accesserunt S. Gregorii & parentum ejus Gordiani ac Silviæ imagines ad vivum expressæ, Commentario Angeli Rochæ Camertis Apostolici Sacrarii Præfecti illustratæ cum Indice in Vitam Sancti Gregorii à Joanne Diacono scriptam, & Tabulis donariorum Beatis Apostolis Petro & Paulo dicatis, & commentariolo explicatis.

Ridiculus verò, ut id obiter dicam, pro more Robertus Cocus cum hoc derediculo argumento: In editione Parisiensi anni 1533. libri sex Commentariorum in libros Regum, inter opera S. Gregorii non reperiuntur, ergo sunt suppostitii. Idem quoque Explanationes in septem Psalmos Pœnitentiales, & in Cantica Canticorum labefactare contendit propter insulsissimas rationes quæ aliàs exponentur. Cautior Rivetus ab hac scabie coquina abstinuit ungues, saltem in posterioribus editionibus. Insulsissimus verò Hottingerus, qui Rivetianis quisquiliis non contentus etiam Coquinas admiscuit suo Breviario: adeò ipsi sordes placent undequaque magno labore conquisitæ.

Tomo II. continentur.

Expositionis in Job, sive Moralium libri XXXV. (a) *Expositio in septem Psalmos Pœnitentiales. Expositio in Cantica Canticorum. Homiliarum in Ezechielem Prophetam libri duo.*

Tomo III. continentur.

Liber XL. Homiliarum de diversis lectionibus Evangelii, ad Secundinum Tauromintanum Episcopum. *Liber Pastoralis curæ* ad Joannem Ravennæ Episcopum.

Libri quatuor Dialogorum de vita & miraculis Patrum Italicorum, & de æternitate animarum, anno Pontificatus ejus quarto, Christi 593. compositi, cujus ipse operis intentionem exponit epist. 50. lib. 2. ad Maximianum Syracusarum Episcopum. Hos ab argutiis Melchioris Cani, cujus censuram Heterodoxi Chemnitius, Cocus, Rivetus, Chamierius, Gerhardus, similesque ἁγιομάχοι studiosissimè amplexi sunt, vindicavit Card. Baronius in notis ad diem 23. Decembris Fastorum Romanæ Ecclesiæ, nosque in Examine omnium cavillos machinasque facilè dissolvemus, ac præsertim ineptias impudentiamque Riveti, qui cùm Photium citet, ut Gregorio Magno dialogos abjudicet, ne quidem legerit ipsius verba, quæ luce meridiana clariora sunt, & inscitissimè

tissimè Zachariam Gregorii II. immediatum διάδοχον affirmarit: quod flagitium non verbis, sed scuticis verberibusque plectendum. Consulat Lector, amabo, quisquis erit, sive Orthodoxus, sive Heterodoxus, Photii codicem 252. ad calcem ἔτος ὁ θαυμάσιος, &c. Nec omittenda Tossani insania, qui delirare asserit Gregorium in Dialogis fictitia miracula recensentem, & in epistolis quædam arguit nimis Monachum redolentia, &c. (b)

Iidem libri quatuor à Zacharia Papa in Græcum sermonem conversi, qua de re Sigebertus cap. 77. Joannes Diaconus lib. 4. vitæ S. Gregorii, citatusque Photius P. Const. Bibliothecæ cod. 252. qui annos 165. constituit inter tempus quo S. Gregorius eos scripsit, & Zacharias vertit. Deerant in editione Romana anni 1591. sex capita cum dimidio, è libro tertio, quæ Henricus Canisius Tomo III. antiquæ lectionis è mss. restituit, quæque modò leguntur.

Tomo IV. continentur.

Registri Epistolarum libri XII. Hic verò notandum, Decretum quod in editione Romana anni 1588. & sequentibus habetur libro 2. Registri inter epistolam 38. & 39. cùm in præcedentibus ad calcem libri duodecimi fuisset rejectum, de Privilegiis Monasterio S. Medardi Suessionensi concessis, tamquam suppostitium, aut saltem in plerisque corruptum, fuisse repudiatum ab Eminentissimo Cardinale Jacobo Perronio Archiepiscopo Senonensi, in oratione habita in Comitiis totius Regni Francici, Jacobo Sirmondo, qui locum illi cum aliis Tomo I. Conciliorum Galliæ dare noluit, Bernardo Windingo Augustiniano, §. 8. Prolegomenon Critici Augustiniani castigati, ac dum hæc ederentur, peculiari libello confutatum à Joanne Launojo Constantiensi Presbytero, & Theologo Parisiensi, ut omittam Hakkevillum, Thomam Jamesium Danielem Chamierium, Robertum Cocum, Davidem Blondellum, Andream Rivetum, tum in fine Critici sacri, tum parte prima Defensionis Historiæ Papatus, similesque Heterodoxos, qui conferto agmine in illud irruunt. Vide Baronium ad annum 593. Bellarminum cap. 40. libri adversus Barclajum, & lib. quinto de Romano Pontifice, cap. 8. Theophilum Raynaudum in Erotematis de confixione librorum, pag. 140. aliosque, qui tueri ejus auctoritatem utcumque conati sunt; licèt non in eo sitas esse Græciæ opes scitè pronunciaverit noster Gretserus. (c)

Index in Registrum Epistolarum S. Gregorii ab Antonio Caraffa, Sanctæ Sedis Apostolicæ Bibliothecario & Cardinale concinnatus.

Tomo V. continentur.

Antiphonarius, sive Gradualis liber ordinatus per circulum anni. Liber Sacramentorum de circulo anni expositus à S. Gregorio Papa. Hymni à B. Gregorio I. Papa Romano conscripti, cum scholiis in librum Sacramentorum ab Angelo Rocca scriptis.

Tomo VI. continentur.

Liber de expositione novi ac veteris Testamenti, quem Sanctus Paterius Romanæ Ecclesiæ Notarius & Secundicerius de diversis libris S. Gregorii Papæ summo cum studio excerpere curavit: de quo infrà suo loco.

Præter ista in Auctarii Græco-Latini Tomo II. & Tomo XII. Magnæ Parisiensis Bibliothecæ Vet. Patrum, pag. 325. extat *S. Gregorii Liturgia*, seu formula Missæ Divinique Officii, cum interpretatione Græca Georgii Codini ex editione Parisiensi Federici Moreli anno 1575. ad V. C. Joannem à S. Andrea, Ecclesiæ B. Mariæ Parisiensis Canonicum.

R. P. Hugo Menardus, Ordin. Bened. Congreg. Sancti Mauri, *Librum Sacramentorum* ejusdem Sancti Gregorii Magni correctiorem, & locupletiorem edidit ex Missali mss. Sancti Eligii Bibliothecæ Corbejensis, notisque & observationibus illustravit Parisiis anno 1642. in 4.

Infamis apostata Lutherus in caput 49. Geneseos scribit Gregorium admodum tenuiter cognovisse Christum & Verbum Evangelii: quo nomine à Pontificiis meritò vapulat. Nec valet excusatio Patrologi longiùs quàm oporteat quæsita, cùm paulò ante ex Erasmi Præfatione in Opera S. Augustini puram, nulloque fuco picturatam Sanctimoniam in Gregorio agnoverit.

(a) Abbreviarunt eos S. Odo II. Cluniacensium Abbas in decem libros, qui extant, & in unum exiguum volumen Simon Affligemensis Monachus, quod non vidi typis expressum.

(b) Albertinus, quamquam hæreticus de Calvini parte, pagina 895. sub finem ex Dialogorum S. Gregorii libro 4. cap. 15. argumentatur, quamvis insicetissimè, in hunc modum: Refert mulierem, &c. quæ cum aliis ejus Historicis παροράμασι confutabimus aliàs operosiùs. Audio, neque enim vidi, Joannem Bletlejum defendisse adversùs Novatores Sanctum Gregorium in præfatione Apologiæ Protestantium pro Ecclesia Romana.

(c) Prodiit quoque hoc anno 1659. in hac urbe Privilegium Sacti Medardi Suessionensis propugnatum auctore D. Roberto Quatremaires Congregationis S. Mauri Monacho Benedictino apud Dionysium Bechet & Ludovicum Billaine in 8. quod per otium consulere poterit Lector, & cùm adversariorum scriptis committere.

De Orientio Episc. Illiberitano. 600.

SUPPLEMENTUM.

ORIENTIUS EPISCOPUS Illiberitanus juxta Labbeum in parva Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum, floruit anno circiter 600. de quo hæc pauca Sigebertus in Catalogo cap. 34. *Orientius Commonitorium Fidelibus scripsit metro heroico, ut mulceat legentem suavi Breviloquio.* Hoc Commonitorium Martinus Delrio primus Antuerpiæ anno 1600. apud Joachimum Trognezium publicavit; secundò posteà editum in tom. 5. Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis Coloniensis: denique editum etiam cum Notis Salmanticæ anno 1644. in 4. De illo Aubertus Miræus *in Bibliotheca Ecclesiastica scholio ad cap. 9. Gennadii De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 45. Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, verbo *Orientius*, ubi eum longè antiquiorem facit, sed non probat.

De Marco Poeta. 600.

SUPPLEMENTUM.

MARCUS POETA, atque ut volunt, familiaris Sancti Benedicti Cassinensis, *Vitam ejus à Sancto Gregorio descriptam desloravit heroico Breviloquio*, & pauca superaddidit. Hæc Sigebertus De Scriptoribus Ecclesiast. cap. 33. Carmen hujus Marci Romæ anno 1590. in 4. impressum est apud Franciscum Zannetum, cum Operibus Prosperi Martinengi Brixiensis, Monachi Monasterii Sanctæ Euphemiæ Brixiensis, Congregationis Cassinensis, alias Sanctæ Justinæ de Padua. Sunt autem hæc Marti-

Martinengi Opera, Collectaneum quoddam veterum Poematum Græcorum & Latinorum, cum propriis ejus Poematibus, quæ omnia tribus loco citato tomis impressa sunt.

De Fausto. 600.

SUPPLEMENTUM.

FAUSTUS *Discipulus Sancti Benedicti Abbatis, ab ipso Benedicto missus in Gallias, cum Mauro ejus Monacho, Vitam ipsius Mauri Monachi descripsit.* Hæc Sigebertus Gemblacensis in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 32. Extat hæc Vita apud Laurentium Surium ad diem 15. Januarii, qua Sanctus Maurus adscribitur Fastis Ecclesiasticis, apud Joannem Bollandum die eadem, ubi plura de Auctore hujus Operis in præludiis ad Vitam Sancti Mauri: denique in Collectione Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, sæculo primo hujus Ordinis, ubi multa de Sancto Mauro & de Scriptore vitæ illius, qui dicitur Faustus. Hoc enim opusculum ob Parachronismos, vix obtinet apud Criticos omnimodam fidem. Claruit Faustus circa annum 600. de quo Possevinus *in Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus *in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 171. pag. 213. ubi etiam loquitur de *Marco Poeta* qui Faustum præcedit. Sunt qui Vitam istam negant esse Fausti; sed alterius sub ejus nomine, quibus valida non desunt argumenta suæ assertionis. Solvant nodos istos, quorum interest.

De Leandro Hispalensi Episcopo. 600.

SUPPLEMENTUM.

LEANDER ex patre Severiano, professione Monachus, & ex Monacho Hispalensis Ecclesiæ provinciæ Bœticæ constitutus Episcopus, vir suavis eloquio, præstans ingenio, tantùm quoque vita atque doctrina valuit, ut fide etiam ejus atque industria populi gentis Gothorum ab Ariana Insania ad Fidem Catholicam reverterentur. Hic ex Hispania Constantinopolim ad Tiberium Augustum Legatus transmigravit, Synodo Episcoporum interfuit, & cum Sancto Gregorio postmodum Papa, qui tunc pro Pelagio secundo partes Legati agebat, familiaritatem habuit, intimamque necessitudinem. Ex vitæ studiorumque similitudine voluntates conciliatas fuisse, indicio sunt Libri Moralium à Divo Gregorio Leandri hortatu, ejusque nomine in publicum editi: Joannes Biclarensis tradit anno 589. Leandri atque Eutropii tunc Abbatis Servitani, ac postmodum Ecclesiæ Valentinæ Episcopi, consilio atque auctoritate, Actiones tertii Concilii Toletani potissimùm gubernatas fuisse. Scripsit librum unum *ad Florentiam sororem suam de Institutione & Contemptu mundi, titulorum distinctionibus prænotatum*, inquit Isidorus libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 28. quem ex mss. Codicibus edidit Lucas Holstenius in Codice Regularum part. 3. pag. 89. Mortuus est Leander anno Domini 603. die 27. Februarii, succedente sibi fratre suo Isidoro ad Archiepiscopatum Hispalensem. Plura de eo Surius & Bollandistæ ad diem 27. Februarii, post Isidorum libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 28. Honorium Augustodunensem libello 3. de iisdem Scriptoribus capit. 34. Possevinum in Apparatu sacro, Aubertum Miræum in Bibliotheca Ecclesiastica, Scholio ad caput 28. Isidori pag. 89. quos consulere potes.

De Hesychio, sive Isychio. 601.

HESYCHIUS, sive Isychius Episcopus Hierosolymitanus, tempore S. Gregorii vixit: nam ad eum est epist. 40. lib. 9. ex registro S. Gregorii. Neque alius invenitur Episcopus Hierosolymæ, qui dicatur Hesychius vel Isychius ante istum. Hic igitur scripsit *in Leviticum libros septem*; & exponit versionem S. Hieronymi, quod est argumentum, auctorem hunc esse posteriorem Hieronymo, & Augustino, & aliis veteribus: non enim cœpit versio S. Hieronymi esse in usu Ecclesiarum, nisi satis diu post obitum sancti Hieronymi.

DISSERTATIO HISTORICA.

QUIS fuerit Isicius, seu Hesychius, aut Esichius, Auctor *librorum septem Explanationis in Leviticum*, ad Eutychianum Diaconum, ab anno 1527. Basileæ apud Andream Catandrum opera Joannis Sichardi impressorum, ac deinde alibi, cùm seorsim tum in Bibliothecis Sanctorum Patrum sæpiùs recusorum, controvertitur inter eruditos, quorum varias sententias recensebo, quodque mihi probabilius visum fuerit, indicabo.

I. Eminentissimus S.R.E. Cardinalis Jacobus Perronius libri III. de Eucharistia auctoritate 27. censet auctorem illius operis fuisse Hesychium Salonitanum in Dalmatia Episcopum, qui sub Honorio Imperatore temporibus Zosimi Papæ ac S. Augustini floruit circa annum 418. Extat una Zosimi ad eum Epistola, & S. Augustini duæ, & ad Augustinum Hesychii una inter Augustinianas ordine 79. cujus stylus omnino diversus est ab Explanationum in Leviticum charactere, seu genere loquendi insueto & affectato, atque à communi dicendi consuetudine omnino abhorrenti, ut loquitur Sixtus Senensis in Bibliotheca. Ejusdem sed jam defuncti meminit vocatque beatæ memoriæ virum idem sanctus Augustinus cap. 5. libri 20. de Civitate Dei, quod consulendum Lectoribus suadeo.

II. Quidam censent tribuendos esse Commentarios illos Isicio, seu Hesychio juniori, Salonitano Episcopo aut Presb. qui S. Gregorii tempore, aut paulò post vixerit. In veteri quippe Bibliothecæ Regiæ codice hæc præmittebantur verba: *Incipit liber Esicii Salonitani Episcopi in Levitico*: & in fine, *Esicii Presbyteri Salonitani Episcopi in Levitico libri septem cum gratia Dei expliciunt*, quod ante Cardinalem Perronium jam observaverat V. C. Petrus Pithœus, ut didici ex libro edito, cui ipse pro more propria manu hæc & alia quædam appinxerat (*a*). Eumdem quoque codicem se vidisse innuit Albertinus in opere Latino. Verùm in Catalogo diu multumque à me quæsitus frustra fuit, omissus fortè incuria eorum qui eum texuerunt aut descripserunt.

III. Joannes Trithemius, Sixtus Senensis, & quidam alii referunt ad Hesychium seu Esytium quemdam Monachum ac Presbyterum, S. Gregorii Nazianzeni Episcopi auditorem & discipulum, qui circa annum Æræ Christi 400. imperantibus Honorio & Arcadio claruerit, & exemplo sui præceptoris admonitus in Divinos libros Novi veterisque Testamenti varia lucubraverit volumina.

IV. Bellarminus noster, Possevinus, Miræus, & quidam alii ad Hesychium ex Presbytero Sanctissimè Hierosolymorum civitatis Patriarcham confugiunt, ad quem reperitur scripta à Sancto Gregorio Papa circa annum 600. epistola, quæ est 40. libri IX. Regesti (*b*).

Præter hos & Lexicographum Grammaticum tres mihi

mihi occurrunt Hesychii. I. est Illustris cognominatus patria Milesius, Historicus qui tempore Imperatorum Justini senioris, ejusque etiam, ut par est credere, nepotis Justiniani floruit, & qui teste Photio codice *69.* Omnigenæ, ac Romanæ Historiæ libros sex à Bello ad obitum Anastasii elucubravit, ac seorsim de Justini ejus successoris in imperio rebus per aliquot annos gestis conscripsit: de quo nos plura Deo dante alio in opere. Vide Propreticon nostrum sive Apparatum Hist. Bizantii. Verùm à quibusdam in dubium vertitur, an fuerit Christianus. II. Est Hesychius Presbyter Constantinopolit. ejusdem Bibliothecæ Photii capite 51. ubi meminit quatuor ejus librorum sive sermonum in æneum serpentem. III. est Hesychius Presbyter Hierosolymitanus codicibus *269.* & *275.* cujus aliorumve cognominum nonnulla extant opuscula, quæ propter occasionem hujus in Leviticum Commentarii recensebo.

In tanta opinionum varietate tria quatuorve censeo præmittenda tamquam certissima.

I. Hunc auctorem scripsisse ante nonum Christi sæculum: cùm & ab Amalario Metensi Diacono capit. *36.* libri 4. de Ecclesiasticis Officiis, à Rabano Mauro in Prologo expositionis in Leviticum ad Freculfum Lexoviensem in Gallia Episcopum, & à Rabani Mauri Fuldensis Abbatis disc. Strabo Monacho Fuldensi citetur in præfatione Epitomes Commentariorum ejusdem in Leviticum, ubi dicitur Esychius sive Isichius Hierosolymorum Presbyter fidei integer & veritate suffultus. Idem quoque ex Photiana Myriobiblo colligi potest, si noster idem sit cum Encomiorum scriptore; atque ex Glossa Ordinaria, ubi dicitur Episcopus.

Alterum, post annum quadringentesimum & Imperatorum Arcadii & Honorii tempora, Zosimi quoque atque Augustini ætatem floruisse Explanatorem illum: quod multis argumentis probari potest; utitur enim versione S. Hieronymi, quam nostram editionem sive translationem aut præsentem tractationem appellat. Ea autem veteri sive vulgatæ è LXX. interpretum fontibus deductæ versioni non successit, nec in usu communi Ecclesiarum, sive Orientalium si tamen id tolerari debet, sive Occidentalium fuit, nisi satis diù post S. Hieronymi obitum, & circa S. Gregorii Magni Pontificatum, ut optimè arguit Bellarminus noster. Deinde quod palmare est argumentum, Nestorii, Eutychetisque blasphemias atque hæreses refellit, quæ in Conciliis Ephesino an. 431. & Chalcedonensi anno 451. communi Patrum sententiæ proscriptæ sunt.

Tertium, quod observatum vidi ab Edmundo Aubertino libro 2. de Eucharistia pag. 847. Latinæ editionis, quæ iis maximam partem antea exaratis in manus meas venit, Hierosolymis scriptos videri Commentarios illos. Nam in præfatione ad Eutychianum alludens ad Apostoli verba: *Deprecare*, inquit, *ut fiat oblatio verbi mei acceptabilis, non solùm in Jerusalem, sed & in omni terra:* & libro sexto loquens de comminationum ab Esaia & Osea contra Jerusalem pronuntiatarum executione: *Quod manifestat templum*, inquit, *& civitas hæc Jerusalem antiqua adhuc ostendens incendii reliquias.* Et rursum libro septimo: *Cognosces autem, si subtiliùs nosse vis, ea quæ ipsis* (Judæis) *evenerunt ex Josephi Historia, in qua eos & filios comedisse, & reliqua præsentium comminationum sustinuisse descripsit, quorum plurima etiam nunc nostris ad cernendum adjacent visibus.* Hæc ille.

Quartum probabilius videri Græcè fuisse conscriptas Explanationes illas, & ab aliquo semibarbaro, sive Isicius Salonitanus Episcopus aut Presbyter fuerit ætate Gregorii Magni posterior diversusque ab Hesychio illo Salonarum Antistite cujus meminit S.

A Augustinus, sive quis alius nobis ignotus, in Latinam linguam fuisse ante sæculum nonum conversas, ab eoque, cùm de Hieronymi versione mentionem reperit, de suo additas illas voces NOSTRAM *editionem sive translationem*, quòd eo quo scribebat tempore ea apud omnes Occidentales esset communis, antiquata LXX. interpretum versione, quam veterem vocare solet S. Gregorius. Castigandus enim mihi in nonnullis videtur supra memoratus Aubertinus Calvinianæ sectæ Minister, qui præstigiis suis simplicium atque imperitorum oculis sæpè ac mentibus illudit. I. Quòd imprudentissimè sugillet Cardinalem Bellarminum, asseratque ejus non fuisse de Græco Auctore judicium ferre, quippe qui linguæ

B Græcæ perquàm rudis & ignarus fuerit, ejus scripta testantur. Hoc enim callidissimum mendacium, & pura puta calumnia. II. Nihil obstare, quominus Hesychius hic, qui cùm Commentarios illos scriberet, Presbyter tantùm erat, factus fuerit Hierosolymitanus Episcopus, ad eumque scripserit S. Gregorius Papa. Esto enim idem sit Commentariorum auctor atque Encomiastes Apostolorum Thomæ ac Jacobi, & apud Photium Presbyter dicatur, non tamen negat Photius eum fuisse Episcopum, neque ad annum 480. aut 490. affigit. Nec collatio frequens, quam auctor ille instituit inter versionem LXX. interpretum & versiones Symmachi, Theodotionis, & Aquilæ, arguit eum Gre-

C gorio vetustiorem fuisse. Esto enim, licèt id quoque gratis concedatur, nemo reperiatur Gregorii temporibus, qui versiones Symmachi, Theodotionis, & Aquilæ præ manibus se habuisse dicat: quid amabo vetabat, quin eas ex Hieronymi, cæterorumque Græcorum Latinorumque Patrum Commentariis haurire posset, & de iis ex aliorum, qui viderant, fide disputare. Numquid hoc faciunt, feceruntque omnes S. Scripturæ interpretes Orthodoxi pariter & Heterodoxi. III. Falsissimum esse quod audacter ac præfractè contendit, Sophronium Latinam Hieronymi versionem Græcè vertisse, ac in Oriente communem & celebrem reddidisse, idque patere ex Procopio circa idem tempus illam citante,

D adeoque mirum non esse eam ab Hesychio exponi, & translationem nostram vocari, cùm à Sophronio Hierosolymitano confecta fuisset. Certè, quantum ex Hieronymo ipso constat cap. 134. Catalogi de Scriptoribus Ecclesiasticis Sophronius Psalterium & Prophetas de Hebræo in Latinum versos Græcè transtulit, de cæteris Scripturæ libris, ac de Levitico nominatim, ne verbum quidem: deinde cur Procopium, cur Hesychium nostrum Latinæ linguæ, quæ plerisque Græcis, saltem eruditis viris, familiaris erat, à Zenonis tempore ad Mauricii imperium, ignaros fuisse supponit; aut Græcis scriptoribus adeò viluisse LXX. interpretum versionem, ut ea contempta Hieronymianam è Latio profectam, *præsentem*

E *tractationem, nostramque editionem ac Translationem* appellare fuerint ausi: Ad populum phaleras.

Sunt & alia quædam, quæ in eo meritò redarguas; ut, quòd vilis homuncio terræ filius, Eminentissimum Cardinalem Archiepiscopum Senonensem & Magnum Franciæ Eleemosynarium indignis modis tractare non sit veritus: Absurdissimè, inquit, Hesychius Salonitanus statuitur à Perronio Commentarii hujus auctor. Nec flocci faciendum est quod fabulatur de veteribus exemplaribus. Nam quænam illa sunt? Certè codex perantiquus Bibliothecæ Regiæ Hierosolymitanum illum appellat, quamvis impostores nonnulli ex Hierosolymitano Salonitanum conficere summa impudentia conati sunt, literas aliquas abradentes & alias contorquentes, sed adeò rudi opera, ut eorum fœtus clarissimè appareat. Nec si

aliquos

aliquos vidisset Salonitanum legentes, ubi illi forent, notare prætermisisset. Hæc ille & alibi sæpiùs. Sed præstat ad institutum reverti, & vexatam toties ab eruditis quæstionem quoquo modo dirimere. Hoc itaque mihi nunc videtur verisimilius, vix certi quicquam de Authore, ejusque ætate definiri posse. Fuisse quidem Hesychium Presbyterum Hierosolymitanum ante octavum nonumve Christi sæculum; sed cùm multi in eadem Ecclesia ad illum honoris apicem pervenerint, nullis argumentis evinci posse hunc potiùs esse, quàm alterum, quinto veriùs exeunte quàm labente sexto, aut septimi primordiis viguisse. Hæc mea sententia, quam eruditiorum censuræ subjicio libens, & quæ sub nomine Hesychii Presbyteri Hierosolymitani mihi hactenus opuscula in lucem à variis edita occurrerunt, subjungo, quamquam hæc, ut plurima alia, à Bellarmino, quem illustratum imus, fuerint præterita.

Photius codicibus Bibliothecæ 269. & 275. refert Encomia in S. Thomam Apostolum & S. Jacobum fratrem Domini, ac Davidem Psalmographum *τὸν θεοπάτορα*, cum subjectis tribus Modesti Patr. Hierosol. orationibus *εἰς τὰς μυροφόρους, εἰς τὴν κοίμησιν τῆς παναγίας καὶ εἰς τὴν ὑπαπαντὴν.*

Hujus alteriusve Hesychii Hierosolymitani nomine inscribitur *στιχηρὸν, ἢ κεφάλαια* in 12. Minores Prophetas atque Isaiam ex membranis Bibliothecæ Augustanæ à Davide Heschelio anno 1602. Augustæ Vindelicorum Græcè dumtaxat editum cum Hadriani Isagoge in sacram Scripturam & pluribus aliis seu fragmentis seu opusculis.

In Auctarii Duceani Tomo 1. & pag. 985. Tomi 11. Bibliothecæ Morellianæ Veterum Patrum extat.

Hesychii Presbyteri Hierosolymitani sermo compendiosus animæ perutilis ad Theodulum de Temperantia & virtute, hoc est *ἀντιρρητικὰ, καὶ εὐκτικὰ*, sive de ratione reluctandi atque orandi, Græcè & Latinè capita ascetica in duas Centurias distributa, Joanne Pico Inquisitoriarum Classium in Senatu Parisiensi Præside. Græca editio Parisiis post Marci Eremitæ Ascetica in 8. anno 1563. apud Guillelmum Morellum: Latina verò ibidem iisdemque forma & anno apud Audoenum Parvum.

Eodem quoque interprete Tomi 12. pag. 661. *Sermones duo de Beata Virgine*, qui prius in Auctarium à R. P. Frontone Ducæo fuerant cum aliis relati Tomo 2. ex Parisiensi editione paulò antiquiori.

Tomi verò 15. pag. 821. ejusdem alteriusve Hesychii *Oratio demonstrativa in S. Andream Apostolum*, Carolo Fabiano interprete, sed Latinè dumtaxat non Græcè, de qua arbitror excerptum esse quod supra ex cod. 275. Bibliothecæ Photii præmisimus de Encomio in Divum Thomam: aut enim memoriæ lapsum in Photio, aut certè in ejus librario, qui Thomam Apostolum loco Andreæ posuerit, nemo qui utraque attentè contulerit, non agnoscet. Experire Lector, amabo, ac mirare rem adeò apertam à nullo quod sciam hactenus deprehensam.

In Actis Concilii V. Generalis seu Const. secundi Collatione quinta refertur ex Historia Ecclesiastica Hesychii Presbyteri Hierosolymitani fragmentum de Theodoro Mopsuestiæ Episcopo Nestorianæ hæreseos primo incentore, quem suis coloribus graphicè depingit: *Photinum Theodorus quidam imitatus est*, &c. quæ consulat cui ista arriserint.

In Auctario G. L. Combefisiano à col. 743. ad 774. Tomi prioris edita est oratio sub nomine Hesychii Presbyteri Hierosolymitani, quæ antea tribuebatur S. Gregorio Nysseno, *de Resurrectione D. N. J. C. quòdque nullo modo inter se sint contrarii Evangelistæ diversis modis recitantes, quæ acciderunt in*

A *Resurrectione*. Ac licèt de eodem argumento scripserint Joannes Thessalonicensis & Georgius Nicomediensis, non tamen inde consequens est, quòd fuerit eis coævus Hesychius, de quo hìc plura occasione Isicii seu Hesychii auctoris Commentariorum in Leviticum: qui & in Ezechielem Prophetam commentatum se profitetur, & in epistolam ad Hebræos scripsit, ut testis est Divus Thomas.

(*a*) Illum cuivis cernere volenti paratus sum cùm libuerit exhibere. Eumdem quoque quamvis credere vix queam aut alium & in plerisque persimilem ms. codicem in eadem Regis Christianissimi Bibliotheca se vidisse innuit Albertinus in opere Latino de Eucharistia. Verùm in Regiæ illius Bibliothecæ Catalogo diu multumque à me anno præterito quæsitus

B frustrà fuit. Feliciori usus est indagine R. P. Franciscus Combefis O. P. qui codicem illum numero 811. notatum reperiri significavit. Quem ut ego quoque oculis lustrarem meis, ad ingentem Manuscriptorum librorum verèque Regiam Gazam me contuli, atque indicato loco codicem reperi optimæ notæ, in quo hæc jam olim descripta sunt: *Incipit liber Isicii Hierosolymitani* (quam vocem in Salonitani detorsit ineptissimè falsarius quisquis fuit) *Episcopi in Levitico. Incipit Præfatio. Venerabili Diacono Eutychiano peccator Christi servus Isychius Presbyter in Christo salutem.* Tum deinde ad libri septimi calcem adduntur ista: *Isicii Presbyteri Hierosolymorum* (quæ dictio ab insulso

C nugatore deformata est in Salonitanorum) *in Levitico libri septem cum gratia Dei expliciunt.* Porrò causa deceptionis hæc fuerat, quòd malè sit disposita nominum series in Alphabetico Indice, ac post *Isaiam* non *Isicius*, sed post *Isidoros* ingenti ac numeroso agmine procedentes longo post intervallo reperiantur *Isis* & *Isicius*, qui in eo subinde atque aliis locis perperam dicitur *Salonitanus Episcopus*, ut planè mirum sit accuratissimos viros, qui hunc Catalogum immenso ac planè Herculeo labore primùm contexuerunt, Rigaltium, Salmasium, atque Hautinum dico, fraudem radiis solaribus depictam ac nulli nisi Tiresia cæciori imperviam non deprehendisse, aut Clarissimos Puteanos qui Indicem illum iteratis stu-

D diis concinnarunt descripseruntque, saltem ab Albertino admonitos, illam non annotasse; ne qui in posterum in eamdem cum aliis multis foveam delabantur. Præter hunc in eadem Bibliotheca Regia alium fuisse oportuit Isicii codicem ms. in cujus initio *Salonitani Episcopi*, in fine verò *Presbyteri Salon. Ep.* reperiretur, nullus dubito. Neque enim quispiam mihi persuadebit unquam, si quem vidi, omnesque videre possunt, vidisset codicem omnium Gallorum in pervidendis dijudicandisque mss. sagacissimus Petrus Pithœus, eum malum dolum pueris ipsis, imò & talpis properantibus non ignotum, illicò non fuisse subodoraturum ac damnaturum.

(*b*) In eamdem propendere sententiam visus est

E Vossius, dum alicubi asserit, Hesychium circa annum 600. vixisse, eosque falli, qui Nazianzeni discipulum fuisse voluerunt. Nuperi verò Lectionum Eucharisticarum Collectores in Tabula Historica & Chronologica in Albertini opinionem propensiores, & inter Eminentissimorum Cardinalium Perronii ac Bellarmini extremas sententias veluti medii, nonnulla observant ut Levitici Commentatorem Hesychium vixisse sæculo Christi quinto non sexto adstruant. Euthymii vitæ auctorem Cyrillum in medium proferunt, qui Hesychium Presbyterum Hierosolymitanum hominem, ut vocat, divinum Euthymio Archimandritæ, qui obiit non anno 472. sed anno 473. die 20. Januarii, familiarem fuisse affirmat, eique adjungunt Theophanem Chronographum, qui pag. 71. editionis Lupareæ hæc habet ad annum Theodosii 6.

sii 6. *Eo tempore Theophili Alexandriæ Episcopi dormitio & divini Cyrilli, atque Hesychii Presbyteri promotio audita est* : & paulò post, anno scilicet sequenti qui fuit ex certa temporum illorum doctrina annus Christi 412. *Hoc anno Theophilus Alexandriæ Episcopus excessit è vivis, & in ejus locum Cyrillus ejus nepos suffectus est. Hoc eodem anno Hesychius Hierosolymitanus Presbyter litterarum doctrina florebat.* Verùm iidem omiserunt notare, quod idem Theophanes ad annum Theodosii 26. quo Valentinianus III. Constantii & Gallæ Placidiæ filius Constantinopoli uxorem duxit Eudoxiam Theodosii hujus ex Eudocia conjuge filiam, observavit, nimirum eodem illo anno *Hesychium Presbyterum Hierosolymitanum ultimum diem obiisse*, beatamque Melaniam juniorem Hierosolymis vitam finiisse. In multis quoque mihi nec mediocriter peccasse videntur. I. Quòd Commentatorem Levitici, quisquis tandem est, sancti titulo liberaliter condecorent, quod ipsis solemne est ac penè quotidianum, cùm tamen meminisse debuissent in Expurgatorio Indice Romano jussu Joannis Mariæ Brasichellani O. P. Sacri Palatii Magistri anno 1607. publicato detractas fuisse Divi, sanctive, appellationes Clementi Alexandrino, Salonio, Junilio, Aponio, Adelmanno, Albino, Arnoldo, Anastasio Nicæno, Lucæ Cornelienfi, Tito Bostrensi, Algero, Brachiario, Claudiano, Ferrando, Guitmundo, Pothoni, Salviano, Berengosio, Hildeberto, aliisque quamplurimis : qui etsi eruditione & Sanctitate, ut loquitur, magni fuerint, nondum tamen Ecclesia titulum illum illis tribuit. II. Quòd unum dumtaxat Hesychium Hierosolymitanum Presbyterum agnoscere videantur, cui uni omnia illa opera à nobis supra in Dissertatione magno studio ex variis auctoribus collecta tribui debeant. Si enim duo tresve fuerint Hesychii in Ecclesia Hierosolymitana Presbyteri titulo insignes, cur huic priori potiùs, quàm juniori alteri Commentaria in Leviticum adjudicabunt & sæculo quinto potius, quàm sexto affigent? cur eidem fragmentum homiliæ in S. Jacobum fratrem Domini à Photio non solùm, sed cum aliis quoque, ut observavimus, Bibliothecæ suæ codicibus 269. & 275. relatum, & Historiam Ecclesiasticam? III. Quòd in eamdem cum Cardinale quem arguunt Perronio & quibusdam aliis, allucinationem volentes nolentes incurrant. Si enim Hesychio Salonitano Episcopo, cujus meminit S. Aug. epistolis 78. & 80. tribui non debet Commentarius in Leviticum, quòd ejus ætate nondum vulgaris esset promiscuusque usus Hieronymianæ SS. Bibliorum versionis, quam Levitici Commentator passim usurpat; cur ille idem adjudicabitur Hesychio Presbytero, quem ab anno Christi 412. floruisse ante Hieronymi mortem octavo, ex Theophane citato constat? Certè σύγχρονοι fuerunt Hesychius Salonarum Antistes & Hesychius iste Hierosolymorum Presbyter, licet hic priori ad aliquot annos superfuerit : neque decem aut 20. dumtaxat post Hieronymi obitum, sed centum aut ducentis ferè elapsis annis auctoritatem summam consecuta est, quæ nunc dicitur Vulgata editio. IV. Quòd ficulneo argumento Bellarmini Cardinalis opinionem subruere conati sunt, qui, ut diximus suo loco, Commentaria illa in Leviticum contulit in Hesychium ex Presbytero Hierosolymitanum Episcopum. Falsum enim est, quod ajunt, omnia exemplaria interpretationis hujus dignitatem dumtaxat Presbyteri, nulla Episcopi præferre. Quod enim viderat in Regia Bibliotheca V. C. & testis omni exceptione major Petrus Pithœus, id Episcopi nomen tum initio, tum ad calcem exhibebat, ut monuimus. Deinde ut nihil dicamus de exemplari, cujus meminit Cardinalis Perronius,

A Glossæ Ordinariæ quisquis est auctor eum Episcopum appellat. V. Qua fulti quæso auctoritate eumdem asserunt scriptorem Commentariorum in Leviticum, & Homiliæ in Jacobum Fratrem Domini, ut à Photio velint Presbyteri dumtaxat, non Episcopi, appellationem Commentatori inditam? Prius certè demonstrare debuerant unum tantùm hactenus fuisse Hesychium & Historiæ Ecclesiasticæ & Encomiorum & Commentariorum auctorem. Si enim plures fuerint, quid vetat unum Episcopum, alterum fuisse Presbyterum? Ex iis ergo, aliisque, Lector hoc unum colliget multa adhuc tenebris obvoluta delitescere, quæ eruditorum acuant diligentiam. Joannes Moschus cap. 46. Prati spiritualis disertis verbis tamquam coætanei meminit Isychii Presbyteri Hierosolymitanæ Ecclesiæ viri docti juxtà & pii, qui ejusdem postea Pontificatum tenuit ab anno, ut par est credere, Christi 601. quo Amoso successit ad annum 609. quo Zachariæ moriens locum cessit. Quid si quæ nostra fuit aliàs opinatio, is, qui memoratur Isychius sive Hesychius (Theophani in Chronico, & Nicephoro in Catalogo Isaacius) cùm adhuc Presbyter esset, Commentaria in Leviticum scripserit, antequam fieret Patriarcha; quo factum sit, ut ab aliis modò Presbyter, modò diceretur Episcopus, ut Controversiarum auctor Robertus Bellarminus, modo Societatis Jesu Theologus, modò S. R. E. Eminentissimus nuncupatur Cardinalis; C quod de sexcentis aliis dici pariter nec absurdè potest. Verùm de iis plus satis, modò Porturegienses deleant ex ora pag. 215. Lectionum Gallicarum Off. 25. Hesychium Commentatorem Levitici, quem vocant sanctum, floruisse quinto sæculo circa annum 460. Hoc enim falsum docent ii ipsi, quos adhibent, testes.

De Paterio. 610.

Supplementum.

Paterius sancti Gregorii I. Papæ Discipulus & S. R. E. Secundicerius, cujus Beda in Commentariis in Cantica Canticorum meminit, collegit ex ejusdem sancti Gregorii Papæ Operibus *tres Libros Explanationum in omnes utriusque Testamenti Libros*, Romæ anno 1553. in fol. impressos. Claruit anno Christi 610. Ita Molanus in sua manuscripta Bibliotheca Belgica. Hoc Collectaneum est primò immissum in Opera sancti Gregorii Papæ in editione Romana anni 1591. atque in sequentibus, sed mutilum : cùm enim contineat Libros tres, nempe duos in Vetus Testamentum, & unum tertium in Libros Novi Testamenti; habentur inter Opera Divi Gregorii primus & ultimus deficiente medio, nec scio etiam an inveniatur in impressione speciali Romana anni 1553. de qua statim locutus sum, quòd illam non viderim. Unum scio me vidisse plurimos Codices manuscriptos hujus Operis in variis Bibliothecis, in quibus habebantur tantùm hi duo Libri Excerptorum sancti Paterii, primus nimirum & ultimus : sed integrum à me visum & excussum Codicem mss. in Bibliotheca Cælestinorum Parisiensium, eumque chartaceum, in quo tres Libri continentur. Paterii mentionem faciunt Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miræus in Bibliotheca Ecclesiastica pag. 138. post Sigebertum in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 43. Item pag. 128. post Honorium Augustodunensem libello 4. de iisdem cap. 5. apud dictum Miræum.

De Paulo Emeritensi. 610.

SUPPLEMENTUM.

PAULUS Emeritensis in Hispania Diaconus, exemplo sancti Gregorii Magni, qui de Vita & Miraculis Patrum Italicorum scripsit, *Librum De Vita & Miraculis Patrum Emeritensium composuit*; quem Thomas Tamajus Philippi IV. Regis Catholici Historiographus ad fidem veterum Codicum Antuerpiæ anno 1635. in 4. apud Joannem Meursium, primus edendum curavit, additis Notis brevibusque Commentariis de Rebus Emeritensibus. Floruit Paulus circa annum 612. cujus meminerunt Baronius in gestis anni 589. Loaisa in Notis ad Concilium tertium Toletanum, Ambrosius Morales lib. 11. Chronol. Hist. cap. 71. Mariana lib. 5. cap. 13. Bernardus Britto lib. 6. Monarchiæ Lusitanicæ capp. 19. & 20. Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 174. pag. 214. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, Labbeus in Chronologia brevi Scriptorum Ecclesiasticorum ad annum 610. atque alii.

De Theophylacto Simocatta. 610.

SUPPLEMENTUM.

THEOPHYLACTUS SIMOCATTA, Ægypto oriundus, sed in Græcia natus; sub annum 612. floruit, *De rebus à Mauritio Imperatore gestis libros octo* posteris reliquit, quos è Græco Jacobus Pontanus Soc. Jesu Theologus Latinos fecit Augustæ Vindelicorum, edidit græcè & Latinè cum Notis Ingolstadii anno 1604. in 4. & qui nuperrimè impressi sunt in fol. Parisiis græcè pariter & latinè, inter Scriptores Historiæ Byzantinæ ex typographio Regio. Singulorum librorum excerpta Photius in Bibliotheca Cod. 65. recitat. Circumferuntur & hæc ejusdem Simocattæ *Quæstiones Physicæ*, *Epistolæ Morales*, *rusticæ*, *Amatoriæ*, quas græcè edidit Bonaventura Vulcanius Lugduni Batavorum anno 1597. in 12. Eadem autem Theophylacti Simocattæ Expræfecti opuscula græcè & latinè ab Andrea Schotto post Bonaventuram Vulcanium auctiùs edita Antuerpiæ anno 1599. in 8. apud Commelinum, cum Versione & Notis sub nomine Jacobi Kimedontii supposito, qui Schottus fuit. Item *Excerpta Legationum* ex Libris illis Historiarum; itemque *Epistolæ Mixtæ* ab Aldo Manutio, olim majori Epistolarum Græcarum volumini insertæ sunt. Habentur autem *eadem Excerpta de Legationibus* græcè & latinè interprete Carolo Cantoclaro cum ejusdem Notis & Henrici Valesii, inter dictos Scriptores Historiæ Byzantinæ Parisiis impressos, de quibus suprà. Simocattæ meminerunt Photius Cod. 65. Suidas & Cedrenus, & hinc Nicephorus Callixtus pleraque ad Mauritii Imperatoris Vitam spectantia, sublegit. Quæ verò fusiùs Simocatta suis libris exponit, ea breviùs perstringunt Theophanes, Zonaras, Cedrenus, & Callixtus. Vide Jacobum Pontanum in Procemialibus suæ editionis Librorum Simocattæ, Possevinum in Apparatu sacro, verbo *Theophylactus Simocatta*, & *Theophylactus Ægyptius*: Aubertum Miræum in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 176. pag. 215. Labbeum in Chronologia, &c.

De Columbano. 610.

SUPPLEMENTUM.

COLUMBANUS in Hybernia Scotorum insula natus, Abbas primùm in Hybernia, post Luxovii in Burgundia, ac demum Bobii in Italia, tanto, (juxta Sigebertum libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 60.) sapientiæ thesauro est ditatus: ut adhuc adolescens librum Psalmorum elimato sermone scriberet, & alia multa ederet, vel ad canendum digna, vel ad docendum utilia. Obiit Bobiis in Italia anno 614. die 24. Novembris. Scripsit *Carmina quædam*, quæ habentur in diversis impressionibus Bibliothecæ Sanctorum Patrum. Item *Regulam cum Pœnitentiali*, pro Monachis à se in multis locis institutis, quæ cum Cæsariana & aliis, dudum in plurimis Galliarum Cœnobiis viguit, quam habes cum Pœnitentiali, in Collectione Regularum Lucæ Holstenii parte 2. pag. 88. & 98. Omnia porrò sancti Columbani Junioris opera, summis curis inquisita, Commentariis illustrata, procuravit imprimi in fol. Patricius Flemingus Hybernus, Ordinis Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ, anno 1667. Lovanii apud Viduam Andreæ Bouveti. Sunt autem *Regula Monastica cum Regula Cœnobiali*, quæ est ipsum Pœnitentiale sancti Columbani editum supra ab Holstenio ad calcem prioris Regulæ. *Sermones seu Institutiones spirituales numero* 17. quarum ultima est Sermo Fausti Regiensis in Gallia Episcopi ad Monachos. *Epistolæ aliquot cum Carminibus*, jam alibi ut plurimùm impressis: tum denique varia ad sanctum Columbanum, vel Hyberniam spectantia, qualia sunt Vitæ Sanctorum, &c. plurima sancti Columbani meritum commendantia, Joannes Mabillon sæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, impresso Parisiis in fol. anno 1669. apud Carolum Savreux ad turrim Metropolis Ecclesiæ, sub signo trium Virtutum. Colganus lib. 2. de Sanctis Hyberniæ pag. 471. Thomas Messinghamus in Florigerio Sanctorum Hyberniæ, ubi Regulam sancti Columbani refert, Sammarthani in Gallia Christiana tom. 4. de Abbatibus Luxoviensibus, & alii multi.

De Joanne Grammatico. 610.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES GRAMMATICUS Alexandrinus, cognomento Philoponus, floruit anno circiter 610. qui quamvis insignem sibi gloriam comparasset dum adversùs Proclum Lycium pro Christiana Religione egregiè scripserat; corruit tamen in Baratrum impietatis, suo nimiùm ingenio fidens, scribens adversùs quartam Synodum Oecumenicam, ut inquit Photius in sua Bibliotheca Codice 55. & negans ut habet Nicephorus Callixtus lib. 18. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 47. ita Resurrectionem Mortuorum, ut assereret corpora nostra corrumpi secundùm formam atque materiam, & futurum interitum visibilis hujus mundi, & rursus novi mundi creationem alteram, atque alia. Quin & Photius cùm Bibliothecæ suæ Cod. 43. dixisset eumdem Philoponum *in Hexameron scripsisse contra Theodorum Mopsuestenum*, qui fuerat in eodem argumento versatus: ait extare Acta Disputationis Severianorum adversùs Tritheitas, habitæ coram Joanne Episcopo Constantinopolitano sub Justino Imperatore, Conone & Evagrio altera ex parte contra Tritheitas, ex altera autem Paulo ac Stephano Tritheitis Philoponi defensoribus impiis æquè omnibus: quæ monstra fovebat Theodora

dora Augusta, tamquam ova Aspidum. Sed non solùm Conon, Evagrius, Themistius, & Theodosius Monachus Hæretici, non assentientes Concilio Chalcedonensi, scripserunt adversus Philoponum, ut habet Photius Codd. 23. & 24. verùm etiam Leontius Monachus omnium maximè egregium librum triginta capitum, quo simul hæresim eam evertit, & piam sententiam nostram confirmat. Porrò Joannis Philoponi *Lib. 4. De mundi Creatione seu in Hexaemeron ad Sergium Constantinopolitanum Archiepiscopum*: unà *cum Disputatione de Paschate*, græco-latinè impressi sunt curis & studio Balthasaris Corderii Societatis Jesu Theologi anno 1630. in 4. Viennæ Austriæ typis Gregorii Gelbhaar. Sacras quoque sæpius Litteras tractavit Philoponus, dum & scripsit *contra decem & octo Procli argumenta & contra Severum*: qui tamen ab Ecclesiæ Doctoribus ut Tritheites & qui tres Deos asserat rejicitur, & in Orthodoxorum catalogum non admittitur. Scripsit item plurima Grammatica, Philosophica, Arithmetica, Rhetorica, ex quibus extant quæ sequuntur. Joannis Grammatici Philoponi in priora Analytica græcè Venetiis in fol. anno 1536. ejusdem *in duos priores Analyticos libros Commentarii* ab Alexandro Justiniano Chio Medico in Latinum conversi in fol. Valgris 1560. ejusdem *in posteriora Analytica* græcè Venetiis in fol. anno 1534. *in posteriora Resolutoria* græcè in fol. Venetiis 1584. apud Aldum. Ejusdem *in primos 4. De naturali auscultatione Libros* græcè in fol. Venetiis 1535. *Contra Proclum de mundi æternitate*, græcè ibidem. *In libros de Generatione & Corruptione* græcè Venetiis 1527. Ejusdem *in Physicorum libros 4. Explanatio*, Joanne Baptista Rasario interprete in fol. Venetiis anno 1569. & græcè Venetiis anno 1527. *in tres Meteororum libros Commentarii* latinè Joanne Baptista Camotio interprete, Venetiis in fol. 1551. *in libros Aristotelis de Anima*, græcè in fol. Venetiis 1535. Itemque Gentiano Herveto interprete latinè in fol. Lugduni 1558. apud Juntas. Ejusdem *in libros quinque De Animalium generatione* cum textu græco, in fol. Venetiis. Denique ejusdem *in Procli Diadoci octodecim Argumenta De mundi æternitate*, Joanne Mahotio interprete latinè in fol. Lugduni anno 1557. Hujus mentionem facit Photius in Bibliotheca Codd. 21. 43. 240. 55. 75. 215. Possevinus in Apparatu sacro, verbo, *Joannes Grammaticus*, & *Joannes Philoponus*.

De S. Sophronio Episcopo. 630.

SANCTUS SOPHRONIUS Episcopus Hierosolymitanus, vixit tempore Honorii Papæ I. & Heraclii Imperatoris, & initio hæresis Monothelitarum insignis fuit defensor fidei Catholicæ. Extat *epistola* ipsius ad Sergium Episcopum Constantinopolitanum in sexta Synodo, Actor. 11. Extant etiam in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 2. edit. 2. *duo sermones* ejus, *unus de natali Domini*, *alter de Angelis*. Obiit anno Dom. 634. ex Card. Baronio, tom. 8. Annalium.

Dissertatio Historica.

SOPHRONIUS, patria Damascenus, Sophista primùm, tum Hierosolymitanus Episcopus, ac defensor Fidei Catholicæ acerrimus adversus nascentem Monothelitarum hæresim, Heraclio Imp. & Patriarcharum Constantinopolitani Alexandrini, & Antiocheni auctoritate subnixam, obiit non anno 634. ut recentiores nonnulli scripserunt, sed 636. die 11. Martii an. quippe Heraclii 19. ad sedem illam evectus & anno ejusdem 26. mortuus fuisse perhibetur. Vide Romanum Martyrologium & Græcorum Menologium dicta die. Photius codice 231. narrat legisse se Sophronii hujus *Synodicam epistolam ad Honorium Romanæ urbis*, non Imperatorem, ut vertit Andreas Schottus, sed Pontificem, ἢ ἀπεστάλη ἐν Ῥώμῃ Ὀνωρίῳ τῷ ταύτης ἐπάρχοντι. Certè quæ sequuntur interpretem eumque qui nuperæ editioni præfuit, ab iterata hallucinatione poterant avocare. Rogat autem hac epistola Honorium, ut si quid prætermissum sit eorum, quæ debuerant, impleat, & corrigat, οἷα δὴ ϗ δυνάμενον ταύτης ποιήσασθαι ϗ τὴν διόρθωσιν ϗ τὴν ἀναπλήρωσιν. Rectè autem monuit Franciscus Turrianus lib. 1. de Ecclesia & ejus Pastore adversus Sadaelem cap. 10. Sophronii hujus ad Honorium epistolam falsò tributam fuisse Sergio Antistiti Const. & in extrema pagina nomen Romani Pontificis fuisse in nomen Byzantini ab aliquo impostore conversum ad faciendum imperitis fucum. Plura quoque de eodem Sophronio Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ex Actione XIII. Sextæ Synodi Oecumenicæ, ex Concilio Romano sub S. Martino I. Papa Secretario. 2. Tomo 3. ex Theophanæ, Miscella, aliisque.

Scripsit idem Patriarcha Hierosolymitanus *Epistolam ad Sergium Patriarcham* Const. quæ legitur Actione undecima Concilii Generalis Sexti sub Agathone Papa Const. celebrati.

Extant ejusdem titulo insignitæ aliquot orationes in Bibliothecis Veterum Patrum.

I. *In Christi natalitia*, quæ tunc in Dominicam diem inciderant, & de tyrannide dirissima Saracenorum, qui per id tempus occupaverant Bethlehemiticum oppidum.

II. *Sanctorum Archangelorum*, *Angelorum*, *cæterarumque Virtutum Encomium*.

III. *In Exaltatione Venerandæ Crucis*, *& in Sanctam Resurrectionem*. Achilles Statius Lusitanus hanc primùm Latinitate donavit, sed Gretserus noster hanc & sequentem à se denuo conversas cum Græco textu edidit Tomo II. de Cruce.

IV. *In adorationem Venerandæ & vivificæ Crucis media Jejuniorum hebdomade*, interprete Godefrido Tilemanno Cartusiano.

Sophronio huic duo tribuit Possevinus noster, quæ ab eo aliena prorsùs videntur: ac primo quidem loco auctorem tradit fuisse libri à Sophronio quodam scripti pro Sancto Basilio adversùs Eunomium, cujus meminit cum laude Photius codice quinto Bibliothecæ, ac Theodori Antiocheni Mopsuestiæ, ut suspicatur, Episcopi libris 25. de eodem argumento longè anteponit. Deinde verò eidem adscribit fragmentum, quod à Margarino Bignæo Tomo VII. Bibliothecæ Patrum editionis secundæ pag. 153. excusum de laboribus, certaminibus, & peregrinationibus SS. Apost. Petri & Pauli, (ut quidem titulus præfert, quo in fraudem inducti sunt plurimi, in quibus Vossius; nam de S. Pauli dumtaxat agitur, nec plura de S. Petri laboribus quàm de SS. Andrea & Barnaba) quod decerptum fuisse aliunde eruditi viri non improbabiliter autumant.

Rectiùs iidem Possevinus, Vossius, aliique, scriptam ab eo volunt, *Vitam S. Mariæ Ægyptiacæ Pœnitentis*, quod ex oratione tertia S. Joannis Damasceni de Imaginibus, ex Actione 4. Septimæ Generalis Synodi, ex Nicephori Callisti libri 7. cap. 3. aliisque probari potest. *De Prato Spirituali* nihil hic modò adjungam iis, quæ dicentur in Joanne Moscho.

Quod ad Sophronium antiquiorem à Bellarmino omissum attinet, hæc de eo S. Hieronymus capite penultimo libri de Scriptoribus Ecclesiasticis: Sophronius vir apprimè eruditus, laudes Bethlehem adhuc

A adhuc puer, & nuper de subversione Serapis insignem librum composuit. De Virginitate quoque ad Eustochium, & vitam Hilarionis Monachi, opuscula mea in Græcum eleganti sermone transtulit: Psalterium quoque & Prophetas, quos nos de Hebræo in Latinum vertimus. Hanc interpunctionem, si examussim observassent editiones Miræi & quædam aliæ, post verba ista: *De Virginitate quoque ad Eustochium & vitam Hilarionis Monachi:* punctum appinxerunt, quasi ab iis prorsùs aliena forent quæ sequuntur. *Opuscula mea in Græcum eleganti sermone transtulit, &c.* non tam facilè καὶ προπετῶς in eam abiisset sententiam V. C. Gerardus Joannes Vossius c. 19. lib. 2. de Historicis Græcis, ut Evagrii Pontici temporibus
B crederet Sophronium vitam Hilarionis Monachi signasse. Quod enim addit eumdem Sophronium B. Hieronymi librum de Illustribus Scriptoribus Græcè transtulisse, id verò pernegat ejus filius Isaacius Vossius in notis ad Ignatii epistolas, qua de re postea. Quod verò subjungit ex Petri Scriverii indicina, hujus Sophronii nomen in veteribus codicibus corrumpi in Sempronius, ut initio Chronici Prosperi; ubi Ausonio & Olybrio Consulibus dicitur Sempronius vir apprimè eruditus, agnitus esse, id omne mihi valdè suspectum atque omninò incertum videtur. Ipse quoque Hypercriticus Rivetus in nugis solers, in seriis socors, supra notatum interpunctionis vitium non deprehendit, dum totus est in describendis Baronii, quem Perkinsio suo tamquam magi-
C strum discipulo præmittere debuerat, aliorumque laciniis de impostore qui sub Hieronymi aut Sophronii nomine confinxit epistolam sive sermonem de Assumptione B. Virginis ad Paulam & Eustochium, de qua suo loco diximus ex Annalibus Ecclesiasticis ad an. Christi 48.

Sixtus Senensis libro quarto Bibliothecæ Sanctæ: Sophronius, inquit, Græcis & Latinis litteris nobiliter eruditus, D. Hieronymi familiarissimus convertit in Græcum Latinam totius veteris instrumenti editionem, quam Hieronymus ex Hebraica veritate transtulerat. Hanc Græcam translationem, ut ex Collectaneis Procopii Sophistæ in Octateuchum apparet, multi Græci expositores citato etiam Hie-
D ronymi nomine Commentariis suis illustrarunt. Claruit sub Theodosio Augusto anno Domini 400. Verùm illo labente anno nec Theodosius Senior supererat, anno 395. defunctus, necdum natus erat Theodosius junior qui Arcadio Patri anno demum 408. successit. Quod verò ad totius Hieronymianæ editionis Græcam versionem attinet, docuimus supra V. Isicius sive Hesychius adversus Albertinum, hoc à veritate procul abesse, aut saltem in plerisque vacillare. Vide locum.

Isaacus Vossius Hieronymiani Catalogi translationem Græcam, quæ à Desiderio Erasmo est vulgata Basileæ apud Cratandrum anno 1529. ac S. Hieronymi operibus inserta circumfertur, nomen Sophro-
E nii mentiri contendit, innumeris quoque in locis non esse Græcam, innumeris locis malè Hieronymi mentem expressisse: quidquid in Hieronymo est corruptum eodem modo sese habere in Græco: quæcumque in illo Catalogo desunt, deesse quoque in illo Pseudosophronio: mille id exemplis in tam exiguo scripto comprobari posse: paraphrasim illam ubique esse falsam, ubique ineptam, ubique imposturam sapere: in nulla Bibliotheca mss. fuisse visam, nec in Regia Parisiis extare, aut si uspiam extet, à recentissima exaratam manu, nec 150. annos excedente. Etsi Erasmus sanctè juret se Sophronii exemplar vetustum & emendatum nactum fuisse, suspicari tamen aliquem non immeritò posse ipsum nobis supposuisse hanc translationem, idque animi gratia, vel ut ostenderet si sibi fuisset voluntas aliis affigendi ad hoc neque defuturum fuisse ingenium neque eruditionem. Credendum tamen potiùs à nebulone aliquo fuisse deceptum, qui corruptissimum Hieronymi Catalogum nactus Græcè à se redditum huic Heroi pro antiqua Sophronii versione venditarit. Hæc & plura vir eruditus; quæ aliis expendenda relinquo. Unum affirmo quidquid sit de auctore illius versionis, fueritne Sophronius Hieronymi familiaris Presbyter, cui à nullo veterum tributam eam video, an quivis alius, saltem Erasmi fidem in tuto esse apud me, qui ex mutua collatione complurium locorum animadverti versionem illam jam ante Suidæ tempora elucubratam fuisse, unde in suum ille Lexicum quasdam periochas derivarit. Confer quæ in verbis Ιουςῖνος, Εὐσέβιος, Πολύκαρπος, aliisque fortè tibi occurrent. Monuerat quoque Marianus Victorius citatus à Possevino versionem illam Catalogi vitiatam esse parumque ei credendum esse absque Historiæ cognitione & veterum exemplarium fide, quod ex Possevino non omisit describere Rivetus Catholicorum simia.

De Joanne Moscho, 630.

JOANNES MOSCHUS, aliàs Evjratus, scripsit ad sanctum Sophronium Episcopum Hierosolymitanum *librum* qui dicitur *Pratum spirituale*, atque hinc fortasse factum est, ut nisi Sophronio, à multis hic liber tribuatur. Extat in tomo septimo Bibliothecæ sanctorum Patrum editionis secundæ. Et quidem liber est magna ex parte utilis, & citatur in septima Synodo.

Dissertatio Historica.

JOANNES MOSCHUS, aliàs dictus Eviratus, vixit sæculo Christi septimo, circa annum Domini 630. obtulisse enim dicitur S. Sophronio Episcopo Hierosolymitano librum suum, qui inscribitur, *Pratum Spirituale*, λειμὼν ἢ λειμωνάριον; & nonnumquam Paradisus Sophronii, cui etiam à quibusdam opus illud tributum fuit. Extat Græcè & Latinè editum tum in Auctario G. L. Bibliothecæ SS. Patrum anni 1624. tum Tomo XIII. Morellianæ, interprete Ambrosio Monacho Camaldulensi, addito ad singulorum capitum finem Aloysii Lipomani Veronensis Episcopi adversus omnium hæreseon venenum antidoto. Rectè enim observarunt Baronius in Annalibus an. 407. & alibi, ac Possevinus in Apparatu Sacro, aliique, Auctorem illum nonnumquam inserere ea quæ parum tutam fidem habent, quin & vel relata à non fide dignis, atque interdum aspersa mendaciis.

Photius cod. 199. Bibliothecæ docet Collectorem illius libri 304. narrationibus constantis, quem λειμῶνα ἢ νέον παράδεισον vocitatum asserit, fuisse Joannem quemdam cognominatum τὸν τοῦ μόσχου, qui in B. Theodosii primùm Monasterio sæculum valere jubens, cum iis deinde Monachis vixit, qui in deserto ad Jordanem exercebantur, quique in nova Laura Magni Sabbæ certabant. Unde rursùm ad Antiochiæ oras, & Alexandriam, & ad Oasim usque delatus, &c. quæ pluribus apud ipsum leges. Neque tamen Sophronium illum, sive Sophronam discipulum Joannis Moschi designat fuisse Patriarcham Hierosolymitanum, quæ tamen omnium videtur fuisse sententia.

De Georgio Piside, 630.

GEORGIUS PISIDES Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus, & Cartophylax, scripsit

cripsit versibus Jambicis opus sex dierum, quod exstat tom. 8. Bibliothecæ sanctorum Patrum. Vixit temporibus Heraclii Imp. cujus Persicum etiam bellum descripsit, & alia quæ Suidas recenset, & Nicephorus lib. 18. hist. Ecclesiast. cap. 48.

Dissertatio Historica.

HIC, ut in nostro ad Corpus Historiæ Byzantinæ Apparatu seu Protreptico diximus, Const. Diaconus & Cartophylax, seu Referendarius Magnæ Ecclesiæ fuit, vixitque sub Heraclio Imper. sæculo Christi VII. circa annum 640. De eo Suidas, qui plura ejus recenset opera, Nicephorus Callistus lib. 18. cap. 48. atque ex recentioribus Vossius lib. 2. de Historicis Græcis, & Leo Allatius diatriba de Georgiis.

Cosmographia, sive, *De opere sex dierum*, Poema ter mille Jambicis Trimetris descriptum, & Sergio Patr. Const. dicatum G. & L. à Federico Morello editum, ac postea in Bibliothecas SS. Patrum translatum, cum nonnullis aliis ejusdem operum Fragmentis ex Suida atque aliunde collectis.

De Leontio. 630.

LEONTIUS tempore Heraclii Imperatoris vixit & *sancti Joannis Episcopi cognomento Eleemosynarii æqualis sui admirabilem vitam litteris mandavit.* Obiit sanctus Joannes anno 11. Heraclii, qui fuit annus Domini 620. Hic liber testimonium habet à Synodo secunda Nicæna, & verè lectu dignissimus est.

Dissertatio Historica.

LEONTIUS, Neapoleos, vulgò *Lemissa*, sive *Nemosia*, (*a*) in Insula Cypro Episcopus, (unde corrigas velim eorum errorem, qui Constantiæ sive Salaminæ, modò *Famagosta*, Antistitem appellant) pervenit ad annum usque circiter 620. ut patet ex vita S. Joannis Alexandrini Patriarchæ, qui ob eximam in pauperes misericordiam dictus est, ut loquitur Sigebertus cap. 57. de Viris Illustribus, Eleemosynarius; qui obiit die 23. Januarii anni 616. Quæ Vita in septima Synodo Generali laudata est Actione quarta, ubi Constantius Constantiæ Cypriorum Episcopus testatur eum floruisse tempore Mauritii Imp. (qui cæsus est anno 602.) multasque laudationes & homilias scripsisse, atque inter cæteras, de J. C. D. N. Transfiguratione, quæ periisse videtur, aut cum blattis tineisque alicubi luctatur in membranis. Baronius ex veteri versione VII. Synodi auctore Anastasio S. R. E. Bibliothecario malè collegit, atque ex eo Possevinus, pluresque alii Leontium scripsisse post Evagrium Scholasticum, τὰς σάλυς, Turbationes, sive bella & seditiones sui temporis, vel, ut quidam, Tribulationes, quas Ecclesia Dei passa est tempote Gregorii Magni Pont. Max. & Mauritii Imp. Delusus enim vetus ille Interpres αντὶ τῦ Σάλυ, quod erat Epitheton S. Simeonis, qui stultitiam vecordiamque simulabat, cujusque vitam Leontius noster scripserat, τὰς σάλους numero multitudinis legit: quam observationem debemus R. P. Heriberto Rosvveido, in notis ad librum primum de Vitis Patrum, & Vossius ex eo fonte abluit priorem maculam in altera editione Historicorum Græcorum. S. Joannes Damascenus oratione 3. de Imaginibus, citat ejusdem Leontii apologiam pro Christianis contra Judæos, atque ex eo, ni fallor, libro excusus est locus ille, seu Fragmentum libri contra Judæos, quod extat pag. 1. Tomi XVI. postremæ Parisiensis Bibliothecæ veterum Patrum. Habentur quoque Tomo I. Auctarii G. L. posterioris à col. 681. ad 738. Orationes duæ I. in Sanctum Simeonem senem, qui Christum Dominum in suas ulnas suscepit. II. in Festum diem mediæ Pentecostes μεσοπεντηκοςῆς, in cœcum à nativitate, &c. Videndus quoque Hortus Crucis R. P. Jacobi Gretseri.

(*a*) Trithemius hujus Neapolitanæ urbis in Cypro insula Episcopi nulla opuscula reperit præter vitam S. Joannis Eleemosyn. Sixtus autem Senensis libro quarto Bibliothecæ Sanctæ adversùs Iconomachos (prophetico utique spiritu, nondum enim natus erat Leo Conon Isauricus filiusve ejus Constantinus Copronymus) libro quinque composuisse asserit, dictasse multas orationes panegyricas, & scripsisse in Matthæi caput 17. de Transfiguratione Domini Homiliam unam citatam in Actione sexta Synodi secundæ Nicenæ. Floruit verò non tantùm anno 610. Phocæ Imperatoris postremo, sed sub Heraclio, ac post annum, uti diximus, 616.

Supplementum.

LEONTIUS Neapoleos, vulgò *Lemissa*, sive *Nemosia*, in insula Cypro Episcopus (unde corrigas velim eorum errorem, qui Constantiæ, sive Salaminæ, modo *Famagosta* Antistitem appellant,) pervenit ad annum usque 620. vel ultra; ut patet ex Vita Sancti Joannis Alexandrini Patriarchæ, qui ob eximiam in pauperes misericordiam, dictus est (ut loquitur Sigebertus capite 57. de Viris illustribus) *Eleemosynarius*, qui obiit anno 616. die 23. Januarii. Hæc Vita in septima Synodo generali laudata est actione 4. ubi Constantius Constantiæ Cypriorum Episcopus testatur eum floruisse tempore Mauritii Imperatoris (qui cæsus est anno 602.) multasque laudationes & homilias scripsisse, atque inter cæteras, *De J. C. Domini nostri Transfiguratione*, quæ periisse videtur, aut cum blattis tineisque alicubi luctatur in membranis. Hanc Vitam ex veteri translatione Latinam habes in Vitis Patrum ab Heriberto Rosvveido Soc. Jesu Presbytero editis in fol. Antuerpiæ annis 1615. & 1628. Item scripsit *Vitam & administrationem seu res gestas Sancti Simeonis cognomento*, Τῦ Σαλῦ; qui stultitiam simulabat, & hæc duo opuscula habentur Græcè mss. in Bibliotheca Vaticana, ut testatur Catalogus manuscriptus, atque in Collectaneo Legendarum Simeonis Metaphrastæ. Item utrumq; simul ms. in Messanensi. Vita etiam S. Joannis Eleemosynarii in Augustana Cod. 59. in Vaticana Codd. Heidelbergensibus 9. & 68. Habentur quoque tom. 1. Auctarii Græcolatini posterioris ad Bibliothecam Sanctorum Patrum editionis Parisiensis in fol. anni 1648. à columna 681. ad 738. *Orationes duæ, quarum prima in Sanctum Simeonem Senem, qui Christum Dominum in suas ulnas suscepit*: altera *in Festum mediæ Pentecostes, in Cœcum à nativitate, & in Sanctum Petrum ab Herode in carcerem detrusum*. Videndus quoque Hortus Crucis, quem edidit Jacobus Gretserus. Porrò Cardinalis Baronius ex veteri Versione septimæ Synodi, Auctore Anastasio S. R. E. Bibliorhecario malè collegit, atque ex eo Possevinus in Apparatu Sacro, pluresque alii, Leontium scripsisse post Evagrium Scholasticum Τοὺς Σάλους Turbationes seu Bella & seditiones sui temporis, vel (ut quidam) Tribulationes quas Ecclesia Dei passa est tempore Gregorii Magni & Mauritii Imperatoris. Delusus enim vetus ille Interpres ἀνθὶ τῦ Σαλοῦ, quod erat Epitheton sancti Simeonis, qui stultitiam vecordiamque simulabat, cujusque Vitam Leontius noster scripserat, τούς Σάλους numero multitudinis legit. Hanc observationem debemus Heriberto Ros-

Rosvveido, in Notis ad Librum primum de Vitis Patrum, ex quo Vossius fonte abluit priorem maculam in altera editione Historicorum Græcorum. Sanctus Joannes Damascenus Oratione 3. De Imaginibus citat ejusdem Leontii *Apologiam pro Christianis contra Judæos*, atque ex eo, nisi fallor, libro excusus est locus ille, seu fragmentum libri contra Judæos, quod extat tom. XVI. pag. 1. ultimæ Parisiensis editionis Bibliothecæ Veterum Patrum, anni 1644. De Leontio mentionem facit Sigebertus in Catalogo capite 57. Possevinus in Apparatu Sacro, Labbeus post Bellarminum De Scriptoribus Ecclesiasticis, quem paucis additis hìc expressimus. Est enim alius Leontius Abbas Sancti Sabbæ Romæ, qui posteris reliquit Vitam sancti Gregorii Agrigentini Episcopi copiosè scriptam, quæ ms. extat græcè in Bibliotheca Messanensi. Item in Vaticana, Codd. mensis Novembris apud Metaphrastem, Bavarica Cod. 72. Heidelbergensi Cod. 17.

De Jona. 630.

JONAS Anglus, sive Hybernus tempore ejusdem Heraclii scripsit *vitam & res gestas sancti Columbani*; (ut apud Bedam libr. quinto histor. gentis suæ est, cap. decimoseptimo) qui ut novus quidam Apostolus Angliam, Gallias & Italiam mirificè illustravit. Obiit anno sexto Heraclii, qui erat annus Dom. 615. Extat hæc vita apud Surium die 22. Novembris.

DISSERTATIO HISTORICA.

JONAS, neque Anglus, neque Hibernus, aut Scotus, quis enim digladiantes inter se pro eo sibi vindicando Britannos Scriptores in concordiam reducat? Sed Italus, haud procul Bobio ac Placentia ortus ad Trebiam fluvium. Vivebat adhuc sub Clotario III. Rege Francorum, ejusque matre Sancta Baltilda Regina post annum 602. septimo Christi sæculo, jure merito dictus ab Auctore vitæ S. Valerici Abbatis, Kalendis Aprilis apud Surium, eruditus discipulorum Sancti Columbani discipulus. Miræus testatur ex Monacho fuisse Bobiensem Abbatem, & alibi successisse tradit in Luxoviensis cœnobii regimine Sancto Attalæ. Verùm hujus in plerisque incerta admodum fides. Jonas quidem se Abbatem appellat disciplinis Sancti Columbani eruditum, sed cœnobium, cui præfuit, non exponit, nequit alii antiquiores. De eo Beda libro 5. Historiæ Anglicanæ cap. 17. Sigebertus cap. 61. ubi vitas Columbani, Attalæ, & Eustasii eidem adjudicat, Joannes Trithemius, aliique præcipuè Petrus Roverius noster in notis in Historiam Reomaensis Monasterii, quas consulat Lector: nam Vossius, Bellarminus, Possevinus, & cæteri in patria, ætate, aliisque aberrarunt.

Inter opera Bedæ, & apud Surium extant *Vita S. Attalæ Bobiensis Abbatis*, die 10. Martii *S. Eustasii Abbatis Luxoviensis*, 29. Martii, *S. Bertulfi Abbatis Bobiensis*, 19. Augusti, cujus Auctor testatur præsentem se adfuisse, cum Bertulfus adivit Honorium Romanum Pontificem.

Vita S. Columbani Abbatis Luxoviensis & Bobiensis, qui obiit die 21. Novembris anno Heraclii sexto. Christi 614. aut 615. extat apud eumdem Surium.

Vita S. Joannis Reomaensis Monasterii Fundatoris, primique Abbatis, quam an. circiter 665. missus à Clotario Rege, & S. Baldechilde ad urbem Cabilonensem petente Hunna Cœnobii illius Abbate libris duobus conscripsit, edita fuit in lucem à laudato suprà Roverio initio Reomaensis Historiæ.

Jonas Fontanellensis Monachus, ab hoc Bobiensi ominino diversus est, qui relatam à Surio die 20. Martii S. Vulfranni Senonensis Archiepiscopi vitam Baino Abbati suo, morinorum, seu Tarvanensium Episcopo dicavit. Meminit Ratbodi, Frisiæ Regis, docetque Wlfranni in cœnobio Fontanellensi an. 720. mortui corpus an. 729. Tarvennam fuisse translatum.

De Jona Monacho Fontanel. 720.

SUPPLEMENTUM.

JONAS MONACHUS Fontanellæ in Diœcesi Rothomagensi, mandante Baino Abbate suo, scripsit *Vitam Sancti Vulfranni Senonensis Archiepiscopi*, qui obiit abjecto Episcopali munere, anno 710. die 20. Martii in Cœnobio Fontanellæ, non inelegantem pro illo ævo. Extat impressa apud Surium ad diem 20. Martii, atque apud Continuatores Bollandi ad diem eumdem. Itemque sæculo tertio parte 1. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti; vixit autem anno Christi 709. cujus anni ad extremam Historiam suam meminit. De jona isto faciunt mentionem in *Apparatu suo* Antonius Possevinus, Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 206. pag. 220. & capite 196. pag. 219. & in Scholio ad caput 61. Operis Sigeberti *De Scriptoribus iisdem Ecclesiasticis* pag. 140. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, ubi eum distinguit ab altero Jona antiquiore, qui scripsit Vitas Sanctorum Columbani, Eustasii, &c.

De Antiocho Monacho. 630.

ANTIOCHUS Monach. vixit Heraclii tempore & *centum viginti novem homiliis* (quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tom 2. edit. 2.) deploravit ingentem illam calamitatem, quæ contigit anno 14. Heraclii, cum Hierusalem à Persis capta, & lignum sanctæ Crucis in Persidem asportatum fuit, quo tempore Christiani plurimi, ad nonaginta millia, Judæis vilissimo pretio divenditi, atque ab eis crudeliter morte necati dicuntur.

DISSERTATIO HISTORICA.

ANTIOCHUS, Monachus Palæstinus, in Laura S. Sabbæ Abbatis, vixit sub Heraclio Imperatore Orientis, sæculo Christi septimo, quo tempore Hierosolyma capta fuit, & pretiosa Crux, fortitudo nostra, & ornamentum, ac salutis nostræ spes, tradita fuit Persis fidei Christianæ adversariis, anno ejusdem Imperatoris quarto, æræ Dionysianæ 614. Ejus cladis ipse meminit, tum in Præfatione, tum Homilia 107. atque in Exomologesi. Videnda quoque moneo quæ de scriptoris ejus ætate (a) observavit Gonsalvus Pontius Leonensis in Notis ad Physiologum S. Epiphanii, cap. 22. Nec prætermittenda Miræi allucinatio, qui de calamitate Hierosolymitana scriptas docuit homilias 129. cùm in una dumtaxat aut altera illius apertè meminerit. Extat verò nostri hujus Antiochi Sabaitæ,

Pandectes divinæ Scripturæ in 130. *distinctus Homilias*, ad Eustathium Præpositum Monasterii Attalinæ civitatis Ancyræ Galatiæ, vel, ut alii legunt, Lauræ Attaliæ, *una cum exomologesi*. Godefridus Tilemannus Parisiensis Carthusiæ Monachus, Latinè reddidit: Fronto Ducæus Soc. Jesu Theologus, Græcum textum primus in lucem emisit. Vide Auctarium Græco-Latinum ad Bibliothecam SS. Patrum anni 1624. & Morellianæ Tomum XII. pag. 5. subjicitur:

Liber ad Eustathium de vitiosis cogitationibus, Petro Pantino Brugensi interprete. Ab alterutro distinctus

non videtur, qui in Bibliotheca Vaticana mſ. delitescere dicitur cum hac epigraphe: S. Antiochi ad Eustathium diversa capita.

(a) Observarunt Card. Baronius ad annum 614. Joannes Maria Brasichellanus in Romano Indice anni 1607. pag. 91. & Consalvus, &c. Sixto autem Senensi haud satis cognitus fuit noster hic auctor, de quo hæc habet: Antiochus Monachus Græcus in Divinis Scripturis valdè eruditus, collegit insigne opus in tres & sexaginta sermones distinctum, quod Pandectas prænotavit, comprehendens expositiones diversorum præstantissimorum Patrum in Decalogum, una cum reprobationibus omnium hæreseon, quæ adversus Decalogum emerserunt. Hic quo tempore claruerit, nondum reperi.

De S. Isidoro Hispalensi. 630.

SANCTUS ISIDORUS, Hispalensis Episc. sedere cœpit in Episcopali sede anno 596. & anno 636. migravit in cœlum, ut ex Chronicis Hispalensibus intelligitur. Scripsit multa, quorum Catalogum his verbis texit S. Hildephonsus in libro de viris illustribus.

Scripsit, inquit, opera eximia, & non pauca, idest,

Librum de genere officiorum. Librum proœmiorum. Librum de ortu, vel obitu Patrum. Librum commentariorum, quem Synonyma vocitavit. Libellos duos ad Florentinam contra nequitias Judæorum. Librum de natura rerum ad Siburum Principem. Librum differentiarum. Librum Sententiarum. Librum quæstionum, sive expositionis Sacramentorum. Librum Etymologiarum, quem non complevit. Hæc ille. Sed in edit. Parisiensi anni 1601. adduntur isti libri: De contemptu Mundi, Norma vivendi. Exhortatio ad pœnitentiam. Lamentum pœnitentiæ, versu, & alphabeticè editum. Oratio sancti Isidori prolixa ad peccata deflenda. Oratio brevior contra insidias Diaboli. Epistola ad Massionum de lapsu, & reparatione Sacerdotis. Chronicum ab initio Mundi usque ad annum quintum Svinthiliani Regis Gothorum. Chronicum Gothorum. Historia Vandalorum. Historia Suevorum. De Antiocho Rege, & martyrio Machabæorum. De Scriptoribus Ecclesiasticis. De nativitate Domini, Passione, Resurrectione, Regno, & Judicio ad Florentinam sororem. De vocatione gentium ad eamdem. Epistola ad Ludifredum de Episcopi, & aliorum Clericorum in Ecclesia officio. Sententiarum, sive de summo bono libri tres. Regula Monachorum. De conflictu vitiorum, & virtutum. Expositio in Cantica Canticorum. Liber de viris illustribus. Glossarium ex diversis, quæ nomine Isidori Hispalensis circumferuntur, collectum.

Observatio.

Mirum est, unde tot opera S. Isidori prodierint, quorum non meminit S. Hildephonsus qui eadem ætate vixit qua Isidorus ipse. Ideò suspicor, hæc non esse ab ipso S. Isidoro scripta, sed ab aliquo alio superaddita. Certè liber de contemptu mundi, & Norma vivendi decerpta sunt ex libro Synonymorum. Item Chronicum decerptum est ex libro 5. Etymologiarum: aut si non inde decerptum est, non est verisimile chronicum bis ab Isidoro scriptum.

Porrò quæ dicuntur in editione Parisiensi Commentaria in Genesim, Exodum, &c. dicuntur à sancto Hildephonso quæstiones, sive expositiones Sacramentorum, ex variis auctoribus collectæ: & qui sunt duo libri ad Florentinam sororem, de nativitate Domini, &c. & de vocatione gentium: fortasse sunt duo illi, quorum meminit sanctus Hildephonsus, contra nequitiam Judæorum. Et qui vocantur in editione Parisiensi de officiis Ecclesiasticis, vocantur à sancto Hildephonso, de genere officiorum.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS ISIDORUS, Severiano patre in provincia Carthaginensi natus post fratrem suum Leandrum Hispalensis in Bœtica Archiepiscopus fuit per annos 40. ab anno Christi 595. ad 636. æra 674. qua anno primo Chintilani Regis spiritum Deo reddidit die 4. Aprilis (a), feria quinta post Pascha, alii 16. Januarii. Valeat ergo cum suo Pelargo ineptissimus Patrologus, qui docet floruisse anno 650. Si enim mortuus est, ut rectè dixerat Bellarminus anno 636. quomodo superstes esse ac florere potuit post annos quatuordecim? quæ Lutherani hominis est absurdissima Chronologia. Junior sæpè dicitur ad distinctionem alterius Isidori Hispani, Cordubensis Episcopi, qui Honorio & Theodosio II. imperantibus Paulo Orosio Historiarum scriptori notissimo commentaria in libros Regum dicavit circa annum 412. De Isidoro Pacensi Episcopo, qui etiam Isidorus Junior dici solet, Chronici brevis auctore suo agemus tempore. De Hispalensi verò consule sanctum Braulionem Cæsaraugustanum Ep. in Præfatione ad libros S. Isidori, Redemptum Diaconum discipulum ejus qui præsens interfuit morti ejus, sanctum Ildephonsum Toletanum Episcopum in additione ad librum Isidori de Viris Illustribus post Hieronymum & Gennadium capite 9. Concilium Toletanum VIII. cap. 2. Sigebertum cap. 55. Lucam Tudensem lib. 2. adv. Albigenses cap. 4. & alibi, Joannem Trithemium qui in nonnullis errat, Philippum Bergomatem, Vasæum, Baronium, Marianam, Arnoldum Wionem, Possevinum, Vossium, &c.

Duas operum S. Isidori editiones vidi Parisiis excusas. Priorem studio Margarino Bignæi Doctoris Theologi anno 1580. Alteram longè auctiorem & emendatiorem anno 1602. procurante Domno Jacobo Breulio Monacho S. Germani Parisiensis O. B. quæ deinde Coloniæ recusa est anno 1617. hoc ordine, quam ego repræsentabo ut qui voluerit conferre habeat ad manum.

Originum, sive, *Etymologiarum libri* 20. quos cùm non complevisset, S. Braulio Cæsaraugustanus Ep. cujus hortatu illud opus susceperat, perfecit, digessitque in eam, quam cernimus, formam.

De Differentiis sive proprietate verborum, liber primus. De Differentiis Spiritualibus, liber secundus. Alius differentiarum, seu *de proprietate sermonum liber*, ex editione Madritensi anni 1599. *Synonymorum*, *sive Soliloquiorum*, *libri duo*, ad Braulionem tunc tantùm Archidiaconum. *De contemptu Mundi*, *libellus aureus*. *Norma vivendi*, ex libris Synonymorum & de Contemptu Mundi excerpta. *Exhortatio pœnitendi cum consolatione & misericordia Dei ad animam futura judicia formidantem*. *Lamentum pœnitentiæ pro indulgentia peccatorum*, versibus Trochaicis, duplicique Alphabeto digestum. *Oratio prolixa ad flenda semper peccata pro correctione vitæ*. *Oratio brevis contra insidias Diaboli*. *Epistola ad Massanum*, sive *Massonem*, *de lapsu Sacerdotis & reparatione*. *De natura rerum*, sive *de Mundo*, ad Sisebutum Wisigothorum Regem.

Chronicon ab initio Mundi usque ad annum quintum Svinthilani Regis Gothorum Christi Domini 626. emendatum scholiisque illustratum per Garsiam de Loaisa S. T. D. Canonicum Toletanum. Miror sanè Bellarminum in ea fuisse sententia, quòd Chronicon illud decerptum sit ex libro 5. Etymologiarum, cùm è contra certo certius mihi videatur, ex hoc Chronico delibasse Isidorum aut certè Braulionem quæ brevi compendio de serie temporum traduntur ad calcem libri

libri quinti Etymologiarum. In mſ. codice noſtro antiquiſſimo initialibus literis exarato ante Fredegarii Appendicem Gregorianam habetur Chronicon illud eodem Chriſti ſæculo ſeptimo abſque ulla controverſia deſcriptum. Neque inſolens eſt eumdem nonnumquam Auctorem ex longioribus ſpatiis in arctum veluti gyrum lucubrationes ſuas, cùm ſubeſt cauſa, contrahere.

Hiſtoria Gothorum, Vandalorum, & Svevorum, quæ Epitome tantùm, eaque in multis manca, atque mendoſa dici debet, ſi comparare velis cum ea, quam edidimus nuper Tomo I. Novæ Bibliothecæ mſſ. Librorum ex codice mſ. ejuſdem noſtri Collegii Pariſienſis.

B *Liber Proœmiorum de libris Veteris ac novi Teſtamenti. Commentaria in libros Hiſtoricos Veteris Teſtamenti, Geneſim, &c.* quæ in Catalogo S. Ildefonſi opera vulgato dicuntur Quæſtiones, ſive Expoſitiones Sacramentorum ex variis Auctoribus collectæ. Sunt tamen qui Commentarios in quatuor libros Regum adjudicare malint Iſidoro ſeniori Ep. Cordubenſi.

Allegoriarum quarumdam Sacræ Scripturæ liber unus. Sive Compendiolum Allegoriarum in Octateuchum, ex Origene, Victorino, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Caſſiodoro, Fulgentio, Gregorio, aliiſque. Vide Sixtum Senenſem, qui lib. 4. Bibl. ſanctæ Trithemium accuſat, quòd Lucubrationum Iſidori copiam amplificare voluerit.

C *De Scriptoribus Eccleſiaſticis poſt Hieronymum & Gennadium liber.* A Miræo cum Ildefonſi & alterius Anonymi Auctario editus eſt Bibliotheca Eccleſiaſtica & ante à Suffrido, Schotto, aliiſque præſertim à Garſia Loaiſa Matriti 1593. cum Conciliis Hiſpanicis: cujus editio atque annotationes doctiſſimæ ſub finem voluminis à Braulio fuerunt exhibitæ.

De vita & morte Sanctorum, qui Deo placuerunt, ſive, *de ortu & obitu Patrum*. Hunc ſuppoſititium cenſet Baronius ad annum 816. & in Notis ad Martyrologium Romanum Kalendis Maji, Julii 25. & Auguſti 25. cùm tamen de illo Braulio in Præfatione ad opera S. Iſidori ſeu Prænotatione librorum ejus Catalogo ſubjuncta hæc habeat: De ortu & obitu Patrum librum unum, in quo eorum geſta, dignitatem quoque & mortem atque ſepulturam ſententiali brevitate ſubnotavit. Corruptum ergo ab aliquo interpolatore cenſuerim, cùm teſte Baronio complura in eo indigna reperiantur coagmentata mendacia. Quid verò, ſi nimis credulus, quæ ab aliis ſcripta reperit, minus diſcuſſa, non tam ſua, quàm aliena protulerit fide? Prudentiorum eſto judicium (*b*)

D *Libri duo contra nequitiam Judæorum* ad Florentinam ſororem. I. de Nativit. Domini, Paſſione & Reſurrectione, Regno atque judicio. II. de Vocatione Gentium. Braulio aſſerit in iis omnia quæ fides Catholica credit ex Legis & Prophetarum teſtimoniis approbata.

E *Libri duo de Divinis ſive Eccleſiaſticis officiis*, vel, ut loquitur Ildefonſus, de genere officiorum, quos ſcripſit circa annum 610. ad Fulgentium fratrem ſuum Aſtigitanum, ac poſtea Cartaginenſem Epiſcopum, & cur unumquodque illorum in Eccleſia Dei agatur, interprete ſuo ſtylo, inquit Braulio, non ſine majorum auctoritate explicuit.

Ad Ludifredum, ſeu Leudefredum Cordubenſem Epiſcopum Epiſtola, de Epiſcopi & cæterorum Clericorum in Eccleſia officio.

Sententiarum, ſive, *de Summo bono libri tres*, quos floribus ex libris S. Gregorii Papæ moralibus decoravit. Eos Garſias Loaiſa emendavit & notis illuſtravit.

S. Iſidori Epiſtolæ aliquot, præter ea quæ ante Etymologias & Synonyma referuntur. Ea quæ ad Redemptum dicitur, non fuit ab Hiſpalenſi ſcripta, ſed ab aliquo poſterioris ætatis, cùm jam exortæ eſſent Græcorum adverſus Latinos de azymo ſimultates.

Regula Monachorum capp. 24. diſtincta, quam pro patriæ uſu & invalidorum animis decentiſſimè temperavit.

De Conflictu Vitiorum & Virtutum, teſte Sigeberto Gemblacenſi & mſſ. codicibus. Alii verò Ambroſio, aut Auguſtino, aut etiam Leoni I. Papæ tribuerunt, ſed falsò: cùm ut notavit Bellarminus & ex eo Heterodoxi, fiat mentio Regulæ ſancti Benedicti. Hujus nec meminit Ildefonſus, neque Braulio, qui ſcitè tamen admonuit alia hujus viri multa opuſcula eſſe in Eccleſia Dei multo cum ornamento inſcripta.

Expoſitio in Cantica Canticorum Salomonis. Notæ Virorum Doctorum in quoſdam libros Divi Iſidori per Joannem Grialum collectæ & auctæ. Liber Gloſſarum ex variis Gloſſariis, quæ ſub Iſidori nomine circumferuntur, collectus.

Tomo I. Spicilegii editus eſt à Domno Luca Dacherio Ordin. Bened. ſancti Iſidori *Liber de Ordine Creaturarum*, ad Braulium Epiſcopum Urbis Romæ, ideſt Cæſarauguſtæ, qui titulus cum ſuo gloſſemate inſuetus omninò videtur. Sunt quoque qui alia afferent ſuppoſitionis argumenta.

Præfationem de origine Conciliorum, in qua fit mentio Concilii Toletani XI. quod habitum fuit anno 675. & VI. Generalis Synodi anno 661. ſub Agathone Papa celebratæ, & Collectionem ſeu Compilationem tam Decretalium Epiſtolarum Veterum Pontificum, quàm Conciliorum à temporibus Apoſtolorum ad Concilium Hiſpalenſe ſecundum, jam ab octingentis quod excurrit annis nonnulli Iſidoro noſtro Hiſpalenſi Archiepiſcopo, qui anno 636. obiit, tribuerunt, ſed immeritò. Quiſquis enim ille fuit Iſidorus, modò Peccator, modò Mercator appellatus, cujus nobis juxtà ac eruditiſſimis viris origo hactenus ignota, circa annum 780. emerſit è tenebris, pluresque epiſtolas, aut à ſe, aut ab alio quopiam confictas eodem colore imbuit, atque ex variis antiquorum Patrum ſcriptorumque, Hieronymiana Sacræ Scripturæ verſione poſteriorum, centonibus craſſo ac ſoloce filo conſutis conſarcinavit ad incautiorum, quibus nihil non arridet, certiſſimam fraudem. Videndi de illis Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus in libro 55. capitum adverſus Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum nepotem ſuum, Baronius, non ſemel in Annalibus Eccleſiaſticis, Antonius Auguſtinus, Antonius Contius, Eminent. Cardinalis Perronius, Illuſtriſſimus Petrus Maria Archiep. Toloſanus, aliique plures ex recentioribus Catholicis, qui Turriani minùs in hac parte ſubactum judicium & ex nimio erga Catholicam Religionem zelo longius provectam induſtriam, quamvis eruditiſſima SS. Patrum ac veterum ſcriptorum diſquiſitione præſtantem, improbarunt; ut de Heterodoxis nihil dicam Rainoldo, Perkinſio, Coco, Riveto, ac præ cæteris Blondello, qui minutatim ſingula ſuoque more ſcrupuloſiùs putidiùſque diſcuſſit, atque ut memini me audiviſſe à κριτικωτάτῳ Sirmondo apertum oſtium totis viribus atque incredibili conatu effringere aggreſſus eſt; ut qua data occaſione morantem à Conſiſtorio penſionem acceleraret, aut à venerandæ Synodi Confarraneis in Caſtrenſi Albigenſium urbe coactis extraordinarium aliquem canonem emungeret.

(*a*) Regioportuenſes Lectionum Euchariſticarum Collectores diem quartam in decimam quartam converterunt, niſi fortè ſit Typographus lapſus, quem tamen non obſervarunt, cùm certum ſit feria quinta poſt Paſcha deceſſiſſe, quod anno Biſſextili Chriſtianæ æræ 636. literis Dominicalibus G. F. incidit in 31. Martii æra Hiſpanica 674. ſic enim corrigendum

σφαλ-

σφαλμα τȣ̃ τυποθέτου. Nec longè quærenda ipsis emendatio : Romanum enim Martyrologium die Apr. 4. obitum sancti illius Archiepiscopi consignat.

(*b*) R. P. Gaspar Sanctius Soc. Jesu doctissimus Sacræ Scripturæ interpres in addito post Commentaria in Acta Apostolorum Tractatu de prædicatione sancti Jacobi Majoris in Hispania pluribus contendit librum hunc de Vita & Morte sanctorum esse S. Isidori Hispalensis Archiep. nebulasque omnes unde collectas & argumentationes discutere satagit. Tu vide Lector ac judica.

De Georgio Monacho. 630.

SUPPLEMENTUM.

GEORGIUS Monachus, tum post Sanctum Joannem Eleemosynarium Patriarcha Alexandrinus, sedem hanc tenuit ab anno *616.* quo Joannes obiit, ad annum 730. quo ipse mortuus est. Scripsit *Vitam Sancti Joannis Chrysostomi*, ex qua Photius in Bibliotheca cod. *96.* excerpta dedit. Idem illic dicit certò se non posse affirmare, quis hic Georgius sit : sed placet quod Andreas Schottus ibidem ad libri Marginem annotavit, illum videri qui sancto Joanni Eleemosynario successit circa annum 620. Et verò B. Joanni Damasceno priorem fuisse satis constat, cùm is ex hac Vita (non expresso Scriptoris nomine) adducat historiam de imagine sancti Pauli, Oratione 1. De Imaginibus sub finem. Hanc vitam integram nobis dedit Godefridus Tilmannus Carthusiæ Parisiensis Monachus in græcis doctissimus, quam latinam habes ibidem in fol. anno 1557. impressam. Habetur etiam græcè inter varia ad Sanctum Chrysostomum spectantia in editione græca operum illius procurata in fol. tomis 8. Etonæ in Collegio Regali propè Londinum anno 1613. cura Henrici Savilii nobilitate, eruditione ac studio juvandi Litteras, clarissimi viri. Eadem græcè mss. extat in variis Bibliothecis quæ cum editis conferre potest, nempe in Vaticana Codd. Heidelbergensibus sub nomine Georgii Alexandrini, n. *9.* 80. & *394.* Bavarica Cod. 194. Regia Gallica, unde eam latinam reddidit citatus Tilmannus. Ad eumdem (ut opinor) Georgium Alexandrinum, spectat *Chronicon Alexandrinum* dictum, *in quo omne ævum usque ad vigesimum Heraclii annum digeritur*. Hoc opus in vetusta Siciliæ Bibliotheca primus invenit Hieronymus Surita Hispaniensium rerum Scriptor, atque inde opera ejusdem & Antonii Augustini tunc in Urbe Auditoris Rotæ (ut vocant) Romam advectum fuit. Hæc causa est, cur Sigonius, Panvinius, & alii olim *Fastos Siculos* appellarint : cujus partem à Casaubono acceptam, Eusebio suo græcè Scaliger adjecit. Sed integrum atque adeò nummis *36.* aureis emptum, Augustanæ Vindelicorum Bibliothecæ postea accessit. Inde ultimorum duorum annorum narrationibus exceptis, quæ ita vetustate attritæ, ut legi non possent ; eduxit, exscripsit & cum sua interpretatione publicavit grecè & latinè, anno *1615.* in 4. Monachii Typis Annæ Bergiæ, Matthæus Raderus Soc. Jesu Theologus. Hic *Chronici Alexandrini* nomen libro imposuit eò quòd in Frontispicio mss. Codicis illud commendet Petrus Alexandrinus Episcopus, quem quidem verisimiliter suspicatur esse Petrum illum, qui anno Christi *640.* Alexandrinus Episcopus fuit. Opus est Chronologis utile, vel ob multa ex Julio Africano & Eusebio Cæsariensi excerpta quæ ibi legas & non alibi. De Georgio Photius Cod. *96.* Possevinus in Apparatu Sacro, Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 104. & *179.* 180. à quo multa ex antedictis accepta sunt. Porrò cùm istud Chronicon Res Alexandrinas maximè persequatur, cùm excurrat usque ad tempora ultima Georgii Alexandrini, cùm à Petro Georgii successore commendetur : hæc omnia simul juncta inducunt, ut Georgius illius auctor credatur, cui sententiæ favent doctissimi Viri.

De S. Eligio Episcopo. 640.

SANCTUS ELIGIUS Episcopus Noviomensis, scripsit *homilias sexdecim*, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum, tomo secundo edit. 2. Obiit anno *665.* teste Sigeberto in Chronico : cujus vita scripta satis diligenter libris duobus à Beato Audoeno Rothomagensi Præposito, extat apud Surium die 1. Decembr.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS ELIGIUS, patria Lemovix, ex vico Cataliaco, tribus milliaribus à primaria urbe dissito, ex aurifabro, & singulari Dagoberti 1. Francorum Regis amico, Veromandensis, seu, quod idem est, Noviomensis Episcopus, à die 14. Maji Dominica ante Rogationes anni Eræ Dionysianæ *646.* qui erat 3. Clodovei II. Regis Francorum, ut testis est in ejus vita ad Rodoberum Parisiensem Episcopum scripta, qui eadem die creatus est Archiepiscopus Rothomagensis S. Audoenus seu Dado, usque ad diem 2. Decembris anni *665.* qua sub Clotario 3. Francorum Rege ad Superos abiit, ejusque successor Mummolenus anno sequenti Clotarii quarto, cum S. Audoeno, pluribusque aliis Præsulibus subscripsit Privilegio Corbejensi.

Præter *Homilias sexdecim de diversis argumentis*, quæ extant Tomo 2. Bibliothecæ Magnæ Parisiensis habetur inter Desiderii Canturcensis Episcopi, atque ad Desiderium datas epistolas, una S. Eligii epistola, & in Appendice Tomi *9.* operum S. Augustini, qui dicitur, *Sermo ad plebem*, revera est Sancti Eligii, ut ex S. Audoeno lib. 2. cap. 16. planè constat, docuitque Sirmondus in Notis ad Tomum 1. Conciliorum Galliæ, ex quo deinceps alii hauserunt. (*a*)

(*a*) Edmundus Aubertinus libro tertio de Sacramento Eucharistiæ pag. *906.* asserit Homiliam octavam magna sui parte rhapsodiam esse & farraginem consarcinatam, non modò ex Hilario, Augustino, Prospero, Isidoro Hispalensi, sed & ex auctore Commentariorum in Psalmos Hieronymo falsò tributorum, & qui scripti non videntur ante 8. sæculum, imò etiam ex Alcuino sæculi octavi & noni scriptore tum libro 3. de Trinitate cap. 21. tum libro 3. contra Elipandum ad finem. Idem docet in Homilia 15. reperiri ipsissima Haymonis Halberstatensis Episcopi verba, qui sæculi noni auctor fuit.

SUPPLEMENTUM.

ELIGIUS natione Lemovix, è Villa Catalacensi ab urbe sex milliariis distante, primùm Aurifaber, inde Episcopus Noviomensis, atque is sanctissimus, cujus vitam pluribus scripsit Audoenus Rothomagi Archiepiscopus, Eligio contemporaneus amicus. Narrat idem Audoenus Solemniacense Monasterium in rure Lemovicensi Eligium ædificasse, Monialium Domicilium Parisiis, Basilicamque in honorem Apostoli Pauli & sancti Martialis Lemovicensis Episcopi. Sanctorum thecas ex auro & gemmis fabricavit Germani Parisiensis, sancti Martini

tini apud Turones, Mausoleum sancti Martyris Dionysii in civitate Parisiensi. Defuncto Achario Noviomensi Episcopo, suffectus in ejus locum, ac consecratus in civitate Rothomagensi, Dominica Rogationum die 14. Maji *646*. Interest Concilio Cabilonensi circa annum *650*. quo tempore fundat Tornaci Abbatiam sancti Martini. Migrans ad Dominum moritur anno *663*. Kalendis Decembribus ex veteri Kalendario, cui depositioni malè assignantur anni *659*. & *665*. Sepelitur in Ecclesia sancti Lupi olim à Clodovæo condita, quæ nunc ipsius Eligii nomine de novo constructa enitescit. Habet Ecclesiam Romæ sui nominis, propè fontem sancti Georgii in Velabro. Quantum ad ejus scripta, eamdem sortiuntur fortunam, atque ea quæ hucusque sub nomine sancti Ildefonsi Toletani Archiepiscopi edita sunt. Nam *opusculum de rectitudine Catholicæ Conversationis*, quod inter opera sancti Augustini suppositítia legitur, est certò sancti Eligii, cujus mentionem facit sanctus Audoenus in Vita sancti Eligii. Sed quantum ad Homilias 17. sub nomine Eligii ejusdem, in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 2. veterum editionum Parisiensium annorum 1575. & 1589. has & Antonius Arnaldus in opere suo *De Perpetuitate Fidei circa veritatem Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistia* censet suppositas ac dubias. Unde dum allegat, numquam nisi sub nomine *auctoris Homiliarum quæ sancto Eligio attribuuntur*. Albertinus autem in opere suo doctissimo simul & pessimo de Eucharistia, quod Genevæ primùm in fol. Gallicè editum est anno 1633. & latinè Daventriæ in fol. anno 1654. adulterinas multis validis probat argumentis. Sanè, solum ejus dictum Homilia ultima sub medium, sufficit ad abjudicandas Homilias istas Eligio, nempe quòd peccatum paris sit enormitatis viro amplexanti suam uxorem tempore Quadragesimæ & comedenti carnes eodem tempore contra Decreta Conciliorum Ecclesiæ. Sic autem: *Diebus autem Quadragesimæ vos omnibus modis à conjugum commixtione vestrarum, sicut decet Christianos, abstinere oportet: nam ut quidam sapiens ait, similis reatus est fideli Christiano diebus Quadragesimæ etiam cum propria uxore concumbere, sicut & carnes in cibum sumere.*

Auctor istarum Homiliarum videtur mihi vixisse sub initium vel medium sæculi noni. Ille enim omnes sunt confarcinatæ ex variis veterum Patrum fragmentis, suntque tantùm Laciniæ desumptæ ex SS. Patribus, Augustino potissimùm, Ambrosio, Leone, Cæsario Arelatensi, Benedicto, Gregorio Magno, aliisque non citatis: qui mos consuendi libros vel Homilias ex aliorum pannis, fuit proprius sæculi noni, ut conveniunt, & noscunt omnes docti. Auctor autem fuit Episcopus, & olim Monachus Ordinis Divi Benedicti: ut constabit sensatis omnibus ex sola Homilia 11. inscripta *in Cœna Domini ad populum, deinde ad pœnitentes*. Ibi dum allegat sanctum Augustinum: *dicente*, inquit, *Beato Augustino*; dum Ambrosium, *ut ait Ambrosius*; dum Cyprianum, *ut ait Beatus Cyprianus*; dum sanctum Leonem, *de hoc & Sanctus Leo Papa*; cum Gregorium, *ut Beatus dicit Gregorius*: sed ubi sanctum Benedictum doctrina longè inferiorem his omnibus sanctæ Ecclesiæ Doctoribus, ita antea loquitur: *Nam cum quali devotione & reverentia sit orandum, Beatissimus & Sanctissimus Pater Benedictus demonstrat dicens*. Nihil magis poterat prodere Monachum Benedictinum quàm affectata ista superlativorum congeries, in allegando Divi Benedicti Regula. Et licèt Cyprianum Sanctissimum Martyrem appellet, longè tamen aliud est dare Cypriano vocem Sanctissimi Martyris, ac Benedicto affectatas voces *Beatissimi ac Sanctissimi Patris Benedicti*. Adde quòd vel rarò vel numquam videbis in Scriptoribus sæculi 8. vel *9*. citatam Regulam sancti Benedicti cum elogio ejusmodi, nisi ab illis, qui eam olim professi sint. Unde cùm eam numquam sanctus Eligius professus sit, inde arguendum est Homilias ejusmodi Regulam allegantes, ab eo amovendas, nec esse Eligianas. Plura dabunt de sancto Eligio Bellarminus & Labbeus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Baronius in Annalibus & Martyrologio Romano ad Kalendas Decembres, Bucelinus in Annalibus Gallo-Flandriæ, Molanus in Natalibus sanctorum Belgii, Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tom. 3. pag. 87. in Noviomensibus Episcopis, & alii multi.

De Donato Valdeleni filio. 640.

SUPPLEMENTUM.

DONATUS Valdeleni Burgundiæ superioris Ducis & Flaviæ filius, Valdeleni primi Bezuæ Abbatis frater, de cujus ortu mirabili è sterilibus parentibus Jonas est legendus in vita sancti Columbani Luxoviensis Abbatis cap. 13. Sub ejus disciplina in Luxoviensi Cœnobio sapientia & pietate institutus, subinde Archiepiscopatum Bizuntinum ad quem electus est, clarissimè gubernavit, ut est in Chronico Besuensi: posteaque ob amorem ejusdem B. Columbani, ex ipsius Regula Monasterium construxit, quod *Palatium* nuncupant, referente alio ms. Chronico. Ædificavit autem *Ecclesiam sancti Pauli* in urbe Bisuntinensi, in qua cum patre suo in Domino requiescit: Et *Jussanum Monasterium B. Mariæ*, cum matre sua Flavia, quæ ibi sepulta est. Idem huic Monasterio Puellarum quod mater ejus fundaverat, *Regulam* scripsit, ex SS. Augustini, Cæsarii, Columbani & Benedicti Regulis maxima ex parte defloratam, quam edidit Lucas Holstenius in Codice Regularum parte 3. pag. 47. & seqq. Hic ipse est Donatus Archiepiscopus, cujus Regulæ meminit Benedictus Anianensis in Concordia Regularum: qui etiam, ut putamus, auctor fuit *Commonitorii seu Regulæ SS. Pauli & Stephani*, quam habet idem Holstenius in Collectione Regularum parte 2. pag. 4. & seqq. de qua idem Benedictus: qua nimirum & Monachos sancti Pauli, & Cathedralis Ecclesiæ Bisuntinensis sancti Stephani Canonicos regulares, ipse utrorumque Pater ac Præfectus, ad omnem morum honestatem instituebat. Interfuit Synodo, de qua Flodoardus lib. 2. hist. Remensis cap. 5. quam quidem Suessione non Remis, & primo anno Dagoberti, Christi *630*. celebratam alii volunt. Adfuit etiam Cabilonensi Concilio circa annum *650*. & nominatur in Diplomate pro Dionysianis Monachis an. *658*. ex citato Codice ms. Bisuntino, per hunc Antistitem Donatum recepit Ecclesia Villas Domblingum & Arslatum. Ejus corpus ex Basilica sancti Pauli, deinde translatum est in vicinam Parochialem Ecclesiam, quæ ab ipso sancto Donato nomen habet, & colitur 7. Idus Augusti. Hæc ex Gallia Christiana tom. 1. pag. 120. in Archiepiscopis Bisuntinensibus, quorum Epitomen suppeditavit Petrus Franciscus Chiffletius Societ. Jesu Theologus. Plura Joannes Jacobus Chiffletius Eques & Archiater Regis Hispaniæ, in opere cui titulus *Vesontio civitas Imperialis* Lugduni in 4. anno 1618. impressa, ubi de ejus antiquitatibus & Archiepiscopis. Joannes Mabillon sæculo 2. Ordinis D. Benedicti pag. 335. edito Parisiis anno *1669*. in fol. apud Carolum Saureux.

De Pau-

De Paulo Diacono. 640.

SUPPLEMENTUM.

PAULUS Diaconus Neapolitanæ Ecclesiæ, quem Labbeus ad annum 640. in Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum assignat, teste Sigeberto libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 96. transtulit de græco in latinum *Vitam sanctæ Mariæ Ægyptiacæ*, quam Sophronius Hierosolymitanus Episcopus græcè scripserat, & quam postea carmine reddidit Hildebertus Cenomanensis Episcopus, ut Henricus Gandavensis in catalogo cap. 8. narrat. Hujus autem vitæ textus græcus Sophronii Episcopi, cum antiqua translatione latina Pauli Diaconi, & cum metrica Hildeberti Episcopi, habentur jam apud Continuatores Bollandi, ad diem 9. Aprilis.

De Cumiano. 640.

SUPPLEMENTUM.

CUMIANUS seu CUMEANUS, Abbas primùm, postea Episcopus Hyberniæ, vixit sub annum 640. scripsitque *ad Segienum Huensem sanctæ Columbæ Abbatem Epistolam de festi Paschalis ratione*, quam Ægidius Bucherius in Commentario ad Victorii Aquitani Canonem Paschalem recitat; & Usserius in Syntagmate Epistolarum Hybernicarum edidit ex Bibl. Cottoniana pag. 17. & sequentibus. Hyberni enim, seu Scoti, Picti & Britanni indigenæ, cùm antiquos Ecclesiæ suæ ritus in celebrando Paschate retinerent, quos ante Anglorum irruptionem in Britanniam à suis Majoribus acceperant: multas super hac re cum Anglis jam Christianis contentiones ac disputationes habuerunt, ut Bucherius ex Bedæ Historia citato libro cap. 9. docet. *Ejusdem Cumeani Abbatis Scoto-hyberni lib. de Pœnitentiarum mensura* apud Patricium Flemingum *in Columbano suo* pag. 197. de quo diximus supra ad annum 610. Plura de Cumiano Flemingus citatus, Miræus in suo Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 188. pag. 217. Joannes Colganus in Vitis & actis Sanctorum Hyberniæ, quas cum notis & appendicibus Lovanii duobus vol. in fol. annis 1645. & 1647. evulgavit. Thomas autem Messinghamus in Florigerio Sanctorum Hyberniæ, quod evulgatum est in fol. Parisiis apud Sebastianum Cramoisy anno 1634. via Jacobæa sub Ciconiis, nihil habet de Cumiano, quod valde mirum est.

De Joanne IV. Papa. 640.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES IV. Papa anno 641. scripsit *pro Honorio prædecessore suo apologiam ad Imp. Constantinum, Heraclii filium*. Scribendi occasio prodiit ex Pyrrho Patriarcha Constantinopolitano & aliis Monothelitis, qui Honorii ad Sergium Pyrrhi prædecessorem Epistola abutebantur, quasi ipsorum hæresi faveret, quam Joannes recto atque Orthodoxo sensu dictatam fuisse probat. Apologiæ hujus testimonio usus est *sanctus Maximus* in disputatione sua cum Pyrrho, quæ paucis post annis in Africa secuta est. Ipsam verò Apologiam Jacobus Sirmondus inter Collectanea Anastasii sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii anno 1620. Parisiis edendam curavit apud Sebastianum Cramoisy, addiditque nonnulla excerpta ex duabus aut tribus

A Epistolis sancti Maximi, huc spectantibus. Ita Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 186. pag. 217. alias etiam Epistolas Joannis IV. Papæ, habes in Collectione Conciliorum.

De Braulione. 640.

SUPPLEMENTUM.

BRAULIO Cæsaraugustanus Episcopus, mortuo fratre suo Joanne Dignitatem hanc habuit, vir sicut germanitate conjunctus, ita non minimè ingenio similis. Scripsit *Vitam sancti Emiliani Turiasonensis Monachi*, quæ & memoriam hujus & virtutem illius sancti viri suo tenore commendat pariter
B & illustrat: quam habes in Vitis Sanctorum ad diem 22. Novembris, & inter legendas seu collectanea de sanctis Ordinis Divi Benedicti. Interfuit Conciliis 4. 5. & 6. Toletanis, & anno 646. die 26. Martii ad Cœlites transiit. Sanctus Isidorus Braulioni suos Originum libros dicavit, extantque è contra duæ Braulionis Epistolæ ad sanctum Isidorum Hispalensem, in operibus dicti Isidori impressæ. Corpus Braulionis anno 1270. inventum, adservatur in Basilica sanctæ Mariæ Majoris. Plura apud Marianam & alios rerum Hispanicarum Scriptores consulendos, post Ildefonsum cap. 12. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Miræum in Scholio ad dictum caput sancti
C Ildefonsi, Possevinum in Apparatu sacro.

De Esaia Abbate.

ESAIAS ABBAS; qui quo tempore vixerit invenire non potui, scripsit *homil. 29.* valde utiles præsertim Monachis ad perfectionem tendentibus. Extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo, editionis secundæ.

DISSERTATIO HISTORICA.

ESAIAS, incertæ mihi ætatis Abbas, quamquam non nesciam sæculo 7. à nonnullis affigi,
D auctor fuisse dicitur,

Præceptorum de Perfectione Monastica, sive, Homiliarum 29. ad Fratres, qui cum ipso vivebant, quæ extant, tum seorsim Latinè tantùm editæ Petro Francisco Zino Veronensi interprete, tum in Bibliothecis Sanctorum Patrum Parisiensibus & Coloniensi.

De S. Maximo Martyre. 650.

SANCTUS Maximus Monachus Constantinopolitanus & Martyr clarissimus vixit temporibus Honorii Papæ primi, & Heraclii Imperatoris. Obiit autem sub Vitaliano Pontifice, & Costante Impera-
E tore anno Domini 660. Scripsit plurima quorum Catalogum refert Card. Baron. tom. 8. Annalium; nunc extat insignis *disputatio* habita in Africa *contra Pyrrhum Monothelitam*, quam Græcam & Latinam edidit idem Card. Baronius in appendice ad octavum tomum Annalium. Extat etiam in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit. secundæ *liber de Ecclesiastica mystagogia*. Extant quoque *Scholia in S. Dionysium Areopagitam*, Græcè & Latinè edita Parisiis cum operibus sancti Dionysii. Extant denique tom. 5. ejusdem Bibliothecæ SS. Patrum *Centuriæ S. Maximi De Charitate, & de Incarnatione Verbi*: sed cùm translatæ sint è lingua Græca in Latinam opera hæreticorum, non multum illis fidendum est. Solent enim hæretici in auctoribus bonis transferendis sæpè ad suos errores sententias auctorum bonorum accommodare.

DIS-

Dissertatio Historica.

Sanctus Maximus modò Monachus, modò Abbas, modò Martyr, modò Confessor, sive Homolegeta dici solitus, scribebat anno *641*. Librum de Computo quo obiit Heraclius: in exilium actus est à Constante Imperatore iisque qui novum de unica in Christo voluntate & operatione dogma in Orientem invexerant: celeberrimam in Africa habuit anno *645*. disputationem cum Pyrrho Patr. Const. sede sua pulso coram Georgio Patricio in conventu Episcoporum, quæ extat Græcè & Latinè ut mox dicemus. Tandem ut verè Christi Confessor & Martyr in Lazica in castello Alanis quo fuerat relegatus, die 13. Augusti Indictione 5. exeunte anno Christi *662*. ex hac vita decessit sub Vitaliano Papa & Constante Imp. Monothelitarum fautore. De eo ejusque scriptis plura Photius codd. *192*. *193*. *194*. & *195*. Anastasius Bibliothecarius in Collectaneis à Sirmondo editis, Auctor vitæ ejus à Petro Morino Doctore Parisiensi Latinè redditæ, Theophanes auctorque Miscellæ, (*a*) atque ex recentioribus Baronius ad annum *640*. & consequentes, Possevinus, Miræus, nos quoque in Specimine Novæ Bibliothecæ mss. librorum supplemento x. pagina 381. ut omittam Elssium & quosdam alios Augustinianos, qui infirmis admodum conjecturis adducti Maximum inter ordinis sui Viros illustres accensent. Cùm enim, inquiunt, in Africa quinque annis demoratus fuerit, neque credibile sit tantum hominem toto eo tempore extra clausuram regularem: & eo tempore omnia Africæ monasteria Monachorum sub Eremitico Augustini instituto degerent valdè credibile sit Maximum & ejus discipulos, nostris Eremitis inter eadem cœnobia convixisse, & (ut erat illis temporibus de licentia Episcopi facilis transitus) eam vitæ professionem iniisse quæ in cœnobio, quod incolebant, observabatur. Hæc illi non feliciùs quàm cùm Honoratum Hilariumque Arelatenses, Eucherium Lugdunensem duosque ejus filios, Maximum Faustumque Rejenses Episcopos totamque adeò Insulanorum Lirinensium catervam in jura Eremitarum Augustinianorum transcribunt tota reclamante antiquitate. Quid quòd & S. Paulam viduam Romanam, ipsumque adeò B. Paulinum Nolanum Episcopum boni quidam viri admodumque fidei suæ prodigi cum aliis compluribus Ordini suo adscribunt, quæ si discusserit Criticè paulò austerior, omnia in fumos ventosque evanescent. Quæ occasione Maximi dicta sunto: cujus ex scriptis propè innumerabilibus hæc hactenus edita fuisse comperi.

I. *Quæstio Ecclesiastici dogmatis*, disputata coram Georgio Patricio in Conventu Episcoporum & aliorum nobilium virorum à Pyrrho Patr. Const. & B. Maximo qui doctrinam Apostolorum & SS. Patrum defendebat contra eos qui de una voluntate Christi novum invexerant dogma: sive Acta disputationis illius integra prout à Notariis tunc excepta sunt. Extant Græcè & Latinè interprete R. P. Francisco Turriano Soc. JESU in Appendice Tomi VIII. Annalium Ecclesiasticorum.

II. *Commentaria seu scholia in opera S. Dionysii Areopagitæ* quæ & seorsim Græcè edita, & utraque lingua in editionibus S. Dionysii Lanseliana & Corderiana, ut supra monuimus.

III. *Computus Ecclesiasticus duobus libris comprehensus cum brevi Temporum putatione & summa*: sive, Compendiaria Narratio Christiani Paschatis qua descripti Laterculi ratio declaratur Græcè ex Vaticana Bibliotheca & Latinè interprete R. P. Dionysio Petavio Soc. JESU cum aliis Græcis Auctoribus in Uranologio prodiit anno *1630*. Parisiis apud Sebastianum Cramosium. Hujus computi excerpta quædam Josephus Scaliger Operi de emendatione temporum inseruerat notisque explicarat, quas idem Petavius excussit libro 8. Variarum Dissertationum

IV. *Liturgiæ Expositio*, sive, de Ecclesiastica Mystagogia & quorumnam sint signa in Sancta Ecclesia quæ in Divina Synaxi seu Communione peraguntur, Græcè & Latinè Tomo II. Auctarii Bibliothecæ Veterum Patrum anni *1624*. & Tomo XII. Morellianæ pag. 410. ex editione Græco-Latina Augustæ Vindelicorum anno *1599*. apud Joannem Prætorium Gentiano Herveto Aurelianensi Canonico Remensi interprete, opera & studio Davidis Hœschelii, cum S. Joannis Chrysostomi Homiliis adversus Judæos.

V. *Expositio in Cantica Canticorum*, quam ex ejus & S. Gregorii Nysseni ac Nili Commentariis collegit Michael Psellus hortatu & studio Michaelis Ducæ Parapinacii Græcorum Imp. Græcè & Latinè Francisco Zino interprete extat, tum Tomo II. Auctarii anni *1624*. tum Morellianæ Bibliothecæ Veterum Patrum Tomo XIII. pag. *681*.

VI. Tractatus ejusdem B. Maximi *de duabus D. N. J. C. naturis in decem capita distinctus*, quem jam olim Joachimus Perionius Monachus Cormæriacenus Latinè ediderat, ut vel ex Bibliothecis discere quis potest, extat Tomo 1. Auctarii Græco-Latini Combefisiani à columna 443. ad 448. Vide pariter Bibliothecas Veterum Patrum, & versa à Turriano nostro opuscula.

VII. *Varia Capitula tum Theologica tum Oeconomica*, sive, quæ ad divinam dispensationem pertinent, *de Virtute & vitio, Centuriis quinque distincta*, Græcè & Latinè interprete Joanne Pico Classium Inquisitoriarum in Senatu Parisiensi Præside, Parisiis anno *1560*. in 8. apud Guill. Morellium.

VIII. *De perfecta Charitate & de aliis Virtutibus Christianis ad Elpidium Presb. Centuriæ quatuor* Græcè & Latinè Vincentio Opsopæo interprete in 8. Haganoæ *1631*. & in Micro-Presbytico in fol. anno 1555. & cum sententiis Antonii Monachi ejusdemque Maximi Tiguri *1546*. Eædem & pleraque alia ex his opusculis Latinè tantùm in Bibliothecæ Coloniensis Tomo 7. & Parisiensibus. In Opsopæi versionem vide censuram Jacobi Billii Prunæi libro 1. observ. Sacr. cap. 12. & 17.

IX. Sententiarum seu Capitum Theologicorum præcipuè ex Sacris & prophanis libris tres Tomi ἐκλογαὶ ἐκ διαφόρων βιβλίων τῶν τε καθ' ἡμᾶς καὶ τῶν θύροσεν, per Antonium, & Maximum Monachos collecti: Antonii loci Melissa inscripti, sunt numero 175. Maximi verò 71. Tiguri apud Christophorum Froschoverum in fol. *1546*. Græcè & Latinè. Melissæ interpretes Conradus Gesnerus Tigurinus, & Joannes Ribittus Sabaudus, Maximi verò locorum Communium idem Ribittus, uterque primæ Classis hæreticus, ut monet Joannes Maria Brasichellanus Magister Sacri Palatii in cautione ad Bibliothecam Veterum Patrum Parisiis à Margarino Bignæo editam mihi paginis 178. & *179*. ubi & Vincentius Opsopæus inter recentiores computatur Hæreticos, ac Bilibaldus Pirckeimerus, de quo postea. Habeo quoque modò præ manibus Locos communes Sacros & prophanos Sententiarum omnis generis ex Authoribus Græcis plusquam trecentis congestarum per Joannem Stobæum, & veteres in Græcia Monachos Antonium & Maximum à Conrado Gesnero Latinitate donatos & in unum volumen Græcis ac Latinis è regione positis conjunctos. Francofurti in folio anno 1581.

X. *Maximi Monachi Definitiones variæ* ὅροι διάφοροι Græ-

Græcè tantùm prodierunt è Palatinæ Bibliothecæ codice mſ. Heidelbergæ anno 1591. in 8. post S. Gregorii Nazianzeni Definitiones rerum simplices tunc primùm Græcè editas ex Augustana Bibliotheca à Davide Hœschelio cum Latina interpretatione Joan. Leunclavii. Eædem postea restitutæ eodem curante Hœschelio ante ejusdem Maximi Mystagogiam Græcè & Latinè editam Augustæ in 8. anno 1599. De iisdem definitionibus Latinè redditis à nostro Turriano dicemus sequenti numero.

XI. Opuscula tredecim contra Monothelitas & Acephalos R. P. Francisco Turriano Soc. JESU interprete Latinè dumtaxat prodierunt in 8. Ingolstadii annis 1605. & 1615. si tamen diversa & non eadem editio, hoc ordine.

1. *Epistola ad Marinum Presbyterum.* Ex ea quædam edita sunt Græcè Lugduni Batavorum post Paraphrasim Ethicorum Nicomachiorum Andronici Rhodii.

2. *De Operationibus & voluntatibus capita* 50. pag. 37.

3. *Ex eodem Tractatu capita* 51. quòd Patres qui dixerunt in Christo duas voluntates, leges naturales significarunt non τὰς γνώμας, id est sententias, pag. 44.

4. *Epistola ad Georgium Presbyterum & abbatem de Mysterio* Christi, de quo per epistolam eum interrogaverat, pag. 57.

5. *Contra eos qui dicunt oportere dicere*, unam Christi operationem secundùm exuperantiam, quia dicunt divinam operationem tamquam efficaciorem superare humanam, pag. 64.

6. *Tomus dogmaticus missus in Cyprum insulam ad Marinum Diaconum* pag. 67.

7. In illud, *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*, pag. 90.

8. *Definitiones variæ*, pag. 93. De quibus supra.

9. *Epistola ad Nicandrum Episcopum de duabus in Christo operationibus*, pag. 99.

10. *Epistola ad Præpositos Monachos & populos Catholicos habitatores insulæ Siciliæ, contra eos qui unam operationem in Christo ponunt*, pag. 120.

11. *Gnomæ demonstrativæ duarum in Christo voluntatum*, pag. 141.

12. *Distinctio multiplicis unionis* pag. 148.

13. De duabus naturis Christi, & quòd Arius & Nestorius in Theologia & Incarnatione contra atque Sabellius & Eutyches sentiunt, pag. 149.

Sequuntur pag. 153. *Antitheses Hæreticorum & Ecclesiæ Ortodoxæ circa nonnulla fidei dogmata* ab eodem Turriano ex Græco conversæ, quæ creduntur esse ejusdem Maximi.

XII. In Collectaneis ab Anastasio Bibliothecario Sedis Apostolicæ in gratiam Joannis Diaconi è Græco sermone versis & à Sirmondo nostro vulgatis anno 1620. in 8. extant.

1. *Excerptum ex epistola S. Maximi ad Marinum Presbyterum*, ubi apologia Honorii Papæ inter cætera continetur, pag. 26.

2. *Ex epistola ejusdem S. Maximi ad Petrum illustrem*, ubi Pyrrhi & Sophronii Hierosolymitani ac Papæ Honorii meminit, pag. 35.

3 *Ex epistola ejusdem ad Marinum Presbyterum de processione Spiritus Sancti*, pag. 44.

4. *Commemoratio quid Legati Romani Constantinopoli gesserint, ex epistola S. Maximi ad Thalassium Abbatem*, pag. 63.

5. *Relatio factæ motionis in S. Maximum & socium ejus, sive Collatio ejus cum Principibus in Secretario*, pag. 114.

6. *S. Maximi epistola ad Anastasium Monachum discipulum suum*, pag. 138.

7 *Relatio de dogmatibus, quæ agitata sunt inter S.*

A *Maximum & Theodosium Episcopum Cæsareæ Bithyniæ & proceres qui cum eo erant*, pag. 149.

8. *Scholion, sive Hypomnesticon, declarans gesta S. Maximi & aliorum*, pag. 251.

XIII. *Sermo ad pietatem exercens*, Latinè Flaminio Nobilio interprete, Romæ 1578. in 4.

XIV. *De Incarnatione Verbi sermo exercitativus*, Latinè interprete Bilibaldo Pirkeimero, Norimbergæ anno 1530. & in Bibliothecis Veterum Patrum hoc titulo : de Incarnatione Verbi cum aliis aliquot ad pietatem conducentibus Quæstionibus, Dialogus. In Collectione operum Pertkheimeri anno 1610. excusa.

XV. *Dialogi quinque de Sanctissima Trinitate* qui
B extant Tomo 2. operum G. L. Sancti Athanasii pag. 198. interprete Theodoro Beza Vezeliacensi, Maximo nostro tribuuntur à Demetrio Cidone libro de Processione Spiritus Sancti cap. 5. ut scitè annotavit R. P. Dionysius Petavius Tomo 1. Theologicorum Dogmatum cap. 10. n. 4.

Cùm verò hæc jam parata essent prælo, post non minimam, ut vides, in conquirendis S. Maximi operibus hactenus editis solertiam, venit in manus meas breve schedium R. P. F. Francisci Combefis Ord. FF. Prædicatorum Congregationis S. Ludovici ad Sanctæ Mariæ Annunciatæ Parisiis commorantis, sive Syllabus aut indiculus omnium Sancti illius Monachi operum sive editorum sive mſſ. quæ ad
C proximè futuram editionem undequaque conquirit conquisivitque, hoc ordine duobus Tomis divulganda.

Tomo I. excudentur.

In locos Scripturæ difficiles, Quæstiones ad Thalassium LXV. Photio recensitæ. Ex Reg. Cod. duplicique Exc. V. Petri Seguierii Franciæ Cancellarii : ex quibus, ad ea quæ desiderabantur plurima in Regio, accesserunt continua ferè ac luculenta ipsiusmet S. Maximi Scholia.

In Psalmum LIX. Ex Reg. In Orat. Dominicam Ex eod.

D Liber Asceticus ; id est exercens ad pietatem, ut reddit Nobilius ; sive, de vita piè ac religiosè instituenda ad Elpidium. Ex Em. Card. Mazarini duplici Codd.

Quater-Centena Capita de Charitate ad eumdem. Produxit Obsopœus ex vitiosa satis Cod. imperitiusque reddidit. Paulò emendatius Gesnerus Græca recudit : prodeunt nunc multis Regiis Codd. collatis auctiora & emendatiora.

Quinquies-Centena Capita ad Theologiam, & Oeconomiam spectantia, deque Virtute ac Vitio, à Joanne Pico, Classium inquisitoriarum in Senatu Parisiensi Præside pridem producta ; nuncque multis Regiis Codd. collatis auctiora & emenda-
E tiora.

Bis-Centena Capita, de Theologia, ac Filii Dei in carne Oeconomia. Ex Cod. Regio.

Interrogationes & responsiones. Ex Reg. & Seguier.

Capita Theologica, sive, scitè dicta, ac electa ex diversis tum nostratium, tum profanorum libris. Ex Gesneri duplici edit. Riburii versio necdum occurit.

Mystagogia, à Davide Hœschelio primùm producta, atque à Gentiano Herveto Latinè reddita. Christiani Paschatis enarratio, Dionysio Petavio Soc. JESU Theologo Interprete. Libellus de Anima. Ex Em. Card. Mazarini Cod. Epistolæ ad diversos ex Regio Codice, quarum hæc σύλλογη. 1. Ad Georgium Præfectum Africæ. 2. Ad Joannem Cubicu-

bicularium, de Charitate. 3. Ad eumdem. 4. Ad eumdem, de Triſtitia ſecundùm Deum. 5. Ad Conſtantinum. 6. Ad Joannem Archiepiſcopum, eſſe animam incorpoream. 7. Ad Jordanem Presbyterum, Habere animam etiam poſt mortem intelligendi actum, &c. 8. Ad eumdem, de Charitate. 9. Ad Thalaſſium Presbyterum & Hegumenum, ſeu Abbatem. 10. Ad Joannem Cubicularium. 11. Ad Abbatiſſam, de recipienda Moniali, quæ, &c. 12. Ad Joannem Cubicularium (Photius, Philoſophum, niſi in eo mendum eſt) De rectis Eccleſiæ Dei decretis, & adverſus Severum. 13. Ad Petrum Illuſtrem, adverſus Severi doctrinam. 14. Ad eumdem Epiſtolâ dogmatica. 15. Ad Coſmam Diaconum Alexandrinum, de Communi & Proprio; ideſt de Eſſentia & Perſona. 16. Ad eumdem. 17. Ad Julianum Adocatum Alexandrinum, de Incarnationis Dominicæ Eccleſiaſtica doctrina. 18. Ex perſona Georgii Præfecti Africæ, ad Moniales, quæ ab Eccleſia Catholica Alexandriæ defecerant. 19. Ad Pyrrhum Presbyterum & Hegumenum ſeu Abbatem. 20. Ad Marinum Monachum. 21. Ad Epiſcopum Cydoniæ. 22. Ad Auxentium. 23. Ad Stephanum. Presbyterum. 24. Ad Cononem Presbyterum & Hegumenum, ſive Abbatem. 25. Ad Thalaſſium Presbyterum, de Regibus Ethnicis, qui ad avertendam Dei iram filios immolaverunt. 26. Ad Joannem Cubicularium. 27. Ad Cyricium Epiſcopum. 28. Ad eumdem. 29. Ad Joannem Epiſcopum. 30. Ad Eumdem. 31. Ad Polychronium Abbatem. Sexque aliæ ad eumdem familiares ac breviores. Ad Marinum Præsbyterum Cypri; ex alio Regio Cod. non ſatis emendato. Georgii Metochitæ expoſitio ad ea, quæ ad proceſſionem Spiritus Sancti etiam ex Filio in ea Maximi Epiſtola ſpectant, ac Latinorum de ea vindicandam ſententiam ex Reg. Cod. De ſecundo adventu; ex Seguier. Ad Theopemptum Advocatum, qui quæſierat de Judice iniquitatis; ex eod.

Ex Reverendiſſimi Abbatis Sancti Georgi Σκαλωτε, Geraſimi Blachi vetuſto ac eleganti Codice Venetiis, hæc ſubmittenda.

Ad Marinum Presbyterum. De Operationibus & Voluntatibus. Ad Georgium Præsbyterum, de Myſterio Chriſti. Tomus dogmaticus ad Marinum. De illo, *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me.* Epiſtola ad Nicandrum Epiſcopum. Ad Sanctos Patres in Sicilia conſtitutos: Quæ ſunt ferè ipſa à Franciſco Turriano Soc. JESU Ingolſtadii Latinè ſolùm edita. Libellus de duabus naturis; ex noſtro Sancti Hilarii Cod. ac Meurſii editis. Maximi definitiones; à Davide Hœſchelio Græcè; à Franciſco Turriano Soc. JESU Latinè editæ.

Tomo II. excudentur.

In Dionyſii Gregorii Theologi locos aliquot ad Thomam. Ex Reg. Cod.

In Gregorii Theologi locos difficiles; ex eodem. Opus eſt ſpiſſum & arduum, Scoto Erigenæ olim tentatum, verſione inſcripta Carolo Calvo; ex qua emendata in Regio Cod. aliqua ac ſuppleta. Ex Cluniac. Bibl.

Scholia in Dionyſii opera; ex Reg. Sandionyſiano, Em. Card. Mazarini multis aucta & emendata. Diſputatio cum Pyrrho. Ipſa quoque à Franciſco Turriano Soc. JESU Theologo reddita, & à Baronio utraque lingua producta. Diſceptatio cum Theodoſio Cæſareæ Bithyniæ Epiſcopo; ex Seguier Cod. Narratio diſceptationis Maximum inter, ac Præſides in Secreto; ex eodem. Ad Anaſtaſium Monachum; ex eodem. Incerti invectiva, ϛηλιτευτικὸς, adverſus Conſtanrinopolitanos, ob ea quæ in Sanctum Maximum ab illis patrata ſunt; ex eodem Seguier Cod. De Vita & certamine Sancti Maximi; ex Reg.

Athanaſii nomine dialogi ſpecie jam ſæpiùs edita, ejus operum tomo 2. adverſus Arianos, Anomæos, & Apolinariſtas. Romanus Codex à Baronio relatus, ut & Reverendiſſimi Abbatis Geraſimi Blachi Venetianus vindicant Maximo, ex quorum etiam fide illi tribuentur, niſi quis certioribus ex monumentis aliter opinandum ſuaſerit.

His ab erudito viro magna diligentia ac ſtudio jampridem paratis Candide Lector, operum S. Maximi Martyris ſtudioſe indagator, velim adjungas, quæ ante aliquot annos excudenda curavi in ſpecimine Antiquarum Lectionum ſive Novæ Bibliothecæ manuſcriptorum Codicum in 4. Pariſiis æditæ apud Joannem Henault paginis 79. 88. 94. 95. 101. 177. 196. 200. 275. 293. 301. 305. & aliis, ſed præcipuè 381. & ſequenti ex Codice 127. Bibliothecæ Sfortianæ in quo quamplurima delitefcebant Sancti Maximi opuſcula, quorum Catalogum fideliter expreſſimus ex Schedis Græcis, quæ fortè fortuna inter litterarias chartas mihi aliud agenti aliàs occurrerunt. Conſulendus quoque Poſſevinus noſter paginis 30. & 31. Appendicis ad Apparatum Sacrum in Catalogo librorum Græcè mſſ. quos Franciſcus Turrianus Theologus antequam Societati JESU nomen dediſſet, hinc inde, præſertim ex magna Græcia, collegerat.

(*a*) Conſtantinus Manaſſes in Synopſi Chronica, pag. 78. editionis Regiæ, egregiis titulis condecorat, vocatque auream tubam & Nilum doctrinæ veritatis auriſluum, his verſibus:

Μάξιμος δ' ὁ καλόγλωττος, σάλπιγξ ἡ χρυσοσάλπιγξ,
Ὁ Νεῖλος ὁ χρυσόρειθρος ὁ τῆς ὀρθοδοξίας,
Ἕως ἐσχάτης πλησμονῆς μετέσχε τῆς πικρίας.
Τὴν χεῖρα γὰρ τὴν δεξίαν ἐξετερίσθη ξίφει,
Καὶ γλῶσσαν μελιτόεσσαν, οἴμοι, προσαφαιρέθη,
Τὴν νέκταρος πηγάζουσαν ἔνθεν τὰς συρμάδας.

Sixtus Senenſis libro 4. Bibliothecæ annotat ſermonem ediſſe in illud Exod. 37. de Candelabro & ſeptem lucernis, unde S. Thomas in libris contra errores Græcorum teſtimonia protulit, quòd Spiritus Sanctus à Patre Filioque procedat.

S U P P L E M E N T U M.

SANCTUS MAXIMUS ex Commentarienſi Regio Monachus primùm Conſtantinopolitanus, poſt Abbas creatus, ſtrenuè adversùs Monothelitarum hæreſim decertavit, habita diſputatione publica cum Pyrrho Patriarcha Conſtantinopolitano eumdem confudit, & ad ſanam doctrinam traxit, ut Theophanes & Photius tradunt, *cujus Diſputationis acta integra*, prout à Notariis tunc excerpta fuerunt Baronius in geſtis anni 645. græcè & latinè edidit. Agunt de Scriptis S. Maximi tanta cura multi, ac præ cæteris Labbeus in Diſſertatione de Scriptoribus Eccleſiaſticis Bellarminianis, ut nihil ejus diligentiæ addi poſſit, tam in exponendis Operum ad ſua uſque tempora inſcriptionibus, quàm in recenſendis editionibus ac verſionibus variis. Addemus tantùm quæ completa ipſe non vidit, nempe *omnia opera Sancti Maximi Monachi & Martyris*, præmiſſis variis & quamplurimis Monumentis ad ejus certaminum cognitionem plenam neceſſariis, impreſſa eſſe Pariſiis 2. tom. in fol. apud Andream Cramoiſy an. 1675. via Fibularia, ſub Abrahæ Sacrificio, collecta ex variis Bibliothecis ac ferè totius Europæ celeberrimis, cura & ſtudio F. Combefis

besis Dominicani reformatæ Provinciæ S. Ludovici. Huic desunt editioni *Commentaria Sancti Maximi in opera Divi Dionysii Areopagitæ*, quia cum his Operibus Dionysianis jam sæpè impressa sunt græcè & latinè Parisiis anno 1615. Antuerpiæ 1634. & iterum Parisiis anno 1644. in fol. de quibus diximus *in Dionysio Areopagita* superiùs. Item *Libri duo de Computo Ecclesiastico*, græcè & latinè ex Bibliotheca Vaticana, interprete Dionysio Petavio Soc. Jesu Presbytero, cum aliis Græcis Auctoribus in Uranologio habentur, anno 1630. Parisiis in fol. apud Sebastianum Cramoisy, via Jacobæa sub Ciconiis. Ejusdem Sancti Maximi inveniuntur *Scholia in Divi Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi locos difficiles* manuscripta in Codice Bibliothecæ Regiæ: quod opus est modicum, Joanni Schoto Erigenæ olim tentatum, versione inscripta Carolo Calvo Francorum Regi, atque ms. in Bibliotheca Cluniacensi, ex quo aliqua emendari & suppleri possunt in manuscripto Codice Regio. Sed tandem hoc opus editum græcè & latinè cum versione Latina Joannis Schoti Erigenæ, Oxonii in fol. anno 1681. è Theatro Sheldoniano. Obiit Maximus in exilio Confessor egregius, anno 662. die 13. Augusti, de quo cum laudibus Nomenclatores omnes.

De Desiderio Cadurcensi. 650.

DESIDERIUS EPISCOPUS Cadurcensis in Aquitania, floruit temporibus Dagoberti & Sigeberti Regum, ut liquet ex epistolis, quas ad utrumque scribit. Editus est autem liber epistolarum Desiderii ab Henrico Canisio tom. 5. antiquæ lectionis, cum libro altero epistolarum, quas diversi Episcopi, & alii ad Desiderium scribunt.

Dissertatio Historica.

DESIDERIUS, Cadurcorum, non in Gallia Celtica, ut Miræus scribit, sed in Aquitania prima Episcopus, à sancto Sulpitio Pio Biturigum Archiepiscopo, jussu Dagoberti Regis Francorum ordinatus anno Christi circiter 637. vixit in Episcopatu annos 23. ut discimus ex ejus vita ab auctore συγχρόνῳ conscripta, quam vulgavimus Tomo I. Novæ Bibliothecæ mss. librorum ex apographo V. C. Antonii de Vyon, quod deinde contulimus cum veteri ms. codice Monasterii Moyssiacensis, & varias lectiones conjecimus in Appendicem ad calcem Tomi II. Obiit die 13. Kalendarum Decembrium anni 660. in Albigensi territorio, unde Divonam Cadurcorum in suam sedem reductus est.

Epistolæ ejus ad diversos cum libro altero Epistolarum diversorum Pontificum ad eumdem Desiderium, aliosque; extant ab Henrico Canisio primùm, tum à Marquardo Frehero, ac deinde ab Andrea Duchesnio editæ, & in ipsis quoque Coloniensi ac Parisiensi postrema SS. Patrum Bibliothecis apparent. Hallucinantur verò fœdissimè, qui æqualem Fausti Regiensis & Ruricii Lemovicensis Antistitum fuisse scribunt, cùm plusquam centum annis post utrumque floruerit sub Dagoberto primùm, tum sub ejus filiis Sigeberto Austrasiæ, & Clodoveo II. Neustriæ Burgundiæque Regibus. Ipse quoque castigandus Miræus, qui ab eo non secus ac à Ruricio Lemovicensi salutatum asserit fuisse ep. 13. S. Cæsarium Arelatensem Episcopum, qui ante centum annos obierat.

De Thalassio Monacho. 650.

Supplementum.

THALASSIUS Monachus Græcus sancto Maximo Monacho & Martyri contemporaneus & familiaris, floruit juxta Labbeum anno circiter 650. vel ultra. Scripsit *ad Paulum Presbyterum De sincera charitate & vita continentia*; seu potius, *de Regimine mentis centurias quatuor* quas græcè & latinè habes in Bibliotheca SS. Patrum tom. XI. pag. 1179. editionis Parisiensis Morellianæ anni 1644. Silent omnes ferè Scriptorum Nomenclatores de Thalassio, si Possevinum in Apparatu sacro atque Aubertum Miræum in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis capit. 199. pag. 219. excipias, qui admodum parcè de illo loquuntur.

De Eustratio Presbytero. 650.

Supplementum.

EUSTRATIUS Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter floruit circa hoc idem tempus; qui scripsit *tractatus tres De Vita functorum animis*, à Photio in Bibliotheca Cod. 171. recensitos. In tertio studiosè hoc persequitur, *Oblata pro iis qui in fide obierunt, à Sacerdotibus sacrificia atque donaria, vel preces alioquin, supplicationesque & Eleemosynas pro iisdem factas, ad Fidelium salutem ac delictorum remissionem iis valere omninò, pro quibus hæc offeruntur*. In his autem *tertia offerre Sacra* refert, qui Dominicæ ac triduanæ Resurrectionis Mysterium, in precationis subsidium atque auxilium assumunt. *Novemdialia* similiter, quòd post octavum à Resurrectione diem visus iterum est à Discipulis Christus. Prætereà *Quadraginta*, quòd post dies totidem à Discipulis postremùm visus, in cœlos cum humana nostra natura ascendit. Hactenus ex Photio. Notet hìc pius Lector antiquum morem functos vita juvandi sacrificiis, precibus atque eleemosynis: de quo & *sancti Joannis Damasceni extat Oratio*, in qua etiam tria hæc sacrificandi intervalla, observari olim solita, exprimere videtur. Edidit hunc Eustratium græco-latinè Leo Allatius pag. 319. libri *De Concordia seu Consonantia Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ in materia de Purgatorio* Romæ anno 1655. in 8. apud Josephum Lunam Maronitam: unde postea transiit latinè tantùm in Bibliothecam Sanctorum Patrum ultimæ editionis Lugdunensis, an. 1677. apud Anissonios fratres. Idem Eustratius scripsit commentarios *in posteriora Analytica Aristotelis* editos græcè Venetiis anno 1534. apud Aldum Manutium. Item *Eustratii & aliorum Peripateticorum Commentarii in libros Ethicorum* græcè in fol. Venetiis anno 1536. apud eumdem; latinè verò per Joannem Bernardum Felicianum Parisiis anno 1543. Habent mentionem illius Possevinus in *Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in *Auctario suo De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 188. pag. 217. Labbeus in *brevi Chronologia Ecclesiasticorum Scriptorum* ad annum 650. Leo Allatius loco citato.

De S. Martino Papa. 650.

Supplementum.

SANCTUS MARTINUS I. Papa anno 649. ordinatus, eodem anno (hortante in primis sancto Maximo Abbate qui nuper Constantinopoli Romam advenerat) Synodum 105. Episcoporum contra Monothelitas in Urbe celebravit. Cujus quidem Synodi Acta anno proximè sequenti, ad sanctum Aman-

Amandum Tungrensem seu Trajectensem Episcopum misit, eidemque prolixa Epistola (quam in Annalibus Baronianis & tom. 1. Conciliorum Galliæ reperies) dissuasit, ne Episcopatum abdicaret. Anno 653. mense Junio Martinus à Calliopa Exarcho Ravennate Roma abductus, annum unum in Naxo insula exul transegit: inde Constantinopolim perductus dirisque modis vexatus, demum in Chersonem est relegatus, ubi & obiit anno 655. Scripsit sanctus Papa *varias & Summo Pontifice dignas Epistolas plures*, quas partim græcè & latinè, partim latinè tantùm habemus collectas in tomis Conciliorum ad annum 649. sed correctius in Conciliis ultimæ editionis Parisiensis anni 1671. quæ Labbeana dicitur. Leguntur etiam inter Collectanea Anastasii Bibliothecarii à Sirmondo edita Parisiis anno 1620. apud Sebastianum Cramoisy, *quatuor Epistolæ sancti Martini*, quarum *prima* commemorat ea quæ Romæ passus est, cùm inde à Calliopa vi abreptus est, *altera* persequitur ea quæ in illum Constantinopoli acerbè gesta sunt & crudeliter, priusquam in Chersonem relegaretur: *reliquas duas* è Chersone de sui exilii calamitatibus scripsit. Plura de illo in gestis sancti Maximi Martyris, apud Anastasium Bibliothecarium in Vitis Romanorum Pontificum, Miræum in *Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 489. pag. 217. Possevinum in *Apparatu sacro*, Joannem Jacob in *Bibliotheca Pontificia*, & alios rerum Pontificiarum Scriptores.

De Eugenio Toletano. 650.

SUPPLEMENTUM.

EUGENIUS JUNIOR seu secundus, Toletanus Episcopus, de quo sic sanctus Ildefonsus in » Catalogo cap. 14. & ultimo. Item Eugenius al- » ter post priorem Pontifex subrogatur. Hic cùm » Ecclesiæ Regiæ Clericus esset egregius, vita Mo- » nachi delectatus est. Qui sagaci cura urbem Cæ- » saraugustanam petens, illic Martyrum sepulchris » inhæsit, ibique studia sapientiæ & propositum » Monachi decenter coluit. Unde Principali violen- » tia reductus; atque in Pontificatum adscitus, vi- » tam plus virtutum meritis, quàm viribus egit. » Fuit namque corpore tenuis, parvus robore, sed » valde fervescens Spiritus virtute. Studiorum bo- » norum vim persequens &c. Cæterùm hujus *Eugenii Junioris Epigrammata* aliaque opuscula Jacobus Sirmondus Lutetiæ anno 1620. edenda curavit, una cum *Dracontii* libellis duobus ab eodem Eugenio recognitis. Operi etiam Dracontii (in quo carmine heroico mundi creationem explicuit, & Geneseos initium eleganter explanavit) diei septimæ explicationem quæ desiderabatur, Eugenius adjecit. Ex iis versibus intelligi datur, fuisse virum non inelegantis ingenii, neque ineruditi. Epigrammata porrò, etsi rudia sunt atque impolita, istud magis ævi vitio, quàm auctoris culpa; est tamen in eis rerum sententiarumque pondus non exiguum. Obtinuit Episcopatum ab anno 647. ad 657. Recesvvinthi Regis nonum, quo obiit die 13. Novembris, succedente sancto Ildefonso ejus Discipulo. Sunt qui Eugenium Ildefonsi avunculum fuisse affirment; cui opinioni nec Ildefonsi ipsius, nec Eugenii Scripta favent, in quibus nulla rei hujus mentio est. Qui plura de sancto Eugenio Juniore cupit, consulat successorem Ildefonsum cap. 14. *De Viris Illustribus*, Miræum in *Bibliotheca Ecclesiastica*, Scholio ad dictum caput, Sirmondum qui omnia Eugenii Opera edidit, Cardinalem Baronium in Notis ad Martyrologium Romanum die 13. Novembris, Marianam lib. 6. cap. 9. *Historiæ Hispanicæ*, & alios Auctores qui de ge-A stis Archiepiscoporum Toletanorum scripsisse dicuntur.

De Tajo Samuel. 650.

SUPPLEMENTUM.

TAJO cognomento Samuel, Cæsaraugustanæ Urbis Episcopus, scripsit *Libros quinque Sententiarum*, ex puris sancti Gregorii Magni, quem perpetuò volvebat, verbis, supplens pauca ex verbis sancti Augustini, ubi verba Divi Gregorii convenientia materiebus non invenit. Quod Opus egregium ms. asservatur in Bibliotheca Thuanea Pari-B siensi, nunc Colbertina, per emptionem à paucis mensibus. Opus dicatum Quirico Barcinonensi Episcopo, cui Ildefonsus dicavit Opus suum *De perpetua Virginitate Beatæ Mariæ Virginis*. Adfuit ille Conciliis Toletano VIII. anno 653. & IX. anno 655. Mirum est hunc librum hucusque in publicum non prodiisse, cùm tam multi qui longè minoris momenti vel Antiquitatis sunt, prodierint. De eo Joannes Mabillon tom. 2. Analectorum pag. 68. & Petrus de Gussanvilla in Annotationibus ad IV. Libros Dialogorum D. Gregorii, Collectores Conciliorum in suis Annotationibus ad Concilia VIII. & IX. Toletana, quibus interfuit.

C *De Fructuoso Complutensi. 650.*

SUPPLEMENTUM.

FRUCTUOSUS Complutensis primùm Abbas, Dumiensis posteà Episcopus, ad Archiepiscopatum Braccarensem Decreto Concilii Toletani X. translatus est anno 656. qui Monasticum Institutum in Hispaniis propagavit. Ejus *duplex extat Regula*, prior XXIII. altera XX. dumtaxat constans capitibus. Priorem Regulam Complutensi dumtaxat Monasterio, quod propriis sumptibus ædificavit atque dotavit, scripsisse videtur Fructuosus: alteram instar supplementi adjecisse, pro Monasteriis præsertim de-D inceps in villis & agris construendis. Id patet ex capite 9. ubi sic: *Qui greges Monasterii accipiunt alendos, tantam sollicitudinem super eos gerere debent, ut nulli damnum in frugibus inferant; & tanta vigilantia astutiaque sollicitentur, ne à bestiis devorentur: ut fragosa & abrupta montium & inaccessibilia vallium prohibeantur, ne ad præcipitium defluant, &c.* Utramque Regulam edidit Lucas Holstenius in Codice Regularum parte 2. pag. 133. quam laudant Egbertus Eboracensis Episcopus *in Excerptis Canonum*, sanctus Benedictus Anianensis Abbas *in Concordia Regularum*, Smaragdus Abbas *in Commentario ad Regulam Divi Benedicti*: de quibus Holstenius in fronti-spicio dictorum Operum. Joannes Mabillon sæculo 2. E Ordinis Divi Benedicti, pag. 581. & seqq. Parisiis in fol. 1669. apud Carolum Savreux.

De sancto Ildephonso Episcopo Toletano. 658.

SANCTUS ILDEPHONSUS, Episcopus Toletanus factus est anno Domini 658. tempore Vitaliani Papæ. Obiit anno Domini 667. Scripsit insignem *tractatum de Virginitate Beatæ Mariæ, & alium de perpetua Virginitate, & parturitione ejusdem sanctissimæ Deiparæ, & sermones duodecim de eadem*, quæ omnia extant excusa Parisiis apud Nivellum anno 576. & inveniuntur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. edit. 2. Extat item *liber de viris illustribus*, inter opera S. Isidori Hispalensis, sed cum

cum titulo sancti Hildephonsi: alia multa & versu, & prosa scripsisse dicitur, quæ non extant. Ob singularem devotionem erga Beatissimam Dei Matrem & defensionem perpetuæ Virginitatis ejusdem Virginum Reginæ, meruit iste felix Antistes non solùm in terris intueri eam divino splendore fulgentem, sed etiam ab ea donari præclara veste Sacerdotali, &, quod summo gaudio animam ejus replevit, certus reddi de veste gloriæ post beatam mortem consequenda: quæ omnia scribit Julianus ejus Diaconus, præfatione in librum Sancti Ildephonsi, de laudibus intemeratæ Virginis Mariæ.

Dissertatio Historica.

Sanctus Ildefonsus, vel geminata aspiratione Hildephonsus, sunt etiam qui Islefonsum, aut Alphonsum scribant, ex Agaliensi Abbate Toletanus Episcopus ab anno Christi 658. Recesvvinti Regis nono, usque ad annum 667. quo obiit die 23. Januarii expleto 18. ejusdem Regis anno, cùm præfuisset annis 9. & 2. ferè mensibus, conditus ad pedes S. Eugenii II. decessoris sui in Ecclesia sanctæ Leocadiæ, unde Senticam, seu Zamoram postea delatum, & vestis de cœlo allata Ovetum translata. Errant itaque, qui cum Miræo mortem ejus differunt in annum Wambæ quartum, qui anno demum 672. regnare cœpit, quamquam iis favere videatur Isidorus Pacensis in Chronico, qui an. Wambæ 4. æra 723. Toletano Concilio docet præsedisse Ildephonsum mellifluum, ac fidei anchoram. De eo Julianus ejus primùm Diaconus, tum deinde Episcopus Toletanus, in præfatione Tractatus de Laudibus intemeratæ Virginis Mariæ, & in Appendice subjecta ejus *libello de XIV. Scriptoribus Ecclesiasticis*, qui habetur inter opera S. Isidori Hispalensis Archiepiscopi, in Hispania illustrata, & apud Miræum in Bibliotheca Ecclesiastica, cum aliis ejusdem argumenti excusus. Videndi quoque Isidorus Pacensis Episc. in Chronico, Pelagius Ovetensis Episcopus in additione ad Sebastiani Salmanticensis Episcopi Chronicon, Gotscalcus Holenus sermone 12. de B. Virginis commendatione, Trithemius, de quo postea, Possevinus, Baronius, Mariana, & alii.

Tomo IX. Bibliothecæ Magnæ Parisiensis extant sequentes S. Ildephonsi Tractatus.

Liber de illibata virginitate sanctæ ac gloriosæ Genitricis Dei Mariæ contra Infideles, ordine Synonymorum conscriptus, quem solum genuinum censet P. Joannes Poza in Elucidario B. Virginis, libro 4. Tractatu 4. cap. 6. reliquos à Francisco Fevardentio O. M. Parisiis anno 1576. apud Nivellium in lucem emissos suppositios esse multis contendit argumentis: 1. quòd styli dissimilitudo alium sapiat hominem & ingenium. 2. tenor ipse, contextusque doctrinæ. 3. plurima, quæ nec verè, nec piè proferuntur, &c. Hi sunt.

Liber contra eos, qui disputant de perpetua virginitate Sanctæ Mariæ, & de ejus parturitione, quem citat Petrus Comestor lib. de laude B. Virginis.

Homilia contra eos, qui mendosè affirmant Mariam Virginem contra legem Dominum peperisse.

Sermones sex de Assumptione B. Mariæ.

Sermo duplex in Nativitate B. Mariæ.

Sermo de ejusdem Purificatione.

Joannes Trithemius hosce Tractatus prætermisit, nisi fortè inter Sermones varios delitescant, multis aliis eidem Ildephonso operibus attributis, quem ante Lactantium Firmianum loco prorsus alieno collocavit, non secus ac Joannem Climacum, quem anno 346. affixit.

Pag. 112. Exceptionum Concilii Tridentini pro omnimoda B. Virginis puritate edidit ex ms. codice

A Toletano R. P. Joannes Eusebius Nierembergius hujusce Sancti Ildephonsi sermonem de sancta Maria, quem vocat inæstimabilem Thesaurum in pergamena charta transcriptum.

Rodericus Semenus Toletanus Archiep. lib. 3. Historiæ Hispanicæ cap. 22. hæc habet non prætermittenda. Cùm B. Isidorus scripsisset Gothorum originem usque ad quintum annum Svvinthilæ, S. Ildephonsus Toletanus Archiep. scripsit tempora Gothorum, Alanorum, Wandalorum, & Svevorum ab anno 5. Svvintilæ usque ad 18. Recesvvindi. Et Isidorus Junior, qui à principio Mundi incipit Chronica, usque ad 18. Recesvvindi annum, fideliter persecutus est, usque ad destructionem Hispaniæ per Arabes ipse scripsit. Hæc ille aliàs accuratiùs expen-

B denda. (*a*)

(*a*) Idem in Sacrosyllabo hæc habet de Ildephonso: Cui attribuunt nonnulli aureum tractatum de Corona B. Virginis, & quidem ut testatur Petrus de Alva I. in Sanctæ Eccles. Toletanæ Bibliotheca pluteo seu arca 1. num. 13. antiquissimis scripta Caracteribus inventa est atque è reconditissimo illo Sacrario transcripta: secundò quia in eodem codice, ubi hæc Corona extat, alia reperiuntur ejusdem sancti Ildephonsi opuscula sub ejus expresso titulo & nomine numquam aliàs typis mandata. Quæ fœtum esse Sanctissimi Præsulis verisimile profectò videtur, sicuti & tractatum esse non indignum devotione san-

C cti Ildephonsi, nec dissimilem in stylo verum omnino est. In quo tractatu commendatur sæpissimè omnimoda Virginis puritas etiam originalis, atque in capite 18. Tu Domina semper fuisti clara & serena, sincera, mundissima, & amœna. Tu immaculata & tota speciosa. Macula nulla fuscaris, nulla sorde macularis, omni gratia illustraris. Ego cùm tractatus illos perlegero, certiora referam. Interim ἐπέχω, monuisse contentus.

Supplementum.

Sanctus Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus in Hispania, de quo Bellarminus & Lab-

D beus libro locisque à me sæpiùs citatis, præter additionem ad librum sancti Isidori De Viris illustribus, quæ capitibus tantùm XIV. constat, scripsit *Librum de illibata Virginitate Sanctæ ac gloriosæ Genitricis Dei Mariæ contra Infideles, ordine Synonymorum conscriptum*; quem solùm genuinum censet Joannes Poza in Elucidario B. Virginis lib. 4. Tractatu 4. cap. 6. reliquasque Homilias à Francisco Feu-ardent Ordinis Minorum Parisiis anno 1576. apud Nivellium in lucem emissas, esse suppostitias multis contendit argumentis. Favet huic sententiæ Franciscus Combefis in sua Bibliotheca Concionatorum tom. 7. ad diem festum Assumptionis B. Mariæ Virginis, ubi has affert Homilias, in quibus notat quædam desumpta ex

E Divo Bernardo in Homiliis *super Missus est*, alia ex *Commentario in septem Psalmos Pœnitentiales*, qui legitur post Opera Divi Gregorii Magni, crediturque esse Gregorii VII. summi Pontificis, vel sancti Anselmi Lucensis Episcopi. Favet & Lucas Dacherius tom. 1. atque 12. Spicilegii, ubi ex occasione Libri Ratramni *De Nativitate Christi* tom. 1. pag. 218. & Paschasii *De Partu Virginis* tom. 12. pag. 1. in præludiis ad tomos, docet in his Homiliis sub nomine sancti Ildephonsi editis, haberi multa desumpta ex Operibus istis, quod conferenti per otium advertere pronum est. Leguntur autem dicti spicilegii tom. 1. pag. 308. Epistolæ aliquot Quirici Barcinonensis Episcopi, Ildephonsi Toletani Archiepiscopi, & Idali Barcinonensis etiam Episcopi, collectæ illic ex Codice manuscripto. Obiit Ildephonsus anno 667. die

23. Ja-

23. Januarii; cujus Elogium & Opera eloquitur Julianus Toletanus Episcopus ad calcem Opusculi Sancti Ildephonsi *De Scriptoribus Ecclesiasticis* in Bibliotheca Ecclesiastica Miræi pag. *98.* de quo abundè Possevinus *in Apparatu Sacro*, Labbeus de Scriptoribus à Bellarmino recensitis, omnesque Rerum Hispanicarum Scriptores: Joannes Mabillon sæculo 2. Ordinis Divi Benedicti, pag. 320. & seqq. in fol. Parisiis *1669.* apud Carolum Savreux.

De Marculfo Monacho. 660.

SUPPLEMENTUM.

MARCULFUS Monachus, Gallus, scripsit ad Landericum Parisiensem Episcopum, qui anno 660. floruit, *Formularum antiquarum libros duos*, quibus appendices variæ adjunctæ sunt. Hos Hieronymus Bignonius cum aliis veteribus Formulis incertorum Auctorum ex Bibliotheca Regis Galliæ anno *1613.* primus Parisiis edidit, & postea Colonienses in tomum 7. Bibliothecæ Sanctorum Patrum attulerunt. Libri sunt longè utilissimi ad Francicas ac Germanicas Antiquitates illustrandas, eoque nomine ab eruditis passim laudantur. Ita Miræus *in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. *195.* pag. *219.* Has Formulas post Bignonium rursus edidit Stephanus Baluzius tom. 2. Capitularium Regum Francorum pag. *369.* cum Commentariis dicti Hieronymi Bignonii, & propriis, ex editione Francisci Muguet anni *1677.* Parisiis, sub signo Adorationis trium Regum.

De Anastasio Monacho, & altero S. R. E. Apocrisiario. 660.

SUPPLEMENTUM.

Hos Anastasios vide sæculo 9. post Anastasium Bibliothecarium.

De Theodosio & Theodoro fratribus. 660.

SUPPLEMENTUM.

THEODOSIUS & THEODORUS fratres anno *668.* cùm Exemplum Epistolæ ab Anastasio Apocrisiario ad Theodosium Gangrensem scriptæ accepissent: Scripserunt *Scholium sive Hypomnesticon de hujus Anastasii & aliorum Athleticis Certaminibus*: quod latinè versum inter citata Anastasii S. R. E. Bibliothecarii Collectanea invenies edita Parisiis anno *1620.* curis Jacobi Sirmondi. Illud autem habetur græcè & latinè in prolegomenis ad Opera sancti Maximi Martyris pag. 80. editionis quam procuravit Parisiis anno *1675.* apud Andream Cramoisy Franciscus Combefis, de quo supra diximus in sancto Maximo Martyre.

De Audoeno. 670.

SUPPLEMENTUM.

» AUDOENUS, qui & Dado, Episcopus
» Rothomagensis (teste Sigeberto libro De
» Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 58.) Scripsit *ad Ro-*
» *bertum Parisiorum Episcopum Vitam sancti Eligii Novio-*
» *mensis Episcopi*, duobus libris, explicans miracula
» quæ vel in vita, vel post mortem ejus gesta sunt
» per eum, tertio libro Rhetoricè & Commaticè to-
» tam Vitam ejus recapitulans. Hæc Sigebertus de Vita sancti Eligii, quam Laurentius Surius edidit ad diem secundam Decembris, sed mutilam absque præ-

A fatione & libro tertio; integram verò Lucas Dacherius in Spicilegio, desumptam ex manuscripto Codice optimæ Notæ. Factus est Audoenus Episcopus Rothomagensis anno *646.* Obiit anno *689.* die *24.* Augusti, qui rectè circa annum *670.* hanc Vitam scripsisse creditur.

De S. Juliano Episcopo Toletano. 680.

SANCTUS JULIANUS Episcopus Toletanus creatus est an. Dom. *680.* & post annos decem obiit. Scripsit *tres libros adversus Judæos*, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 4. edit. 2.
B Scripsit etiam *tres libros de futuro sæculo*, quos *Prognosticon* vocavit, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. *9.* edit. 2. admonet autem Cardin. Baronius in notis ad Martyrologium die 8. Martii, sanctum Julianum Episcopum Toletanum non rectè vocari Julianum Pomerium: duo enim fuerunt Pomerii, unus Presbyter qui simpliciter dicebatur Pomerius à Gennadio, sed ab Isidoro & ab aliis dicitur Julianus Pomerius: quem Gennadius Massiliensis in Catalogo illustrium virorum, scribit, suo tempore vixisse, idest, ante annum Dom. 500. atque hic videtur esse ille, quem tam sæpè citat in suo Prognostico sanctus Julianus Archiepiscopus Toletanus, de quo nunc agimus. Alter fuit Julianus Pomerius Dia-
C conus, qui præfationem addidit ad libros S. Ildephonsi, de quo paulò ante meminimus. Hic autem sanctus Julianus vivebat Æra *724.* idest, anno Domini *686.* Sed cùm auctor hujus operis in Epistola ad Regem Ervigium se Julianum Pomerium nominet, non video, cur non ipse Julianus Pomerius dici possit, ut sint tres Juliani Pomerii, unus Presbyter, alter Diaconus, & tertius Episcopus.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS JULIANUS, S. Eugenii II. discipulus, in Ecclesiæ Toletanæ Archiepiscopatu & Carthaginensis Provinciæ Metropoli, non S. Ilde-
D phonsi, ut multi scripsere, sed S. Quirici ab anno 680. successor, præfuit Conciliis Toletanis XII. XIII. XIV. & XV. obiit die 8. Martii anno *690.* æra 728. anno Egicanis Principis tertio, & in S. Leocadiæ templo sepultus, ut testatur tum Felix, qui in Appendice ad Catalogum de Viris Illustribus S. Ildephonsi addidit ejusdem Juliani Encomium, tum Sebastianus Salmanticensis in Chronico. Felix autem ille Toletanus Archiepiscopus præfuit Concilio Toletano XVI. æra 731. hoc est anno Christi *693.* Cæterùm cùm duæ sint inter se ex adverso pugnantes sententiæ Possevini ac Bellarmini; hoc tres Julianos Pomerios, illo unum tantummodo asserente, ego inter utrumque medius contendo duos fuisse; Prio-
E rem, de quo sæculo quinto jam diximus, & hunc, qui Julianus Pomerius Diaconus dicitur in Præfatione ad libros S. Ildephonsi de Laudibus B. Mariæ, & in Præfatione ad Demonstrationem sextæ ætatis, quam Regi Ervigio dicavit. Extant in Bibliothecis Veterum Patrum Coloniensi & Parisiensibus.

Commentaria in Nahum Prophetam Tomo 1. Morell. pag. 583.

De demonstratione sextæ ætatis adversus Judæos libri tres scripti an. *686.* æra *724.* Conone Romano Pontifice. Tomo IV. col. 109.

Epistola ad Idalium Barcinonensem Episcopum, *oratio ad Deum*, *& Prognosticorum sive de Origine mortis humanæ*, *de futuro sæculo*, *& de futuræ vita contemplatione libri tres*. Tomo IX. col. 339. Primam, ni fallor, hujus opusculi editionem præ manibus verso, Lipsiæ

anno

anno 1535. cura Joannis Cochlei emissam, hoc titulo: *Prognosticon futuri sæculi*: tres habet libros. 1. De morte & transitu ex hoc sæculo. 2. De receptaculis animarum post mortem. 3. De Resurrectione mortuorum & Extremo judicio. Additis duabus Idalii Barcinonensis Sedis Episcopi epistolis, quas Tomo I. Spicilegii Veterum Auctorum recusas nuper deprehendi. Sigebertus cap. 56. Prognosticon interpretatur *Præscientiam futuri sæculi*.

A

Ἀντικειμένων, sive, *Contrariorum in speciem locorum utriusque Testamenti libri duo*, seorsim antea absque auctoris nomine editi Basileæ 1530. & Coloniæ 1532. Juliano tribuuntur Tomo XV. Bibliothecæ Coloniensis cura R. P. Andreæ Scoti Soc. Jesu, atque ex fide Felicis Episcopi Toletani & Sampsonis Abbatis in libro sub annum Christi 864. scripto adversus Hostigesium Episcopum Malacitanum, quem Loaysa dicitur ms. Toleti vidisse. Hæc verò qui volet, conciliare conetur cum his quæ apud Sixtum Senensem leguntur libro quarto Bibliothecæ Sanctæ: Richardus Cluniacensis Monachus doctus & pius composuit librum prænotatum τῶν ἀντικειμένων hoc est Contrariorum sive Contrapositorum comprehendentem quæstiones ex utroque Testamento in speciem pugnantes, earumque dilucidas solutiones secundùm interrogationem & responsionem succincta brevitate explicatas, cujus initium est: Cum in Genesi septem, &c. Alphonsus Castrensis lib. 14. adversus hæreses Salviano Massiliensi Episcopo (Presbytero) tribuit hoc opus. Claruit sub Frederico primo Imperatore an. Domini 1160. Hæc ille. (*a*)

B

C

Historia de iis, quæ Vamba fecit in Galliis, sive de expeditione in Galliam Narbonensem, ac victoria, quam de Paulo Duce rebelli reportavit, extat Tomo I. Historicorum coætaneorum Franciæ ex membranis Moissiacensis cœnobii ab Andrea Duchesnio publicata.

Ex iis verò quæ diximus aliisque corrigenda, quæ Joannes Maria Brasichellanus adversus Margarinum Bignæum operosè adstruit de tribus Julianis, quorum I. fuerit Julianus Pomerius natione Maurus. II. S. Julianus Archiepiscopus Toletanus, quem ait nequaquam dictum fuisse Pomerium. III. Julianus Toletanus Diaconus forsan Pomerius appellatus, quem contendit posteriorem aliquanto fuisse S. Juliano Archiepiscopo, eique Diacono adjudicat Præfationem in S. Ildephonsi librum: abjudicat verò epistolam ad Idalium, &c.

D

(*a*) Aliò se vertit Joannes Baptista Marus Romanus S. Angeli in Piscina Canonicus pag. 33. Annotationum ad opusculum Petri Diaconi de Viris Illustribus Cassinensis Monasterii his verbis: Liber, cui nomen fecit Antikeimenon ex libris utriusque Testamenti, extat impressum Coloniæ anno Dom. 1533. in 8. incerto auctore: ignotum enim tunc erat nomen nostri S. Bertharii (Abbatis Cassinensis) iis, qui in lucem dictum librum prodiderunt hoc initio: *Cum in Genesi septem primi dies legantur*. Meminere hujus libri Leo Ostiensis libro 1. cap. 32. his verbis, *Hic* (videlicet Bertharius) *apprimè litteratus, nonnullos tractatus, atque sermones, necnon & versus in Sanctorum laude composuit. Cujus & Antikeimenon de plurimis tam veteris quàm novi Testamenti quæstionibus hic habetur*: Subjungit custodiri librum illum manu exaratum literis Longobardicis sub nomine S. Bertharii in Bibliotheca Aniciana, & ex Apibus Urbanis Leonis Alatii adtexit penes Abbatem Constantinum Cajetanum Bertharii hujus opuscula extitisse. Sic videas in plerisque adhuc sub obscuris quæstionibus, *Incertum scindi studia in contraria vulgus*.

E

De Anastasio Nicæno.

ANASTASIUS NICÆNUS Episcopus vixit post Concilium Trullanum quod sextum à Græcis nuncupatum, quia canones addidit Concilio 5. & 6. generali: citat enim hic auctor canonem secundum Trullanum. Scripsit *responsionem ad interrogationes de multis capitibus Ecclesiasticis*. Vide Bibliothecam sanctorum Patrum, tomo primo edit. secundæ ubi notæ marginales cautè legendæ, aut potius delendæ sunt, quia non sanam doctrinam continent.

DISSERTATIO HISTORICA.

RESPONSA *ad Orthodoxorum quorumdam interrogationes de diversis capitibus Ecclesiasticis*, quæ extant tum seorsim excusa, tum Tomo I. Bibliothecæ Parisiensis Veterum Patrum secundæ editionis à Gentiano Herveto Aurelio Remensi Canonico primùm in lucem emissa, & Latinitate donata, tribuuntur passim à plerisque recentioribus Anastasio Nicæno Episcopo, quem post S. Maximi Abbatis & Martyris obitum, ac Quinisextam sive Trullanam Synodum, cujus canonem 89. citat, vixisse perhibent: qua de re dictum fuit dum de Anastasio Synaita ageretur sæculo præcedenti.

De Theodoro Cantuariensi Archiep. 680.

SUPPLEMENTUM.

THEODORUS natione Græcus, Cantuariensis Archiepiscopus, à Vitaliano Papa anno *668.* ordinatus, magnus Ecclesiasticæ Rei Promotor in Anglia, ad quam à Romano Pontifice missus fuerat, doctrina simul & sanctitate insignis, multis ad utilitatem Ecclesiæ Conciliis interfuit, de quibus in Collectione generali Conciliorum anni 1671. Parisiis apud magnam Societatem Bibliopolarum editionis ultimæ, & in Collectione Conciliorum Angliæ, impressa Londini duobus in folio tomis anno 1639. studio & cura Henrici Spelmani. Scripsit insigne *Pœnitentiale*, quod ab Auctoribus sequentibus sæpius allegatur, & ms. asservatur in Bibliotheca sancti Benedicti Cantabrigensis codice 133. cujus summaria capita retulit Henricus Spelmanus in Collectione Conciliorum Angliæ, utinam integrum Orbi Christiano obtulisset! Item *Capitula Ecclesiastica*, quæ tomo *6.* Conciliorum pag. 1875. ultimæ editionis anni 1671. & tomo *9.* Spicilegii Dacheriani leguntur. Obiit anno *690.* die 19. Septembris, de quo Sigebertus Gemblacensis in Catalogo capit. *63.* Possevinus in Apparatu sacro, aliique Scriptores Historiæ Anglicanæ.

De Ceolfrido Abbate. 690.

SUPPLEMENTUM.

CEOLFRIDUS Abbas Anglus, scripsit circa annum *690. Epistolam insignem ad Naitanum Regem de ratione Paschatis*, quam Venerabilis Beda totam inseruit Historiæ suæ Anglicanæ, & quam habent Concilia ultimæ editionis Parisiensis anni 1671. tom. *6.* pag. 1423. De Ceolfrido Venerabilis Beda in Historia Gentis suæ lib. *6.* c. 28. Sigebertus in Catalogo Scriptorum c. *6.* Baronius an. *669.* n. *5.* *6.* & anno 701. n. 1. Possevinus in Apparatu sacro, verbis *Ceolfridus & Geolfridus*, quem ait mortuum fuisse an. 724. & fuisse præceptorem Venerabilis Bedæ.

De

A

De Baudemundo. 690.

SUPPLEMENTUM.

BAUDEMUNDUS Sancti Amandi Trajectensis Episcopi Discipulus, circa annum 690. scripsit *Vitam Magistri in Christo charissimi*: Et ipsius Amandi testamentum à Philippo Abbate relatum manu propria scripsisse dicitur. Baudemundo *Supplementum & Historiam translationis atque elevationis* adjecit, eamdemque Vitam *quatuor libris metricè ad Haymoinum Abbatem Vedastinum* edidit *Milo Monachus ac Sacerdos Elnonensis*, qui medio sæculo nono vivebat, ut ex Supplementi cap. 7. num. 22. & ex cap. 8. apparet. Utrumque Opus edidit Joannes Bollandus tom. 1. ad diem 6. Februarii idque eruditissimis Commentariis illustravit Godefridus Henschenius. Item Opus Baudemundi cum Supplemento tantùm Milonis ad Vitam sancti Amandi, legitur etiam sæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 709. & seqq. edito Parisiis in fol. anno 1669. apud Carolum Savreux, cura & studio D. Joannis Mabillon, ubi etiam multa spectantia ad cultum & famam sancti Amandi.

De Ursino Monacho. 690.

SUPPLEMENTUM.

URSINUS professione Monachus, ad instantiam *Ansoaldi Pictaviensis Episcopi*, & *Audulfi sui Abbatis*, quorum ille translationis Auctor, hic exsecutor fuit: circa annum 690. *Sancti Leodegarii gesta & translationem scripsit*. Hoc Opusculum cum Opere Anonymi de eadem re, edidit tom. 1. Collectanei Historicorum Franciæ Andreas Duchesnius anno 1636. Parisiis apud Sebastianum Cramoisy, & Joannes Mabillon sæculo 2. SS. Ordinis D. Benedicti, post opus dicti Anonymi p. 698. quod est editum Parisiis in fol. an. 1669. apud C. Savreux. Quantùm ad Ursinum & Anonymum pag. 679. cùm sint ejusdem temporis, hoc mihi videtur ut Anonymus ab Ursino acceperit, non Ursinus ab Anonymo. Ibidem etiam pag. 707. habes Epistolam sancti Leodegarii, quam scripsit ad matrem suam Sigradam Suessionis in Cœnobio puellarum commorantem. Quod attinet ad alia sancti Leodegarii Scripta, circumfertur quoddam ejus testamentum, quod eruditis hominibus merito non probatur; de quo lege Sammarthanos in Gallia Christiana, Stephanum Perard in Collectione veterum Instrumentorum ad Historiam Burgundicam pertinentium, & Carolum le Cointe ad annum 666. in Annalibus Francicis Ecclesiasticis.

De Cresconio Episc. 690.

SUPPLEMENTUM.

CRESCONIUS seu CRISCONIUS Episcopus Africanus, floruit eo tempore quo Joannes Patricius victoriam de Saracenis in Africa reportavit, ut ex manuscripto codice Vaticano, quem allegat illustrissimus Annalium Conditor Cæsar Baronius ad annum Christi 527. colligitur: quam Cedrenus ad annum tertium Imperii Leontii refert, idest, ut ex Anastasio in Historia Ecclesiastica discimus, anno Christi 690. Scripsit Collectionem Canonum duas
B
veluti partes habentem. Prior *Breviarium Canonicum* dicitur, in quo Disciplina omnis Ecclesiastica ad Ferrandi exemplum, brevibus quibusdam summulis, & per subtilitatem titulorum, ut loquitur Justinianus, comprehenditur, citatis tantùm quæ ad rem spectant, ad singulos titulos Conciliorum Canonibus, vel Pontificum Decretis. Posterior verò integros Canones ac decreta, eo ipso ordine quo in Breviario citantur, exprimit; inscribiturque in manuscriptis codicibus, *vel Concordia Canonum vel Liber Canonum*. Utriusque Ferrandi nimirùm & Cresconii Breviarium primus in lucem edidit Petrus Pithœus ex codice manuscripto Ecclesiæ Trecensis, Parisiis anno Christi 1588. non autem Nicolaus Faber, ut
C
putat Altaserranus. Hanc editionem secuti sunt Guillelmus Voellus Theologus ac Socius Sorbonicus, & Henricus Justellus Christophori filius in editione sua Bibliothecæ Juris Canonici Veteris 2. in fol. vol. apud Ludovicum Billaine anno 1661. Parisiis impressæ: sed emendatam atque diligentissimè collatam cum duabus aliis impressionibus posterioribus, Altaserrani scilicet & Francisci Chiffletii, quas ille Augustoriti Pictonum anno 1630. hic Divione anno 1649. typis mandari fecerunt. *Concordiam verò Canonum Cresconii* antehac non editam, ex antiquo manuscripto codice Bibliothecæ Collegii Claromontani, nunc primùm in dicta Bibliotheca Juris Canonici veteris, Voellus & Justellus publici juris
D
fecerunt. Hanc porrò acceptam referre debes eruditissimis Viris Soc. Jesu Presbyteris Philippo Labbeo & Gabrieli Cossartio insignis Claromontanæ Bibliothecæ Præfecto, qua ea quæ prædicti erant humanitate, hunc codicem Justello communicarant, ex quo diligenter collato cum alio codice Bibliothecæ Thuaneæ qui Cresconii nomen præfert, sed multis Canonibus & Decretis interpolatus est Guillelmus Voellus & Christ. Justellus editionem suam confecerunt. Conferentes etiam cum codicibus Dionysii Exigui & Ecclesiæ Romanæ, ex quibus totus depromptus est Cresconius; castigatis, si qui reperti sunt, Exscriptoris erroribus; & adscriptis, si quæ notatu dignæ visæ sunt, variantibus Lectionibus. Agunt de Cresconio Baronius ad annum 527. *in Annalibus Ecclesiasticis*, præfati Auctores Bibliothecæ Juris Canonici veteris in sua præfatione ad Lectorem, arguentes Annalistam in aliquibus.

SÆCULUM OCTAVUM

Ab anno Dom. 700. ad 800.

De Aigrado Monacho. 700.

SUPPLEMENTUM.

AIGRADUS Fontanellensis Monachus scripsit circa annum 700. *Vitam Sancti Ansberti Rothomagensis Episcopi*, quam obtulit Hiltberto Abbati Fontanellensis Cœnobii, editam apud Surium & Bollandum ad diem 9. Februarii. Itemque sæculo 2. Sanctorum Ordinis D. Benedicti sæpiùs à nobis allegato, pag. 1048. Aigradi lucubratio Eruditis videtur in aliquibus locis interpolata, nempe ubi Anni æræ Christianæ designantur, qui calculus seu calculi modus Aigradi tempore nondum in Gallia usum obtinebat. Certè clades Provinciæ ab Agarenis illata, quæ num. 15. indicatur, contigit anno circiter 737. quo Hiltbertus Abbas jamdudum è vivis excesserat: & ex hac manifestum interpolationis desumitur argumentum.

De S. Gregorio Juniore. 714.

SANCTUS GREGORIUS Papa II. sive Junior, sedere cœpit anno salutis 714. sedit annos 17. obiit anno 731. Scripsit *varia opera*, sed extant solùm *Epistolæ* doctissimæ & multæ, quarum una ad Sanctum Germanum extat in 7. Synodo Action. 4. duæ Græcè, & Latinè ad Imperatorem Leonem Isauricum, extant apud Card. Baronium tomo Annalium 9. ad annum 13. Gregorii II. Apud eumdem extant *epistola ad Bonifacium* anno undecimo Pontificatus, & *ad Carolum Martellum ad Thuringos, ad Saxones & ad alios* anno decimo Pontificatus.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS GREGORIUS II. Romanus Pontifex per annos 16. menses 8. & dies 20. ab anno 714. ad diem 13. Februarii anni 731. quo obiit. De eo præter Anastasium, aliosque, qui de Vitis Romanorum Pontificum scripserunt, consulendus Sigebertus cap. 74. de Viris Illustribus unde discimus jam ante Pontificatum claruisse. Nondum enim erat Papa Romanus, cùm interpellatus apud Const. à Justiniano Imp. utique Rhinotmeto, super quibusdam articulis optima responsione unamquamque quæstionem absolvit, &c. quæ consule.

Ejus sinceras epistolas ad S. Bonifacium, ad Carolum Martellum, ad Thuringos, dabunt Baronius, Binius Sirmondus, & alii.

Idem perhibetur à multis auctor epistolarum, quæ præfixæ sunt Concilio Nicæno II. At ex Indictionibus adscriptis, aliisque indiciis docuimus in Chronicis Technico & Historico eas à Gregorio III. hujus secundi immediato successore scriptas fuisse.

GREGORIUS III. Gregorio secundo successit anno 731. & post annos 10. menses 9. diesque 12. obiit anno 741. die 28. Novembris. Sigebertus cap. 76. docet scripsisse Commonitoria ad Imperatores Leonem & Constantinum, & multa contra eos ad mul-

A tos scripta edidisse. Ex iis superesse arbitror, *duas illas epistolas ad Sanctum Germanum, & ad Leonem* Isauricum, quas Baronius, Binius, aliique vulgò Gregorio II. minus rectè tribuunt.

Extat Tomo VI. Magnæ Bibliothecæ Parisiensis col. 355. ejusdem Gregorii III. excerptum ex Patrum dictis, Canonumque sententiis de diversis criminibus & remediis eorum. In Tomis Conciliorum habetur ejusdem quoque Decretum in Concilio Romano de gradibus prohibitis circa matrimonium, quod quidam malè ad Gregorii I. tempora revocarunt.

De sancto Anthelmo.

B SANCTUS ANTHELMUS, sive Adelmus Episcopus fuit in Scotia, & anno Dom. 700. sedere cœpit, ex Beda lib. 8. histor. cap. 19. scripsit *de Virginitate librum*, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 3. edit. secundæ. Scripsit etiam *de Paschatis die* contra errores Britonum, teste Beda, ejus vita habetur apud Surium die 28. Maji.

DISSERTATIO HISTORICA.

ADELMUS, sive ut alii scribere malunt Adelhelmus, Aldhelmus, Altelmus, aut etiam Anthelmus, primùm Maidubiensis, Maildubensis in
C Anglia Abbas, tum apud Occidentales Saxones in Anglia Schireburgensis Episcopus, obiit die 28. Maji anno Æræ Christianæ 709. De eo plura Ven. Beda libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum capit. 19. ejusque vitæ Auctor Anonymus apud Laurentium Surium dicta die, Baronius in notis ad Romanum Martyrologium & in Annalibus Ecclesiasticis, Jo: Pitseus, Thomas Dempsterus, Meursius, Usserius, Vossius, aliique recentiores. Nec prætermittendus sermo Aimoini Monachi Floriacensis de Festivitatibus S. Benedicti, in quo recitantur versus aliquot ex libro de Laude Sanctorum Adhelmi, primò Abbatis post Episcopi facti. (*a*)

D *Opuscula Metrica*, hoc est, *de Laude Virginum* liber, *de Octo principalibus Vitiis*, atque *Ænigmata* quædam carmine Heroico extant tum seorsim edita in peculiari libello Moguntiæ an. 1601. opera R. P. Martini Delrio Soc. Jesu Presbyteri, tum Tomo VIII. Bibliothecæ Vet. Patrum cum Tractatu quodam soluta oratione scripto, *De Laudibus Virginitatis ad Hyldilitham, Justinam, cæterasque Virgines.*

Sigebertus cap. 66. de Viris Illustribus appellat Abbatem Scotorum, atque exemplo Sedulii Scoti geminato opere, idest prosa simul ac metro librum de Virginitate scripsisse testatur. Illius verò libri de Virginitate capitibus 7. & 22. meminit S. Gregorii Magni, eumque vocat Præceptorem ac Pædagogum Anglorum, à quo rudimenta fidei & baptisma susceperint, per Augustinum scilicet, Mellitum, aliosque in Britanniam missos Monachos Evangelicæ doctrinæ præcones.

Idem Sigebertus cap. 132. subdit huncce nostrum Adhel-

Adhelmum imitatum fuisse Symphrosium (quem nos vulgò Symposium scribimus) & per prosopopœjam qualitates rerum expressisse mille versibus, ut ipse in capitalibus literis Prologi sui præmonstravit hoc versu.

Adhelmus cecinit millenis versibus odas.

(*a*) Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ Sanctæ vocat Aldelmum Bladuinum, additque Flores utriusque Testamenti collegisse. Extare ejus epistolam ad Gervathium anno 700. datam quidam scripsere. Ego vidi in Sylloge Usseriana Veterum Hiberniarum Epistolarum Scoti cujusdam ad Aldelmum Malmesburiensem Abbatem & ejusdem Aldelmi ad Eafridum ex Hibernia in patriam reversum duas Epistolas.

De Adamnano. 710.

Supplementum.

ADAMNANUS seu ADAMANNUS, natione Scoto-hybernus, floruit anno circiter 714. scripsitque *Libros tres de Vita Sancti Columbæ Abbatis Scoti*, quos primus evulgavit Henricus Canisius tomo 1. *Antiquarum Lectionum*, & post eum alii, ut Joannes Mabillon sæculo 1. in Actis Sanctorum Ordinis Divi Benedicti. Scripsit idem *Libros tres de Locis Sanctis ex relatu Arculfi Galliarum Episcopi*, quorum mentionem facit Beda libro 5. Historiæ suæ cap. 16. quos habes impressos primùm Ingolstadii anno 1619. cura & studio Jacobi Gretseri Theologi & Presbyteri Soc. Jesu, tum sæculo 3. *Sanctorum Ordinis D. Benedicti* tom. 2. pag. 502. cura & studio Joannis Mabillon, qui huic addidit *aliud in terram Sanctam Hœdeporicon* Auctore Bernardo Monacho Gallo, factum anno 870. cujus meminit Guillelmus Malmesburiensis libro 4. *De Regibus Anglorum* cap. 2. sect. 35. & 48.

De Joanne Patriarcha Constantinop. 710.

Supplementum.

JOANNES Patriarcha Constantinopolitanus anno circiter 712. scripsit *insignem Epistolam ad Papam & Urbis Romæ Archiepiscopum Constantium*, qui sedit ab anno 708. ad 714. diem 9. Aprilis, quo obiit. Habet Collectio Conciliorum ultimæ editionis Parisiensis anni 1671. hanc Epistolam Græco-Latinam tom. 6. pag. 1407. ubi eam leges.

De S. Marcellino. 717.

SANCTUS MARCELLINUS Presbyter, vir Apostolicus socius fuit sancti Suiberti, primi Verdensis Episcopi, qui obiit anno Domini 717. Sed ipse B. Marcellinus diutius multo vixit, & scripsit *vitam sancti Suiberti*, quæ extat apud Surium die 1. Martii, atque ad relationem factam ex hoc libro S. Marcellini S. Suibertus canonizatus fuit postea à Leone III. Pontifice anno 804.

Dissertatio Historica.

BEATUS MARCELLINUS Presbyter, natione Brigantius in majore Britannia, Socius SS. Willibrordi & Suitberti, & Christianæ illorum in Frisiam expeditionis Comes, cujus meminit Martyrologium Romanum die 14. Julii, dicitur scripsisse *Vitam SS. Willibrordi atque Suiberti*, atque hujus quidem anno 717. defuncti gesta dicasse Gregorio Ultrajectensi Episcopo: sed quæ modò legitur apud Su-

A rium Kal. Martii scatet parachronismis & ab imperito Scriptore supposita est, ideoque à cordatis Historicis auctor ille stramineus passim dicitur Pseudo-Marcellinus, qui multos induxit in errorem ac nominatim Baron. Bellarm. Possevin. Vossium, quos vide cum Suffrido Petro in libro de Frisiæ Scriptoribus, & Joanne Pitseo.

Obiit verus Marcellinus circa annum Christi 770. ætatis 90. minimùm annorum. Cùm enim adolescens annos puta 20. natus S. Willibrordum relicta Britannia in Frisiam anno 690. venientem comitatus dicatur, & teste S. Ludgero ultra 70. annos prædicationi ac gentium conversioni impenderit ad decrepitam ac penè centenariam ætatem pervenisse di-
B cendus est. Ejus meminit Rixfridus VII. Ultrajectensis Episc. in epistola ad S. Ludgerum, itemque Ludgerus ipse Monasteriensium primus Antistes in epistola ad eumdem Rixfridum præmissa Tractatui de Miraculis, elevatione & canonizatione S. Suitberti apud Surium die prima Martii. Miræus in Auctario dolendum esse asserit, Acta S. Suitberti à Marcellino scripta corrupta & violata fuisse à recentiore aliqua manu, quæ novitia aliquot provinciarum nomina interseruit. Sed longè profectò graviora sunt vulnera, propter quæ exclamari debuit: Utinam quis sinceram & integram Historiam in lucem proferat! Medicinam huic malo expectamus à RR. PP. Joanne Bollando & Godefrido Henschenio cùm Fe-
C bruario succedet Martius Mensis.

De sancto Germano Constantinopolitano. 720.

SANCTUS GERMANUS Episcopus Constantinopolitanus vixit temporibus Gregorii secundi Papæ, & Leonis Isaurici Imper. hæretici. Multa propter sacras Imagines, & fecit egregiè, & pertulit fortiter: tandem nonagenarius in exilio mortuus est anno Domini 730. Scripsit multa. Extat nunc *Theoria rerum sacrarum* in Bibliotheca SS. Patrum tom. 6. edit. 2. Extant etiam *epistolæ tres* Græcè & Latinè ejusdem S. Germani in Concilio II. Nicæno,
D artic. 4. quarum tertia valde prolixa est, quibus epistolis præponitur epistola Gregorii Papæ II. ad Germanum. Extat apud Henricum Canisium tomo 3. antiquæ lectionis *Fragmentum* Græco-Latinum *Orationis* ejusdem *de hæresibus*.

Dissertatio Historica.

GERMANUS, sedis Const. per annos quatuordecim & menses sex Patriarcha Sanctissimus, ab anno 715. ad annum 730. quo jussu impii Leonis Cononis Isaurici Græcorum Imperatoris depositus est ob cultum Sacrarum Imaginum (*a*), & in exi-
E lium actus, ubi nonagenario major mortuus est, non anno Christi 730. ut scribunt Bellarminus, Maraccius, & plures alii, sed die 12. Maji anni circiter 740. De eo Menologium & Martyrologium eadem die, S. Nicephorus P. Const. in Chronico, Theophanes, Zonaras, Cedrenus, Baronius, &c. Ejus nomen præferunt nonnulla opuscula.

I. *Theoria*, sive, *Contemplatio rerum Ecclesiasticarum*, Latinè, Gentiano Herveto Aurelio Canonico Rhemensi interprete Tomo XII. Magnæ Bibliothecæ Parisiensis, pag. 375.

II. *Commentariolus quidam in Orationem Dominicam*, desumptus ad verbum ex ipsa Theoria, Tomo 1. col. 369.

III. *Fragmentum quoddam ex Oratione contra hæreses ad Antimum*, Tomo 11. pag. 709. ex editione Henrici Canisii Tomo III. Ant. Lect.

IV. *Encomium Deiparæ*, in tres sermones Præsentationis, Nativitatis, & Dormitionis distributum, Græcè & Latinè, Petro Pantino Tiletano interprete, Tomo 12. col. 689. duo per Schottum, unus tantùm Pantini inscribitur Encomium. In Auctario autem GL. à col. 1411. Tomi I. ad 1464. leguntur *Quatuor Orationes*. I. in Præsentationem. II. in Annunciationem. III. & IV. in Dormitionem, studio R. P. Francisci Combefis O. P. Ex his verò, I. habetur apud Surium die 21. Novembris, ex interpretatione Gentiani Herveti, II. verò & III. ex versione Schotti Soc. Jesu.

V. *Tres ejus Epistolæ*, Græcè & Latinè editæ Romæ, Coloniæ, Parisiis, &c. cum Concilio Generali VII. seu Nicæno II. ad Joannem Synodensem, ad Thomam Claudiopolitanum, &c.

VI. *Oratio ejus in Sacram B. Mariæ Virginis vestem*, seu, *Venerandæ Zonæ encomium*, Latinè tantùm apud Surium habes die 31. Augusti.

Sunt tamen viri docti, qui pleraque ex jam recensitis opusculis, nominatim Theoriam & Tripertitum encomium, cum Gretsero atque Allatio tribuant Germano alteri juniori Patr. Const. Arsenii successori, qui sub Alexio Comneno floruit initio sæculi XII. quamquam fuerit etiam & tertius ejusdem nominis non ineruditus Patr. Const.

De Exaltatione Sanctæ Crucis vivificæ, & contra Bogomilos, Græcè & Latinè edita à Gretsero Tomo II. de Cruce, cujus doctissimas notas consule.

De Sancta Cruce, & in Dominicam orthodoxiæ, Ibidem, & Tomo XV. Magnæ Bibliothecæ Veterum Patrum pag. 721. hoc titulo: In Jejuniorum Dominicam, & in Sanctarum ac Venerabilium Imaginum restitutionem.

In Sanctam Christi Sepulturam Oratio dicta in die Magni Sabbati, Tomo 1. Auctarii GL. à col. 1470. ad 1524. studio R. P. Francisci Combefis Ordinis Prædicatorum Congregationis S. Ludovici.

(*a*) Quarum maximus fuit ex recepta à majoribus Apostolica traditione patronus & defensor adversus sacrilegos Iconoclastas. Nonagenario, quidam centenario majorem dicunt. Christi 730. aut seq. 731. Neque id probant Gregorii III. malè II. Papæ litteræ lectæ in Concilio Nicæno II. ut aliàs demonstrare conati sumus.

Supplementum.

GERMANUS Patriarcha Constantinopolitanus, vixit temporibus Leonis Isauri Imperatoris, cujus impietate contra Sacras Imagines fortissimè restitit, quæ anno 726. impellente quodam Judæo, primùm in publicum erupit. Exinde nequicquam se furori ejus interponens, Episcopatu se sponte abdicavit anno Christi 730. cùm centesimum ferè ætatis annum ageret. Nam Gregorius II. Papa adserit Germanum anno Christi 726. habuisse annos quinque & nonaginta. Cæterùm habemus *duas Epistolas Sancti Germani Constantinopolitani senioris*, græcè & latinè editas Romæ, Coloniæ, Parisiis cum Concilio generali VII. seu Nicæno II. ad Joannem nempe Synadensem, ad Thomam Claudiopolitanum, &c. Cætera omnia illi inscripta sunt Germani Constantinopolitani Junioris, qui floruit sub initium sæculi 13. anno 1222. & seqq. ut suo loco dicemus. Scio à Bellarmino in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Labbeo ibidem, & ab Editoribus Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Coloniensis, huic Germano attribui *Theoriam rerum Ecclesiasticarum, & expositionem Orationis Dominicæ*, ex ista theoria verbotenus desumptam. Sed Gretserus in Notis ad tomum 2. de Cruce, putat illam Theoriam esse alterius Germani ætate posterioris: atque idem sentit *De Encomio Deiparæ*, quod Petrus Pantinus latinè reddidit. Plura de S. Germano Labbeus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis, Aubertus Miræus in Auctario eorumdem Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 207. pag. 220. Franciscus Combefis in suo Apparatu ad Bibliothecam Concionatoriam, verbo, *Germanus Constantinopolitanus*, Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, Possevinus in Apparatu Sacro.

De Germano 2.

Supplementum.

GERMANUS Secundus nomine, Patriarcha Const. successit Emanueli anno 1222. & Sedem per viginti & septem annos tenuit, agens strenuè cum Gregorio IX. Summo Pontifice de legitimis mediis reconciliandæ Ecclesiæ Græcæ cum Latina. Scripsit *Theoriam seu Contemplationem rerum Ecclesiasticarum*, græcè & latinè Gentiano Herveto Aurelianensi Canonico Remensi interprete, tomo 12. magnæ Bibliothecæ Parisiensis pag. 375. *Encomium Deiparæ Virginis* in quatuor Sermones, quos habet correctiores Franciscus Combefis in Auctario Græco-latino Bibliothecæ Sanctorum Patrum anni 1648. tomo 1. pag. 1464. Item Orationes ejusdem tres, una *in Sacram Beatæ Mariæ Virginis Vestem*, altera, *in Zonam B. Mariæ Virginis*, tertia *in memoriam Regiæ Urbis sæpius à Barbaris liberatæ interventu ejusdem Virginis*, quas habet idem Combefis in dicto Auctario. Item Homiliæ duæ *De Sancta Cruce*, quas Jacobus Gretserus edidit tomo 2. de Cruce, cum doctissimis Notis. Denique Homiliam scripsit *in Sanctam Christi Sepulturam, dictam in die Magni Sabbati*, eodem tom. 1. dicti Auctarii p. 1470. ad 1524. Hujus *Epistola* etiam est *ad Gregorium IX. Summum Pontificem*, in Conciliis tomo 11. pag. 318. ultimæ editionis, cum responsione Summi Pontificis. Item *Epistolæ duæ ad Cyprios, cum Epistola Neophyti inclusi de calamitatibus Cypri*, ex codice manuscripto Bibliothecæ Regiæ 2376. quas græcè & latinè edidit Joannes Baptista Cotelier tomo 2. veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ. De Germano isto Juniore, Labbeus in libro de Scriptoribus, dum de Seniore loquitur, qui ad annum circiter 720. floruit, mentionem facit. Illiusque Opera nonnulla recenset Aubertus Miræus in Auctario suo de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 382. pag. 255. & alii qui Opera sub ejus nomine ediderunt. Porrò quod Aubertus Miræus dicit hunc Germanum fuisse *Schismaticum & acrem hostem Latini nominis*, non video ubi nam hoc habere potuerit.

De Venerabili Beda.

VENERABILIS BEDA Presbyter Anglus floruit eodem tempore, anno siquidem Domini 731. in vivis erat, ut ipse testatur in fine quinti libri historiæ Anglicanæ. Scripsit plurima, quæ octo tomis continentur.

Primus Tomus continet

Ea quæ ad Grammaticam, Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, Musicam & similes artes pertinent.

Secundus Tomus continet

Librum de natura rerum. De temporum ratione. De sex ætatibus Mundi. De temporibus ad intelligendam suppu-

ſupputationem temporum ſacræ Scripturæ. Sententias ex Cicerone & Ariſtotele. De Proverbiis, de ſubſtantiis Elementorum. Philoſophiæ libros quatuor. Librum de Paſcha, ſive Æquinoctio. Librum de arca Noe. Librum de linguis gentium. Denique oracula Sibyllina.

Obſervatio.

Irrepſit inter libros venerabilis Bedæ epiſtola de divinatione vitæ, & mortis, quæ planè indigna eſt hoc Auctore: & audio eam extare ſub nomine ſphæræ Apulæi-Platonici de morte & omnibus negotiis. Itaque omnino tollendam cenſeo.

Tertius Tomus continet

Libros quinque hiſtoriæ gentis ſuæ cum Epitome. Vitas ſanctorum Guthberti Felicis, Vedaſti, Columbani, Artalæ, Patricii, Euſtaſii, Bertolfi, Arnolphi, Burgundoforæ. Item carmen de Juſtini martyrio. Martyrologium. De ſitu Hieruſalem. Interpretationem nominum Hebraicorum & Græcorum in ſacris Bibliis occurrentium. Excerpta & collectanea.

Quartus Tomus continet

Explanationem in Pentateuchum & libros Regum. Item in Samuelem explanationum allegoricarum libros quatuor. Item explanationem in Eſdram, Tobiam, Job, Proverbia & Cantica. Denique de Tabernaculo, & vaſis, ac veſtibus ejus libros duos.

Quintus Tomus continet

Commentaria in totum novum Teſtamentum, exceptis Epiſtolis B. Pauli.

Sextus Tomus continet

Retractationes, & quæſtiones in Acta Apoſtolorum. Commentaria in omnes epiſtolas S. Pauli ex Auguſtini ſententiis & verbis excerpta.

Septimus Tomus continet

Homilias de Tempore, & de ſanctis plurimis. Item librum de Muliere forti. Librum de Officiis. Scintillas ſive locos Communes. Fragmenta in libros Sapientiales & Pſalterii verſus.

Octavus Tomus continet

Librum de templo Salomonis. Librum de creatione ſive opere 6. dierum. Quæſtiones in Octateuchum. In quatuor libros Regum. Quæſtiones varias. Commentaria in Pſalmos. Commentaria in Boetii librum de Trinitate. De verbis Chriſti. Meditationes Paſſionis. De remediis peccatorum.

Obſervatio prima.

Extat indiculus operum venerabilis Bedæ ab ipſomet ſcriptus, ut etiam vita ejuſdem uſque ad annum ætatis 59. ab ipſo deſcripta eſt poſt hiſtoriam gentis ſuæ. Aliqua opera poſtea ſcripſit. Vixit enim longiſſimam vitam, ideò mirum non eſt, ſi aliqua nunc ejus nomine circumferantur, quorum ipſe in Indiculo ſuo non meminit.

Obſervatio ſecunda.

Non deſunt, qui à Catalogo operum venerabilis
A Bedæ demere velint Commentaria in Epiſtolas S. Pauli ex Auguſtini verbis contexta: ſed nullus probabilius id fecit, quàm Card. Baronius. Siquidem tomo ſeptimo Annalium ad annum Chriſti 562. refert ex Caſſiodoro, Petrum quemdam Abbatem Tripolitanum S. Pauli epiſtolas exemplis opuſculorum S. Auguſt. ſubnotaſſe, ut per os alienum ſui cordis declararet arcanum: quæ ita locis ſingulis competenter aptavit, ut hoc magis ſtudio beati Auguſtini credas eſſe profectum. Mirum eſt enim, ſic alterum ex altero dilucidaſſe, ut nulla verborum ſuorum adjectione permixta, deſiderium cordis proprii compleſſe videatur, hæc Caſſiodorus. Cenſet igitur Cardin. Baronius Commentaria illa in epiſtolas ſan-
B cti Pauli non Bedæ eſſe Presbyteri, ſed Petri Tripolitani Abbatis. Quia verò in præfatione Bedæ in epiſtolas habentur hæc verba: In Apoſtolum quæcumque in opuſculis S. Auguſtini expoſita inveni, cuncta per ordinem tranſcribere curavi. Reſpondet Card. Baronius, eam præfationem non eſſe Bedæ, ſed alicujus, qui, ut hæc Commentaria Bedæ adſcriberet, illa verba adjecit.

Ego verò quamvis à viro doctiſſimo, & optimo, & mihi, cùm viveret conjunctiſſimo valde ægrè diſſentiam, exponam tamen rationes, quæ me movent, ut exiſtimem iſta commentaria verè eſſe Bedæ, & judicium lectori relinquam.

Primùm, Præfatio illa non eſt quidem à Beda
C his commentariis adjuncta, ſed tamen tota ſumpta eſt à verbis Bedæ, quæ habentur ad finem hiſtoriæ ſive epitomes, cui ſubjecerat ipſe Beda vitam ſuam, & indiculum operum ſuorum, ut Card. ipſe Baron. affirmat, tomo 8. Annal. ad annum Dom. 731. ubi ipſum indiculum, qui in multis codicibus deeſt, ad verbum ponit, & in eo indiculo Bedæ à Card. Baronio repræſentato ſunt illa verba: In Apoſtolum quæcumque in opuſculis S. Auguſtini expoſita inveni cuncta per ordinem tranſcribere curavi. Neque eo loco Card. Baronius dicit ea verba non eſſe Bedæ, neque credibile eſt, ullum fuiſſe tam audacem & temerarium, ut indiculo Bedæ aliquid addere vellet.

D Quòd ſi verba illa ſunt Bedæ, ut verè ſunt, neceſſe eſt omnino, aut Bedam eſſe mentitum, quod nemo diceret, aut commentaria illa verè eſſe Bedæ.

Deinde, ſi ea commentaria non ſunt Bedæ, certe ſequitur, ut Beda, qui tam diligenter in utriuſque teſtamenti libris explanandis laboravit, ſolum Apoſtolum prætermiſerit, cujus epiſtolæ nobiliſſima pars ſcripturarum eſſe videntur.

Præterea quid impedit, quo minus duo auctores, Petrus Abbas & Beda Presbyter diverſis temporibus & locis, eidem ſtudio in Paulo ex Auguſtini ſcriptis explicando deſudaverint? ſi commentarium Petri Abbatis haberemus, & eo collato cum commentario Bedæ, unum & idem eſſe videremus
E tum planè fatendum eſſet non eſſe hoc opus Bedæ adſcribendum: ſed cùm illud non extet, licet omnino exiſtimare, diverſum ab iſto fuiſſe, ideſt, ex diverſis Auguſtini ſententiis verbiſque conflatum.

Obſervatio tertia.

Ex vitis Sanctorum, quæ habentur tertio tomo Bedæ, quædam ſunt, quæ ab ipſo Beda ſcripta non ſunt. Certè vita ſancti Patricii duobus libris comprehenſa, non habetur in indiculo, & ſatis conſtat ſcriptam à Probo, ut in extremo libro ſecundo legitur: ſic etiam vitam S. Columbani non Beda, ſed Jonas ſcripſit: ut vitam ſancti Arnulphi Paulus Diaconus ſcripſit non Beda: ſic etiam inter Collectanea & flores, quæ habentur 3. tomo, nihil ferè eſt, quod

quod sit Bedæ ingenio dignum. Collectaneum de luminaribus Ecclesiæ habetur etiam in 4. tomo S. Hieronymi, & nec Hieronymi, nec Bedæ est. Collectaneum de quatuor generibus ligni in Cruce Domini, nihil solidi habet. Oratiuncula, ubi invocantur tres Jacobi; & altera ubi invocantur Angelus Uriel & Rumiel, longe absunt à gravitate; & scientia Bedæ, sed sicut sunt inter opera Bedæ aliqua, quæ non sunt Bedæ, ita desunt Commentaria in Isaiam, Hieremiam, Danielem, & duodecim Prophetas minores, quæ in indiculo operum Bedæ numerantur, & periisse videntur.

Dissertatio Historica.

A BEDA, in Britannia ex Anglo Saxonum genere oriundus, in Girvvensi territorio non longè à Tinæ fluminis ostiis natus est anno 673. à puero Monasticam vitam amplexus, in ea per multos annos perseveravit sub Benedicto & Ceolfrido Abbatibus Monasterii BB. Petri & Pauli ad Tinam, in diœcesi Dunelmensi, vulgò appellatus Presbyter Anglus ac Venerabilis, obiit anno 735. die 26. Maji, sive 7. Kal. Junii, quo Ascensionis Domini memoria celebrabatur. De eo appendix Anonymi ad Ecclesiasticam Anglorum Historiam ab eo ad annum usque 731. ætatis 59. perductam, ac Ceolvulfo Regi Northumbrorum dicatam, epitaphium ejus, Alcuinus, qui nobilissimum sui temporis magistrum appellat, Honorius Augustodunensis initio libelli IV. de Luminaribus Ecclesiæ, ubi Romæ mortuum sepultumque falsò asseritur, Sigebertus Gemblacensis cap. 68. de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui anno 734. mortem ejus illigat minùs accuratè, ut ex die Ascensionis convincitur cum 26. die Maji concurrente, Willelmus Malbesburiensis lib. 1. cap. 3. qui à Sergio Papa Romam vocatum asserit, cùm tamen certo certius videatur numquam pedem ex Anglia movisse, Matthæus Westmonasteriensis, &c. atque ex recentioribus Vossius lib. 2. de Historicis Latinis, cap. 28. & Baronius Cardinalis, qui multa de eo disputat in Annalibus, & in ejus ætate designanda & quibusdam aliis hallucinatur, ut cùm Petro Tripolitano Abbati tribuere nititur Commentaria in Epistolas S. Pauli, quæ rectè Bellarminus Bedæ asseruit, nec habeo quod iis addam (a) quæ de spuriis dubiisque operibus disseruit Summum illud Purpuræ Romanæ & Societatis nostræ decus. Quod ad Martyrologium spectat, ipsemet in fine Historiæ Eccles. Anglorum attestatur his verbis: Scripsi Martyrologium de natalitiis SS. Martyrum diebus: in quo omnes, quos invenire potui, non solùm qua die; verùm etiam quo genere certaminis, vel sub quo Judice mundum vicerint, diligenter annotare studui. Verùm quod ejus nomen modò præfert, haud syncerum est, multorum subinde additionibus locupletatum, ut ex præfatione Usuardi colligunt viri eruditi.

(a) Plura postea occurrerunt, quæ tum proponentur, cùm sigillatim comprehensos singulis ejus Voluminibus Tractatus exhibebimus suisque momentis examinabimus. Interim observa ex Sixto Senensi anno ætatis suæ 30. Presbyterum à Joanne Episcopo ordinatum, hortatu Accę Episcopi Eboracensis ac multorum fratrum aggressum esse scribere in universam Scripturam diversa explanationum volumina in quatuor ordines distincta, videlicet in Rhapsodias, Quæstiones, Homilias, & Commentarios. In Rhapsodiis sive stromatibus vel collectaneis congregasse mysticas magis quàm historicas expositiones ex probatissimis Ecclesiæ Doctorum sententiis, &c. In Commentariis verò, Quæstionibus & Homiliis, in quibus frequentiùs & sermone & sensu suo utitur, stylum habere, nec omnino inelegantem, nec affectatæ elegantiæ curiosum, sed temperatum, &c.

De Andrea Hierosolymitano. 720.

Supplementum.

Andream istum vide sæculo 4. post Andream Cæsariensem.

De Jona Monacho 720.

Supplementum.

B *Jonam istum vide sæculo 7. post Jonam Hibernum.*

De S. Joan. Damasceno. 731.

SANCTUS JOANNES Damascenus, vir magnæ doctrinæ & sanctitatis, æqualis fuit venerabilis Bedæ, & unus Occidentem, alter Orientem sapientia sua illustravit; nam tempore Gregorii II. Papæ, & Leonis Isauri Imperatoris hæretici, scripsit *Orationes pro defensione sacrarum imaginum adversus prædictum Leonem* circa annum Dom. 731. sed diu postea supervixit, & multa passus est ab Imperatore Constantino Copronymo propter fidem Catholicam. Itaque longè à veritate aberrant, qui C Damascenum tempore Theodosii senioris floruisse scribunt. Scripsit multa præclara opera, atque in primis *libros quatuor de fide Orthodoxa*, in quibus ipse primus universam Theologiam recto ordine comprehendit. Eum imitati sunt Magister sententiarum & Doctores, qui Scholastici dicuntur. Scripsit præterea *Orationes tres* doctissimas & utilissimas, *adversus impugnatores sacrarum Imaginum*. Scripsit etiam *alia minora opuscula*. *De Logica*, *librum unum*. *De Physica*. *De introductione dignitatum*, 1. *De duabus voluntatibus Christi*, 1. *De centum hæresibus*. *De trisagio*, 1. *De altercatione Christiani & Saraceni*, 1. *Historiæ Barlaam & Josaphat*, 1. *De his, qui in fide dormierunt*, *Orationem*, 1. *Paralellorum*, 3. *De transfiguratione Christi*. D *De Nativitate B. Virginis*, *& ejusdem assumptione*, *Orationes*. *Adversus Manichæos Dialogum*. *Vita sancti Stephani Junioris*.

Accesserunt nuper liber ejusdem Damasceni contra Acephalos, sed mutilus: & alius contra Nestorianos, apud Henricum Canisium tom. 4. antiquæ lectionis.

Observatio.

Ex his quibus nihil in dubium revocari potest, nisi historia Barlaam, & Oratio de his qui in fide dormierunt. Historia Barlaam & Josaphat insignis, & utilis est. Sed quia Barlaam, dum instruit di- E scipulum suum Josaphat, jubet eum credere in Spiritum sanctum ex Patre, & Filio procedentem: dubitatio exorta est, an hoc opus esse potuerit Joannis Damasceni, qui libro primo de fide Orthodoxa cap. undecimo docet, Spiritum sanctum non procedere ex filio, sed per filium. Sed responderi potest, in historia Barlaam particulam illam, ex filio, videri additam ab aliquo: nam in nova editione per Billium castigata, non habetur, ex filio. Dubitatio quoque existit, an hæc narratio sit vera historia, an potius conficta ad erudiendos nobiles adolescentes, qualis est vita Cyri apud Xenophontem. Cęterùm veram historiam esse constat ex eo, quòd S. Joannes Damascenus in fine historiæ invocat sanctos Barlaam & Josaphat, quorum res gestas scripserat, & Ecclesia Catholica in

ca in Martyrologio descriptos veneratur, die 27. Novembris, eosdem sanctos Barlaam & Josaphat.

Oratio de his, qui in fide Migraverunt scrupulum injecit, quia narrat Falconillam precibus primæ Martyris, & Trajani animam precibus Sancti Gregorii Papæ ab inferni suppliciis liberatos, quæ narrationes falsæ esse videntur, & fabulis similiores, quàm historiæ. Sed fieri potest, ut S. Joannes Damascenus, quamvis alioqui doctus, & prudens, istis narrationibus facilè fidem habuerit, neque de veritate earum investiganda sollicitus fuerit.

Dissertatio Historica.

De Sancti Joannis Damasceni, qui anno circiter 740. florebat in Syria, & adversus Leonem Isaurum, Constantinum Copronymum ejus filium, aliosque Iconoclastas hæreticos pro Catholica Fide strenuè decertabat, eruditissimis operibus, variisque eorum editionibus, nihil modò adjungam iis, quæ an. 1652. ex Officina Cramosiana præmisi *in Conspectu novæ editionis omnium ejus operum in quatuor partes tributorum*, quam tum demum aggrediar, cùm ex aliis occupationibus liber emersero, & eruditos viros, quorum operam auxiliumve etiamnum imploro, in subministrandis ad eam perficiendam subsidiis paratiores fuero expertus. Interim hæc pauca ex cap. 75. Sigeberti de Viris Illustribus, in ejus commendationem accipe: Joannes Presbyter & Monachus, de Damasco Syriæ, vita ac doctrina clarus, cognomento Chrysorrhoas, animatus scriptis Gregorii Papæ, quibus impugnabat impietatem Leonis Imp. scripsit & ipse Græcis Græcè contra Leonem Imp. Suidas Manzurum cognominat, ejusque scripta fuisse plurima, ac præcipuè Philosophica asserit, cum Parallelis selectis in Sacram Scripturam, Jambicis Canticorum Canonibus, &c. Trithemius eadem repetit, quæ modò ex Sigeberto descripsimus, & Damascenum collocat sub Leone Imp. an. 830. ut mirum sit unde Alphonsus à Castro in libris adversus hæreses hauserit Joannem hunc nostrum ex Trithemii sententia vixisse sub Theodosio juniore, circa annum Domini 450. & ab eo ad nostrum tempus mille centum annos & eò ampliùs elapsos esse.

In Auctario G. L. Bibliothecæ Magnæ Parisiensis opera R. P. Francisci Combefis prodierunt ejusdem Sancti, *De duabus voluntatibus & operationibus in Christo opusculum*, quod tantùm Latinè vulgarat Henricus Canisius Tomo IV. & *Oratio demonstrativa de Sacris Imaginibus ad Christianos omnes adversus Imperatorem Constantinum Caballinum, ac hæreticos universos.*

De S. Bonifacio Moguntino. 740.

SANCTUS BONIFACIUS, natione Anglus, Archiepiscopus Moguntinus & Martyr, vixit temporibus Gregorii secundi & tertii, & Zachariæ Pontificum Romanorum, & obiit anno 755. Mogunt. De ejus rebus gestis, vide Card. Baronium tom. 9. Annalium, ad annum 755.

Dissertatio Historica.

Sanctus Bonifacius, dictus antea Winfridus, natione Anglus, vel, ut quibusdam videtur, Scotus; Frisiorum, Hassorum, Thuringorum, Bajoariorum, aliorumque Germaniæ populorum, quos Christianæ Religionis mysteriis informavit, Apostolus; Romanorum Pontificum Gregorii II. Gregorii III. & Zachariæ amicitia ac privilegiis ornatus, Moguntinensis primus Archiepiscopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, martyrio coronatus, obiit

A in Frisiæ villa Dotkumio, die 5. Junii anni 754. non 755. ut plerique recentiores etiam eruditissimi minùs castigatè putarunt. In celeberrimo Fuldæ Monasterio, quod in Buchonia sylva fundaverat, sepultus fuit. De eo plura Nicolaus Serarius in serie Moguntinorum Archiepiscoporum, Christophorus Brovverus in Fuldensis Ecclesiæ Historia, Card. Baronius, Claudius Robertus, Vossius, qui de ejus patria & quibusdam ad eam spectantibus multa collegit cap. 29. libri secundi de Latinis Historicis, Miræus, &c.

S. Bonifacii, ac plurium aliorum Epistolæ, cum libro de vita & martyrio S. Livini Episcopi Gandavensium patroni, eodem auctore Sancto Bonifacio, diligentia ac studio nostri Serarii Moguntiæ emerserunt è prælo

B anno 1605. in 4.

Supplementum.

Bonifacius, dictus antea Vvinfridus, natione Anglus, vel, ut quibusdam videtur, Scotus; Frisiorum, Hassorum, Thuringorum, Bajoariorum, aliorumque Germaniæ populorum, quos Christianæ fidei mysteriis informavit, Apostolus; Romanorum Pontificum Gregorii II. Gregorii III. & Zachariæ amicitia & privilegiis ornatus, Moguntinensis primus Archiepiscopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, Martyrio coronatus obiit in Frisiæ villa Dotkumio die quinta Junii anno 754. non 755. ut

C plerique recentiores etiam eruditissimi minùs castigatè putarunt, qui in celeberrimo Monasterio Fuldensi, quod in Buchonia sylva fundaverat, sepultus fuit.

Sancti Bonifacii ac plurium aliorum Epistolæ, cum libro de Vita & Martyrio Sancti Livini Episcopi Gandavensium patroni, eodem auctore Sancto Bonifacio, diligentia ac studio Nicolai Serarii Soc. Jesu Presbyteri ac Theologi, emerserunt è prælo Moguntiæ anno 1605. in 4. Item Domnus Lucas Dacherius doctissimus Congregationis Sancti Mauri in Gallia Monachus edidit *quædam Statuta Sancti Bonifacii nomine*, tom. 9. Spicilegii pag. 63. apud Carolum Savreux Parisiis anno 1669. in 4. apud Turrim Metropolis

D Ecclesiæ. Quantum autem *ad Vitam Livini*, quam Serarius sub nomine Sancti Bonifacii Episcopi Moguntini, & Martyris, post ejusdem Epistolas edidit. Joannes Mabillon sæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 449. ubi eam iterum recudit, censet non habere Auctorem Bonifacium Moguntinensem Archiepiscopum & Martyrem, qui an. 754. ætate adhuc virente Martyrium subiit: sed esse alterius Bonifacii senioris, qui circa annum 680. annis propè octoginta ante Moguntinensem floruerit, quod observatione dignum censui. De illo plura Nicolaus Serarius in serie Moguntinorum Archiepiscoporum, Christophorus Brovverus in Fuldensis Ecclesiæ Historia, Cardinalis Baronius in Annalibus & in No-

E tis ad Martyrologium Romanum, Sammarthani in Gallia Christiana tom. 1. in Archiepiscopis Moguntinensibus, Vossius qui de ejus patria, & quibusdam ad eam spectantibus multa collegit cap. 29. libri 2. De Historicis Latinis, Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 215. pag. 221. Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo seu parte 2. pag. 1. & seqq. aliique quos consulere potes post Surium ad diem quintam Junii.

De Antonio Melissa.

ANTONIUS Melissa Monachus scripsit *libros duos communium locorum ad virtutes sequendas, & vitia fugienda*, quos ex Patribus collegit: & quoniam

niam ultimus, quem citat est sanctus Joannes Damascenus, ideò hoc loco eum posuimus; cùm veram ætatem ejus ignoraremus. Extant hi libri in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quinto editionis secundæ, sed cauté legendi sunt: quoniam ab hæreticis latinitate donati, & impressi sunt. Vide observationes Jacobi Billii additas ad epistolas Isidori Pelusiotæ: & Frontonis Ducæi notas, & Indicem expurgatorium Romæ impressum anno 1607.

A

Dissertatio Historica.

De eo vix quicquam habeo, quod adjiciam ad ea, quæ Bellarminus, ejusque affectator Miræus præmiserunt, nisi fortè è re tua fuerit, Lector, observare hallucinationem Miræi, qui cùm in Bellarmino notasset Jacobi Billii V. C. observationes additas ad Isidori Pelusiotæ epistolas, ipse rei ignarus confudit cum Billii Notis ad Isidorum Pellusiotam, quas numquam hactenus prodiisse, si tamen ullas unquam scripsit, norunt, qui Patrum Monumenta versare solent.

B

Adscribere tamen hìc non gravabor, quæ in Bibliotheca Simleriana leguntur, verbo Sanctus Antonius Monachus & Abbas Ægyptius, cui non secùs ac Joannes Trithemius, sermones illos falsos adscripsit: Opus Theologicum, quod Melissam, hoc est apiculam inscripsit, variis constans capitibus, præcipuè verò de politia Christi tractans, junctis Joannis cujusdam locis Ethicis Græcè ms. in 8. in Bibliotheca Imperatoris. Idem opus Conradus Gesnerus Venetiis acquisitum Græcè & Latinè seorsim, eodem & Joanne Ribitto Interpretibus excudi curavit Tiguri anno 1546. hoc titulo: *Sententiarum sive Capitum Theologicorum præcipuè ex Sacris & profanis libris Tomi tres, per Antonium & Maximum Monachos olim collecti*; Antonii loci, Melissæ inscripti (μέλισσαι ἡμελιτῶνες, apiaria, favi, alvearia, aut quid ejusmodi, unde arguas eos, qui Melissam, ut verum Antonii cognomen agnoscunt, nisi fortè eo sensu, quo Climax dicitur Joannes, &c.) numero sunt 175.

C

Supplementum.

Antonius Melissa dictus ab opere quod contexuit, & cui Melissæ nomen impositum, de quo Bellarminus & Labbeus. Hoc Opus Conradus Gesnerus Venetiis acquisitum græcè & latinè seorsim, eodem & Joanne Ribitto interpretibus excudi curavit Tiguri anno 1546. sub hoc titulo: *Sententiarum seu Capitum Theologicorum præcipuè ex Sacris Scripturis & prophanis libris tomi tres, per Antonium & Maximum Monachos olim collecti*. Antonium autem sæculo octavo ad annum 750. alligavit Labbeus in Bibliotheca Chronologica Scriptorum Ecclesiasticorum, sed perperam. Nam Franciscus Combefis tomo 2. Operum Sancti Maximi pagina 729. in Notis ad Sermones sancti Maximi ex Excerptis compositos, docet *in Melissa* Antonii allegari Joannem Damascenum, Photium Constantinopolitanum, & Theophylactum Acridæ in Bulgaria Archiepiscopum, qui anno 1074. floruit: unde rectè infertur Antonius horum Sermonum consarcinator spectare ad sæculum 12. Ecclesiæ.

D

E

De Fœlice Monacho. 740.

Supplementum.

Foelix Monachus Anglus, Congregationis Girvvensis seu sancti Bedæ, ut loquitur, scripsit circa annum 740. vel ultra, Vitam S. Guthlaci Presbyteri & Eremitæ, quam ex manuscripto codice erutam produxit in publicum Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, tom. 1. seu parte 1. pag. 263. in fol. Parisiis anno 1672. apud Carolum Savreux ad Turrim Metropolis Ecclesiæ, sub signo trium Virtutum.

De Heddio. 740.

Supplementum.

„ Heddius, Stephanus cognominatus, natione Anglus, Ordinis sancti Benedicti Monachus Cantuariensis Congregationis Giribennæ, à teneris annis ita in bonarum Litterarum studiis enutritus, ut jam vir factus omnium scientiarum genere evaserit instructissimus. Multa quidem quantùm invenire potui, non scripsit, sed illa tamen pauca puro, terso, & elegante stylo exarata. Musicus insignis & primus, teste Beda, præter unum Jacobum, cantandi Magister in Nordhantumbrorum Ecclesiis, illuc enim ex Cantia vocatus à Vvilfrido venit, & psalmodiam docuit. Ratione virtutis & multiplicis eruditionis, erat omnibus Litteratis & piis illius temporis charissimus. Hortante Acca Hagulstadensi Episcopo soluta oratione scripsit *De Vita sancti Vvilfridi librum unum*, *de Vita Eattæ & Tumberti librum unum*; de aliis nihil mihi certi constat. Claruit anno salutis restauratæ 720. regnante in Northumbria Osrico. Hæc Pitseus. Opus de Vita sancti Vvilfridi, editum à Joanne Mabillon ex ms. Bibliothecæ Cottonianæ in Anglia, ad calcem partis primæ Sanctorum sæculi 4. Benedictini pag. 671. cujus variantes Lectiones ex ms. Codice Sarensi edidit ad finem secundæ partis ejusdem sæculi pag. 550. quod impressum duobus tomis in fol. apud Ludovicum Billaine anno 1677. & 1680. Et quidem Eddium à Vvilfrido ex Cantia accitum fuisse, constat ex Historia Venerabilis Bedæ lib. 4. cap. 2. Quo tempore id actum sit, indicat Eddius ipse in subjectæ Vitæ cap. 14. ubi narrat Vvilfridum sub annum 665. evocasse Cantores ad reformandos Ecclesiæ corruptos cantus. Cæterùm insignem ubique modestiam exhibet iste Auctor, cùm agens de Theodoro ejusque successore Berthvvaldo, qui Vvilfridi suique ipsius exilii Auctores fuerant, aut certè fautores, eos passim sanctos & sanctissimos appellat. Opus autem suum scribebat statim à Vvilfridi obitu, certè superstite adhuc sancto Vvillebrordo Trajecti inferioris Episcopo, qui anno 739. ad Superos abiit, anno uno ante Accam Hagulstadensem Episcopum, cui Eddii Liber nuncupatus est.

De Egberto. 750.

Supplementum.

Egbertus natione Anglus, dignitate Eboracensis Archiepiscopus, claruit circa annum 747. scripsitque nobile Opus *Pœnitentiale libris quatuor distinctum*, ms. in Bibliotheca Collegii sancti Benedicti Cantabrigiæ in Anglia Cod. 133. ut ab oculatis testibus audivimus: Opus antiquum, præloque dignissimum, quod nos multa edoceret de mediis Ecclesiæ temporibus. Item scripsit Opusculum *De Jure Sacerdotali*, quod legitur in Conciliis anni 1671. tomo 6. pag. 1586. Denique Dialogum *De Institutione Ecclesiastica*, editum Dublini anno 1664. opera Joannis Vvaræi Equitis Aurati, & immixtum Conciliis tom. 6. pag. 1604. Pœnitentiale autem seu Canones *De Remediis peccatorum*, qui leguntur post dictum Dialogum pag. 1612. in citatis Conciliis, sunt excerpti

pti ex dicto Pœnitentiali Egberti: unde ambiguum, an sint Venerabilis Bedæ (cui passim attribuuntur) opus legitimum, nec enim Beda Senior excerpere ab Juniore Egberto potuit.

De Anastasio Abbate. 750.

SUPPLEMENTUM.

ANASTASIUS Abbas Monasterii sancti Euthymii in Palæstina, cujus sanctus Joannes Damascenus initio Libri de Trisagio, & Cardinalis Baronius in gestis anni 749. meminerunt, scripsit *Librum contra Judæos*: quem ex Græco latinè à Francisco Turriano redditum Henricus Canisius tomo 3. *Antiquarum Lectionum*, & Colonienses tomo 8. Bibliothecæ Veterum Patrum publicarunt; sed msf. græcè asservant Bibliotheca Vaticana Romæ, & Jesuitica ejusdem Urbis inter Codices manuscriptos ab eodem Turriano datos. Atque hic quidem Anastasius cum de Trisagio non rectè sentire videretur, Joanni Damasceno occasionem præbuit scribendi opusculum de Hoc Hymno. Agunt de isto Anastasio, quem Euthymianum vocant ad distinctionem ab aliis quamdam, Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miræus in Auctario ad Scriptores Ecclesiasticos cap. 212. pag. 221., Labbeus in brevi Scriptorum Chronologia.

De Isidoro Pacensi. 750.

SUPPLEMENTUM.

ISIDORUS PACENSIS, Hispaniæ Episcopus, Idacium Lemicensem Episcopum continuavit in sua Chronologia, sicut ipse Idacius sanctum Hieronymum continuaverat. Isidorum Pacensem continuant Sebastianus Salmanticensis, Sampirus Asturicensis, & Pelagius Ovetensis, quos omnes junctim ex manuscriptis Codicibus Prudentius Sandovallius Pampelonensis Episcopus anno 1634. Pampelone in Navarra primus edidit, quorum ultimum Baronius citat in Annalibus tom. 10. pag. 653. Ex his *Isidorus Pacensis* orditur ab æra 653. sive ab anno Heraclii septimo, quo Mahometes Saracenorum Ductor Syriam, Arabiam, & Mesopotamiam occupavit, desinitque in æra septingentesima nonagesima octava, idest in anno Christi 754. quo tempore se scripsisse testatur, sub finem operis. *Sebastianus Salmanticensis* à temporibus Pelagii Regis usque ad Ordonii I. Regis obitum, hoc est, usque ad æram nongentesimam tertiam, sive usque ad annum Christi 865. suam, ut nuncupat, Historiam deduxit. *Sampirus Asturicensis* ab æra octingentesima nonagesima sexta, sive à temporibus Alphonsi Magni, illo nomine tertii Regis, usque ad initium principatus Veremundi Regis continuavit. *Pelagius Ovetensis Episcopus*, à temporibus dicti Veremundi, usque ad obitum Alphonsi septimi, quem vocant Imperatorem Hispaniæ, rerum gestarum seriem perduxit. De æræ ratione & origine Joannes Mariana libro 3. cap. 24. consulendus. De Isidoro Pacensi Aubertus Miræus in Bibliotheca Ecclesiastica ad caput 8. Anonymi cujusdam de duodecim Scriptoribus Ecclesiasticis, pagina 105. à quo hæc accepimus. Alii tamen ab Hispanis, hos omnes Isidori Continuatores arguunt suppositionis.

De VVillibaldo. 760.

SUPPLEMENTUM.

VVILLIBALDUS Anglo-Saxonum claro & illustri genere ortus, habuit patrem Richardum, fratres & sorores sanctimonia clarissimos, quos cultu celebri Ecclesia veneratur. Anno circiter 728. in Italiam veniens, adiit Monasterium Cassinense nuper à Petronace restitutum, ubi per annos decem conversatus est. Anno 739. jussu Gregorii Papæ III. in Germaniam accedens, anno insequenti Presbyter ordinatus est undecimo Kalendas Augusti, postero anno Episcopus factus Ecclesiæ Eistetensis, qui Synodo Germanicæ adsuit anno 742. Floruit circa annum 760. scribens *Vitam sancti Bonifacii* Moguntinensis Archiepiscopi, quam Lullo ipsius successori & Megingozo Vvirtziburgensi Episcopis nuncupavit. Idem anno 777. corpus fratris sui sancti Vvulnebaldi transtulit in locum decentiorem, post aliquot annos corpus sanctæ Vvalpurgis sepulturæ mandavit, ac demum ipse vitam explevit non ante annum 786. Vitam hanc S. Bonifacii Moguntini Antistitis & Martyris ediderunt plures, atque horum primus Henricus Canisius tom. 4. Antiquarum Lectionum, Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo 2. pag. 1. editionis Parisiensis in fol. anno 1672. apud Carolum Savreux ad turrim Metropolis Ecclesiæ. Agunt de sancto Vvillibaldo Eistetensi Episcopo diffusè Henricus Canisius loco & tomo citatis Antiquarum Lectionum, Jacobus Gretserus in Opere suo speciali *De Eistetensibus Episcopis & hujus Ecclesiæ Tutelaribus*, Joannes Mabillon sæculo 3. SS. tomo citato pag. 365. & seqq. Aubertus Miræus in suo *Auctario de Scriptoribus Ecclesiastitis* cap. 216. pag. 222. suæ *Bibliothecæ Ecclesiasticæ*, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*.

De Chrodegando. 760.

SUPPLEMENTUM.

CHRODEGANDUS, in Aula Majoris Caroli cognomento *Tuditis* educatus, juxta Paulum Diaconum in libro *de Mediomatricensibus Episcopis*, ex Clerico tandem factus est Episcopus anno salutis 743. Gorziensis Monasterii fundamenta Chrodegandus, in pago Scarponnensi posuisse fertur anno sexto Childerici Regis, idest, Christi 748. Ecclesia in honorem S. Petri & sancti Stephani primùm dedicata, quæ postea sancti Gorgonii dicta est. Instrumentum hujus fundationis à Philippo Labbeo injectum in Collectionem Conciliorum ultimæ editionis Parisiensis, anno 1671. procuratam. Voluit etiam Chrodegandus ut Cathedrales Canonici canonicè viverent, unde eis conscripsit *Regulam*, quam interpolatam ex variis capitibus edidit primus in *Spicilegio* Domnus Lucas Dacherius, sed puram atque ab omni intruso purgatam idem Labbeus obtulit tomo 7. p. 1444. Conciliorum ultimæ suæ editionis. Mortuus est anno 768. die 6. Martii. Plura de illo Paulus Diaconus in libro *De Metensibus Episcopis*, Philippus Labbeus *in Conciliis* nuperæ editionis Parisiensis, Joannes Bollandus, vel ejus Continuatores, ad diem 6. Martii, Sammarthani tomo 3. *Galliæ Christianæ*, in Episcopis Metensibus, Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, tom. 2. pag. 204. ubi de sancto Gorgonio Patrono Gorgiensis Monasterii, post Sigebertum in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 78. qui hujus Regulæ mentionem facit.

De Godescalco. 770.

SUPPLEMENTUM.

GODESCALCUS Diaconus & Canonicus Leodiensis, mandante Agilfrido Episcopo Leodiensi sub annum Christi 770. primus scripsit *Vitam sancti Lamberti Episcopi Leodiensis & Martyris*. Post Godescalcum *Stephanus* Leodiensis Episcopus sub annum 903. Post hunc *Nicolaus* Canonicus Leodiensis sub annum 1126. & *Raynerus* ad sanctum Laurentium Monachus sub annum 1130. idem præstiterunt: quorum omnium Scripta ex ordine evulgavit Chapeaville, anno 1612. tom. 1. ex tribus quos in 4. edidit, rerum Leodiensium. De illo Joannes Chapeavillius loco citato, ut Aubertus Miræus *in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 220. pag. 223. Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo 1. pag. 66. ubi eamdem Vitam sancti Lamberti refert.

De Floro Martyrologo. 770.

SUPPLEMENTUM.

FLORUS Martyrologus Usuardo antiquior, quem ad annum 770. refert Labbeus in brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum, nullus est: sed ad annum 855. referendus, cùm sit unus atque idem cum Floro Lugdunensis Ecclesiæ Diacono.

De Hadriano Papa I. 772.

HADRIANUS PAPA primus sedere cœpit in Apostolica sede anno Dom. 772. Constantino Copronymo hæretico imperante, & sedit annis viginti quatuor, minus uno mense cum dimidio, usque ad annum Dom. 795. Vir fuit sanctus & eruditus, & præter epistolas multas, quæ extant partim in septima Synodo Act. 2. partim inter epistolas Pontificias; scripsit insignem *librum pro defensione septimæ Synodi, & responsionem ad librum missum à Carolo Rege Francorum ex Concilio Francofordiensi*: qui liber Hadriani Papæ extat post septimam Synodum, in nova editione Romana Conciliorum Generalium, Græcè & Latinè impressorum anno 1612. Sciendum est autem, librum, cui respondet Hadrianus, non fuisse compositum à Carolo Rege (ut hæretici Iconoclastæ falsò affirmant) sed esse librum continentem objectiones adversus septimam Synodum, quam Patres Concilii Francofordiensis arbitrati sunt celebratam fuisse sine consensu Rom. Pontificis, & erroribus multis scatere, atque ideò non recipiendam, sed rejiciendam videri.

DISSERTATIO HISTORICA.

HADRIANUS I. Romæ per annos 23. menses 10. & dies 17. præfuit, ab anno Christi 772. ad annum 795. quo obiit die 26. Novembris, sepultus in Vaticana Sancti Petri Basilica, adjuncto Epitaphio longiori à Carolo Magno Francorum Rege conscripto. De eo Anastasius in vitis Romanorum Pontificum, Eginarthus in vita Caroli, Annales Francorum, Sigebertus cap. 79. ubi tria præsertim de eo refert. I. libros Epistolarum Sancti Gregorii Papæ abbreviasse, & utiliora quæque decerpentem, tredecim libros ad duos redegisse. II. Scripsisse ad Impp. Leonem juniorem & Constantinum filium ejus, pro venerandis Imaginibus Dei & Sanctorum

A ejus. III. Scripsisse ad Carolum Imp. librum Apostolicæ auctoritatis, arguentem errorem eorum, qui infirmare volebant quædam capitula, quæ secunda Nicæna Synodus promulgaverat auctoritate 350. Episcoporum, qui hæresim execrantium Imagines Dei Sanctorumque anathematizaverunt. Ex recentioribus verò præter Baronium, multa suggeret Sirmondus noster Tomo II. Conciliorum Galliæ, quæ exscripsit Aubertus Miræus.

Epistolæ Hadriani Papæ ad Carolum Magnum, aliosque quamplurimæ extant in Annalibus Baronii, in Conciliis Binii & Sirmondi, in codice Carolino à Jacobo Gretsero Societatis Jesu edito, aliisque in locis.

B *Capitula*, quæ ex Græcis & Latinis Canonibus & Synodis Romanis atque decretis Præsulum ac Principum Romanorum sparsim collecta sunt, & Ingilramno Mediomatricæ urbis Episcopo Romæ à B. Hadriano Papa tradita 13. Kal. Octob. Ind. 9. hoc est anno Christi 785. Antonii Augustini notis illustrata habentur in Tomis Conciliorum Binii, & seorsim edita. Sirmondus eadem exhibuit Tomo II. Conciliorum Galliæ in Canones 80. distributa.

Codex Canonum, sive, integra Collectio, tum Canonum, tum etiam decretorum Romanorum Pontificum à Siricio ad Gregorium juniorem Carolo Magno Regi, cùm Romæ esset anno, ut par est credere, 787. oblata ab Hadriano Papa, qui etiam Epistolam præfixit, quæ primis singulorum versuum literis hunc titulum reddit: *Domino excell. filio Carolo Regi Hadrianus Papa*, ut ex codice mſ. S. Germani anno 805. Caroli 37. exarato observavit loco citato Sirmondus.

C

Defensio septimæ Synodi, & Responsio ad librum à Carolo Magno missum post Concilium Francofordiense. Extat in Tomis Conciliorum Binii, in Collectione Regia, & alibi.

Responsio ad Basilium Achridenum Thessalonicensem Archiepiscopum. Extat tum lib. 5. Juris Græco-Romani anno 1596. Francofurti ad Mœnum editi, tum in Collectione Canonica opusculorum Joanni Zonaræ Commentariis subjunctorum G. & L. Parisiis anno 1618.

D

De Paulo Diacono. 774.

PAULUS DIACONUS Aquilejensis, à secretis erat Desiderii Regis Longobardorum, quando per Carolum Regem Francorum Desiderius captus, & regnum ipsius eversum fuit anno Domini 774. qui deinde Monachus Cassinensis factus, piè & religiosè vitam duxit, ut scribit Leo Hostiensis in Chronico Cassinensi lib. 2. cap. 17. Scripsit *libros sex de gestis Longobardorum*. Scripsisse etiam dicitur *libros historiæ Romanæ*, quos videmus adjunctos historiæ Eutropii post imperium Joviani, ubi desiit Eutropius. Sed viri docti negant eos libros esse Pauli Diaconi. Scripsit præterea *in Regulam S. Benedicti*, ut Leo Hostiensis testatur loco notato, & ea dicitur haberi manuscripta in monasterio Cassinensi. Scripsit *hymnos sacros*, quorum unus qui incipit; *Ut queant laxis resonare fibris*, ab Ecclesia frequentatur in natali S. Joan. Baptistæ. Denique scripsit *homilias*, & alia, quæ non extant, nisi manuscripta in Bibliothecis.

E

DISSERTATIO HISTORICA.

PAULUS, Warnefridi & Theodolindæ filius, cognomento Winfridus, patria Longobardus, Ecclesiæ Aquilejensis Diaconus, ac Desiderio, postremo

ſtremo Longobardorum Regi à Secretis, cum Principe ſuo aliiſque nobilibus Ticino expugnato anno Chriſti 774. in poteſtate Caroli Magni Francorum Regis venit, ab eoque magno in honore habitus eſt, donec ob ſuſpicionem quamdam alligatus in Diomedeam Adriatici maris inſulam ductus eſt in exilium, unde ad Arichiſum Beneventi Ducem Deſiderii Regis generum profugit, factuſque in vicino Caſſinate Cœnobio Monachus uſque ad initium ſæculi noni perveniſſe creditur. Quo anno obierit, mihi non liquet. De eo Walafridus Strabo cap. 28. de Divinis officiis, Sigebertus cap. 80. de Viris Illuſtribus, qui ei tribuit ipſo etiam aſſentiente Miræo Vitam S. Gregorii I. Papæ aliam, ut arbitror, ab ea que à Joanne Diacono aliquot poſt obitum Pauli annis conſcripta eſt, & cap. 81. adjungit Carolum Imperatorem per manum hujus Pauli Diaconi ſui decerpſiſſe quæque optima de ſcripturis Catholicorum Patrum, & Lectiones unicuique feſtivitati convenientes per circulum anni in Eccleſia legendas compilari feciſſe in duobus voluminibus : Leo Oſtienſis libro 2. Chronici Caſſinenſis cap. 17. Petrus Diaconus (*a*) de Sanctis Montis Caſſini, Trithemius, Volaterranus, Giraldus, Baronius, Poſſevinus, Voſſius, & ex eo Miræus, aliique cum M. Antonio Scipione, quem citat Maraccius, in Elogio Virorum Illuſtrium Montis Caſſini.

Hiſtoria VVinilorum, qui poſtea dicti ſunt Longobardi, libri ſex ſæpius editi, cùm ſeorſim, tum anno 1515. Aug. Vindelicorum cum Jornande de rebus Gothorum; Baſileæ 1532. cum Svetonio, & deinceps.

Excerpta quædam de primis Metenſium Epiſcopis flagitante Angilramno Epiſcopo, edita ſunt à Marquando Frehero in Corpore Hiſtoriæ Franciæ anno 1611. & ab Andrea Ducheſnio Tomo II. Hiſtoricorum coætaneorum pag. 201. & ſeqq.

Vita S. Arnulphi ex Majore Regis Francorum Metenſis Epiſcopi, inter opera Ven. Bedæ, & apud Surium ad diem 24. Auguſti edita : ſi tamen, quod quidam revocant in dubium, aliam ſcripſit ſeparatam ab elogio, quod extat in Serie Epiſcoporum Metenſium, de qua mox verba faciemus.

Vita S. Cypriani Martyris & Epiſcopi Carthaginenſis, cum ejus operibus à Jacobo Pamelio excuſa, aliiſque editoribus.

Vita SS. Benedicti & Mauri, ac S. Scholaſticæ Virginis, Romæ cum poematibus Proſperi Martinengi anno 1590.

Verſus de eadem S. Scholaſtica Virgine, edidit ad diem 10. Februarii Arnoldus Wion in Ligno Vitæ.

Scripſiſſe dicitur & Hymnum in honorem S. Joannis Baptiſtæ, in Eccleſia decantari ſolitum, qui incipit : *Ut queant laxis*, &c. Immò & unicuique Feſto totius anni juſſu Caroli Magni Imperatoris convenientem Lectionem, quæ in Eccleſia legeretur, attribuiſſe perhibetur : vel ut verbis Trithemii utar ordinavit Hiſtorias & Lectiones per totum annum ſingulis feſtivitatibus Sanctorum congruentes.

Hiſtoriæ Miſcellæ à pleriſque creditus eſt auctor. Trithemius ait rogatu Aldeburgæ filiæ Deſiderii Regis addidiſſe ad Chronicum Eutropii libros duos, ſed falſo (*b*) quiſquis enim fuit illius confuſanei operis conſarcinator ſive Joannes Diaconus, ſive Landulphus Sagax, ſeu quis alius, illud ex Eutropio & Oroſio, tum maximè ex Hiſtoria Eccleſiaſtica ab Anaſtaſio S. R. E. Bibliothecario, è Græcis Chronicis translata, qui vix tempore Pauli Diaconi natus erat, collegit concinnavitque nonnullis ſubinde aſſutis, pluribuſque circumciſis. Quod facilè deprehendet, quiſquis Miſcellam ſæpius typis excuſam, ſed præcipuè anno 1569. Baſileæ apud Petrum Pernam ex recognitione & emendatione Petri Pithœi, conferre voluerit, cum Anaſtaſii illius Hiſtoria ex Nicephori Patr. Conſt. Georgii Syncelli & Theophanis Abbatis Græcis monumentis Latinè reddita, & cura V. C. Caroli Annibalis Fabroti JC. anno 1649. typis Regiis vulgata.

(*a*) Monachus ac Bibliothecarius Sacri Caſſinenſis Archiſterii in opuſculo de Viris Illuſtribus Caſſinenſibus nuper ex Bibliotheca Barbarina excuſo opera Joan: Bapt. Mari Romani Sancti Angeli in Foro Piſcium Canonici cap. 8. nonnulla ejus opuſcula recitat, Hymnos nimirum & verſus, Homilias 50. S. Gregorii vitam, expoſitionem Regulæ S. Benedicti, Hiſtoriam Longobardicam, & in Hiſtoria Eutropii quamplurima adjuncta. Univerſas etiam lectiunculas à principio Mundi uſque ad ſuam ætatem unà cum annali computo Rhythmicè compoſitas. Addit ſub Theodemario Abbate ad Caſſinum perveniſſe, ſepultumque in eodem cœnobio juxta Eccl. S. Bened. ante capitulum. Grandem verò natu oportuiſſet fuiſſe, cùm defunctus eſt, ſi verè ſcripſiſſet Leo Oſtienſis cap. 17. libri 1. Chronici Caſſinenſis eo tempore, quo primùm in Italiam Longobardi ingreſſi ſunt, cùm eis etiam Paulum veniſſe, & à puero diſciplinis litteralibus eruditum, &c. Certè pluſquam ducentis vixiſſet annis, cùm hi anno 568. venerint, ille anno 774. adhuc eſſet ſuperſtes. Verùm hoc de abano ſcripſit.

(*b*) Non equidem negaverim appendicem ſcripſiſſe ad Eutropii hiſtoriam, cùm ea extet 8. libris (non tantùm duobus) comprehenſa ab XI. ad XVIII. ſive à Valentiniano I. ad annum æræ Chriſtianæ 730. ſed illud dumtaxat à veritate alienum cenſeo, Hiſtoriam quæ Miſcella paſſim dicitur, tota quanta eſt, ab hoc Paulo Diacono aut à Landulfo Sagaci fuiſſe conſcriptam, falsòque in editione Pithœana anni 1569. apud Petrum Pernam Baſileæ titulum hunc Miſcellæ in 24. libros diſtributæ præfigi Eutropii Hiſtoria, cui Paulus Aquilejenſis Diaconus addidit rogatu Aldebergæ Beneventanæ Ducis : deinde idem Paulus ex diverſis auctoribus colligens à Valentiniani Imperio uſque ad tempora Juſtiniani perduxit : quem Landulfus Sagax ſequutus plura & ipſe ex diverſis auctoribus colligens in eadem Hiſtoria addit, & perduxit uſque ad Imperium Leonis, id eſt annum Dominicæ Incarnationis DCCCVI. Indictione VII. Hunc enim titulum mendacii redarguere potuit vel ipſa à Pithœo illi primùm editioni addita præfatio Anaſtaſii Bibliothecarii ad Joannem Levitam ſeu Diaconum, quem longè aptiùs, ut mihi quidem ſemper viſum eſt, dixerim Auctorem collectionis illius Hiſtoricæ, quæ Miſcellæ nomen præfert, & ſæpe ſæpius excuſa eſt. In editione Hannoviana opera Jani Gruteri cum aliis Auguſtæ Hiſtoriæ Scriptoribus in folio procurata titulus graviſſimo infectus eſt mendo, annus enim ſeptingenteſimus ſextus pro octingenteſimo ſexto ex Græcanica ſcilicet ſupputatione numerato expreſſus reperitur, neque hoc in notis ſuis obſervavit Gruterus in litterarias dumtaxat Grammaticorum more minutias intentus. In eadem editione initio libri XVI. adſcribitur continuatio Landulfi Sagacis, cùm idem ſit tenor ſequentium ac præcedentium librorum, idemque contextus orationis hinc inde varia ſoloce craſſoque filo conſarcinantis. In Appendice verò, quæ dicitur Pauli Diaconi, principium Juſtiniani Magni Imperatoris, à quo dicitur inchoaſſe Landulfus, occurrit ſub medium libri XVII. ut videas omnia iſta, non ab uno Paulo Diacono, ſed à pluribus fuiſſe digeſta : qua de re aliàs.

Joannes Bapt. Marus in Notis observat præter ea, quæ præmisimus, I. reperiri Epistolam unam Pauli Diaconi ad Carolum Magnum Imp. mſ. in Bibliotheca Cassinensi, & aliam nomine Theodemari & Caſ. Congr. scriptam. II. Scripsisse de gestis Episcoporum Papiensium librum unum, quem se vidisse testatur Galesinus. III. versus ad Arichem Principem Beneventanum generum Desiderii Regis cusos esse in Historia Principum Longobardorum Camilli Peregrini pag. 235. IV. Hymnum de passione S. Mercurii apud Petrum Pipernum Beneventanum lib. 5. cap. 20. de effectibus Magicis ac etiam alterum in translatione corporis ejusdem Beneventum. V. Hymnum Alcaicum Dactylicum in festo Assumptæ Virginis Mariæ decantari solitum in Ecclesia Beneventana. VI. Vitam S. Gregorii Papæ I. tribus libris ab eo conscriptam servari cod. 145. Bibb. Cassinensis cum quibusdam homiliis, quarum una de servo debitore extat inter opuscula SS. Patrum Lugduni anno 1615. edita per Thomam Galletum. VII. ex Henrico Ernstio in Medicea Bibliotheca haberi nonnullas ejusdem Pauli Homilias. VIII. Commentaria in Regulam S. Benedicti quæ Hugo Menardus Ruthardo Monacho Rabani ac Strabi auditori tribuenda censebat. IX. ab eodem Camillo excusam Syllogem quamdam Chronologicam cum Historiola sub titulo ignoti Cassinensis. Reliqua inedita vel imperfecta refert, quæ tu apud eum per otium legas cum epitaphio ab Hilderico Abbate Cassinensi ejus discipulo conscripto.

SUPPLEMENTUM.

„ PAULUS WARNEFRIDI & Theodolindæ filius, natione Italus, Monachus Cœnobii Cassinensis propter scientiam litterarum à Carolo Magno Imperatore adscitus, scripsit *Vitam Sancti Gregorii Magni Papæ*, scripsit *miracula Sancti Arnulphi*, qui primò major-domus Regis francorum, postea Metensium Episcopus, Ereminicam vitam expetiit. Historiam quoque Vinnulorum, qui postea nominati sunt Longobardi, luculento & plano sermone scripsit. Hæc Sigebertus libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 80. de quo plura Labbeus & Bellarminus sæpiùs allegati, Miræus in *Scholio* ad dictum caput Sigeberti pag. 148. *Bibliothecæ suæ Ecclesiasticæ*, Possevinus in *Apparatu Sacro*. Addimus autem adsignatis à Philippo Labbeo Pauli Warnefridi operibus *Vitam Sancti Gregorii Summi Pontificis* cognomento Magni, quam habemus nuperrimè impressam in præliminaribus ad Opera Sancti Gregorii Magni, edita 3. voluminibus in fol. Parisiis anno 1675. apud magnam Bibliopolarum Societatem. Adjicimus etiam dictum Paulum ad mandatum Caroli Magni correxisse & disposuisse *Homiliarium Ecclesiasticum pro Dominicis & festis totius anni ex libris, & sermonibus, seu Homiliis Sanctorum Patrum* 2. tomis distinctum, à Carolo Magno Rege approbatum, cui tamen insertæ sunt Homiliæ nonnullæ à posteris, ut Henrici Monachi Antisiodorensis, quem mortuo Paulo floruisse constat, tempore Caroli Calvi Impressum istud Homiliarium in folio, cum prævia Caroli Magni epistola Spiræ apud Petrum Drach Juniorem anno 1482. ut habet Joannes Mabillon tomo I. Analectorum pag. 29. compositum hoc opus circa annum 790. quod in mſ. exemplari vidimus in Bibliotheca Igniacensi Archiepiscopatus Remensis, Ordinis Cistercienſis. Plura de Paulo Warnefrido Leo Hostiensis libro 2. Chronici Cassinensis cap. 17. Joannes Mabillon loco citato, post Sigebertum, qui cap. 81. dum de Carolo magno loquitur procuratore Lectionarii Ecclesiastici, de quo supra, Paulum illius auctorem ac dispositorem facit.

De Paulino Aquilejensi. 780.

PAULINUS AQUILEJENSIS Episcopus, vir doctus & pius, tempore Caroli Magni scripsit *contra Felicem & Elipandum librum de sancta Trinitate*, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 4. edit. 2. obiit anno Dom. 802. clarus miraculis.

DISSERTATIO HISTORICA.

PAULINUS, quem Austriacum natione quidam non verentur asserere, unde illud habeant, ex Grammaticæ artis magistro, ut ex diplomate Caroli Magni apud Baronium in Annalibus constat, Aquilejensis, sive Forojuliensis Ecclesiæ Patriarcha ab anno 774. aut 776. ut alii, creatus interfuit Conciliis pluribus Elipanto Toletano & Felici Orgelitano Hæreticam doctrinam profitentibus strenuè obstitit, atque apud Carolum Magnum gratiosus, obiit die 2. Januarii anni 802. aut potius sequentis (*a*) Sanctitate & miraculis in vita ac post mortem clarus. Sepultus est in majori urbis Forojuliensis Basilica. De eo Alcuinus in Epistola 81. & aliis poematibus 213. & 214. Anonymus quidam Chronographus Continuator Historiæ Longobardicæ Pauli Diaconi à Frehero & Duchesnio editus ad annum 794. Nam & Paulinus vir miræ scientiæ Patriarcha adversus hanc (Elipanti & Felicis) nefandissimam hæresim tres libros luculento sermone composuit, Walafridus Strabo, Annales Fuldenses, Hermannus Contractus, aliique, atque ex recentioribus Philippus Ferrarius, Ferdinandus Ughellus, Bollandus, & Henschenius, aliique.

Libellus de Sanctissima Trinitate adversus Elipantum Toletanum & Felicem Orgelitanum Antistites, dictus *Sacrosyllabus* extat sæpè jam editus (*b*) in Bibliothecis Veterum Patrum, in Collectionibus Conciliorum, atque apud Duchesnium post Alcuini opera Parisiis an. 1617. edita.

Idem Andreas Duchesnius primus in lucem protulit ex codice mſ. Puteanæ Bibliothecæ CC. Fratrum Petri & Jacobi ejusdem Paulini *Libros tres contra Felicem Orgelitanum Episcopum* cum epistola ad Carolum Magnum Strenuissimum orthodoxę Fidei cultorem, regiique culminis altitudine sublimatum, &c. nec non Professione seu Regula Fidei metro scripta.

Qui verò sub ejusdem Paulini nomine libri numero septem adversus eumdem Felicem vulgati fuerant in Bibliothecis Veterum Patrum, multisque Theologis fraudi fuerant, docuit idem Duchesnius Alcuini verum & germanum esse fœtum, cùm ex aliis, tum ex libro 1. ejusdem Alcuini adversus Elipantum.

(*a*) Ut modò numerare solemus more Romano. O Pauline pater pastor, &c. in morem Epitaphii scripsit Alcuinus. Ex Walafridi cap. 25. de rebus Ecclesiasticis discimus composuisse hymnos.

(*b*) Primò in 16. Enchiridii forma apparuit anno 1569. studio Eli. Phil. hoc est Joannis Tilii ex Briocensi Meldensis Episcopi post opus Carolo Magno Francorum Regi adscriptum de Imaginum cultu. Eli. Phil. ne cum multis anxius hæreas. Eliam Philyram designant Hebræo Græcoque vocabulis.

SUPPLEMENTUM.

PAULINUS Aquilejensis Episcopus, sub annum Christi 794. scripsit contra *Elipandum Toletanum Episcopum* libellum, qui extat tom 2. Conciliorum Galliæ ex editione anni 1629. Parisiis apud Sebastianum Cramoisy, curis Jacobi Sirmondi Soc. Jesu Pres-

Presbyteri. Item libri tres contra *Felicem Orgelitanum Episcopum* Lutetiæ anno 1617. editos cum operibus Alcuini ab Andrea Duchesnio apud Sebastianum eumdem. De Paulino Bellarminus & Labbeus sufficienter in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quibus addo ex fide mss. Codicum quos vidi, eumdem Paulinum Forojuliensem Episcopum esse auctorem libri seu opusculi *De Salutaribus Documentis*, qui extat inter opera Divi Augustini in appendice ad tomum IV. sub finem, ac modò in ultima editione operum Divi Augustini, restitui à doctissimis ejus procuratoribus, legitimo Parenti. Plura de ipso Bollandus ad diem undecimam Januarii. Obiit an. 804. in majore Forojuliensis urbis Basilica sepultus, cujus dies natalis 3. Nonas Januarii ab Aquilejensi Ecclesia quotannis celebratur: ut ex monumentis ejusdem Ecclesiæ narrat Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ. Ita Miræus *in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 225. pag. 223. quem secutus sum.

De Albino Alcuino, 780.

ALBINUS ALCUINUS, Anglus, Bedæ discipulus, in Gallias à Carolo Rege Francorum evocatus multa scripsit, è quibus extant: *Liber de divinis officiis*. *Epistola ad Carolum Regem*. *Et altera ad Oduinum Presbyterum*.

Hæc, inquam, extant in codice impresso Coloniæ anno 1568. cum aliis septem auctoribus de eodem argumento.

Extant præterea in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 3. edit. 2. *Quæstionum in Genesim*, *lib.* 1. *In Ecclesiastem*. 1. *De virtutibus & vitiis*. 2. *Quæstionum de Trinitate*, 1. *De Trinitate libri* 3. *De ratione animæ Epistola ad Eulalium*. *De divinis officiis*.

Extant etiam *epistolæ* ejusdem Albini num. 67. apud Henricum Canisium tom. 1. antiquæ lectionis. Edita sunt denique opera omnia Alcuini Parisiis, in quibus sunt etiam *libri septem contra Felicem*, *lib.* 4. *contra Elipandum*, *poemata varia*, & *vita ipsius Alcuini* à contemporaneo scripta.

Dissertatio Historica.

ALCHVVINUS, sive, Flaccus, Albinus Alcuinus, natione Britannus, Eboracæ civitatis Diaconus, officio Scholasticus, Magister Caroli Magni Francorum Regis, eique familiaris ac percarus, obiit ex paralysi Turonibus die Pentecostes 19. Maji anno 804. ut præter Annales à Duchesnio editos testantur Masciacensis in Biturigibus Cœnobii breves Annales excusi nuper Tomo II. novæ Bibliothecæ mss. librorum, pag. 736. & in Cormœriaceno Cœnobio sepultus. Ven. Beda qui anno 735. finem vivendi fecit, atque Egberti Archiepiscopi Eboracensis discipulus fuisse dicitur, evocatus in Galliam à Carolo Magno circa annum 790. multisque Monasteriis præter Turonense S. Martini ab eodem ditatus Ferrariensi scilicet, S. Lupi Trecensis, & S. Judoci in Pontivo. De eo Concilii Francofordiensis anno 794. celebrati Canon 56. & ultimus (*a*). Honorius Augustodunensis cap. 2. libelli IV. de Luminaribus Ecclesiæ, Sigebertus cap. 84. libri de Viris Illustribus, Will. Malmesburiensis libro 1. Histor. Rogerius Hovedenus ad annum 792. Matthæus Westmonasteriensis, Trithemius, Thomas Demsterus, aliique recentiores, sed præcipuè Andreas Duchesnius in Vita, quam per annos digessit, præmisitque editioni operum ejusdem Alcuini, quæ anno 1617. Parisiis prodiit in folio, cùm nonnulla passim in Tomis Antiquæ lectionis publicasset Ingolstadii Henricus Canisius, & alii alibi. Porrò in Parisiensi illo volumine hæc habentur.

A

In Prima Parte.

Præfatio ad Alchvvinum. *Vita B. Alchvvini Abbatis ex vetusto codice Sanctæ Mariæ Rhemensis*. *Epitaphia Alchvvini Testimonia Veterum ac Recentiorum de Alchvvino*, *& ejus scriptis*. *Interrogationes & Responsiones in librum Geneseos*, sive *Quæstiones in Genesim*. *Dicta super illud Geneseos*: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Enchiridion*, seu, *Expositio pia ac brevis in septem Psalmos Pœnitentiales*. *Expositio in Psalmum* CXVIII. *Expositio in Psalmos Graduales*. *De Psalmorum usu liber*, *cum variis precandi formulis ad res quotidianas accommodatis*. *Officia per Ferias*, seu Psalmi secundùm dies Hebdomadæ singulos, quibus in Ecclesia cantantur, dispositi cum Orationibus, Hymnis, Confessionibus, & Litaniis. *Epistola de illo Cantici Canticorum loco*: sexaginta sunt Reginæ, &c. *Commentaria super Ecclesiastem*. *Commentariorum in Sancti Joannis Evangelium libri septem*. *Epigrammata de recognitione ac emendatione totius Divinæ Scripturæ ab Alcuino facta*.

B

In Secunda Parte habentur.

De Fide Sanctæ & Individuæ Trinitatis libri tres ad Imperatorem Carolum Magnum, *cum invocatione ad S. Trinitatem*, *& Symbolo fidei*.

C

De Trinitate ad Fridegisum Quæstiones XXVIII. aliàs sub nomine Confessionis, sive Doctrinæ de Deo. (*b*)

Quid sit inter æternum & Sempiternum, *& immortale*, *& perpetuum*, *& sæculum*, *& ævum*, *& tempus Epistola*. *De Animæ ratione liber*, *ad Eulaliam Virginem*. *Contra Felicem Orgelitanum Episcopum libri VII.* sub nomine Paulini Aquilejensis Episcopi vulgati in Bibliotheca Veterum Patrum. *Epistola Albini ad Elipantum Toletanum Episcopum cohortatoria in Catholica Fide*. *Epistola Elipanti ad Albinum responsiones continens prioris Epistolæ*. *Libelli duo Alcuini contra Epistolam sibi ab Elipanto directam*, *quibus evacuat pravas illius assertiones*. *De Incarnatione Christi*, *& de duabus in eo naturis*, *ac de unitate unius personæ libri duo*. *Epistola Elipanti ad Felicem nuper conversum*. *Confessio Fidei Felicis Orgelitanæ Sedis Episcopi*. *Epistola ad Filiam in Christo charissimam*.

D

De Divinis Officiis liber: ad veteris codicis ms. fidem recognitus, ac XII. Capitulis integris auctus. Verùm hic liber de Romani Ordinis expositione nonnumquam inscriptus, falsò hactenus Alcuino, non secùs ac quidam fortè alii, tribuitur, cùm junioris scriptoris, aut certè interpolatoris plurima præseferat indicia. (*c*)

De ratione Septuagesimæ, *Sexagesimæ*, *& Quinquagesimæ Epistola*. *De Baptismi cæremoniis ad Oduinum Presbyterum Epistola*. *De iisdem cæremoniis alia Epistola*. *De Confessione peccatorum ad pueros Sancti Martini Epistola*. *Sacramentorum liber*.

E

Homiliæ tres. *I. de silentio*, *in quo missum est incarnatum Verbum*. *II. In Nativitate B. Mariæ Virginis*. *III. In festo Omnium Sanctorum*.

Vita Antichristi ad Carolum Magnum. *De Virtutibus & vitiis ad Widonem Comitem*, liber antehac in duos divisus. *De septem Artibus*, liber incompletus. *Grammatica*. *De Rhetorica & de Virtutibus Dialogus*. *Dialectica*, interlocutoribus Carolo Magno & Alcuino. *Disputatio Regalis & nobilissimi juvenis Pippini cum Albino Scholastico*.

In

In Tertia Parte continentur.

Scriptum de Vita Sancti Martini Episcopi Turonensis. De Transitu S. Martini sermo. Vita S. Vedasti Episcopi Atrebatensis. Vita Beatissimi Richarii Presbyteri. De Vita S. Willibrordi Trajectensis Episcopi libri duo: Prior Prosaico sermone gradiens; Alter Pierio pede currens, cum Homilia & Elegiaco carmine. *Epistolæ CXV.* è quibus tantùm LXVII. editæ antehac fuerant ab Henrico Canisio. *Poemata & versus de pluribus Sanctis. De Carolo Magno & Leonis Papæ III. ad eum adventu Carmen. Alii versus ex variis locis collecti.*

Adjecta vice Appendicis.

B. Paulini Aquilejensis Patriarchæ contra Felicem Orgelitanum Episcopum libri tres, cum Regula Fidei metrico styli mucrone promulgata. Ejusdem Paulini libellus Sacrosyllabus adversus Elipantum Toletanum Episcopum.

Adverte autem *Confessionem Fidei*, sive, Deflorationculam ex Augustino aliisque Patribus in quatuor partes ab Alcuino distinctam nuper Divione cum aliis Scriptorum Veterum de Fide Catholica opusculis vulgatam, adjecta in Sanctum Ferrandum redivivum Animadversione à R. P. Petro Francisco Chiffletio Soc. Jesu Presbytero. (*d*)

(*a*) Amalarius capp. 58. & 67. Antiphonarii. Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ Sanctæ: Collegit etiam, inquit, & in ordinem redegit jussu Caroli Magni præstantissimum Ecclesiæ Doctorum Homilias in Evangelia, quæ per anni ambitum publicè in templis leguntur. Summa omnium Homiliarum 209.

(*b*) Lucas Lossius Lutheranus edidit Alcuinum de Trinitate cum Notis, ut gloriatur Gisberus Voetius in Bibliotheca studii sui Pseudo-Theologici. Monet verò Chiffletius noster Præfatione in Ferrandum, Breviarum Fidei contra Arianos inscribi Alcuino Diacono in codice ms. Cartusiæ Portarum.

(*c*) Vide Andream Duchesnium in Præfatione, Blondellum cap. 18. & Aubertinum pag. 918. qui ait sibi videri totum illud opus esse Remigii Antissiodorensis: sed in hoc, ut monebo suo loco, errasse mihi semper visus est. Obiit enim Remigius ille paulò ante aut post annum Christianæ æræ 900. Elpircus autem Monachus cui in ms. codice tribuitur Quæstio de Natalitiis Sanctorum capiti 18. subjuncta, floruit circa annum dumtaxat 1040. ex Trithemio: aut dicendum ab aliquo post Remigii obitum Quæstionem illam libro de Divinis Officiis insertam, non verò ab ipsomet Remigio.

(*d*) Nuperi scriptores qui de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento cùm ista à biennio minimùm excusa retractarem, nudius tertius emiserunt in lucem aliquot Lectiones ex variis Patribus & Tractatoribus Ecclesiasticis, Confessionem illam Alcuino allatis nonnullis rationibus velle abjudicare videntur. Ex ejus tamen Parte quarta nonnulla exscripserunt, & in vernaculam dialectum verterunt. An fuerit Abbas in Anglia & cujus monasterii quæritur, & an 793. anno tantùm evocatus à Carolo Magno in Gallias venerit.

SUPPLEMENTUM.

ALCHVVINUS seu ALBINUS FLACCUS ALCHUINUS Anglus, præceptor Caroli magni, Abbas sancti Martini Turonensis & Cormariceni Cœnobii anno 800. ex Pancarta nigra Cormaricensi, & pluribus Chronicis. Monachus Sangallensis auctor de gestis Caroli Magni, lib. 1. cap. 2. ejus ita meminit: „ Albinus in omni latitudine Scri-

A pturarum supra cæteros modernorum temporum exercitatus, utpote Discipulus doctissimi Bedæ, peritissimi post sanctum Gregorium Tractatoris. Dedit autem illi Abbatiam sancti Martini juxta Turonicam Civitatem, ut quando ipse absens esset, illic requiesceret. Unde in epistola 3. ad Regem sic ait: Vestræ piæ providentiæ consilio translatus sum in servitium sancti Martini, fidei Catholicæ & Ecclesiasticæ donante Deo proficuum. Ejus quoque „ fit mentio in brevi Chronico Turonensi his versibus: Anno 796. Carolus Rex instituit Canonicos in Ecclesia B. Martini authoritate Hadriani Papæ, eisque Alcuinum magistrum suum præfecit, qui paulò post obiit an. 804. postquam immunitates

B suæ Ecclesiæ Rex Carolus confirmasset. Scripsit „ varia, quæ summo studio collegit Andreas Duchesnius, posteà Regius Historiographus, vir immortali nomine dignus, impressa Parisiis in fol. anno 1617. apud Sebastianum Cramoisy. De Alcuino Bellarminus & Labbæus, quibus hæc subnotanda duximus.

Opusculum *De divinis Officiis* non est Alcuini, sed auctoris longè recentioris, quippe cùm agat de Hilperico qui florebat anno 1000. ut constat ex illius opere *De Ecclesiastico Computo*, quod extat ms. in multis Galliæ Bibliothecis. Item Epistola seu liber *De Cæremoniis Baptismi* ad Carolum Magnum, incipiens ab his verbis, *Domine mi Christianissime Imperator misistis ad servulum vestrum &c.* non est Alcuini,

C sed Amalarii Treverensis Archiepiscopi, qui hunc librum scripsit anno 811. quo Alcuinus erat mortuus. Ita Sirmondus in notis ad opera Theodulphi Aurelianensis, & Baluzius, in notis ad Capitularia Regum Francorum tom. 2. pag. 1070. & 1071. Sed illorum loco possunt substitui alii tres fœtus Alcuini legitimi, nempe *Commentarius in Cantica Canticorum brevis* editus cum Commentario Gilberti Foliot Londini in 4. anno 1638. studio Patricii Junii Britannicæ Majestatis Bibliothecarii. Item *Breviarium fidei adversus Arianos*, quod evulgavit Anonymum Sirmondus, & Alcuino adjudicant mss. Codices, ut habet Franciscus Chifflet in præfatione ad opera Ferrandi Diaconi. Item *Confessio fidei quadripartita ex sanctis*

D *Patribus*, quam evulgavit idem Franciscus Chifflet in 4. Divione anno 1656. cum excerptis variis ex decem libris sancti Fulgentii Ruspensis Episcopi contra Fabianum Arianum, cum Rhabani Mauri libro adversus Judæos, & Anonymi Commentariolo De Hæresi & damnatione Berengarii. Pro confessione ista Alcuino asserenda, prolixam nuper Dissertationem conscripsit Joannes Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 178. & sequentibus.

Homiliæ tres 1. *De silientio* in quo missum est Incarnatum verbum, 2. *De Nativitate B. Mariæ Virginis*, 3. *in Festo omnium Sanctorum*, non sunt Alcuini, sed sunt desumpæ ex Homiliario Pauli Diaconi, quod Andreas Duchesnius credidit esse Alcuini; ubi cùm

E certo nomine non adnotentur, has Alcuini esse opinatus est. *Prima* enim abest omninò à stylo hujus Auctoris, *secunda & tertia* sunt posteriores illo; cùm neutrum horum Festorum extaret in Ecclesia tempore illius. Horum loco substituenda insignis Homilia *De Purificatione B. Mariæ Virginis*, hucusque ad calcem operum sancti Ambrosii Mediolanensis impressa illique adscripta; indubius Alcuini fœtus, quem auctori suo legitimo asseruit Stephanus Baluzius tom. 2. Miscellaneorum pag. 382.

Incompletus liber *De septem artibus* non est Alcuini, sed præfatio Cassiodori Senatoris in suum librum De septem artibus, ut rectè annotavit Domnus Joannes Guaretius in præludiis suis ad opera Cassiodori pag. 8. impressionis Rhotomagensis sumptibus Antonii Dezallier anno 1679.

Item

Item Epistolis cxv. Alcuini adjungi deberent aliæ, quæ passim vagantur in ejusdem operibus & aliis in locis. 1. Epistola de illo Canticorum loco, *Sexaginta sunt Reginæ* &c. 2. *Quid sit æternum & sempiternum, & immortale & perpetuum, & sæculum & tempus &c.* 3. Ad filiam in Christo charissimam. 4. De ratione Septuagesimæ, Sexagesimæ & Quinquagesimæ. 5. Responsum Caroli Magni. 6. De Baptismi Cæremoniis ad Oduinum Presbyterum. 7. Ad pueros S. Martini De confessione peccatorum. 8. Caroli Magni ad Alcuinum, quam habet Stephanus Baluzius tomo 1. Capitularium pag. 414. 9. Responsio Alcuini ad eamdem, eodem tomo sub finem, pag. 1442. 10. 11. 12. quas idem habet Baluzius tom. 1. Miscellaneorum pag. 305. & seqq. denique Epistolæ xxvi. quas habet Joannes Mabillon tom. 4. Analectorum pag. 272. & sequentibus, ex Ms. Germanico. Carminibus verò variis Alcuini, addendum quod habetur *De Cuculo* tom. 1. Analectorum ejusdem Joannis Mabillon pag. 369. aliaque duo inserta tom. 4. eorumdem Analectorum pag. 522. Hæc habui addenda impressis Alcuini operibus, de quo plura Joannes jam citatus sæculo 4. Sanctorum Ordinis D. Benedicti part. 1. pag. 145. & seqq.

De Aribone. 780.

SUPPLEMENTUM.

ARIBO quartus Frisingensis Episcopus anno 762. creatus, annis tribus & viginti sanctum istud munus atque onus sustinuit, mortuus anno 784. Scripsit circa annum 780. *Vitam sancti Corbiniani* primi Episcopi Frisingensis, quam post alios refert D. Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis D. Benedicti tomo 1. pag. 500. edito Parisiis in fol. anno 1672. apud Ludovicum Billaine sub signo Magni Cæsaris & sancti Augustini. Distinctus ab eo fuit *Aribo Moguntinus Archiepiscopus*, qui interpretatus est xv. *Psalmos Graduum* (ut vocant) obiitque anno 1031. De Aribone isto Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 298. pagina 235. & in Scholio ad cap. 140. Sigeberti pag. 152. Joannes Mabillon loco citato, cum aliis qui scripserunt de Episcopis Frisingensibus.

De Donato Diacono. 790.

SUPPLEMENTUM.

DONATUS Mediomatricensis Ecclesiæ Diaconus, ad quam olim omnimodè spectabat Monasterium sancti Trudonis in Hasbania scripsit circa annum 790. *Vitam sancti Trudonis Confessoris* celeberrimæ hujus nominis Abbatiæ titularis ac tutelaris, quam habes sæculo 2. SS. Ordinis Divi Benedicti pagina 169. ex ms. Codice viri clarissimi Andreæ Duchesnii. Ætas auctoris petenda est à Pontificatu Angelramni Metensis Episcopi, Caroli Magni Archicapellani, anno 800. demortui, cui Angelramno Vi-

A tam S. Trudonis à se compositam Donatus nuncupavit. De illo Theodoricus Monachus postea Abbas Trudonianus, Vitæ sancti Trudonis interpolator, apud Surium ad diem 23. Novembris & Joannes Mabillon loco citato.

De Georgio Syncello. 790.

SUPPLEMENTUM.

GEORGIUS Monachus; Tharasii Patriarchæ Constantinopolitani Syncellus (quomodo dicebatur qui proximus erat Patriarchæ, eique defuncto successor destinabatur) vixit temporibus Caroli

B Magni, & an. 729. *Chronicon* instruxit: quod *à Mundi exordio usque ad Maximianum & Maximinum tyrannos perduxit*; sed morte præventus ulteriùs perducere non potuit. Illud græcè & latinè Parisiis in fol. an. 1652. cum historia Theophanis evulgatum est, typis Lupareis seu Regiis inter auctores historiæ Byzantinæ, cujus operi notas adjecit doctus Jacobus Goar Ordinis Fratrum Prædicatorum vir clarissimus, qui contulit laborem suum ad corrigendos Historicos græcos. Habetur ms. græcè in Bibliotheca Augustana Cod. 81. Vaticana ex ms. Heidelbergensi 395. & in Scoriacensi Regis Hispaniarum. In hoc volumen Syncellus universum Eusebii Cæsariensis Chronicon verbotenus transtulit, sic tamen ut in Eusebio reprehen-

C dendo penè sit perpetuus. At verò fatemur quidem meritò ipsum sæpè ab Eusebio dissentire: sed habet suos nævos Syncellus, non paucos nec exiguos, ut Scaliger in Animadversionibus Eusebianis docuit. De Georgio Syncello Josephus Scaliger Julii Cæsaris à Burden filius *in Thesauro temporum* quem græcè & latinè habemus editum in fol. Lugduni Batavorum anno 1605. atque iterum anno 1658. Aubertus Miræus *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 222. pag. 225.

De Dacriano Abbate. 790.

SUPPLEMENTUM.

D DACRIANUS Abbas quem Nomenclatores sub hujus sæculi finem assignant, nullus fuit: qui enim nomen istud excogitavit Ludovicus Blosius, vixit sæculo xvi. Errant autem Margarinus Bignæus & alii, dum illi attribuunt *Speculum Monachorum & xii. brevia spiritualis vitæ documenta*, quæ tom. 8. Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Coloniensis leguntur, atque in anterioribus editionibus Parisiensibus annorum 1575. & 1589. de quo Aubertus Miræus *in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 229. Ultima enim editio operum Ludovici Blosii facta Plantinianis iisque pulcherrimis typis & chartis, in fol. anno 1632. Antuerpiæ apud Balthasarem Moretum, adjudicat in prolegomenis *hæc duo opuscula* Ludovico Blosio, *primum* quidem artic. 6. pag. 24. *alterum* art. 7. pag. 31. ex mss. Lætiensium fide & testimonio Abbatis Monachorumque domesticorum.

SÆCULUM NONUM

Ab anno Dom. 800. *ad* 900.

De Arnone Archiep. 800.

SUPPLEMENTUM.

ARNO Salisburgensis in Germania, Archiepiscopus, Carolo Magno & Ludovico Pio Imperatoribus charissimus, ut constat ex variis Capitularibus Regum Francorum, ubi nomen ejus comparet, concinnavit Opusculum seu *Indicem eorum quæ Ecclesiæ Salisburgensi data sunt à Theodone, Othilone, Tassilone, aliisque Bavaricæ Ducibus ac Proceribus*, editum Ingolstadii in 4. anno 1602. tomo 2. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii. Item apud eumdem Canisium tomo 6. ibidem anno 1611. impresso, habetur etiam notitia donationum factarum Ecclesiæ Salisburgensi, cum Chronico Salisburgensi & Catalogo Episcoporum Salisburgensium, Vitisque aliquot Præsulum ejusdem Sedis: quæ juvant ad illustrandum Arnonis Opusculum. Ejusdem porrò Epitaphium in tomo 4. Analectorum Joannis Mabillonii, Parisiis anno 1684. in 8. apud Viduam Edmundi Martini, via Jacobæa, sub Sole Aureo. Claruit ab anno 800. ad 818. de quo Aubertus Miræus *in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 317. pag. 239. Henricus Canisius loco citato.

De Ethelvolfo Monacho. 800.

SUPPLEMENTUM.

ETHELVOLFUS Monachus Anglus Ordinis Divi Benedicti, scripsit circa id tempus metricè *De Abbatibus & Viris piis Monasterii sancti Petri in insula Lindiffarnensi*, quod edidit Joannes Mabillon anno 1680. apud Ludovicum Billaine, sæculo 4. Sanctorum Ordinis D. Benedicti tom. 2. pag. 302. Floruit ab an. 800. ad 820. ut ibidem probat dictus Mabillonius; de quo etiam *in Apparatu sacro* Possevinus, qui perperam eum floruisse ait anno 730. ac cognominatum fuisse Bernicium & Lupum, quod me latet.

De Tilpino Archiep. 810.

SUPPLEMENTUM.

TILPINUS ex Monacho Sancti Dionysii Parisiensis, Archiepiscopus Rhemensis, de quo plura apud Sammarthanos in Gallia Christiana in Archiepiscopis Rhemensibus. Obiit anno 811. cujus Commenta sæculo demum illabente duodecimo prodierunt.

De Leidrado Archiep. 810.

SUPPLEMENTUM.

LEIDRADUS Lugdunensis Archiepiscopus scripsit anno 811. jussu Caroli Magni insignem li-

A brum *De Sacramento & ritibus Baptismi* quem ex variis mss. evulgavit Joannes Mabillon tomo 3. Analectorum pag. 1. & seqq. anno 1683. Item *& duas Epistolas*, quas habes impressas tom. 2. operum Agobardi Lugdunensis Archiepiscopi ex impressione ultima procurata Parisiis, cura & studio Stephani Baluzii, de qua agemus in Agobardo. Cessit oneri atque Honori simul Primatus & Archiepiscopatus Lugdunensis anno 813. de quo Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 240. pag. 228. dum agit de Agobardo qui ei successit in Sede Lugdunensi, Sammarthani tom. 1. Galliæ Christianæ in Archiepiscopis Lugdunensibus.

B

De Odilberto Archiep. 810.

SUPPLEMENTUM.

ODILBERTUS Mediolanensis Archiepiscopus mandante eodem Carolo Magno, scripsit anno 811. *unum librum de Sacramento Baptismi & ejus cæremoniis*. Epistola Caroli magni ob eam rem ad Odilbertum, habetur tom. 1. Analectorum Joannis Mabillon. Responsio autem Odilberti cum opere huic annexo habetur ms. in Bibliotheca Augiensis intra Constantiam Monasterii in Germania, cujus epistolam cum specimine libri refert jamdictus Mabillon tom. 4. eorumdem Analectorum pag. 317. claruit hic
C Archiepiscopus Odilbertus sub Carolo magno & Ludovico pio Imperatoribus, ab anno 808. ad circiter 820. de quo Capitularia Regum Francorum Stephani Baluzii, & Ferdinandus Ughellus in Italia sacra, dum de Mediolanensibus Archiepiscopis agit.

De Carolo Magno. 810.

SUPPLEMENTUM.

CAROLUS MAGNUS Rex Francorum ab anno 768. Longobardorum ab anno 774. & Romanorum Imperator ab anno 800. die 25. Decembris, locum meretur inter Scriptores Ecclesiasticos, utpotè fautor Litterarum ac Litteratorum, restitutor Di-
D sciplinæ Ecclesiasticæ, Damnorum Ecclesiæ in anterioribus sæculis reparator, de quo ita Sigebertus pagina 81. De Scriptoribus Ecclesiasticis: *Carolus Imperator, per manum hujus Pauli Diaconi sui, decerpens quæque optima de Scripturis Catholicorum Patrum, Lectiones unicuique festivitati convenientes, per circulum anni in Ecclesia legendas, compilari fecit in duobus voluminibus.* Egimus jam de hoc Opere dum locuti sumus de Scriptis Pauli Vvarnefridi Aquilejensis Diaconi, quod impressum diximus in fol. Basileæ an. 1482. apud Petrum Drach; & Coloniæ Agrippinæ annis 1517. & 1539. apud Maternum Cholinum; denique Parisiis in fol. annis 1535. & 1569. *Capitularia sive Edicta Caroli Magni & Ludovici Pii*, à se in 4. libros digesta, Ansegisus Abbas Fontanellensis anno 827. publicavit, quæ Petrus Pithœus Parisiis anno 1588. edenda curavit, ibidem postea recusa anno 1603. Sed insigni

insigni prælo in fol. duobus voluminibus, *cum tribus Libris eorumdem Capitularium à Benedicto Levita collectis*, impressa tertiò Parisiis anno 1677. apud Franciscum Muguet Regium Typographum, via Citharæ, sub Adoratione trium Regum, curis & studiis Stephani Baluzii doctissimi Antiquarii. Præter opus à Sigeberto commemoratum, extant libri quatuor *De Imaginibus* ad Adrianum Pontificem Maximum, qui nomine Caroli Magni non immeritò editi sunt Parisiis anno 1555. procurante editionem Joanne Tillio Meldensi Episcopo, quos Rogerus Hoveden in gestis anni 792. attribuit Alcuino Caroli Magni Magistro. *Iidem lib. 4. contra imagines*, cum Notis Melchioris Goldasti Haiminsfeldii, editi Francofurti anno 1608. in 8. & in Opere inscripto, *De Imaginum cultu varia Decreta Imperatorum in utroque Imperio, &c.* Extat & *Codex Carolinus seu Epistolarum Caroli Magni ad Paulum, Stephanum, & Adrianum Romanos Pontifices, & aliorum ad ipsum*, quem edidit Ingolstadii apud Angermariam Jacobus Gretserus Societatis Jesu Presbyter anno 1613. Item *innumera Diplomata* Donationum, Fundationum, & Confirmationum, quæ leguntur in Collectionibus Antiquarum Lectionum Henrici Canisii, in Collectaneo Historicorum Franciæ Andreæ Duchesnii, in Spicilegio Dacherii, Analectis Mabillonii, Miscellaneis & Capitularibus Stephani Baluzii, Rebus Diplomaticis, & aliis locis. Adde Epistolam insignem *De gratia septiformis Spiritus*, quam edidit Joannes Mabillon tomo 4. Analectorum pag. 312. & alias plures Epistolas de diversis Argumentis, quæ leguntur in Collectione nupera Conciliorum, in volumine *Rerum Diplomaticarum* ejusdem Mabillonii, & *Capitularibus* Baluzii, quas sigillatim recensere operosum esset & superfluum simul. Quantum autem ad libros quatuor *contra Adorationem Imaginum, & Decreta Nicenæ Synodi* quæ adorandas censet, impressos in Gallia anno 1555. directosque Adriano Papæ Summo Pontifici, qui eos confutat insigni Opere seu Epistola quæ legitur in Conciliorum Collectionibus: non videntur esse opus unius hominis, sed facti de communi consilio Episcoporum Galliæ, tunc temporis de Imaginum cultu contendentium. Multi damnarunt olim suppositionis hos Libros, ut Bellarminus & alii; sed qui sunt hujusmodi novæ notæ homines, contra Hincmarum contemporaneum, & tot manuscriptos Codices ejusdem sæculi, qui videntur in Galliarum Bibliothecis? Vide doctissimum Sirmondum in tom. 7. *Conciliorum* novissimæ editionis ad annum 794. pag. 1054. Obiit Carolus Imperator cognomento Magnus Aquisgrani anno 814. die 28. Januarii: de quo plurima Andreas du Chesne *in Collectaneo Historicorum Franciæ*, Collectores veterum Historicorum Germaniæ, Joannes Bollandus *in Vitis Sanctorum* ad dictam 28. Januarii diem, Aubertus Miræus *in Bibliotheca Ecclesiastica ad caput* 81. Sigeberti pag. 143.

De Theophane Abbate. 810.

SUPPLEMENTUM.

THEOPHANES primùm Monachus, inde Agri Abbas, Georgio Syncello contemporaneus & familiaris fuit, cujus *Chronicon à temporibus Maximiani & Maximini Imperatorum continuavit usque ad Michaelis & Theophili ævum*, hoc est, ad annum 813. quod cum Chronico ejusdem Georgii de quo supra dictum est, impressum Parisiis in fol. anno 1652. typis Regiis, studio Jacobi Goar Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui observationes ei adjecit. Habetur autem Opus istud græcè ms. in Bibliotheca Regia unde prodiit, & in Vaticana ex manuscripto Codice Heidelbergensi 395. Ex illo suam Historiam Ecclesiasticam concinnavit Anastasius S.R.E. Bibliothecarius, uti ex duobus aliis Georgio Syncello, & Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano, quos ferè ad verbum transcriptos latinè reddidit; & ita sequitur, ut merum Interpretis nomen mereri videatur; atque id constare etiam potest ex fragmentis, quæ Dionysius Petavius in suis ad Nicephorum Notis inseruit. De Theophane alio loquitur Photius in sua *Bibliotheca* Cod. 64. de nostro Georgius Cedrenus & Michael Glycas in suis *Historiis* narrant: atque ex recentioribus Aubertus Miræus *in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 223. pag. 223. Philippus Labbeus in Protreptico ad Historiam Byzantinam.

De S. Nicephoro. 811.

SANCTUS NICEPHORUS Episcopus Constantinopolitanus vixit tempore Leonis III. Pontificis, ad quem anno Dom. 811. misit *epistolam* valde prolixam, quæ extat tom. 9. Annalium Card. Baronii. Scripsit etiam *Chronicum*, quod extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 2. edit. 2. Scripsit quoque *quatuor opuscula contra Iconomachos*, quæ extant apud Henricum Canisium tom. 4. antiquæ lectionis. Tandem vir sanctissimus propter fidei confessionem in exilio obiit anno Dom. 828.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS NICEPHORUS Patriarcha Const. anno 806. creatus scripsit anno 811. epistolam ad Leonem III. Papam, in exilium actus à Leone Armeno Imp. Iconomacho, obiit sub ejus successore Michaele Balbo die 13. Martii anni 828. exilii 14. ætatis 71. De eo præter Martyrologium dicta die & Menologium die 2. Junii, Theodorus Studita in epistolis, Theophanes Presbyter in oratione ejus encomiastica apud Surium dicta die, Theophanes Agri Præfectus in Chronico, Photius cod. 66. Anastasius Bibliothecarius in præfatione ad Historiæ Ecclesiasticæ è tribus Græcis Scriptoribus versionem, Jo: Scylitzes, Cedrenus, Zonaras, & Glycas in Annalibus, & alii. Ex variis ejus operibus hæc in lucem hactenus emissa comperi.

I. Historiæ Breviarium, ἱςορίαν σύντομον, à Mauricii Imperatoris cæde usque ad Leonis Cazari & Irenes uxoris ejus atque eorum filii Constantini tempora, quam legisse se testatur supra laudatus Photius. Edidit Græcè & Latinè Parisiis anno 1616. in 8. R. P. Dionysius Petavius Soc. Jesu, iterumque cudendum curavit anno 1648. in folio typis Regiis Tomo I. Corporis Historiæ Byzantinæ, cum notis Chronologicis & Philologicis.

II. Chronologiam Tripartitam, sive Catalogum Patriarcharum, Judicum, Regum, Principumque Hebræorum, Græcorum, Romanorum, &c. Ea Latinè primùm prodiit ex interpretatione Anastasii Bibliothecarii, deinde ex recentata aliorum versione, sive cum amplissimis commentariis Joachimi Camerarii Bambergensis, sive cum notis Ant. Contii Noviodunensis JC. Bituricensis, qui in capita distinxit, & Margarini Bignæi in Bibliotheca Veterum Patrum. Primus Græcè edidit Josephus Scaliger post Eusebium in Thesauro Temporum. Græcè verò & Latinè typis Regiis evulgavit una cum Georgii Syncelli Chronico anno 1652. R. P. Jacobus Goar Ordinis Prædicatorum Congregationis Reformatæ S. Ludovici, recensitum ad varia exemplaria. Quia verò Series Patriarcharum Const. usque ad S. Ignatium Eunuchum Michaelis Curopalatæ filium, & Imperatorum Const. usque ad Michaelem Theophili & Theodoræ fi-

ræ filium Potorem dictum & Eudoxiam conjugem Basilii Macedonis est deducta quidem cum Vossio, ejusque exscriptore Miræo, opus illud Nicephoro Patr. Const. qui an. 828. obiit, oblatum; nescio cui Nicephoro Juniori tribuere voluerunt. Verùm Vossius visa nostra delineatione Apparatus ad Historiam Byzantinam retexit telam in secunda editione Historicorum Græcorum, & quæ dixerat pag. 288. retractavit pag. 539. Ista postquam scripsissem, vidi, lucem allucente Labbeo, ejusdem esse, tum χρονολογίαν, tum ἱστορίαν συντομον. Arguunt hoc verba illa Anastasii Bibliothecarii præfatione ad Joannem Diaconum: *Huic sanè operi ratum duxi, B. Nicephori Constantinopolitani Episcopi Chronographiam præponere; ut scilicet & ex ea possis aliquantula excerpere, & sicubi fortassis hac utendum judicaveris, tuam non lateat omnino notitiam*. Ejusdem igitur Nicephori sit hoc opus; nisi quod tres quatuorve Imperatores addiderit postea alius. Hæc ille. Magister Sacri Palatii, dum hæc Typothetæ excudenda pararem, consultus, hæc annotasse visus est: Cùm consensu omnium Auctor hujus Chronologiæ Sanctus Nicephorus Const. Episcopus afferatur qui anno 824. obiit, necessariò dicendum Theodorum Cassiteram, Antonium, Joannem Syncellum, Methodium, Ignatium Eunuchum, qui post Nicephorum Episcopi Constantinopolitani inferius in hac Chronologia recensentur, non à Nicephoro; sed ab Anastasio Bibliothecario, hujus Chronologiæ interprete, qui tempore Ignatii vivebat, adjectos fuisse. Idem Contium castigat quòd dum nimio studio LXX. Interpretum Translationis Chronologiam tuetur, non viderit se incautè Hebraici fontis & vulgatæ editionis Chronologiam labefactare. (*a*)

III. Confessionem suæ fidei anno Domini 811. misit in prolixa epistola ad Leonem Papam III. quam à Frontone Ducæo Soc. Jesu Theologo acceptam Baronius Tomo nono Annalium suorum ad prædictum annum inseruit, ubi & multa alia de Nicephoro memorat. Eadem Nicephori ad Leonem III. Papam epistola Græcè extat cum Actis Synodi Ephesinæ in folio apud Commelinum an. 1591. excusis & Latinè interprete Theodoro Peltano in iisdem Actis ab ipso in Latinam linguam versis: Græco-Latinè autem ex ejusdem interpretatione cum Zonara editionis Parisiensis anni 1620.

IV. Nicephori Canones retulit Joannes Zonaras in magnum Canonum volumen, extantque Latinè expressi in Bibliothecis Veterum Patrum.

V. Opuscula quatuor adversus Iconomachos, Latinè tantùm extant tum Tomo IV. Antiquæ Lectionis, tum in Bibliothecis Veterum Patrum Coloniensi & postrema Parisiensi. Primum continet duodecim capita contra Principes Apostasiæ de Incarnatione Christi. Secundum decem Syllogisticas demonstrationes de differentia Imaginis Christi & Crucis. Tertium de Cherubinis à Mose fabrefactis. Quartum habet quædam ex libro ejusdem de Imaginibus. Hæc autem à Francisco Turriano Soc. Jesu doctissimo viro versa è Græcis misit Possevinus noster ad flagitantem Henricum Canisium, qui cum aliis quamplurimis opusculis maximo rei litterariæ commodo omnibus eruditis valde expetita communicavit. Cæterum opusculi 3. cap. 6. non satis emendatè edita fuisse verba aliquot Græca observes velim, ac contra mentem, ut arbitror, interpretis Turriani in cujus exemplari scriptum fuisse non ambigo: *Christus habebit μόρια σομάτος idest partes corporis, quæ in μόρια σομάτα innumera corpora* seu Typographus sive editor absurdè detorsit. Aubertinus μόρια reddere debuit decies mille, non autem innumera: sic Criticus ille argutator peccat in primis linguæ Græcæ rudimentis, qui alios lacessere non veretur, & inscitiæ arguere.

VI. Nondum editi sunt, quod sciam, integri ejusdem Sancti Patriarchæ Const. *Antirrhetici tres adversus Iconomachos*, ubi fusè invehitur in Pseudo-Synodum Constantini Copronymi Imper. adversus venerandas Imagines: Tomo tamen 2. Auctarii posterioris Græcolatini Bibliothecæ Veterum Patrum legitur utraque lingua à columna 603. ad 610. fragmentum ex secundo Antirrhetico *de Sex Synodis*, quod cum Photiana eorumdem Conciliorum Synopsi quivis poterit comparare. Primi autem Tomi pag. 278. extat fragmentum Tertii Antirrhetici: habetur quoque, ut id moneam, post Historiam Nicephori Epitomen à Petavio editam, fragmentum alterum de cultu Imaginum adversus Imp. ex Theophane decerptum. Sed de his jam plus satis: sunt & aliqua Spicilegio reservanda.

(*a*) Anno 1539. Beatus Rhenanus excudendum curavit Basileæ post Eusebii Ecclesiasticam & Cassiodori Tripartitam Historiam fragmentum ex Anastasii Bibliothecarii Historia Ecclesiastica è Syncelli Theophanisque lucubrationibus expressa, cui hunc titulum dedit: Historia Ecclesiastica à Nicephoro Græco Monacho conscripta, incertum quonam interprete, jam olim Latinè versa. Incipit autem à temporibus Theodosii junioris, in qua Tripartita desinit, & quatuor deinceps Imperatorum tempora continet. Origo erroris inde promanavit, quòd Anastasii Historiæ Ecclesiasticæ præfixa esset ab eodem Anastasio Latinè versa S. Nicephori brevis Chronologia.

De Usuardo. 812.

USUARDUS Monachus natione Gallus, Alcuini discipulus, jussu Caroli Magni *Martyrologium* scripsit satis accuratum & celebre, quo multæ Ecclesiæ usæ sunt.

Dissertatio Historica.

USUARDUS, sive Husuardus natione, ut creditur, Gallus, Monachus Ordinis sancti Benedicti, Albini Alcuini discipulus, & ut quidam post Davidem Blondellum scripserunt, Monasterii sancti Salvatoris à Vicecomite vulgò dicti diœceseos Constantiensis in inferiore Normannia Abbas. Verùm accuratiores ut audio existimant cœnobium illud non ante tempora Normanniæ Ducum fuisse constructum & Monachum fuisse cœnobii S. Germani Parisiensis adstruunt ex fide veteris membranæ. Vidi quoque qui Fuldensis cœnobii fuisse Monachum contenderent. Vixit ineunte sæculo Christi nono. Quo autem obierit anno, non liquet. De eo Sigebertus cap. 85. de Viris Illustribus: provocatus, inquit, studio Hieronymi & Bedæ, & animatus jussu Caroli Magni Imp. integrum Martyrologium effecit, & Joannes Trithemius qui Isuardum corruptè nominat, & anno 770. alligat, quamquam ex præfatione Martyrologii constet Carolo jam Augusto, hoc est post annum 800. fuisse munus illud litterarium oblatum, Joannes Molanus, Papyrius Massonus, Cæsar Baronius, Antonius Possevinus, Ger. Jo. Vossius, Joannes Bollandus (*a*), Andreas Saussayus, aliique qui de sanctis aliquid hac ætate commentati sunt.

Martyrologium Usuardi, quo Romana Ecclesia ac permultæ aliæ utuntur, jussu Caroli Magni conscriptum, cum Additionibus ex Martyrologiis Romanæ Ecclesiæ & aliarum potissimùm Belgii, & annotatione Auctorum, qui de sanctorum vita, confessione, vel Martyrio, fusè, aut aliquando obiter, nonnulla scripserunt, opera Joannis Molani Lovaniensis,

niensis, Lovanii Sacræ Theologiæ Regii Professoris, una cum Tractatu ejusdem Molani de Martyrologiis & Indiculo sanctorum Belgii, prodiit Antuerpiæ in 8. anno 1583. apud Philippum Nutium post editionem Lovaniensem anni 1568. apud Hieronymum Wellæum. Cæteras ejusdem Martyrologii editiones taceo: atque ex præfatione brevem hanc dumtaxat Laciniam adtexo, ut omnes videant, quod fuerit hujus ab aliis discrimen.

Venerabilium, inquit, Hieronymi ac Bedæ Presbyterorum piis, quamvis succinctis, super hoc provocabar descriptis. Quorum prior brevitati studens, alter verò quamplures Kalendarum dies intactos relinquens (unde colligitur quod Bedæ modò dicitur Martyrologium multis subinde insertis fuisse post annum Christi 800. auctum ac locupletatum) multa inveniuntur hujus operis præteriisse necessaria: quos tamen sequutus, censui & Flori memorabilis viri latiora jam in eo ipso negotio sequi vestigia, præsertim in secundo ejusdem libro: ibi enim multa quæ in priori omiserat, & correxit & addidit. At si quid præter quod ab illis accepi, in hoc tempore auctum vel mutatum est, sagaci à me indagine id perquisitum agnosci poterit. Hæc ille.

(a) Is Præfationis Generalis in Vitas Sanctorum ad Abbatem Lætiensem c. p. 4. §. 7. multa habet de Usuardo. I. ipsius Præfationem sive Epistolam qua opus suum Carolo Regi dedicat è veteri codice ms. optimæ notæ excudendam curavit aliquantùm discrepantem ab ea, quæ in plerisque excusis & calamo descriptis exemplaribus legitur. II. ex ea statui non posse asserit utri Carolo Francorum Regi id dicarit opus, Magno an Calvo. III. Calvum præferre videtur ipse his rationibus ductus: Florum Usuardus citat virum memorabilem quem sub Lothario Calvi fratre post annum Christi 840. superstitem fuisse ex Wandelberti ad Otricum epistola constat: neque comminisci licet Florum Martyrologum ab illo Lugdunensis Ecclesiæ subdiacono, quem sanctum & nominatissimum virum Wandelbertus appellat, distinctum. Cur non eos Ado proximus temporum illorum discrevit? Cur quando Venerabilis Flori meminit, non juniorem dixit, aut aliud statuit discrimen cùm vigeret adhuc in Lugdunensi Ecclesia Flori alterius nomen & fama eruditionis? si jam inde Caroli magni tempore editum hoc opus erat ab Usuardo, cur VVandelbertum ex Flori Bibliotheca sumere codices oportuit ut natales Sanctorum perdisceret, cùm ex Usuardi libro si jam extabat, minori labore haurire omnia posset? At neque Ado Usuardi meminit. IV. pro contraria opinione duo expromit argumenta; primum petitum ab Usuardi exemplaribus excusis & mss. in quibus epistolæ inscriptio his effertur verbis: *Domino Regum pijssimo Carolo Augusto Usuardus indignus Sacerdos & Monachus perennem in Christo coronam*; quod tamen non multum urget si quis dicat post annum Christi 875. scriptam fuisse ab Usuardo epistolam, cum Carolus Calvus à Joanne Papa VIII. Imperii corona Romæ donatus fuisset: alterum, si eodem quo VVandelbertus tempore Usuardus scripsit, cùm imperium Lotharius, Franciæ Occidentalis regnum Carolus administrabat, cur hic ut ille translationis sancti Sebastiani sub Ludovico Pio factæ non meminit? V. denique paratum esse se, ut à peritioribus quid certi opinari queat, lubens addiscat. Cæterum Bollando subscripsisse videntur Launojus & Valesius hic in Annotationibus ad Eusebii Ecclesiasticam Historiam, ille in variis quæ scripsit opusculis. Ego quoque in altera Abaci mei Chronologici editione pronunciare veritus non sum rectiùs opinari eos, qui Usuardum usque ad Caroli Calvi, eaque extrema tempora, atque adeò annum circiter 876. dejiciunt, illo potissimùm fretus argumento, quod Usuardi omnes tum mss. tum excusi codices, quantum saltem hactenus deprehendere potui, S. Eulogii Martyris meminerint, testibus etiam Molano, Baronio, aliisque, qui die 11. Martii Feria septima hora nona Cordubæ in Hispania pro Christo decollatus est æra 897. hoc est anno Christi 859. ut de aliis sileam qui tempore ejusdem Persecutionis Arabicæ annis 851. 853. 857. aliisque, vitam in atrocissimis cruciatibus finierunt. Neque verò par est ratio Viventii in Monte Verziaco ad diem 13. Januarii. Molanus enim & post eum fusè Bollandus, inter Additamenta rejiciunt, ac merito sanè, cùm & à plerisque mss. exulet hæc periocha, & translatio in illum Burgundiæ locum anno 924. sub Manasse Domino seu Comite Vergiacensi peracta sit. At hæc paucis perstrinxisse sufficiat ad evellendam, quæ multorum etiamnum animis hærere firmiter videtur, de ætate Usuardi Monachi persuasionem.

SUPPLEMENTUM.

USUARDUS Monachus Ordinis Divi Benedicti, Cœnobita sancti Germani Parisiensis, ut testatur codex manuscriptus ejusdem insignis Abbatiæ, qui Autographus esse creditur, de quo Sigebertus capite 85. de Viris Illustribus: *Provocatus*, inquit, *studio Hieronymi & Bedæ, & animatus jussu Caroli Magni Imperatoris integrum Martyrologium effecit*. Condidit itaque Martyrologium, sancti Hieronymi, Bedæ & Flori vestigia premens, quo diu Romana & pleræque aliæ Ecclesiæ usæ sunt. Illud Martyrologium, cum Additionibus ex Martyrologiis Romanæ Ecclesiæ & aliarum potissimùm Belgii, & Annotationibus Auctorum qui de sanctorum Vita, Confessione vel Martyrio, fusè vel aliquando obiter nonnulla scripserunt, opera Joannis Molani Lovanii Sacræ Theologiæ Regii Professoris, una cum Tractatu ejusdem Molani de Martyrologiis, & Indiculo sanctorum Belgii: prodiitque Antuerpiæ anno 1583. in 8. apud Philippum Nutium, post Lovaniensem editionem anni 1568. apud Hieronymum Wallæum. Omitto cæteras ejusdem Martyrologii editiones, atque ex præfatione brevem hanc dumtaxat laciniam adtexo, ut omnes videant quodnam fuerit hujus ab aliis discrimen.

Venerabilium, inquit, Hieronymi ac Bedæ „ Presbyterorum piis, quamvis succinctis, super „ hoc provocabar descriptis. Quorum prior brevi- „ tati studens, alter verò quamplures Kalendarum „ dies intactos relinquens (unde colligitur quod Bedæ modò dicitur Martyrologium, multis subinde insertis fuisse post annum Christi 800. auctum ac locupletatum) multa inveniuntur hujus Operis præteriisse necessaria. Quos tamen secutus, censui & „ Flori memorabilis viri latiora jam in eo ipso ne- „ gotio sequi vestigia, præsertim in secundo ejus li- „ bro: ibi enim multa quæ in priori omiserat, & „ correxit & addidit. At si quid præter quod ab il- „ lis accepi, in hoc tempore auctum vel mutatum „ est, sagaci à me indagine id perquisitum agnosci „ poterit. Hæc Usuardus. Nuncupatum Usuardi „ Martyrologium *Carolo Calvo*, ut constat ex prologo, qui quamvis appellet Carolum Magnum; *Carolum* tamen *Calvum* intelligit, quem Scriptores hujus sæculi passim Magnum appellaverunt: præsertim ab anno 875. quo exeunte Romæ Imperator coronatus est, usque ad annum 877. quo obiit die 6. Octobris. Itaque *Carolum Magnum Imperatorem* perperam intellexerunt Cæsar Baronius & Bellarminus,

minus, Labbeus & alii: nam codices Usuardi tum manuscripti cùm excusi, sanctum Eulogium Martyrem commemorant, qui die 11. Martii Cordubæ in Hispania passus est anno Christi 859. Alios etiam celebrat qui tempore ejusdem persecutionis Arabicæ Martyrii coronam consecuti sunt. Præterea Aimoinus in libello de translatione Sanctorum Martyrum Gregorii Monachi, Aurelii, &c. Usuardum Patrem hujus Translationis auctorem facit, anno 858. Et si verò Sigebertus jussu *Caroli Magni Imperatoris* Martyrologium composuisse scribat in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 85. id movere nos non debet: quia ut supra diximus *Magni Caroli* nomine *Calvum* intelligit, ut aliàs in cap. 99. ubi ait Hincmarum rescripsisse ad Ecclesiam Ravennatem *sub persona Caroli Magni Imperatoris*. Plura de Usuardo citatus Sigebertus cap. 85. De Scriptoribus Ecclesiasticis, Joannes Trithemius qui *Isuardum* corruptè nominat, & anno 770. alligat. Joannes Molanus in præfatione ad illius editionem, Cæsar Baronius, Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus Scholio ad caput 85. Sigeberti *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Joannes Gerardus Vossius in opere suo *De Latinis Historicis*, Andreas Saussajus in præludiis ad Martyrologium Galliæ, Joannes Bollandus in præludiis suis ad Acta Sanctorum totius Ecclesiæ, Philippus Labbeus in Dissertatione Historica de Scriptoribus Ecclesiasticis, verbò Usuardus Monachus tomo 2. pag. 490. ubi cum cæteris deceptus est in assignanda Usuardi Epocha, designans eum vixisse ac floruisse *Carolo jam Augusto* paulò post annum 800. Joannes Mabillon in præfatione ad secundam partem seu tomum sæculi 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, qui primus ætatem Usuardo temporibus Caroli Magni Imperatoris abstulit, ac post eum Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæculo 9. parte I. cap. 3. articulo 17. pag. 238.

De S. Ludgero. 812.

SANCTUS LUDGERUS primus Episcopus Monasteriensis, vixit tempore Caroli Magni Imp. de quo illud insigne narratur, quòd cùm ab Imperatore vocatus semel atque iterum ire recusasset, quòd in Dei laudibus recitandis occupatus esset: & ipse apud Imperatorem se purgavit, quòd majori Domino obsequium tunc præstaret, & à pio & religioso Imperatore mirificè inde laudatus fuit. Scripsit post sanctum Marcellinum *Epistolam* egregiam *de vita & miraculis S. Suitberti*, quæ extat apud Surium die 1. Martii, dicitur etiam scripsisse *res gestas S. Bonifacii Episcopi & Martyris, atque Apostoli Germaniæ.*

Dissertatio Historica.

SANCTUS LUDGERUS, patria Frisius, ex pago Viruno propè Dockomium oriundus, Monasteriensis in Westfalia sive Mimigardeinensis primus Episcopus, floruit sub finem Octavi sæculi & initio noni, obiit anno 809. die 26. Martii. De eo Ditmarus in Chronico, Othelgrimus qui vitam ejus duobus lib. scripsit editis à Surio & pleniùs à Browero nostro, Jo. Trithemius, Additiones ad Usuardi Martyrologium, Joannes Leidensis, Crantzius, Possevinus, Vossius, Suffridus, Miræus in Fastis Belgicis & in Bibliotheca, &c.

Vita S. Gregorii Ultrajectensis Ep. edita anno 1616. Moguntiæ opera Christophori Broweri Soc. Jesu Theologi, cum *Historica narratione de passione S. Bonifacii Moguntini Antistitis*, ab eodem conscripta.

Epistola ad Rixfridum Ultrajectensem Episcopum de gestis & miraculis S. Suitberti Episcopi, qui S. Willebrordi adjutor fuit, & Monasterium Werdense ad Rhenum fundavit, *deque ejus elevatione & canonizatione à Papa Leone III. facta*, extat in Collectaneis Laurentii Surii Kalendis Martii.

Supplementum.

LUDGERUS seu LIUDGERUS primus Monasteriensis Episcopus in Westphalia, scripsit *Vitam Magistri sui sancti Gregorii Ultrajectensis Episcopi*, quam ex ms. Cod. Fuldensi Christophorus Brovverus evulgavit anno 1615. Moguntiæ, cum historica narratione de primordiis adventus sancti Bonifacii Moguntini Archiepiscopi atque Ordinationis, quæ fuerant in alio opusculo scilicet sancti Willibaldi prætermissa, quam eodem sermone seu opusculo conclusit. Eamdem Vitam refert Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis D. Benedicti parte 2. pag. 319. impresso Parisiis 2. tomis in fol. anno 1672. apud Ludovicum Billaine in Palatio Regio. Extat ejusdem Ludgeri *Epistola ad Rixfridum Ultrajectensem Episcopum De vita & miraculis S. Suitberti Episcopi*, apud Surium & Bollandistas Kalendis Martii. Obiit autem sanctus Ludgerus anno 809. die 26. Martii, ut testatur Ditmarus in Chronico. Ludgeri porrò Magistri sui vitam libris duobus *Othelgrimus* contexuit, quos integros adeoque Surianis pleniores ex manuscripto Fuldensi, Brovverus anno 1616. publicos fecit, & Bollandistæ ad diem 26. Martii, quos consulere potes. Plura de sancto Ludgero Surius & Bollandistæ ad diem citatam Martii, & Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo 2. pag. 319. Itemque sæculo 4. tomo. 1. pag. 15. Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 231. pag. 226.

De Aponio. 812.

APONIUS vir doctus scripsit *in Cantica Canticorum Salomonis*, quod opus extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 1. edit. 2. & floruisse dicitur anno Dom. 812.

Dissertatio Historica.

APONIUS, vir eruditus, vixit extremo fermè sæculo Christi septimo, circa annum 680. & allegatur, cùm à Beda cap. 25. libri 4. Commentariorum in Cantica Canticorum, tum ab Angelomo Monacho Luxoviensi non semel in stromatis sive explanatione eorumdem Canticorum. Quare minùs accuratè subducunt tempora, qui cum Bellarmino nostro, eique non refragante Miræo, ad annum referunt æræ Dionysianæ 812. Caroli Magni Imperatoris vitæ penè ultimum, cùm Beda non pervenerit ad illum annum, & Angelomus ille sub Ludovico Pio, ejusque filio Lothario floruerit. Extat in Bibliothecis sanctorum Patrum, & seorsim edita Friburgi Brisgojæ anno 1538.

Expositio in Cantica Canticorum Salomonis, in sex libros distincta juxta LXX. Seniorum interpretationem, in quibus ἀλληγορικῶς nuptias Christi Domini ejusque sponsæ Ecclesiæ persequitur. Dicavit verò Desideriorum servo Christi Armenio Presbytero, docuitque usum se fuisse exemplaribus Hebræorum, quorum proprietas veritatis non parvum intelligentiæ lumen accendit.

Lucas

Lucas Abbas Montis Sancti Cornelii in agro suburbano Leodiensis civitatis, Ordinis Præmonstratensis, ad Milonem Tarvanæ seu Morinorum Episcopum ex Commentariis Aponii scripsit

Summariola in Cantica Canticorum Salomonis, quæ extant, cùm in Bibliothecis Veterum Patrum, tum etiam seorsim edita, sed à versu 8. capitis quarti dumtaxat usque ad finem. Hujus mentio reperitur cap. 9. Appendicis subnecti solitæ libro Henrici Gandavensis de Scriptoribus Ecclesiasticis, quo fit ut minùs emendatè loquantur, qui laudatum Lucam illum fuisse ab Henrico Gandavensi asserunt. Floruit is sæculo Christi duodecimo circa annum 1140.

In iisdem quoque Veterum Patrum Collectionibus, saltem Tomi 1. Morelliani, col. 326. extat auctore Udalrico Regio

Censura locorum quorumdam ex libro 6. Commentariorum Aponii in Cantica de numeris millenario ac centenario, in vetusto codice miserè depravatorum, cum ejusdem Udalrici Regii scholiis brevissimis in aliquot Lucæ Abbatis locos ex ejus summariolis in eadem Cantica, columna ejusdem Tomi 348. unde mirum planè accidit, quo tandem pacto in magnæ illius Bibliothecæ generali Auctorum indice ab illius editionis Curatore viro non indocto factum sit, ut censuræ illæ ac brevia scholia Udalrico Augustæ Vindelicorum Episcopo fuerint attributa, cùm tantò ante Lucæ ætatem peractis in Episcopatu annis 50. ad Deum accesserit clarissimum illud Germaniæ sidus die quarta Julii anni 973. non multò post Othonis I. Imp. quam prædixerat mortem.

De Eginarto. 184.

EGINARTUS Cancellarius Caroli Magni, scripsit *ejus vitam* satis diligenter. Scripsit etiam *historiam Francorum*. Scripsit quoque *de translatione Sanctorum Petri & Marcellini*, prosa & versu, quæ extant apud Surium Tom. 7. die 2. Junii. Tandem Monach. & Abbas relicto sæculo factus est.

Dissertatio Historica.

EGINARTUS, sive Eynardus, aut Eginardus, scriptor elegans *Vitæ Caroli Magni*, cui à secretis, seu Notarius fuisse dicitur, & *Annalium Francicorum*, ab anno 741. ad annum 829. necnon *Tractatus de Translatione Sanctorum Petri & Marcellini*, prosa & carmine conscripti, Monasterium Selengenstadiense, sive Mulenheimense in Germania fundavit, ubi Aula relicta, Deo sibique vacans, Abbatis fungens officio (sunt etiam qui velint Abbatem fuisse Blandiniensem in urbe Gandavensi, & in eam rem citant Chronicon quoddam Gandense ad annum 826.) vixit usque ad extrema tempora Ludovici Pii. Quo autem anno obierit, mihi N. L. Sunt qui ad annum usque 844. aut etiam 848. vitam ejus proferant: quo anno, aut potiùs præcedenti, volunt interfuisse Moguntinæ Synodo à Rabano Mauro Archiepiscopo celebratæ. Bollandus noster obitum ejus die 25. Julii anni 843. defigit. Vide pagin. 875. Tomi 2. Januarii mensis.

Hic monita Archangeli Gabrielis duodecim capitibus comprehensa obtulit, non Imperatori Lothario, ut viro docto excidit aliud agenti, sed ejus parenti Ludovico Pio, ut disertè habetur scriptum in Annalibus Fuldensibus ad annum 874. Nec minùs errant, qui cum Gerardo Joanne Vossio censent ab Hermanno Nuevario Comite, qui primùm in lucem protulit, floridiori loquendi genere, majorique dictionis elegantia ac puritate ornatum fuisse Latinum contextum, cùm ex antiquis membranis constet nihil ab eo aliisque, qui postea excudendum curarunt, additum, mutatumve fuisse. De eo plura, qui volet, adeat Lupum Ferrariensem Abbatem Epistol. 1. quam ad eum scribit, Frotarium Tullensem Episcopum, Epistol. 16. quæ missa fuit Senonicæ Ecclesiæ nomine, Sigebertum capite 84. de Viris Illustribus, ubi ait tantò veraciùs Caroli vitam scripsisse, quanto adhæsit ei familiarius, Adamum Bremensem, Chronicon Laurissamense, cujus fragmentum edidere Germanicarum Rerum Collectores, & post eos Duchesnius, cujus etiam diligentiæ debemus editas ex codice Laudunensi 62. *ejusdem Eginarthi aut ad eum aliosque Epistolas*, in Appendice ad Tomum secundum Historicorum Franciæ, atque ex recentioribus Vossium. Trithemius scribit eum imitatione Bedæ, qui abbreviavit Hebraicum Psalterium excerpendo de illo omnes versus verba orationis habentes, abbreviasse quoque Psalterium Gallicanum, & tam ex persona sui quàm Imperatoris composuisse librum unum Epistolarum ad diversos.

De Smaragdo. 820.

SMARAGDUS Abbas Monasterii sancti Michaelis ad Mosam, composuit librum *de vitandis vitiis, & tenendis virtutibus*, quem inscripsit *Diadema Monachorum*. Scripsit etiam in Regulam Sancti Benedicti & in Evangelia & Epistolas totius anni Commentarium ex Patribus collectum. Et alia nonnulla quæ à Trithemio enumerantur. Floruit autem sub Ludovico Pio Imperatore.

Dissertatio Historica.

SMARAGDOS duos in unum confuderunt Trithemius, Sixtus Senensis, Possevinus, Bellarminus, Miræus, aliique passim, & Smaragdo Abbati Sancti Michaelis ad Mosam in Lotharingia ut Bellarminus Gallicè *Sainct Miel*, in Saxonia ut Miræus, in Germania ut Possevinus, Ordinis Benedictini, quem Trithemius sæculo decimo, Miræus anno 980. collocat, Bellarminus anno 820. Sixtus verò nisi sit Typographorum mendum in editione Lugdunensi anni 1593. qua utor anno 680. quod etiam sequutus est Possevinus, tribuunt opera Smaragdi alterius ejusdem Ordinis Monachi, cujus hoc celebratur emortuale elogium: Nonas Martii in Monasterio Aniano transitus Beati Ardonis Presbyteri atque Monachi, qui alio nomine Smaragdus vocatus est, præclari in Sanctitate & doctrina viri. Hic claruit temporibus Caroli gloriosi & piissimi Imperatoris, obiit autem sexagenarius anno ab Incarnatione Domini 843. Indictione sexta anno quarto post obitum Ludovici piissimi Imperatoris migravit ad Christum. Est autem Aniana celeberrimum Benedictinorum cœnobium in Diœcesi Montispessulani.

Commentarius in regulam Sancti Benedicti, Coloniæ apud Cervinum Calenium anno 1575. cum Joan. Turrecrematæ in eamdem expositione.

Vita S. Benedicti Anianæ ac plurium aliorum Monasteriorum Abbatis, eodem Ardone auctore, edita fuit à D. Hugone Menardo O. B. libro 2. obser-

vationum ad Martyrologium Benedictinum, cùm eam à D. Anselmo Rolle ejusdem Congregationis Monacho accepisset.

Diadema Monachorum, de vitiis fugiendis, & virtutibus tenendis, Antuerpiæ anno 1540. excusum, Smaragdo Abbati tribuunt Trithemius, aliique, non secus ac

Commentarios in Evangelia & Epistolas per totum annum & Sanctis Patribus collectos, vulgò Postillæ titulo celebratos, Argentinæ in folio anno 1536. impressos, & à Gaspare quodam Hedione Hæretico Lutherano in Germanicam linguam translatos: *Commentarios* quoque *in Psalterium totum*, sermones plures, atque Expositionem in Donatum majorem, plurimosque sæcularium litterarum Auctores. Verùm ego, donec quid certius acciderit, ἐπέχω; & cap. 6. libelli 4. Honorii Augustodunensis de Luminaribus Ecclesiæ exscribo: Smaragdus Abbas Monasterii Sancti Michaelis Lectiones & Evangelia in Divinis officiis legenda per circulum anni exposuit, & librum Monasticæ professioni congruum composuit, quem Diadema Monachorum vocavit, & Grammaticam Majorem Donatum exponendo explicuit. Hæc ille. Sigebertus nulla facta Abbatis mentione, Smaragdum testatur scripsisse de vitandis vitiis & tenendis virtutibus librum, quem attitulavit Diadema Monachorum, super Regulam Sancti Benedicti, & alia nonnulla. Hæc capite 118.

Supplementum.

Ardo Smaragdus dictus, Cœnobii Anianæ in Septimania Diœcesis Magalonensis Monachus, Discipulus Sancti Benedicti Anianæ Abbatis, scripsit *Vitam sui Magistri*, quam è tenebris eruit, præmisitque Concordiæ Regularum ejusdem Benedicti, Hugo Menardus Monachus Benedictinus ex Congregatione Sancti Mauri in Gallia, de quo Bened. vide infra, quam etiam habes recusam apud Bollandistas ad diem 12. Februarii, & tertiò apud Joannem Mabillon tom. 1. sæculi quarti Sanctorum Ordinis Divi Benedicti. Obiit Ardo Smaragdus anno 843. die 7. Martii, de quo qui plura cupit, volvat dictum Hugonem Menardum loco indicato, & Joannem Mabillon tom. 2. Analectorum pag. 418. ubi fusè de Smaragdo Ardone & altero sequenti.

Smaragdus Abbas Sancti Michaelis ad Mosam in Lotharingia, Episcopatus Virdunensis multa scripsit, de quibus agunt doctissimè Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cui addere aliquid omninò superfluum, excepto Opusculo Smaragdi, quod *Viam Regiam* inscripsit, insertam tom. 5. Spicilegii Lucæ Dacherii pagin. 960. quam Labbeus nondum editam ignoravit. Qui voluerit plura, legat Aubertum Miræum in Bibliotheca Ecclesiastica Scholio ad caput 6. libri quarti Honorii Augustodunensis *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 128. Labbeum citatum supra, Joannem Mabillon tom. 2. Analectorum pag. 418. & seqq. ubi prolixè de Scriptis utriusque Smaragdi. Claruit sub Ludovico Pio Imperatore circa annum 840. & sequentes, ut constat ex Chronico Monasterii Sancti Michaelis ad Mosam antiquo, quod edidit Joannes Mabillon in citatis Analectis suis.

De Claudio Scoto. 820.

Claudius Scotus vixit tempore Ludovici Pii Imperatoris, cujus expeditionis in Northmannos meminit *in Præfatione Commentarii in Matthæum*. Contigit autem ea expeditio anno secundo Ludovici, qui fuit annus Dom. 815. Fertur hic auctor scripsisse non solùm *in Matthæum*, sed etiam *in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, Judicum, & Ruth*: an autem hæc extent, ignorare me fateor.

Dissertatio Historica.

Claudius, cognomento Clemens, natione, ut dicitur, Scotus, Taurinensis in subalpinis Episcopus, quem falsò plerique hactenus Autissiodorensem vocarunt, & Monachum Ordinis Sancti Benedicti, Atque Alcuini Flacci in fundanda, quæ nulla tunc fuit, nec nisi aliquot post sæculis emersit, Parisiensi Academia collegam commenti sunt, vixit initio sæculi noni, & post annum 824. defunctus est, incerto tamen anno ac die obitus. Hortatu regnantis eo tempore in Galliis Ludovici Pii, Caroli Magni filii Jonas Aurelianensis Episcopus, adversus ejusdem Claudii libellum ad Theodericum Abbatem, quo Sacras Imagines impugnaverat, libros tres de cultu imaginum exarare cœpit, eosdemque postea absolutos Carolo Calvo nuncupavit. Extat in Bibliothecis Veterum Patrum, & seorsim etiam Parisiis an. 1542 in 8. editus hujus Claudii

Commentarius in Epistolam ad Galatas, Drunterano Abbati dicatus.

Ejusdem Claudii Taurinensis Episc. *Explanationum in Evangelium S. Matthæi libri tres*, anno 815. conscripti ad Justum Abbatem, quem etiam Græcanica appellatione vocitat Eusebium, habentur in Codice mss. Bibliothecæ Collegii Parisiensis Jesu, & in Codice 248. Bibliothecæ Christianissimi Francorum Monarchæ, *Commentarius in Epistolam ad Romanos, & in duas ad Corinthios*. Habemus quoque præ manibus *Tractatus* ejusdem Auctoris *super Leviticum*, anno 823. ad Theodemirum Abbatem conscripti, *Præfationem, & Epilogum*. Nec desunt, qui cum Trithemio, qui Ordinis Sancti Benedicti Monachus & collega Albini Levitæ dicitur, memorent scripsisse eumdem *in Genesim, Exodum, Numeros, Deuteronomium, libros Judicum, & Ruth*, ut nihil dicam de Commentariis *in alias Epistolas S. Pauli, & in libros Josue ac Judicum*, de quibus nonnihil aliàs observabamus in specimine Novæ Bibliothecæ mss. librorum. Extat quoque editum pag. 309. Tomi 1. Novæ illius Bibliothecæ *Opusculum de sex Mundi ætatibus* Claudii Chronologi, qui ab hoc Taurinensi non videtur mihi diversus. Certè & tempus & cætera omnia apprimè consentiunt. Thomas Dempsterus multa pro more indigesta effudit libr. 3. Hist. Eccles. Scotorum, duosque ex uno Claudios Clementes exhibet, ac priorem Sanctum καὶ τἄλλα ἀπροσδιόνυσα.

Supplementum.

Claudius Taurinensis Ecclesiæ Episcopus, natione Hispanus, non Scotus (ut placuit Jacobo Usserio Armachano Archiepiscopo) de quo Labbeus & Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Quibus addo Claudium scripsisse insignem Commentarium *in Leviticum* hortatu Theodemiri Abbatis anno 823. quem mss. habent Benedictini Parisienses Sancti Germani *à Pratis*, ex codice Sancti Remigii Rhemensis. Item Commentarium *in Evangelium*

gelium Matthæi, opus Justo Carrofensi Abbati nuncupatum, cujus præfatio jam impressa est; sed integrum mſ. in Bibliotheca Cathedralis Laudunensis. Item expositionem *in omnes Epistolas D. Pauli*, quarum Epistolæ ad Galatas commentarium Dructeranno Abbati Solemniacensi dicavit, eam verò qui in epistolam ad Ephesios ab ipso elucubratus est, Ludovico Augusto inscripsit: habetur autem in 2. voluminibus mſſ. Bibliothecæ Floriacensis. Hæc Joannes Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 46. ubi multa de scriptis Claudii Taurinensis. Nos etiam vidimus commentarium Claudii *in librum Ruth*, mſ. in Bibliotheca Bonæspei in Hannonia, dum illic mſſ. Codices excuteremus. De illo Possevinus *in Apparatu Sacro*, verbo *Claudius Clemens Scotus*: Aubertus Miræus *in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* capit. 242. pagina 228.

A

B

De Jona Aurelianensi. 820.

JONAS EPISCOPUS Aurelianensis eodem imperante Ludovico scripsit *libros tres*, qui extant, adversus Claudium Episcopum Taurinensem *pro defensione sacrarum Imaginum, & signi sanctæ Crucis, & peregrinationum ad loca sancta*. Sed hic tamen auctor cautè legendus est; quoniam laborat eodem errore, quo Agobardus, & reliqui ejus ætatis Galli, qui negabant sacris Imaginibus ullum deberi cultum religiosum, de qua re vide Anastasium Bibliothecarium præfatione in septimam Synodum.

C

Dissertatio Historica.

JONAS, in Aurelianensi Episcopatu Theodulphi ab anno minimùm 822. successor, interfuit Conventui Parisiensi de Imaginibus Kalendis Novembris anni 824. habiti: unde missus est Romam ad Eugenium II. Romanum Pontificem Paschalis I. successorem, ut ex Commonitorio ipsi & Jeremiæ Senonensi Archiepiscopo ab Imp. Ludovico dato apparet. Superstitem fuisse usque ad tempora Caroli Calvi certum est ex ejusdem scriptis. Obiisse verò anno 842. aut initio sequentis docet Canon decimus Synodi Vernensis anno 844. celebratæ, ubi agitur de consecratione Agii ejus successoris Presbyteri Palatii Regii, facta à Wenilone Senonensi Archiepiscopo. De eo Lupus Ferrariensis Abbas Epistolis 21. 27. & 28. Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, cap. 36. posterioris operis adversus Gothescalcum, ubi de depositione Ebonis apud Theodonis villam differit Adrevaldus Monachus Floriacensis libri 1. de Miraculis S. Benedicti cap. 25. &c.

D

Libri tres adversus libellum Claudii Taurinensis Episcopi, pro defensione Sacrarum Imaginum, signi Sacratissimæ Crucis, ac Peregrinationum ad loca Sancta. Quod opus cùm jussu Ludovici Pii Imperatoris Regisque Francorum suscepisset, post ejus obitum illud filio Ludovici Carolo Calvo obtulit, ut ipsemet in præfatione testatur. Extant inter Hæreseologa & Orthodoxographa, pag. 1208. in Bibliothecis Veterum Patrum, & seorsim quoque editi Coloniæ 1554. Antuerpiæ apud Plantinum, &c.

E

Institutio Laicorum tribus libris, ad Pipinum Aquitaniæ Regem Ludovici Pii filium nuper edita cum aliis Tomo I. Spicilegii Domni Lucæ Dacherii, Monachi Benedictini, Congregationis Sancti Mauri in Francia.

De ejusdem operibus nondum in lucem editis suo loco differemus.

Supplementum.

JONAS EPISCOPUS Aurelianensis, Theodulphi successor ab anno circiter 822. floruit imperante Ludovico Pio, scripsit varia, de quibus sufficient Bellarminus & Labbeus loco sæpius allegato, quibus adjicio eumdem Jonam scripsisse *libros tres De institutione Laicali* immixtos tomo primo Spicilegii Lucæ Dacherii impresso in 4. Parisiis anno 1655. apud Dionysium Bechet. Item *Viam Regiam* tom. 5. ejusdem Spicilegii, pag. 57. cum Via Regia Smaragdi Abbatis ibidem pag. 960. Hic Auctor cautè legendus est, quoniam laborat eodem errore, quo Agobardus & reliqui ejus ætatis Galli, qui negabant Sacris Imaginibus ullum deberi cultum religiosum. Qua de re Anastasium Bibliothecarium lege præfatione in septimam Synodum. Ita Bellarminus in Catalogo. Obiit Jonas anno 843. de quo plura apud Labbeum citatum, & Sammarthanos fratres in Gallia Christiana tom. 2. verbo *Aurelianenses Episcopi*.

De Dungalo. 820.

DUNGALUS DIACONUS, eodem Ludovico Imperante, librum scripsit de Cultu Imaginum adversus eumdem Claudium Taurinensem. Qui liber seorsim primum editus, cum aliis postea relatus est in auctarium tertiæ editionis Bibliothecæ sanctorum Patrum: ostendit autem Dungalus se scripsisse circa annum Domini 820.

Dissertatio Historica.

DUNGALUS DIACONUS, floruit primùm sub Carolo Magno, ad quem in membranis descripta servatur Epistola de Eclipsi, tum sub Ludovico Pio, ejusque filio Lothario Impp. quibus librum dicavit suum, quem *Pro cultu Sacrarum Imaginum adversus insanas blasphemasque nænias Claudii Taurinensis Episcopi* scripsit, & multis ex Sancti Paulini Nolani Episcopi carminibus in S. Felicem, etiam iis, quæ perierunt, & aliorum SS. Patrum operibus depromptis testimoniis illustravit. Unum tantùm hic proferam Satyri ab Ambrosio fratre scriptum Epitaphium Tetrastichon, ut Novatores nostri ἁγιομάχοι καὶ τυμβωρύχοι intelligant, qua ratione Sanctorum Patres Martyrum reliquias ac defunctorum tumulos fuerint venerati.

> Uranio Satyro supremum frater honorem
> Martyris ad lævam detulit Ambrosius.
> Hæc meriti merces, ut Sacri sanguinis humor
> Finitimas penetrans abluat exuvias. (*a*)

(*a*) Liber ille anno primùm 1608. Parisiis seorsim editus, ac deinde anno 1610. in Bibliothecam Veterum Patrum transmissus est: unde videas Melchioris Goldasti Pontificiæ dignitatis hostis capitalissimi effrænem audaciam in Replicatione adversus Gretserum Dungali hujus auctoritatem objicientem: Eodem loco, inquit, Dungalum obtrudit, cujus nomen nefando quidem est auditum, & qui ater an albus sit, ignoratur.

De S. Theodoro Studite. 820.

SANCTUS THEODORUS Studites, vir admirandus, & potens opere & sermone, dimicavit pro cultu sacrarum Imaginum, & contra hæresim, defendentem, adulterium posse fieri licitum ex dispensatione, usque ad exilia, carceres, & suppli-

supplicia varia. Tandem miraculis clarus migravit in cœlum anno Dom. 826. vide Card. Baronium tom. 9. Annalium, ubi fusissimè de hoc sancto viro agit, & sæpè fragmenta epistolarum ejus adducit. Scripsit *epistolas plurimas*, *supra* 200. utilissimas & doctissimas, quarum duæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 3. edit. 2. Extant etiam apud Surium die 16. Decembr. *vita sancti Platonis Abbatis*, prædecessoris S. Theodori, ab ipso sancto Theodoro Studita conscripta. Extant quoque *Catecheses & homiliæ* ejusdem Theodori Studitæ, Antuerpiæ editæ interpretibus partim Andrea Schotto, Societatis Jesu Præsbytero, partim Joanne Livinejo Canonico. Extat denique *Oratio de Cruce*, ejusdem auctoris, in secundo tomo de Cruce Jacobi Gretseri Societatis Jesu.

Dissertatio Historica.

Theodorus Abbas, seu Præpositus, ἡγούμενος, Monasterii, quod studium sive τοῦ Στουδίου, à primo fundatore studio dicebatur, pro Sanctarum Imaginum cultu multa passus est. Floruit initio sæculi noni, & sæpius dimicavit adversus Iconomachos Imperatores Leonem Armenum & Michaelem Balbum, & contra hæreticos adulterium posse licitum fieri ex dispensatione deblaterantes. Martyr decessit die 11. Novembris anni 826. ætatis 67. Consule Naucratis Confessoris encyclicam Epistolam ad persecutionem propter Dominum sustinentes, dispersos spirituales fratres, patresque, de obitu Theodori Studitæ Tomo 2. Auctarii Græco-Latini Bibl. Veterum Patrum auctore R. P. Francisco Combefis Ord. Prædicatorum. Vitam ejusdem Michael studita scripsisse dicitur, nondum, quod sciam, ab ullo in lucem Græcè simul ac Latinè editam. De eo ejusque fratre Josepho Archiepiscopo Thessalonicensi, Auctores Græci, Joannes Zonaras, Curopalates, Cedrenus, & ex iis aliisque Baronius, ex eo autem cæteri recentiores. Erravit autem non mediocriter Possevinus dum asserit vixisse sub Iconomachis Imperatoribus Copronymo ejusque filio Leone, ideoque multa tulisse ob venerationem Imaginum, quas egregiè propugnavit: id enim factum sub Impp. Leone Armeno & Michaele Amoriensi, Nicephori Logothetæ & Michaelis Curopalatæ in Orientis imperio successoribus. Idem quoque paulò post Xylandrum, qui Cedrenum vertit & Theodorum notis compunctum cum fratre Theophane Graptorum Episcopum ineptè vocavit, κινημονικῷ ἁμαρτήματι in Bibliandrum commutavit: aut quod verius est, in notas R. P. Jacobi Gretseri ad Tomum 2. de Cruce à Typographis properantibus errorem invectum & ipse properans exscripsit.

R. P. Jacobus Sirmondus Soc. Jesu paulò ante mortem editioni parabat pleraque Theodori hujus studitæ opera Græcè & Latinè, quæ hactenus lucem non viderunt, ac potissimùm epistolas, quarum plerasque olim in gratiam Cardinalis Baronii Latinitate donaverat, quæ insertæ leguntur Annalibus Ecclesiasticis annis 814. 818. 823. &c. Quod autem absolvere non potuit, translatus ad superos, id ex nostris fortè aliquis per otium agredietur. In Bibliothecis Veterum Patrum, & quibusdam aliis collectionibus, hæc opuscula observari poterunt à Curiosis.

I. *Sermones Catechetici numero* 134. interprete Joanne Livinejo Belga, Canonico Antuerpiensi, quos post ejus obitum opera Andreæ Schotti Soc. Jesu in apertum emisit Miræus & Cardinali Bellarmino dicavit anno 1602. in 8. cum Homiliis S. Eucherii

A falsò Eusebio Emisseno tributis. Quid verò de interpretis ejus Latinitate sentiendum sit, ac variis ejusdem in versione Catecheseon aberrationibus consulenda libri 1. Variarum Lectionum ex adversariis R. P. Jacobi Gretseri à Georgio Stengelio ejusdem Societatis Jesu Theologo Selectarum & anno 1628. Ingolstadii in 8. editarum, capita 1. ubi de Stylitis seu Cionitis, dein 2. ac 3. in quibus multa ad Ecclesiasticam Græcorum disciplinam spectantia Lector studiosus reperiet.

II. *Sermo in Dominicam IV. Jejunii.*

III. *Testamentum ejusdem Studitæ* interprete R. P. Jacobo Sirmondo in Annalibus Ecclesiasticis Baronii an. 826.

B IV. *Fragmentum ex epistola 4. ad Naucratium filium*, in qua, ut id ex Possevino exscribam, agit de hæresibus & schismate, hæresumque catenam esse, inquit, à Dœmone contextam, aliam alii connexam, omnibus tamquam ab uno vertice impietatis appensis, etiamsi diversas cognominationes sortitæ, & loco, & tempore, & qualitate, & potentia, & actu differunt.

V. *Fragmentum ex epistola ad Gelasium ex Monasterio profugum, & ad omnes scripta apostatas*. Et libro 2. de Votis Monasticis R. P. Francisci Turriani Soc. Jesu.

VI. *Canon qui canitur in erectione Sanctarum Imaginum*. Verùm rectè Baronius docuit non esse Studitæ Theodori germanum fœtum, qui obiit ante pacem Ecclesiæ redditam, sed alicujus ex discipulis Monasterii Studitarum, fortasse Naucratii, aut alterius ex Confessoribus illis, qui sub persecutione diversorum Imperatorum multa pro cultu Sacrarum Imaginum passi sunt. Alii verò Hymni ac Canones reperiri dicuntur in Ritualibus Græcorum libris, qui parentem hunc agnoscant Theodorum Studitam.

C

VII. *De honore & adoratione Sanctis Imaginibus exhibenda* quod seorsim prodierat Antuerpiæ apud Jo. Stelsium anno 1556. cum tribus libris S. Jo. Damasceni adversus eos qui traducunt & criminantur Sanctorum Imagines. Dogmatica illa de veneratione Imaginum excusa fuit Romæ anno 1553. Græcè cum S. Jo. Damasceno de Imaginibus.

D VIII. *Oratio in adorationem vivificæ Crucis media Quadragesima* Græcè & Latinè interprete R. P. Jacobo Gretsero Soc. Jesu Tomo 2. de Cruce unà cum fratris ejus Josephi Thessalonicensis Archiepiscopi altera oratione in eamdem pretiosam ac vivificam Crucem.

Iis verò accedet veluti corollarium, quod reperitur apud Surium die 16. Decembris & in Historia Veterum Patrum Laurentii Barræi, *Encomium de Vita & operibus Sancti Platonis Confessoris*, Theodori nostri in gubernatione Studiani Monasterii antecessoris.

Baronius in Annalibus ad an. 816. num. 15. hæc recitat Studitæ verba ex ejus vita à Michaele scri-

E pta: Dominici Corporis participatio corporis simul & animi alimentum esse solet (habebat enim ubique Pater secum partes aliquas vivifici Corporis, peragebatque divina mysteria quandocumque celebrandi facultas erat) hunc ego solum cibum capiam, &c. quæ præstigiator Aubertinus negat intelligi posse de proprio Domini Corpore; tum quòd alimentum corporis esse nequeat, at hoc quomodo fiat non solùm Theologi in Scholis, sed & in Catechesibus explicant ipsi τῶν ὀρθοδόξων; tum quòd neque proprium Domini Corpus in partes dividi possit, neque illius particulæ à toto separatæ haberi. Demens, qui non viderit, aut impostor qui dissimulaverit, per partes Corporis Christi à Græcis Latinisque Orthodoxis intelligi Particulas seu formulas aliquot consecratas, in quarum singulis

gulis verè ac realiter contineatur Corpus Christi. At hæc aliàs pluribus.

De Benedicto Abbate. 820.

SUPPLEMENTUM.

BENEDICTUS Fundator & primus Abbas Anianæ circa annum 800. quod Cœnobium est nobile Diœcesis Magalonensis in Gallia Narbonensi, Ordinis Divi Benedicti claruit temporibus Pipini Regis Francorum, Caroli Magni & Ludovici Pii Imperatorum à quibus postremis ob Sanctitatem notissimam ac eminentem scientiam eximiè cultus est, factus etiam Abbas ac Pater plurium Abbatiarum, ut Gellonis, Masciaci, &c. Ad Ordinem in eis conservandum, atque restaurandas regulares observantias, lapsu temporum ac corruptione morum disjectas, inter varias occupationes quibus à scribendo impeditus non est, composuit insigne volumen *Concordiam Regularum* appellatum, ad facilitandum omnibus Monachis professionem Regulæ Benedictinæ impressum Opus Parisiis in 4. anno 1638. cura & studio Domni Hugonis Menardi Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri, cum suis doctissimis observationibus ac Notis. Idem Abbas Benedictus collegit in unum volumen *omnes Regulas Cœnobiticas*, quæ usque ad sua tempora remanserant, quas ex manuscripto Codice evulgavit in 4. Lucas Holstenius, cum nonnullis ab eo adjunctis posterioribus Regulis, anno 1663. Parisiis apud Ludovicum Billaine in aula Palatii. Addidit & *Collectaneum ex variis Sanctorum Patrum Opusculis* Benedictus Anianensis, quod pariter editum ab eodem Holstenio. Denique *paucas etiam Epistolas*, quæ referuntur (nisi fallor) post Vitam Sancti Benedicti Anianensis ab Ardone Smaragdo ejus discipulo & Aniano Monacho conscriptam, à Bollando ad diem 11. Februarii, & à Joanne Mabillon tom. 1. sæculi quarti Sanctorum Ordinis D. Benedicti. Obiit Benedictus Anianensis Abbas die undecima Februarii anno 821. ætatis 70. in Monasterio Indæ propè Aquisgranum: de quo Gallia Christiana Sammarthanorum fratrum tom. 4. pag. 54. ubi de Abbatibus seu Prælatis Anianensibus, Hugo Menardus post Ardonem Smaragdum quem edidit, in prolegomenis ad concordiam regularum; Lucas Holstenius in iisdem prolegomenis ad Codicem Regularum, Bollandistæ ad diem undecimam Februarii, Joannes Mabillon sæculo quarto Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, tomo seu parte I. pag. 191. & sequentibus.

De Eigili Abbate 820.

SUPPLEMENTUM.

EIGIL Fuldensis Abbas quartus ab anno 818. ad 822. vir pius & sanctus, litteris mandavit *gesta præcipua sancti Sturmii præceptoris sui*, in cujus *discipulatu*, ut ipse in prologo suo affirmat, *plus quàm viginti annos conversatus fuerat*, cui & morienti adfuit. Quin etiam opus suum censuræ Monacho- „ rum Fuldensium subjecit non semel. Nam lectio- „ nem libri illius, quem de vita supradicti Abba- „ tis & origine Monasterii Fuldensis, Christi gra- „ tia largiente composuit, Fratribus ad mensam „ recitari præcepit, teste Candido Monacho in *ip-* „ *sius Eigilis actis*: quatenus hi eadem mirabilia „ divinæ operationis audientes, gratias divinæ Ma- „ jestati referrent, & omnis jucunditas festivitatis „ ipsius, in ejus laude personaret. Edidit illam Christophorus Brovverus in collectione virorum illustrium Germaniæ, inde conjectam apud Surium ad diem 17. Decemb. tum denique apud Joannem Mabillon sæculo 3. *Sanctorum Ordinis D. Benedicti* tom. 2. pag. 267. & seqq. de quo idem Mabillon sæculo 4. *Sanctorum ejusdem Ordinis* tom. 1. pag. 226. & seqq.

De Candido Monacho. 820.

SUPPLEMENTUM.

CANDIDUS Fuldensis Ordinis Divi Benedicti Monachus, florebat anno circiter 826. qui scripsit carmine & soluta oratione *Vitam sancti Eigilis quarti Abbatis Fuldensis*, quam primus edidit Christophorus Brovverus Soc. Jesu Presbyter Theologus anno 1616. Moguntiæ in 4. insertam *Syderibus Germaniæ*. Eamdem habet Joannes Mabillon sæculo 4. *Sanctarum Ordinis Divi Benedicti* tom. 1. pag. 226. & seqq.

De Adalhardo Abbate. 820.

SUPPLEMENTUM.

ADALHARDUS Comes Palatii, filius Bernardi Comitis qui Pipini frater fuit, Caroli autem Martelli majoris Domus Franciæ nepos, postea Corbejæ Galliarum Abbas, delegatur Romam ad Leonem Papam cum Bernario Episcopo in causa definitionis de Processione Spiritus sancti, ut notant Annales Francorum Veteres ac Fuldenses sub annum 809. & Vita Caroli magni auctore incerto. Particeps fuit conjurationis Bernardi Regis Italiæ adversùs Ludovicum Pium Imperatorem, unde in Aquitaniæ partes retrusus apud sancti Philiberti Monasterium secessit. Post hæc revocatus ab exilio anno 822. & Ecclesiæ suæ restitutus, uti testantur Vita Ludovici Imperatoris & Eginardus in Annalibus. Inquit enim ad annum 821. *Adelhardum quoque de Aquitania ubi exulabat, evocatum, Corbejæ Monasterio ubi prius fuerat, Abbatem ac Rectorem esse jussit, & Bernardum fratrem ejus reconciliatum eidem Monasterio reddidit*. Scripsit *Statuta Corbejensis Ecclesiæ*. quæ ex ms. Codice eruta habentur tom. 4. *Spicilegii* Domni Lucæ Dacherii, apud Dionysium Bechet & Ludovicum Billaine Parisiis in 4. anno 1661. Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus Epistola ad Episcopos Franciæ cap. 12. *Senem & Sapientem vocat, Domini Caroli Imperatoris Propinquum, Corbejæ Abbatem, inter primos Consiliarios, & auctorem libelli De ordine Palatii Regii*. Vitam ejus conscripsit Paschasius Radbertus Corbejensis Abbas, de quo infrà; decessit verò anno 826. ad diem 2. Januarii. Ab Hildemanno Episcopo Bellovacensi, quem Monachum ipse nutrierat, traditus sepulturæ in Basilica sancti Petri; eoque condecoratus Epitaphio.

Hic jacet eximius meritis venerabilis Abbas.
Noster Adelhardus, dignus honore senex.
Regia prosapies, Paradisi jure Colonus,
Vir caritate probus, moribus atque fide,
Quem dum sub tumulo recolis, tu quisque viator,
Cerne quid es, quid eris: mors quia cuncta rapit.
Nam post octavas Domini hic carne solutus,
Succedente die Astra petivit ovans.

Plura de sancto Adhelardo Clarissimus Paschasius Ratbertus qui Vitam scripsit; atque ex recentioribus Joannes Bollandus in *Vitis Sanctorum* ad diem 2. Januarii, Lucas Dacherius in Prolegomenis ad citatum tomum *Spicilegii*, Joannes Mabillon sæculo 4. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* tom. 1. pag. 306. & seqq.

De Josepho Archiep. Thessal. 820.

SUPPLEMENTUM.

JOSEPHUS Thessalonicensis Archiepiscopus frater sancti Theodori Studitæ, cum ipso exilium passus est anno Nicephori Logothetæ 7. Christi 809. ut testatur Cedrenus verbis sequentibus: *Anno 7. Imperii Nicephori Theodorus Studiani Monasterii Præpositus, ejusque frater Josephus Archiepiscopus Thessalonicæ, cum Platone incluso & reliquis Monachis, se à Communione Nicephori Patriarchæ segregarunt, propter Josephum Oeconomum, quòd is contra leges Constantinum & Theodoram* coro-

coronasset. Imperator ea arrepta occasione jussit contra eos Concilium institui, quod eos & Monasterio & Urbe ejecit. Qua de re & ipse Theodorus Studites Oratione in S. Platonem. *Exilium* (inquit) *jam decretum fuit, & Pater ipse Plato circumscriptus est in una quadam Insula, ex his quæ ante Urbem sunt quemadmodum & frater noster in alia quadam valdè aspera, munito quodam carcere ad exilium accedente*. Manserunt autem teste Zonara tres isti, Plato, Theodorus, & Josephus, in exilio usque ad Imperium Michaelis Rangabi seu ad annum 811. qui eosdem cum Patriarcha in gratiam reductos, liberos ad propria abire permisit. Hic autem Josephus scripsit *Orationem in exaltationem Crucis Dominicæ*, quam Jacobus Gretserus tom. 2. De Cruce Græco-latinam edidit, cum Oratione S. Theodori Studitę in *Adorationem vivificæ crucis media Quadragesima*, ibidem pariter impressa. Mortuus est circa annum 828. cujus anniversariam memoriam celebrant Græci quotannis die 13. Julii, ut ex Typico sancti Sabbæ datur intelligi. Ita Miræus in *Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 244. pag. 229.

De Ansegiso Abbate. 820.

SUPPLEMENTUM.

ANSEGISUS Abbas non Laubiensis uti hactenus creditum fuit, sed Fontanellensis seu sancti Vvandregisili in Normannia collegit anno 827. *Capitula Caroli Magni & Ludovici Pii ad sæcularem & Ecclesiasticam politiam spectantia lib.* 4. quos Petrus Pithœus primùm edidit Parisiis anno 1588. in 8. tum recudendos curavit ibidem anno 1603. Ansegisi exemplo Jacobus Sirmondus Capitula *Caroli Calvi* unum in fascem collegit, & Parisiis anno 1623. edidit in 8. apud Sebastianum Cramoisy via Jacobæa sub Ciconiis. Hæc autem omnia Capitularia cum aliis aliorum Regum plurimis hinc inde Comparatis capitularibus 2. in fol. tomis evulgavit, collatis inter se compluribus mss. Exemplaribus, Stephanus Baluzius anno 1677. apud Franciscum Muguet, Typographum Parisiensem Regium. Credunt plerique Ansegisum hunc Abbatem fuisse Laubiensem in Cameracensi tractu, persuasi auctoritate Sigeberti qui de eo ita scripsit ad annum 827. *Ansegisus Abbas Laubiensis Edicta Imperatoris Caroli magni & Ludovici Pii ad Ecclesiasticam legem pertinentia in duobus libellis digessit. Item Edicta eorumdem ad mundanam legem pertinentia in duobus æquè libellis digessit*. Sed nullus antiquior Sigeberto reperitur qui ista referat, imò Fulcuinus vetustus auctor qui originem & historiam Monasterii Laubiensis ante Sigebertum descripsit, veterumque Abbatum Laubiensium seriem dedit, nullam Ansegisi mentionem facit. Neque etiam Ægidius Vaulde qui anno hujus sæculi 1628. Vitam sancti Ursmari & historiam ejusdem Monasterii vulgavit, collectam ex veteribus monumentis Laubiensibus vicinarumque Ecclesiarum & Monasteriorum. Ita exactissimus Baluzius in præfatione ad lectorem præmissa suis præcitatis Capitularibus num. 39. & 40. ubi ea adjudicat Ansegiso Fontanellensi Abbati qui floruit sub Carolo magno & Ludovico Pio, mortuusque est anno 834. 13. Kalendas Augusti. His addidit Benedictus Levita *Libros tres alios*, ibidem impressos cum variis additionibus tom. 1. p. 801. & seqq. quorum Epitomen scripserunt *Isaac Lingonensis Episcopus*, *Herardusque Turonensis Archiepiscopus* ibidem pag. 1233. & 1283. itemque in Conciliis nuperæ impressionis tom. 8. *Epitome Isaaci* pag. 598. & *Herardi* ibidem pag. 627. De Ansegiso quem uterque Laubiensem Abbatem scribit, Possevinus in Apparatu sacro, Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 245. pag. 229. cum aliis qui dicta Capitula ediderunt, Sigebertum amplexi in suo Chronico ad annum 827. Plura Joannes Mabillon sæc. 4. Sanctorum Ord. D. Benedicti tomo seu part. 1. pag. 630. & sequentibus.

De Vufino Boetio Episc. 820.

SUPPLEMENTUM.

VUFINUS BOETIUS Episcopus Pictaviensis clarus temporibus Ludovici Pii Imperatoris circa annum 830. scripsit ad Godolenum Abbatem Nobiliacensem *Vitam sancti Juniani Abbatis Mariacensis*, quam habet Joannes Mabillon sæculo 1. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 307. quod editum apud Ludovicum Billaine in fol. Parisiis an. 1668. in Palatio Regio.

De Halitgario. 830.

HALITGARIUS EPISCOPUS Cameracensis, vixit tempore Ludovici Pii, & scripsit *libros quinque de vitiis & virtutibus, & ordine pœnitentium*, qui extant apud Henricum Canisium tomo 5. pag. 2. antiquæ lectionis.

DISSERTATIO HISTORICA.

HALITGARIUS post Hildegaudum, an. 816. defunctum, Cameracensis & Atrebatensis Episcopus, cum Ebbone Rhemensi Archiepiscopo anno 822. ad Danos, Evangelii prædicandi causa profectus est auctoritate Paschalis I. Papæ. Idem quoque anno 828. cum Ausfrido Nonantulæ Abbate à Ludovico Pio Imp. missus est Const. ad Michaelem Balbum Imp. Græcorum, unde reversus obiit 25. Junii anni 830. sepultusque est in Monte S. Eligii propè Atrebatum, ubi nunc Abbatia Canonicorum Regularium. De eo Sigebertus capit. 122. de Viris Illustribus, Baldricus Cameracensis libro I. Chronici Cameracensis, ubi falsò ait à Carolo Imperatore missum fuisse Const. Flodoardus libro 2. Historiæ Rhemensis, Aimoini Continuator libro 4. Annales Francorum Bertiniani, Fuldenses, & alii, Adam Bremensis Canonicus, &c.

De Vitiis & Virtutibus, de remediis peccatorum, & ordine seu judiciis pœnitentiæ libri quinque, rogatu ejusdem Ebbonis scripti cum libro Pœnitentiali secundùm Decreta Canonum, qui est sextus, extant Tomo 5. Magnæ Bibliothecæ Parisiensis Veterum Patrum, col. 950. & 952. ex Tomo primo lectionis antiquæ Henrici Canisii. Videndus quoque D. Hugo Menardus pag. 238. Observationum in librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ.

De Amalario Fortunato. 830.

AMALARIUS FORTUNATUS Episcopus Trevirensis floruit tempore Gregorii IV. summi Pontificis, & Ludovici Pii Imperatoris, cui libros suos dedicavit. Scripsit *libros quatuor de Ecclesiasticis officiis*. Item scripsit *librum de ordine antiphonarii*, in quo se missum fuisse testatur à Ludovico Imperatore ad Gregorium IV. Pontificem.

DISSERTATIO HISTORICA.

AMALARIUS Fortunatus, Trevirensis Ecclesiæ magnus Antistes, initio noni sæculi floruit, & anno 811. à Carolo Magno Imperatore missus est Constantinopolim cum Petro Nonantulæ Diœcesis Mutinensis in Italia Abbate, non ad Michaelem Balbum, ut scripsit Miræus in Notis ad

Honorii

Honorii Catalogum; (is enim anno demum exeunte 820. proclamatus est Imperator elapsis sex minimùm annis ab obitu Caroli Imperatoris) sed ad Michaelem Rangabe, Curopalatam dictum, Nicephori Logothetæ generum, & Stauracii successorem. Ea verò legatione perfunctus Amalarius obiit anno 814. ut Annales Francici testantur, & in sede Trevirensi nactus est Hettii successorem. De eo plura Brovverus noster in suis Trevirensibus Præsulibus Robertus in Gallia, ejusque Continuatores, atque interpolatores, aliique.

Docuit verò pluribus R. P. Jacobus Sirmondus in Notis ad Theodulphi Aurelianensis opera, quas per otium non sine fructu consulet Lector, hujusce Archiepiscopi fœtum esse.

Librum de Sacro Baptismate ad Carolum Magnum Imperatorem, qui falsò hactenus fuerat suppositus Alcuino.

Præter memoratum Bellarmino nostro Amalarium Archiepiscopum, fuit & alius eo paulò junior licèt una per aliquot vixerint annos, Amalarius Metensis Ecclesiæ Diaconus, (*a*) quem quidam etiam Fortunatum cognominant.

Hujus sanè, non verò Trevirensis Amalarii, habentur in omnium manibus sæpè excusi,

Libri quatuor de Ecclesiasticis seu Divinis Officiis, dicti vulgò Officiales, anno 827. jussu Ludovici Pii Imp. conscripti.

Nec non *Liber de Ordine Antiphonarii*, in quo se missum testetur ab eodem Ludovico Imperatore ad Gregorium Papam IV. qui ab anno 827. ad 841. Romæ Pontificatum gessit.

Ab eodem quoque ex diversis veterum Patrum sententiis concinnata est *Forma Institutionis Canonicorum & Sanctimonialium canonicè viventium*, quam Patres Aquisgranensis Concilii anno 816. probarunt. Vide Sirmondum in Notis ad Tomum II. Conciliorum Galliæ, ubi ex Ademaro Engolismensi Monacho, cujus Chronicon nuper editum est Tomo 2. novæ Bibliothecæ mss. librorum, observat Amalarium usum ad hanc collectionem perficiendam Regiis libris, qui in Palatio Aquisgranensi servabantur.

Vixit, ut ex superioribus liquere arbitror, ab anno 800. ad 835. aut 840. quo verò obierit anno ignoratur. Corrigendos verò moneo,

I. Qui Amalario Trevirensi, quem è legatione reversum anno 814. diximus decessisse, certè ad annum 827. non pervenit, libros quatuor de Officiis Ecclesiasticis tribuerunt cum Possevino, Bellarmino, & plerisque aliis nominatim Domno Constantino Cajetano Abbate S. Baronti, qui post R. P. Sirmondi Notas ad opusculum Ennodii Ticinensis de Cerei benedictione adhuc in luto hærere, atque in eodem turpiùs altiusque immergi maluerit, quàm ex eo cum Auberto Miræo, cæterisque qui deinde scripserunt, emergere. Inter Schedas litterarias ejusdem Sirmondi reperi de hoc argumento ad illum ipsum Constantinum elegantem epistolam, quam fortè describam, & in Appendice publicabo (*b*).

II. Honorium Augustodunensem, qui cap. 3. libelli 4. de Luminaribus Ecclesiæ, Metensem Episcopum appellat. III. Sigebertum Gemblacensem, apud quem cap. 87. de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, Attularius Monachus dicitur. IV. Qui sub Hetti Archiepiscopo eumdem fuisse volunt Trevirensem Archidiaconum.

V. Jacobum Usserium Armacanum, qui Lugdunensem Archiepiscopum extitisse, ex levi admodum conjectura suspicatus est, & cum Amolone ejusdem urbis Antistite nobis sat aliunde noto confudit (*c*).

Observandum quoque hìc obiter censeo, in Epistola Conventus Parisiensis de Imaginibus anno 824. celebrati ad Ludovicum Pium Imperatorem nominari venerabiles viros Halitgarum & Amalarium, qui in rescripto ejusdem Augusti ad Hieremiam Senonensem & Jonam Aurelianensem Antistites, dicuntur Episcopi, Hallitgarius quidem Cameraci, ut multa docent antiquitatis monumenta, Amalarius autem ille loci nondum mihi comperti.

(*a*) Errat enim haud dubiè Honorius Augustodunensis, qui Episcopum indigitat. Neque enim veteres qui ejus meminerunt Episcopalibus eum infulis decorarunt, atque ut cæteros sileam, Berno Augiensis Abbas cap. 7. de rebus ad Missæ officium pertinentibus Amalarium dumtaxat vocat Divinorum Officiorum indagatorem solertissimum, cujus dicta Catholicorum virorum sententiis fulgent munita, &c.

I. In Antiphonarii Prologo meminit Monasterii Corbienensis, an Corbionensis in Neutria ac Corbejensis ad Somonam in Belgica. II. docet se missum fuisse Romam à Sancto & Christianissimo Imperatore Ludovico ad Sanctum & Reverendissimum Papam Gregorium, & paulò antè Walam functum Legatione Romana abduxisse ex eadem urbe Antiphonarios secum in Franciam. III. Insinuat apertè se Metensi Ecclesiæ addictum illis præcipuè verbis: Ubi ordinabilius visum est mihi scriptum haberi in Antiphonario Romano quàm in nostro, ibi scripsi in margine R. propter nomen Urbis Romæ: & ubi in nostro, M. propter Metensem civitatem: Ubi nostrum ingenium cogitavit aliquid posse rationabilius illis ordinare, I. C. propter indulgentiam & charitatem. IV. Elisagarum Sacerdotem Dei apprimè eruditum & studiosissimum in lectione & Divino cultu fuisse inter priores primum palatii excellentissimi Ludovici Imperatoris. Cap. 21. Psalmum Venite, tradit se audivisse Constantinopoli in Ecclesia Sanctæ Sophiæ in principio Missæ celebrari: cap. 58. meminit Albini, & se venisse Romam anno 831. Verba ejus adscribo: Audivi illos canere in isto ordine quando videbar puer esse ante Albinum doctissimum Magistrum totius regionis nostræ. Post hoc veniens Romam anno ab Incarnatione Domini octingentesimo trigesimo primo indictione nona, sub imperio Domini & piissimi Imperatoris Ludovici & Apostolatu gloriosissimi Apostoli Gregorii: responsum est mihi à viris eruditis Sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ, &c. cap. 27. In eo loco ubi Metensis Antiphonarius habet, ideoque in stadio positus, in Romano verò continetur, ideoque in oratione positus. Legens ergo sermonem Sancti Augustini de pœnitentia inveni Sanctos in stadio positos. Itaque non mutavi hoc quod dudum nostra Ecclesia cœpit canere, idest, ideoque in stadio positus Domini JESU CHRISTI Confessor effectus est. Ut enim scriptum reperi, ita scribo hic, tum cap. sequentis initio: Olim quando solus Antiphonarius Metensis erat mihi notus in quo reperi, &c. Antiphonas in Matutinis diverso ordine positas inveni inter Metensem Antiphonarium & Romanum. Porrò quorsum hæc cæteris omissis exscripserim, intelliges ex his quæ adjungo.

Edmundus Aubertinus Calvinianus Minister pag. 925. Præstigiarum & Cavillationum de Sacramento Eucharistiæ putat se ex ejus Auctoris libris deprehendisse eum vixisse in Episcopatu Svessionensi, & ibi ministerium aliquod Ecclesiasticum exercuisse. Nam in præfatione libri tertii de Officiis Ecclesiasticis ait: Domino opitulante & intercedente B. Medardo confessore, cujus festivitas apud nos hodie celebratur, &c. Et in Tractatu de ordine Antiphonarii cap. 28. Addimus etiam pauca, quæ nostra regio sola continet, ut sunt Antiphonæ de Sancto Medardo & de Sancto Mauricio. Neque enim ap-

paret cui regioni id convenire possit quam Svessionensi Diœcesi, in qua constat SS. Medardum & Mauricium velut primas Sanctorum olim & nunc tenuisse, & studiosissimè cultos fuisse. Episcopum autem ibi non fuisse colligitur ex ejus epistola circa an. 827. scripta ad Hieremiam Senon. Arch. Magni successorem, & libris ejus de Officiis in codice Petaviano subjecta, ubi sic loquitur: Charissimo Patri & acutissimo rectori Hieremiæ vati intra Hierusalem Amalarius. Nam ita non solet Episcopum compellare Episcopus. In fragmentis librorum ejus de Officiis quæ habentur in codice Bibl. Thuanæ titulus talis est: Tomus Amalarii Abbatis de Divinis Officiis. Hæc ille quæ minimè persuadent, nec me à priore sententia dimovent. Fuerit enim Svessionensis patria aut certè Noviomensis, & in Metensi Diœcesi Diaconus ac fortè etiam, si volueris, Abbas, novoque, quod parabat ac moliebatur, Antiphonario, nonnullorum Sanctorum Officia inserere cogitaverit, quæ in veteri Metensi Antiphonario deerant; omnia rectissimè convenient, quæ ex ejus scriptis ab Aubertino prolata sunt: Multa Officia Sanctorum indidi in nostro Antiphonario, ex Romano quæ non habet Metensis Antiphonarius; cogitavi cur ea omitterem, cùm eadem auctoritate fulciantur, qua & illa, quæ scripta invenimus in Metensi, scilicet SANCTÆ MATRIS NOSTRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ. Hæc ex animo dicat, scribatque Aubertinus, & de Grege Calvini tum definet esse Minister. Certè falsum est, quod audacter asseruit, Amalarium studiosè passim distinxisse Antiphonarium Ecclesiæ IN QUA VIVEBAT, ab Antiphonario Metensi.

(*b*) Sirmondi nostri de Amalariis Epistolam, cujus aliàs spem Lectoribus feceram, ex schedis ejus penè situ jam attritis describere aggressus tamquam egregium operis nostri Emblema repræsentare non verebor. Hæc verò sic habet.

Quod in Notis ad Ennodium observaram AMALARIUM, cujus libri extant de Officio Ecclesiastico, non illum videri, qui Episcopus fuit Trevirensis, licèt ita vulgò nuncupetur, sed alterum ejusdem nominis Amalarium Diaconum, qui paulò post Episcopum floruerit; id tibi D. CONSTANTINE probari minimè potuisse, & privatis ad me litteris suis indicasti, & in ipsa, quam nuper edidisti, Amalarii Episcopi vita testatus es. In qua quidem, quod benignè & amicè, pro vetere consuetudine nostra me tractas, est sanè quòd gratias agam humanitati tuæ. Quod verò exposcis, ut sententiæ meæ rationes proferam, ut cum tuis scilicet comparentur, non potui tam justo desiderio hanc operam denegare. Novi enim candorem animi tui, nec diffido, quin ubi hæc nostra perlegeris, veritati manus statim daturus sis, agnituruſque te in hoc opere plus egisse, quàm putares, qui duorum Amalariorum, dum unius vitam scribis, actus & scripta complexus es. Nec verò ignoras, quàm frequens proclivisque hic error esse soleat, aut quàm facilè incautos abripiant tralatitii veterum librorum tituli ac ψευδογραφίαι, quas librariorum vel fraude vel incuria, seu alia qualibet ex causa conflatas, acrioris judicii hominum studio in dies deprehendi castigarique vides.

Nolo in iis quæ jam trita sunt, & ab aliis animadversa immorari: sume in manus Auctarium quod ad Sanctorum Patrum Bibliothecam postrema editione adjectum est, & libros septem evolve, qui contra Felicem Orgelitanum inibi leguntur, quam multis fucum faciat, quòd Paulino Aquilejensi Episcopo hi libri tribuantur; aut quis non rectè illum judicasse credat, qui hos libros quia in antiquo Nicolai Fabri V. C. ex quo desumpti sunt auctoris nomen nullum gerunt, propterea Paulino adscribendos censuit, quod in ipso eorum exordio Epistolæ ad Felicem eumdem antea scriptæ mentionem fieri videbat, Paulini autem Aquilejensis ad Felicem epistolam in Synodo Forojuliensi extare meminerat? Et tamen non Paulini, sed Alcuini opus esse hos libros, ipse nobis Alcuinus auctor est, qui libro adversus Elipantum Toletanum secundo è quatuor, qui in nobilissima Rhemensis Ecclesiæ Bibliotheca conservantur, & epistolæ exhortatoriæ suæ ad Felicem meminit, & libelli, quo Felix Epistolæ illi respondere nisus est. Tum deinde adversus libellum Felicis septem hos libros à se scriptos, eosque coram Carolo Rege & Episcopis lectos ac probatos fuisse commemorat.

In libris verò quinque adversus Eutychem, qui Vigilii Tridentini Episc. & Mart. nomine circumferuntur quantam crucem litteratis plerisque fixit, quòd Eutychis tempora cum Vigilii Mart. temporibus congruere non posse animadvertebant? adeò quidem ut de inscriptionis vitio nihil suspicantes, alii Vigilios duos Martyres & Episcopos somniarent, alii alia non minus absurda commenti sint. Frustra profectò. Nam horum librorum auctorem Vigilium, non Tridentinum, sed Africanum Episcopum fuisse, atque illos Constantinopoli in defensionem Leonis contra Eutychianistas Justiniano, ut reor, imperante, scripsisse docuit nos Theodulphus Aurelianensis in Collectaneis de Processione Spiritus Sancti ad Ludovicum Pium.

Par fuit in Ansegiso, qui Caroli & Ludovici Regum Capitula collegit, quorumdam allucinatio. Cùm enim Ansegisum hunc Lobiensem in Cameracensium diœcesi Abbatem fuisse ex Sigeberto constet, longeque diversum ab Ansegiso Senonum Archiepiscopo, quamquam is etiam Abbas ante Episcopatum fuerat, sed alterius in Bellovacis Monasterii cui à S. Michaele nomen non defuerunt tamen, qui utrumque Ansegisum confunderent, & digestorum in libros Capitulorum laudem Archiepiscopo perperam tribuerent.

Possent hujus generis plurima commemorari. Sed hæc pauca quæ protuli, satis opinor tibi esse debent D. Constantine, ut quod his tribus antiquis Scriptoribus accidisse ostensum est, idem Amalario contigisse si contendam, nihil alienum aut incredibile dictum arbitreris, mirarique desinas quòd libros qui de Ecclesiasticis Officiis scripti sunt, Amalarii Episcopi Trevirensis, ut vulgò inscribuntur, non esse monuerim.

Quonam autem argumento titulum hunc falsi redarguere certiùs possim, quàm si demonstrem, quo tempore hi libri vel tua sententia conscripti sunt, eo tempore ac multis ante annis mortuo jam Amalario Episcopo Hettium ejus successorem in Treverensi cathedra consedisse? Sensisti tu ipse quas vires habeat hæc argumentatio, qui cùm ex Moguntiaca Historia Serarii nostri animadvertisses Hettium Episcopum Synodo Moguntinæ quæ ab anno Christi DCCCXXXIV. habita dicitur, interfuisse, rectè auguratus es Amalarium Episcopum qui Hettium antecessit, ante illum annum, aut illam certè Synodum diem suum clausisse. Quare si Hettium ostendero totos decem aut etiam quindecim annos ante illam Synodum Treverensem cathedram obtinuisse, fateare pariter necesse est, Amalarium cui mortuo Hettius successit, ante totum id spatium vivere desiisse, ac proinde nec sedem Trevericam retinere, nec quicquam omninò scribere potuisse.

Et quidem Hettium jam inde ab anno DCCCXIX. Treviris sedisse non inani, nec frivola divinatione conjecerat illustrissimæ memoriæ Baronius Cardinalis, qui nobilem illam Missorum Dominicorum, inter

inter quos Hettius Trevirorum Archiepiscopus numeratur, sub Ludovico Rege Legationem quæ libro 2. Capitulorum cap. 25. describitur, ad Synodum Aquisgranensém eo anno celebratam pertinere non obscuris veterum Historiarum testimoniis confirmare conatus est. Tu verò, cùm Baronii de hujus Legationis anno sententiam reprehenderes, debebas scilicet, quo potius loco ac tempore institutam censeres indicare. At satis habuisti ad refellendam tanti viri auctoritatem hoc unum opponere ut diceres non potuisse Aquisgrani an. DCCCXIX. Hettium Synodo interesse, cùm Amalarius ejus in Episcopatu decessor anno DCCCXXXI. superstes adhuc fuerit, qui eo anno Romam se à Ludovico Imper. missum narret in Antiphonario. Nec vidisti te, quod in quæstione versabatur, id argumenti loco sumere. Quid enim tua investigatione dignius erat, quàm ut quod in Notis Ennodianis attigeram, & quod nunc agimus, id quæreres, unusne, an duo fuerint Amalarii, Episcopus Trevirensis & Ritualium librorum concinnator? Quos sanè diversos fuisse vel hoc uno Capitulorum indicio comprobari quamcumque te in partem vertas inficiari non potes. Demus enim Legationem istam Hettii Archiepiscopi in annum DCCCXIX. ut Cardinali placuit, non incidisse. At certè ante annum DCCCXXVII. quo anno Capitulorum collectionem edidit Ansegisus, necesse est contigisse, alioqui quomodo in eam collectionem, quod post illam gestum esset, referretur? Nunc ergo jam ante annum DCCCXXVII. Treverensem cathedram rexerit Hettius, qua ratione dici queat Amalarium qui quarto post anno Romam à Ludovico Imperatore missus est, illum ipsum Archiepiscopum fuisse, cui Hettius in Cathedra successit?

Nimiæ pervicaciæ hominem esse oportet, quem tam certæ ac tam perspicuæ rationis momenta non flectant. Sed ego tam absum ab eo sensu, ut absurdum tecum existimem Hettium anno DCCCXIX. Episcopali cathedræ præfuisse, ut anno etiam præcedenti Episcopum fuisse Hettio ipso auctore probaturus sim. Venerunt in manus meas paucis ab hinc annis Epistolæ aliquot Frotarii Episcopi Tullensis, è veteri codice Monasterii Sancti Petri Carnotensis. In his una est Hettii ipsius jam Episcopi ad Frotarium, quam integram, qui controversiæ nodum solvet, hoc loco subjiciam. Sic enim habet.

HETTI *misericordia Dei Archiepiscopus Diœceseos Trevirensis necnon & Legatus Ludovici Serenissimi Imperatoris venerabili fratri Frotario Tullensi Episcopo æternam salutem. Notum sit tibi, quia terribile imperium ad nos pervenit Domni Imperatoris, ut omnibus notum faciamus qui in nostra Legatione manere videntur quatenus universi se præparent, qualiter proficisci valeant ad bellum in Italiam: quoniam insidiante Satana Bernardus Rex disponit rebellare illi. Propterea tibi mandamus atque præcipimus de verbo Domini Imperatoris ut sollerti sagacitate provideas cum summa festinatione omnibus Abbatibus, Abbatissis, Comitibus, Vassis Dominicis, vel cuncti populo parochiæ tuæ, quibus convenit militiam Regiæ potestati exhibere, quatenus omnes præparati sint, ut si vespere eis adnunciatum fuerit mane, & si mane vesperi absque ulla tarditate proficiscantur in partes Italiæ, quia Dominus Imperator suum iter præparat ut quanto citiùs poterit, in partes illas una cum fidelibus suis pergat.* Hactenus verba sunt Hettii.

Age nunc Domne Constantine, temporum illorum Annales consule & docebunt hanc Bernardi Regis Italiæ adversus Ludovicum patruum conjurationem anno DCCCXVII. cœptam, anno sequenti Bernardi ipsius supplicio atque interitu compressam desiisse. Altero igitur horum annorum scriptam fuisse hanc epistolam fatendum est. Faciamus scriptam posteriore. Jam igitur anno, ut minimùm DCCCXVIII. & Archiepiscopus erat Hettius & Legatus Ludovici Imperatoris. Quare si quid hac in re lapsus est Baronius, in eo potiùs lapsus videtur quod Hettii Legationem origine sua posteriorem statuat. Hac nimirum fortè conjectura inductus quod Legatos seu Missos Dominicos, de quibus est dictum, in Synodo Aquisgranensi anni DCCCXIX. creatos putaverit, cùm Ludovici vitæ Auctor, cujus verbis nititur, non creatos in ea Synodo, sed peracta jam Legatione auditos narret: ex quo liquet multo antè institutos ac designatos videri.

Maneat itaque anno minimùm DCCCXVIII. Episcopum Hettium fuisse. Jam tum ergo, ut paulò superiùs argumentabar ex vivis excesserat Amalarius Episcopus qui Hettium antecessit. Quare auctor esse idem non potuit, non modò libri de ordine Antiphonarii, quem post annum DCCCXXXI. certum est in lucem exiisse, sed nec aliorum quidem librorum, qui de officio Ecclesiastico nuncupantur, quos constat, licèt aliquot annis quàm Antiphonarius scripti sint, post Judith tamen Augustæ, cujus in illis est mentio, nuptias, hoc est post annum DCCCXIX. compositos fuisse.

Quæ cùm ita sint, vides profectò, ac nisi me animus fallit, pro eo qui in te est amore veritatis minimè dissimulas, non levi nos nec futili conjectura ductos, sed necessaria prorsùs ratione permotos, Amalarium, qui rituales libros condidit alium ab eo qui Archiepiscopus fuit Trevirensis graduque & ætate disparem, hoc est Diaconum tantùm ac paulò juniorem pronuntiasse. Sed de diversa ætate, inquis, ut concedam, cùm ex iis quæ dicta sunt horum librorum auctor Amalarius Amalario Trevirorum Episcopo superstes aliquot annis fuisse videatur, de Diaconi gradu unde habes quod persuadeas? Hoc à te nimirum jure quodam nunc exposci sentio. Neque enim dubito, quin mirum tibi videri possit, Diaconum tantùm appellari, quem Episcopum fuisse tibi persuaseris, cujusque Episcopatus insignia tibi visus es in baculis illis, quorum libro 3. cap. 18. meminit, deprehendisse.

Ut igitur quod reliquum est pensi exolvam, evellenda prius est animo tuo hæc falsa de baculis suspicio, ne baculos seu virgas Episcopales intelligi putes, de quibus si loqueretur Amalarius, cùm in eorum se numerum collocet, qui baculos dum Evangelium à Diacono recitatur, è manibus ponant, Episcopum sanè haud frustra conjiceres. Verùm ille non Episcoporum, ut dixi, baculos significat, sed Præcentorum. Horum apud vos nullus est usus, ideò in mentem fortasse non venerunt, sed qui in Galliis versati sunt, & Cantores in Ecclesiis nostris cum baculis incedentes, Chorumque moderantes, ac vetere nunc etiam ritu, baculos dum audituri sunt Evangelium è manibus ponentes viderunt, facilè quid hi ab Episcopalibus baculis differant, intelligunt, nec ambigunt quin de his sermo sit Amalario. Neque tu ambiges, opinor, si auctores alios inspicis qui eadem in re cum argumentum idem tractant, Cantorum baculos disertis verbis commemorant. Itaque nihil est hac in parte quod Amalarii Episc. suspicioni suffragetur.

Mihi verò cur Diaconum dixerim, gravissimus, & cujus tute auctoritatem non defugies, auctor est Ademarus Monachus Ordinis tui in cœnobio Engolismensi, cujus Historica Collectanea, licèt publicam lucem nondum viderint, peritorum tamen judicio, qui eorum sæpè testimoniis usi sunt, famam laudemque meruerunt. Hujus, inquam, ubi de Synodo Aquisgranensi agit, quam Ludovicus Imperator anno imperii sui tertio convocari jussit, hæc sunt

sunt verba. *Aquisgrani habito Concilio, idest Indictione decima anno Imperii sui tertio ab Incarnatione Domini DCCCXVI. jussit fieri Regulam Canonicis excerptam de diversis Patrum scripturis, decernitque eam observandam à Canonicis, ut sicut Monachi respiciunt ad librum Regulæ S. Benedicti, sic perlegant Canonici inter se librum Vitæ Clericorum. Quem librum Amalarius Diaconus ab Imperatore jussus collegit ex diversis Doctorum sententiis. Dedit ei Imperator copiam librorum de palatio suo, ut & ipsis ea quæ viderentur congrua excerperet, & ita cum decretis Episcoporum, qui ibi fuerunt, Vita Clericorum roborata est. Scripsit eidem Imperatori supradictus Amalarius librum de Officiis Divinis & de varietatibus eorum, & de ordine Psalmorum juxta Clericorum usum antiquum.*

Non ibis inficias, Domne Constantine, librum de Divinis Officiis ab Ademaro dici libros quatuor quos de Ecclesiastico, ut inscribi solent, Officio composuit Amalarius. De ordine verò Psalmorum appellari eum, qui de ordine est Antiphonarii. Vides ergo utriusque operis auctorem Amalarium non Episcopum sed Diaconum vocari, & quod nemini adhuc observatum est, dignumque animadversione tua videtur, eumdem ipsum Amalarium qui rituales libros scripsit, ejus etiam operis collectorem auctoremque fuisse, quod hodieq; in Synodo illa Aquisgranensi legitur, & Regula Clericorum nuncupatur.

Hoc tibi esto responsionis nostræ corollarium & finis. Jam enim abundè videor petitioni ac desiderio tuo satisfecisse. Tuum nunc erit deliberare, utri fidem præstare malis, Trithemio, qui primus patrum ferè nostrorum memoria hos libros Amalario Fortunato Trevirorum Archiep. suapte conjectura ductus attribuit, an Adhemaro, qui Amalarium horum librorum auctorem ab Archiepiscopo distinguit, & ea quam protuli, rationum argumentorumque copia & auctoritate defenditur. Hactenus Sirmondi nostri τοῦ μακαρίτου Epistola, ex qua plurima discent etiam peritissimi quique Antiquitatis Ecclesiasticæ investigatores.

(c) De Amalario, quem libro de tribus Epistolis proscindit Remigius Lugdunensis Archiepiscopus, aut quisquis illius commentarii auctor, & de Amolone, qui modò Amalus nunc Homulo aut Amulus, scriptus reperitur, congessit Ludovicus Cellotius noster in doctissimo opere de Historia Gothescalci, nosque, Deo dante, quid de utroque sentiendum sit, aperiemus suo, cùm fuerit commodum, & loco & tempore.

S u p p l e m e n t u m.

AMALHARIUS Fortunatus Trevirensis Archiepiscopus scripsit libellum anno 811. ad Caroli Magni Imp. instantiam de Sacro Baptismate, qui legitur inter opera Alcuini, ut supra diximus in Alcuino, ex annotationibus Jacobi Sirmondi & Stephani Baluzii quos ibi allegavimus. Obiit Amalharius Trevirensis Archiep. anno 814. de quo plura possunt legi apud Christophorum Brovverum Soc. Jesu Presbyterum in Annalibus Treverensibus, Sammarthanos fratres in Gallia Christiana, verbo *Treverenses Archiepiscopi*, & alios.

AMALHARIUS Metensis Diaconus & Abbas in antiquis mss. Codicibus appellatus, sub cujus nomine extant *Lib. 4. De divinis seu Ecclesiasticis*, anno 827. Jussu Ludovici Pii Imperatoris compositi. Item *Liber unus de ordine Antiphonarii* in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Lugdunensis anni 1677. itemque *Libri 2. Institutionum seu Regula Canonicorum & Sanctimonialium canonicè viventium*, in Conciliis impressionis ultimæ anni 1671. tom. 7. pag. 1307. de

A quibus Aubertus Miræus in Bibliotheca Ecclesiastica Scholio ad cap. 3. libelli 4. Honorii Augustodunensis pag. 128. ac post eum doctissimè Labbeus in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis, quibus addo. Item ejusdem Amalharii *Ecloga in Canonem Missæ* tom. 2. Capitularium Baluzii pag. 1352. Itemque *Epistolæ nonnullæ* ad Episcopos, de quibus Stephanus Baluzius in notis ad opera Agobardi tomo 2. pag. 143. quas evulgavit Lucas Dacherius tom. 6. Spicilegii pag. 164. & seqq. Observandum porrò est librum 4. Officiorum divinorum Amalharii non extendi ultra caput 47. ut patet ex libro Sancti Agobardi adversùs prædictum Amalharium, ubi dum refutat caput ultimum libri quarti, ea refert quæ conveniunt capiti 47. ut videre est. tom. 2.
B operum Agobardi per Baluzium pag. 119. Hinc patet *Supplementum* ad libros quatuor Amalharii de Officiis divinis, quod caput 48. inscriptum est tomo 2. Analectorum pag. 96. à Joanne Mabillon impressum; esse assumendum, quod proprio capite his libris adjunxit Adhemarus Monachus Benedictinus; dum hos libros transcribi fecerat, ut habet Joannes Mabillon in Annotationibus pag. 140. nec sanè cohæret hoc Supplementum cum aliis & ultimis horum librorum capitibus, ut legenti clarum est. Itaque hoc Amalharii Opusculum est inscribendum *Supplementum Adhemari ad libros Amalharii de Officiis divinis* quod conscripsit ex amore singulari
C in Regulam Divi Benedicti quam profitebatur. Floruit & vixit Amalharius Metensis usque ad annum 840.

De Nithardo. 830.

NITHARDUS, Caroli Magni nepos ex Bertha filia, scripsit *libros quatuor de dissidio filiorum Ludovici Pii Imp.* incipit autem ab excessu Caroli Magni, idest, ab anno Dom. 814. & perducit historiam ad annum Dom. 843. Extat hæc historia cum Chronico Frodoardi, & Annalibus Francorum, excusa Parisiis anno Dom. 1588.

D Dissertatio Historica.

NITHARDUS, sancti Angilberti ex Berta Carolo Magno genita filius, vixit sæculo Christi nono post an. 844. De eo Vossius, Barthius, aliique recentiores post V. C. Paulum Petavium Senatorem Parisiensem in Syntagmate, quo docet in prælio adversus Danos anno 853. vulneratum in capite occubuisse, & in Ecclesia S. Richarii, cujus per annos 25. fuerat Abbas, sepultum fuisse.

Libri quatuor de discordia filiorum Ludovici Pii Imperatoris ac Regis Francorum ad Carolum Calvum, qui desinunt in annum 843. quo anno scribebat, evolutis ferè à morte Caroli Magni avi sui annis 30.
E Edidit primò Petrus Pithœus anno 1588. Parisiis, in 8. cum aliis coætaneis scriptoribus, deinde Andreas Duchesnius Tomo 2. Historicorum Franciæ coætaneorum præmisso pag. 351. de Nithardo Caroli Magni nepote ac tota ejusdem Nithardi prosapia brevi Syntagmate è Pauli Petavii in Francorum Curia Consiliari bimestri rerum Prolatarum otio.

De Freculpho Lexoviensi. 830.

FRECULPHUS Monachus S. Benedicti, & postea Episcopus Lexoviensis, eodem Ludovico Imperatore floruit. Scripsit enim *ad Juditham* Ludovici uxorem *libros quinque historiæ universalis* ab orbe condito usque ad annum Domini sexcentesimum: sed ipse vixit usque ad annum Dom. 840. in eo au-

eo autem falsus fuisse invenitur, quòd scripsit tom. 2. lib. 4. c. 20. Gothos ab Arianis ad fidem Christianam fuisse conversos. Scribit enim Theodoretus lib. 4. histor. cap. ult. Gothos ab Ulphila Episcopo fidem Catholicam fuisse edoctos, sed postea tum ipsum Ulphilam, tum ejus populos ab Arianis fuisse seductos: neque enim hæretici Paganos convertere, sed Catholicos pervertere norunt, ut scribit Tertullianus in lib. de præscriptionibus.

DISSERTATIO HISTORICA.

FRECULFUS, ex Monacho Fuldensi Ordinis S. Benedicti, Lexoviensis in Neustria post Launobodum Episcopum, scripsit Chronicon ab Adamo ad annum Christi circiter 600. Subscripsit Conciliis Parisiensi anno 846. & Turonensi IV. anno 849. celebratis. Successor ejus Airardus interfuit Concilio Svessionensi II. anno 853. ideòque obitus Freculfi in anno 850. aut sequenti videtur collocandus. Dies etiam ignoratur. Ejus meminerunt Rabanus Fuldensis Abbas, qui ei suos in Genesim Commentarios inscripsit, Lupus Ferrariensis Abbas Epist. 84. Sigebertus cap. 90. de Viris Illustribus; Jo. Trithemius in libro de Scriptoribus, & in Chronico Hirsaugiensi, ut recentiores omittam.

Primam partem Chronici, ab ortu rerum usque ad Christum & Octaviani Imperatoris ætatem septem libris comprehensam dicavit suo quondam præceptori Elisachari, Abbati per ea tempora celeberrimo.

Alteram partem à Christo Domino usque ad regna Francorum ac Longobardorum, annumque circiter 600. divisam in quinque libros misit ad Juditham Augustam Ludovici Pii conjugem, & Caroli Calvi matrem. Extat verò Chronicon illud tum seorsim excusum, tum in Bibliothecis Sanctorum Patrum.

De Hilduino Abbate. 830.

HILDUINUS Abbas S. Dionysii petente Imperatore Ludovico Pio scripsit *Areopagitica*, quæ extant cum epistolis præfixis Ludovici ad Hilduinum, & Hilduini ad Imperatorem. Reperiuntur hæc apud Surium tom. 5. die 9. Octobris. Sed quod in extremo libro Hilduinus scribit, passum esse sanctum Dionysium anno Domitiani 16. ingruente, & Christi 96. non caret dubitatione: nam S. Ignatius martyrium fecit anno 11. Trajani, teste S. Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Ignatio. Sanctus autem Dionysius martyrio consummatus est post sanctum Ignatium, quem nominatim citat in libro de divinis nominibus cap. 4. citat autem ex epistol. ad Romanos quam scripsit sanctus Ignatius illo ipso anno, quo mortuus est: notum verò est Trajanum post Domitiani, & successoris ejus Nervæ obitum, imperasse. Itaque necesse esse videtur, ut S. Dionysius non sub Domitiano; sed sub Trajano, vel Hadriano, & non anno Christi 69. sed post annum Domini centesimum obierit.

DISSERTATIO HISTORICA.

HILDUINUS, sancti Dionysii ad Parisiensem civitatem Abbas, Sacri Palatii Archicapellanus, atque Imp. Ludovico Pio charissimus, ejusque filio Lothario, cujus partes sequutus, relicto Monasterio suo, videtur in Italiam Austrasiamve profectus, ibique mortuus, sed quo anno vel die, nondum satis compertum, ut monui in Diatriba de Galliæ Cancellariis. Sunt qui anno 842. tricesimo Octobris mortuum asserant, sed idoneus auctor quæritur. Aimoini Continuator atque interpolator Annalium Eginarthi & Vitæ Ludovici Pii ab Anonymo scriptæ, jam ab anno 838. obiisse falsò dixit cap. 19. libri 5. his verbis quæ Historiæ narrationi ut pleraque alia intexuit: *Dans ei*, Ebroino, *regimen Abbatiæ Sancti Germani Parisiensis (nam Hilduinus Abbas vita decesserat.)* De eodem plura cap. 11. libri quarti in additamentis ad Annales Eginarthi anno 826. Rabanus ei suos in 4. libros Regum commentarios inscripsit. Ejus meminerunt Nithardus libri 1. & 2. Historiæ suorum temporum, Annales Eginarthi, Fuldenses, aliique, Notgerus Leodiensis Ep. ad Herefridum Abbatem præmissa vitæ Sancti Remacli, Sigebertus Gemblacensis cap. 82. Catalogi, & in Chronico anno 825.

Areopagitica, jussu Imp. Ludovici Pii scripta, edita sunt primùm à Matthæo Galeno Westcapellio Coloniæ 1563. deinde à Surio ad 9. diem Octobris, vulgata cum mutuis eorumdem Ludovici & Hilduini Epistolis. Sirmondus ad calcem Tomi 2. Conciliorum Galliæ solam Imperatoris epistolam exhibuit. (a)

(a) Idem verò in Dissertatione de duobus Dionysiis, & post eum Joannes Launojus & Joannes Morinus prolixè ejus Areopagetica refutarunt, ac Gregorium Turonensem Archiepiscopum Historiæ Francicæ scriptorem ab ejus censura vindicarunt. Cùm hæc Typographo committuntur emendanda defertur ad me ejusdem Launoji recens è prælo liber varia complexus de duobus Dionysiis Atheniensi & Parisiensi opuscula, quorum fronti ejusdem Sirmondi Dissertatio de eadem materia, cujus exemplaria jam pridem desiderabantur ab eruditis, præfigitur. Pag. 54. occurret de Areopageticis Hilduini judicium secundis curis correctius & auctius.

De Jesse Episc. 830.

SUPPLEMENTUM.

JESSE Ambianensis Episcopus à Carolo Magno Constantinopolim ad Nicephorum Imperatorem Legatus anno 802. missus fuit & Caroli testamentarias tabulas anno 811. signavit. Longam scripsit *Epistolam Catecheticam ad Sacerdotes, & omnes in sua Diœcesi Christo militantes*, quam Joannes Corderius Hincmari Opusculis pag. 664. Lutetiæ Parisiorum anno 1615. editis subtexuit. Obiit autem Jesse anno 836. de quo Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 266. fratres Sammarthani tom. 2. pag. 94. Galliæ Christianæ in Episcopis Ambianensibus.

De Frotario Episc. 830.

SUPPLEMENTUM.

FROTARIUS Tullensis Episcopus florebat anno circiter 830. qui scripsit *librum Epistolarum ad varios Præsules*, à quibus & alias acceperat, quem ex mss. Codice Carnotensis Ecclesiæ eductum evulgavit Andreas Duchesnius tom. 2. Historicorum Franciæ pag. 719. & seqq. qui apud omnes Galliæ Bibliothecas noti sunt. Habetur nomen Frotarii Tullensis Episcopi in Cartulario Arremarensi ad annum 837. de quo Sammarthani fratres in Gallia Christiana tom. 3. verbo *Tullenses Epicopi*.

De.

De Hildemaro Monacho. 830.

SUPPLEMENTUM.

HILDEMARUS Monachus Gallus, evocatus circa annum 830. à Ramperto Brixiensi Episcopo in Italiam, cui & Leutgario Abbati commisit sanctorum Faustini & Jovitæ Ecclesiam, in qua Sacra neglecta erant, restituendam ad severioris vitæ normam. Scripsit *insignem commentarium in Regulam sancti Benedicti*, ms. in Bibliotheca sancti Benigni Divionensis, quem habet editioni paratum Joannes Mabillon, ut ait tom. 2. Analectorum pag. 84. Hic autem Commentarius eo quod in Monasterii Cassinensis Bibliotheca à multis temporibus conservaretur, Paulo Diacono Cassinensi Monacho à sexcentis annis adscriptus est, primùm à Leone Marsicano Cardinale in Chronico Cassinensi lib. 1. cap. 15. tum à Petro Diacono & Bernardo Cardinale & Abbate Cassinensi & aliis: quamvis viri doctissimi nostro tempore Benedictus Haeftenus & Angelus de Nuce Abbas Cassinensis, istud opus Paulo Diacono meritò abjudicent, imò idem Joannes Mabillon tom. 4. Analectorum pag. 638. asserit vidisse se opus istud ms. in Bibliotheca Monasterii Augiensis seu Augiæ divitis in Germania cum hoc Lemmate: *Incipit expositio Basilii Abbatis, super Regulam sancti Benedicti Abbatis primitus*. Sed auctori suo legitimo reddit codex ms. Divionensis, & in pluribus mss. Gallicanis expositio hæc Hildemaro tribuitur, favetque *Epistola ipsius Hildemari ad Ursum Episcopum Beneventanum*, quæ in expositione capitis 38. Regulæ integra refertur: vixit Hildemarus usque ad annum 840. ut credimus: de quo Joannes Mabillon locis citatis.

De Theosteriсto. 830.

SUPPLEMENTUM.

THEOSTERICTUS sancti Nicetæ Confessoris & Hegumeni Mediciensis in Bythinia discipulus, scripsit *Vitam Magistri sui* anno 824. mortui, paucis post mortem annis, quam græcè & latinè habes apud Bollandistas ad diem tertiam mensis Aprilis.

De Hattone Episc. 830.

SUPPLEMENTUM.

HATTO sive HETTI vel HETTO, Basileensis Episcopus, una cum aliis aliquot Nobilibus viris, jussu Caroli Magni ad Nicephorum Constantinopolitanum Legationem obiit anno 811. ut in Annalibus Francorum legitur, quos Petrus Pithœus edidit. Hac occasione Hodœporicon, sive Itinerarium contexuit, quo iter à se in Græciam susceptum descripsit, quod lapsu temporum interiit. Scripsit quoque *Librum de Visionibus, sive de Vita Vvettini Monachi*, quam Visionem expressit Carmine heroico Vvalfridus Strabus anno 825. Utrumque autem Opus impressum à Joanne Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 1. pag. 263. & 272. Item longè antea Opus Hattonis prosaicum *de Visione Vvettini Monachi* impressum fuerat, cum Visionibus sanctæ Mechtildis Abbatissæ, Hildegardis, & aliorum Visionariorum, Parisiis in fol. anno 1513. ex officina Henrici Stephani, de quibus ad annum 1300. *in sancta Mechtilde* dicemus: edidit item *Capitulare* quod impressum extat ad calcem tomi 6.

A Spicilegii Lucæ Dacherii in Conciliis ultimæ editionis Parisiensis anni 1671. tomo 7. p. 1522. Obiit Hetti seu Hatto anno 836. in Augiensi Monasterio propè Constantiam ad Rhenum, in quo primùm Abbas fuerat, reversus ad suam solitudinem, ut Hermannus Contractus in Chronico testatur: de quo Aubertus Miræus in Auct. *De Script. Ecclesiast.* capite 249. pag. 229. Lucas Dacherius in prolegomenis ad 6. tomum Spicilegii, Joannes Mabillon loco citato.

De Thegano. 830.

SUPPLEMENTUM.

B THEGANUS Treverensis Ecclesiæ Corepiscopus sub clarissimis Archiepiscopis Amalhario, Fortunato, & Hettone seu Hetti, ibidem gratia prædicationis variisque dotibus floruit ab anno circiter 810. ad 840. Scripsit autem unum librum *de gestis Ludovici Pii*, quem Andreas Duchesnius tomo secundo Historicorum Franciæ veterum inseruit, qui continet gesta tantùm dicti Imperatoris usque ad annum 837. unde credere est vel manuscriptum Codicem mutilum fuisse, vel Auctorem non vixisse ultra hunc annum. De illo plura Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 250. pag. 230. Duchesnius loco citato, Sammarthani fratres in Gallia Christiana tom. 1. p. 720.
C ubi de Episcopis Trevirensibus.

De Agobardo. 830.

SUPPLEMENTUM.

AGOBARDUS natione Gallus, Ecclesiæ Lugdunensis Corepiscopus primùm fuit sub Leidrado, & Canonum Gallicanorum acerrimus propugnator sub Ludovico Pio & Lothario Imperatoribus. Rexit eedente viro clarissimo Leidrado, Metropolim Lugdunensem ab anno 813. cujus electionem declarat Ado cùm in Chronico ait: *In loco*
D *ejus (Leidradi) Agobardus ejusdem Ecclesiæ Corepiscopus, consentiente Imperatore & universa Gallorum Episcoporum Synodo, Episcopus substitutus est: quod quidam defendere volentes dixerunt, eumdem venerabilem Agobardum à tribus Episcopis in Sede Lugdunensi, jubente Leidrado fuisse ordinatum. Sed canonica auctoritas est, in una Civitate duos Episcopos non esse, nec vivente Episcopo, successorem sibi debere eligere; ac idcirco illa quacumque causa Regulæ Ecclesiasticæ præteriri in tanto ordine fixa, non debent*. Adfuit Agobardus Concilio apud Attiniacum celebrato anno 822. & alteri Lugdunensi 828. Fuit etiam de numero illorum Episcoporum qui Ludovicum Imperatorem an. 833. apud Compendium Palatium indignè habuerunt,
E quòd ob crimen sententiam passus est an. 835. in Concilio Theodonis-Villæ, ubi Ebbo Rhemensis de suo gradu dejectus est. Tandem an. 836. Conventus apud Stramiacum in Pago Lugdunensi fieri cœptus, in quo ventilata est causa Ecclesiarum Lugdunensis & Viennensis vacantium, quæ absentibus reis Episcopis peragi non potuit. Eos autem in gratiam postea rediisse cum Ludovico, & Ecclesias suas recepisse, docet Ado in Chronico: *Ambo (ait) postmodum piis Imperatoribus agentibus, Agobardus Lugdunensem & Bernardus Viennensem Sedem recepit; post pauculos annos Agobardus apud Santonas in Expeditione Regia positus defungitur*. Quod accidisse volunt quidam anno 840. vel sequenti. Scripsit plures tractatus breves seu opuscula, quæ summis curis collegit, Annotationibusque illustravit Stephanus Balu-

Baluzius, impressa 2. tomis in 8. anno *1666*. apud Franciscum Muguet, Parisiis sub signo trium Regum. Adjunxit Operibus Agobardi tom. 2. ad calcem, Epistolas Leidradi & Opuscula Amolonis, Lugdunensium itidem Archiepiscoporum inter sanctos Lugdunenses Confessores 8. Id. Junii memoria ejus anniversariis honoribus colitur in fastis Ecclesiæ Lugdunensis, ejusque vita amplior legitur apud Theophylum Raynaudum *in suo Indiculo Sanctorum Lugdunensium*. Plura de Agobardo ejusque Scriptis Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, Aubertus Miræus *in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* c. 240. pag. 228. Sammarthani fratres *in Gallia Christiana* tomo 1. pag. 301. & 302. ubi *De Archiepiscopis Lugdunensibus*, Stephanus Baluzius in præludiis ad suam editionem Operum Agobardi, & alii quos brevitatis causa omittimus.

De Modoino. 850.

SUPPLEMENTUM.

MODOINUS Augustodunensis Episcopus claruit temporibus Ludovici Pii Imperatoris, à quo privilegium obtinuit anno Imperii sui secundo, Christi Domini *816*. quod refertur in Gallia Christiana fratrum Sammarthanorum, ubi de Episcopis Æduensibus: adfuitque Concilio apud Theodonis Villam anno 835. ubi Ebbo Rhemensis Episcopus depositus est, lataque sententia dejectionis in alios absentes. Scripsit *Epistolam Elegiaco Carmine* ad Theodulphum Aurelianensem Episcopum, quam edidit Henricus Canisius tomo 6. Antiquarum Lectionum. Mortuus circa annum 839. vel 840. de quo agunt dictus Canisius & Sammarthani locis citatis.

De Theodulpho Aurelianensi Episcopo. 853.

THEODULPHUS ABBAS Floriacensis, ac deinde Episcopus Aurelianensis tempore Ludovici Pii Imperatoris floruit laude ingenii. Scripsit enim *multa*, *& soluta oratione*, *& versibus*; illius est carmen, quod canitur in die Palmarum; Gloria, laus & honor tibi sit Rex Christe Redemptor. *Multa alia carmina* ipsius extant in Bibliotheca SS. Patrum tom. 8. edit. 2. extat etiam apud Card. Baron. tomo 9. Annal. ad annum Dom. 835. epistola lectu digna ad Clerum suum Aurelianensem.

DISSERTATIO HISTORICA.

THEODULPHUS, seu Teudulfus, natione Italus, ut creditur, ex Gallia Cisalpina oriundus, transmissis Alpibus venit in Franciam & à Carolo Magno, cui erat ob virtutem atque eruditionem perfamiliaris, Abbatia Floriacensi S. Benedicti ad Ligerim & Aurelianensi Episcopatu donatus saltem ante annum 794. quo nomen ejus inter Episcopos recensetur in Concilio Francofordiensi. Post mortem Caroli accusatus tamquam conjurationis in Ludovicum Pium Imper. cum Bernardo ejus nepote particeps, anno 818. detrusus est in carcerem, ut ipse sæpiùs conqueritur, planè innocens & criminis tanti expers. Unde paulò post Principis clementia liber egressus cum Andegavis reverteretur in urbem Aurelianensem obiit circa annum 821. aut sequentem, (vide libri quarti carmen sextum) ejusque successor Jonas interfuit Conventui Parisiensi de Imaginibus anno 824. Unde Sigeberti, Trithemii, Baronii, & aliorum emendandus error, qui vitam illius usque ad annum 840. prorogarunt. De eo Alcuinus Epi-

A stola 4. ad Carolum Magnum, Eginhartus in vita Caroli Magni, cùm numerat Episcopos, qui ejus Testamento subscripserunt, Auctor vitæ Ludovici Pii ad annos 814. *816*. 817. Theganus cap. 22. Annales Eginharti & aliorum passim, Hincmarus de divortio Lotharii & Thetbergæ ubi vocat eum orthodoxum & insignem Poetam, Auctor vitæ S. Maximini Mitiacensis, Lupus Ferrariensis Abbas epist. 20. ad Altuinum, non Alculinum, ne te Typographicus aliquorum error in fraudem inducat, & ad Caroli Magni tempora Lupum referat, Sigebertus, aliique Chronici ejus interpolatores, Pseudo-Alcuinus capite 14. de Divinis Officiis seu Remigius Autissiodorensis fuerit, seu quis alius, ac Phil. Bergomas,
B Trithemius, Arnoldus Wion, Possev. & alii. Anxiè quærit Vossius unde hauserit prædictus Wionius Theodulphum scripsisse Annales Caroli & Ludovici Regum Francorum, certè non aliundè habuisse videtur, quàm ex Bibliotheca Gesneriana, quæ à Simlero contracta est in Epitomen multis annis antequam Wionius de scribendo cogitaret. Quare expungenda verba hæc ex cap. 4. libri 3. de Historicis Latinis. Hic ab Arnoldo, &c.

Sirmondus noster omnia ejus opuscula, quæcumque magno studio colligere potuit, edidit Parisiis in 8. anno *1646*. notisque suis pro more perquam eruditis illustrata dicavit Illustrissimo D. Isaaco Haberto Episcopo & Comiti Vabrensi doctrina ac pie-
C tate editisque pluribus libris clarissimo.

Capitula ad Presbyteros Parochiæ suæ. Ea primùm Baronius edidit justo quidem tardiùs, hoc est anno scilicet 835. tum Joannes Busæus noster cum Hincmari quibusdam Epistolis Moguntiæ anno *1602*. ac deinde ipse Sirmondus Tomo 2. Conciliorum Galliæ ad annum Christi circiter 797. Nec malè: si quidem verum sit, quod ajunt, Epistolam illam ad Clerum suæ Diœceseos fuisse scriptam, cùm primùm creatus fuit Aurelianensis Episcopus: qua de re nonnulla jam præmisimus. Certè ab an. 790. ad 800. videntur κεφάλαια illa emissa in publicum usum.

De ordine Baptismi ad Magnum seu Magnonem, Se-
D *nonensem Archiepiscopum*.

De Spiritu Sancto, ad Carolum Magnum Imperatorem.

Carminum ad diversos & de diversis argumentis libri sex, in quibus eminent, *Parænesis ad Judices* seorsim edita anno *1614*. *Elegiæ ad Aigulfum Bituricensem Archiep. Modoinum Augustodunensem Episcopum, & alios è carcere datæ*, & ab Henrico Canisio Tomo V. Antiquæ Lectionis vulgatæ, *Versus in fonte Bibliorum*, quæ ipse describi fecit, quæque modò visuntur in Bibliotheca Illustrissimi Præsidis Infulati D. Antonii Memmii, *Versus facti, ut à pueris in die Palmarum cantarentur*, quos in Carcere Andegavensi conscriptos certum est, & Theodulpho absque ulla contro-
E versia asserit Lupus Ferrariensis loco supra indicato, ut vel hinc pateat, Alcuini qui dicitur, de Officiis Divinis librum falsò illi tributum fuisse etiam ab eruditissimis viris, de fluvio siccato, de pugna avium, Parænesis ad Episcopos, de septem liberalibus Artibus in quadam pictura depictis, Itinerarium, de septem vitiis Capitalibus, de inexplebili avaritia, de Hypocritis, &c.

SUPPLEMENTUM.

THEODULPHUS Aurelianensis Episcopus, de quo doctissimè post Bellarminum Labbeus, cui adde operibus à Jacobo Sirmondo editis, carmina quæ sunt in tom. 1. Analectorum Joannis Mabillon p. *376*. nec aliud dicendum superest de Scriptis Theodulphi.

De Rabano Episcopo Moguntino. 835.

RABANUS MAURUS, natione Germanus, Abbas Fuldensis fuit tempore Ludovici Pii Imp. Episcopus Moguntinus creatus est tempore Lotharii ejus filii. Obiit anno Domini 856. tempore Ludovici Junioris Imp. vir fuit æquè doctus, ac pius. Scripsit multa & versu, & prosa. Edidit *commentaria in universam sacram Scripturam utriusque Testamenti.* Edidit etiam *libros tres de institutione Clericorum*, qui extant cum aliis multis similis argumenti impressi Coloniæ anno 1568. Sed præter cætera scripsit in flore ætatis suæ *opus admirandum* soluta & ligata oratione, *de laudibus sanctæ Crucis* ad Gregorium IV. Papam, anno Domini 843. quod mortuo Gregorio misit ad Sergium successorem. Extat hoc opus editum studio Jacobi Wimphelingii anno 1501. inter opera Rabani, & Commentarium in Threnos, quod ab aliquibus tribuitur S. Hieronymo, sed verè Rabani est, non Hieronymi, ut diximus supra.

Dissertatio Historica.

MAGNENTIUS Rabanus Maurus, sive ut alii, Rabanus Maurus Magnetius aut Magentius, quod ultimum fortè illi à patria adhæsit, Magentiæ enim sive Moguntiæ natum se atque renatum in Epitaphio clarè insinuat: deinde Fuldæ à puero Monachus, Alcuini discipulus & post Egilem an. 822. defunctum ejusdem celeberrimi in Buchonio silva à S. Bonifacio ædificati Monasterii Abbas suo tempore eruditissimus. Demum jam senior post Otgarium die Dominica 26. Junii anni 847. electus Moguntinus Archiepiscopus, obiit die 4. Februarii anni 856. Ludovico Lotharii filio imperante, regnantibus verò Ludovico in Germania & Carolo Calvo in Gallia Ludovici Pii filiis, cumque ad S. Albanum Moguntiæ sepultus fuisset, translatus deinde fuit in Saxoniam. De eo Annales Fuldenses à Pithœo primùm editi, Hincmarus contra Godeschalcum, Lupus Ferrariensis ep. 40. qua, eum Reverendissimum Patrem eximiumque præceptorem suum appellat, innuitque sarcina administrationis in Hattonem imposita divinis vacare rebus, S. Odilo in Sermone de Sancta Cruce, Hermannus, Marianus & Lambertus Schafnaburgensis in Chronicis, Sigebertus capit. 89. de Viris Illustribus, Honorius August. libelli 4. de Luminaribus Ecclesiæ cap. 4. Rudolfus Presbyter & Monachus, qui magistri sui vitam scripsit quæ extat, atque ut plures alios omittam, Jo: Trithemius, qui ejus quoque vitam scripsit ac de operibus egit tum in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, tum in Catalogo Illustrium Germaniæ Scriptorum, tum in opere de Viris Illustribus Ordinis S. Benedicti, necnon in Chronico Hirsaugiensi, Beatus Rhenanus, Sixtus Senensis, Baronius, Possevinus, Arnoldus Wion, Nicolaus Serarius in Moguntinis Præsulibus, & Christophorus Brovverus in Fuldensi Historia: quibus jungat Lector, nuper cœlo transmissum Ludovicum Cellotium nostrum in Appendice ad Historiam Godeschalci.

Omnia ejus opera quotquot potuerunt reperiri sex Tomis Coloniæ typis Antonii Hierati anno 1627. edita prodierunt ex schedis Jacobi Pamelii, studio atque opera Georgii Colvenerii Duacensis Academiæ Cancellarii.

Tomo I. continentur.

Post vitam Rabani à Rodulfo ejus Presbytero, atque à Jo: Trithemio editam, *Exceptio de arte Grammatica Prisciani. De universo libri* 22. sive Etymologiarum opus ad Ludovicum Regem, de proprietate verborum, & rerum mysticarum significatione, ex editione antiqua.

De laudibus Sanctæ Crucis libri duo: partim prosa, partim carmine ingeniosissimo atque operosissimo, quod opus anno 843. scriptum auctore Gregorio IV. Papa ad ejus successorem Sergium IV. missum est, de quo Annalium Fuldensium conditor ad annum 844. Rabanus Sophista & sui temporis Poetarum nulli secundus, quem de laude Sanctæ Crucis Christi figurarum varietate distinctum difficili & mirando poemate composuit per Asericum & Ruodbertum Monachos Monasterii Fuldensis Sergio Papæ Sancto Petro offerendum transmisit. Jacobus Wimphelingius Selestatinus anno 1501. edendum curavit Phorcæ in Germania apud Thomam Anselmum, quod deinde anno 1605. Augustæ Vindelicorum iterum fuit excusum.

Tomo II. continentur.

Commentariorum in Genesim libri quatuor, ad Freculfum Lexoviensem in Neustria Episcopum, cujus præmittitur epistola. *In Exodum libri totidem*, ad eumdem Freculfum. *Expositionis in Leviticum libri septem*, ad eumdem subjecta eorumdem Commentariorum in Leviticum Epitome, auctore Strabo Fuldensi ejus discipulo. *In librum Numerorum libri quatuor*, ad eumdem Freculfum Episc. *In Deuteronomium libri* 4. ad eumdem.

Tomo III. continentur.

In librum Judicum libri duo, ad Humbertum Episcopum cujus præmittitur Epistola. *In librum Ruth liber unus. In quatuor libros Regum libri quatuor*, ad Hilduinum Abbatem & Sacri Palatii Archicapellanum. *In duos libros Paralipomenon libri quatuor*, ad Ludovicum, non Imperatorem, ut editio Coloniensis habet, sed Regem Germaniæ Lud. Imp. filium. *In librum Judith liber unus* cum Præfatione metrica: subjungitur Jacobi Pamelii in eumdem librum Commentarius. *In librum Esther*, ad Reginam nobilissimam Emmam, ut arbitror, Ludovici Regis Germaniæ uxorem. *In Cantica, quæ ad Matutinas laudes per septimanam dicuntur*, ad Ludovicum Germaniæ Regem. *In Proverbia Salomonis libri tres. In librum Sapientiæ libri tres* ad Otgarium Archiepiscopum Moguntinum. *In Ecclesiasticum libri decem*, ad eumdem Otgarium.

Tomo IV. continentur.

In Jeremiam Prophetam comprehensis ejus Lamentationibus sive Threnis libri triginta. Commentarius autem ille in Threnos falsò ab aliquibus S. Hieronymo tributus, verè est Rabani, ut bene Bellarminus & alii. (*a*)

In Ezechielem Prophetam libri viginti ad Lotharium Imperatorem, cujus præit epistola ad Rabanum. *In Machabæorum libros duos*, cum duobus Prologis, primo ad Ludovicum Germaniæ Regem; altero ad Geroldum Sacri Palatii Archidiaconum.

Tomo V. continentur.

Commentariorum in Matthæi Evangelium libri octo, ad Haistulfum Archiepiscopum. *In Quatuordecim sancti Pauli Epistolas libri triginta* ad Samuelem Episcopum, quos rogante Lupo postea Abbate Ferrariensi ex variis SS. PP. flosculis confecerat. Editæ sunt ejusdem Rabani ad utrumque epistolæ, quibus præmissu;

missus est Jacobi Pamelii commentariolus in epistolam ad Philemonem. *Homiliæ super Epistolas & Evangelia, à Natali Domini usque ad Vigilias Paschæ num. 61.* ad Haistulfum Archiepiscopum. Quibus adduntur multæ aliæ Homiliæ de Sanctis & variis virtutibus. *Homiliæ super Epistolas & Evangelia à Vigilia Paschæ usque ad XV. Dominicam post Pentecostem, tam de Tempore, quàm de Sanctis, numero 91.* ad Lotharium seu Lucharium Imperatorem. *Homilia de Evangelio,* Liber Generationis JESU CHRISTI filii David. *De septem signis Nativitatis Domini,* brevissimus Tractatus. *Allegoriæ in universam Sacram Scripturam,* è veteri mss. descriptæ.

Tomo VI. continentur.

De Clericorum institutione & cæremoniis Ecclesiæ libri tres ad Heistulfum Archiepiscopum præmisso ejusdem Rabani epigrammate ad Fratres Fuldenses, conscripti anno Incarnationis Dominicæ 819. ut subjecti versus docent omissi aut aliò translati in editione Coloniensi anni 1627.

Nam est nonus decimusque octingentesimus annus,
Ex quo Salvator venit in arva pius:
Abbas namque meus, vesterque fidelis amicus
Egil hæc voluit reddere dona tibi.

Certè Heistulfi atque Egilis mentio id facilè persuadent.

De Sanctis Ordinibus, Sacramentis divinis & Vestimentis Sacerdotalibus liber unus, ad Thiotmarum. In multis convenire cum libro primo de Institutione Clericorum rectè monuit editor.

De disciplina Ecclesiastica ad Reginaldum libri tres: quorum primus est de Sacris Ordinibus. Secundus de Catechismo & Sacramentis divinis. Tertius de agone Christiano agens de virtutibus & vitiis. In duobus prioribus capita quædam in margine notantur, quæ cum libris de institutione Clericali conveniunt.

Libri tres ad Bonosum Abbatem. Primus de videndo Deo. Secundus de puritate cordis. Tertius de modo Pœnitentiæ.

De Quæstionibus Canonum Pœnitentialium ad Heribaldum libri tres. Primus continet Regulas de Ministris Ecclesiæ si deviaverint, cum adjunctis Epistolis Hormisdæ Papæ, Isidori, & aliorum. Secundus de Pœnitentiæ satisfactione. Tertius de pœnitentiis Laicorum.

De Vitiis & Virtutibus, de peccatorum satisfactione & remediis, sive pœnitentiis libri tres. Pœnitentium liber unus, ad Otgarium Moguntinum Archiepiscopum, qui veluti præcedentium Tractatuum quoddam compendium est. *Quota generatione licitum sit matrimonium, epistola ad Humbertum Episcopum.* De Consanguineorum nuptiis, & de Magorum præstigiis falsisque divinationibus, ad Bonosum liber unus. *De anima & virtutibus, ad Lotharium Regem opusculum. De ortu, vita & moribus Antichristi Tractatus. Rabani Mauri Martyrologium,* ex Tomo VI. Antiquæ Lectionis V. C. Henrici Canisii Noviomagensis. *Poemata de Diversis,* per Christophorum Brovverum Soc. Jesu Theologum Moguntiæ edita, cum ejusdem scholiis.

Commentaria in Regulam S. Benedicti. Rectè tamen monet Theophilus in Erotematis non esse Rabani, tum quòd bene multi, qui operum ejus indices texuerunt, nullum agnoscunt Commentarium Rabani in Regulam S. Benedicti, tum quòd Aimoinus sermone de S. Benedicto, disertè tribuat alteri: Smaragdus, inquit, expositionem in ipsius Regulam commentatus hos præmisit versiculos.

Quisquis ad æternum mavult conscendere regnum, &c.
Bellarm. de Script. Eccl. Tom. VII.

Quod est initium carminis præfixi huic expositioni recens Rabano suppositæ.

Glossæ Latino-Barbaricæ de partibus Humani corporis, ex Tomo II. Rerum Alamannicarum Melchioris Goldasti Francofurti ad Mœnum edito anno 1606.

De Inventione linguarum, ab Hebræa usque ad Theodiscam, & notis antiquis, ex eodem Alamannico Tomo.

Iis verò Coloniæ impressis addendæ sunt *Tres ejusdem Rabani Archiep. Moguntini Epistolæ de Prædestinatione Dei. I. ad Hincmarum Archiep. Rhemensem. II. ad Notingum Episcopum Veronensem. III. ad Eberardum Comitem in Italia,* adversus pravam doctrinam Gotescalci Orbacensis Monachi gyrovagi atque hæretici, quas publici juris fecit anno 1647. Parisiis in 8. apud Cramosios fratres R. P. Jacobus Sirmondus Soc. Jesu. Usserius quoque nonnulla suggeret ex Centuriis Magdeburgensibus deprompta paginis 40. & 47. Historiæ Gotescalcanæ.

Numerantur & alia plura, quæ quamvis diligenter quæsita fuerint, nancisci tamen non potuit Colvenerius, ut ipse conqueritur.

(*a*) Vide Sixtum, & quæ ubi de S. Hieronymo diximus. Quare inducendam arbitror observationem Mariani ejusdem Victorii Amoretti quam Indici Rerum & Verborum operum Divi Hieronymi inseruit his verbis: Qui in Lamentationes Hieremiæ tres circumferuntur libri (quos nos uti maximè ad Hieronymi & spiritum & eruditionem accedentes suo non dimovimus loco) Rabani Mauri esse aliqui existimant: & hoc nomine in Germania inter Rabani opera typis jam sunt excusi. Ego cujusvis, etiam ipsius Hieronymi, potiùs quàm Rabani existimarem: cùm non suopte ingenio ac propria lucubratione exponentem, sed coacervatorem quemdam, ac suorum auctorum propriis verbis propriisque sententiis opus suum intertexentem Rabanum noverim.

SUPPLEMENTUM.

RABANUS MAURUS Moguntinensis Archiepiscopus multa scripsit, quæ undique comparata ex schedis Jacobi Pamelii, opera & studio Georgii Colvenerii Academiæ Duacenæ Cancellarii, sex tomis in fol. Coloniæ typis Antonii Hierat an. 1627. edita prodierunt; de quo Bellarminus & Labbeus, quibus hæc pauca addimus annotantes.

Quæstiones Canonum Pœnitentialium ad Heribaldum lib. 3. Itemque de Virtutibus & Vitiis, de peccatorum satisfactione & remediis sive pœnitentiis lib. 3. qui leguntur tom. 5. Operum Rabani, spectare ad Halitgarium Cameracensem Episcopum, ac inscribi ad Ebbonem Rhemensem Archiepiscopum, quo nomine habentur tomo 5. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii, ut rectè annotat Stephanus Baluzius appendice ad Reginonem, de Ecclesiasticis Disciplinis, in præfatione ad Epistolam Rabani ad Heribaldum pag. 449. *Commentarius etiam in Regulam Divi Benedicti,* non est Rabani, sed Smaragdi vel Abbatis Sancti Michaelis ad Mosam in tractu Virdunensi, vel Monachi Aniannensis sub Benedicto Abbate ejusdem loci, quam quæstionem definire non est nostri ingenii, ob probabiles ad utramque partem assertionis rationes. Tractatus etiam *adversùs Judæos,* quem cum aliis Operibus veterum Patrum Franciscus Chifflet in 4. evulgavit Divione anno 1656. non est Rabani, sed Amulonis Lugdunensis Archiepiscopi, ut infra in Amulone dicemus. Possunt autem substitui in locum istorum indubia Rabani Opera, quæ Colvenerius non habuit, alibi postmodum impressa: nempe *Liber de Computo Ecclesiastico ad Marcharium;* quem evulgavit tomo 1. Miscellaneorum Baluzius

Parisiis anno 1678. apud Franciscum Muguet. Item Opuscula duo, *Unum de Corepiscopis, alterum de Reverentia filiorum erga parentes*, edita ab eodem Baluzio in ultima editione Operis Petri de Marca Parisiensis Archiepiscopi, De jure Sacerdotii & Imperii, apud Franciscum Muguet Parisiis in fol. anno 1669. tomo 1. pag. 285. & seqq. Opus verum seu *Epistola Rabani ad Heribaldum Autissiodorensem Episcopum*, evulgata ab eodem Baluzio in sui Reginonis Appendice pag. 465. apud eumdem Muguet anno 1671. Parisiis in 8. cujus etiam nævos aliquot seu lacunas ex manuscripto Codice corrigit Joannes Mabillon tomo 1. Analectorum. Item Epistolæ tres De prædestinatione Dei, 1. *Ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum*. 2. *Ad Notingum Veronensem Episcopum*. 3. *Ad Eberhardum Comitem in Italia*, quas in 4. publici juris fecit Jacobus Sirmondus Parisiis anno 1647. apud Sebastianum Cramoisy. *Aliæ duæ* quæ leguntur in Conciliis ultimæ impressionis Parisiensis anni 1671. tomo 8. pag. 1845. cum altera quam habet Stephanus Baluzius in Capitularibus Regum Franciæ tom. 2. pag. 1378. Si quis plura cupit de Rabano, adeat præter Labbeum supra citatum, Georgium Colvenerium in præludiis ad Opera illius impressa, ubi Vita Rabani à Rodulfo Monacho & Joanne Trithemio, cum variis aliorum testimoniis; itemque Bollandum in Vitis Sanctorum ad diem 4. Februarii, Joannem Mabillon sæculo. 4. *Sanctorum Ordinis D. Benedicti* tom. 2. pag. 1. & seqq. Natalem Alexandrum in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo 9. parte 1. pag. 224. & parte 2. pag. 575. Dissertatione speciali, quæ 11. est.

De Strabo Fuldensi. 840.

STRABUS FULDENSIS Monachus, Rabani discipulus, ex Magistri operibus decerpens explicationes Scripturarum, composuit *Glossam*, quæ dicitur *ordinaria*, in Scripturas utriusque Testamenti, quæ postea aucta, & ornata à posterioribus fuit.

Dissertatio Historica.

AN distinguendus sit Strabus iste, natione Teutonicus, Rabani Mauri auditor & scriba sive Notarius, auctor Glossæ, quæ Magistralis dicitur atque Ordinaria; an, inquam, reipsa distinguendus à Walafrido Strabone Sancti Galli in Alemannia Monacho ac Decano, tum Augiæ divitis sive Majoris ab anno 847. ad 849. eruditissimo Abbate, quod existimarunt Trithemius, Possevinus, Bellarminus, & alii: an verò unus idemque fuerit, quod alii censent, definiemus infra suo loco: aut certè argumenta in utramque partem explicabimus. V. Walafridus Strabo. Mihi verò, ut id ex occasione observem, valdè suspectus est Sixti Senensis & Possevini Strabo Monachus natione Anglicus, patria Cantabrigiensis V. Bedæ frater & studiorum ejus collega doctus ac pius, qui anno 750. scripsit in totum librum Geneseos non ignobiles Commentarios ex dictis orthodoxorum Patrum ad imitationem fratris diligenti solertia collectos.

De VValafrido Strabone. 849.

VVALAFRIDUS STRABO à vitio oculorum sic appellatus, Abbas Augiæ scripsit *de rebus Ecclesiasticis librum satis utilem*, qui extat cum aliis similibus libris una impressis Coloniæ anno Domini 1568. & postea Romæ anno 1590. Scripsit etiam *duos libros de sanctis Gallo Abbate, & Othmaro*, qui extant apud Surium die 16. Octobris, & die 16. Novembris. Claruit tempore Ludovici Pii Imp. & obiisse dicitur anno Domini 849.

Dissertatio Historica.

VValafridus, seu Valfridus, natione Germanus, à vitio oculorum dictus, ut volunt, Strabo sive Strabus, Monachus Ordinis S. Benedicti in cœnobio S. Galli licèt in Augiensi sub Tattone primùm eruditus, tum aliquo saltem tempore institutus sub disciplina Rabani in cœnobio Fuldensi, postea Decanus ad Sanctum Gallum, ac deinde ab anno 842. Abbas Augiæ Divitis, quæ etiam Major dicitur in diœcesi Constantiensi, usque ad annum 849. quo obiisse perhibetur. De eo Sigebertus cap. 71. de Viris Illustribus, Sangallense Chronicon & Hepidanni Annales, Iso Monachus Sancti Galli in præfatione ad vitam Sancti Othmari, Hermannus Contractus in Chronico, Joannes Trithemius qui eum Abbatem Sancti Galli mendosè appellat, ac malè revocat ad tempora Tiberii Absimari & Justiniani Rhinotmeti Impp. Orientis, hoc est ad annum circiter 700. Baronius, Wionius, Possevinus, Vossius, Miræus, Henricus Canisius, & Christophorus Brovverus Soc. Jesu Theologus, &c.

I. *De Officiis Divinis, sive de exordiis & incrementis rerum Ecclesiasticarum liber* primùm anno 1549. apud S. Victorem extra Muros Moguntiæ ex officina Francisci Behen opera & studio Joannis Cochlæi clarissimi Theologi, tum cum aliis ejusdem argumenti opusculis Romæ, Coloniæ, Venetiis, nec non Parisiis in Bibliothecis Veterum Patrum, earumve supplementis. Ejus libri cap. 8. meminit Ludovici Pii Imperatoris anno 840. defuncti. Cochlæanum autem illud systema, quod inscribitur Speculum antiquæ Devotionis circa Missam & omnem alium cultum Dei ex antiquis & ante illud tempus numquam per Typographos evulgatis Authoribus, laboriosè collectum complectitur, 1. Amalarium, 2. Strabonem nostrum, 3. Basilium Magnum de Missa Græcorum, 4. Expositionem Missæ ex vetustis codicibus, 5. Petri Damiani librum qui dicitur Dominus vobiscum, 6. Gemmam animæ de antiquo ritu Missarum, 7. Micrologum de Missa ritè celebranda, 8. Nucleum de Sacrificio Missæ, 9. Librum de vita S. Bonifacii Martyris cum Catalogo omnium Episcoporum & Archiepiscoporum Sedis Moguntinæ. Ex hoc verò fonte prodierunt ampliores quæ deinceps sequutæ sunt Ecclesiasticorum operum Collectiones.

II. *Vita & miracula S. Galli Abbatis*, apud Surium die 16. Octobris. An extet alicubi in mss. codicibus metro scripta emendatior ea quam habuisse se dicit Canisius, mihi non liquet. Sigebertus quidem testatur primò eam prosaicè, deinde metricè compositam.

III. *Vita S. Othmari Abbatis*, apud Surium eumdem die 16. Novembris.

IV. *Sermo*, seu, *Tractatus de eversione Jerusalem ad caput 19. Evangelii S. Lucæ*, extat Tomo 6. Antiquæ Lectionis pag. 331.

V. *Walafridi Strabi Poemata* primùm luce donata Tomo 6. Antiquæ Lectionis ex Bibliotheca Sancti Galli, quorum Index proponitur pag. 542. & sequentibus. Subjicitur iis à pag. 671. ejusdem alteriusve Strabi, qua de re mox dicetur, ad *Grimaldum Archicapellanum & cœnobii S. Galli Abbatem Hexametro carmine scriptus amœnissimus Hortulus*, jam olim evulgatus Argentorati apud Henricum Syboldum anno 1530. cum Eobani Hessi præceptis bonæ valetudini conservandæ. Parte autem altera Tomi 5. ejus-

ejuſdem Antiquæ Lectionis inter Epigrammata Illuſtrium Virorum Monaſterii S. Galli reperiuntur etiam nonnulla Strabo Gallo Fuldenſi adſcripta.

VI. Ipſi denique tribui debet *Gloſſa Ordinaria in Sacram Scripturam* magno labore ex ampliſſimis aliorum ac præſertim Rabani Magiſtri ſui commentariis collecta & coagmentata, quæ poſtea ab Anſelmo Laudunenſi aliiſque compluribus Patrum adjectis Sententiis & expoſitionibus aucta & locupletata eſt. Siquidem vera ſit Caniſii, Brovveri, Voſſii, ejuſque imitatoris Miræi ſententia, qui Strabum Fuldenſem cum Augienſi Abbate confundunt, reclamantibus Trithemio in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis & in Chronico Hirſaugienſi, Sixto Senenſi, Poſſevino, Bellarmino, aliiſque communiter. Scio multa in utramque partem proponi poſſe, quæ latiorem dicendi campum expectant, propterea que à nobis ad portum properantibus impræſentiarum omittenda. Interim vide citatos Henricum Caniſium, Brovverum, ac Voſſium. Quod enim Joannes Lelandus, & poſt eum Simlerus ac Poſſevinus ajunt, præter multa in Scripturam Sacram ac præcipuè in Leviticum Commentaria, ſcripſiſſe librum ad Ludovicum Cæſarem, alterum de Officiis Eccleſiæ, Homilias & Chronicon Fuldenſis Monaſterii, quod per alios deinceps fuit continuatum, id non æquè probatur omnibus, & eumdem Strabum ex Fuldenſi ac Augienſi conſtat: cui tamen ſententiæ ſubſcribere nequeo niſi priùs Chronologici quidam ſcrupuli ex animo auferantur. De Strabone autem patria Cantabrigienſi, Ven. Presbyteri Bedæ fratre, quem Sixtus & Poſſevinus ad ann. 750. revocant, quemque ὑποβολιμαῖον ac confictum arbitror, jam ſupra quædam obſervata ſunt ſuo loco.

Supplementum.

Walafridus Strabo ſeu Strabus, ex Monacho Sancti Galli Abbas Augiæ Divitis ſeu Majoris in Diœceſi Conſtantienſi ad Rhenum, quem multi diſtinguunt à Strabo Fuldenſi Monacho qui Gloſſæ ordinariæ primus auctor fuit, ſcripſit multa de quibus abundè Bellarminus & Labbeus. His addo *Vitam Sancti Othmari Abbatis* à Walafrido Strabo compoſitam iterùm haberi ſæculo 3. Sanctorum Ordinis D. Benedicti tom. 2. pag. 153. Itemque Vitam S. Blaitmaci Abbatis Hijenſis ibidem tom. 2. pag. 439. quæ etiam tom. 6. Antiquarum Lectionum Henrici Caniſii & apud Bollandum ad diem 19. Januarii. Item ſcripſit *carmine viſionem Wetini Monachi*, quam ex mſ. codice erutam inſeruit Joannes Mabillon ſæculo 4. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tom 1. pag. 272. & ſeqq.

De Methodio P. C. 840.

Supplementum.

Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus quem Doctrina ac moribus inſignem anno 842. dignitate iſta auctum fuiſſe, Cardinalis Baronius narrat in Annalibus ad annum 842. num. 11. & ſeqq. de quo etiam anno 843. num. 1. & ſeqq. cujus Scripta à multis antiquitatem plus æquo amantibus, attributa ſunt alteri Methodio Patarenſi Epiſcopo, quem ſeniorem appellamus. Hujus junioris Methodii ſunt Orationes. Prima *De Simeone & Anna, quo die Domino in templo occurrerunt, ac de ſanctiſſima Deipara*, quam tanto æſtu ſeniori Methodio aſſerere conatur Franciſcus Combefis. Secunda *In Ramos Palmarum* græcè & latinè impreſſa, inter Opera ſenioris Methodii, de quo ſuprà.

A Tertia, *Encomium ſancti Dionyſii Areopagitæ & Martyris*, quod græcè & latinè legitur ad calcem operum Divi Dionyſii Areopagitæ, Antuerpiæ & Pariſiis in fol. ſæpè impreſſorum. Quarta, *Encomium ſanctæ Agathæ Virginis & Martyris*, latinè tantùm impreſſum in Bibliotheca Sanctorum Patrum Concionatoria Franciſci Combefis, ſed græcè mſ. Venetiis in Sancti Marci Bibliotheca, ut ait dictus Combefis pag. 50. Apparatus ſui ad Bibliothecam Concionatorum. Obiit Methodius Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus anno 847. die 14. Junii, ut habet Baronius ad an. 847. num. 32. & in Martyrologio ad diem 14. Junii, de cujus Scriptis Aubertus Miræus in *Auctario ſuo de Scriptoribus Eccle-* B *ſiaſticis* cap. 263. pag. 230. Leo Allatius & Jacobus Goar Ordinis Fratrum Prædicatorum in *Euchologio*, Franciſcus Combefis in Auctoribus recenſitis ſeu Apparatu ad Bibliothecam Concionatorum, verbo *S. Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus* pag. 50.

De Ermanrico Ab. 840.

Supplementum.

Ermanricus ſeu Ermenricus, primùm Monachus, poſtea Elewangenſis Abbas Monaſterii in Diœceſi Auguſtana, quod medio ſæculo decimo ad Canonicos vertiſſe dicitur. Scripſit C *Vitam ſancti Soli* eo tempore, quo Rabanus Maurus Abbas præerat Fuldenſi Monaſterio, ut patet ex capite ſexto, ac proinde ante annum 847. quo Rabanus Maurus Sedi Moguntinæ impoſitus eſt. Hermanricus Fuldæ Litteris operam dedit ſub Præceptore Rudolfo Monacho, cui hanc lucubrationem dedicat, quam primus edidit Henricus Caniſius tomo quarto Antiquæ Lectionis, ac poſt eum Joannes Mabillon tomo ſecundo ſæculi tertii Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 429. & ſequentibus. Hic etiam ornavit ſeu interpolavit *Vitam ſancti Magni ſeu Magnoaldi*, qua de re idem Joannes Mabillon ſæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti ad D annum *665*.

De Amulone 840.

Supplementum.

Amulo ſive Amulus Agobardo in Lugdunenſi Pontificatu ſuffectus, inquit Codex mſ. S. Benigni Divionenſis. *In Lugdunenſi Pontificatu ſanctæ memoriæ Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus obiit* 8. *idus Junii*, *Amulo præfati Epiſcopi Diaconus ordinatur Epiſcopus Lugdunenſis* 17. *Kalendas Februarii*. Variant in ejus appellatione mſſ. Codices, nam antiqua Capitularia Regis Caroli Calvi ad annum 846. *Amalonem* legunt, alia ut Ado Viennenſis & fragmen- E tum antiquum hiſtoriæ Franciæ *Amulonem*, Flodoardus lib. 3. hiſtoriæ Rhemenſis cap. 21. *Amolum* vocat. Ei ſcribit Wenilo ſeu Guenilo Senonenſis Archiepiſcopus, quem clariſſimum Præſulem indigitat, apud Lupum Ferrarienſem Abbatem Epiſt. 81. ubi agitur de negotio Auguſtodunenſis Eccleſiæ, ac præficiendo ipſi Antiſtite Berno; & conſecratione Godelſadi in Epiſcopum Cabilonenſem: & in altera *ad Theobaldum Epiſcopum Lingonenſem*, Agobardum nominat pium patrem, anteceſſorem ac nutritorem ſuum Amulo Epiſcopus. Hujus opera impreſſa cum Agobardo tomis 2. in 8. Pariſiis apud Franciſcum Muguet anno 1666. cura & ſtudio Stephani Baluzii. Sunt autem 1. *Liber in formam Epiſtolæ ad Godeſchalcum vel adverſus eum*, cujus libri 1. pars tom. 2. pag. 149. & cujus altera ſeu continuum (quod

benè

benè notandum est) speciale opusculum inscribitur seu secundum pag. 179. incipiens *gratiam itaque Dei credere debemus*. Ita sensit clarissimus Præses Gilbertus Mauguinus in vindiciis suis prędestinationis & gratię, ac post eum Stephanus Baluzius loco citato in notis pag. 130. unde in mſ. Codice quo usus est Sirmondus, hoc prætensum opusculum sequebatur dictam primam partem absque titulo novo; & cum separatione modica. Nam *primum opusculum* pag. 172. est Sermo quem Florus Lugdunensis de prædestinatione fecit, ut benè monent idem Mauguinus dissertationis cap. 22. & Baluzius locis citatis. Item *Collectaneum sententiarum sancti Augustini de prædestinatione & gratia Dei & de libero hominis arbitrio*, pag. 189. & seqq. quas probabile plusquam est ab eodem Amulone contra Godeschalcum collectas 3. *Liber contra Judæos* incipiens, *Detestanda Judæorum* &c. quem sub nomine Rabani Mauri, cum aliis Fulgentii & aliorum Patrum operibus evulgavit Petrus Franciscus Chifflet Divione anno 1656. apud viduam Philiberti Chavance, est certò nostri Amulonis, cui eum attribuit Joannes Trithemius, & Codex mſ. Bibliothecæ Colbertinæ, ut mihi fidem fecit Baluzius 4. *Epistola ad Theobaldum Lingonensem Episcopum*, dicto tom. 2. operum Agobardi pag. 135. Sedebat adhuc anno 848. quo damnatus Godeschalcus. Vide Flodoardum libro tertio capite vigesimo primo, Epistolam 163. Joannis VIII. Sublatus est circa annum 850. die 31. Martii.

De Altfrido Episc. 840.

Supplementum.

ALTFRIDUS Episcopus Monasteriensis tertius factus anno 839. claruit doctrina & moribus. *Vitam sancti Patris Ludgeri primi Monasteriensis Episcopi* aggressus scribere, quam duobus libris complevit: *Quatenus tam veneranda illius exempla multis ad ædificationem proficerent, nefas putans tanti viri latere virtutes*, inquit in prologo Vitæ istius, quam edidit Bollandus ad diem 26. Martii, & Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom 1. pag. 15. & sequentibus. Est autem cautè distinguendus iste Altfridus, qui obiit anno 849. die 22. Aprilis, ab alio Altfrido Episcopo Hildesheimensi, qui isto etiam sæculo floruit, cujus elogium texuit Joannes Mabillon sæculo quarto Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 2. pag. 259.

De S. Eulogio Martyre. 850.

SANCTUS EULOGIUS Martyr, & Episcopus electus Toletanæ Ecclesiæ, vixit tempore persecutionis Saracenorum, qui Cordubæ sedem Regni constituerant: incidit autem ea persecutio, in qua multi gloriosi Martyres compendio mortis sacræ vitam æternam possederunt in annos Dom. 850. & 851. Sanctus igitur Eulogius occasione persecutionis scripsit *Memoriale Martyrum*, ubi tribus libris descripsit martyria Cordubensium Martyrum. Item *Apologeticum pro Martyribus*. Item *Epistolas aliquot*. Item *documentum*, sive *exhortationem ad martyrium*, sive *documentum martyriale*. Extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. edit. 2. Tandem & ipse sanctus Eulogius Martyr occubuit anno Dom. 859. Vide Annales Card. Baronii ad hunc annum.

Dissertatio Historica.

SANCTUS EULOGIUS, Cordubensis, Martyr celeberrimus, quem electum fuisse Archiepiscopum Toletanum plerique recentiores scribunt, vixit sæculo nono, tempore persecutionis Saracenorum, qui Cordubæ in Bœtica sedem regni constituerant, & ipse post plures alios martyrio coronatus est die 11. Martii anni 859. De eo plura Ambrosius morales Cordubensis, qui ejus opera collegit, ediditque in lucem cum annotationibus, (unde postea translata in Tomum 4. Hispaniæ illustratæ, & in Bibliothecas Veterum Patrum) Cardinalis Baronius, Bellarminus, Vossius, & alii.

I. *Memoriale Sanctorum*, sive, libri tres de Martyribus Cordubensibus. II. *Apologeticus pro Martyribus*, adversus calumniatores, qui dicebant plus Hispaniæ obesse quàm prodesse martyres, quod etiam argumentum tractavit libro primo superioris operis. III. *Exhortatio ad martyrium*, sive documentum quod in carcere positus, Virginibus Christi Floræ Mariæque mancipatus ergastulo dicavit. IV. *Epistolæ aliquot*, ad Willisindum Pampelonensis urbis Episcopum, ad Alvarum, & alios, nec non Alvari Cordubensis ad eumdem: qui deinde ipsius Sancti Eulogii passionem, cui præsens interfuit, scriptis consignavit, scripsitque librum Scintillarum, quo Patrum sententias collegit, ac secundùm virtutum vitiorumque locos communes digessit.

Nec verò diversus ab hoc nostro Cordubensi Eulogius ille, quiæ qualium suorum Georgii Diaconi, Aurelii, Felicis, Nataliæ, & Liliosæ martyrium scripsit apud Surium die 27. Augusti. Ii enim passi anno 851. ut ex Memoriali Sanctorum constat, unde hæç acta decerpta fuere.

De Haymone Halberstatensi. 850.

HAYMO EPISCOPUS Halberstatensis, discipulus quondam Alcuini, plurima dicitur scripsisse *in omnes scripturæ divinæ libros*. Sed utrum omnia extent, ignoro. Extant *Commentaria in Psalmos*. Item *in epistolas omnes S. Pauli*. Item *in Prophetas omnes, & Cantica Canticorum*. Item *in Apocalypsim*. Item *in Evangelia homiliarum tomi duo*. Item *de Christianarum rerum memoria libri tres*.

Observatio.

Inter libros Haymonis ponitur Expositio in Cantica. Eadem Cassiodoro, & S. Thomæ tribuitur. Cujus autem sit, difficile est judicare: sed ratio docere videtur, antiquiori esse tribuendam.

Obiit anno Dom. 853. ex Annalibus Card. Baronii ad hunc annum. Alii aliter scribunt.

Dissertatio Historica.

HAYMO, sive Haimo, aut Hemmo, ex Anglo-Saxonum genere, vel ut alii, natione Germanus, discipulus Alcuini cum Rabano Mauro, & ex Monacho Fuldensis Cœnobii Hirsfeldensis Abbas, & Ecclesiæ Halberstatensis in Saxonia Episcopus, interfuit anno 847. damnationi Godeschalci in Concilio Moguntino, ac deinde obiit die 27. Martii anni 853. sepultus in Ecclesia Sancti Stephani ejusdem urbis. De eo Sigebertus cap. 135. de Viris Illustribus, Honorius Augustodunensis libelli quarti cap. 7. Annales Fuldenses, Trithemius (*a*), qui falsò asserit obiisse anno 834. sub Ludovico Imperatore filio Caroli Magni, Possevinus, aliique recentiores.

Præter *Commentarios* (*b*) *in aliquot Sacræ Scripturæ libros, Psalmos, Esaiam, Epist. & Apocalypsim*, quos ex antiquioribus Ecclesiasticis Tractatoribus penè ad verbum defloravit, (De Explanatione ejus in Epistolas S. Pauli, quæ ab aliis Remigio, aut Rhemensi, aut

aut Lugdunensi, aut Autissiodorensi tributa reperitur, plura paulò post dicentur suo loco in Remigio Autissiodorensi) extant ejusdem.

Homiliæ sive Conciones ad populum super Evangelia Dominicarum, cæterorumque celebrium dierum, secundùm seriem temporum digestæ. Coloniæ anno 1536.

De Christianarum rerum memoria libri decem, sive Epitomen Historiæ Sacræ, cum Severi Sulpitii Historia prodierunt Romæ apud Paulum Manutium cum notis Petri Galesinii, in folio, & seorsim antea fuerant excusi Coloniæ in 8. anno 1531. tum recusi ibidem 1573. in 16.

(*a*) Et ex eo pro more Sixtus dicit scripsisse in Vetus & Novum Testamentum, Sigebertus verò, qui eum loco suo cum Auctoribus sæculi noni non recensuit, refert exposuisse totum Paulum Apostolum Apocalypsim, Esaiam, Cantica Canticorum, & alia, sed omnia ad omnes non pervenisse.

(*b*) In Psalmos, Friburgi Brisgojæ & Parisiis 1533. in Esaiam, Jeremiam, Ezechielem, Danielem, XII. Prophetas minores, & Cantica Canticorum Coloniæ 1573. In Epistolas Pauli Parisiis 1556. In Apocalypsim Coloniæ 1529. & Parisiis 1540. In Acta Apostolorum & in Canonicas septem epistolas 1573. Homiliæ Coloniæ 1532. & 1540. Antuerpiæ 1559.

S U P P L E M E N T U M.

HAIMO Discipulus Alcuini cum Rabano Mauro, & ex Monacho Fuldensis Cœnobii Hirsfeldensis Abbas; & Ecclesiæ Halberstatensis in Saxonia Episcopus, de cujus scriptis, eorumque impressionibus variis, abundè Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* à Bellarmino agnitis. His addo *Libellum de Corpore & Sanguine Domini*, tom. 12. Spicilegii Dacheriani pag. 27. apud Ludovicum Billaine, in 4. Parisiis anno 1675. in aula Palatii. Obiit anno 853. die 27. Martii, de quo plura Joannes Mabillon sæculo quarto Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo 1. pag. 618.

De Angelomo. 850.

ANGELOMUS Monachus Gallus, floruit Lotharii Imperatoris tempore. Scripsit *in quatuor libros Regum & in Cantica Canticorum*, *ex antiquis Patribus explicationem.*

Porrò *præfatione in Cantica* laudat Imperatorem Lotharium Angelomus; quòd Imperio dimisso Monachus factus sit, & in Monasterio obierit.

DISSERTATIO HISTORICA.

ANGELOMUS, Luxoviensis in Burgundia Cœnobii Monachus Ordin. Bened. floruit sæculo Christi nono, ut docuit ipsemet luculentè in Commentariis, quibus ætatem suam inscripsit. Extant excusa Coloniæ anno 1535. ac deinde Romæ à Paulo Manutio.

Stromata in quatuor libros Regum, ex Veterum Patrum Commentariis pro genio illius ævi digesta. Sigebertus cap. 86. libri de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus Tractatus appellat, eosque composuisse testatur jussu Drogonis Metensis Episcopi, qui fuit Caroli Magni Imperatoris ex concubina filius. Sunt qui anno 827. scripsisse velint hæc stromata: verùm ipse in Præfatione Drogonem Magnificum, quo nihil nobilius, nihilque prudentius, præclarum Pontificem & Abbatem suum egregium jam obiisse docet. Quòd si hujus jussu inchoata sunt, nonnisi post mortem Drogonis, anno 855. demortui perfecta fuerunt atque vulgata.

A In Rhythmica verò Præfatione in eosdem libros Regum scrutatum se gloriatur *thesaura Patrum*, & libros locorum, Eusebii-ne an Philonis? ipso ferè, suorum commentariorum initio commemorat. Trithemio excellentissimum opus dicitur quale se in Scripturis Sanctis legisse non meminit.

Enarrationes, seu *Stromata in Cantica Canticorum*, Coloniæ anno 1530. excusa necnon in Bibliotheca Coloniensi, ante annum 855. conscripta sunt. Errant enim insigniter, qui docent in Præfatione laudatum ab eo Imperatorem Lotharium, quod dimisso Imperio Monachus factus sit, & in Monasterio obierit, quod contigit Prumiæ in Diœcesi Trevirensi die 29. Septembris anni citati 855. Ex
B ipsa quippe Præfatione constat & Lotharium in Palatio tum maximè floruisse, & superstitem fuisse Drogonem Episcopum Metensem illius patruum, quem miris extollit laudibus.

De Christiano Druthmaro.

CHRISTIANUS DRUTHMARUS Monachus Gallus scripsit *Commentarium in Evangelium S. Matthæi*, quod extat impressum anno 1530.

DISSERTATIO HISTORICA.

CHRISTIANUS DRUTHMARUS, vulgò dici-
C tur Grammaticus, celeberrimi Corbejensis ad Somonam in Gallia Cœnobii Monachus, vixisse perhibetur circa annum Domini 840. ut ex Joanne Trithemio, aliisque recentioribus colligitur. Sigebertus Gemblacensis eum ab Aquitania in Galliam venisse docet, ac Walafrido Straboni subjungit cap. 72. libri de Viris Illustribus. Verùm hic auctor non servat exactè temporum ordinem, ut vel inde patet, quòd illos ipsos Strabonem & Druthmarum præponat Papæ Gregorio II. ac Sancto Joanni Damasceno, qui sæculo Christi octavo omnium confessione floruerunt. Extant in Bibliothecis Veterum Patrum, sed à Joanne (*a*) OEcolampadio edita, atque, ut multos conquerentes audivi, corrupta,
D ac in plerisque vitiata.

Commentarium, *seu Expositio in Evangelium Sancti Matthæi*, ad Monachos Stabulaenses & Malmundarienses, (hanc inventam Wormatiæ Vangionum per Meinardum Moltserum Haganoæ impressit Joannes Senerius anno 1530. teste Simlero) & *Epitome in Evangelia SS. Lucæ & Joannis* (*b*).

(*a*) Dele OEcolampadio, & lege: sed à Joanne Secerio Lutherano anno 1530. edita, atque ut multos conquerentes audivi, corrupta, ac in plerisque vitiata. Sixtus Senensis libri sexti Bibliothecæ Sanctæ Annotatione 112. hæc habet à Possevino nostro non prætermissa: Scito, Christiane Lector, hunc locum sive scriptorum inscitia, sive imprimen-
E tium negligentia, sive hæreticorum fraude turpiter & periculosè mutilatum & corruptum: quod ipse non inani conjectura deprehendi; sed ex germana & integra lectione vetustissimi codicis, quem Lugduni in Bibliotheca Franciscanorum manuscriptum inspexi. Nam pro eo quòd Codices in Germania excusi habent: *Hoc est Corpus meum, hoc est, in Sacramento*: Lugdunense exemplar plus habet: *Hoc est Corpus meum, hoc est, verè in Sacramento subsistens.* Rursum ubi in impressis voluminibus legimus, *Transferens spiritualiter Corpus in panem, in vinum Sanguinem*, in Lugdunensi legitur, *Transferens panem in Corpus & vinum in Sanguinem.* Non me latet hujus Authoris verba etiam sicut à Typographis sunt edita, facillimè ab Hæreticorum usurpatione vindicari posse. At cùm ipsa integritati suæ restituta cla-

rissimè

A tissimè ostendant piam Auctoris mentem ab horum insania abhorrere, superfluum duxi aliam huc interpretationem afferre. Hæc ille. Plura Eminentissimus Card. Perronius libri 2. de Eucharistia Auctoritate 25. quæ censor ejus Albertinus pag. 863. refellere conatur ex eo, quod longè priusquam Druthmarus à Secerio Haganoæ ederetur, ipsimet Pontificii ex manuscriptis aliis eum edidissent omnino, qualis ab illo post editus est. Nam Jacobus Wimphelingius, Selestatensis, illum excudi curaverat Argentorati opera & impensis probati viri Joannis Grumgerii anno Incarnationis Dominicæ 1514. cum privilegio Imperatoris Maximiliani & Leonis Decimi insignibus primæ paginæ adpositis, ut si locus esset corruptionis suspicioni ea non in Secerium, B sed in Pontificios ipsos necessariò devolveretur. Verùm ubi editionem illam viderit, quave in Bibliotheca eam deprehenderit, non addidit. Fateor me numquam hactenus in eam incidisse, nec mirum, cùm ea diligentibus Germanis Gesnero, Simlero, Jacobo Frisio, ut Miræum aliosque recentiores taceam, fuerit ignota, soliusque dumtaxat Haganoensis meminerint ex ms. codice Vormatiæ per Meinhardum Moltherum reperto. Verùm non omnia vidimus omnes: quamvis mihi Albertini hominis Hæretici & à fide ac religione majorum suorum παραβάτου valdè suspecta sit fides. Certè ad id quod proximum est, & à Cardinale Perronio per plures C paginas expansum, nihil reponere ausus est, de Paschasii Ratberti scripto infinitis in locis opera Jobi Gastii Lutherani depravato: quo de facinore plura suo differemus loco postea in Addendis Paschasii Ratberti immediatè sequentis.

(*b*) Exposuit, inquit Sigebertus loco citato, Evangelium Matthæi promittens etiam de aliis Evangeliis se tractaturum, quod & fecisse dicitur, inquit post Trithemium Sixtus Senensis libro 4. ubi & eodem Trithemio auctore appositè tradit Commentarios suos in Matthæum edidisse ad Monachos Stabulensis & Malmundariensis Cœnobiorum sub uno Abbate in Diœcesi Leodiensi consistentium: unde meritò arguas nuperos Lectionum Eucharisticarum Collectores, qui pagina 551. Tabulæ Historicæ & Chronologicæ scripsisse ajunt rogatu Religiosorum Abbatiæ D Stapulensis, *d'Estaples en Picardie*, cum dicere debuissent *de Stavelo dans les Ardennes au Diocese de Liege*, quæ Stabulaus, Stabuletum, vel Cœnobium Stabulense solet à mediæ ætatis Scriptoribus appellari. Videndi Sirmondus ad Epistolas Cellensis, Gallia Christiana, & Leodiensium rerum Scriptores. Neque enim ulla unquam Stapulis in maritimo Picardiæ oppido Monachorum fuit Abbatia; sed Cella dumtaxat S. Judoci haud multum dissita, ut ex Lupo constat. Addunt I. editionem anni 1530. à Lutherano Germano corruptam, primam fuisse nec Argentoratensem Albertini norunt. II. vixisse quidem sæculo nono, sed quo præcisè tempore ignorari. Miræus an-E num 840. Sixtus 850. Nos in Bibl. Chronol. an. 855. adscripsimus. Cap. 56. Comm. in Matthæum narrat se scribere eo tempore, quo Bulgari ad Catholicam fidem conversi baptizabantur. Consule de eorum ad Christianismum conversione Baronium aliosque Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores.

De Paschasio Ratberto. 850.

PASCHASIUS RATBERTUS Abbas Corbejensis floruit tempore Leonis quarti Papæ & Caroli Calvi Regis. Scripsit insignem librum *de Corpore & sanguine Domini*, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit. 2. scripsit etiam *vitam sancti Adhelardi Abbatis*, quæ est apud Surium die 2. Januarii. Scripsit quoque *in Threnos Hieremiæ librum*, qui editus est Coloniæ anno 1532. Hic auctor primus fuit, qui seriò & copiosè scripsit *de veritate Corporis & sanguinis Domini in Eucharistia*, *contra Bertramum Presbyterum*, qui fuit ex primis qui eam in dubium revocarunt.

Dissertatio Historica.

PASCHASIUS RATBERTUS, minùs emendatè quibusdam dictus Paschalis, Monachus sub sancto Adalardo, tum post eum ejusque fratrem Walam, Hedonem, atque Isaacum electus Abbas cœnobii S. Petri Corbejensis ad Somonam in Diœcesi Ambianensi, non autem Corbejensis Abbatiæ ad Visurgim fluvium in Saxonia inferiore præfectus, ut Plessiacensis Mornæus, & quidam alii imperiti censuerunt, ab anno Christi 844. floruit sæculo nono, obiitque die festo S. Richarii mensis Aprilis 26. anno 851. Ejus successor Odo Abbas de Monasterio Corbeja anno sequenti subscripsisse reperitur Concilio Svessionensi. De eo Lupus Ferrariensis Abbas ep. 56. & 57. & 58. Engelmodus Svessionensis Ep. in carmine quod ejus operibus præfixum est, Sigebertus cap. 97. de Viris Illustribus Honorius Augustodunensis c. 10. libelli 4. de Luminaribus Ecclesiæ, Joannes Trithemius qui perperam eum ad tempora Caroli Grossi Imperatoris & annum Christi 880. revocavit, & Gesnerum, Simlerum, Petrum Ricordatum, Possevinum iisdem retibus implicavit (*a*), sed omnium accuratissimè Jacobus Sirmondus in Vita, quam penè ad Verbum descripsit pro more Miræus. Cellotius quoque noster in Historia Gotescalci plurima habet ad Paschasii vitam, scripta, atque doctrinam spectantia, quæ Lector veritatis amans sinceræque adversus impuros Sacramentariorum errores doctrinæ, non sine fructu evolvet. Insulsus Patrologus omnia pro more permiscens Lutheranis suis, opinor, sed pransis, persuadebit Paschasium Ratbertum Abbatem Corbejensem floruisse tempore Paschalis Papæ I. & Ludovici Imper. anno 880. aut 900. cùm hic anno 840. ille 823. obierit, sponsoresque dabit Pelargum & Mornæum eruditissimos haud dubiè Chronologos, magnique in Senatu Critico nominis. Ignoravit quoque bonus ille Bellarminiani operis plagiarius, quod paucis ante Eminentissimi illius Cardinalis mortem annis, Ratberti Paschasii dispersa hactenus opuscula longè pluribus additis in unum corpus redegerit Sirmondus an. 1618. Parisiis in folio apud Sebast. Cramosium. Hoc procedunt ordine.

Commentariorum in Matthæi Evangelium libri 12. ad Guntlandum Monachum Monasterii S. Richarii Confessoris, quatuor priores, reliquos verò ad universos ejusdem cœnobii sodales.

Libri tres Expositionis in Psalmum XLIV. Eructavit cor meum verbum bonum, &c. ad Sanctimoniales B. Mariæ Svessionensis.

In Threnos sive Lamentationes Jeremiæ libri quinque, ad Senem Odilmamum Severum, Basileæ editi 1502. Coloniæ 1532.

De Sacramento Corporis & Sanguinis D. N. J. C. ad Placidum liber, sæpiùs etiam seorsim editus, & in Bibliothecis Veterum Patrum, ut nihil hìc dicam de editione Haganoensi anni 1528. à Jobo Gastio apud Joannem Secerium procurata, quam meritò dicere possis Novatorum Cacodoxorum propudium ac dedecus, ut pluribus Illust. Card. Perronius omnia dissimulante Aubertino (*b*). Hic autem liber, cui præmittuntur versus Acrostichi in librum ipsum, quorum primæ literæ conjunctæ faciunt *Radebertus Levita*, videtur scriptus inter annum 81. quo exula-

re coa-

-re coactus est Adalardus Pipini Regis nepos & Caroli consobrinus Augusti, quem Arsenium vocat, & sui sæculi Jeremiam; & 822. quo in aulam ac Monasterium revocatus est, ut ex Prologo aliisque docetur argumentis.

Edmundus Aubertinus pag. 920. Præstigiarum suarum de Sacramento Eucharistiæ, hæc habet in conjecturæ nostræ confirmationem: Anno Noni sæculi decimo octavo Paschasius Ratbertus, Monachus adhuc Corbejensis, librum suum de Corpore & Sanguine Domini conscripsit. Testatur enim in epistola dedicatoria ad Placidum, cùm hæc scriberet Adelardum Abbatem suum (quem per allusionem Arsenium nostrum appellat) exilium ferre pro fide. Exilium autem illud passus est ab anno decimo quinto B ad 22. Et rursum, dum noster discordiarum anfractibus penè labitur orbis effusa super Magnates contentione imperii, &c. jam sua summos feriunt fulgura montes, itaut nihil nostras nisi confusio undique per singula horarum spatia, repercutiat aures, &c. Quod præcisè contigit anno 18. in quo Bernardus Rex Italiæ, Reginerus Comes Palatii & Reginaldus Præpositus Cameræ Regalis propter conspirationem contra Ludovicum Imperatorem luminibus orbati sunt, & Anselmus Mediolanensis, Wolfoldus Cremonensis & Theodulfus Aurelianensis sceleris ejus conscii depositi & relegati. Hæc ille non ineruditè, quæ ut pleraque alia ad Historiam spectantia, quantum non dubiis argumentis conjectare licet, ex C Blondelli scriniis & meditationibus deprompta sunt. Quæ autem postea subjunxit officiarum, κρύψεων, ineptarum interpretationum, Sophisticarum cavillationum atque argutiarum puerilium plenissima, ea refellere & alterius est subsellii & majoris otii.

De Corpore & Sanguine Domini Epistola Paschasii senis ad Frudegardum, *cui subditum est Expositum in illud*, Cœnantibus autem eis, &c. *ex Commentariis in Matthæum*. Hanc porrò controversiam omnem dilucidè atque eleganter explicatam legere est apud Cellotium supra citatum.

Vita S. Adhelardi Abbatis Corbejensis, quam immeritò ut supposititiam arguunt Molanus, Theophilus, & quidam alii: Vide Bollandum ad diem 2. D Januarii.

Passio SS. Ruffini & Valerii Martyrum, quam cùm apud Basilicas corruptam depravatamque offendisset, Clericorum ejus loci rogatu comptiore stylo edidit, ac perpolivit, inquit Sirmondus.

(*a*) Peccavit quoque in assignanda ætate Paschasii Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ, qui claruisse ait sub Carolo Crasso Imperatore anno Domini 880.

(*b*) Legenda quoque Præfatio Viri eruditissimi Nicolai Mamerani ad Reverendum in Christo Patrem Adolfum Archiepiscopum Coloniensem, &c. ex qua sub finem 8. Tomi editionis primæ Bibliothecæ Veterum Patrum anni 1576. hæc leguntur excerpta post Indices quatuor: Verum videamus in pauculis E aliquot hujus falsarii temerariam audaciam. Ac primùm, sic ille ritus Ecclesiæ Romanæ exosos habuit, ut ubicumque in Paschasio vel Sacerdotis, vel altaris, vel immolationis, vel consecrationis, vel pœnitentiæ nomen invenit, id aut omiserit, aut eo expuncto aliud subrogaverit: nimirum loco Sacerdotis, ubique ministrum Ecclesiæ aut ministrum verbi Christi posuit, quod non est Paschasianum: loco altaris, mensam Domini: loco immolationis, intercessionem: loco consecrationis, benedictionem: loco pœnitentiæ, agnitionem peccati. Fidei vocabulum & credentis & credulitatis ubique de suo ad nauseam usque pro more novæ ipsorum Ecclesiæ inculcat & ingerit. Sunt autem Sacramenta Christi, inquit Paschasius, in Ecclesia Baptismus & Chrisma, Corpus quoque

A Domini & Sanguis: Hìc Gastus perfidè omisit, & Chrisma; adjecitque de suo post vocem, Ecclesia Catholica, quasi vera & Catholica Ecclesia tantùm duo habeat & agnoscat Sacramenta: insuperque in margine, ut perfidiam hanc augeret, annotavit; Duo tantùm sunt Sacramenta, cùm tamen Paschasius tria ponat, neque vocem hanc, tantùm, habeat, ut ad ternarium numerum Sacramenta Ecclesiæ restringat. Item corrupit hunc locum: Quod à credente in verbo Christi divinitus per Spiritum Sanctum revera efitatur, pro eo, quod Paschasius habet, quod per Sacerdotem super altari in verbo Christi per Spiritum Sanctum divinitus consecratur, ubi in pauculis verbis infinitam vide ex proposito malitiam perfidiamque. Item initium cap. 19. quod incipit, Unde Sacerdos, &c. totum omisit. Item capitis 20. initium, Cæterum Angelorum, &c. omisit. Cap. 24. perfidè hæc Paschasii Verba. Quotidie pro nobis Christus mysticè immolatur, mutavit non ferens quotidianam immolationem, & sic posuit: Quotidiè Christi intercessione opus est, &c. quæ in demonstratis fontibus invenies copiosius exposita ad Novatorum infamiam sempiternam.

Supplementum.

Paschasius Ratbertus Corbejensis Abbas, de quo Bellarminus & Labbeus. Hujus operibus à Sirmondo editis atque à Labbeo recensitis adde *Opusculum De Partu Virginis* lib. 2. tom. 12. Spicilegii à Luca Dacherio evulgati, pag. 1. & seqq. Itemque *Vitam Sancti Walæ Comitis & Abbatis Corbejensis*, sub titulo *Epitaphii Arsenii*, quod edidit ex manuscripto codice Sancti Martini de Campis Joannes Mabillon, sæculo 4. tomo 1. pag. 453. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti. Plura de Sancto Paschasio apud Labbeum citatum, & sæculum quartum dicti Joannis Mabillon tom. 2. pag. 122. Galliam Christianam fratrum Sammarthanorum tom. 4. de Abbatibus Corbejensibus, Sirmondum in præludiis ad Opera ejus à se edita Parisiis, & alios.

De Simeone Metaphraste. 950.

SIMEON METAPHRASTES floruit paulò ante annum Dom. 859. siquidem Psellus, qui hoc anno vivebat, orationem habuisse dicitur in funere Simeonis Metaphrastæ. Vide Annales Card. Baronii ad hunc annum. Scripsit *vitas Sanctorum per singulos menses*, quas habemus latinitate donatas in tomis Aloysii Lipomani, & ex parte apud Surium de vitis Sanctorum. Illud autem est observandum, à Metaprhaste scriptas fuisse historias de vitis Sanctorum multis additis ex proprio ingenio, non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt: addit enim Metaphrastes multa colloquia, sive dialogos Martyrum cum persecutoribus, aliquas etiam conversiones adstantium Paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur: denique miracula plurima, & maxima, in eversione templorum, & Idolorum, & in occisione persecutorum: quorum nulla est mentio apud veteres historicos. Illud quoque observandum est, aliquas historias Sanctorum videri additas à posterioribus, & non omnes esse auctoris ejusdem. Inveniuntur enim vitæ aliquæ Sanctorum, qui post obitum Metaphrastæ vixerunt, quod etiam notavit Card. Baronius tom. 10. Annalium, ad annum 859.

Dissertatio Historica.

De Simeone qui dictus est Metaphrastes, Vitasque Sanctorum Græcè scripsit, multi hactenus multa, eaque inter se omninò pugnantia. Verum nullus ejus ætatem faciliùs mihi videtur assecutus Bollando nostro, qui §. tertio Capitis primi Præfationis Generalis in Vitas Sanctorum ad Abbatem Lætiensem fusissimè docet, non floruisse sæculo Christi nono ab an. 800. ad 900. ut Baronius, Bellarminus, Possevinus, aliique viri eruditi docuerant, neque ad an. usque 1060. ac Michaelis Pselli tempora eum fuisse differendum, ut plerique præsertim ex Heterodoxis præstiterunt: sed media inter utramque sententiam incedendum via & sæculo decimo alligandum Leonis Sapientis extremis temporibus, ejusque filio Constantino, vel cum matre, vel cum Romano Lecapeno Orientalis imperii habenas moderante. Præcipua Bollandi ratio ex vita S. Theoctistes Lesbiæ, quæ in insula Paro die 10. Novembris defuncta est, eruitur, quam Michael Psellus asserit primam fuisse Simeonis nostri commentationem: atqui illa Leone jam mortuo quem ideò τὸν μακαρίτην sive felicis memoriæ appellat, elucubrata fuit. Cæteræ ergo Sanctorum vitæ ac gloriosa Martyrum certamina ab anno circiter 920. usque ad 950. aut 960. fuerunt ab eo grandibus expensis magnoque studio atque assiduitate penè incredibili hinc inde collecta, & memoriæ posterorum commendata.

Quis verò fuerit, quantusve vir, non ab uno Bollando, sed ab omnibus fermè Catholicis Scriptoribus disces ac nominatim nostris Gretsero atque Theophilo, aliisque supra laudatis, qui Heterodoxorum oblatrantium ora contuderunt, quòd virum illustri ortum familia, Principem Secretariorum, & Patricium, ac deinde Logothetam creatum, & in aula Imperatoria cum summo honore versatum, in Ludimagistrum triobolarem transformarint, nec quicquam repugnante Michaele Psello doctorum hominum suæ ætatis Phœnice, qui Encomium Simeonis soluta strictaque oratione magnificè celebravit. Vide Surium die 27. Novembris & Leonem Allatium in Dissertatione de Psellis, aliisque eruditissimis lucubrationibus. Sed hæc aliaque prætereo, ut moneam.

Vitas Sanctorum in duodecim anni menses, sive ab ipso Simeone, sive ab aliquo alio distributas, Græcè nondum à quoquam fuisse editas, sed Latinè dumtaxat in Tomis Aloysii Lipomani Veronensis Episcopi, ejus studio ac rogatu è Græco conversas à Guilelmo Sirleto postea S. R. E. Cardinale, Petro Francisco Zino Veronensi, & Gentiano Herveto Aurelianensi eruditissimis interpretibus. Easdem postea Laurentius Surius Cartusianus per sex Tomos suis quasque locis distribuit, Bollandus quoque noster nonnullas numquam hactenus à quoquam vulgatas Latinè exhibuit in Januario & Februario mensibus, pergetque, Deo favente imposterum, aut ejus adjutor Godefridus Henschenius, Historiam Ecclesiasticam tantis locupletare thesauris.

Gretserus c. 19. libri de Imaginibus non manufactis adscribit Metaphrasti *Orationes triginta tres de Fide & Moribus Christianis atque Monasticis* à Jacobo Pontano ejusdem Societatis cum multis aliis Asceticis opusculis Latinè factas, censetque eumdem esse Metaphrastem cum Simeone, cognomento Theologo juniore, ad differentiam antiqui inter Græcos Theologi, nimirum Nazianzeni. Sed cùm hic Simeon junior esset Abbas Sancti Mamantis ad Xylocercum; Metaphrastis autem Monachismus non Psellum modò, sed & omnes antiquos latuerit, verisimilius est supponi Metaphrasti nostro eas lucubrationes absque idonea causa. Hæc Theophilus in Erotematis. Nos verò in altera Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis in ætatem junioris hujus Theologi diligentiùs inquiremus, agemusque præterea de Simeone altero Magistro ac Logotheta, qui collegit *Orationes* 24. *Ethicas ex libris Sancti Basilii Cæsariensis Archiepiscopi delibatas*, quas Latinè reddiderunt Simon à Maillè, Archiepiscopus Turonensis excusas Parisiis seorsim anno 1556. & in editione GL. operum ejusdem S. Basilii, & Stanislaus Glovius cum operibus ejusdem Sancti Antuerpiæ anno 1568. Suus erit quoque Simeoni Thessalonicensi Archiepiscopo locus, aliisque, de quibus eruditam Diatribam scripsisse dicitur V. C. Leo Allatius.

Supplementum.

Simeon Metaphrastes, Auctor Græcus, de cujus ætate ab omnibus, fermè eam designantibus, peccatum est. Scripsit *Vitas Sanctorum* græcè, desumptas ex Auctoribus antiquioribus, quorum suppressis nominibus omnes postmodum sub nomine Simeonis Metaphrastis allegatæ ac productæ sunt. Usus est ipse Simeon liberiore stylo, in evulgandis colligendisque in unum Legendis ejusmodi Antiquis: nam aliàs ob stylum forsitan minùs comptum, aut Simeonis ingenio nullatenus arridentem interpolavit, exponens abundantiori verborum phalera, quæ simpliciùs Auctores primigenii deduxerant. Alias, quas nimirum breves est opinatus, amplificavit; unde absque dubio nomen ipsi Metaphrastis aut Paraphrastis obtigit usque nunc, quòd tantis Vitas Sanctorum phrasibus atque ornatibus verbi, prolixiores effecerit. Alias denique è contrario in Compendium redegit, quas ob primævam amplitudinem vel rerum gestarum mole, Lectori fastidiosas credidit: ita ut paucissimæ in hoc Collectaneo Metaphrasteo in integritate sua nativa remanserint. Hoc à doctissimis viris agnito, qui jam græcas hujusmodi Vitas suscipiunt evulgandas Antuerpiani Bollandistæ Societatis Jesu, recurrunt ac sano prorsus consilio ad ipsos fontes antiquorum manuscriptorum Codicum, & illatis Antiquæ integritati per Simeonem Metaphrastem vulneribus, perita manu medentur. Extant eæ in tribus tomis Aloysii Lipomani, quinto videlicet, sexto & septimo, interpretibus Guillelmo Sirleto S. R. E. Cardinali, Gentiano Herveto Aurelianensi Canonico Rhemensi, & Francisco Zino Veronensi: unde & Surius pleraque hausit. Manuscripti verò Codices græcè in Bibliothecis Romanis Vaticana & Sfortiana, in Messanensi, Regia Gallica & Hispanica, atque in aliis locis. Cæterùm de ætate Simeonis Metaphrastæ inter eruditos grandis est quæstio. Quidam ejus ætatem referunt ad tempora Constantini IV. Imperatoris Constantinopolitani, sive ad annum Christi 770. Cardinalis Baronius in gestis anni 859., censet ipsum vixisse sub Michaele III. Imperatore Constantinopolitano, hoc est, circa annum Christi 860. Movet illum, quòd Michael Psellus in Oratione quam Surius ad diem 27. Novembris edidit, & quam in laudem Simeonis Metaphrastis conscripsit, Simeonem vel sibi contemporaneum, vel suo tempore proximum fuisse significat. At uterque Baronius & Bellarminus ponunt velut indubitatum atque extra controversiam, Michaelem Psellum sub Michaele III. claruisse. Nec potest negari iis temporibus, vel paulò ante vixisse quemdam Michaelem Psellum, cùm id apertè testetur Joannes Curopalates: sed Joannes Gerardus Vossius negat istum Simeonis Metaphrastæ Laudatorem, sive Encomiastem,

A stem, esse nobilem illum Philosophum, cujus permulta hodieque supersunt. Porrò ad dirimendam hanc grandem controversiam, Leo Allatius inter Græcos hujus sæculi doctissimus, scripsit Commentarium suum *De Simeonibus*, quem in 4. edidit anno 1664. Parisiis Simeon Piguet, via Jacobæa sub signo Prudentiæ. In Opusculo isto excutit accuratissimè omnia quæ spectant ad Scripta atque ad ætatem nostri Simeonis Metaphrastæ, quem tandem certis argumentis alligat contra Veterum omnium hujus sæculi Scriptorum sententiam, ad annum Christi 1314., cujus sententiam ob momenta rationum quas affert, lubens amplector. Floruit itaque Metaphrastes ab anno circiter 1314. ad annum 1330.
B de quo parcè loquuntur Bellarminus & Possevinus, paulò ampliùs Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 302. pag. 235. Philippus Labbeus in Dissertatione Historica De Scriptoribus iisdem à Bellarmino recensitis tomo 2. pag. 334. ubi cœcutit cum aliis circa ætatem hujus Auctoris, Joannes Bollandus in suis generalibus prolegomenis ad Vitam Sanctorum: sed plenissimè atque planissimè omnium, citatus Leo Allatius in Opusculo singulari suo *De Simeonibus* inscripto, quem composuit occasione difficultatum & dubiorum circa ætatem atque Opera Simeonis Metaphrastis. De Vitis Sanctorum quas scripsit, ita censet Aubertus Miræus loco citato: *Metaphrastes porrò scripsit Vitas Sancto-*
C *rum, ut diximus, easque ad mensium dies digessit, sed non integra semper fide, nam ut Bellarminus in Catalogo notavit*, multa edidit ex proprio ingenio, non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt. *Uterque etiam tam Baronius quàm Bellarminus, agnoscit aliquas Vitas à Junioribus esse adjectas, nempe omnium eorum qui vixerint post annum* 850., *quo Metaphrastem claruisse arbitrantur*.

De Simeone Juniore. 1150.

Supplementum.

Simeon Junior cognomento Magister & Logotheta, Arsenio contemporaneus, vel tantisper
D posterior, scripsit *Compendium Canonum*, ab Arseniano vix dispar, nisi quantum ad dispositionem: habetur hæc Epitome Canonum impressa in Bibliotheca Juris Canonici Veteris tomo 2. pag. 710. in fol. anno 1661. apud Ludovicum Billaine. Utrumque autem Compendium, tam Arsenii quàm Simeonis, desumptum est ex manuscripto Bibliothecæ Regis Galliarum, ubi extabant. Idem Simeon Logotheta scripsit *Conciones seu Orationes viginti quatuor De Vita & morum Institutione*, desumptas ex Operibus Sancti Basilii Magni, quas ex ms. Cod. Bibliothecæ Regiæ græcè & latinè factas per Simonem de Maillè Turonensem Archiepiscopum; habes tomo 3. Operum Divi Basilii ultimæ editionis Parisiensis in folio
E anni 1618. Item sub nomine Simeonis Junioris *Orationes viginti tres de Fide & Moribus Christianis atque Monasticis*, quas latinè tantùm Jacobus Pontanus natione Bohemus Soc. Jesu, edidit anno 1607. Ingolstadii apud Adamum Sartorium. Sed hæ 33. Orationes habentur Græcè mss. in Bibliotheca Julii Cardinalis Mazarini, quæ jam quoad mss. Codices transmissa est in Bibliothecam Regiam. Eadem Opera Simeonis Junioris Græcè mss. sunt in plurimis Bibliothecis, Bavarica cod. 84. 85. & 104. Augustana cod. 64. Vaticana ex Codd. Heidelbergensibus num. 91. & 377. sub ejusdem nomine *Epistolæ mss.* 19. in Bibliotheca Sfortiana num. 29. cum aliis Epistolis multorum aliorum, Libanii, Basilii, Photii, Gregorii Theologi, &c. Demum illius *in mundi Opificium ex Genesi*

Bellarm. de Script. Eccl. Tom. VII.

& Chronicis per seriem Opus collectum à Simeone Magistro & Logotheta, ms. in Bibliotheca Messanensi in 4. ex diversis Chronicis & Historiis: Itemque apud Carolum du Fresne du Cange Nobilem Gallum & Quæstorem Regium Ambianensem.

De Lupo Abbate. 850.

Lupus Abbas Monasterii Ferrariensis in Gallia scripsit librum Epistolarum qui extat. Cumque inter cæteros scribat ad Benedictum tertium Papam, hinc illum hoc tempore floruisse colligitur. Quod etiam patet ex synodo suessionensi anno 853. habita apud S. Medardum, cui lupus hic Abbas interfuit, ut synodi acta testantur.

Dissertatio Historica.

Lupus, cognomine Servatus alius omninò à Lupo Moguntino Presbytero, quem uni duntaxat Trithemio in Chronico Hirsaugiensi acceptum ferimus) ex Præposito Cellæ S. Judoci propè Quentowicum in Pontivensi Comitatu Abbas Ferrariensis cœnobii, sive S. Petri ad Ferrarias, in diœcesi Senonensi, quod etiam Bethleem dicebatur, vixit sub Ludovico Pio, ejusque filio Carolo Calvo Francorum Regibus, ut ex ejus epistolis constat aliisque sæculi noni Scriptorum veterum monumentis. Quo anno obierit, nescitur: quamquam non nesciam à quibusdam annum 852. præscribi tamquam ipsi fatalem, Certum non migrasse è vivis ante annum 853. quo interfuisse invenitur synodo Svessionensi in Monasterio SS. Medardi & Sebastiani. Ad eum Rabanus Maurus Fuldensis Abbas, ac postea Moguntinensis Archiepiscopus, scripsit octo libros Commentariorum in Epist. S. Pauli ad Romanos. De eodem Sigebertus libro de Script. Eccles. cap. 93. Joannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum 852. aliique recentiores, sed omnium uberrimè R. P. Ludovicus Cellotius Parisinus Soc. Jesu Theologus in Historia Gotteschalci Prædestinatiani, & accurata controversiæ per eum renovatæ disputatione in libros quinque distincta.

Liber Epistolarum num. 127. à Papirio Massono primùm Parisiis editus, dicatusque Antistitibus & Clero Galliæ anno 1588. in 8. ac deinde recusus à Duchesniis Tomo 3. Historicorum Franciæ.

Liber de Tribus Quæstionibus, quarum I. de libero arbitrio. II. de prædestinatione bonorum & malorum. III. de Sanguinis Christi quadam superflua taxatione vel redemptione usque ad salutem impiorum cum cæteris adnexis, ab anno 1647. excusus, atque an. denuo 1650. publicatus cura & studio R. P. Jacobi Sirmondi Soc. Jesu Presbyteri. Idem in Belgio editus fuit annitente Fr. Antonio Grimberto Monacho Elnonensi, sive S. Amandi in Pabula, & à D. Mauguino recusus cum aliis opusculis in patrocinium causæ Gotteschalcanæ vulgatis.

Ejusdem Lupi Servati (sic enim à Sigeberto & Trithemio vocatur, non verò, ut contendit Sirmondus, Servati Lupi) *Collectaneum de iisdem tribus Quæstionibus*, cum duabus Epistolis: *Prima ad Carolum Calvum Regem Francorum*, altera *ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum*, post librum de Tribus quæstionibus prodierunt jam tertia vice, ut modò dicebamus.

Vita S. Wigberti Abbatis Fritislariensis cœnobii in Hassia à R. P. Joanne Busæo Soc. Jesu Theologo edita Moguntiæ anno 1602. in 4. post Hincmari epistolas. De Brunone Abbate Hirsfeldensi ad quem scripta est atque aliis eò pertinentibus plura dabit Vossius libri 2. de Historicis Latinis cap. 35. qui etiam

 censet

censet ab eodem Lupo scriptam fuisse *Vitam S. Maximini Archiepiscopi Trevirensis*, quæ apud Surium extat die 29. Maji.

SUPPLEMENTUM.

LUPUS FERRARIENSIS Abbas, de quo Bellarminus & Labbeus ad plenum, quibus addo omnia hujus Lupi Opera cum Annotationibus egregiis edita curis Stephani Baluzii in 8. Parisiis anno 1664. apud Franciscum Muguet, via Citharæ, sub signo Adorationis trium Regum. Extant ejusdem Lupi Sermones mss. aliqui Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti Cod. 284. quorum unus *de incursu Danorum ad Anglos*. Item *unus in festivitate Sancti Judoci* in Bibliotheca Lumleji Codice 165. De quibus lib. 2. pag. 45. Eclogæ Oxonio-Cantabrigiensis, Londini in 4. anno 1600. Impressæ apud Joannem Norton. De illo plura apud Aubertum Miræum *in Auctario suo de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 247. & 268. & in Scholio ad cap. 94. libri Sigeberti *De viris illustribus* pag. 145. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, ubi malè distinguit in Lupum Servatum Moguntinensem Presbyterum, & Lupum Ferrariensem Ordinis Divi Benedicti Abbatem, unum eumdemque hominem. Immò Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, verbo *Lupus*, ex uno & eodem Auctore tres constituit: nempe Lupum, qui *De rebus Sancti Maximi Treverensis Episcopi* scripsit, alterum Ferrariensem Abbatem, quem gratis & absque vero Episcopum instituit, eò quòd certis Conciliis Episcoporum interfuerit, appellatus ob eminentem scientiam, etsi nusquam Infulas habuerit: & tertium Servatum Lupum Moguntiacensem Presbyterum. Sammarthani de eodem, tomo quarto Galliæ Christianæ, in Abbatibus Ferrariensibus.

De VVandalberto Monacho. 850.

SUPPLEMENTUM.

VVANDALBERTUS Prumiensis in Archiepiscopatu Treverensi Monachus & Diaconus, scripsit metrico stilo (ut Sigebertus in Catalogo cap. 128. loquitur) hoc est versu heroico *Martyrologium*, circa annum 853. ad Otricum illustrem Clericum, quod Joannes Molanus anno 1568. Lovanii cum Martyrologio Usuardi evulgavit: quodque falso titulo *Ephemeridum Bedæ* extat etiam tom. 1. Operum hujus Auctoris; illud denique ex manuscripto Codice editum à Luca Dacherio tom. 5. Spicilegii pag. 305. Scripsit & *Vitam sancti Goaris*, quam habes apud Surium editam die 6. Julii, & sæculo 2. Sanctorum Ordinis sancti Benedicti pag. 275. & alios. Florebat anno 855. quo Lotharius Imperator in eodem Cœnobio mortuus est. De quo plura Joannes Bollandus in præludiis ad suum Opus de Sanctis, dum de Martyrologiis agitur; Lucas Dacherius præludiis suis ad tomum 5. Spicilegii, Possevinus *in Apparatu sacro*, Aubertus Miræus *in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 316. pag. 239. & in Scholio ad caput centesimum & vigesimum octavum Sigeberti *De Viris illustribus*, pag. 149.

De Floro. 850.

SUPPLEMENTUM.

FLORUS Lugdunensis Ecclesiæ Diaconus, quem sæpè manuscripti Codices *Magistrum Florum* appellant, quòd forsitan ejusdem Ecclesiæ Scholis præfuerit, vir doctus & eruditus, Agobardi & Amulonis Archiepiscoporum temporibus celebris fuit. Collegerat ingentem manuscriptorum Codicum multitudinem, cujus ope ac subsidio se præcipuè usum fatetur Wandalbertus Diaconus in præfatione metrici sui Martyrologii, ad Otricum illustrem Clericum. *Sancti & nominatissimi viri Flori Lugdunensis Ecclesiæ Subdiaconi, qui ut nostro tempore re vera singulari studio & assiduitate in divinæ Scripturæ scientia pollere: ita Librorum authenticorum non mediocri varietate & copia cognoscitur abundare*. Breve quidem, & insigne hoc Flori elogium, cui favet & contemporaneus Auctor nobilis Walafridus Strabo in Carmine ad Agobardum, ubi hæc inter cætera Florum nostrum eximiè commendantia leguntur.

At de Flore novo, qui vos penes ortus, odorem
Prodit ubique sui, hæc loca rumor alit.
Flora venit quondam, dum singula quæque Deorum.
Sunt afflata jugis prata, thymumque gerens.
Huic Floro melius sententia Christicolarum
Attribuit quicquid dogmate & ore viret.
Nam hic Florus florem sequitur de germine Jesse,
Et tradit quod amans attulit ille homini.
Quæ tam segnis erit, donis ingrata supernis.
Quæ se hoc non sponte nectare pascat apis?
Floreat haud flacens hic flos, & florea fragrans
Spiramenta ferat, semper ubique Deo.
Donec in Astriferas porrecta cacumina sedes
Erigat, & fructum jam sine fine habeat.

Cùm autem juxta Divinam Incarnati Verbi Sapientiam, in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: ex testimoniis tam luculentis insignium virorum Wandalberti ac Walafridi, tam uberem doctrinam, quàm probitatem Flori notissimam habemus. Scripsit autem varia, ac primùm *Commentarium in Epistolas sancti Pauli ex XIV. Patribus*, nimirum ex Cypriano Carthaginensi, Hilario Pictaviensi, Ambrosio Mediolanensi, Paciano Barcinonensi, Theophylo Alexandrino, Gregorio Nazianzeno, Ephrem Diacono, Leone Romano Pontifice, Cyrillo Alexandrino, Fulgentio Ruspensi, Paulino Nolano, Avito Viennensi Episcopo, & aliis, quod ex manuscripto Codice Carthusiæ majoris à Francisco Chiffletio Presbytero Societ. Jesu fideliter transcriptum, & prælo proximum obtulit, deditque Domno Lucæ Dacherio Monacho Benedictino S. Germani de Pratis Parisiensibus, ut habet Joannes Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 12. Item *aliud Commentarium in easdem sancti Pauli Epistolas ex puris & solis verbis Divi Augustini*, ut tradit Sigebertus in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 92. quod hucusque inter Opera Venerabilis Bedæ, & sub ejus nomine impressum est, quamvis sit Flori Lugdunensis: ut speciali Dissertatione enuntiat eruditus Joannes Mabillon tom. 1. citato Analectorum pagina 12. & seqq. Item *Librum De Prædestinatione contra Joannis Scoti erroneas Definitiones*, ut tradit Matthæus Westmonasteriensis ad annum 883. quem accuratissimè edidit Gilbertus Mauguin Præses Monetæ Parisiensis anno 1650. tom. 1. Vindiciarum Gratiæ & Prædestinationis pag. 575. & seqq. *cum Sermone ejusdem Magistri Flori de eadem materia*, eodem tomo pag. 21. Item *Commentarium in Canonem Missæ*, cujus manuscripta exemplaria in variis Bibliothecis, sed duo in Bibliotheca serenissimæ Reginæ Sueciæ Christianæ num. 927. & 1348. ex quibus suppleri possunt multa quæ in editis desunt, ut ait Joannes Bona S. R. E. Cardinalis lib. 2. Liturgicarum rerum cap. 14. §. 1. pag. 643. Item *Martyrologium* quod hucusque sub nomine Bedæ evulgatum est,

est, inter cujus etiam Opera legitur. Sed quod Bollandistæ Antuerpienses Societatis Jesu Presbyteri, restituerunt Floro ex manuscriptis variis, collocaruntque ad frontem tomi 2. mensis sui Martii, magno Litteratorum commodo. Item *Collectionem ex Lege & Canonibus de Coercitione Judæorum, & auctoritate & firmitate judicii & testimonii Episcoporum*, quam evulgavit Lucas Dacherius tom. 12. Spicilegii, pag. 48. de qua loquitur Fr. Chifflet in Notis ad Ferrandum Diaconum pag. 272. & 273. adde *Collectionem de Electionibus Episcoporum*, quam habet Stephanus Baluzius tom. 2. sui Agobardi pagina 254. Scripsit etiam *Carmine aliquot Psalmos, Hymnos & Epistolas*, quæ sunt edita sub nomine Drepanii Flori in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Lugdunensis anni 1677. tomo 8. pag. 667. & seqq. sapiuntque poesim nostri Lugdunensis Flori, cujus etiam tempus indicat Epistola ad Modoinum Augustodunensem Episcopum. Item *varia Carmina* apud Joannem Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 388. & seqq. quibus adde *alind Carmen ad Modunum* in Collectione variorum Epigrammatum typis Morellianis, edita Parisiis anno 1550. incipiens ab his verbis,

Solvo, Pater, profluas hilari de pectore grates,
Quòd referas Floro labra benigna tuo.

Item aliud *De titulo Altaris in persona Agobardi*, quod retulit Sirmondus in Notis ad Theodulfum Aurelianensem, de quibus idem Mabillon ibidem. Plura de Floro omnes qui ejus nonnulla Opuscula in publicum ediderunt, quos supra retulimus. Aubertus Miræus in Scholio ad caput 92. Sigeberti *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo 9. parte 1. pag. 220.

De Alvaro. 850.

SUPPLEMENTUM.

ALVARUS Cordubensis florebat in Hispania anno 859. quo Martyrium passus est sanctus Eulogius, cujus *Agonem* descripsit idem Alvarus Eulogii amicus & familiaris, tormentorum oculatus testis. Habetur hoc opusculum cum *Epistola* ejusdem Alvari *ad eumdem Eulogium*, impressum cum Operibus sancti Eulogii Martyris, de quibus Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Sanctus Eulogius Episcopus & Martyr* tomo 1. pag. 527. Eadem Opera immissa etiam in Collectaneum Hispaniæ illustratæ, atque in Bibliothecam Veterum Patrum; ac quantum ad Martyrium sancti Eulogii, legitur etiam apud Surium & Bollandum ad diem 11. Martii tom. 2. pag. 89.

De Prudentio. 850.

SUPPLEMENTUM.

PRUDENTIUS cognomine Galindus, natione Hispanus, dignitate Tricassinus in Campania Episcopus fuit. Appellatur sanctus in Ecclesia Trecensi, cujus festum quotannis ea in Ecclesia die 6. Aprilis celebratur. Interfuit Concilio Parisiensi anno 846. Turonensi IV. anno 849. Svessionensi 11. anno 853. Extat ad ipsum Epistola Lupi Ferrariensis Abbatis LXIII. cujus etiam meminerunt Rabanus, Hincmarus, & Flodoardus. Scripsit prolixum *tractatum de Prædestinatione contra Joannem Scotum Erigenam*, seu *librum Joannis Scoti Erigenæ de Prædestinatione* correctum ab ipso Prudentio, quem edidit Gilbertus Mauguin tom. 2. Vindiciarum prædestinationis & gratiæ pag.

A 191. & seqq. Item *collectaneum de tribus epistolis ad Hincmarum Rhemensem, & Pardulum Laudunensem Episcopos*, editum ad calcem historiæ Goteschalci Prædestinatiani pag. 425. quam scripsit Ludovicus Cellot Parisinus Soc. Jesu Presbyter, impressam Parisiis in fol. anno 1655. apud Sebastianum Cramoisy Regium Typographum via Jacobæa sub Ciconiis. Item *tractoriam Epistolam adversus 4. Capitula Conventus Carisiacensis*, editam tom. 2. Vindiciarum prædestinationis & gratiæ pag. 176. Hæ autem vindiciæ editæ curis Gilberti Mauguini Monetarum Præfidis in Curia Parisiensi, 2. tomis in 4. anno 1650. apud Joannem Billaine Parisiis via Jacobea sub signo Divi Augustini. Item *brevem Epistolam* ad quemdam Episcopum fra-
B trem suum, quæ tom. 4. Analectorum pag. 324. Obiit Prudentius secundùm Annales Bertinianos anno 861. die 6. Aprilis, de quo plura apud dictum Gilbertum Mauguin qui potiora illius opera Litterario orbi obtulit, Bollandistas ad diem 6. Aprilis, Sammarthanos fratres in Gallia Christiana tom. 3. *in Trecensibus Episcopis*.

De Nicolao Papa primo. 858.

NICOLAUS PAPA primus sedere cœpit in Apostolica sede anno Dom. 858. & sedit annos decem. Vir fuit sanctitate, & doctrina, necnon magni animi constantia, & virtute præditus. Scripsit
C *epistolas plurimas*, quæ extant seorsim ab aliis Pontificiis epistolis in uno magno volumine simul excusæ, quarum præcipua est ad Michaelem Imperatorem, quam ab ipso Pontifice compositam fuisse testatur Anastasius Bibliothecarius in ejus vita: & quoniam stylus est idem omnium epistolarum, colligi potest, omnium esse auctorem eumdem Nicolaum, non autem qui ei à secretis erant.

DISSERTATIO HISTORICA.

NICOLAUS patria Romanus cognomento Magnus Pontificatum tenuit an. 9. mens. 2. & diebus 20. ab anno 858. ad diem 13. Novembris, quo
D obiit anno 867. De eo Anastasius Bibliothecarius, quique vitas scripsere Pontificum Romanorum, Sigebertus, Trithemius, Baronius, Bell. quem Miræus exscripsit, aliique, quos ut in re pervulgata omitto.
Epistolarum ejus volumen extat & seorsim & cum aliis Paparum Decretalibus, & in Tomis Conciliorum. Ex iis epistola ad Michaelem Imp. ineptè à quibusdam tributa fuit S. Cypriano ad Julianum.

De Photio Episcopo Costantinopolitano. 858.

PHOTIUS EPISCOPUS Constantinopolitanus tempore Nicolai Pontificis Michaelis
E Imp. vixit: fuit homo magnæ eruditionis, sed majoris nequitiæ. Scripsit *Nomocanonem*, qui extat cum interpretatione Balsamonis. Scripsit etiam *ingentem Bibliothecam*, quæ etiam extat. Vide de ejus ambitione, ob quam corrupit epistolas Pontificum Romanorum, & finxit Synodos, Tomum tertium Conciliorum generalium Græcè, & Latinè Romæ excusorum: necnon Card. Baronii tomum 10. Annalium.

DISSERTATIO HISTORICA.

PHOTIUS, Sancti Tharasii P. Const. ex sorore nepos, vir doctissimus, Imperatori primùm a Secretis, Protospatharius, atque Urbis Senator, Eunuchus & Laicus, sedem Const. ejecto per Bar-

dam

dam Cæsarem S. Ignatio viro sanctissimo invasit die 25. Decembris 858. vel ut alii numerare maluut, omissa dumtaxat dierum ogdoade ut plenior computatio videatur, sive ex familiari aliàs plerisque Romanis more anno 869. quo in Synodo VIII. Oecumenica Const. celebrata restituto S. Ignatio expulsus est, deinde post ejusdem Ignatii mortem restitutus à Basilio Macedone anno 878. perseveravit thronum illum sanctissimum fœdare usque ad annum 885. quo à Leone Sapiente Basilii filio iterum ejectus in secessu Monasterii Acœmetarum periisse dicitur: sed quo anno, quave die ignoratur. De eo Nicetas in vita S. Ignatii, Anastasius Bibliothecarius tum in vitis Pontificum, tum in præfatione octavæ Synodi Generalis, aliique veteres quos citant recentiores præsertim Baronius, Possevinus, Joannes Maria Brasichellanus, Andreas Schottus, Dionysius Petavius, aliique. Quod ad ejus opera spectat nemo hactenus in unum volumen ea compegit. Quare quæ hinc inde collegi, hæc Lector accipe.

I. *Bibliotheca*, μυριόβιβλος dicta, cùm tamen 279. seu 280. dumtaxat Auctores contineat, sive librorum quorumdam à se lectorum recensio, censura ac in pluribus etiam Fragmenta & excerpta non vulgaria, rogatu fratris sui Tharasii, cùm ab Imperatore Constantinopolitano missus esset Legatus in Assyriam. Jam bis Græcè & Latinè prodiit ex interpretatione & cum Scholiis R. P. Andreæ Schotti Antuerpiani Soc. Jesu Theologi primùm Genevæ anno 1613. tum Rothomagi anno 1653. Græcus textus cum notis Davidis Hœschelii excusus fuerat Augustæ anno 1601. in folio, Latina verò versio Schotti in eadem urbe anno 1606.

II. *Epistolæ Photii* numero 248. è ms. codice Bodlejano, cum Auctario quinque aliarum ejusdem Auctoris Epistolarum de rebus in jure Orientalium dubiis Græcè & Latinè interprete Richardo Montacutio Pseudo-Episcopo Norvicensi Protestante cum ejusdem notis seu brevibus subinde Scholiis, Londini in folio anno 1651. ex Officina Rogeri Danielis. Quàm verò exosus fuerit ipsis quoque Heterodoxis saltem Calvinicolis Richardus ille Montacutius disces ex Riveti Critico.

III. *Nomocanon Titulis XIV. comprehensus*, hoc est Canones Apostolorum Conciliorumque veterum cum Legibus Imp. Romanorum collati & in unum digesti volumen Græcè & Latinè cum Commentariis Theodori Balsamonis interprete Gentiano Herveto Aurelianensi in folio cum reliquis Balsamonis operibus anno 1620. Parisiis. Latina versio Domino Joanni Tilio Bajocensi Episcopo dicata prodierat anno 1561. quo etiam anno Basileæ typis Joannis Oporini commissa fuit versio Latina ejusdem Nomocanonis & Scholiorum Balsamonis Henrico Agylæo interprete in folio. Nec omittenda ejusdem operis ex Canonibus Legibusque compacti editio GL. anno 1615. in 4. cura Christophori Justelli in eadem Parisiensi urbe emissa cum ejusdem libello de Synodis.

IV. *Acta Conciliorum septem Generalium in Epitomen redacta*, extant Græcè & Latinè in Tomis Conciliorum Generalium & cum Nomocanone Justelli, ut mox observavimus.

V. *Sermo in Natalem B. Mariæ Virginis*, habetur Tomo 1. Auctarii Græco-latini R. P. Francisci Combefis Dominicani col. 1583.

VI. Ejusdem Photii de Voluntatibus in Christo quæ dicuntur Gnomicæ, Latinè tantùm interprete Francisco Turriano Soc. Jesu Theologo, cum dissertatione seu libello de septem conciliis Oecumenicis pag. 437. Tomi à Petro Stevartio Leodiensi additi ad sex Tomos Antiquæ Lectionis Henrici Canisii, ex schedis, quæ ab Antonio Possevino plurimæ olim missæ post obitum ejus repertæ sunt.

VII. *Epistola ad Michaelem Principem Bulgarorum* Latinè ab eodem qui sæpè jam laudatus est Turriano reddita, cum *Dissertatiunculis sex de Divinitate & Incarnatione Christi*, Tomo 5. antiquæ Lectionis Henrici Canisii.

VIII. Atque ut omittam exercepta plurima Photii, quæ cum aliis transtulit Oecumenius in suum Commentarium in Epistolas S. Pauli, ac prædatoriam ejus Synodum, ab Ecclesia Catholica damnatam, Baronius ad annum 863. *Encyclicam Epistolam ad Patriarchales Orientis sedes ab eo scriptam* exhibuit Latinitate donatam Federico Metio ex duobus codicibus Vallicellano & Bibliothecæ Collegii Græcorum in Urbe, quam Montacutius cum suo codice contulit & in quibusdam emendandam annotavit. Alias quoque Photii epistolas à Petro Morino Theologo Parisiensi Latinè redditas reperies in eisdem Annalibus Ecclesiasticis. Si quæ alia Lectoribus occurrant, ea nostris observationibus adjungere ne graventur, donec altera prodeat editio.

SUPPLEMENTUM.

PHOTIUS, de quo Bellarminus & Philippus Labbeus, quorum ab ultimo omnia ferè commodabimus ad verbum quæ hìc dicemus, paucis additis ad pleniorem Operum illius intelligentiam, vel editionem proximè futuram emendatiorem: recensitis eorum manuscriptis Codicibus, quos consulere possint & conferre, qui Photio amplificando operam impendere voluerint. Hic igitur Sancti Tharasii Patriarchæ Constantinopolitani ex sorore nepos, vir doctissimus, Imperatori primùm à Secretis, Protospatarius, atque Urbis Senator, Eunuchus & Laicus, Sedem Constantinopolitanam, ejecto per Bardam Cæsarem Sancto Ignatio viro Sanctissimo, invasit die 25. Decembris anno 858. vel ut alii numerare malunt, omissa dumtaxat dierum ogdoade, ut plenior computatio videatur, anno 859. quam tenuit per summum scelus usque ad annum 869. quo in Synodo VIII. Oecumenica Constantinopoli celebrata, restituto Sancto Ignatio expulsus. Deinde post ejusdem Ignatii mortem restitutus à Basilio Macedone anno 878. perseveravit thronum illum sanctissimum fœdare usque ad annum 885. quo à Leone Sapiente Basilii filio iterum ejectus, in secessu seu secreto Monasterii Acœmitarum periisse dicitur: sed quo anno, quave die non liquet. Quoad Opera ejus spectat, nemo hactenus in unum omnia collegit: quare quæ hinc atque inde impressa sunt, vel latent manuscripta in Bibliothecis, hæc lector accipe.

De Niceta David. 858.

NICETAS cognomento David vixit iisdem temporibus quibus Photius, & fideliter scripsit *vitam S. Ignatii Episcopi Constantinopolitani*, & simul etiam descripsit *vitia Photii*. Qui sanctum Ignatium mirè vexavit. Extat liber Nicetæ de vita S. Ignatii Græcè, & Latinè Romæ excusus cum octava Synodo generali.

DISSERTATIO HISTORICA.

NICETAS David, natione, ut arbitror, Paphlago, vixit post annum 873. quo die 23. Octobris discessit è vivis S. Ignatius Patr. Const. cujus vitam ipse scripsit. De hoc Joannes Scylitzes, Georgius Cedrenus, Nicephorus Callistus libro 14. cap. 28. & ex recentioribus præcipuè V. C. Leo Allatius in Dia-

Diatriba de Psellis, a quo jampridem expectamus accuratam de Nicetis Pectorato seu Sternone, Serronio Archiepiscopo Heracliensi, & aliis ὁμωνύμοις dissertationem. Interim moneo erraſſe insigniter Miræum, dum pro more sequutus Vossium, S. Ignatium P. Const. patre Michaele Traulo, sive Balbo Imperatore genitum narrat, cùm fuerit filius Michaelis Rangabe qui & Curopalates dici solet, nec Vossius in editione altera emendavit, licèt in nostra Delineatione, ubi de Raderi nostri versione eum certiorem fecimus, Ignatium hunc Michaelis Curopalatæ filium vocavissemus. Cæterum,

Vita S. Ignatii Græcè & Latinè *Βίος ἤτοι ἄθλησις* prodiit in 4. Ingolstadii anno 1604. ex versione R. P. Matthæi Raderi Soc. Jesu cum Concilio VIII. Generali seu IV. Constantinopolitano eodem interprete. Latina versio Federici Metii Termularum Episcopi, cujus mentionem facit Card. Baron. ad an. 847. non videtur uspiam typis excusa.

SUPPLEMENTUM.

NICETAS PAPHLAGO, qui cognominatur *David*, Rhetor profundus & eloquens, scripsit circa annum 880. vel ultra, cum omni fide ac diligentia *Vitam Sancti Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani*, qui obiit anno Christi 878. ætatis 70. die 23. Octobris, quam Græcè & Latinè habent Concilia editionis ultimæ tom. 8. pag. 1180. & seqq. Item scripsit *Orationes elegantissimas in singulos quosque Apostolos; in Marcum Evangelistam, in Nativitatem Sanctæ Mariæ, in Exaltationem Sanctæ Crucis, in Sanctum Gregorium Theologum*, & alias in quibus insignis *Oratio panegyrica & historica simul Hyacinthi Amastrensis Martyris*. Quæ omnia suggessit egregius Eminentissimi Cardinalis Mazarini Codex Manuscriptus, vixque alias habens Orationes, quàm Nicetæ Paphlagonis. Inserta tamen iis Sanctæ Barbaræ laudatio est, quam Franciscus Combefis nomine Sancti Joannis Damasceni repræsentat, fateturque videri plus referre Nicetam quàm Joannem Damascenum. Inest etiam Historia Sancti Bachi junioris, ejus temporis Hierosolymis Martyris, à Turcis seu Arabibus Mahumetanis, cujus ipsius Auctor fortasse Nicetas fuit. Hæc omnia Franciscus Combefis Ordinis Fratrum Prædicatorum, græcè & latinè postea evulgavit in fol. Aureliæ an. 1672. in Auctario suo ultimo Græco-latino Bibiliothecæ veterum Patrum, typis Caroli Fosset apud Ægidium Hotot Aurelianensem Bibliopolam. Idem scripsit *Orationem panegyricam Sancti Eustachii & Sociorum ejus*, quam idem Combefis edidit in selectis triumphis Martyrum græcè & latinè editis in 8. Parisiis apud Antonium Berthier anno 1660. Claruit dictus Nicetas ultra annum 880. de quo plura dictus Franciscus Combefis tam *in Apparatu* seu Auctoribus recensitis ante suam Bibliothecam Sanctorum Patrum Concionatoriam pag. 32. quàm in præludiis & Observationibus suum ad Auctarium ultimum.

De Anastasio Bibliothecario & Abbate. 858.

ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS & Abbas Romanus vir doctus Græcè, & Latinè, hoc ipso tempore floruit. Scripsit *vitas Pontificum Romanorum à sancto Petro usque ad Nicolaum primum*: vertit *in Latinam linguam Concilium septimum generale*, & scripsit Latinè Concilium Generale *octavum* cui ipse interfuit. Vertit etiam *in latinum sermonem vitam S. Joannis Eleemosynarii*.

A DISSERTATIO HISTORICA.

ANASTASIUS Romanus Abbas, & S. R. E. Bibliothecarius labente Christi sæculo nono, sub summis Pontificibus Nicolao I. *Hadriano II.* & Joanne VIII. (*a*) floruit, ac si vera est Cardinalis Baronii Chronologia, usque ad annum fermè 886. vitam perduxit: quo verò anno obierit, nemo affirmat. Errat Vossius, & si qui alii cum Anastasio Presbytero Cardinale S. Marcelli, & Bibliothecario Gregorii IV. Papæ confundunt, qui à Leone IV. in Synodo Romana anno 850. est exauthoratus, eò quòd contra Canones Ecclesiam suam quinquennio

B deseruisset.

I. *Concilium Generale octavum*, cui præsens interfuit ipse Constantinopoli anno 869. sub Basilio Macedone, Latinè partim scripsit, partim vertit, & quamplurima alia idem è Græcis in Latinam linguam transtulit horridiorem quidem illam ac minùs cultam, è quibus extant & quæ sequuntur.

II. *Concilium VII. Generale, seu Nicænum II.* & quod omiserunt alii observare etiam *VI. Generale, seu Constantinopolitanum tertium.*

III. *Vita S. Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini*: de qua hæc Sigebertus cap. 103. de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Anastasius jubente Nicolao Papa transtulit in Latinam linguam Vitam Joannis Eleemosynarii,*

C *scriptam Græcè à Leontio Episcopo*. Idem fermè Trithemius (*b*).

IV. *Vita Sancti Demetrii Martyris*, necnon Acta pleraque & Passiones, quæ in mss. Codicibus occurrunt.

V. Præfatio in Vitam S. Dionysii Areopagitæ, cujus operum translationem misit anno 875. ad Carolum Calvum Francorum Regem aliquot mensibus antequam in Imperatorem coronaretur.

VI. *Historia de Vitis Romanorum Pontificum*, quæ à R. P. Joanne Busæo Noviomagensi Soc. Jesu, Moguntiæ edita anno 1602. recusa est ante aliquot annos Lutetiæ in Typographia Regia, cum ejusdem Historia Ecclesiastica studio V. C. Caroli Fabroti

D J. C. Onuphrius Panvinius, Ger. Jo. Vossius, & plerique alii ultimam censent esse ab Anastasio scriptam Nicolai I. Papæ vitam, & à Guillelmo S. R. E. itidem Bibliothecario additas fuisse Hadriani II. & Stephani VI. Pontificum Vitas. Verùm Cardinalis Baronius iis refragatur, eidemque auctori omnes illas adscribit. Sunt quoque qui à S. Damaso Papa compositam velint priorem partem, quæ à S. Petro ad Liberium usque Damasi decessorem protenditur, qua de re plura suo loco in Damaso dicta sunt, ubi planum quoque factum fuit neque integram illam Historiam, quod nonnulli falsò sibi persuadent, ab Anastasio fuisse perscriptam.

E VII. *Historia Ecclesiastica*, sive, *Chronographia Tripertita*, in qua S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Chronicon, seriem, & maximam partem Chronici à Georgio Monacho Syncello, & Theophane Confessore, atque Agri Abbate celeberrimo, ab initio Mundi, ad Leonis Armeni imperium deducti, Latinè interpretatus est, ut pluribus ipsemet explicat in Præfatione ad Joannem Diaconum urbis Romanæ. Ex his verò Græcorum excerptis multa in Miscellam, quæ dicitur, Historiam derivata sunt, aut ab hoc ipso, qui precibus suis extorserat, Joanne Diacono, aut à Landulpho Sagaci, aut quocumque alio illius consarcinatore, qui alius omninò esse debuit à Paulo Warnefridi Longobardo Aquilejensi Diacono, ac postea Monacho Cassinensi, cui tamen plerique fermè omnes magni minutique Miscellam hactenus tribuerant.

VIII.

VIII. R. P. Jacobus Sirmondus anno 1620. edidit ejusdem Anastasii Bibliothecarii *Collectanea de iis, quæ spectant ad Historiam Monothelitarum Hæreticorum, & Martyrium S. Martini Papæ, S. Maximi Abbatis, & aliorum*, qui sub Constante Imperatore Orientis carceres, vincula, variasque passi sunt vexationes, in quibus duo recensentur Anastasii: alter S. R. E. Apocrisiarius, alter Sancti Maximi discipulus, quorum Epistolæ in iisdem leguntur Collectaneis, quæ in gratiam supradicti Joannis Diaconi, cùm Ecclesiasticam Historiam meditaretur, è Græcis versa concinnavit. Quòd verò idem sit & Collectaneorum & Historiæ Ecclesiasticæ auctor ex Præfatione disces, in qua id apertè profitetur, exponitque nonnulla ex iis opusculis, quæ Latinitate à se donata in hanc collectionem conjecerat: quæ tibi ex subjecto indice, si careas, saltem imposterum erunt notissima.

Anastasii Bibliothecarii Epistola ad Joannem Diaconum urbis Romæ. Joannis IV. Papæ Apologia pro Honorio I. Papa ad Constantinum Imperatorem filium Heraclii. Excerptum ex Epistola Sancti Maximi ad Marinum Presbyterum Apologiam inter cætera pro Honorio facientis. Ex Epistola ejusdem S. Maximi ad Petrum Illustrem, ubi Pyrrhi & Sophronii Hierosolymitani, ac Papæ Honorii mentionem facit. Ex Epistola ejusdem S. Maximi ad Marinum Presbyterum Cyprium de processione Spiritus Sancti. Theodori Papæ Synodica ad Paulum Patriarcham Constantinopolitanum. Ejusdem propositio transmissa Constantinopolim. *Ejusdem Epistola ad Episcopos, qui consecrarunt Paulum Patriarcham Constantinopolitanum. Commemoratio quid Legati Romani Constantinopoli gesserint, ex Epistola S. Maximi ad Abbatem Thalassium. Anastasii Bibliothecarii Epistola ad Martinum Episcopum Narniensem. Martini Papæ Epistola ad Theodorum. Ejusdem Epistola secunda ad Theodorum. Commemoratio eorum, quæ in S. Martinum Constantinopoli acta sunt ex Epistola cujusdam ad Occidentales. Martini Papæ Epistolæ duæ ab exilio scriptæ. Relatio factæ motionis in Sanctum Maximum & socium ejus coram Principibus in Secretario. Sancti Maximi Epistola ad Anastasium Monachum discipulum suum. Anastasii Monachi Epistola ad Monachos Caralitanos. Relatio de Dogmatibus, quæ agitata sunt inter sanctum Maximum & Theodosium Episcopum Cæsareæ Bithyniæ, & Proceres, qui cum eo erant. Anastasii Presbyteri & Apocrisiarii Romæ epistola ad Theodosium Presbyterum Gangrensem, una cum subjacentibus testimoniis & Syllogismis. Hypomnesticon declarans gesta Sanctorum Maximi & utriusque Anastasii, atque Martini Papæ, necnon Theodori, & Euprepii, aliorumque.*

Scribit Ger. Jo. Vossius in Bibliotheca Cantabrigiensis in Anglia Academiæ haberi ms. Dionysium de Hierarchia Cœlesti, *cum præfatione Anastasii ad Regem Carolum Calvum*. Hæc ille aliena fide, ego αὐτόπτης μάρτυρ hæc repono. In Codice ms. Collegii nostri Bituricensis Societatis Jesu elegantissima manu ab octingentis circiter annis in membranis exarata leguntur S. Dionysii Areopagitæ opuscula quatuor, I. de Cœlesti Hierarchia. II. de Ecclesiastica Hierarchia. III. de Divinis Nominibus. IV. de Mystica Theologia, ex versione Joannis Eriugenæ Scoti, cujus etiam habetur Præfatio cum quibusdam versibus ad Carolum Calvum Regem Francorum. Præmisit verò Anastasius S. R. E. Bibliothecarius ad eumdem Carolum Regem, epistolam datam 10. Kalendas Aprilis, indictione 8. hoc est, anno ut reor, 875. in qua de Scholiis à se in Latinum sermonem versis (quæ in codice ad marginem adscripta habentur) hæc habet: *Ipse meritò anxius cœpi sedulus quærere, &c.* quæ si cui arriserint, non erit operosum communicare profutura publicæ eruditorum utilitati. Cum iisdem antiquioris ævi membranis compactus est recentiori manu descriptus Hugonis à sancto Victore Canonici regularis liber de Sacramentis in 16. partes divisus (*c*).

(*a*) Vide ejus Epistolam datam nonis Januarii anni 876. ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum pag. 423. Tomi III. Conciliorum Galliæ, quam ex codice Rhemensi exhibuit Sirmondus noster Binio aliisque Collectoribus antea ignotam.

(*b*) Ex præfatione ad Nicolaum Papam non verebor hic adscribere quæ cordolium ingerant Heterodoxis erronibus Ecclesiæ ejusque supremi Capitis hostibus profligatissimis: Neque enim fas est, ut absque Vicario Dei, absque clavigero Cœli, absque cursu & auriga Spiritualis Israelis, absque Universitatis Pontifice, absque unico Papa, absque singulari Pastore, absque speciali Patre, absque te omnium arbitro aliquid consummetur aut divulgetur. Tu enim tenes claves David, tu accepisti claves scientiæ. In arca quippè pectoris tui tabulæ Testamenti & manna cœlestis saporis requiescunt. Tu enim quod ligas nemo solvit: quod solvis nemo ligat: qui aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit. Vicem namque in terris possides Dei. Atque hæc impunè dicebantur in Ecclesia Catholica ante annos octingentos nemine refragante qui saperet.

(*c*) Samuel Maresius in Examine Quæstionis de fœmina Papa nihil non agit, ut Anastasii hujus auctoritatem elevet, seque purum putumque vitilitigatorem in re clara atque omnibus evidenti, Lectoribus exhibet: Quid enim aliud agat, qui mendacio fabulisque patrocinari statuit etiam reclamante conscientia, ut congerronibus suis gratificetur, famæ apud eruditos judices prodigus dilapidator? Lege amabo Lector à pag. 29. ad 33. & conferre ne pigeat cum editione Moguntina Regiam Anastasii editionem à V. C. Carolo Annibale Fabroto procuratam, & Salmasii Maresii similiumque παπιστομανούντων mendacia atque imperitiam deridebis. Quid enim ab eo sperare possis in rebus ad Historiam spectantibus qui de Annalibus Bertinianis eximio sæculi noni Thesauro, à Clarissimis Duchesniis inter Franciæ coætaneos scriptores edito hoc non est veritus scribere Andabatarum more; Opus est Monachale, uti videtur, mihi hactenus non visum & de quo nescio an publicè extet. En cor zenodoti! en jecur Crateris! Cætera sunt ejusdem commatis quæ si κατὰ πόδας persequi velis Ionii citius pelagi numeraveris undas. Nos nonulla deinceps ut se dabit occasio in Flodoardo, Hincmaro, Luitprando, aliisque quos Bellarminus noster attigit, observabimus

De Anastasiis Monacho; & S. R. E. Apocrisiario. 660.

SUPPLEMENTUM.

ANASTASIUS Monachus Sancti Maximi Constantinopolitani Abbatis Discipulus, scripsit *Epistolam ad Calaritanos in Sardinia Monachos contra Monothelitas Hæreticos*, eò tandem prolapsos, ut duas & unam, id est, tres in uno eodemque Christo voluntates, & operationes prædicarent. Habetur hæc Epistola inter Collectanea Anastasii S. R. E. Bibliothecarii, quæ Sirmondus edidit Parisiis anno 1620. apud Sebastianum Cramoisy. Itemque habetur in prolegomenis seu præludiis ad Opera Sancti Maximi edita à Francisco Combefis, de quibus diximus suo loco. Obiit in Lazica anno 662. die 24. Julii præveniens ad patriam cœlestem Sanctum Magistrum Maximum, qui obiit sequentis Augusti die 13.

ANASTASIUS alter S. R. E. Apocrisiarius, in Lazica exulans anno 665. inde misit *Epistolam ad Theo-*

Theodosium Gangrensem Presbyterum, quæ præter ea quæ de S. Maximi Constantinopolitani Abbatis obitu narrat, ampla fragmenta continet, ex Sancti Hyppoliti Portuensis Episcopi Sermonibus. Hujus Apocrisiarii Epistola ista, extat in citati Anastasii Bibliothecarii Collectaneis, à Sirmondo Parisiis anno 1620. apud Cramosium evulgatis. Itemque in prolegomenis pag. 67. ad Opera Sancti Maximi Monachi, quæ collegit Franciscus Combefis, de quibus nos egimus in Maximo; ubi græcè & Latinè legitur, cùm latinè tantùm apud Anastasium Bibliothecarium in Collectaneis haberetur.

De Hincmaro Rhemensi. 860.

HINCMARUS EPISCOPUS Rhemensis, vixit tempore Nicolai primi Pontificis, ad quem scripsit, & à quo sæpè litteras accepit: & tandem obiit anno Domini 882. cùm sedisset annis triginta septem, teste Flodoardo in historia Rhemensi. Scripsit epistolam *paræneticam ad Carolum Crassum*, item *aliam de bono reginine ad filios Ludovici Junioris Imperatoris*, quarum meminit Flodoardus in ejus vita. Extant epistolæ Hincmari excusæ Moguntiæ anno 1602. Scripsit quoque *vitam sancti Remigii Episcopi Rhemensis*, quæ extat apud Surium die 13. Januarii, scripsit etiam *encomium ejusdem sancti Remigii*, quod extat apud Surium die prima Octobris. Scripsit præterea *opusculum quinquaginta quinque Capitulorum ad Hincmarum Laudunensem*, in cujus opusculi cap. 20. rejicit septimam Synodum generalem, ex errore, quo tunc multi tenebantur, quod ea Synodus non fuisset habita ex consensu & approbatione sedis Apostolicæ. De quo errore vide quæ scripsimus in libris controversiarum de Imaginibus lib. 2. cap. 14. scripsit præterea idem Hincmarus aliud opusculum *de divortio Lotharii Regis & Tetbergæ Reginæ, & epistolas varias*, quæ omnia edita sunt Lutetiæ Parisiorum anno 1615.

Dissertatio Historica.

HINCMARUS, ex nobili ortus Francorum familia, Monachum primò professus est in Monasterio Sancti Dionysii in Francia, sub Hilduino Abbate, tum in locum Ebbonis, ob conjurationem adversus Ludovicum Pium Imperatorem depositi, atque ejecti, annitente Carolo Calvo Rege promotus in Archiepiscopum Rhemensem mense Aprili anni 845. in Concilio Bellovacensi, ac deinde consecratus Dominica die 17. Maji, cùm sedisset annis 37. obiit die 21. Decembris anni 882. Sparnaci, cùm metu Normannorum Durocortoro Rhemorum ad illam Matronæ impositam villam secessisset. Interfuit quamplurimis per ea tempora celebratis Conciliis, ac paulò ante mortem scripsit Epistolam mense Augusto ad Episcopos Franciæ. De eo Flodoardus toto libro tertio Rhemensis Historiæ, Rabanus Moguntinus Archiep. Lupus Ferrariæ Abbas, aliique in Epistolis, Annales Beriniani, Fuldenses, &c. Sigebertus cap. 99. de Viris Illustribus & in Chronico, atque ex recentioribus viri doctissimi Jacobus Sirmondus, Petrus Roverius, Ludovicus Cellotius, & Alexander Tenentius, qui eum adversus impactas à pluribus, ac nominatim à CL. VV. Præside Mauguino, & Archiatro Chiffletio accusationes tutati sunt: Quamvis enim in quibusdam eum aberrasse, ut humanum est, nemo negare possit: constat tamen inter ætatis suæ eruditissimos ac sanctitatis & disciplinæ Ecclesiasticæ retinentissimos vindices meritò annumerandum esse.

Post editiones aliquot Hincmari opusculorum anno 1602. Moguntiæ, & 1615. Parisiis, curantibus Joanne Busæo Societ. Jesu Theologo, & Joanne Cordesio Canonico Lemovicensi vulgatas, R. P. Jacobus Sirmondus ὁ μακαρίτης anno 1645. duobus Tomis ex officina Cramosiana emisit in lucem omnia, quæ reperire potuit, Hincmari opera, cum quibusdam nepotis ejus Hincmari Laudunensis libellis.

Tomo I. continentur.

Hincmari ad Carolum Regem epistola priori ejus contra Prædestinatianos operi præfixa. Præfatio subsequentis operis. De Prædestinatione Dei & libero arbitrio, Posterior dissertatio contra Gothescalcum, & cæteros Prædestinatianos. Collectio ex Sanctis Scripturis, & Orthodoxorum dictis, de una & non trina Deitate, Sancta videlicet & inseparabilis Trinitatis unitate, contra eumdem Gothescalcum. De divortio Lotharii Regis & Reginæ Tetbergæ. Capitula Parochiæ Rhemensis Presbyteris data anno 852. Quibus de rebus Magistri & Decani per singulas Ecclesias inquirere, & Episcopo renunciare debeant. Capitula anno 12. Episcopatus superaddita. Capitula in Synodo data Presbyteris anno 874. Capitula Archidiaconibus Presbyteris data anno 877. Coronatio *Caroli Calvi in regno Lotharii Regis. Ludovici Balbi, quando Carolo Calvo patri successit. Judith Caroli filiæ cùm Regi Anglorum desponsata est. Hermintrudis Reginæ uxoris Caroli Regis. Hincmari expositio in Ferculum Salomonis versibus ab eo conscriptum.*

Tomo II. continentur.

1. *De Regis persona & regio ministerio*, ad Carolum Calvum Regem. 2. *De cavendis vitiis, & virtutibus exercendis*, ad eumdem Carolum. 3. *De diversa & multiplici animæ ratione*, ad eumdem. *IV. Admonitio ad Ludovicum Germaniæ Regem*, cùm ad occupandum Caroli fratris sui regnum venisset anno 858. *V. De coercendis militum rapinis*, ad Carolum Calvum Regem, cùm in procinctu belli esset, ut Ludovici fratris impetum retunderet. *6. Ad Clericos Palatii*, de eadem re, ut hominum suorum rapinas reprimant. 7. *Ad Presbyteros Parochiæ suæ*, de eadem re, ut excommunicationem adversus deprædatores denuntient. 8. *De verbis psalmi* 103. Herodii domus dux est eorum, ad Ludovicum Germaniæ Regem. *9. Ad Episcopos & Proceres provinciæ Rhemensis*, cùm Ludovicus iterum Caroli fratris sui regnum illo absente impeteret anno 875. 10. *Novi Regis institutio ad rectam regni administrationem*, ad Ludovicum Balbum Regem. 11. *Ad Carolum III. Imperatorem*, ut Ludovici Balbi sobrini sui filiis Regibus idoneos educatores & consiliarios constituat. 12. *Ad Ludovicum III. Regem Balbi filium*, ut liberam Episcopi electionem in Ecclesia Bellovacensi relinquat. 13. *Ad eumdem Ludovicum III. Regem*, de Odoacro invasore Ecclesiæ Bellovacensis. 14. *Ad Proceres regni*, de instructione Carolomanni Regis, & de ordine Palatii ex Adalardo. 15. *Ad Episcopos regni*, Admonitio altera pro Carolomanno Rege apud Sparnacum facta. 16. *Ad Regem communi Episcoporum nomine*, de coercendo & extirpando raptu viduarum, puellarum & sanctimonialium. 17. *Ad Nicolaum Papam*, de vacatione sedis Cameracensis, & de Balduini & Judith conjunctione, deque Rothadi depositione, ac hæresi Gothescalci. 18. *Ad Episcopos Synodi Svessionensis*, de Vulfado & collegis, quorum judicium Nicolaus Papa jusserat in hac Synodo renovari. 19. *Ad eamdem Synodum Svessionensem*, de Ebbone Rhemensi, quòd ab Episcopatu jure dejectus, nec legitimè postea restitutus Clericos ordinare non potuerit, &c. 20. *Ad Episcopos Synodi Svessionensis*, quòd absque necessitate mutari non debeant, quæ semel in Conciliis statuta vel judicata sunt.

sunt. 21. *Ad Episcopos Synodi Suessionensis*, de Vulfado, quod Lingonensem Ecclesiam Pastore viduatam usurpare præsumpserit, &c. 22. *Ad Nicolaum Papam*, per Egilonem missa cum actis Synodi Suessionensis anno 866. 23. *Ad Egilonem Archiep. Senonensem*, Romam euntem, de gestis in Synodo in causa Vulfadi. 24. *Ad eumdem*, de Gothescalco, ejusque assertionibus, & de Prudentio Episcopo, ut suggerat Pontifici. 25. *Ad eumdem*, Gothescalci ejusdem doctrinæ fusior explicatio. 26. *Ad Nicolaum Papam*, Respondet increpatoriis ejus litteris, purgans se de tumore ac dolo, &c. 27. *Ad eumdem*, de eodem argumento. 28. *Ad Monachos Altrovillarenses*, ut Gothescalco, si resipuerit, spiritalem & corporalem humanitatem exhibeant. 29. *Ad Carolum Calvum Regem*, pro Hincmaro Laudunensi, quòd in publicis judiciis discuti Episcoporum causæ non debeant. 30. *Ad Hincmarum Laudunensem*, de Nivino, ejusque fratre Bertrico, quos ut sceleribus infames è Parochia Rhemensi ejecerat. Hincmari Laudunensis ad Rhemensem, purgat Nivinum, seque ipsum in ejus negotio & Hincmarum Rhemensem perstringit. 31. *Ad Hincmarum Laudunensem*, Intercedit pro Hadulfo Presbytero, quem Laudunensis excommunicarat. Hincmari Laud. ad Rhemensem, Hadulfo in Hincmari gratiam pristinæ mansionis locum permittit, communionem suam nondum concedit. 32. *Ad Episcopos provinciæ Lugdunensis*, de Karolomanno, ejusque complicibus excommunicandis. Hincmari Laud. Collectio altera ex epistolis Romanorum Pontificum Rhemensi apud Gundulfi villam missa per Wenilonem Archiepiscopum. 33. *Opusculum* 55. *capitulorum*, Ad Hincmarum Laudunensem. 34. *Ad eumdem*, accepto ejus missatico per Heddonem Præpositum Ecclesiæ Landunensis. 35. *Ad eumdem*, Rememorans, qualiter illum orphanum sub religione tenuerit, litteris erudierit, per singulos gradus usque ad Episcopatus apicem provexerit. Respondet Laudunensis ad Epistolas, deque aliis, quæ contra ipsum scripta vel acta. Idem ad eumdem, de consensu in excommunicationem ab eo factam, quem exigebat. 36. *Ad Hincmarum Laud.* 37. *Ad Rodulphum & Frotarium Archiepiscopos*, de nuptiis Stephani & filiæ Regimundi Comitis. 38. *Conventui Episcoporum*, ad interrogationem Guntharii Archiep. Coloniensis de uxore Bosonis, quæ virum suum reliquerat. 39. *Ad Hildegarium Episcopum Metensem*, de judicio aquæ frigidæ. 40. *Ad Hildeboldum Episcopum Suessionensem infirmitate detentum*, quem juxta petitionem litterarum confessionis illius absentem reconciliando absolvit. 41. *Ad Hadrianum Papam*, respondet ad ea quæ Pontifex de regno Lotharii, & de Hincmari nepotis causa mandarat. 42. *Caroli Regis nomine ad Hadrianum Papam*, binis ejus litteris exasperatus, ad utrasque commotiore aliquantum animo respondet. 43. *Ad Adventium Episcopum Metensem*, quo debeant ordine consecrari Metropolitanus atque Diœcesanus Episcopus. 44. *Ad Episcopos*, de jure Metropolitanorum, cùm de Ausegisi Senonensis Primatu ageretur. 44. *Ad quemdam Episcopum*, de translationibus Episcoporum contra Actardum Namnetensem. 46. *Quæ exequi debeat Episcopus, & quâ cura tueri res & facultates Ecclesiasticas*. 47. *Caroli II. Imperatoris nomine ad Joannem VIII. Papam*, de judiciis & appellationibus Episcoporum & Presbyterorum. 48. *De Presbyteris criminosis, de quibus approbatio non est*. 49. *De causa Teutfridi Presbyteri, qualiter sit agenda, vel definienda*. 50. *De visione Bernoldi Presbyteri*. 51. *Ad Odonem Episcopum Bellovacensem*, de objectionibus Græcorum à Nicolao Papa in Gallias missis, ut ad eas respondeatur. 52. *Odacri Bellovacensis Ecclesiæ invasoris excommunicatio*. 53. *Ad Joannem Episcopum Cameracensem*, de Hunoldo, & de malæ famæ Presbyteri purgatione. 54. *Godbaldi Presbyteri de femina convicti depositio*. 55. *Fulcherii & Hardeisæ ob incestas nuptias excommunicatio*. 56. *Ad Engilgarium virum illustrem*, qui hominem suum inconvenienter jurare coegerat. 57. *Ad Anastasium Abbatem Romam missæ*, cùm increpatorias Papæ litteras accepisset. 58. *Responsio Domni Hincmari Rhemorum Archiepiscopi ad quorumdam quæstiones*, cur in quodam scripto mysticam Nicænam Synodum. 59. *Hincmari consilium de pœnitentia Pipini junioris Aquitaniæ olim Regis*. 60. *De villa Novilliaco*. 61. *Juramentum quod edere jussus est apud Pontigonem*, ejusque in idem juramentum animadversiones. 62. Parduli Laudunensis Episcopi epistola ad Hincmarum Rhemensem. 63. *Ad Carolum Calvum Regem*: quales Judices constituere debeat ad causas inter Ecclesiasticos & sæculares dirimendas. 64. *Ad Ludovicum Regem Germaniæ*, pro Bertulfo Trevirensi Archiepiscopo. 65. *Ad Wiligisum, & cæteros Monachos Sancti Dionysii*, quod pretium pro decima quæri non debeat. 66. *Ermingardi Augustæ conjugi Lotharii Imperatoris*, de eo quod apud Lotharium falsò accusatus fuerat infidelitatis. 67. *Rotrudi & cæteris sororibus Monasterii Sanctæ Crucis & Sanctæ Radegundis*, pro electione Abbatissæ ejusdem Monasterii. 68. *De Ferculo Salomonis ab Hincmaro metricè composito*, cum duodecim versibus ex eodem opere depromptis.

Poterat quoque Sirmondus iis addere *Vitam Encomiumque S. Remigii Rhemorum Archiepiscopi, Francorumque Apostoli*: sed quia apud Laurentium Surium habentur tum ad diem 13. mensis Januarii, tum Kalendis Octobris, placuit omitti.

Supplementum.

Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, cujus omnia quotquot extabant opera procuravit imprimi Jacobus Sirmondus duobus tomis in folio Parisiis anno 1645. apud Sebastianum Cramoisy sub Ciconiis, de quo Bellarminus & Labbeus in Opere de Scriptoribus Ecclesiasticis. Quibus addo *Concilium Duziacense primum*, quod purum Hincmari Opus est, evulgatum à Ludovico Cellot, ex manuscripto Sirmondi anno 1648. in 4. typis ejusdem Sebastiani Cramoisy, tum in Conciliis ultimæ impressionis Labbeanæ Parisiensis anni 1671. tom. 8. pag. 1542. & seqq. cum Notis Cellotii, *& omnibus amborum Hincmarorum Opusculis & Epistolis*, usque ad paginam 1845. Adde varia quæ habentur in Appendice ejusdem tomi 8. Conciliorum, ut *Epistola Lotharii Imperatoris ad Leonem IV. Papam* contra Ebbonem pro Hincmaro, cui pallium petit, & quam Hincmarus ipse dictavit. Habetur ibi pagina 193. & apud Ludovicum Cellot in Historia prædestinatiana pag. 407. cum præludio & Notis. Item *Epistolam Caroli Calvi nomine ad Adrianum Pontificem de causa Hincmari Laudunensis, & rescriptum Concilii Duziacensis ad eumdem Pontificem de eodem negotio*: quæ absque dubio sunt ejusdem Hincmari Rhemensis, & quas habet integras Appendix ad librum *De Causis majoribus*, Auctore Joanne Gerbasio Doctore Parisiensi, apud Franciscum le Cointe Parisiis in 4. anno 1679. via Jacobæa, è regione Collegii Rhemensis. Item *Epistolam* quam habet Joannes Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 59. quibus omnibus Opera Hincmari multùm amplificantur. Plura de illo Jacobus Sirmondus qui ejus Operum editionem procuravit, fratres Sammarthani tomo 1. Galliæ Christianæ in Archiepiscopis Rhemensibus, Ludovicus Cellot in Historia Gottescalci Prædestinatiani passim, Natalis Alexander sæpè allegatus sæculo IX. Historiæ Ecclesiasticæ parte 1. cap. 3. articulo 23. pag. 248. & parte

parte 2. Diſſertatione 5. de Gotteſcalci cauſa ejuſque erroribus ac damnatione, impugnatoribus ac patronis pag. 264. & ſeqq. & Diſſertatione 8. de cauſa utriuſque Hincmari Laudunenſis ac Rhemenſis, pag. 428. & ſeqq.

De Ratramno Monacho. 860.

SUPPLEMENTUM.

RATRAMNUS Monachus Corbejenſis veteris in Gallia, claruit ſub Ludovico Pio & Carolo Calvo Galliarum Regibus, diſcipulus Paſchaſii Rathberti ejuſdem Corbejæ Abbatis, contemporaneus Prudentio, Hincmaro Rhemenſi, Gotteſchalco Orbacenſi Monacho, Lupo Ferrarienſi Abbati, & aliis. Claruit anno 860. & ſequentibus, qui multa reliquit poſteris ingenii ſui monumenta: Nimirum *contra errores Græcorum lib.* 4. qui habentur in Spicilegio Domni Lucæ Dacherii tom. 2. pag. 1. & ſeqq. *De Nativitate Chriſti lib.* 1. tom. 1. dicti Spicilegii Dacheriani pag. 218. *De duplici prædeſtinatione libros* 2. quos Gilbertus Mauguin ſupra citatus edidit tom. 1. pag. 29. Vindiciarum prædeſtinationis & gratiæ, de quibus *in Prudentio* locuti ſumus. *De Corpore & ſanguine Domini librum* 1. anno 1532. impreſſum in Germania ſub nomine Bertrami, ſed quem legitimum fœtum Corbejenſis noſtri Ratramni agnoſcit Joannes Mabillon, ex fide mſſ. Codicum, in prologo ad tomum 2. ſæculi quarti Sanctorum Ordinis D. Benedicti, quem legito. Idem antea ſenſerat Jacobus Uſſerius Armachanus Archiepiſcopus, quem eam ob rem immeritò carpit auctor Perpetuitatis Euchariſticæ de veritate ſubſtantiali Corporis & Sanguinis Domini, toto libro 12. contendens, hunc librum eſſe hæreticum ac Bertrami hæreſeos condemnati. Idem ſcripſit Ratramnus *Librum de anima*, quem ex mſ. Codice ſancti Eligii Noviomenſis tranſcriptum, editioni paratum habet idem Joannes Mabillon Benedictinus Congregationis ſancti Mauri, in Monaſterio ſancti Germani de Pratis. Idem mſ. in Collegio ſancti Benedicti Cantabrigiæ Cod. 301. in Anglia. Plura de tanto viro quem tamen in multis accuſat Ludovicus Cellot in hiſtoria hæreſeos Prædeſtinatianæ, alii omnes qui ejus Scripta ediderunt, Gilbertus Mauguin & Lucas Dacherius in præludiis ad tomos 1. & 2. Spicilegii ſui, Joannes Mabillon in præfatione ad tomum 2. ſæculi quarti Sanctorum Ordinis D. Benedicti, Natalis Alexander in ſelectis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus ſæculo 9. parte 2. pag. 597. diſſertatione ſpeciali, quæ 13. eſt.

De Ænea. 860.

SUPPLEMENTUM.

ÆNEAS Notarius ſacri Palatii in Concilio Cariſiaci anno 848. creatur Epiſcopus Pariſienſis anno circiter 853. cujus electionis formula per Clerum Pariſienſem extat Epiſtola 98. Lupi Ferrarienſis Abbatis ad Metropolitanum Senonenſem, ejuſque Suffraganeos. Leguntur *duæ ipſius Epiſtolæ formatæ*, ediditque *librum De erroribus Græcorum* juſſu & rogatu Nicolai 1. Papæ, qui mſ. in membranis quarumdam Bibliothecarum reperitur, extatque impreſſus in Spicilegio Lucæ Dacherii tom. 7. pag. 1. & ſeqq. Cæterum Concilio apud Saponarias interfuit anno 859. Tuſiacenſi 860. Sueſſionenſi 3. anno 866. Tricaſſino 867. vixitque circiter uſque ad annum 870. De quo loquuntur

A fratres Sammarthani in Gallia Chriſtiana tomo 1. pag. 408. *in Epiſcopis Pariſienſibus.*

De Anſchario. 860.

SUPPLEMENTUM.

ANSCHARIUS ex Corbejæ Gallicæ Monacho, primus Bremenſis Archiepiſcopus, ſcripſit circa annum 860. *Vitam ſancti Willehadi primi Bremenſis Epiſcopi libris* 2. una cum Actis ſanctorum Anſcharii & Remberti Epiſcoporum Bremenſium Coloniæ Agrippinæ editam anno 1642. opera Philippi Cæſaris; Itemque à Joanne Mabillon ſæculo B 4. Sanctorum Ordinis D. Benedicti tom. 2. pagin. 401. & ſeqq. Qui cupit plura de ſancto Anſchario, habet ejus acta ad annum 865. quo ipſe obiit die 3. Februarii, apud Baronium in Annalibus anno 865. num. 101. & in Martyrologio Romano ad diem allegatam, Bollandum ad diem etiam 3. Februarii, Joannem Mabillon ſæculo 4. Sanctorum Ordin. Divi Benedicti tom. 2. pagin. 75. & ſeqq.

De Rudolpho. 860.

SUPPLEMENTUM.

C RUDOLFUS ſeu RODOLFUS Monachus Fuldenſis claruit etiam his temporibus, Scriptor gravis, de quo hoc loquuntur Annales Fuldenſes elogium ad annum 865. *Anno* 865. *Ruodulphus Fuldenſis Cœnobii Presbyter & Monachus qui apud totius penè Germaniæ partes Doctor egregius & inſignis floruit Hiſtoriographus & Poeta, atque omnium artium auctor nobiliſſimus habebatur*, 8. *Idus Martii diem ultimum fæliciter clauſit*. Scripſit *Vitam ſanctæ Liobæ Virginis & Abbatiſſæ Biſchofneſmenſis* in Germania, quam habes editam apud Surium in editione illius ſecunda ad diem 28. Septembris, & apud Joannem Mabillon ſæculo 3. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tom. 2. pag. 245. & ſeqq. Item ſcripſit *Vitam* D *Rabani Mauri Magiſtri ſui*, poſtea Fuldenſis Abbatis & Moguntini Archiepiſcopi, quam habes editam in prolegomenis ad opera Rabani Mauri edita Coloniæ anno 1627. & apud Bollandum in Vitis ſanctorum ad diem 4. Februarii qua obiit, & ſæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo 2. pag. prima & ſeqq.

De Iſone. 860.

SUPPLEMENTUM.

ISO Cœnobita Monaſterii ſancti Galli circa annum 690. deſcripſit duobus libris *Tranſlationes* E *& Miracula ſancti Othmari*, quos habet ſæculum 3. Sanctorum Ordinis D. Benedicti tomo 2. pag. 162. hic laudatur multùm ab Ekkerardo juniore in libro de Caſibus Monaſterii ſancti Galli cap. 2. ubi *Notkerum Balbulum, Tutilonem & Ratpertum* diſcipulos habuiſſe dicitur. Apud Hepidamnum verò anno 871. *Iſo Magiſter obiit pridie idus Maji*, quem itidem annum ſignat Hermannus Contractus.

De Othelgrimo Monacho. 860.

SUPPLEMENTUM.

OTHELGRIMUS Monachus Werthinenſis, contemporaneus & ſocius ſancti Ludgeri Monaſterienſis Epiſcopi, ſcripſit *Vitam illius libris duobus*,

bus, admiscens subinde quædam nonnihil ab Altfridi narratione discrepantia, cujus scriptionem ex membranis Fuldensibus eruit Christophorus Brovverus, ediditque in Syderibus suis Germaniæ. Verùm cum auctor hujus Vitæ scriberet post annum 864. ut patet ex lib. 2. cap. 26. licèt non procul ab isto anno: difficile est conciliare hunc annum cum discipulatu sancti Ludgeri Episcopi, qui mortuus est anno 809. die 26. Martii; nisi valde senex Othelgrimus fuerit quando hanc Vitam scripsit, vel valdè juvenis fuerit traditus Disciplinæ sancti Ludgeri, sicut factum est in Ordine sancti Benedicti. Conditor tamen Litaniæ Werthinensis primos vitæ Liudgerianæ Scriptores ait fuisse *Othelgrimum discipulum ejus, Altfridum Monasteriensem Episcopum, & Uffingum Cœnobitam Werthinensem*. Eamdem hanc Vitam reddidit cum altera ab Altfrido Monasteriensi Episcopo composita, Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ordin. Divi Benedicti tom. 1. pag. 15. & sequentibus post Bollandum ad diem 26. Martii, quos quisque adire potest per otium.

De Ermentario Abbate. 860.

SUPPLEMENTUM.

ERMENTARIUS Abbas Trenorchiensis, *Translationem Corporis sancti Philiberti Abbatis ex Heriensi Monasterio in varia loca*, scripsit anno Domini 863. quam primus edidit Petrus Franciscus Chifflet in sua historia Monasterii Trenorchiensis, ac post eum Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 2. pag. 537. & seqq.

De Odone Abbate. 860.

SUPPLEMENTUM.

ODO Ordinis Divi Benedicti, Abbas Glannafoliensis in Diœcesi Cœnomanensi, & Fossatensis in Agro Parisiensi, scripsit anno 869. *Opusculum de translatione sancti Mauri Abbatis in Fossatense Monasterium Agri Parisiensis*, quod legitur editum apud Bollandum ad diem 15. Januarii, & in Actis Sanctorum Ordinis Divi Benedicti sæculo 4. tom. 2. pag. 165. & seqq.

De Milone Monacho. 860.

SUPPLEMENTUM.

MILO Monachus sancti Amandi, scientia Litterarum clarus, scripsit metrico stylo *Vitam sancti Amandi*. Scripsit etiam ad Carolum Regem metricè *librum de Sobrietate*. Hæc Sigebertus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 105. breviter de Milone loquitur. Milo autem fuit Monachus apud sanctum Amandum in Pabula Ordinis Divi Benedicti, Avunculus & Magister Hugbaldi Elnonensis, vir eruditus ac clarus temporibus Ludovici Pii ac Caroli Calvi Imperatorum ultra medium sæculi 9. circa annum 866. scripsit *Supplementum ad vitam sancti Amandi* à Baudemundo conscriptam, atque *Historiam translationis & elevationis corporis sancti Amandi*. Itemque eamdem Amandi vitam *quatuor libris metricè ad Hayminum Abbatem Vedastinum*, quæ omnia ex mss. Codd. collecta edidit Joannes Bollandus ad diem 6. Februarii. Vivebat post medium sæculum 9. ut ex Supplemento *ad Vitam sancti Amandi* cap. 7. num. 22. & cap. 8. apparet. Item scripsit *Homiliam de sancto Principio Suessionensi Episcopo*, quam habes apud Surium ad diem 27. Septembris. Obiit Milo anno 871. in suo Monasterio, quem recenset Possevinus *in Apparatu Sacro* & Aubertus Miræus in Scholio ad caput 105. Sigeberti, pag. 146. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, Joannes Mabillon in præludiis ad Vitam sancti Amandi sæculo 2. Sanctorum Ord. Divi Benedicti pag. 709. & seqq. *Conflictus veris & hyemis* est ejusdem Milonis Monachi Elnonensis ex Auberto Miræo Scholio ad Catalogum Sigeberti cap. 105. pag. 146. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, quem damus ex ms. Codice Bibliothecæ Colbertinæ.

CONFLICTUS VERIS & Hyemis.

CONVENIUNT subito cuncti de montibus Altis
Pastores pecudum, vernali luce sub umbra,
Arboreas pariter lætas celebrare camœnas.
Omnes hic cuculo laudes cantare parabant.
Ver quoque florigero succinctus stemmate venit,
Frigida venit hyems rigidis hirsuta capillis,
His certamen erat cuculi de carmine grande.
Ver prior allusit ternos modulamine versus:
Ver. *Opto meus veniat cuculus, carissimus Ales,*
Omnibus iste solet fieri gratissimus hospes,
Intret is modulans rutilo bona carmina rostro.
Hyems. *Tum glacialis hyems respondit voce severa,*
Non veniat cuculus, nigris sed dormiat antris:
Iste famem secum semper portare suescit.
Ver. *Opto meus veniat cuculus cum germine læto,*
Frigora depellat, phœbo comes almus in ævum,
Phœbus amat cuculum, crescenti luce serena.
Hyems. *Non veniat cuculus, generat qui forte labores,*
Prælia congeminat, requiem disjungit amatam,
Omnia disturbat, pelagi terræque laborant.
Ver. *Quid tu tarda hyems cuculo convicia cantas?*
Qui torpore gravi tenebrosis tectus in antris,
Post epulas Veneris, post stulti pocula Bacchi.
Hyems. *Sunt mihi divitiæ, sunt & convivia læta,*
Est requies dulcis, calidus est ignis in æde,
Hæc cuculus nescit, sed perfidus ille laborat,
Ver. *Ore refert flores cuculus, & mella ministrat*
Ædificatque domos, placidas & navigat undas,
Et generat soboles, lætos & vestiet agros.
Hyems. *Hæc inimica mihi sunt, quæ tibi læta videntur:*
Sed placet, optatas gazas numerare paratas,
Et gaudere cibis, simul & requiescere semper.
Ver. *Quis tibi tarda hyems, semper dormire parata*
Divitias cumulat, gazas vel congregat ullas
Si ver aut æstas tibi nulla vel ante laborat.
Hyems. *Vera refers, illi numquam mihi multa laborant,*
Sunt etiam servi nostra ditione subacti,
Jam mihi servantes Domino quæcumque laborant.
Ver. *Non illis Dominus, sed pauper inopsque superbus,*

Nec

Nec te jam poteris per te tu pascere tantùm,
Ni tibi quis veniat cuculus, alimonia præstet.
Palemon. *Tunc respondit ovans sublimi à sede Palemon,*
Et Daphnis pariter, pastorum & turba piorum:
Desine plura hyems, rerum tu prodigus atrox
Et veniat cuculus pastorum dulcis amicus,
Collibus in nostris erumpant germina læta,
Pascua sit pecori requies & dulcis in arvis,
Et virides rami præstent umbracula fessis
Uberibus plenis, veniantque ad mulctra capellæ,
Et volucres varia phœbum sub voce salutent:
Quapropter citiùs cuculus nunc ecce venito,
Tum jam dulcis amor, cunctis gratissimus hospes.
Omnia te expectant, pelagi tellusque salutant;
Salve dulce decus cuculus, per secula salve.

De Gottescalco Monacho. 860.

SUPPLEMENTUM.

GOTTESCALCUS Monachus Orbacensis in Episcopatu Suessionensi (cujus occasione hoc nostro sæculo ingentes querelæ inter doctissimos viros commotæ sunt) cùm aliquamdiu per varias provincias excurrisset variisque in locis docuisset, damnatus fuit hæreseos à Rabano Moguntinensi Archiepiscopo in Concilio illuc collecto anno 848. & ab aliis Galliæ Episcopis sollicitante potissimùm Hincmaro Rhemensi Metropolitano, anno sequenti 849. in conventu Carisiacensi. Scripsit *brevem fidei suæ confessionem & prolixam*, quas evulgavit Gilbertus Maugnin tom. 1. pag. 9. & 19. Vindiciarum Prædestinationis & gratiæ. Item *Epistolam ad Ratramnum Corbejensem Monachum* Condiscipulum, quam eduxit Ludovicus Cellot Parisinus Soc. Jesu Presbyter in *Historia Gottescalci Prædestinatiani* pag. 415. Mortuus est Gottescalcus in carcere, quo jubente Hincmaro detentus fuit, apud Altum-Villare Cœnobium anno circiter 870. Qui plurima cupit de Gottescalco & ejus doctrina, legat *Vindicias prædestinationis & gratiæ* quas conscripsit Gilbertus Mauguin doctissimus Præses Rei Monetariæ Parisiensis, cum Collectaneo variorum hujus sæculi Scriptorum, impressas 2. tomis in 4. Parisiis apud Joannem Billaine anno 1650. sub signo Divi Augustini: Historiam Gottescalci Prædestinatiani à Ludovico Cellot jam citatam atque in fol. editam Parisiis anno 1655. contra prædictum Gilbertum Mauguin, quæ prostat apud Sebastianum Cramoisy via Jacobæa sub Ciconiis. Paucioribus verò omnia complectitur Natalis Alexander Dominicanus in *selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus* sæculo 9. parte seu tom. 2. dissertatione 5. pag. 264. & seqq.

De Theodoro Abucara. 870.

SUPPLEMENTUM.

THEODORUS ABUCARA Archiepiscopus Cariæ, vixit temporibus Basilii Macedonis Imp. Constantinopolitani & VIII. Synodi. Scripsit *Varia opuscula contra Hæreticos, Judæos & Saracenos*, seu disputationes contra Infideles editas græcè & latinè per Jacobum Gretserum Societ. Jesu doctissimum virum, Ingolstadii in 4. anno 1606. cum Anastasii Sinaitæ libro qui *Dux viæ* inscribitur. Extant autem, interpretibus Gilberto Genebrardo, Francisco Turriano & Jacobo Gretsero, ex quibus non pauca Colonienses in tomum 9. Bibliothecæ Patrum anno
A 1618. retulerunt. Arbitratur porrò Gretserus hunc Theodorum Abucaram (cujus opera græcè manuscripta extant inter Codices Græcos mss. quos Franciscus Turrianus obtulit Societati Jesu, quando ipsam ingressus est) non fuisse alium quàm illum, qui cùm partes Photianas contra Ignatium legitimum Const. Patriarcham secutus fuisset, atque adeò cum Zacharia Episcopo Chalcedonensi pro Photio ad Ludovicum II. Imperatorem legationem obiisset (ut in Vita Ignatii narrat Nicetas Paphlago) postea Photii fraudibus in apertum prolatis, vela retrorsum verterit, & in VIII. Synodo Oecumenica admissi facinoris veniam impetravit. Plura de Theodoro Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, Aubertus Miræus
B in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 255. pag. 230.

De Petro Siculo. 870.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS Siculus vixit anno post Christum natum circiter 870. quo tempore ex mandato Basilii & filiorum Constantini ac Leonis Imperatorum Orientis, Legatus Tibricam Armeniæ urbem missus est, ut de captivorum permutatione ageret: qui causam fœliciter transegit, cùm novem Tibricæ mensibus substitisset, ut ipse in extremis historiæ suæ pa-
C ginis narrat. Scripsit autem græcè Historiam *De varia & stolida Manichæorum hæresi*, cujus partem à Sirmondo translatam Baronius suis Annalibus tom. 9. pag. 31. inseruit, qui eum malè vocat *Lucam Siculum*. Exinde libellum hunc integrum ex ms. Codice Bibliothecæ Vaticanæ descriptum, Marco Velsero Roma Augustam Vindelicorum idem Sirmondus misit; & Velserus Matthæo Radero, ea lege, ut latinè redderet, quod & præstitit & notis illustravit, editum græcè & latinè Ingolstadii anno 1604. in 4. typis Sartorii: atque inde postea immissus est in tomum 9. Bibliothecæ SS. Patrum editionis Coloniensis anni 1618. Vide Antonium Possevinum *in Apparatu sacro*, verbo *Petrus Siculus*, Aubertum Miræum
D *in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 256. pagina 230.

De Ælfredo Rege. 870.

SUPPLEMENTUM.

ÆLFREDUS seu ALFREDUS Anglorum Rex, olim à Patre Ethelvulfo Romam missus & à Leone IV. Pontifice Maximo Rex unctus, regnum adiit anno salutis 872. qui continuis novem annis cum Frizonibus & Danis pugnans, variam expertus est atque ancipitem fortunam. Cæterùm iste Rex doctus fuit & addictus studiis Litterarum Ecclesiasti-
E carum & Legum civilium, qui scripsit *Saxonicam versionem Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum* venerabilis Bedæ Presbyteri, impressam Cantabrigiæ anno 1643. & una *cum legibus ejusdem Alfredi saxonicè & latinè* per Abrahamum Vvelocum Cantabrigiæ in fol. an. 1644. Extant eædem leges Ælfredi Regis in Chronico Joannis Brompton, & in editione nova Conciliorum Labbeana tom. 9. pag. 583. & seqq. Mortuus est Ælfredus Rex anno Christi 900. Regni 30. & Vvintoniæ in Basilica S. Petri sepultus est, cui in regno successit Eduardus filius, senior ex omnibus quos habuerat liberis. Plura de Ælfredo Rege Anglorum Natalis Alexander *in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus* sæculo 9. parte 1. cap. 9. art. 3. pag. 851. quæ excerpsit ex Assero Schireburnensi Episcopo in libro *De Ælfredi Rebus gestis*. Alredo seu Ailredo Abbate Rie-

Rievallis Ord. Cisterc. in libro *De Genealogia Regum Anglorum*, Vvilhelmo Malmesburiensi lib. 2. *De gestis Regum Anglorum* cap. 4. Rogerio de Hoveden parte priori *Annalium*, ex Chronico Joannis Brompton & Polydoro Virgilio lib. 5. *Historiæ*.

De Isaaco Bono. 870.

SUPPLEMENTUM.

ISAAC cognomento *Bonus*, Diaconus olim Parduli Laudunensis Episcopi, discipulus Hilduini sancti Dionysii Abbatis, ad Lingonensem Episcopatum post Theobaldi obitum promotus, interfuit Concilio seu Synodo Tullensi apud Saponarias anno 859. Tusiacensi anno 860. Svessionensi III. anno 866. Pontigonensi anno 876. Tricassinæ anno 878. Adornavit collectionem Canonum ex Decretis Synodorum à sancto Bonifacio Sedis Apostolicæ per Germaniam & Gallias Legato congregatarum, Zachariæ Pontificis maximi auctoritate confirmatis, & ex capitularibus Regum nostrorum: præcipuè verò ex tribus libris posterioribus, quos Benedictus Levita ad Ansegisi Abbatis collectionem adjecit. Id autem præstitit Isaac, ut sui in restauranda Ecclesiastica Disciplina & procuranda Canonum executione severioris studii obtrectatores comprimeret, seque novatorem non esse probaret, ut in præfatione asserit. Hanc in titulos XI. distributam ex codice Archiepiscopi Tolosani primus in lucem edidit Sirmondus tom. 3. Conciliorum Galliæ, ac post eum Stephanus Baluzius tom. 2. Capitularium Regum Franciæ. Ex hac collectione Canonum perspicuum est, publicam pœnitentiam pro publicis criminibus in usu fuisse Gallicanæ Ecclesiæ, usque ad hoc tempus. Prolixam ejusdem Isaaci Lingonensis Episcopi *Epistolam de Canone Missæ*, edidit tom. 1. pag. 345. Spicilegii sui, Lucas Dacherius. Plura de illo Lupus Ferrariensis epistola lxxxI. ad Amolonem Lugdunensem, Capitularia Caroli Calvi Titulo 25. n. 5. Flodoardus Historiæ lib. 3. cap. 21. & 24. Chronicon S. Benigni Divionensis; ex recentioribus verò Sammarthani fratres in fusiori Gallia Christiana tom. 3. in Lingonensibus Episcopis, Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo 9. tomo 1. cap. 3. art. 22. pag. 146. & seqq.

De Herardo Turon. Archiep. 870.

SUPPLEMENTUM.

HERARDUS Turonensis Archiepiscopus factus est anno 855. qui in Concilio Tullensi apud Saponariis an. 859. Judex est constitutus Venilonis Senonensis Archiepiscopi, contra quem Rex Carolus Calvus Libellum proclamationis dederat. Subscripsit Synodis Tusiacensi & Svessionensi an. 866. Trecensi anno 867. & Conventui Præsulum Rhemensis Provinciæ ab Hincmaro Metropolitano habito, ad examen Vviliberti Turonici Pagi Indigenæ, qui ordinandus erat in Episcopum Catalaunensem, ac restaurandam Ecclesiasticam Disciplinam in sua Provincia. *Capitula ex Corpore Canonum excerpta* anno 858. Presbyteris suis 17. Kalendas Junii in Synodo congregatis observanda tradidit: ex quibus constat pœnitentiam publicam pro publicis criminibus indictam fuisse. Habetur autem ista Herardi Collectio tomo 8. Conciliorum novissimæ editionis Parisiensis à Philippo Labbeo anno 1671. procuratæ. Item apud Stephanum Baluzium tomo 2. Capitularium Regum Franciæ pag. 1285. de qua jam supra diximus in Ansegiso Fontanellensi ad annum 820. vel

A circiter. Ad ipsum extat Epistola *Nicolai primi* Pontificis Maximi. Item Epistola *Hincmari* apud Flodoardum lib. 3. cap. 20. & Epistola 118. *Lupi Abbatis Ferrariensis*. Mortuus est Herardus anno 871. ut testantur Sammarthani fratres, qui plura de eo in Gallia Christiana tom. 1. pag. 744. dum de Archiepiscopis Turonensibus agunt.

De Vvalterio Episc. 870.

SUPPLEMENTUM.

WALTERIUS seu WALTERUS Aurelianensis Episcopus anno circiter 870. sedebat, subscripsit Concilio Duziacensi an. 871. Condidit *quædam Capitula* suæ Diœceseos Presbyteris in Synodo
B apud Bullensem Fundum, 8. Kalendas Junii, ordinationis suæ anno II. quæ tomo 8. Conciliorum Labbeanæ editionis habentur, cum Notis Ludovici Cellot doctissimi Societ. Jesu Presbyteri. Hæc Capitula cum Caroli Magni Capitularibus, & Capitulis Theodulfi & Herardi magna ex parte conveniunt: atque ob hanc causam hos tres Collectores Capitalium consequenter collocavimus, ob subjectæ materiæ & temporis convenientiam. Plura de Vvalterio Sammarthani ante citati in Gallia Christiana tom. 2. pag. 239.

C

De Vulfado Archiep. 870.

SUPPLEMENTUM.

VULFADUS Bituricensis Archiepiscopus Rodulfo suffectus est anno 866. ab Imperatore Carolo Calvo, cujus filium Carolomannum educaverat, ut patet ex Epistola ejusdem Regis ad Nicolaum Papam paulò ante Synodum Svessionensem scripta, ubi ait: *Rodulfus Bituricensis Ecclesiæ Archiepiscopus nuper defunctus est, & ipsa Ecclesia sapienti & strenuo, virilique Pastore indiget, propter quorumdam levitatem morum & inconstantiam ipsius gentis. Unde consilio accepto, omnes Episcopi & Fideles Regni nostri, ipsaque etiam Diœcesis, unanimiter in electione Prælati Vulfadi*
D *consenserunt.* Qui primò Canonicus B. Mariæ & Rhemorum Metropolis Oeconomus, eo nomine interfuit Synodo apud Carisiacum anno 849. Clericus autem ordinatus ab Ebbone Rhemensi. Excusat etiam Carolus Imperator anno 868. acceleratam Vulfadi promotionem apud Summum Pontificem, & Pallium pro eo petit ex alia Epistola edita tomo 3. Conciliorum Galliæ, quæ Sirmondus edidit. Porrò Vulfadus ut eruditus Episcopus scripsit *Insignem Epistolam ad Presbyteros suæ Diœceseos*, quam ex mſ. codice erutam edidit hoc anno 1684. Joannes Mabillon tomo 4. Analectorum pagina 602. Subscripsit cum aliis Galliarum Præsulibus privilegio à Synodo Svessionica collato Solemniacensi Monasterio in Lemo-
E vicibus, ubi S. Metropolis Bituricensis Ecclesiæ indignum Episcopum se vocat. Clausit diem extremum Kalendis Aprilis anno 876. corpusque mandatum sepulturæ in Monasterio S. Laurentii, cùm præfuisset annis decem. Plura de Vulfado in Gallia Christiana fratrum Sammarthanorùm tom. 1. pag. 153. in Archiepiscopis Bituricensibus.

De Remigio Archiep. Lugdun. 870.

SUPPLEMENTUM.

REMIGIUS Lugdunensis Archiepiscopus & sacri Palatii Lothatii Imp. summus Capellanus, Synodo Valentinæ III. anno 855. interfuit, Tullensi

apud

apud Saponarias præfuit anno 859. itemque Lingonensi adfuit præsente Carolo Rege, ut est apud Flodoardum lib. 3. Historiæ cap. 16. ex Hincmari Epistola. Subscripsit quoque Concilio Tullensi secundo anno 860. Svessionensi tertio anno 866. in qua Synodo nomen apposuit cum aliis Episcopis privilegio Solemniacensis Monasterii. Denique Cabillonensi cum Leuboino Chorepiscopo Lugdunensi anno 873. interest, qui erat tertius Caroli Calvi in Burgundia regnantis, post mortem Lotharii nepotis sui, ut est in Cartulario S. Marcelli. At verò in ejusdem Imperatoris Diplomate commendatur S. Remigius, & sancta Lugdunensis Ecclesia ditissima, rebus latè florentissima, ac Religione præclarissima. Idem confirmavit anno 858. fundationem Abbatiæ Monialium sancti Andochii Augustodunensis, atque, ut ex veteri tabula liquet, sub annum 868. Congregationem Canonicorum in Basilica sancti Irenæi constituit, & sancti Justi Sodales in sæcularem Ordinem reduxit. Scripsit insignem Librum *De tribus Epistolis* inscriptum, qui legitur tomo 2. Vindiciarum Prædestinationis & Gratiæ pag. 67. Item *Absolutionem cujusdam quæstionis De generali per Adam damnatione, & speciali per Christum ex eadem ereptione Electorum*, ibidem pag. 148. Denique Librum unum *De tenenda immobiliter veritate sacra Scripturæ*, tomo eodem pag. 178. quæ quantum in Theologicis valeret ingenium Remigii, satis dant intelligendum. Est enim magni habitus ab hominibus sæculi 9. illustribus & doctis, de cujus laudibus abundè Gilbertus Mauguinus tom. 2. Vindiciarum Prædestinationis & Gratiæ pag. 62. & in Historia Flodoardi. Itemque apud Lupum Ferrariensem Epistola 112. Baronium in Annalibus, & Theophylum Raynaudum in Sanctis Lugdunensibus. Ultima editio Bibliothecæ Sanctorum Patrum Lugduni facta apud Anissonios fratres anno 1677. XXVII. voluminibus in fol. dum procedit ad sæculum 9. attribuit Remigio Lugdunensi *Commentarium in Epistolas Divi Pauli*, quod olim jam aliis duobus Remigiis, nempe Rhemensi Archiepiscopo, & Altissiodorensi Monacho attributum fuit; & quod ad nullum ex his tribus Remigiis spectat, sed ad Haimonem Halberstatensem Episcopum, cui fuit attributum & sub cujus nomine impressum, antequam etiam ulli horum Remigiorum attribueretur. Sed paulò amplius istud punctum critices excutiamus, occasione Remigii Lugdunensis.

Joannes Baptista Villalpandus Societatis Jesu Theologus, eruditissimis in Ezechielem Prophetam Commentariis notus, has Explanationes in Paulum edendas curavit in fol. Romæ an. 1598. quæ postea iterum recusæ Moguntiæ anno 1614. easque vindicare studuit ex titulo veteris manuscripti codicis S. Cæciliæ trans Tiberim, S. Remigio Rhemensi Archiepiscopo, qui anno 496. Regem Francorum Clodovæum salutaribus Baptismi undis tinxit, & ante annum 536. è vivis jam excesserat. Sed infelici planè successu, ut doctissimi quique Catholici, ac nominatim Societatis Jesu Doctores, Sirmondus, Petavius, Theophylus Raynaudus, aliique odorati sunt: adeò ut ipse Bellarminus, qui cùm aliàs junior ex Tonstalli & Joannis Garetii fide semel citavisset, doctior postea factus, in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* nullum ipsi locum dederit. Ut minùs necesse fuerit Andreæ Riveto Orthodoxorum Critico in calamum quassatum operosiùs incumbere, & laureolam, quod ajunt, in Mustaceo quærere: quem vanissimè nugantem, hærentemque diutiùs in re facillima, quam uno verbo poterat absolvere, ipsi etiam vix tolerare possunt Heterodoxi Lectores. Neque enim potuit sanctus Remigius Antistes Rhemensis, qui circa annum 530. obiit, citare Regulam sancti Benedicti, nec Venerabilem Bedam, nec sanctum Gregorium Papam, nec acta Vitæ S. Cæsarii Arelatensis Episcopi à Cypriano post annum Christi 544. conscripta. Adde quòd stylus ipsaque scribendi ratio Auctorem sæculi noni referat, nec ab Haymonis Halberstatensis Episcopi Scriptis vulgatis, aut à Remigii Autissiodorensis Monachi Commentariis in Psalmos ac minores Prophetas abludat. Sanè si valeant impressiones annorum 1598. & 1614. cum inscriptione unius manuscripti codicis, ad hanc Explanationem Remigio Rhemensi asserendam (quod tamen ego non concesserim): cur non eadem argumenta militent pro Haymone Halberstatensi, qui eam sibi vendicat in multis manuscriptis codicibus diversarum Bibliothecarum, quos vidimus? Cujus sub nomine etiam impressæ sunt variis locis, maximè Parisiis anno 1608. Carolo Villerio procurante editionem, ibidemque anno 1556. annis quadraginta antequam prodirent sub nomine Sancti Remigii Rhemensis. Quis ergo hujus Commentarii est Auctor?

Novissima Bibliotheca Sanctorum Patrum anno 1677. edita XXVII. spissis voluminibus, Lugduni apud Anissonios fratres, opera Philippi Despont Presbyteri & Doctoris Theologi Parisiensis, hunc Commentarium inscripsit nomine nostri Remigii Lugdunensis. Theophylus in Indiculo Sanctorum Lugdunensium, Jacobus Usserius in Historia Godescalci, & quidam alii nasutiores apud Miræum Critici Remigio Lugdunensi Archiepiscopo tribuunt: multò plures Remigio Autissiodorensi Monacho, quem ideò Rhemensem in quibusdam manuscriptis codicibus appellatum suspicantur, quòd à Fulcone Rhemensi Archiepiscopo circa annum Christi 900. evocatus, Rhemensis Scholæ curam per aliquot annos gesserit. De illo tamen altum apud Sigebertum, Trithemium aliosque silentium, quamvis Sigebertus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum capite 123. diligenter referat Opera Remigii Autissiodorensis. Ego verò (cum Labbeo, à quo hoc omne accepi) iis accedendum esse censeo, qui parentem hujusce Explanationis docent esse Haymonem Halberstatensem Episcopum, de quo suo loco: tum quòd jam à pluribus annis sub ejus nomine Parisiis prodierit, tum quia tempore Fulberti Carnotensis Episcopi, vix elapsis centum ab obitu Remigii Autissiodorensis annis, jam Haymoni Halberstatensi tribuebatur, ut patet ex pagina 169. editionis Parisiensis à Carolo Villerio anno 1608. procuratæ: tum quòd in manuscriptis codicibus modò *Haymo*, modò *Raymo* dicatur illius Auctor & à Sigeberto Trithemioque *Haymonem* exposuisse totum Paulum Apostolum doceamur: tum denique quòd illius stylum, dictionem, methodumque redoleat, ut non sit gutta guttæ similior, inquit Theophylus pag. 154. Erotematum.

Sanè Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Coloniensis anni 1618. Explanationem hanc sub nomine Remigii Autissiodorensis edidit, de cujus Auctore Edmundus Albertinus in libro de Sacramento Eucharistiæ, varia variis in locis asserit. 1. Pag. 886. docet contra Villalpandum Commentarium in Paulinas Epistolas non esse Remigii Rhemensis, sed paulò modestiùs ac breviùs quàm Symmista ejus Andreas Rivetus, prolatis duntaxat, sancti Gregorii Papæ ac Venerabilis Bedæ testimoniis. 2. Paginis 916. 926. & 937. adjudicat Remigio Autissiodorensi Librum de Divinis Officiis, Alcuino aliàs attributum. Sed si Auctor ille Helperico posterior est qui anno 1005. scripsit, longè opinione sua falsus est Albertinus. 3. Alicui Remigio vindicandos esse Commentarios in Paulum, tum ex fide Platinæ & aliorum qui id disertis verbis docent, tum ex pluribus

ribus codicibus manuscriptis Romanis, Cassinensibus, ac Bibliothecæ Regiæ Parisiensis, qui omnes præ se ferunt Remigii nomen. 4. Remigium illum videri Autissiodorensem, tum ob allatam à Labbeo conjecturam, ex Flodoardo petitam, tum ob validiora, ut putat, argumenta: *Sigebertus enim & Bergomas*, inquit, *notant Remigium Autissiodorensem in Paulum scripsisse & in Canonem Missæ, quorum duorum postremorum conscriptionem nemo Haymoni aut Remigio Lugdunensi tribuit*. Sed hæc non concedimus Albertino; nam quantùm ad id quod dicit, plures manuscriptos codices attribuere hanc Commentationem Remigio Autissiodorensi: Respondemus longè plures attribuere Haymoni Halberstatensi in variis Bibliothecis Galliæ, Angliæ & Germaniæ, quorum plurimos vidimus, ac duos in sola Bibliotheca modica Bellævallis Ordin. Præmonstratensis, alium in Signiacensi Cisterciensis in tractu Rhemensi. Imò tres codices ejusmodi Explanationis Haymoni attributæ recensentur in Ecloga Oxonio Cantabrigiensi, edita in 4. Londini anno 1600. lib. 2. pag. 36. nempe Oxonii in Biblioth. Magd. vol. 12. Ball. vol. 165. & Cantabrigiæ in Biblioth. publica vol. 1. Denique, ut supra diximus, jam tempore Ivonis Carnotensis Episcopi, qui anno 1115. ad Superos abiit, codices mss. in Gallia militabant in gratiam Haymonis Halberstatensis: nec mihi dubium, quin reperiantur (ut ita loquar) innumeri sub ejusdem nomine in Bibliothecis Germaniæ, si excutiantur. Videat autem Minister Albertinus, cui magis credendum sit, vel quænam præponderet auctoritas, vel *Platinæ recentis* attribuentis Commentarium in Epistolas Divi Pauli Remigio Autissiodorensi: vel *Sigeberti* Platinam annis ferè quater centum superantis, qui attribuit Haymoni? Denique quod 4. loco Aubertinus ait *tradi à Sigeberto Remigium Autissiodorensem scripsisse in Paulum*: Falsum est, ut patet evolventi Sigebertum, qui cap. 123. enumerat diligenter Scripta Remigii Autissiodorensis, & *de Commentario in Canonem Missæ* mentionem facit, sicut & de aliis modicis ejusdem Operibus, sed omnino silet de Commentario in Paulum, uti constat ex Bibliotheca Auberti Miræi Ecclesiastica capite 148. ubi Sigeberti dictum caput legitur. Quantùm verò ad Philippum Bergomensem, recentior est ad stabiliendum aliquid in gratiam Remigii Autissiodorensis contra Haymonem Halberstatensem, cui ipse Sigebertus loco citato cap. 135. expresè attribuit Commentationem in totum Apostolum Paulum. Unde constat allegatum fuisse ab Albertino Sigebertum, quem non legerat: vel si legisset, falsò allegavit.

Maneat itaque Commentarius iste Haymoni, sub cujus nomine prodiit antequam ederetur sub nomine cujuscumque Remigii, sive Rhemensis, sive Lugdunensis, sive Autissiodorensis, ad quos nullatenus spectat: conjecturis omnibus quæ faciebant in gratiam duorum Remigiorum Lugdunensis, & Autissiodorensis, facientibus etiam ac validiùs pugnantibus pro Haymone Halberstatensi Episcopo, qui sæculo nono floruit. Jam redeamus ad Remigium Lugdunensem, qui plenus dierum & meritorum ad meliorem vitam translatus est anno 875. quinto Kalendas Novembris, conditus in Ecclesia S. Justi. Plura de illo Aubertus Miræus, sed multis respersa mendis quæ non excutimus, in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis capite 262. fratres Sammarthani tomo 1. Galliæ Christianæ in Archiepiscopis Lugdunensibus, Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo nono, parte seu tomo 1. capite 3. articulo 16. pagina 234. Ludovicus Cellot in Historia Gotteschalci Prædestinatiani lib. 2. cap. 24. libro 3. capite 15. libro 4. capp. 14. & 15.

De Carolo Calvo. 870.

SUPPLEMENTUM.

CAROLUS CALVUS Ludovici Pii ex Juditha filius, ab anno 840. Rex Francorum, coronatus Romæ Imperator exeunte anno 875. multa scripsit Statuta seu Capitularia, quæ collecta leguntur tom. 2. Capitularium Regum Francorum pag. 1. editionis quam procuravit Stephanus Baluzius, & quæ antea ediderat Jacobus Sirmondus Parisiis in 8. anno 1623. cum Notis, apud Sebastianum Cramoisy. Obiit Carolus Calvus anno 877. die 6. Octobris, de quo Scriptores omnes Historiæ Francicæ ac Germanicæ, & ex recentioribus Natalis Alexander supra citatus sæculo 9. part. 1. cap. 7. art. 3. pag. 763. & seqq. ubi multa de ejus gestis.

De Joanne Diacono. 873.

JOANNES Diaconus vixit tempore Joannis Papæ octavi, cui vitam sancti Gregorii dedicavit, id est, anno Domini 873. hoc enim anno sedere cœpit Joannes octavus. Scripsit hic auctor *libros quatuor de vita sancti Gregorii Papæ primi*, in quibus res ejus gestas accuratissimè prosecutus est.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES S.R.E. Diaconus, ex Monacho Cassinensi, ut volunt, vixit sæculo nono circa annum Domini 875. amicus ac perfamiliaris Anastasio Bibliothecario, ut supra suo loco monuimus. De eo Sigebertus cap. 106. Catalogi, & in Chronico, anno 873. Eckerbardus cap. 9. vitæ sancti Nortkeri, Petrus Diaconus in libro de Viris Illustribus Montis Cassini, Trithemius, Wion, aliique. Toto verò, quod dicitur, cœlo aberrant, qui hunc ex S. R. E. Diacono factum fuisse volunt Romanum Pontificem illius nominis VIII.

Vita S. Gregorii I. Papæ, quatuor libris distincta, ac Joanni Papæ VIII. inscripta, extat tum apud Surium die 12. Martii, tum in fronte omnium operum ejusdem S. Gregorii Romæ, Parisiis, & alibi sæpius excusorum. Sigebertus asserit libros illos scriptos fuisse urbano stylo, additque ab eodem composita Clementis Papæ gesta, petente Gauderico Velitrensi Episcopo.

An verò idem auctor sit, non solùm *Historiæ Miscellæ*, quam Paulo Diacono plures, quidam Landulfo Sagaci tribuunt, sed etiam *Expositionis in Heptateuchum*, cujus meminit R. P. Jacobus Sirmondus in Notis ad Ruffini Presbyteri Palæstini librum de Fide, viderint eruditi. Sufficiat monuisse.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES S.R.E. Diaconus (postea Pontifex Romanus illo nomine octavus, si Heriberto Rosweido credimus) à Sigeberto in Catalogo cap. 106. laudatus, Anastasio S.R.E. Bibliothecario familiaris, sub annum 874. scripsit *Vitam sancti Gregorii Magni Romani Pontificis* libris 4. quos habes sæpius impressos ante opera ejusdem Pontificis. Item scripsit *Eclogas seu breves Commentarios in Heptateuchum* desumptos omninò ex verbis Divi Augustini, quos vidi mss. in folio in Bibliotheca sancti Germani Parisiensis, atque illos editioni parari. De illo agunt Possevinus in *Apparatu*, Aubertus Miræus in *Auctario de Scripto-*

Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 271. pag. 231. & in Scholio ad caput 106. Sigeberti, de quo suprà.

De Aimoino. 873.

AIMOINUS Monachus Gallus multa scripsisse dicitur, sed nunc extat sola (quod ego sciam) *historia de rebus gestis Francorum*, quam perducit à primo Rege Faramundo usque ad obitum Ludovici Pii Caroli Magni filii, & annum Domini 840.

Reliqua usque ad annum Domini millesimum centesimum sexagesimum quintum, ab aliquo alio addita esse videntur.

Ipse enim initio sui operis quatuor tantùm libros se scripturum promisit, & quatuor libris comprehendit res gestas Francorum, usque ad ultima tempora Ludovici Pii. Sed in fine libri quarti dicit, se quintum librum scribere velle de primordiis Ludovici, quæ nimis breviter perstrinxerat in libro quarto: & in ipso quinto libro cap. 17. dicit, se interpretatum Ludovico, quid portenderet dirus Cometes, qui tunc apparuerat: & duobus sequentibus capitibus declarat finem vitæ Ludovici, quæ contigit anno Christi 840. atque ibi existimamus esse finem historiæ Aimoini. Neque ullo modo credibile est eum supervixisse ad annum Domini millesimum centesimum sexagesimum quintum, ad quem extenditur ejus historia: quare quod dicitur cap. 28. contra octavam Synodum, & venerationem Imaginum, non videtur Aimoino tribuendum, sed illi, qui historiam ejus continuavit.

Dissertatio Historica.

DUOS quondam in Gallia floruisse Aimoinos scriptores Ecclesiasticos, utrumque Benedictini Ordinis alumnum, antiquiorem alterum, alterum juniorem, atque hunc Floriacensem, ineunte Christi sæculo 11. illum S. Germani de Pratis ad Parisienses muros nono exeunte sæculo vixisse, ex his quæ modò subjiciam, nemo profectò non intelliget. Addam quoque ut controversiam illam apud eruditos viros sæpius agitatam, necdum ab ullo, quod sciam, pro dignitate explicatam, planè perspicuèque definiam, quid de duobus Abbonibus, altero sancti Germani Parisiensis Monacho & Poeta, altero sancti Benedicti ad Ligerim Abbate & Martyre sentiendum sit.

Aimoinus ætate junior, natione Aquitanus (cujus mater Annentrudis, consanguinea Geraldi Domini castri de Albaterra, filium suum in villa ad Francos dicta, inter Ellam Dordoniamque fluvios sita, cum sancto Abbone venientem anno 1000. excepit) Monasticum habitum in Floriacensi Cœnobio circa annum Christi 970. Oylboldo Abbate induit, in tenera, ut ipse loquitur, ætate. Ibi educatus, hortante præsertim Oylboldi successore S. Abbone, in litterarum atque eloquentiæ studia diligenter incubuit, & ad scribendum animum appulit. Abboni à Vasconibus in Monasterio Regulæ ad Garumnam die 13. Novembris ejusdem anni 1004. occiso superstes ad ejus in Abbatia successorem Gauzlenum, Bituricensem postea Archiepiscopum, de Miraculis S. Benedicti libros duos scripsit anno 1005. & de vita, cæde ac miraculis prædicti Abbonis ad Hervæum, seu Heriveum, S. Martini Turonensis Thesaurarium, virum per ea tempora celeberrimum, aliquod post annis opusculum misit. Quo verò obierit anno, quove scribere desierit, mihi penitùs incompertum profiteor.

A Ejus opera sunt quæ sequuntur, quantum hactenus consequi potui.

I. *Historia Francorum*, quam ab egressu Francorum è Trojana civitate exorsus, ad Pipini Franciæ Regis inaugurationem, hoc est, annum Christianæ Epochæ 752. quatuor libris pertexere decreverat: sed sæculo integro citiùs anno circiter 650. aut 660. in fundatione Floriacensis Cœnobii desiit, ut pluribus infrà docebimus. Ex præfatione verò ad S. Abbonem Abbatem suum missa scriptam fuisse oportuit ante annum 1004. eamque vel suscepto in Vasconiam itinere, vel alia de causa abruptam; nec postea, ad præscriptam sibi initio metam, mortuo, impulsore suo, atque ἐργοδιώκτῃ B Abbone perductam.

II. *Libri duo de Miraculis S. Benedicti*, ad Honorandos Patres Gauzlenum reverendissimum Abbatem, omnemque Floriacensis Cœnobii Sanctam Congregationem. Nam ut id obiter Tyrones in hisce minùs exercitatos admoneam, ex quatuor libris de Miraculis S. Benedicti, qui extant in ipso aditu Bibliothecæ Floriacensis à Domno Joanne de Bosco Cælestino ex vetustissimis membranis vulgatæ. I. Auctorem præfert Adrevaldum, cui Adelerius ejusdem Cœnobii Monachus, Appendicis vice duo capita adnexuit. II. & III. ab Aimoino nostro elucubrati sunt. IV. verò nomen Auctoris ignorat, & ad posteriora tempora, atque annum C fermè MC. delabitur. Tempus, quo scripsit duos hosce libros, ipsemet Aimoinus designavit capite primo illius libri, qui dicitur Tertius de Miraculis S. Benedicti, pag. 110. Bibliothecæ Floriacensis: *Igitur Oylboldo Abbate in Christo quiescente Abbo Deo & hominibus vir amabilis, à Fratribus, Hugone annuente Rege electus, in gradum successit Monastici regiminis, qui præcedenti hunc, quo hæc scribimus, anno, qui fuit ab Incarnatione Domini Millesimus quartus, in Vasconiæ partibus, à perfidis illius nationis hominibus nobis præsentibus innocenter occisus, martyrii sanguine laureatus, ad regna est æterna à Christo vocatus.* Quare expungendam omninò censeo notam margini à Joanne de Bosco impressam, qua Aimoinum edi- D xit scripsisse hanc historiam anno 1004. cùm sequentem 1005. apponere debuisset.

III. *Vita S. Abbonis Floriacensis Abbatis & Martyris*, ad Hervæum Clericum, S. Pontificis Martini Thesaurarium, capitibus 21. constans, cum libro Miraculorum ejusdem Martyris, qui periit, unico dumtaxat dempto capite, eoque, ut volunt, ultimo, quod emisit in lucem Duboscius.

IV. *Sermo in Festivitatibus S. P. Benedicti*, cui inserti sunt nonnulli versus ex Mauri cujusdam Poetæ, ac discipuli S. Benedicti, Pauli Diaconi Cassinensis, Smaragdi Abbatis, Aldelmi Episcopi, aliorumque Poematis delibati.

V. *Versus aliquot Heroici de prima fundatione Flo-* E *riacensis Cœnobii*, quos post sinceram, nullisque vel admodum paucis intermixtam laciniis, Historiæ Francorum editionem, publicarunt Duchesnii ipso fermè initio Tomi 3. Scriptorum coætaneorum Historiæ Francicæ.

His ita præmissis nunc ad controversiæ caput veniendum licet, ac de Auctore Historiæ Francicæ paulò quàm cæteri hactenus accuratiùs disputandum: quod ut omnium oculis meridiana luce clarius innotescat, varias eruditorum de ejus operis Auctore sententias referemus primùm, tum prolatis in medium argumentis refellemus. *Certis de causis visum est Diatribam hanc ad calcem operis rejicere, ejusque interim locum occupabit sequens*

Digressiuncula

De Aimoino Monacho Sancti Germani Parisiensis, & de duobus Abbonibus, altero Floriacensi, altero San-Germanico.

Aimoinum, sive, ut quidam scribere amant, Aymoinum, sancti Germani de Pratis in Suburbio Parisiensi Monachum, eumque virum doctum ac Floriacensi Aimoino, de quo mox verba fecimus, integro minimùm sæculo antiquiorem, duo vel maximè docent.

I. Abbonis Poetæ versus aliquot Dactylici præmissis libris duobus de Bellis urbis Parisiacæ, & Odonis primùm Comitis, ac paulò post Francorum Regis, necnon de miraculis S. Germani anno circiter 891. conscriptis, qui sic incipiunt:

O Pedagoge sacer meritis
Aymoine piis radians,
Dignèque sidereo decore:
Perrogitat mathites liniens
Ore pedes digitosque tuos
Cernuus Abba tuus jugiter, &c.

II. Charta vetus, cujus hæc fragmenta edidit Domnus Jacobus Breulius Monachus S. Germani, in Præfatione ad Aimoini Floriacensis Historiam: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis: Gozlinus gratia Dei Abbas Monasterii Beati Vincentii Martyris, ubi Venerabilis Christi Confessor Germanus corpore quiescit, &c. Anno Incarnationis Domini nostri JESU CHRISTI 872. Regni verò Caroli XXXII.* Et in fine Diplomatis: *Aimoinus Notarius & Monachus scripsit & subscripsit pridie Nonas Octobris.*

Extant duo illius antiquioris Aimoini opuscula, de quibus nulli, ut arbitror, apud eruditos erit imposterum quæstio.

I. Libris duobus distinctum, *De inventione, & translatione corporis B. Vincentii Levitæ & Martyris*, è Valentia Hispaniæ civitate, ad Monasterium sancti Benedicti, quod vulgò Castrum dicitur, in diœcesi Albigensi: nunc verò in sedem Episcopalem erectum est sub Metropoli Bituricensi à tempore Joannis XXII. Papæ. Edidit D. Breulius anno 1603. post dictam Aimoini Floriacensis Historiam Francicam interpolatam à recentioribus S. Germani Monachis, atque ad annum usque 1165. perductam, Parisiis apud Drovartos, hoc initio: *Anno* 855. *Incarnationis Domini, regnante orthodoxo Francorum Principe Karolo II. Ludovici Imperatoris filio, in parte quadam Regnorum ipsius, in Aquitania scilicet*, &c. Scriptum autem fuisse opusculum illud post annum 864. quo translatio illa facta est, ipsemet contextus orationis edocet quem sequitur epistola ejusdem Aymoini ad Theotgernum Monachum, cum sexaginta versibus Heroicis *de eadem Translatione ac miraculis Sancti Vincentii Levitæ* ab eodem Aimoino conscriptis.

II. Ejusdem Aymoini opusculum in duos pariter libellos divisum extat à Jacobo Mosandro Carthusiano editum in Appendice ad sex Tomos Laurentii Surii, die 25. Julii, *de miraculis Sancti Germani Episcopi Parisiensis*, ab anno 846. Caroli Calvi sexto usque ad annum præter propter 874. sub Abbatibus Monasterii sancti Germani, Ebroino Pictaviensi Episcopo, Hilduino II. & Gozlino, postea Parisiensi Episcopo, de quo hæc in fine subjicit: *Unde evolutis temporum spatiis, atque monasterio jam ex parte ædificato adveniens gloriosus semperque pius Rex Carolus, ejusque, regnique consors Richildis Regina, simulque Pater & Pastor Dominus Gauzlinus Abbas, & Ingelvvinus Episcopus, aliique Præsules, sive Regni sui Principes, retulerunt eadem sanctissima membra cum laudibus & hymnis ad proprii locum sepulchri, &c.*

Eidem porrò Aimoino vetustiori, quem Haimoinum Coloniensis Miraculorum paulò antè memoratorum editio inscribit, Jacobus Breulius cum Baronio, Bellarmino, & quibusdam aliis re minùs enucleatè perpensa adjudicant Historiæ Francorum libros quatuor, qui ut planum perspectumque faciemus omnibus eruditis, dubio procul omni ad Floriacensem Aimoinum referendi erant.

Vixisse usque ad annum saltem 891. constat: quo autem obierit anno neminem mortalium scire arbitror.

Abbonis, Floriacensis, sive S. Benedicti ad Ligerim in diœcesi Aurelianensi Abbatis, ac Martyris, extant nonnulla opera hactenus in lucem edita.

I. *Epitome de Vitis Romanorum Pontificum XCI.* collecta ex Anastasii Bibliothecarii Historia Pontificia & cum eadem excusa Moguntiæ anno 1604. in 4. studio atque opera R. Patris Joannis Busæi Noviomagensis Soc. Jesu Theologi. II. *Vita S. Eadmundi Anglorum Regis ac Martyris*, apud Surium die 20. Novembris. III. *Epistolarum quarumdam & opusculorum paucula fragmenta*. Nihil enim hìc de ineditis ac calamo dumtaxat exaratis edisseram.

Vitam hujus Abbonis ac mortem sanctissimè obitam die 13. Novembris, Indictione 2. anno Christianæ Salutis 1004. in Monasterio Regulæ ad Garumnam in diœcesi Vasatensi ab Aimoino Monacho Floriacensi discipulo ejus ac comite, qui præsens aderat, descriptam cum aliquot ejusdem Miraculis habes in Bibliotheca Floriacensi studio Joannis à Bosco Cælestini, anno 1605. Lugduni apud Horatium Cardonium publicatam.

De eodem Sigebertus cap. 139. libelli de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus hæc annotat: *Quantum valuerit in utraque scientia ostendit, cùm super calculum Victorii commentatus est.* At in Chronico ad annum 1003. cædem ejus minùs castigatè retulit, aliosque etiam summos Chronologos in errorem pertraxit. Videndi quoque Glaber Radulphus lib. 3. cap. 3. Joannes Trithemius, Gesnerus, & alii recentiores. Errarunt verò I. Vossius, qui nostrum hunc alium ab Abbone existimat, cui Aimoinus libros de Gestis Francorum dicavit, II. Miræus, qui huicce nostro Abbati tribuit libellos duos de Obsidione Lutetiæ facta à Normannis anno 886. quos carmine Heroico cecinit, qui præsens intererat, Poeta Monachus, quem obiisse antequam nasceretur Abbo Floriacensis Abbas temporum exacta ratio demonstrat. Idem quoque peccatum peccarat Carolus Saussejus Aurelianensis Decanus, à Vossio eo nomine meritò castigatus.

Abbonis Poetæ, qui in Monasterio S. Germani de Pratis ad muros Lutetiæ Parisiorum Monachus vixit, atque, ut ipse ultrò profitetur, Aymoini ejusdem Cœnobii Monachi, virique, ut ea ferebant tempora, eruditi, discipulus extitit, habentur in manibus libri duo versu Epico elucubrati ad Gozlenum Parisiensem Episcopum, atque ejusdem celeberrimi asceterii alumnum atque Abbatem.

De obsidione Lutetiæ Parisiorum à Normannis facta annis 886. & 887. cum quibusdam aliis postea additis ad Odonis Regis bella variasque victorias pertinentibus. Excusi sunt jam quinquies sexiesve à Petro Pithœo, Andrea Duchesnio, Jacobo Breulio, Joanne Boucheto, &c.

His verò Poeta genere, ut creditur, Neustrius, qui à quibusdam Abbo Cernuus minùs rectè cognominatur, vivebat tempore memoratæ obsidionis, exeun-

exeunte sæculo Christi nono, & aliquot post eam annis superfuit usque ad annum 891. aut 892. quantum ex fine libri secundi (nam tertius etiamnum delitescit in membranis descriptus) atque ex ipsa Præfatione colligi potest. At de his plus satis.

Promissam Diatribam de Auctore verò Historiæ Francicæ, quem Aimoinum Floriacensem fuisse censemus, in finem usque Operis differendam è re nostra tuaque fore multa suaserunt.

SUPPLEMENTUM.

AIMOINUS MONACHUS Sancti Germani *De Pratis Parisiensibus*, dictus senior ut distinguatur ab altero juniore, qui Floriacensis Cœnobii Monachus fuit; claruit circa annum 870. ut doctè edocet Philippus Labbeus speciali dissertatione quam *De Abbonibus & Aimoinis* inseruit tom. 1. *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 20. & seqq. Nam in Charta veteri quam edidit Jacobus du Brevil Monachus Sancti Germani in præfatione ad Aimoini Floriacensis Historiam, quæ facta est anno 870. Regni verò Caroli 32. Aimoinus Monachus & Notarius hanc scripsit & subscribit pridie nonas Octobris. Scripsit autem hic Aimoinus Sancti Germani seu senior, libros 2. *De Inventione & Translatione corporis B. Vincentii Levitæ & Martyris* ex Hispania in Castrense sancti Benedicti Cœnobium, prosaicos ipsos ac totidem metricos, quos primus edidit dictus Jacobus du Brevil anno 1603. ad calcem historiæ per Aimoinum Floriacensem Francicæ: ac post ipsum Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 1. pag. 643. & seqq. Item libellos duos *De miraculis Sancti Germani Parisiensis Episcopi*, ab anno 846. Caroli Calvi sexto, usque ad annum circiter 874. sub Abbatibus Sancti Germani Ebroino, postea Pictaviensi Episcopo, Hilduino secundo & Gozlino postmodum Parisiensi Episcopo: quos habes apud Surium ad diem 25. Julii, inseruitque Joannes Mabillon sæculo 3. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* tomo 2. pag. 104. Item librum I. *De translatione Sanctorum Martyrum Georgii Monachi, Aurelii & Nataliæ*, cui duos libros *De eorumdem miraculis* subjecit: quos tres edidit idem Joannes Mabillon sæculo 4. *Sanctorum Ord. D. Benedicti* tom. 2. pag. 45. & seqq. Plura de illo Labbeus in dissertatiuncula citata, sicut & de altero Aimoino qui circa annum 1004. floruit.

AIMOINUS Floriacensis Aimoino Sancti Germani Parisiensis ætate junior: natione Aquitanus, Monasticum habitum in Floriacensi Cœnobio circa annum 970. sub Oilboldo Abbate induit, in tenera ætate, ut ipse loquitur, cujus mater Annentrudis, consanguinea Geraldi Domini Castri de Alba-Terra filium suum in Villa ad Francos dicta inter Ellam Dordoniamque fluvios sita, cum Sancto Abbone venientem anno 1000. excepit. Educatus Floriaci, hortante præsertim Sancto Abbone Oilboldi successore, in Litterarum atque Eloquentiæ studia diligenter incubuit, & ad scribendum animum appulit. Scripsit *Historiam Francorum*, quam ab egressu Francorum è Trojana Civitate aggressus, ad Pipini Franciæ Regis inaugurationem, hoc est, ad annum Epochæ 752. quatuor libris pertexere decreverat: sed sæculo integro citiùs anno circiter 650. aut 660. in Fundatione Floriacensis Monasterii desiit. Ex præfatione verò ad Sanctum Abbatem Ebbonem suum missa, oportet scriptam fuisse ante annum 1004. eamque vel suscepto in Vasconiam itinere, vel alia de causa interruptam, nec postea ad præscriptam sibi initio metam, mortuo impulsore suo Abbone Abbate perductam. Hanc autem purgatam ab omni extraneo edidit Andreas Duchesnius anno 1641. tom. 3. Hi-
A storicorum coætaneorum Historiæ Francicæ apud Sebastianum Cramoisium, cujus occasione doctissimam Philippus Labbeus composuit *Diatribam de Aimoino Historiæ Francicæ Auctore, ejusque Continuatore & Interpolatore Monacho Sancti Germani Parisiensis*, quam edidit post Dissertationem historicam De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis sub finem tomi secundi pag. 829. & seqq. ubi doctissimè de variis hujus Historiæ impressionibus atque interpolationibus. Ad hanc itaque Lectorem remittimus, ubi omnia ad istam quæstionem spectantia ad plenum cognoscet.

Abboni à Vasconibus in Monasterio Regulæ ad Garumnam die 13. Novembris anni 1004. occiso
B superstes, ad successorem ejus in Abbatia Gauslenum, Bituricensem postea Archiepiscopum, *De Miraculis Sancti Benedicti libros duos* scripsit, quos primùm quidem è veteribus membranis evulgavit Dominus Joannes de Bosco Cœlestinus, in suo Opere inscripto, *Bibliotheca Floriacensis*. Eosdem postea recudit Joannes Bollandus ad diem 21. Martii Sancto Benedicto sacram, in suis Legendis Sanctorum Martii mensis, ac denique post illum Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti parte seu tomo 2. pag. 366. & sequentibus. Scripsit etiam *Sermonem in Festivitatibus Sancti Benedicti*, cui inserti sunt nonnulli Versus ex Mauri cujusdam Poetæ ac discipuli Sancti Benedicti, Pauli
C Diaconi Cassinensis, Aldelmi Episcopi, Smaragdi Abbatis, aliorumque Poematis delibati. Itemque *Versus aliquot heroici De prima fundatione Floriacensis Cœnobii*, quos post sinceram, nullisque vel admodum paucis intermixtam laciniis, Historiæ Francorum editionem, publicavit Duchesnius ipso fermè initio 3. tomi coætaneorum Historiæ Francicæ Scriptorum. *Vitam Sancti Abbonis Floriacensis Abbatis & Martyris* ad Hervæum Clericum, Sancti Pontificis Martini Turonensis. Thesaurarium capitibus XXI. constantem, quam habes ex manuscriptis Codicibus in dicta Floriacensi Bibliotheca. Denique metrico scripsit *Opusculum De Translatione Reliquiarum corporis Sancti Benedicti in Galliam*, quod tandem editum ex
D Floriacensibus Manuscriptis ab Andrea Duchesnio tom. 3. Collectanei sui Historicorum Franciæ, & sæculo secundo Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 359. à Joanne Mabillon. Quo autem anno obierit Aimoinus Floriacensis Monachus, quove scribere desierit, mihi omninò incompertum profiteor. Qui plura cupit, adeat Antonium Possevinum *in Apparatu Sacro*, Bellarminum *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Labbeum in Dissertatione sua historica tom. 1. pag. 16. & sequentibus 17. 18. & 19. sed potissimùm tom. 2. pag. 826. & sequentibus, in speciali *Diatriba de Aimoino Historiæ Francicæ Scriptore, ejusque Continuatore & Interpolatore, Monacho S. Germani Parisiensis*.

E ABBO Poeta Monachus Sancti Germani Parisiensis ad muros ejusdem urbis olim, atque, ut ipse ultrò profitetur, Aimoini ejusdem Cœnobii Monachi, viri, ut ea ferebant tempora, eruditi discipulus extitit. Habentur illius *libri duo metrici ad Gozlenum Parisiensem Episcopum atque ejusdem celeberrimi Asceterii alumnum & Abbatem, de obsidione Lutetiæ Parisiorum à Normannis facta annis* 886. & 887. cum quibusdam aliis ad Odonis Regis bella variasque victorias pertinentibus; opus jam sæpiùs excusum à Petro Pithœo, Jacobo Breulio, Joanne Boucheto, sed novissimè inter auctores historicos Normanniæ, quos in fol. evulgavit Parisiis Andreas Duchesnius anno 1619. apud Sebastianum Cramoisy via Jacobæa sub Ciconiis. Vivebat Abbo tempore præfatæ obsidionis, exeunte sæculo Christi nono, & aliquot post

eam annis superfuit usque ad annum 891. & 892. quantùm ex fine libri secundi atque ex ipsa præfatione colligi potest. Tertius autem liber alicubi etiamnum delitescit in membranis descriptus. Scripsit pariter idem Abbo *aliquot Selectos sermones*, quos evulgavit tom. 9. Spicilegii pag. 79. Lucas Dacherius, quod editum in 4. Parisiis anno 1669. apud Ludovicum Billaine. De illo Labbeus tom. 1. De Scriptor. Ecclesf. pag. 24. Natalis Alexander in selectis Hist. Eccl. capitibus sæculo 9. tom. 1. cap. 3. articulo 30. pag. 273. Hunc verò Abbonem Miræus, aliique nonnulli perperam confuderunt cum altero Abbone Abbate Floriacensi & Martyre, qui mortem passus est anno Christi 1004. die 13. Novembris.

Abbo Floriacensis, sive Sancti Benedicti ad Ligerim in Episcopatu Aurelianensi Abbas & Martyr, vir doctus ac Sanctus, cujus doctrinam varia ab illo scripta Opera probant, cujus sanctitatem effusus ad conservandam Observantiam sanguis testatur. Hujus Abbonis Vitam ac mortem sanctissimè obitam die 13. Novembris, Indictione 2. anno Christianæ salutis 1004. in Monasterio Regulæ ad Garumnam in Diœcesi Vasatensi, ab Aimoino Monacho Floriacensi discipulo ejus ac Comite, qui præsens aderat, descriptam cum aliquot ejusdem viri miraculis, habes in Bibliotheca Floriacensi studio Joannis de Bosco Cœlestini anno 1605. Lugduni apud Horatium Cardonium publicatam pag. 299. Extant hujus Abbonis nonnulla Opera hactenus in lucem edita, nempe, *Epitome de Vitis Romanorum Pontificum XCI.* collecta ex Anastasii Bibliothecarii Historia Pontificia, & cum eadem excusa Moguntiæ anno 1604. in 4. studio atque opera Joannis Busæi Noviomagensis Soc. Jesu Theologi. *Vita Sancti Edmundi Anglorum Regis ac Martyris*, apud Surium die 20. Novembris *Epitome Canonum seu Collectiuncula* sub certis materiarum capitibus, quam edidit Joannes Mabillon tomo 2. Analectorum pag. 248. & seqq. ubi præludit varia de Scriptis tam editis quàm deperditis Abbonis Floriacensis, de quo etiam pluribus aget sæculo 6. *Sanctorum Ordinis D. Benedicti*. De eodem Sigebertus cap. 139. libelli De Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus hæc annotat: *Quantùm valuerit in utraque scientia ostendit, cùm super calculum Victorii commentatus est.* At in Chronico ad annum 1003. minùs castigatè cædem ejus retulit, aliosque etiam summos Chronologos in errorem pertraxit. Videndi quoque Glaber Rodulphus lib. 3. cap. 3. Joannes Trithemius, & alii recentiores, cum Labbeo in Dissertatione historica De Scriptoribus à Bellarmino recensitis, tomo 1. pag. 22. Joannes Mabillon loco allegato. Hunc autem huc attulimus ob *Epitomen Canonum*, quam Labbeus omisit, quippe nondum evulgatam. Audio recenter à Bibliothecario Benedictinorum sancti Germani Parisiensis, inventas nonnullas ejus Epistolas, in manuscriptis Codicibus, quibusdam Pithœanis, quos asservabat Bibliotheca quædam Parisina, atque eas haud dubiè non patientur dudum latere ineditas.

De Adone Viennensi. 879.

ADO EPISCOPUS Viennensis scripsit *de sex ætatibus mundi Chronicum ab orbe condito usque ad annum Dom.* 879. Huic Adoni tribuunt aliqui Martyrologium, de quo diximus in Adone Trevirensi.

Dissertatio Historica.

ADO post Agilmarum anno 859. electus Viennæ ad Rhodanum in Allobrogibus Archiepiscopus obiisse perhibetur anno Christi 874. die Decembris 16. ut habet Martyrologium Romanum. Successor ejus Ottramnus subscripsit Conventui Ticinensi mense Februarii anni 876. & Concilio Pontigone in Diœcesi Catalaunensi celebrato Junio & Julio mensibus ejusdem anni (*a*). Ideoque hallucinantur qui vulgò scribunt

Breviarium Chronicorum de sex Mundi Ætatibus ab Adami ortu perductum ab eo fuisse usque ad annum 879. quo natus est Carolus Simplex Ludovici Balbi ex secunda conjuge Adheleide filius posthumus. Neque enim ultra annum 874. quo vivere desiit, Historiam scribere potuit. Quod ergo superest ab aliquo nobis ignoto, eoque parum in rebus illorum temporum intelligenti deinceps adjectum fuit. Insulsissimè verò Auctor Alphabeti Indicis Bibliothecæ Morellianæ subjecti scripsit, Chronicon illud protendi usque ad natum ex Carolo Simplici & Eagina filia Regis Anglorum Ludovicum Francorum Regem 28. qui Transmarinus passim nuncupatur.

Extat Chronicon illud Adonis, tum seorsim editum cum Gregorio Turonensi Parisiis annis 1512. & 1567. opera Guillelmi Morelli, ac Basileæ anno 1568. tum in Historia Patrum Laurentii Barræi, & in Bibliothecis Veterum Patrum Margarini Bignæi Parisiensibus ac Coloniensi, quæ omnes editiones innumerabilibus scatent mendis, ex mss. codicibus, ac conjecturis, si unquam sinat otium, non difficili opera emaculandæ. At ne id temerè gratisve dixisse videar, ecce tibi in ipso aditu Victor Turonensis Ecclesiæ Episcopus pro Tunonensi, & ab exordio mundi usque ad Imperatoris Lotharii & Ludovici fratris ejus (*b*) pro filii, atque in fine ab illis Verbis: Ludovicus verò Rex Noricorum, &c. omnia sunt perturbatissima atque inquinatissima, præcipuè ista: Anno 879. ex hac vita decessit, & mortuo jam filio ejus Carolo reliqui filii, &c. quæ pluribus non vacat exscribere, ut in Immauro pro Hincmaro, Lauduni Danitti, pro Clavati Episcopo finiam.

Ejusdem Adonis Viennensis Archiepiscopi *Martyrologium Sanctorum per circulum anni*, prolixis Martyrum elogiis præ cæteris omnibus insigne habemus, ab Aloysio Lipomano Veronensi Episcopo, & à Jacobo Mosandro Cartusiano in Surii suplemento jam olim publicatum, ac deinde post Martyrologium Vetus Romanum cum libello de Festivitatibus Sanctorum Apostolorum ac discipulorum sive successorum eorum longè emendatiùs Antuerpiæ in fol. anno 1613. ac Parisiis anno 1645. recusum diligenti studio R. P. Heriberti Rosvveidi Ultrajectini Societ. Jesu Theologi, qui etiam eruditas notas adjecit. De eodem Martyrologio consulendi Baronius, Bollandus, Saussayus: neque modò iterandum videtur falsos fuisse Lipomanum, Mosandrum Bellarminum, Gualtherum, aliosque nonnullos, qui Udoni Trevirorum Antistiti anno 1078. denato tribuerunt.

Martyrium S. Desiderii Viennensis Episcopi, olim ex antiquis membranis ab Adone ejusdem Metropolis Antistite collectum, & ad Monachos in cœnobio S. Galli sub Grimaldo Abbate Deo militantes transmissum, ut docet Indiculus Isonis, extat Tomo VI. Antiquæ lectionis Henrici Canisii.

(*a*) Agilmarus obiit 6. Julii anni 859. Erravit verò Blondellus qui Pontigone habitum Concilium dicat mense Februario anni 876. & Adonis Chronicon usque ad annum Domini 923. asserat ab alio continuatum, cùm tres tantùm quatuorve lineolæ ab anno 878. ad 923. excurrant. Graviora verò peccavit ὁ Παπισσομανῶν Samuel Maresius, quæ alio loco commodiùs refellentur: hoc unum tamen omittere nequeo ἀνιστορίας ipsius in rebus Gallicis specimen non vulgare, quod in annum 922. cum Hallanio egre-

A egregio haud dubiè Chronologo referat captivitatem Caroli Simplicis, & in annum 929. Ludovici Ultramarini ex Eagina Anglorum Regis filia geniti ex Anglia ad successionem paternam revocationem. Illa enim in annum 923. revocanda fuerat post necem Roberti in prœlio Suessionensi occisi, hæc verò in annum 936. post Rodulphi obitum.

(*b*) In eodem cœno cum aliis volutatur Maresius, nec vidit legendum fuisse, ab exordio mundi usque ad Imperatoris Lotharii ac Ludovici *filii* ejusque ac Ludovici (*nimirum Germaniæ Regis*) & Caroli (*Calvi scilicet Neutriæ & Aquitaniæ Regis Lotharii fratrum*) principatum, &c. Quod si oculis, qui φιλίςορα decent, locum illum perlustrasset, non inde opinor B conclusisset ab Adone Chronicon usque ad annum dumtaxat 841. productum fuisse, adeoque quod in Chronico illo superest ab illis verbis inclusivè: Lotharius Imperator filius piissimi Ludovici Imperatoris annis XV. &c. usque ad finem, non Adonis esse, sed alterius alicujus recentioris, cui hanc inconditam laciniam Adonis purpuræ assuere libuerit. Verùm si expungas, ut diximus, ab illce verbis: *Ludovicus verò Rex Noricorum, &c.* quæ sequuntur usque ad finem, nemo emunctæ naris Criticus (judicium omnium eruditorum hìc exposco) decernet unquam ex diversitate styli, collatione scriptorum coætaneorum, aliave ex causa Adonem illius auctorem non esse. Imò omnia quotquot uspiam reperiri possunt κριτήρια arguent eodem filo contextum esse il- C lud Chronicon usque ad ea, quæ supra indicavi verba. Quæ verò vitilitigator ille de Aglimaro seu Agilmaro, de Dracone pro Drogone ac similibus argutatur, tam putida sunt, ut non alium decere videantur, quàm ineptissimum fabulæ omnium fabularum fabulosissimæ propugnatorem, qui ne nihil dicere videretur adversus Symmystam suum hic pro veritate certantem Blondellum, paginas complures mirificis insulsitatibus replevit, quas vel infantes ipsi atque in Historia illorum temporum Tirones facillimè agnoscere queant ac refutare.

De Theophane Episc. 880.

D SUPPLEMENTUM.

THEOPHANES CERAMEUS, Tauromenii in Sicilia Episcopus, vixit etiam circa annum 880. & scripsit Homilias plures, quas habes græcè & latinè impressas in fol. Parisiis anno 1644. apud Sebastianum Cramoisy, via Jacobæa sub Ciconiis, ex interpretatione & cum Annotationibus Francisci Scorsi Societatis Jesu Theologi. Porrò Theophanis ætatem multis venatur Scorsus in prolegomenis, putatque spectare ad nonum sæculum, sub Leone Imperatore Basilii filio, dum adhuc Græcis obediret Tauromenium cum Sicilia. Extant autem & *Gregorii Ceramei Tauromenitani etiam Episcopi* Homiliæ manu E scriptæ Græcæ in dies Dominicos & Festa per annum in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Mazarini, nunc in Regia Gallica; de quibus loquitur Franciscus Combefis in Auctoribus recensitis ad Bibliothecam Patrum Concionatoriam, verbo *Gregorius Ceramaeus Tauromenitanus Episcopus* pag. 14. & verbo *Theophanes Cerameus Tauromenitanus Episcopus*, pag. 46. Utrumque Opus est Homiliarum, sed omnino diversum, & ad Auctores diversos spectans, nisi quis dicat esse unum eumdemque Binominem *Gregorium & Theophanem*.

De Herrico Monacho. 880.

SUPPLEMENTUM.

HERRICUS sive HEIRICUS Monachus Ordinis Divi Benedicti in Monasterio sancti Germani Autissiodorensis, floruit circa annum 880. habuitque adolescens Præceptores in Litteris clarissimos viros Haimonem postea Halberstatensem Episcopum & Lupum Ferrariensem Abbatem, ambos scriptis insignes, ut ipse testatur in præfatione sua metrica, in Collectanea ex ore Præceptorum suorum excerpta, ad Hildebaldum Autissiodorensem Episcopum. Scripsit Herricus *Libros duos prosaicos De Miraculis sancti Germani Autissiodorensis Episcopi*, quos ex manuscriptis codicibus edidit Labbeus tom. 1. novæ Bibliothecæ mss. Codicum sect. 3. num. 4. Itemque *Libros sex Carminum de Vita ejusdem Sancti Germani*, quos Carolo Calvo jam Imperatori obtulit, de quibus vide Laurentium Surium ad diem 31. seu ultimam Julii. Iidem *sex Libri Carminum de Vita sancti Germani Autissiodorensis*, impressi primùm Parisiis anno 1543. apud Colinetum in 8. simulque compacti cum *Claudio Mario Victorino in Genesim*, cujus libros tres Carminum à principio libri Geneseos usque ad obitum Patriarchæ Abrahami edidit anno 1560. in 8. Parisiis Guillelmus Morellius ex manuscripto Codice sancti Juliani Cœnomanensis. Edidit præterea *Collectaneum* Herricus *ad Episcopum Autissiodorensem Hildebaldum*, complectens varia excerpta ad mores informandos spectantia, manuscriptum in codice Corbejensi, qui nunc asservatur in Bibliotheca S. Germani Parisiensis. Item in Homiliario quod Paulus Diaconus jussu Caroli Magni ordinavit, inveniuntur *tres Homiliæ Herrici* à posteris haud dubium insertæ, de quibus diximus supra in *Paulo Vuanefrido*. Ipsum commendat Sigebertus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis capite 104. & in Chronico ad annum 877. quo florebat. Plura de Herrico Aubertus Miræus in Scholio ad dictum cap. 104. Sigeberti Gemblacensis Joannes Mabillon tom. 1. Analectorum sæpiùs allegatorum pag. 413. & seqq. Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæculo nono part. 1. pag. 268. Possevinus in Apparatu sacro, Franciscus Combefis in Auctoribus recensitis ante Bibliothecam Sanctorum Patrum Concionatoriam pag. 11. ubi eum anno 880. floruisse asserit.

De Georgio Nicomed. Archiep. 880.

SUPPLEMENTUM.

GEORGIUS primùm Monachus, ac Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Cartophilax, tumque Nicomediensis Archiepiscopus, ut ex variis ejus Orationum inscriptionibus collegit, vir horum sagacissimus Allatius. Claruit circa annum 880. eodem tempore quo Photius Constantinopolitanus, cui Synchronus atque familiaris extitit. Scripsit *Orationes varias elegantes*, quas habes græcè & latinè productas à Francisco Combefis tom. 1. Auctarii Græcolatini Bibliothecæ veterum Patrum, pagina 995. & seqq. in fol. Parisiis anno 1648. sumptibus Antonii Berthier, via Jacobæa, sub signo Fortunæ. Porrò Georgius non est Auctor Heraclianorum temporum, ut visum quandoque Francisco Combefis incerta conjectura: dum eumdem cum Georgio Pisida, cujus extat Carmen De creatione mundi, existimaret. Productæ enim in publicum Photii Epistolæ, æqualem ei & familiarem docuerunt, quem proinde ejus partiarium fuisse suspicione non vacat: unde gratis & per-

& perperam hucusque à nonnullis Scriptoribus Beatæ Mariæ devotis, *S. Georgius Nicomediensis Archiepiscopus appellatus est*. Plura prædictus Combefis in recensitis Auctoribus ante Bibliothecam Patrum Concionatoriam pag. 13. & 14. & in Notis ad citatum Auctarium Bibliothecæ Sanctorum Patrum.

De Joanne Scoto. 880.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES SCOTUS Erigena seu Eriugena, vir perspicacis ingenii & multæ doctrinæ, de quo multa ultro citroque nostris temporibus, maximè Antonius Arnaldus vel Anonymus Canonicus Regularis lib. 12. integro *Perpetuitatis Fidei* quoad realitatem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, quæ impressa Parisiis in 4. anno 1668. & alibi postea, ubi specialem de Joanne Scoto Erigena, doctissimamque Dissertationem instituit. Hic concrepantibus bellorum fragoribus, circa annum 870. ad Carolum Calvum in Franciam transfretaverat, ubi ab eo dilectus, magnam nominis famam comparavit. Tumente tamen animo communem doctrinam aspernatus, incidit in novitates plurimas, ob quas, ut credimus, redire in Angliam compulsus est. Ibi obiit circa annum 886. nec enim annus mortis, nec dies, neque genus constant. Scripsit Joannes Scotus multa, atque ex iis *Libros quinque De Naturis*, amplissimos, & ut audio, multis infartos novitatibus, mss. bis in Bibliotheca S. Germani Parisiensis Ordinis Divi Benedicti, sed nuperrimè impressos in fol. in Anglia Oxonii anno 1681. Item *De Prædestinatione contra Gotteschalcum librum* 1. impressum tomo 1. Vindiciarum prædestinationis & Gratiæ, de quibus egimus in *Prudentio Tricassino* supra. Transtulit in linguam Latinam *Scholia Græca sancti Maximi Monachi in locos difficiles sancti Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi*, mss. in Bibliotheca Regia Gallica, & in Cluniacensi, ut ait Franciscus Combefis apud Labbeum tom. 2. De Scriptoribus Ecclesiasticis, verbo *Maximus Monachus*. Sed tandem hæc edita cum libris quinque de Naturis, græcè & latinè Oxonii in Anglia in fol. anno 1681. ex theatro Sheldoniano. Item transtulit *Opera græca Divi Dionysii Areopagitæ in Latinam linguam*, translatione inscripta Carolo Calvo Francorum Regi & Imperatori, mss. in Bibliotheca Collegii Societatis Jesu Bituricensis, de qua Labbeus De Scriptoribus Ecclesiasticis, verbo *Anastasius Bibliothecarius*; & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 111. Item scripsit *Librum De Visione Dei*, quem ms. asservat Bibliotheca Clarimarisci Ordinis Cisterciensis, in tractu & juxta Audomaropolim, ut testatur Joannes Mabillon. Huic pariter *Liber De Corpore & Sanguine Domini*, qui sub nomine Bertrami editus est, attributus fuit: sed perperam, cùm spectet ad Ratramnum Corbejensem Monachum, ut in *Ratramno* diximus. Agunt pluribus de Joanne Scoto Angligena Gilbertus Mauguinus Monetæ Parisiensis Præses in Collectaneo suo Vindiciarum Prædestinationis & Gratiæ, Ludovicus Cellot in Historia Gotteschalci Prædestinatiani, Natalis Alexander in selectis Ecclesiasticæ Historiæ capitibus sæculo 9. parte 2. Dissertatione 14. pag. 621. & seqq. Joannes Mabillon sæculo 3. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, tom. 2. in Elogio Historico Joannis Scoti Abbatis Æthelingiensis, à Joanne Scoto Erigena distincti.

De Adelhelmo Episc. 880.

SUPPLEMENTUM.

ADELHELMUS, ADELMUS seu ADELINUS Sagiensis in Normannia Episcopus, scripsit *Vitam sanctæ Oportunæ Abbatissæ*, quæ fuit soror Godegrandi primi Sagiensis Episcopi, quam habet Laurentius Surius ad diem 22. Aprilis, sed imperfectam, & mutilam: Bollandistæ ad eamdem diem, Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis D. Benedicti, tom. seu parte 2. pag. 220. & seqq. Labbeus in Chronologia brevi Scriptorum Ecclesiasticorum malè assignavit Adelino annum 790. quo floruisse dicitur; nam Sammathani doctissimi fratres in Gallia Christiana tom. 3. pag. 962. docent Adelinum in Episcopatu Sagiensi successisse Hildebrando & non Godegrando Sagiensi primo Episcopo, sed ab illo tantùm fuisse sextum. Primus enim Godegrandus, 2. Ragemfridus, 3. Patratus, 4. Reginaldus, 5. Saxobodus, 6. Hildebrandus, 7. Adelinus seu Adelhelmus. Porrò Hildebrandus sæculo tantùm nono floruit, interfuitque Concilio Bonoliensi in agro Parisiensi anno 834. ut probat Stephanus Baluzius tomo secundo Capitularium Regum Francorum pag. 1267. Item Vermeriensi anno 853. ibidem tom. 2. pag. 57. & Ticinensi Conventui anno 877. ibidem pag. 244. Imò Joannes Mabillon in præludiis ad dictam sanctæ Oportunæ Vitam Adelhelmum ad annum 910. rejicit, sed ex conjecturis tantùm, non certis indiciis; alioquin vixisset plusquam centenarius, cùm enim esset Episcopus anno 834. & haberet tunc temporis annos ætatis triginta vel amplius; si attigisset annum 910. senilem ferè ætatem habuisset 110. annorum.

De Remberto Archiep. 880.

SUPPLEMENTUM.

REMBERTUS Bremensis Archiepiscopus scripsit *Vitam S. Anscharii prædecessoris sui*, quam cum Vitis aliorum Sanctorum Bremensium edidit primus Coloniæ Philippus Cæsar, de qua diximus suprà *in sancto Anschario*. Eamdem habes etiam apud Bollandum ad diem tertiam Februarii, & apud Joannem Mabillon sæc. 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 2. pag. 75. Plura de sancto Ramberto, qui obiit anno 888. die 4. Februarii vel ex aliis die 11. Junii, *in Vitam Remberti* apud eumdem Mabillon, eodem sæculo eademque sæculi quarti parte, pag. 471. & seqq.

De Heremperto Monacho. 880.

SUPPLEMENTUM.

HEREMPERTUS Cassinensis Monachus vivebat anno 888. scripsitque *Chronicon*, editum in 4. Neapoli anno 1626. opera Antonii Caraccioli Congregationis Theatinorum, cum nomenclatore & propylæo, cum aliis antiquis Chronologis rerum Neapolitanarum historiam continentibus, nempe Lupo Protospata, Anonymo Cassinensi, Falcone Beneventano, & Appendicibus historicis.

De Remigio Antisiodorensi. 890.

REMIGIUS ANTISIODORENSIS Monachus floruisse videtur circa annum Domini 890. Siquidem Fulco Rhemensis Episcopus, qui

qui hoc tempore sedebat, ad scholas instaurandas Magistrum Remigium Antisiodorensem Remos advocavit, ut Flodoardus in ejus vita testatur. Fuit hic Remigius vir ea ætate doctissimus habitus. Scripsit *Commentaria in Psalmos ex Patribus Ambrosio, & Augustino multa decerpens.*

Scripsit etiam *in duodecim Prophetas.*

Scripsit quoque *de divinis officiis*: quæ omnia opera impressa extant.

Scripsit etiam *expositionem Missæ*, quæ habetur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit. 2. Scripsit *de aliis multis argumentis*, quæ utrum extent, ignoro.

Dissertatio Historica.

A

Remigius in Abbatia Sancti Germani Autissiodorensis Monachus O. B. vixit extremo sæculo Christi IX. & à Fulcone, qui post Hincmarum ab anno 882. usque ad 899. Rhemensis fuit Archiepiscopus, ad scholas instaurandas Durocortorum Remorum primariam urbem evocatus est, ut testatur Flodoardus Canonicus lib. 4. Historiæ suæ Rhemensis cap. 9. De eodem Sigebertus Gemblacensis cap. 123. ex quo etiam ætatem ejus disces cùm ait respondisse Gualoni Æduorum Episcopo interroganti de duabus quæstionibus, Auctor vitæ Joannis Gorziæ Abbatis pag. 744. & 758. Tomi primi Novæ Bibliothecæ mss. librorum, Bartolomæus Platina in Vita Formosi Papæ, Jacobus Forestus Bergomas in Supplemento Chronicorum, Joannes Trithemius, qui docet fuisse S. Odonis Cluniacensis Abbatis præceptorem, & ex quorumdam opinione falsissima Autissiodorensis urbis Antistitem, Sixtus Senensis, Guillelmus Eisingrenius, aliique.

Commentarius in omnes Davidis Psalmos ex Ambrosio, Augustino & Cassiodoro intermistis de suo quibusdam enarrationibus Coloniæ prodiit anno 1536. & in Bibliotheca Coloniensi Veterum Patrum. Non desunt qui cum Molano dubitent num Monegoldo seu Manegundo Teutoni, de quo Henricus Gandavensis cap. 28. tribui debeant. Trithemius tamen Remigio vindicat; non Sigebertus, cùm de sola in Cantica Canticorum Expositione disertè meminerit.

Enarratio in posteriores XI. Minores Prophetas, Antuerpiæ anno 1545. cum Oecumenii in S. Paulum, & Aretæ Commentariis in Apocalypsim, curante Joanne Hentenio, & postea in Bibliothecis Veterum Patrum. Addit citatus Platina scripsisse in Matthæum potissimum & Pauli Epistolas, nec deesse nonnullos qui scribant hujus interpretationis auctorem fuisse Remigium Rhemensem, non autem Autissiodorensem, quos postea sequutus est Villalpandus, ut mox dicetur.

Expositio Missæ Sanctorum Patrum Sententiis & auctoritatibus confirmata, sive de celebratione Missæ in Bibliothecis Veterum Patrum. Sigebertus dicit exposuisse Canonem Missæ, & quid, & à quibus in ea sit positum, vel additum demonstrasse.

De Officiis Divinis scripsisse perhibetur ab eodem Sigeberto & Trithemio; & hunc librum Coloniæ anno 1536. evulgatum tradit Possevinus. Sunt tamen qui illi dumtaxat tribuant caput 40. libri de Divinis Officiis, qui vulgò tribui solet Alcuino. At Edmundus Aubertinus Calvinianæ sectæ administer paginis 916. & 926. Sophisticarum Cavillationum de Sacramento Eucharistiæ, librum illum Alcuini integrum tribuit eidem Remigio Autissiodorensi, in quo insigniter hallucinatus est. Obiit enim Remigius postquam Remos vocatus fuerat à Fulcone Archiepiscopo circa annum Christi 900. Elpricus autem, sive Herpricus Monachus, cui in mss. codice tribuitur, ut ipsemet ex Chesneo annotavit, Quæstio de Natalitiis Sanctorum cap. 18. subjuncta, floruit tantùm ex Trithemio circa an. 1040.

De ejusdem in Donatum, aliosque Veteres Auctores expositionibus, quas Trithemius ait à multis haberi, ac nominatim de Commentariis in Martianum Capellam de Mercurii & Philologiæ nuptiis, quæ in nostra etiam hujus Parisiensis Collegii Bibliotheca mss. reperiuntur, nihil hîc dicam, ut neque (*a*) de Tractatibus in singulas festivitates Sanctorum, & de Responsione ad Gualonis Æduorum Episcopi duas quæstiones, de quibus plura Sigebertus, quia nondum quod sciam typis fuere excusa, præsertim cùm me anxium sollicitumque teneat cui tribuenda sit & ad se totum trahat, *Explanatio in omnes S. Pauli Epistolas*, quæ & superiori sæculo Parisiis non semel, & Romæ anno 1598. tum Moguntiæ anno 1614. fuit impressa. Ejus enim diversi à diversis referuntur Auctores: qua de re pauca pro more quàm accuratissimè fieri poterit, pertractabo.

Jo: Bapt. Villalpandus Societ. Jesu Theologus, eruditissimis in Ezechielem Prophetam Commentariis notissimus Romæ anno superioris sæculi 98. edendas curavit Explanationes in Paulum easque ex titulo Veteris ms. codicis S. Cæciliæ trans Tiberim S. Remigio Rhemensi Archiepiscopo qui anno 496. Clodoveum Francorum Regem salutaribus undis tinxit, & ante annum 536. è vivis jam abierat, vindicare studuit; sed infelici planè successu, ut doctissimi quique Catholici, ac nominatim Societatis nostræ Doctores Sirmondus, Duceus, Petavius, Theophilus, aliique subodorati sunt (adeoque & ipse Bellarminus, qui cùm aliàs junior ex Tonstalli Garetiique fide semel citavisset, doctior postea factus in opere de Scriptoribus Ecclesiasticis nullum ipsi locum dedit) & partim scriptis libris, partim privatis colloquiis docuerunt, ut minus necesse fuerit Riveto Orthodoxorum simiolo in calamum quassatum operosius incumbere & laureolam, quod ajunt, in mustaceo quærere. Vanissimè nugantem, hærentemque diutiùs in re facillima, quam uno verbo poterat absolvere, ipsi etiam vix tolerare possunt Heterodoxi Lectores. Neque enim potuit S. Remigius Antistes Rhemensis, qui circa annum 530. obiit citare B. Benedictum nec Beatum seu Venerabilem Bedam, nec Cassiodorum, nec S. Gregorium Papam, nec Acta vitæ S. Cæsarii Arelatensis à Cypriano post annum Christi 544. conscripta. Adde quòd stylus ipsaque scribendi ratio sæculi noni Auctorem referat, nec ab Haymonis Alberstatensis Episcopi scriptis vulgatis, aut à Remigii Autissiodorensis Monachi Commentariis in Psalmos ac Minores Prophetas abludat. Quis ergo hujus operis conditor? Theophilus in indiculo Sanctorum Lugdunensium, Jacobus Usserius in Historia Goteschalci, & quidam alii apud Miræum nasutiores Critici Remigio Lugdunensi Archiepiscopo tribuunt: longè plures Remigio Autissiodorensi Monacho, quem ideo Rhemensem in quibusdam mss. codicibus appellatum suspicantur, quòd à Fulcone, ut diximus, evocatus, Rhemensis scholæ curam per aliquot annos gesserit. De eo tamen altum apud Sigebertum, Trithemium, aliosque silentium. Ego verò iis accedendum aliàs esse censebam, qui parentem hujusce Explanationis docent fuisse Haymonem Halberstatensem Episcopum, de quo suo loco, tum quòd jam à Pluribus annis sub ejus nomine Parisiis prodierit, tum quia tempore Fulberti Carnotensis Episc. vix elapsis centum ab obitu Remigii Autissiodorensis annis jam Haymoni tribuebatur, ut patet ex pag. 169. Editionis Parisiensis à Carolo Villierio an. 1608. procuratæ, tum quòd in mss. codicibus modò Haymo, modò Raimo dica-

dicatur illius auctor; & à Sigeberto Trithemioque Haymonem exposuisse totum Paulum Apostolum doceamur, tum denique quod illius stylum, dictionem methodumque redoleat, ut non sit gutta guttæ similior, inquit Theoph. pag. 154. Erotematum.

Verùm iisce jam pridem editioni paratis commodatus est mihi Edmundi Aubertini liber de Sacram. Eucharistiæ, in quo hæc de Remigio nostro variis locis asserit. I. pag. 886. docet contra Villalpandum Commentarium in Paulinas Epistolas esse Remigii Rhemensis Episc. sed paulò modestiùs ac breviùs, quàm Symmysta ejus Andreas Rivetus prolatis dumtaxat S. Gregorii Papæ ac Beati Bedæ testimoniis. II. paginis 916. 926. & 937. adjudicat Remigio Autissiodorensi librum de Divinis Officiis Alcuino aliàs tributum. Sed si auctor ille Elprico posterior est, longè opinione sua falsus est Aubertinus, ut mox dicebamus. III. Remigio alicui vindicandos esse Commentarios in Paulum, tum ex fide Platinæ & aliorum, qui id disertis verbis docent; tum ex plurimis codicibus Romanis, Cassinensibus, ac Bibliothecæ Regiæ Parisiensis, qui omnes præseferunt Remigii nomen. IV. Remigium illum videri Autissiodorensem tum ob allatam à nobis supra conjecturam ex Flodoardo petitam; tum ob validiora, ut putat, argumenta. Sigebertus enim & Bergomas, inquit, notant Remigium Autissiodorensem in Paulum scripsisse, & in Canonem Missæ, quorum duorum postremorum conscriptionem nemo Haymoni & Remigio Lugdunensi tribuit. Eumdem autem Auctorem esse tractatus de Officiis Divinis sub Alcuini nomine malè editi & Auctoris Commentarii in Paulum multa videntur arguere. I. maxima styli similitudo. II. affectata utrobique Classicorum Authorum allegatio Horatii, Ovidii, & Virgilii. III. eadem pariter utroque opere affectata Grammaticalis vocabulorum interpretatio, & in ea similes lapsus. IV. Eadem utrobique observatio de Cœnæ Dominicæ appellatione, ejusque ratione, quæ cuivis conferenti statim apparebit. Addit eumdem scripsisse Expositionem Canonis & Commentarium Paulinum manifestissimè ex eo patere, quòd utrobique de Divinitate panem Eucharistiæ replente, & Christi proprio corpori ea ratione conjungente, ac unum quodammodo cum illo reddente, iisdemque verbis loquuntur. Sed hæc omnia scrupulosiùs Deo dante excutientur in Examine Heterodoxorum ad damnatæ lectionis Criticorum. Interim Lector Christianæ ex his aliisque à nobis præmissis disces quantæ adhuc tenebræ restent eruditis viris dispellendæ in lectione SS. Patrum & Tractatorum Ecclesiasticorum, & quàm bene de Republica litteraria mereantur, qui in ea palæstra tam nobili mentem exercent suam.

(a) De Commentariis ejusdem Remigii in Evangelium S. Matthæi quæ mss. dicuntur fuisse Viennæ ad Danubium in Bibliotheca Imperatoria, & Venetiis in Bibliotheca S. Georgii Majoris.

De Ambrosio Ansberto. 890.

AMBROSIUS ANSBERTUS Monachus eodem tempore floruit. Scripsit autem *in Apocalypsim*, *in Psalmos*, *& in Cantica Canticorum*. Dicitur etiam scripsisse *de cupiditate*, *& epistolas ad diversos*.

Dissertatio Historica.

AMBROSII Autperti, sive Auberti, vel quemadmodum vulgò, sed minùs emendatè scribitur, Ansberti Monachi, ac deinde Abbatis Monasterii Sancti Vincentii ad Fontes Vulturni fluvii in Samnio siti,

Libri decem in Apocalypsim ad Stephanum Papam.
Commentaria in Psalmos, atque in Cantica Canticorum, extant Coloniæ anno 1536. & alibi deinde edita. At liber de Cupiditate, cujus mentio apud Sigebertum cap. 91. videtur periisse.

Ad calcem libri X. Commentariorum in Apocalypsim satis clarè suam ipsemet Ansbertus indicarat ætatem his verbis: *Ambrosius, qui & Autpertus, ex Galliarum provincia ortus intra Samnii regionem apud Monasterium Martyris Vincentii maxima ex parte Divinis rebus intentus temporibus Pauli Romani Pontificis* (qui obiit anno 767.) *necnon & Desiderii Regis Longobardorum* (qui Ticini obsessus captusque est anno 774. à Carolo Magno Rege Francorum) *sed & Artochisi Ducis ejusdem Provinciæ, quam incolo, hoc opus confeci atque complevi, quod propter facilitatem ipsam intelligendi, speculum parvulorum vocavit.* Hæc ille.

Unde mirari subit, quid in mentem venerit Joanni Trithemio, & ex eo Gesnero, Simlero, Possevino Maraccio, Bellarmino nostro, ipsique in meridie cæcutienti Miræo (a), ut eum inter sæculi noni scriptores referrent, & anno 890. sub Arnulfi Regis Imperio consignarent, cùm toto sæculo præcesserit, ut ex ipso etiam Paulo Diacono discimus libro sexto de Gestis suæ gentis, cap. 40. ac maximè ex Chronico Sancti Vincentii de Vulturno, cujus Excerpta nonnulla publicavit Duchesnius Tomo III. pag. 672. & sequentibus, in quibus dicitur obiisse Autpertus anno Christi 778. Indict. II. & in Beati Petri Ecclesia digno sepulchro locatus, cùm Abbatiam illam rexisset anno uno, mensibus 2. & diebus 25. Corrigenda ergo hic quoque, ut in pluribus aliis, Bibliotheca Coloniensis veterum Patrum, in qua Parte 2. Tomi IX. collocatur à pag. 305. ad 540. in qua exarata sunt ipsissima verba, quæ suprà descripsimus.

De duabus tribusve Homiliis ei attributis, non est quòd hoc loco longiorem discussionem attexam, cùm certi vix quicquam possit afferri.

(a) Sixtum Senensem, Petrum Ricordatum, Georgium Callixtum, innumerosque alios recentiores poteram subnectere Trithemio: nec abs re dictum est cæcutiisse in meridie Miræum, quippe qui cap. 257. Auctarii sui de Scriptoribus Ecclesiasticis Ambrosium Ansbertum sæculo Christi nono affigat, & verba tamen ipsa, quæ ad calcem libri decimi adscripta ætatem auctoris pluribus indiciis produnt, repræsentet.

Nuperi scriptores, qui Monialibus suis ante unum alterumve mensem Lectiones pararunt de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento ex SS. Patribus & Tractatoribus Ecclesiasticis collecta, tria quatuorve asserunt, quæ mihi castigatione indigere videntur: I. natione Francum fuisse & in Provincia Phocensi seu Massiliensi natum *Francois né en Provence*. Unde enim utrumque habent, cùm ex Galliarum dumtaxat provincia ortus tantummodo dicatur, quod idem sonat atque ex Galliis, quæ non Provinciales tantùm, ut modò appellamus vulgò, sed & Celtas, Aquitanos, Belgasque, neque Francos dumtaxat, verùm etiam ex Romana aut etiam Gallica veteri prosapia oriundos complectebantur. II. Trithemium dumtaxat ac Bellarminum nominant, cùm & Sixtum Senensem, Possevinum, Miræum, aliosque quamplurimos ejusdem metachronismi assertores fuisse constet. III. Desiderium Longobardorum postremum Regem an. 773. defunctum asserunt, cùm anno dumtaxat sequenti 774. in manus Caroli Magni devenerit & in Gallias missus exul in vinculis aliquamdiù vitam traxerit. IV. Addunt hactenus ex fide Trithemii & Bellarmini creditum fuisse Ansbertum suum

(qui

(qui meliùs Autpertus) non sub finem sæculi noni anno Christi 890. floruisse, seque primos docuisse anno Christi 760. octavo sæculo adscribendum esse: quod sanè pace eorum dictum sit, à veritate tantum abest.

Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano,

Nam ut nihil dicam de hac Dissertatione Philologica, quæ ut plerique eruditi Viri norunt, jam à tribus fermè annis sub prælo gemit, nec solùm ex verbis Authperti vulgarem errorem redarguit, sed etiam ex libri sexti de Gestis Longobardorum cap. 40. & ex Chronico Sancti Vincentii de Vulturno multa refert hactenus nemini animadversa, ante biennium editus est typis Cramosyanis Abacus Chronologicus, in quo hæc ad VIII. Christianæ æræ sæculum disertis verbis leguntur: Ambrosius Autpertus, malè vulgò dictus Ausbertus in Monasterio ad Fontes Vulturni diu vixit, cùmque ejus Abbas non duobus integris annis fuisset, obiit anno 778. Indictione II. quæ ex citatis in Dissertatione nostra Auctoribus deprompta exhibuit paulò post Bibliothecæ Chronologicæ Sanctorum Patrum, Theologorum, Scriptorumque Ecclesiasticorum utriusque Testamenti breve specimen à Benardis Enchiridii forma excusum: quod in manibus omnium versatur. Sed hoc factum est Sirmondi, Ducæi, Petavii, atque aliorum è Societate Jesu doctorum virorum, ut quæ ipsi in Critica Sacra & Theologicis aliisque argumentis scitè & ingeniosè excogitarunt, magno studio apud rerum novarum cupidos premantur, aut malignè, siquid minùs arrideat, arrodantur. Quod pluribus exemplis, si opus fuerit, vel ex unico illo Indice Historico & Chronologico pronum erit comprobare. Quò porrò spectent, quæ adjunguntur ex epistola Autperti ad Stephanum Papam III. delibata, quæque paulò post de septima Synodo seu Nicæna II. in facto non in jure aberrante subjiciuntur, ac similia identidem variis locis inspersa, aliis κριτικωτέροις dijudicandum permitto: neque enim Tabulam illam aut versionem notasque margini adsitas censere aggredior.

Circumferuntur, inquit Joannes Baptista Marus in notis ad Caput XIII. opusculi Petri Diaconi de Viris Illustribus Cassinensibus, sub nomine Authperti Abbatis Cassinensis, sed perperam infrascripta mss. opuscula: videlicet sermo de cupiditate viris sæcularibus valdè utilis habens scripturarum testimonia octoginta: Sermo in Purificatione B. Mariæ Virginis, qui extat impressus quoque in Alcuini Homiliario: Sermo in dedicatione Ecclesiæ: Oratio contra septies septena vitia: Homilia in illud Evangelii S. Marci, Assumpsit Jesus Petrum & Jacobum & Joannem: Vita Sanctorum Patrum Pabdonis, Tatonis, & Tasonis Monasterii S. Vincentii de Vulturno Abbatum, de qua vide Catalogum Ferrarii ad diem 11. Octob. 11. Januar. 11. Decembr. & Bollandum sub die 11. Januar. Quæ præfata opuscula malè Authperto Cassinensi attribuuntur, cùm suum agnoscant auctorem Autbertum aliàs Ansbertum Monachum & Abbatem S. Vincentii de Vulturno propè Capuam fluvio, qui claruit anno Dom. DCCCXC. (insigne mendum ex Trithemio, Gesnero, Simlero, Sixto, Possevino, Bellarmino, Miræo aliisque propagatum pro DCCLXX.) fuitque magister in humanioribus Caroli Magni, de quo Sigebertus de Scriptoribus Ecclesiasticis capite 91. & Aubertus Miræus Auctarii capite 257. cujusque etiam extant lucubrationes nonnullæ impressæ Coloniæ anno 1536. in folio. Certè quod supra memorata opuscula, quæ nos (inquit ille) manu exarata etiam asservamus, præferunt nomen Ambrosii Authperti Abbatis S. Vincentii, non Cassinensis.

Bellarm. de Script. Eccl. Tom. VII.

De Guillelmo. 890.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS S. R. E. Bibliothecarius, ex fide manuscriptorum Codicum addidit Historiæ Romanorum Pontificum, quam Anastasius finivit in Nicolao primo, *Vitas quinque Pontificum*, nempe *Adriani II. Joannis VIII. Martini II. Adriani III. & Stephani V.* quas vide post Anastasium sæpè impressum, maximè Parisiis ab Annibale Fabroto anno 1648. in folio typis Regiis. Claruit circa annum 896.

De Altmanno. 890.

SUPPLEMENTUM.

ALTMANNUS Altivillarensis in tractu Catalaunensi Monachus, vixit eo tempore quo à Normannis Gallia vastabatur circa annum 890. scripsit *vitam sancti Memmii Catalaunensis primi Episcopi*, seu potiùs veterem emendavit ad petitionem Theudoini Catalaunensis Præpositi, cujus præfationem seu epistolas prævias evulgavit Joannes Mabillon tomo 2. suorum analectorum pagina 86. Vita restante manuscripta in urbe Catalaunensi & in Cœnobio Altivillaris; ut ibidem legitur. Scripsit etiam *Vitas Sanctorum Nivardi Rhemensis Archiepiscopi, Sindulphi Presbyteri solitarii, Translationem corporis S. Helenæ Imperatricis ab urbe Roma ad Cœnobium Altivillaris*, de quibus videas Laurentium Surium & Continuatores Bollandi suis diebus & locis. De Altmanno dictus Joannes Mabillon abundè tom. 2. analectorum pagina 93. & seqq. itemque sæculo 4. Sanctorum Ord. D. Benedicti tom. 2. pag. 158. post Sigebertum c. 99. De Scriptoribus Ecclesiasticis.

De Joanne Eccl. Const. Diacono. 890.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES magnæ Dei Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Orator, circa annum 890. scripsit *Vitam S. Josephi Hymnographi* qui floruit anno circiter 880. quam habes græcè & latinè, apud Bollandi Continuatores Henschenium & Papebrochium ad diem 3. Aprilis, quos consulere potes.

De VVolfhardo Monacho. 890.

SUPPLEMENTUM.

WOLFHARDUS Presbyter Monachus Monasterii Hasenrietani seu Haserensis, Ord. D. Benedicti in Diœcesi Eistetensi, quod conditum à Carolo Magno, postea Arnulfus Imperator ad sæculares Canonicos transtulit. Hic scripsit *Vitam sanctæ Vvalpurgis*, suamque scriptionem nuncupavit Erchanbaldo Eistetensi Episcopo, ab anno (ut ajunt) 884. ad 902. cui scriptioni postea *tres libros miraculorum* adjecit, promisso insuper Dialogo de S. Vvalpurge in lib. 4. præfatione, quem an composuerit, incertum est. Extant hi quatuor libri tom. 4. Antiquæ lectionis Henrici Canisii, & apud Bollandum ad diem 25. Februarii, & sæculo 3. Sanctorum Ordinis D. Benedicti tom. 2. pag. 287. & seqq. ubi de dicto Vuolfhardo Joannes Mabillon.

De Hugdaldo Monacho. 890.

SUPPLEMENTUM.

HUGDALDUS seu Hucbaldus Elnonensis Monachus, Milonis Monachi pariter Elnonensis nepos, claruit anno 890. imò & longè ante, temporibus Caroli Calvi Imperatoris & Francorum Regis; & longè post, si verum est vixisse illum, usque ad annum 930. ut scribunt Joannes Mabillon sæculo 2. Sanctorum Ord. Divi Benedicti pag. 937. in præludiis ad vitam sanctæ Rictrudis Abbatissæ Marchianensis, quam scripsit anno 907. Ad Hugbaldi honorem spectat & famam doctrinæ, id quod Joannes Iperius in Chronico cap. 17. §. 1. refert de Bodulfo Abbate Sithivensi seu S. Bertini *qui modicè litteratus ab Abbate sancti Amandi Gauscelino Monachum ejus Hucbaldum virum litteratum impetravit ad se mitti, ut ab eo instrueretur*. Et §. 2. *concessit in præstariam Hucbaldo Monacho sancti Amandi, qui eum instruxerat in litteratura, villam hujus Monasterii Sithivensis in pago Viromandensi dictam Heldini-Curtem cum villulis ad eam pertinentibus, tam pro temporalis solatio necessitatis: quam pro mercede laboris*. Hæc refert Joannes Mabillon sæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 710. Scripsit autem primò Hugbaldus librum trecentorum carminum *in laudem Calvitii ad Ca-* A *rolum Calvum*, cujus omnia verba incipiunt à litera C.

Carmina clarisonæ Calvis cantate Camenæ, &c.

Hoc editum in adversariorum commentariorum Gasparis Barthii libris lx. pag. 2175. anno 1624. Francofurti impressis. Scripsit *Vitam sanctæ Aldegondis Abbatissæ Malbodiensis*, quam habes apud Surium & Bollandum ad diem 30. Januarii, & Joannem Mabillon sæculo 2. Sanctorum Ord. Divi Benedicti pag. 710. & seqq. item anno 907. *Vitam sanctæ Rictrudis Abbatissæ Marchianensis*, quam habent Surius & Bollandistæ ad diem 12. Maji, & citatus Mabillon sæc. 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 937. & seqq. dedicatam grandævo viro & miræ sanctitatis Stephano Leodiensi Episcopo. Item *Vitam sancti Lebuini ad Albricum Ultrajectensem Episcopum*, quam habet Surius ad diem 12. Novembris, & hanc circa B annum 920. Dicitur Hugbaldus vixisse usque ad annum 930. die 25. Junii, cujus corpus in sepulchro Milonis avunculi & Præceptoris sui, in Elnonensi Monasterio conditum est. De eo Sigebertus in Catalogo cap. 107. Aubertus Miræus in Scholio ad dictum caput, Antonius Possevinus in Apparatu sacro, Joannes Mabillon in Actis Sanctorum Ordinis Divi Benedicti. Quantum autem *ad Vitas S. Madalbertæ Virginis, Abbatissa Malbodiensis, & S. Ciliniæ matris S. Remigii*, de quibus loquitur citato loco Aubertus Miræus; nihil certum habemus, nec hucusque comparent.

SÆCULUM DECIMUM

Ab anno Dom. 900. ad 1000.

De Leone Sapiente Imp.

LEO SEXTUS hujus nominis Imperator non sine causa sapiens dictus est. Scripsit enim *epistolam insignem ad Regem Saracenorum de Christianæ fidei veritate, & Saracenorum impietate*, ubi disertis verbis Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere affirmat. Extat hæc epistola in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 3. Extant etiam in Bibliotheca Vaticana *orationes hujus Imperatoris plurimæ*, quarum titulos, & unam integram refert Card. Baronius tomo 10. Annalium, ad annum Domini 911. quo anno hic Imperator obiit. Extant hæ orationes latinè redditæ, & Ingolstadii excusæ. Refert quoque Jacobus Gretserus Societatis Jesu Theologus tomo secundo de Cruce, *Orationem alteram ejusdem Leonis de Cruce*. Itaque illustravit hic Imperator hoc sæculum alioqui valdè obscurum.

DISSERTATIO HISTORICA.

LEO SAPIENS, sive Philosophus vulgò dictus, Basilii Macedonis filius, Imperator Orientis hoc nomine sextus, ab anno 886. quo pater ejus defunctus est, usque ad diem 7. Junii anni 911. quo ipse Constantinopoli obiit; relicto filio Constantino Porphyrogenito. De eo Leo, aliique Theophanis Historiæ Continuatores, Scylitzes, Zonaras, Glycas, Manasses, Cedrenus, &c. De ejus operibus hæc accipe.

I. Illustrissimus Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 911. texuit *Syllabum Ora-* C *tionum Leonis Imperatoris* ex codice Vaticano Græco exhibuitque ibidem *Epistolam Encyclicam sive Orationem Paræneticam ad quoscumque Christi fideles scriptam ad benè beatèque vivendum*, Latinè redditam à Federico Metio Termularum Episcopo. Meminit quoque Epistolæ ejusdem Imp. ad Omarum Saracenorum Regem *de Fidei Christianæ mysteriis & veritate, variisque Saracenorum Hæresibus & blasphemiis*, à Sebastiano Champerio Lugdunensi ex Chaldaica in Latinam anno 1509. conversæ, & à Margarino Bignæo Tertio Tomo Bibliothecæ Veterum Patrum recusæ.

II. *Canticum Compunctionis ex meditatione extremi Judicii*, Latinè è Græco redditum à R. P. Jacobo Pontano Societ. Jesu prodiit Ingolstadii apud Adamum Sartorium anno 1603. ex Bibliotheca Bavarica, una D cum Simeone juniore de Fide & moribus sive Christianis sive Mysticis, ac deinde in Bibliothecas Veterum Patrum translatum.

III. R. P. Jacobus Gretserus ejusdem Societatis Theologus anno 1600. in eadem Ingolstadiensi urbe una cum S. Gregorii Nysseni Episc. Commentario duplici in Psalmorum inscriptiones, edidit Græcè & Latinè ex eadem Bavarica Bibliotheca Leonis Imper. novem orationes *Sacras*. *I. In Sepulturam Christi. II. In Resurrectionem ejusdem. III. In Ascensionem. IV. In Pentecosten. V. In Festum Palmarum. VI. In Assumptionem B. Virginis. VII. In Annunciationem ejusdem. VIII. In Decollationem Sancti Joannis Baptistæ. IX. In omnes Sanctos.*

IV. In Auctario Bibliothecæ Parisiensis à R. P. Francisco Combefisio Ord. Præd. adornato, & Græcè Latinèque edito an. 1648. à columna 1605. Tomi I. ad 1750. editæ sunt decem Orationes hoc ordine.

I. In

I. In Nativitatem B. Mariæ. II. In ejusdem Præsentationem. III. In Annunciationem. IV. In Occursum Domini, seu Deiparæ Purificationem. *V. In Festum Palmarum. VI. In Domini Sepulturam. VII. In ejusdem Resurrectionem. VIII. In Ascensionem Christi τῇ πεμτῃ τῆς ἕκτης ἑβδομάδος. IX. In Pentecosten. X. In Sanctæ Mariæ obdormitionem*, cum brevibus ad eas notis, quas consule.

V. Idem R. P. Jacobus Gretserus Tomo 2. de Cruce publici juris fecit ejusdem Leonis *Orationes in S. Joannis Decollationem, in omnes Sanctos, & in S. Crucis exaltationem.*

VI. R. P. Petrus Possinus ejusdem Societatis Theologus edidit G. & L. Tolosæ anno 1644. orationem ejusdem Imp. *de S. Nicolao Myrensi Episcopo.*

VII. Apud Savillium Tomo 8. operum S. Chrysostomi excusa est Græcè tantùm ejusdem Leonis *Oratio in Sanctum* Joannem *Chrysostomum*, sive Epitome eorum, quæ fusiùs tradidit Georgius Alexandrinus.

VIII. *Oracula & Vaticinia varia de Constantinopoli*, cum figuris atque antiqua Græca paraphrasi edidit post Georgii Codini Excerpta de Antiquitatibus Constantinopolitanis in Typographia Regia anno 1655. Latinèque reddidit cum Animadversionibus necessariis & Manuelis Chrysoloræ Epistolis tribus de Comparatione Veteris & Novæ Romæ V. C. Petrus Lambecius Hamburgensis. Eadem G. & L. edita libro 5. Variarum Lectionum Jani Rutgersii Lugduni Batavorum in 4. 1618. apud Elzevirios.

IX. Tactica, sive, *de instituendis aciebus ac bellico apparatu*, Latinè edita sunt Basileæ apud Michaelem Isingrenium anno 1554. auctore Joanne Checo Cantabrigiensi Anglo, cujus versionem hæreticis sordibus maculatam pluribus ostendit Possevinus noster, tum in Apparatu Sacro, tum in Bibliotheca Sancta. Idem liber Græcè & Latinè prodiit Lugduni Batavorum in 4. cum notis Joannis Meursii & anno sequenti 1613. ibidem post Claudii Æliani Tactica G. & L. excusa cum nova interpretatione & notis Sexti Arcerii. Italicè edidit Philippus Pigafetta in 4. Venetiis ann. 1586. & 1602.

X. *Opus Basilicorum* ingens & Herculeum, quod ἑξηκοντάβιβλον nominatur, in 60. libros divisum. Cujus partem aliquam Jacobus Cuiacius Jurisconsultorum Phœnix, aliique Latinè ediderant: Integrum verò septem Tomis ex mss. Regiæ Bibliothecæ Græcè & Latinè vulgavit anno 1647. apud Cramosios Fratres V. C. Carolus Annibal Fabrotus J. C. Synopsin Basilicon cum Glossis Nomicis ediderat anno 1608. Carolus Labbeus Biturix in Curia Parisiensi Advocatus.

XI. *Novellæ Constitutiones* quas Latinè reddidit Henricus Agyleus, edidítque Joannes Oporinus Basileæ.

XII. Additur à quibusdam *Juris Epitome*, quæ meris definitionibus & regulis constat.

Hippolytus Maraccius Lucensis in Bibliotheca Mariana pollicetur *Mariale* hujusce Imp. ex orationibus ejus in B. V. contextum à Joanne Matthæo Caryophillo Cretensi, Archiepiscopo Iconiensi Latinitate donatis. Lectorem quoque ad Cæsares suos Marianos allegat, quos nondum vidi.

De Auxilio. 900.

SUPPLEMENTUM.

AUXILIUS claruit circa annum 900. de quo Sigebertus lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis capite 12. ita loquitur: *Auxilius scripsit Dialogum sub persona infensoris & defensoris, divinis & canonicis exemplis munitum, contra intestinam discordiam Romanæ Ecclesiæ, scilicet de Ordinationibus, Exordinationibus Superordinationibus Romanorum Pontificum, &c.* Cujus Opus evulgavit ex manuscriptis Codicibus Joannes Morinus doctissimus Presbyter Congregationis Oratorii Gallicani, ad calcem voluminis suarum dissertationum de sacris Ordinationibus, quod impressum in fol. Parisiis, passim in Bibliothecis habetur. Alium etiam *Libellum Auxilii De negotio Formosi Papæ*, habet Joannes Mabillon tom. 4. Analectorum pag. 610. de quo post Sigebertum faciunt mentionem Miræus ad dictum caput 112. Sigeberti: Natalis Alexander in selectis Ecclesiasticæ Historiæ capitulis sæculo 9. parte 1. cap. 3. articulo 34. pag. 290. Joannes Morin & Mabillon citatis locis.

De Joanne Assero. 900.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES ASSERUS natione Anglus: patria Menevensis, Sacellanus fuit sancti Regis Anglorum Elfredi, & Schireburgensis postea ab ipso factus Episcopus. Scripsit Asserus non multò post obitum ipsius Elfredi, qui incidit in annum 900. *Acta seu Vitam hujus Regis*, quam Londini anno 1574. in fol. edidit Matthæus Parker litteris Saxonicis, sed lingua Latina, una cum præfatione lingua Saxonica, & quæ iterum prodiit litteris Latinis per Camdemum in suo Collectaneo veterum Scriptorum Historiæ Anglicæ, impresso in fol. Francofurti anno 1602. Habetur etiam ms. in Bibliotheca privata Lumlejana apud Anglos, codicibus 23. & 24.

De Adrevaldo. 900.

SUPPLEMENTUM.

ADRELVALDUS Floriacensis Monachus Ordinis Divi Benedicti, Carolo Calvo æqualis fuit, & clarus ab an. 870. ad 910. vel circiter. Scripsit *Librum unum De Corpore & Sanguine Domini contra Joannis Scoti ineptias*, sive dum Joannes Scotus adhuc in Galliis ageret & clareret, sive postquam in Angliam reversus fuit, vel ipso etiam mortuo: habesque Opusculum istud tom. 12. Spicilegii Dacheriani. Item circa annum 890. scripsit *Opusculum de Translatione Corporis sancti Benedicti in Galliam*, quod ex Biblioth. Floriacensi Joannis à Bosco ediderunt Bollandistæ ad diem 21. Martii, & Joan. Mabillon sæc. 2. Sanctorum Ord. Divi Benedicti pag. 253. Item *prolixum librum De Miraculis à sancto Benedicto in Gallia factis*, quem habes etiam impressum in dicta Floriacensi Bibliotheca, & apud Bollandistas ad diem 21. Martii, & apud dictum Mabillon loco citato. Item *Vitam sancti Aigulfi* Abbatis, quæ itidem pagina 656. quam etiam Laurentius Surius edidit ad diem 3. Sept. De Adrevaldo habent mentionem Aimoinus Floriacensis prologo suo in 2. libros miraculorum S. Benedicti, Sigebertus in Catalogo *de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

De VValtranno Episc. 900.

SUPPLEMENTUM.

WALTRANNUS sive WALDRAMNUS Argentinensis Episcopus claruit circa annum 900. qui etiam adfuit Concilio Triburiensi anno 895. & scripsit *nonnulla Poemata*, quæ habentur tom. 2. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii. Obiit anno 905. ut scribit Regino ad dictum annum in Chronico suo his verbis, *Per id tempus Baltrannus Strasburgensis, & Lu-*

& Luidhelmus Tullensis Ecclesiæ Præsules migraverunt à sæculo, quibus successerunt in Pontificali dignitate, Othertus in Strasburgensi civitate, & Drogo in Tullensi. Floruit eodem tempore *Salomon* nominis *tertius Constantiensis Episcopus*, ortu Svevus, evectus ad Sedem Episcopalem Constantiæ anno 890. ut tradunt Annales Fuldenses. Hic Isoni primùm Sangallensi Monacho Disciplinæ regulari traditur imbuendus, dein Capellanus Ludovici Regis efficitur, tum Archimandrita Campidonensis & Sancti Galli, mox Episcopus Constantiensis; quam Ecclesiam summa laude rexit per 29. annos. Scripsit *ad Dadonem Virdunensem* (ut opinor) *Episcopum Carmina quædam*, quæ habentur tom. 1. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii cum Carminibus Waldranni Episcopi Argentinensis; unde ambos Auctores una collegimus ac colligavimus. In Concilio Triburiensi anno 895. memoratur in transactionis charta, quam affert Goldastus tom. 2. Antiquitatum Alamanniæ, inter eumdem Præsulem & Hartmotum Cœnobii S. Galli Abbatem, anno Imperii Caroli secundo. Hic moritur anno 919. apud Hermannum Contractum in Chronico, de quo Trithemius agit in Chronico suo Hirsaugiensi, & in lib. De Viris illustribus Germaniæ.

De Marco Eremita. 906.

MARCUS EREMITA hoc eodem tempore vixit, quippe qui Leonem sextum Imperatorem saucium curavit, & decennium vitæ illi prædixit, ut Zonaras, & alii Græci historici narrant. Scripsit *multa opuscula Theologica*, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quinto edit. secundæ. Sed ea opera ita scatent erroribus contra fidem ut suspicari cogar, vel ab hæreticis nostri temporis conficta, aut valde depravata fuisse: neque alia de causa hujus auctoris memini, nisi, ut admonerem cautissimè esse legendum: non enim desunt alii auctores pii, qui sine tali periculo legi possunt.

Dissertatio Historica.

IN ætate ejus figenda Miræus variat: cùm enim cap. 34. Auctarii docuisset sub Theodosio Seniore vixisse ex Palladio, qui eum jam centenarium invisit, Sozomeno lib. 6. cap. 29. & Nicephoro Callisti libro 14. postea tamen cap. 281. exscribens pro more Bellarminum testatur vitam egisse eodem tempore, quo Imperator Leo Philosophus, hoc est circa annum 900. si tamen ille ipse est, qui Imperatorem illum saucium curavit, eique decem vitæ annos prædixit, ut Joannes Curopalata, Cedrenus, Zonaras, aliique Græci scriptores narrant. Unde fateri debent qui Miræo subscribunt, eumdem Marcum sexcentos minimùm vixisse annos, ab anno scilicet circiter 300. ad 900. Verùm dum ex aliis sua corradit, in similes contradictiones sæpè revolvitur. De censura operum ejus à Joanne Pico Parisiensi Classium Inquisitoriarum Præside & quodam alio Latinè redditorum, vide Bellarminum, necnon Joannem Mariam Brasichellanum, qui in Romano Indice anni 1607. docet opus illud multas continere sententias à rectæ fidei regula exorbitantes, hæretica manu fortasse temeratum, certè cautissimè semper & cum acri judicio legendum propter sentes & vepres errorum in quæ nonnumquam offendi possit.

Huic verò Marco Heremitæ, qui & Ascetes, hoc est Exercitator, dictus invenitur, tribuuntur in Bibliothecis veterum Patrum hæc opuscula, *De Paradiso & lege Spirituali. De his qui putant se ex operibus justificari. De pœnitentia. De Baptismo. Præcepta salutaria. Rescriptum à Nicolao ad Marcum. Capitula Temperantiæ,* A *sive, de Jejunio. Disputatio cum Causidico. Consultatio intellectus cum sua ipsius anima.*

Photius Bibliothecæ suæ codice 200. Bellarmini Miræique posteriorem de ætate Marci Ascetæ sententiam funditus profligavit, cùm lectos affirmat à se Asceticos hujusce Monachi libros octo, hominis profectò, non ætate, ut opinor, supparis, multò minùs posterioris. Eos verò non eo planè recenset ordine, quo in excusis digesti sunt, sed aliquantulum diverso; & præterea nonum superaddit, qui hactenus non comparuit, quo dum adversus Melchisedecitas depugnat, in ipsum etiam parentem suum hæresis hujus labe infectum acriter invehitur. Si quis autem sæculo Christi nono Melchisedecianos adhuc extitisse B asserat, is mihi ab omni prorsus ratione alienus videbitur. Satius itaque fuerit cum aliis Marcum hunc S. Joanni Chrysostomo Ep. Const. σύγχρονον agnoscere, donec certius quid magisque exploratum offendamus.

De Marco Eremita.

Supplementum.

MARCUS Eremita, qui & Exercitator dictus est, sub Imperatore Theodosio seniore vixit, ex Palladio in Historia Lausiaca, qui eum jam C Centenarium invisit. Sozomenus autem & Nicephorus Callixtus de eo ejusque Scriptis honorandam mentionem faciunt Sozomenus lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 29. *Marcum* (inquit) *ferunt etiam in ætate juvenili admodum fuisse placidum, prudentem, & Sanctarum Scripturarum memorem: denique usque adeò Deo charum, ut Macarius affirmaverit, quod cùm Presbyter Cellinorum esset, abs se numquam acceperit, quæ Sacerdotes initiatis ad mensam sacram dare decet: sed Angelus ei dederit, cujus se manum ad juncturam usque tantùm vidisse dixit.* Nicephorus verò *ipse quoque* (inquit) *Marcus in Monastica vita priùs versatus, multa post se reliquit Scripta. Eorum qui ad nos pervenerunt, libri octo sunt, universalium affectionum numerum æquantes, & alii triginta & duo, in quibus vias totius Asceticæ vitæ* D *omnes persequitur: ad quæ loca secedendum, & quomodo ad voluntatem Dei gressus dirigendi sint: quomodo etiam homo Dæmonum tentationes superet, mentemque repurget, atque ad veterem dignitatem progrediatur, ut cum Deo cœleste institutum sectatus, vivat.* Eorumdem Operum mentionem habet Photius in sua Bibliotheca cod. 200. quorum plurima Latinè reddita ex ms. Cod. Bibliothecæ Regiæ, qui ibidem extat, à Joanne Pipo Parisiensi Classium Inquisitoriarum Præside, de cujus versionis censura vide Bellarminum & Joannem Mariam Brasichellanum, qui in Romano Indice anni 1607. tom. 1. p. 173. & seqq. observat hæc opera cautè esse legenda, & non pauca arguit in isto Auctore, quisquis tandem ille fuerit. Posset facilè conferri La- E tina translatio cum manuscriptis Codicibus Bibliothecæ Regiæ, & edi cum textu Græco, cujus adhuc manuscripta exemplaria in aliis Bibliothecis, ut mss. Codd. Bessarionis Cardinalis, quos habet Respublica Veneta; & in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis num. 88. ubi *Marci Monachi sermones decem*, cum Dorothei Abbatis sermonibus seu Institutionibus, cum Isaiæ Abbatis Presbyteri, & Anachoretæ Sermonibus 28. cum capitibus centum de perfectione Diadoci Photices in veteri Epiro Episcopi. Marcus porrò noster est distinguendus ab alio, qui floruit tempore Leonis Philosophi Imp. hoc est, circa annum 900. qui Imperatorem illum saucium curavit, eique decem adhuc vitæ annos prædixit, ut Joannes Curopalata, Cedrenus, Zonaras, aliique Græci Scriptores narrant.

De

De Reginone Abbate. 908.

REGINO ABBAS Prumiensis ad initium anni nongentesimi floruisse videtur. Scripsit enim *libros duos chronicorum ab adventu Domini usque ad annum ejusdem Domini nongentesimum octavum*, ut ipse testatur initio sui operis. Sed continuavit aliquis alius anonymus usque ad annum 967. Dicitur etiam scripsisse *de disciplina Christiana libros duos*, quos extare non puto.

DISSERTATIO HISTORICA.

RHEGINO, seu detracta aspiratione, ut apud Sigebertum cap. 112. ac Joannem Trithemium scribitur Regino, in Prumiensi cœnobio Diœcesis Trevirensis Monachus Ord. Benedictini, electus fuerat ejusdem loci Abbas anno 892. sed æmulis agentibus cedere coactus, Richarium successorem habuit, ut ipse conqueritur pluribus, obiitque circa annum 908.

In Præfatione *Chronici sui ad Adalberonem primum Metensem Episcopum*, quod extat in duos libros distinctum, sed mendosissimè à Germanis suis, aliisque deinceps editum, testatur ab Adventu Domini illud perducere velle usque ad annum 908. itaque Sigebertus & Trithemius scripserunt. In editis tamen pervenit tantùm usque ad annum 906. sed fortè quod mihi aliàs in mentem venit, duo tresve anni in unum fuere compacti. Miræus notavit Chronica illa ab anno Christi primo pertinere usque ad annum 910. in quo eum ratio fugit: quemadmodum & Possevinum, qui Appendicem à Chronico non distinxit. Illa autem Appendix addita ab Anonymo ad annum usque ejusdem sæculi decimi 67. aut 72. progreditur. Ejusque fuerit Auctor Romerius, necne, consule Ger. Jo: Vossium libro tertio de Historicis Latinis cap. quinto Partis quartæ.

Tractatus *de Disciplinis Ecclesiasticis & religione Christiana* teste Trithemio in 900. fermè capitula per rubricas luculenter distinctus, ac jussu Ratbodi Trevirensis Archiepiscopi scriptus, extat in membranis nondum in lucem datum Viennæ in Bibliotheca Imperatoris, nec non in Gallia, &c. cum aliis nonnullis, præsertim *Notis in Martianum Capellam*, &c.

SUPPLEMENTUM.

RHEGINO Monachus Prumiensis, & Abbas electus anno 892. sed æmulorum potentia dejectus, vixisse videtur usque ad annum 908. de quo fusè Bellarminus & Labbeus. Quibus addo libros duos *De Disciplinis Ecclesiasticis*, jam impressos esse ex fide Manuscriptorum Codicum cura & studio Stephani Baluzii Tutelensis, Parisiis in 8. anno 1671. apud Franciscum Muguet, cum variis Appendicibus & Annotationibus. Qui plura de Rheginone optat, habet qui mentionem ejus faciunt, Sigebertum in Catalogo cap. 111. Aubertum Miræum in Scholio ad idem caput, Labbeum tom 2. Scriptorum Ecclesiasticorum, pag. 288. Natalem Alexandrum in selectis Ecclesiasticæ Historiæ capitibus sæculo IX. tom. I. capite 3. articulo 32. pag. 283. ubi invenientur quæ consulto omittimus.

De Radulpho Flaviacensi. 910.

RADULPHUS Flaviacensis Monachus floruit anno Domini 910. Scripsit *in Leviticum libros* A *viginti*, qui excusi sunt Coloniæ anno 1536. Scripsit etiam *in epistolas sancti Pauli libros 14. pro numero epistolarum*.

DISSERTATIO HISTORICA.

RADULFUS Flaviacensis, sive ut apud Albericum mox citandum & in msf. codice Abbatiæ S. Germani de Pratis scribitur, Flajensis, Monachus non ignobilis in diœcesi Bellovacensi cœnobii fuit, quod à S. Geremaro cognominari vulgò solet S. Germen de Flaix: ideòque manifestè hallucinatos fuisse patet, qui teste Trithemio, ejusque exscriptoribus Sixto, Possevino, aliisque, B Fuldensem in Germania Monachum aut Congregationis Luxoviensis fuisse scripserunt. De ejus ætate non consentiunt auctores moderni, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis meminerunt. Trithemius ejus ætatem non designat expressis verbis, sed postponit Stephano Leodiensi Episcopo, cui an. tribuit 910. & præmittit Witichindo Monacho Corbejensis in Germania cœnobii, cui annus adsignatur 950. Verùm Trithemii, ut norunt omnes, etiam cùm nominatim annos exhibet, sæpè sublecta est fides. Gesnerus ejusque breviator Simlerus silent. Genebrardus pag. 571. editionis Parisiensis anni 1585. libro quarto Chronographiæ sub annum 997. exeuntis Decimi à Christo nato sæculi hæc habet: Radulfus, ut ipse significat libro 20. capite 1. in Leviticum: C qui & scripsit Historiam Regum Francorum & breve Chronicon. Verùm toto illo capite ne verbum quidem quo ejus ætatem indagare liceat. Sixtus Senensis, quem sequuti sunt pro more Possevinus, Bellarminus, Miræus atque Gualterius, annum ei signatè vindicavit 910. sive ab Onuphrio vel Eisingrenio id mutuatus sit, quod quidam volunt, sive ex conjectura ac turbatis Trithemii rationibus hauserit. Verùm omnes illos opinione sua falsos fuisse docet Albericus Trium Fontium Monachus Ordinis Cisterciensis, qui anno 1240. vivebat, scribebatque Chronicon, quod editioni paratum habemus. In eo ad annum Christi 1157. ex D Helmando Frigidi Montis in eadem Bellovacensi Diœcesi Monacho ista habentur auro contra non cara; quibus à Trithemio aliisque hactenus sparsæ tenebræ discutiuntur: *Florebant hoc tempore quidam viri venerabiles, quorum unus Zacharias Chrysopolitanus &c. & Radulphus ille Niger Monachus Flaicensis in territorio Bellovacensi fecit opus super Leviticum per viginti libros dispositum, quod prædicatur & probatur magnificum. Elinandus.* Viderat Chronicon hoc David Blondellus, ideoque in Tractatu de Joanna Papissa Radulfum Flaviaci Monachum, non ad sæculum X. sed ad XII. retulit, in eo dumtaxat allucinatus, quòd eo anno 1157. defunctum fuisse referat, cùm tamen Albericus illo dumtaxat tempore floruisse asseruerit. E Samuel Maresius pro ea, qua semper laboravit, Historiæ, Chronologiæ, ac eruditarum Artium ignorantia, Mateologiæ Calvinisticæ quisquiliis undequaque corradendis semper intentus in Examine Famosæ Quæstionis de Papa fœmina Symmystam suum Blondellum impugnare non est veritus, eique putidiùs insultando Radulfum ad sæculum Christi decimum revocare. Verùm in eo aliisque quamplurimis capitibus erravit, quæ modò breviter persequor. I. Quòd inventis frugibus ad glandem iterum redierit. Esto enim Trithemio, Eisingrenio, Onuphrio, Gualtero, Genebrardo, Bellarmino, & quos citare prætermisit, Sixto, Possevino, Miræo, aliisque compluribus, mihique ipsi, parachronismus iste condonandus sit, nondum sole veritatis allucente, at eo jam exorto grave scelus est in tenebris diutiùs

tiùs permanere : & Alberico Trium Fontium Monacho, qui centum annis post Radulfum dumtaxat scripsit, ipsique adeò Helinando, qui Radulfum videre potuit, & cum eo in eadem diœcesi Bellovacensi aliquamdiù commorari, fidem abnegare. Floruit autem Radulfus anno 1157. Helinandus jam senior erat anno 1212. Albericus Chronicon perduxit usque ad annum 1241. ergo testibus modò utimur, aut coætaneis, aut supparibus, nec ad Trithemium, qui nihil de ea re affirmat, aut eo posteriores scriptores confugere cogimur, qui post Radulfum elapsis aliquot sæculis scripsisse noscuntur. II. Quod verbis Genebrardi paulò obscurioribus delusus iisque contentus caput illud primum libri 20. Explanationis in Leviticum consulere neglexerit, in quo nihil omninò reperitur quod ad unum potiùs quàm ad aliud sæculum referri possit Auctor illorum Commentariorum. III. Quod solita dicendi temeritate abreptus hæc subjungat non uno, si viveret Blondellus, lumbifragio punienda : Verùm in ætate (Radulfi) assignanda ex Alberico Bergomensi Decretorum Commentatore imposuit memoriosissimo aliàs Blondello homonymia vocis: nam juxta Coccium & Compilatores Bibliothecæ Patrum, vixit XII. sæculo alter Radulfus dictus Radulfus de Rivo Decanus Tungrensis, cujus liber *de Canonum observantia* extat Tomo X. Bibliothecæ Patrum ultimæ editionis: & quàm certum est hunc Radulfum de Rivo eum esse cujus meminit Albericus, tam præposterè illum confundens cum Radulfo Flaviacensi cognomine, vita, patria, sed conditione, tempore planè alio, ut prius Tongri sint Bellovacum migraturi, quàm probari possit ex Alberico contra ipsiusmet Flaviacensis testimonium & constantem omnium qui ejus meminerunt sententiam, Radulfum Flaviacensem anno 1157. mortuum fuisse. En quot monstra peperit Temerario in scribendis effutiendisque quæcumque in calamum buccamque venerint ardori juncta rerum ad Historiam spectantium inscitia (*a*)? I. Albericum Trium Fontium Monachum VV. CC. Duchesnio, Bucherio, Dominicyo, Chiffletio, aliisque Hist. Franciæ viris consultissimis notissimum ac sæpè citatum in Albericum de Roxate, à patria Bergomensem vulgò dictum, transformat. II. Radulfum de Rivo Decanum Tungrensem optimis sanè ducibus ac Chronologis usus Jodoco Coccio & Compilatoribus Bibliothecæ Veterum Patrum ad sæculum Christi XII. revocat circa annum 1157. cùm vixerit anno Christi 1403. ineunte sæculo Christi XV. III. quod ab Alberico citatum velit fuisse Radulfum de Rivo, qui necdum fortè natus erat aut ex ephebis exierat cùm vigeret anno circiter 1350. Albericus ille Bergomensis. Taceo, quod urgere aliàs fortè licebit accuratiùs, anno Christi 910. quo Flaviacensis collocatur Radulfus, excisum jam ab aliquot annis Flaviacense Sancti Geremari cœnobium & à Normannis prædonibus direptum in ruderibus & parietinis jacuisse; donec à Drogone Bellovacensium Antistite anno 1035. restitueretur. Tacenda quoque arbitror quæ in Pseudopapissa peccavit, & alia ferè infinita. Quid enim facias homini, qui Andabatarum more de ignotis sibi rebus differere non reformidat, & ultra crepidam instar malè consulti sutoris excurrere.

At hæc de ætate Radulfi nostri jam satis : quo enim obierit anno non liquet. Extant in Coloniensi Bibliotheca Veterum Patrum & seorsim excusi Coloniæ anno 1536. apud Quentelium & Eucharium Cervicornum.

Commentariorum in Leviticum libri viginti, quibus, judice viro in censendis Sacræ Scripturæ Interpretibus

A exercitatissimo Sixto Senensi, ita disertè, piè & eruditè omnia hujus libri mysteria tam secundùm sensum Historicum, quàm secundùm Spiritualem sensum explicavit, ut in comparatione ejus cæteri ejusdem libri Expositores minimè exposuisse videantur. In ms. codice Monasterii S. Germani Pratensis, quem videre contigit, hæc præmittuntur : Incipit Prologus Domni Radulfi Flaicensis Monachi in Tractatu Levitici; & ad calcem : Explicit liber vicesimus Explanationis super Leviticum editæ à Radulfo Flaicensi Monacho Doctore præcipuo & eximiæ conversationis viro.

Scripsisse quoque dicitur in Epistolas S. Pauli libros 14. pro numero Epistolarum, Historiam Fran-
B corum, breve Chronicon, & alia quædam, quæ nec reperiuntur in Bibliothecis illis Veterum Patrum nec alibi excusa fuisse memini. Immò & Miræus addit, putari à nonnullis omnes ferè Veteris ac Novi Testamenti codices illustrasse, quod vix crediderim, præsertim cùm de Commentariis illis Albricus, Trithemiusque tacuerint. De Radulfo Ardente, quia mentionem non fecit Bellarminus, differemus in Alteram Partem, ut de Radulfo Rivensi, aliisque ejusdem nominis Viris eruditis.

(*a*) Quam ut Lectores sive Orthodoxi sive Cacodoxi, sive amici, quorum exiguus est etiam suos inter Calvinistas numerus, sive inimici, quos liberioris calami linguæque petulantia in se armasse dicitur,
C penitiùs agnoscant, sciendum est Radulfum illum Tungrensis Ecclesiæ Decanum vixisse adhuc anno Christi 1403. usque ad diem 2. Novembris sive Sancti Huberti Episcopi festum, quo ad superos evolasse perhibetur in Kalendario Tungrensis Ecclesiæ testibus Melchiore Hittorpio, Valerio, Andrea, aliisque, ideoque nisi plures ducentis trecentisve annis vixerit non potuisse inter auctores sæculi XII. floruisse. Quod ut evidentiùs meridiana luce pateat, placet ex ejusdem Radulfi libro de Canonum observantia, cujus ne vel unam lineolam videtur legisse Maresius, nonnulla decerpere, quibus evincam post annum 1200. vixisse. Age ergo Tomum X. Bibliothecæ Patrum ultimæ editionis, Parisiensis utique, quam Morellianam Bibliopolæ vocare solent, in manus su-
D mamus, ad eam enim nos provocare videris. Pagina 1103. Prop. I. librum suum dedicat Religiosis Patribus Dominis Priori de Windessem & suis Comprioribus Fratribusque Ordinis S. Augustini Diœcesis Trajectensis, citatque S. Bernardum. Quo autem sæculo cœperit Congregatio Windesseimensis, quo cœnobium Viridisvallis, disce ex Chronicis Miræi, &c. Propositione VII. fit mentio Regulæ B. Francisci & Clementis V. his verbis : Imperativus sermo est cadens sub præcepto, ut in simili in Clementina Exivit 5. de Verborum significatione de officio Fratrum Minorum declaratur, ubi Dominus Papa verba Regulæ B. Francisci, ut Clerici faciant officium secundùm Ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Con-
E sule finem pag. 1110. Quo autem obierit anno Sanctus Franciscus Minorum institutor, quove Clemens V. Pontifex recesserit, si nescis, docebunt te discipuli tui. Pag. 1112. Propositione VIII. In Pragensi Ecclesia Metropolitana Bohemiæ agitur jugis & continua laus Dei die noctuque per psalmodiam horis videlicet & temporibus quibus alia Divina officia non celebrantur. Et Felicis memoriæ Carolus IV. Ecclesiasticus Imperator (è vivis abiit anno 1378.) ad hujusmodi continuam laudem agendam aliud quàm Psalterium congruentius non invenit. Proposit. X. pag. 1117. Domini de domo Teutonicorum & Carmelitæ memorantur. Prop. XI. pag. 1122. sciendum etiam quòd Romani more Fratrum Minorum non legunt de Sanctis Romanis Lectiones

Chro-

Chronicales sumptas ex Pontificali Chronico Damasi & cæterorum, sed eorum Ecclesiæ habent libros antiquos sermonibus & homiliis multis & Sanctorum passionibus plenos. Propositione XIII. pag. 1125. hymnus Te Deum laudamus, ab Ambrosio & Augustino compositus, ut probatur in prooemio Milleloquii, &c. Propositione XV. pag. 1132. Urbanus tamen VI. Purificationem faciebat in Dominica Septuagesimæ observari. Necnon Benedictus XII. & auctor Glossæ, ac sæpe sæpius Prædicatores, Minoresque, &c. Propositione XVI. pag. 1138. Hodiernis temporibus Romæ & in Curia Romana solemnis habetur festivitas Sanctæ Trinitatis in octava supradicta (Pentecostes) quod etiam plures Alemanni cœperunt sequi postea. Per octavam autem S. Trinitatis & SACRAMENTI servetur, &c. Proposit. XVII. pag. 1139. Item ex Constitutione Bonifacii Papæ VIII. Festa principalia duodecim Apostolorum, quatuor Evangelistarum & quatuor Doctorum sub duplici festo in Ecclesia celebrantur. Item secundùm statuta Leodiensium SS. Dominicus, Franciscus, Leonardus, &c. Festivitates Cartusiensium Thomas Cantuariensis & ratione ordinis duo Hugones (quorum Lincolniensis Episc. in Anglia Londini obiit anno 1200.) cum festo reliquiarum. Prop. XXI. pag. 1149. Innocentius III. mandavit suis Capellaribus ut in Quadragesima diceretur & hoc servant Fratres Minores. Prop. XXII. pag. 1150. Urbanus IV. mandavit Egidium teneri sub novem Lectionibus; & pag. 1151. Item sicut Fratres servant festivitates Sanctorum sui Ordinis, ut Francisci cum majoribus Octavis, Antonii Paduani, & Sanctæ Claræ, qui non sunt in Officio Romano, quare non similiter Romani habent Sanctos suos locales, ad quos Fratres non tenentur; tum paulò post: Sciendum tamen quòd Nicolaus Papa III. natione Romanus de genere Ursinorum, qui cœpit anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, & Palatium apud Sanctum Petrum construxit, fecit in Ecclesiis Urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Missalia, & alios libros officii antiquos 50. & mandavit ut de cætero Ecclesiæ Urbis uterentur libris & Breviariis Fratrum Minorum, quorum regulam etiam confirmavit: unde hodie in Roma omnes libri sunt novi & Franciscani, &c. Poteram longè plura congerere ex eodem libro de ætate auctoris argumenta, ex quibus, nisi omninò amens sit Maresius, colligere poterit, non sæculo XII. sed XIV. & XV. floruisse Radulfum de Rivo Tungrensem Diaconum, eumque toto cœlo differre à Radulfo Flaviacensi Monacho O. B. quem ex Helinando ejusdem ferè ætatis scriptore claruisse anno 1157. testatus est Albericus Trium-Fontium O. C. Monachus sæculi XIII. scriptor, licèt hunc imperitissimè confundere voluerit cum Alberico J.C. patria Bergomensi. Etsi autem indocto homine audacius nihil excogitari posse, qui de rebus sibi ignotis pronuntiare non veretur, universa meritò censuerit Philosophia: non arbitror tamen adeò perfrictæ frontis fore imposterum Maretium, ut de Radulfo Flaviacensi, de Alberico Trium-Fontium Monacho, de Alberico Bergomensi, de Radulpho Tungrensi, vel verbulum unicum adversus nostram hanc castigationem mutire audeat. Quod si attentare præ furoris impotentia non extimescat, non ampliùs imprudens, qui temerè se in foveam tenebrosam præcipitaverit, sed impudens, qui contra apertissimam veritatem decertare præsumpserit, ab omnibus, sive Catholicis, sive Acatholicis, sive vivens, sive mortuus habebitur. Quis enim Pontifices Innocentium III. Urbanum IV. Nicolaum III. Bonifacium VIII. Clementem V. Benedictum XII. Urbanum VI. laudari, SS. Hugonem Lincolniensem Episc. Dominicum, Franciscum, Antonium Lusitanum, Claram, tamquam mortuos, Carolum IV. Imperatorem, Fratres Minores, Prædicatores &c. memorari, ab eo qui anno Christi 1157. floruerit, vel dormiens somniet? Cætæra Lectori expendenda per otium relinquo, quæ de Festis Augustissimi Sacramenti & Sacrosanctæ Trinitatis, Milleloquii auctore, similibusque strictim attigi, ac pluribus, si luberet, amplificare facillimum esset in dedecus Πατριςομαςτίγων Novatorum: Quos omnes odere boni cane pejus & angue.

SUPPLEMENTUM.

RHADULPHUS Flaviacensis, cognomento *Niger*, quem in brevi Scriptorum Chronologia Labbeus ad annum *912.* collocat, quærendus ad annum 1157. ex eodem, libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* tom. 2. & etiam verbo *Zacharias Chrysopolitanus*.

De Radulfo Ardente. 1100.

SUPPLEMENTUM.

RADULFUS ARDENS, patria Pictavinus, ut creditur, Guillelmi IV. Aquitanorum Ducis Ecclesiastes seu Concionator, scripsit *Sermones de tempore ac de Sanctis totius anni*, seu Homilias, quas duobus tomis in 8. impressas vidi Parisiis anno 1573. apud Michaelem Chesneau via Jacobæa sub Quercu viridi. Item Antuerpiæ in 8. anno *1576.* apud Petrum Bellerum, & Coloniæ anno *1604.* duobus tomis in 8. Claruit anno 1100. vel circiter, & ulteriùs forsan.

De Radulfo de Rivo. 1400.

SUPPLEMENTUM.

RADULFUS DE RIVO, Decanus Tungrensis, ex Breda oppido Provinciæ Brabantiæ oriundus, in omni scientiarum genere versatus, multa scripsit, quorum quædam nobis innotuerunt, ut *Kalendarius Ecclesiasticus* editus Lovanii apud Vvelleum, ex manuscripto codice clarissimi Domini Jacobi Pamelii Brugensis, Sacræ Theologiæ Licentiati, cujus Kalendarii meminit Molanus libro de Martyrologiis cap. 7. Opus autem istud appellatur ab Antonio Possevino *De Canonum observantia*, constans viginti-tribus Propositionibus, quæ eò spectant, ut Canonicam Vitam professi, in Canonicis Officiis Canones servent, & Canonicos bonos mores. Incipit, *Religiosis, Patribus, Dominis, Priori de Vvindeshem, &c.* quod ex vetustiore Lovaniensi editione extat injectum in sextum volumen Bibliothecæ Sanctorum Patrum Margarini Bignæi, editionum primarum Parisiensium annorum 1575. & *1589.* apud Michaelem Sonnium. Itemque in editionibus ejusdem Bibliothecæ Coloniensi anni *1624.* & Lugdunensi maxima Anissoniana anni *1677.* Item scripsit *Gesta trium Pontificum Leodiensium Engelberti à Marka, Joannis de Arkel, & Arnoldi de Horn*, sub quibus floruit, quæ primùm edidit in lucem Joannes Chapeaville Canonicus & Vicarius Episcopatus Leodiensis in Spiritualibus anno *1616.* in 4. tomo 3. Historiarum suarum Leodiensium à pag. 1. ad 58. Acceperat autem Chapeavillus ex variis manuscriptis codicibus & præsertim Cœnobii Canonicorum Regularium Tungrensium, quos illi communicaverat D. Vvilhelmus Herkenroede ejusdem loci Prior optimè meritus, ut testatur idem Chapeavillus. De Radulfo loquuntur Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro* tom. 2. pag. 311. Cha-

Chapeavillus loco citato, à quo hæc habuimus, ubi tamen mendosè posuit eum mortuum anno 1483. pro 1383. Labbeus *in brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum*, vult illum & rectè, mortuum anno 1401. die secunda Novembris, cui nos adhæremus.

De Areta. 910.

SUPPLEMENTUM.

ARETAS Cæsariensis Presbyter claruit anno circiter 910. & sequentibus, ut statim ostendam. Hinc patet quantùm erraverint qui eum ad sæculum 6. alligarunt, ut novissimus editor Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis Lugdunensis, qui ejus Commentarium in Apocalypsim Latinum edidit sæculo 6. part. 1. p. 518. Peccavit pariter Philippus Labbeus, qui in brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum ad annum 700. assignat. Scripsit Commentarium seu *Explanationem in Apocalypsim*, quæ interprete Joanne Hentenio Mechliniensi Monacho Hieronymitano, Emendatore verò & prælectore illius editionis Federico Morellio, edita est græcè simul & latinè ad calcem Operum Oecumenii Parisiis in fol. 2. tomis impressi an. 1631. apud Claudium Sonnium. Aliæ versiones Latinæ Commentariorum ejusdem Aretæ in Apocalypsim, eodem interprete Hentenio, antea prodierant Antuerpiæ anno 1545. in ædibus Joannis Steelsii, & Parisiis apud Carolum Guillard: textus verò Græcus Veronæ in fol. anno 1532. & postea anno 1568. Idem scripsit insignem Orationem *in Translationem Euthymii Patriarchæ Constantinopolitani*, qui pulso Nicolao Mystico anno 901. evectus est ad Constantinopolitanam Ecclesiam gubernandam, ut habet Cardinalis Baronius ad annum 901. num. 2. unde post Leonis mortem expulsus, atque in exilium delatus, obiit in exilio anno 911. ut idem habet Baronius ad annum 911. num. 18. tandemque anno 920. Constantinopolim cum honore & pompa deportatus, ut idem Baronius narrat ad annum 920. num. 2. Inde igitur ætas certa Aretæ Cæsariensis oculati testis, qui hanc sancti Euthymii translationem Oratione insigni descripsit, quam habes græcam in Collectaneo Vitarum seu Legendarum Metaphrastico, Latinam verò tom. 3. apud Aloysium Lipomanum Veronensem Episcopum. Floruit igitur Aretas sæculo Ecclesiæ x. ab anno circiter 900. ad 920. quo ista Euthymii honorifica translatio contigit, atque ulteriùs etiam. Hunc citat Ludovicus Maimbourg Societatis Jesu Theologus Presbyter & Historicus, *in Schismate Græcorum*, edito in 4. Parisiis anno 1677. apud Sebastianum Mabre-Cramoisy, via Jacobæa sub Ciconiis: citat inquam ad annum Schismatis 911. pag. 233. & 237.

De Nothkero Monacho. 910.

SUPPLEMENTUM.

NOTHKERUS sancti Galli Monachus cognomento *Balbulus*, à linguæ impedimento quo tenebatur, scripsit cum Hiabano condiscipulo *Martyrologium* quod evulgavit in Antiquarum Lectionum tom. 6. Henricus Canisius, de quo sæpiùs actum est. Dicitur Notkerus obiisse anno 912. cujus Vitam scripsit Eckerhardus minimus sancti Galli Monachus; quam habes in Collectaneo Historicorum Germaniæ Marquardi Freheri, Francofurti in fol. Vechelianis typis, annis 1600. 1602. & 1611.: & apud Bollandistas die 6. Aprilis, Joannem Mabillon sæculò quinto *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* pagina 11. De illo etiam Aubertus Miræus ad cap. 108. Sigeberti De Viris illustribus pag. 147. Bibliothecæ Ecclesiasticæ.

De Stephano Abbate. 910.

SUPPLEMENTUM.

STEPHANUS Salmensis Comitis Filius, ex Canonico Rhemensi Monachus & Abbas Lobiensis, tum postea Leodiensis Episcopus anno 903. de quo Chronicon Sigeberti ad dictum annum ita habet: *Francone Leodiensium Episcopo mortuo, Stephanus Episcopus subrogatur, vir sanctitate & scientia clarus, qui Vitam & passionem sancti Lamberti Martyris ad Hermannum Archiepiscopum urbaniùs edidit, Cantum quoque nocturnum de eodem Martyre, de S. Trinitate, & Inventione Stephani Protomartyris composuit.* Hanc Vitam edidit Joannes Chapeaville in Opere suo *De Episcopis seu Historia Episcoporum Leodiensium*, 3. in 4. tomis Leodii edita anno 1612. & seqq. de qua diximus in Godescalco Leodiensi Canonico ad annum 770. Mortuus anno 920. 14. Kalendas Junii, jacet in Ecclesia S. Lamberti, de quo Sigebertus in libro de Viris illustribus cap. 125.

De Berthario. 920.

SUPPLEMENTUM.

BERTHARIUS Presbyter Virdunensis scripsit *Commentariolum de Virdunensibus Episcopis, oblatum Dadoni ejusdem Urbis Episcopo Nutritori suo*, quem cum Appendice unius Anonymi, & altera Continuatione Laurentii Leodiensis, Monachi S. Vitoni in eadem Urbe, evulgavit Lucas Dacherius tom. 12. Spicilegii. Claruit Bertharius anno circiter 920.

De Herivæo Archiep. 920.

SUPPLEMENTUM.

HERIVÆUS Caroli Simplicis Cancellarius, Regis commendatione & meritorum præstantia ad Sedem Archiepiscopalem Rhemensem promotus anno 900. consecratur ab Episcopis Provinciæ Rhemensis, & Pallium recipit à Benedicto IV. Papa, cujus Pontificatus initia prorsus dilaudanda exponit Flodoardus libro 4. Ecclesiæ Rhemensis cap. 2. Eodem die consecrationis suæ in consessu Episcoporum lecta fuit in templo Beatæ Mariæ, Excommunicatio hominum Balduini Flandriæ Comitis, ob cædem Fulconis Rhemensis ab illis perpetratam anno 901. retulit corpus sancti Remigii ab Ecclesia Cathedrali ad suum Monasterium, adstante Carolo Rege & Richardo Burgundiæ Principe. Extat & rescriptum Joannis IX. Papæ ad eumdem Herivæum anno 902., pro consultis qualiter pœnitentia debeat injungi Gentilibus. Duas etiam Synodos celebravit, anno 907. creatus à Summo Pontifice Sergio III. Sedis Apostolicæ Legatus. Scripsit *Opusculum De pœnitentiis injungendis ad Archiepiscopum Rothomagensem Vvidonem* circa annum 910. quod extat tomo 9. pag. 484. Conciliorum Labbeanæ ultimæ editionis. Scripsit & *Concilium Troslejanum* seu *Acta ejus habita* anno 909. sexto die ante Kalendas Julii, cui etiam Vvido Rothomagensis Archiepiscopus interfuit & subscripsit, quod habetur etiam tomo citato Conciliorum pag. 520. Vixit usque ad annum 923. quo mortuus est sexto Nonas Julii; de quo plura Flodoardus in Historia Rhemensi libro 4. cap. 2. Sammarthani in Gallia Chri-

Christiana tom. 1. *De Archiepiscopis Rhemensibus*, pagina 490. & seqq.

De Odilone Monacho S. Medardi. 920.

Supplementum.

ODILO Sancti Medardi apud Suessiones Monachus, floruit ineunte sæculo 10. circa annum 920. qui scripsit *Librum De Translatione Reliquiarum sancti Sebastiani Martyris, & sancti Gregorii Magni Papæ in suum sancti Medardi Monasterium*, circa annum 926. Est enim liber oblatus Ingranno Decano Medardensi seu Monasterii sancti Medardi, qui ut in Chronico Flodoardi legitur, ad annum 932. Episcopus Lauduni ordinatus fuisse perhibetur. Habetur autem Opusculum istud apud Bollandianum Januarium mensem die 20. & sæculo 4. Sanctorum ordinis Divi Benedicti tom. 1. pag. 383. & seqq. Edidit quoque *Historiam De Translatione Sanctorum Tiburtii, Marcellini, Petri & sociorum, in idem sancti Medardi Cœnobium* factam anno 828. quam habes ibidem sæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo 1. pagina 411. De Odilone isto pauca locis citatis reperies.

De VValterio Archiep. 920.

Supplementum.

WALTERIUS Senonensis Archiepiscopus nepos alterius ejusdem nominis Aurelianensis Episcopi, scientia & nobilitate clarissimus, ex Chronico Autissiodorensi, obtinuit senonensem sedem anno 887. quo etiam anno Odonem Roberti Andegavensis Comitis filium Regem Franciæ consecravit. Testatur Flodoardus Senonas Garnerio Comite obsidione cinctas anno 896. à Richardo Burgundiæ Duce: quibus captis Vualterius carceri per novem menses mancipatur, ob quasdam quæ intercesserant contentiones. Quod cùm Formosus Papa resciviſſet, omnes fautores hujus rei nefariæ anathemate percussit, nec priùs tamen Vualterius è carcere liberatur, quàm fide & obsidibus datis. Scripsit *Constitutiones Synodicas*, quæ extant tom. 3. Bibliothecæ veterum Patrum, & in Collectaneo Conciliorum ultimæ impressionis Parisiensis Labbeanæ, cum paucis Commentariis. Anno denique 923. mortuus est Vualterius XIII. Decembris; humatusque est in Sancto Petro, cujus Ecclesiæ Monachis privilegium de Abbatis electione olim concesserat. Hæc Sammarthani in Gallia Christiana tom. 1. *in Archiepiscopis Senonensibus* pag. 624.

De sancto Odone Cluniacensi. 930.

SANCTUS ODO Canonicus primùm Ecclesiæ sancti Martini Turonensis, deinde Monachus & Abbas Cluniacensis, Monasticique ordinis in Gallia reparator egregius, scripsit *de vita sancti Geraldi libros* 4. Item *Collationum libros tres, tractatum de reversione sancti Martini è Burgundia. Sermonem de Combustione Ecclesiæ B. Martini*, & alia nonnulla, quæ Parisiis nuper edita sunt in Bibliotheca Cluniacensi, cum vita Odonis ipsius, à Joanne Monacho scripta.

Dissertatio Historica.

ODO Musicus, ex Canonico & Archicantore S. Martini Turonensis, Monachus, ac deinde Cluniacensis secundus Abbas, Bernonis successor ab anno 927. usque ad annum 942. quo obiit apud Turones die 18. Novembris, & in Ecclesia S. Juliani sepultus est. De eo præter Joannem Italum, Cluniacensem Monachum ipsius discipulum, qui vitam magistri sui tribus libris descriptis, videndi Flodoardus in Chronico ad annum 942. Glaber Radulfus, & Ademarus Cabannensis, Sigebertus in Chronico ad annos 912. & 937. & Catalogi cap. 124. ubi eleganti ingenio præditum, in homiliis scribendis, & declamandis, ac maximè in componendis in honorem Sanctorum cantibus, prædicat, Aimoinus libro 2. de Miraculis S. Benedicti, aliique præsertim recentiores, Jo: Trithemius, qui Remigii Autissiodorensis Monachi auditorem fuisse memorat, & Possevinus, qui multa pro more ex variis congessit, ex uno duos Odones facit Abbates Cluniacenses I. & II. Duchesnius collatis operis cum D. Martino Marrier in Cluniacensi Bibliotheca anno 1514. Parisiis excusa, post varia elogia S. Odonis quædam opuscula edidit. Hæc dumtaxat occurrunt:

Vitæ S. Geraldi Aurelianensis Comitis libri quatuor ad Aymonem Abbatem, col. 65.

Tractatus de Reversione B. Martini Turonensis à Burgundia, cui præmittuntur epistola Fulconis Boni Andegavorum Comitis ad Odonem Abbatem, & ejusdem ad Fulconem responsum, à col. 113.

Tractatus ejusdem Odonis, quòd B. Martinus par dicitur Apostolis, col. 123. Hic & præcedens jam fuerant excusi in Bibl. Vet. Patrum.

Sermones quatuor. I. in Cathedra S. Petri, si tamen est Odonis, cùm sit consutus ex duobus S. Leonis sermonibus, tertio scilicet in die anniversario suæ assumptionis, & primo in natali S. Petri. II. In veneratione Sanctæ Mariæ Magdalenæ. III. De S. Benedicto Abbate. IV. De combustione Basilicæ B. Martini Turonensis.

Collationum seu Occupationum libri III. à R. P. Jacobo Sirmondo Societatis Jesu communicati. *Antiphonæ* XII. *De Beato Martino* Turonorum Archiepiscopo. *Ejusdem versus & Hymni*, de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, de B. Maria Magdalena, & de eodem S. Martino.

Ejusdem S. Odonis II. Cluniacensium Abbatis libri XXXV. Moralium in Job, studio & diligentia ejusdem Domini Martini Marrier Monasterii S. Martini de Campis Lutetiæ Parisiorum Professi è vetere ms. eruti ac in lucem post Bibliothecæ Cluniacensis editionem emissi sunt ex officina Nivelliana sumptibus Sebastiani Cramoisy anno 1617. in 8. Nec latet nos, inquit Andreas Quercetanus, alia multa scripsisse Patrum hunc, nempe librum de Translatione S. Benedicti, cujus meminit Aimoinus Monachus, alterum de Contemptu mundi, sicut testantur Gesta Pont. Lemovicensium, Chronicam succinctam sermonesque plures ac Hymnos, ut est Apud Trithemium: sed nullum adhuc invenire licuit qui vel aliquem eorum publici juris facere aut posset aut vellet, sicut nec vitam aliam ipsius Odonis, à Nalgodo discipulo suo scriptam.

De Lutiprando Ticinensi. 946.

LUITPRANDUS TICINENSIS Diaconus, & postea Cremonensis Episcopus, vir fuit multæ auctoritatis ob eruditionem, ac prudentiam. Functus est legatione nomine Berengarii Imperatoris ad Constantinum Imp. Græcum, anno Domini 946. cujus legationis ipse meminit: & extat historia hujus legationis apud Henricum Canisium tomo 6. antiquæ lectionis. Scripsit *historiarum libros sex de rebus gestis in Europa suo tempore*. Sed Card.

Card. Baronius tomo 10. Annalium ad annum Domini *963.* non sine causa suspicatur à capite sexto, sexti libri historiam non esse Luitprandi sed alicujus anonymi auctoris : id enim vidimus etiam in Rheginone, & in aliis, ut ab aliquo alio continuentur, & extendantur.

Dissertatio Historica.

Luitprandus, seu Luitbrandus aliave forma scripseris, perinde est, Ticinensis primùm Ecclesiæ Diaconus, dein Cremonensis Episcopus, à Berengario II. Imperatore seu Rege Italiæ cui à secretis fuisse dicitur, anno *946.* ad Constantinum Porphyrogenitum Imp. Orientis missus, eodemque postea anno *968.* iterum ab Othone Imp. legatus ad Nicephorum Phocam. Præter ea, quæ de se ipse sparsim memorat, videndi Sigebertus cap. *126.* Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis ubi mendosè Eutrandus Diaconus dicitur, & in Chronico Hirsaugiensi, ad ann. *992.* Baronius, Henr. Canisius, Vossius, Pennottus (*a*), & alii. Ejus opera omnia simul in lucem emissa sunt anno *1640.* Antuerpiæ in folio dicata Domino Gaspardo de Guzman Comiti Duci Olivarensi, hoc ordine.

I. *Rerum gestarum ab Europæ Imperatoribus & Regibus libri sex exordio ab Arnulfi Imperatoris temporibus sumpto* de quibus hæc intelligenda verba Sigeberti cap. *126.* Luitprandus Ticinensis Ecclesiæ Diaconus scripsit luculento & alterno stylo (idest partim soluta, partim stricta oratione) ad Regimundum Episc. Eliberitanæ Ecclesiæ Hisp. Historiam de gestis Regum & Imperatorum sui temporis, quam attitulavit Antapodosin, idest Retributionem. Ipsemet Auctor libro tertio *ἀντίδοσιν* vocat, additque intentionem illius operis ad hoc respicere, ut Berengarii II. qui tunc in Italia tyrannizabat, & uxoris ejus Willæ, quam secundam Jezabelem ac Lamiam vocat, actus designaret, atque ostenderet. *Sic igitur*, inquit, *præsens pagina Antidosis, hoc est Retributio dum pro calamitatibus meis τὴν ἀσέβειαν impietatem eorum præsentibus futurisque mortalibus denudavero. Nec minus etiam Sanctissimis & fortunatis viris pro collatis in me beneficiis Antidosis erit, &c.* Nec ab his aliena Trithemius in Catalogo aliique. Cæterùm rectè post Baronium Bellarminus, Vossius, aliique observarunt Luitprandi narrationem cap. 5. libri *6.* definitam desinere in descriptione prioris Legationis Const. quam ipsius Berengarii jussu obierat; Sextum verò, quæque sequuntur capita usque ad undecimum ab alio quopiam ejusdem ætatis scriptore fuisse Appendicis vice subjecta : quod & styli diversitas, rerumque, quæ narrantur, *ἀνακολουθία*, & Luitprandi Cremonensis Episcopi iterata sæpiùs mentio haud ægrè persuadent.

II. *Legatio ad Nicephorum Phocam Imp. Const. qui Romano Constantini Porphyrogeniti filio successerat*, suscepta anno *968.* pro Othonibus Augustis patre ac filio, & Adheleida Augusta hujus matre, illius conjuge. Primò in lucem edita fuit Ingolstadii apud Andream Angermarium anno *1600.* ex codice mss. Trevirensi opera Henrici Canisii.

III. *Liber de Pontificum Romanorum gestis à Sancto Petro Apostolorum Principe usque ad tempora Formosi Papæ.* Verùm liber hic jam antea editus ab anno *1602.* Moguntiæ cura R. P. Joannis Busæi Soc. Jesu cum Anastasii Bibliothecarii Pontificali, & Abbonis Floriacensis Abbatis Epitome de Vitis eorumdem Romanorum Pontificum, meritò suspectus est Vossio, cùm Auctorem habeat Monachum quemdam patria Germanum, Corbejæ ad Visurgim, aut Hersfeldiæ in Buchonia silva alumnum, qui exeunte nono sæculo vixerit sub Formoso circa annum *895.*

IV. *Chronicon assertum Luitprando*, quem ex portentosis *ὑποβολιμαίον* cujusdam Juliani figmentis Ecclesiæ Toletanæ Subdiaconum commenti sunt, tunc primùm in lucem editum P. Hieronymi de la Higuera Soc. Jesu, & Domini Laurentii Ramirez de Prado Consiliarii Regii ac militiæ D. Jacobi Equitis notis illustratum.

V. *Adversaria* ejusdem, ut volunt, Auctoris, tunc item primùm vulgata cum notis ejusdem Laurentii Ramiresii.

VI. Præsulum Epistolæ, quas collegit Scholiisque illustravit Julianus Archipresbyter Sanctæ Justæ, additis notis ejusdem Ramiresii: necnon Diptychon Toletanum, sive de Tabulis Toletanis Episcopórum Primatum ejus sedis, auctore eodem P. Hieronymo de la Higuera S. J.

Verùm ut dicam, quod res est, quodque omnes per Europam eruditione ac judicio eximii censent, *omnia illa Luitprandorum, Dextrorum, Maximorum, Helecarum, Julianorumque Hispanico-Gothica Chronica* cum quisquiliis Joannis Viterbiensis, & fabulis anilibus, aut Amadisiorum nugis, sunt in Utopiam Morboniamque insulam releganda : ut mirum sit Bivarios, Tamayos, Ramiresios, similesque viros, (nam de aliis, qui nec primis unquam eruditionis Historicæ elementis imbuti fuerunt, soloque vanæ opinionis ventoso fastu turgent, nihil mirum) *τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα τῶν ἀλαςόριον ἐκτρώματα*, non tantùm exosculari & magni facere, sed etiam pro iis, indignante quaquaversum universo orbe litterato, apologias conscribilare. Quæ obiter dicta velim, ne imperitæ multitudini fucum facere pergant homines, aut opipare creduli; aut certè, quod avertat Deus, plus mendacis cujusdam gloriolæ, quàm ingenuæ veritatis amantes. Plura dabunt Matthæus Raderus noster in Analectis ad tertiam editionem Commentariorum in Martialem, Gabriel Pennottus in Historia Canonicorum Regularium, Cornelius à Lapide proœmio in primam S. Joannis Epistolam, Theophilus in SS. Lugdunensium indiculo in Erotematis, &c. aliique, queis in læva parte mamillæ cor salit.

(*a*) Gretserus cap. 7. libri primi variarum Lectionum, ut omittam Hispanos recentiores, qui multa de eo effutiunt ex lutulentis quibusdam lacunis hausta, ut citati à nobis ultimò scriptores *φιλαληθέςατοι* meritò conqueruntur, quibus adjungi poterit Bollandus noster in Prolegomenis ad Januarium mensem.

De VVitichindo. 946.

Vitichindus Monachus Corbejensis ejusdem temporis auctor scripsit *libros tres de rebus Saxonicis, ubi res gestas Othonum Imperatorum describit.*

Dissertatio Historica.

Vitichindus, seu Witukindus, aut Windichinus, natione Germanus, Corbejæ Saxonicæ ad Wisurgium fluvium in Westfalia, quæ olim Saxonia Superior dicebatur, Monachus, familiæ Benedictinæ, diœcesis Paderbonensis, floruit teste Bell. ab an. *946.* vitamque protraxit usque ad annum 973. Quo autem obierit, planè non constat. De eo Sigebertus cap. *129.* de Viris Illustribus, & Chronici anno *973.* Adamus Bremensis lib. 2. cap. *6.* Gobelinus Persona Cosmodromii ætate sexta cap. *36.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annos *952.* & *954.* & in Catalogis Scriptorum

rum Ecclesiasticorum ac Virorum Illustrium Germaniæ, & Ordinis Benedictini, atque ex eo recentiores.

Libri tres de rebus Saxonum ad Mathildem Reginam filiam Othonis Augusti, sive de Henrici Aucupis Regis Germaniæ, ejusque filii Othonis I. Imperatoris rebus gestis usque ad annum 973. quo Otho ille obiit Feria quarta ante Pentecosten. Prodierunt primùm anno 1532. opera Martini Frechti typis Hervagii Basileæ, tum studio Reineti Reineccii Steinhemii Francofurti ad Mœnum an. 1577. & in Tomis Rerum Germanicarum anno 1580. apud Andream Wechelum. Ultimam adornavit editionem Henricus Meibomius, Lengoviensis, Academiæ Juliæ Professor emendatiorem cum luculentis notis, quæ instar justi Commentarii esse possint, Francofurti apud Aubrios anno 1621. in folio, addiditque, I. *Ejusdem Witichindi versus aliquot*, qui descripti in codice quatuor Evangeliorum reperti sunt in frontisterio illo Corbejensi, teste Joanne Letznero in vita Ludovici Pii Imp. cap. 19. II. *Panegyricum Rosevithæ monialis Gandersheimensis de rebus Ottonis Magni versu Hexametro conscriptum*. III. *Historiam erectionis Archiepiscopatus Magdeburgensis* per Joannem XI. Papam in Concilio Ravennatensi, & ex Chr. Magdeburgico. IV. *Tres Decades Diplomatum & Donariorum Ottonis Magni Imperatoris*. V. *Chronicon Monasterii Corbejensis*. VI. *Translationem SS. Viti & Justini Martyrum in Novam Corbejam, & de ejusdem Monasterii fundatione*.

De Stephano Æduensi. 950.

STEPHANUS ÆDUENSIS Episcopus scripsit *de Sacramento altaris; & iis, quæ ad illud pertinent*. Quod opus extat in tomo sexto Bibliothecæ sanctorum Patrum edit. secundæ, dicitur autem floruisse anno Domini 950.

Dissertatio Historica.

STEPHANUS, Augustodunensium Episcopus, hoc nomine primus, (*a*) Merigaldo successit anno 1112. & obiit circa annum 1130. Alter verò ejusdem nominis post Henricum Episcopus fuit ab anno 1169. usque ad 17. vel 29. Maji anni 1189. quo obiisse perhibetur.

Uter fuerit Auctor libri, sive *Tractatus de Sacramento Altaris, iisque quæ ad illud variosque Ecclesiæ Ministros pertinent*, qui extat in Bibliothecis Veterum Patrum, nemo facilè dixerit. Errasse tantùm mihi compertissimum est qui cum Joanne Garetio, Possevino, Bellarmino, Miræo, ac Coloniensibus aliisque ad annum 950. revocarunt.

(*a*) Norgaudo seu Nortgaldo Episcopo, sic enim corruptam à Typothecis vocem restituenda moneo, successit anno 1112. De eo Petrus Cluniacensis Abbas ep. 6. lib. 5. ad Humbertum de Balgiaco Archidiaconum Augustodunensem. Addat tibi stimulos veniendi *ad Religiosæ vitæ castra* venerabilis ille & cum honore nominandus Stephanus Æduensis Episcopus, avunculus, ut audio, tuus, qui spretis parentibus, nobilitate, fastu, divitiis, ipsis etiam Episcopalibus infulis abjectis pauperem Christum pauper sequutus est, & in Sancta devotione toto mentis affectu perdurans, atque inter manus meas extremum Deo spiritum reddidit cum veneratione tanto Sacerdoti congrua, tam à me, quàm à fratribus Cluniaci conditus est, & quæ sequuntur. Plura de eo utraque Gallia Christiana. Tractatum illum de Sacramento Altaris, & iis quæ ad illud pertinent, à Joanne Montolonio Æduensi Cantore anno 1517. primùm editum

A dicatumque Jacobo Huralto ejusdem urbis Episcopo omnes ferè quos vidi tribuunt huic primo Stephano, sed nondum vidi qui ratione aliqua id stabilire fuerit aggressus. Plura de utroque & nos aliàs dicturi sumus Deo dante in proprio Tractatu.

Supplementum.

STEPHANUS factus Augustodunensis Episcopus anno 1113. adfuit Concilio Tornutiensi anno 1117. itemque & unctioni Philippi filii Ludovici Crassi in Regem Franciæ, anno 1129. Unde posteà renuntians Episcopatui factus est Monachus Cluniaci sub regimine Petri Venerabilis, ubi mortuus est

B anno incerto. Scripsit *Librum seu Tractatum de Sacramento Altariis, & iis quæ ad illud variosque Ecclesiæ Ministros pertinent*, quem Joannes de Montolon Canonicus & Cantor Augustodunensis Ecclesiæ edidit anno 1517. unde in Bibliothecam SS. Patrum editionis primæ Parisiensis anno 1575. & in alias transiit. De Sthephano Augustodunensi Petrus Venerabilis in Epistola ad Humbertum Archidiaconum Æduensem ejus nepotem, quæ est sexta libri quinti, ubi testatur reddidisse spiritum Creatori inter manus suas: Sammarthani in Gallia Christiana tom 2. ubi de Episcopis Æduensibus.

De Bernero. 950.

C

Supplementum.

BERNERUS hoc obscuro sæculo moribus probatis, ac scribendi peritia Latinus, Monachus in cœnobio Sancti Remigii Rhemensis Ordinis Divi Benedicti. Hic eductus anno 948. è Remigiano apud Rhemos Archicœnobio, coloniam Monachorum duxit Humolarias in Veromandicis partibus ad restituendam Disciplinam Regularem, quæ Monialibus ob scandalum vel extinctis vel pulsis, pessum abierat. Præfectus Humolariensi Cœnobio Bernerus, mirum est quantum huic loco decorem ac bona contulerit, quippe sub eo nobilissimi viri Monasticen ampl-

D ecti gestierunt. Floruit autem & scientia in obscurissimo sæculo, quam testatus est scribens *Vitam Sanctæ Hunegundis Humolariensis Abbatissæ*, quam habes apud Joannem Mabillon sæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti. Item scripsit *Opusculum De Translatione corporis Sanctæ Hunegundis*, quod edidit idem Joannes Mabillon sæculo V. Sanctorum Ordinis ejusdem, pagina 214. in folio Parisiis anno 1685. apud Viduam Edmundi Martini. Anno 964. superstes florebat Bernerus, cùm alumnos suos ad Insulanum Quintiniani oppidi Monasterium dimisit, qui ejectis malesanis Clericis, Monasticas ibi leges instituerunt. Lucubratio Berneri de Sanctæ Hunegundis translatione, desinit in descriptione Miraculorum, quæ ante

E annum 965. patrata sunt. Vide dictum Mabillon in præludiis ad citata opuscula Berneri.

De Joanne Italo. 950.

Supplementum.

JOANNES natione Italus, patria Romanus, professione Canonicus, quem Sanctus Odo Abbas Cluniacensis Romam anno 939. profectus, secum inde adduxit Ticinum usque; ibique Monachum instituit ex lib. 1. Vitæ Sancti Odonis numeris 2. & 4. tum eum in peregrinationis socium assumens, deinde Priorem ordinavit, ut legitur non semel in libro 2. num. 4. 7. & 10. Cluniaci, an Romæ ad Sanctum Paulum quæ dubitatio oriri potest conferenti num. 10. & 21.

A & 21. Denique Joannes se Neapolim *Monasterii sui cogente necessitate missum* fuisse testatur num. 21. Biennium computat in lib. 3. num. 5. totum illud temporis spatium, quo Sancti Odonis socius fuit. Scripsit itaque *libris tribus Vitam Sancti Odonis Abbatis Cluniacensis*, mandans litteris quidquid vel ipse per istud intervallum de ejus dictis aut factis vidit atque audivit, vel postea ab aliis assequi potuit. Porrò cùm Sanctus Odo mortuus sit anno 942. vix ante annum 950. Opus istud compositum est, quod Joannes dedicat Salernitanis Monachis. Eamdem Odonis Vitam aggressus est circa annum 1120. Nalgotus Monachus Cluniacensis, redigens in Compendium melioremque ordinem, Joannicum Opusculum. Hæc autem habentur B in Bibliotheca Cluniacensi cum Notis Andreæ Duchesnii, & sæculo 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, per Joannem Mabillon pag. 124. & seqq. 150. & seqq.

De Frodoardo, & Flodoardo. 960.

FRODOARDUS ABBAS Rhemensis scripsit *Chronicon Rhemense ab anno Domini nongentesimo decimonono, usque ad annum nongentesimum sexagesimum sextum*: quo anno creditur obiisse. Extat cum aliis Scriptoribus rerum Gallicanarum ex Bibliotheca P. Pithœi Parisiis anno 1588. excusum: eodem etiam tempore scripti sunt libri quatuor Historiarum Ecclesiæ C Rhemensis à Flodoardo presbytero, quem nonnulli eumdem cum Frodoardo esse putant.

Dissertatio Historica.

FLODOARDUS, quem alii minùs rectè Frodoardum, Floardum aut Froardum vocant, Canonicus Rhemensis, & Culmisiacensis Presbyter, sive Parochus, obiit jam ætate provectus, die 28. Martii anno 966. Meminit ejus Sigebertus Gemblacensis, qui cap. 131. libri de Viris Illustribus, corruptè Flauvaldum Monachum Remensem vocat, Trithemius, qui Ordinem Sancti Benedicti adjecit, nec omittenda Miræi hallucinatio, qui asserit fuisse Abbatem Cœnobii Sancti Remigii ad urbem Rhemensem (*a*).

D *Chronicon suum* ab anno 917. inchoaverat, sed quod extat à V. C. Petro Pithœo primùm editum inter XII. Scriptores coætaneos, & ab Andrea Duchesnio deinde recusum, à fronte tribus quatuorve annis mutilum, perducitur ad annum usque 966. addita aliquot annorum Appendice.

Historia Antistitum Rhemensis Ecclesiæ, libris quatuor comprehensa usque ad annum 948. à R. P. Jacobo Sirmondo Soc. Jesu primùm Latinè edita anno 1611. (præcesserat jam ab anno 1580. ejusdem Historiæ versio Gallica, opera Nicolai Quercetani Decani Ecclesiæ S. Symphoriani in eadem urbe, quam Baronius in Latinam linguam, ut ea in Annalibus Ecclesiasticis E conscribendis uti posset, transferendam curavit, ut ipsemet fatetur) ac deinde à Georgio Colvenerio Doctore Sacræ Theologiæ, & Regio atque ordinario Professore, Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Petri præposito, & Academiæ Cancellario, amplissimis notis illustrata & publicata Duaci in 8. anno 1617.

Nondum verò, quod sciam, prodierunt in lucem metricè scripti, I. De Triumphis Italicis Martyrum & Confessorum libri 15. II. De Triumphis Christi & Sanctorum Palestinæ libri tres. III. De Triumphis Christi & rebus Antiochiæ gestis libri duo. Extitisse superiori sæculo mss. Treviris in summo Templo testis est, qui apud Miræum Henricus, apud Vossium Joannes dicitur, Bunderius, Dominicanus Gandensis. Audio quoque servari Claromonte in Arvernia apud RR. PP. Carmelitas Discalceatos.

(*a*) Idem quoque scripserat Georgius Colvenerius, qui notis Historiam Rhemensem illustravit, & in eamdem rem quosdam Gallicos versus ante tria quatuorve sæcula malè dedolatos refert. Verum esto, fuerit alicubi in eadem diœcesi Abbas, non tamen cœnobii Sancti Remigii. Ineptus ille Papissæ defensor Maresius sua parum referre ait, an Flodoardus Historiæ Rhemensis conditor idem sit cum Frodoardo, quem Bellarminus facit Abbatem Rhemensem & auctorem Chronici Rhemensis ab anno 919. ad annum 960. an diversus ab illo. Tanta est Ministri Calvinistæ in dijudicandis Scriptoribus patriis post Sirmondi, Duchesnii, alliorumque scriptiones ἀκρισία.

De Mose Barcepha.

MOSES BARCEPHA Episcopus Syrus, qui dicitur floruisse hoc sæculo, scripsit *librum de paradiso in partes duas divisum*, qui extat in primo tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum, edit. 2. est autem hic liber cautè legendus, quia non pauca affirmat contra veram theologiam.

Dissertatio Historica.

MOSES BARCEPHA, Episcopus Syrorum in Beth-Raman, & Beth Ceno, ac rerum Sacrarum curator in Mozal, sive Seleucia Parthorum, vixisse perhibetur sæculo Christi decimo circa annum 900. ideoque errare mihi non mediocriter videntur, qui cum Margarino Bignæo in secunda editione Bibliothecæ Veterum Patrum auctorem libri de Paradiso volunt esse Mosem illum Syrum sive Assyrium, quem Andreas Fabricius Leodius in Epistola sua ad Othonem Cardinalem Episcopum Prænestinum & Augustanum, Quæstionum suarum in Tridentinum Catechismum Nuncupatoria, Romam missum esse legatum ait Pontificibus Paulo III. & Julio III. ab Ignatio Syro Patriarcha Antiocheno cum litteris, quibus petebat, quid Sancta Romana Ecclesia teneret in quibusdam Fidei Christianæ capitibus, ac præterea, ut recognosceret summam utriusque Pontificis Maximi in Orbem Christianum potestatem, anno circiter 1550. Verùm is Moses Mardenus fuit, de quo in alia Dissertatione, Deo dante, plura venient observanda. Interim quæ ad nostrum institutum propiùs spectant, exequamur.

Mosis Barcepha de Paradiso Commentarius in Partes tres divisus, interprete ex Syriaca lingua in Latinam Andrea Masio Bruxellensi, qui & præfationem præmisit, in qua multa de Nestorianis, Jacobitis, Maronitis, & Coptis aperit scitu dignissima, Antuerpiæ ex officina Plantiniana anno 1569. in 8. & in Bibliothecis Veterum Patrum Parisiensibus & Coloniensi.

Addidit I. S. Basilii Cæsariensis Liturgiam ex vetustissimo codice Syriaca lingua scripto. II. Professiones Fidei duas: alteram Mosis Mardeni Jacobitæ legati Patriarchæ Antiocheni, ex ipso profitentis autographo versam: Sulacæ sive Siud Nestoriani designati Patriarchæ Nestorianorum alteram. III. Epistolas duas populi Nestoriani ad Pontificem Romanum, quarum altera ex Seleucia Parthorum: altera ex Jerusalem scripta est. IV. ejusdem Mosis Mardeni Theologicam contemplationem de Sancta Trinitate scriptam ab ipso anno 1552.

De

De Fridegodo. 960.

SUPPLEMENTUM.

FRIDEGODUS natione Anglus, Diaconus, floruit juxta Possevinum circa annum 960. & scripsit Carmine *Vitam sancti Vvilfridi Eboracensis Archiepiscopi*, qui obiit anno 709. die 12. Octobris, quam retulit Joannes Mabillon, sæcul. 3. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tom. 1. pag. 169. ex fide manuscripti Codicis. Supplementum autem Carminis Fridegodi ex manuscripto Bibliothecæ Cottonianæ legitur sæculo 4. Sanctorum ejusdem Ordinis tom. 1. pag. 722. Scripsit etiam alia Opuscula, de quibus Antonius Possevinus in Apparatu sacro tom. 1. pag. 601. quæ an alicubi impressa sint, vel manuscripta lateant, hactenus rescire non potui.

De Adsone Monacho. 960.

SUPPLEMENTUM.

ADSO cognomine *Hermiricus*, post medium sæculi x. Monachus & Abbas Luxoviensis in Burgundia, post Ralonoum Abbatem, scripsit circa annum 960. *Librum de Miraculis sancti Vvaldeberti tertii Abbatis Luxoviensis*, quem edidit Joannes Mabillon sæculo tertio Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, tom. 1. pag. 451. & sequentibus, ubi in præludiis de Adsone Luxoviensi loquitur.

De Attone secundo. 960.

SUPPLEMENTUM.

„ ATTO nomine *Secundus* Aldegarii filius (inquit Ferdinandus Ughellus in Italia sacra) „ Episcopus Vercellensis fuit ab anno 945. doctissimus Theologus & Canonista, plura sui ingenii „ doctrinæque monimenta reliquit, quæ continentur „ in antiquo Codice manuscripto, in Vaticana Bibliotheca ac Vercellensi Archivio, &c. *Canones* „ cursùs, *Statutaque Vercellensis Ecclesiæ* eruta è Conciliis, Epistolisque Decretalibus, quod Opus in „ centum Capita aptè distinxit. Item De pressuris „ Ecclesiasticis Opus in tres partes divisum, quarum „ prima est *De Judiciis Episcoporum*. Secunda *De Ordinationibus eorumdem*. Tertia *De Facultatibus Ecclesiarum*. Hujus temporibus *Hugo & Lotharius* Reges Vercellensem Ecclesiam exornarunt, &c. Attonis Opera vir clarissimus Joannes Bona Generalis Abbas reformatæ Congregationis Sancti Bernardi, seu Fuliensium in Italia ex manuscripto Codice Vaticano num. 4322. eruit, describi curavit Romæ anno 1664. atque ad Lucam Dacherium Monachum Benedictinum transmisit, qui ea inseruit tomo 8. à pagina 1. ad 138. Spicilegii sui. Et sunt *Capitulare seu Capitula Attonis Episcopi*, *liber de pressuris Ecclesiasticis*, *atque Epistolæ variæ*. In iisdem autem Codicibus, tam Vaticano quàm Vercellensi, erant præterea Sermones septemdecim De diversis Argumentis, & Polypticus, quem *perpendiculum appellat*, quo noxia redarguere & honesta sancire decet, cum Scholiis. Sed quia vix legi possunt, ideò transcripti non sunt. Est autem dolendum, quòd manuscriptus Codex Vaticanus, lacunis pluribus in foliis laboret, unde integer omnino sanusque haberi non potuit, nec sanari etiam collatione manuscripti Codicis Vercellensis, quem denegarunt Canonici. Floruit Atto usque ad annum 960. & ultra, de quo Dacherius in prologo ad octavum tomum Spicilegii.

De Rotgero Monacho. 960.

SUPPLEMENTUM.

ROTGERUS Monachus sancti Pantaleonis, Ordinis Divi Benedicti in Urbe Coloniensi, eloquenti stylo litteris mandavit *Vitam sancti Brunonis Coloniensis Archiepiscopi*, qui scriptionem suam Folcmaro Archiepiscopo Brunonis successori nuncupavit circa annum 970. Cùm enim Bruno mortuus sit anno 965. Rhemis; quarto Idus Octobris, in reditu à Conventu Compendiensi, ubi nepotes suos, idest, Lotharium Regem, & Hugonis Magni filios ab invicem dissidentes ad concordiam revocavit: vix ante annum 670. hanc scriptionem notare possumus. Habes Opusculum istud apud Surium ad diem 11. Octobris, de quo mentionem faciunt Trithemius *De viris Illustribus Ordinis Divi Benedicti*, Sigebertus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 130. Ægidius Aureæ-Vallis Monachus cap. 34. *De gestis Episcoporum Leodiensium*, & plenissimè Joannes Mabillon sæculo 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 334. in præludiis ad Translationem sancti Maurini Abbatis & Martyris, ubi de rebus gestis sancti Brunonis Coloniensis Episcopi.

De Ratherio Monacho. 960.

SUPPLEMENTUM.

RATHERIUS Monachus Laubiensis doctus, multas passus est antequam è vivis excederet, fortunæ injurias, quam sibi ferè semper iratam, doctrina sua compescere adversam non potuit. Factus Veronensis in Italia Episcopus, quam institutionem in Sede Veronensi ad annum 928. refert Sigebertus, à quo *Vir miræ simplicitatis*, *sed experientia Liberalium Artium nominatus*, dicitur: & à Luitprando libro 3. cap. 11. *ob Religionem*, *septemque Liberalium Artium peritiam Veronæ Episcopus creatus*. Post modicam tranquillitatem Hugone Rege persequente, Verona decedens, Laubias professionis suæ locum secessit, ubi electus Leodiensis Episcopus. Inde Veronæ restituitur, Verona iterùm exul solvit, mirasque patitur (ut verbo loquar) vicissitudines rerum. Scripsit multa Ratherius, quæ ferè omnia habentur tomo 2. Spicilegii Lucæ Dacherii Monachi Benedictini, pag. 161. præter Epistolam ad Patricium *De Corpore & Sanguine Domini*, quæ in tomo 12. pag. 37. dicti Spicilegii evulgata est. Obiit Namurci anno 974. de quo pluribus agit Folcuinus Abbas Laubiensis in Chronico. Ejus autem Scripta ac laudes plurimis prosequitur Joannes Mabillon sæculo 5. Sanctorum Ordinis D. Benedicti pag. 478. ubi ejus Elogium historicum amplissimè contexuit.

De Adsone Monacho. 980.

SUPPLEMENTUM.

ADSO Monachus Divi Benedicti, postea Dervensis Abbas factus, circa annum 980. insigni Litteratura, & in temporalibus œconomia refulsit, cujus laudes abundè exequitur pag. 849. Auctor libri *Miraculorum sancti Berchariì* Abbatis Dervensis, quem evulgavit Joannes Mabillon sæcul. 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pagina 844. ibi num. 11. *Postmodum excedente vita Domno Alberico*, *Adso Abbas effectus*, *Basilicam Sanctorum à Beato Bercherio quondam extructam parvissimam reputans*, *maximi Templi fundamenta jecit*: *duas Villas Drejam*, *& alteram quæ* voca-

A *vocatur Puellare-Monasterium incuria antecessorum amissus, Cœnobio recuperavit, &c.* Scripsit *Vitam S. Bercharii*, quæ habetur sæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 831. *Gesta quoque Sancti Basoli Confessoris*, quæ ibidem pag. 67. *Translationem & Miracula ejusdem sancti Basoli*, quæ sæculo 4. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tom. 2. pag. 137. Item *Vitam sancti Frodoberti Abbatis primi Cellensis* propè Trecas, quam habes sæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 626. cum *Historia Translationis Reliquiarum ejusdem sancti Frodoardi*, sæculo 4. istorum Sanctorum tom. 2. pag. 243. Denique *Vitam Mansneti primi Tullensium Episcopi*, quam nescio an edita sit. Mortuus est Adso anno 992. de quo in præludiis suis ad dictas legendas Joannes Mabillon.

De Gerardo. 980.

SUPPLEMENTUM.

GERARDUS (qui hucusque anonymus fuit) sancti Udalrici Episcopi Augustani Capellanus, & Presbyter ab illo ordinatus, primus circa annum 980. Scripsit *Vitam hujus sancti Episcopi libris duobus*, ipse oculatus testis plurimorum quæ scribit. Anonymum edidit Marcus Velserus Reipublicæ Augustanæ Duum-Vir clarissimus Augustæ Vindelicorum anno 1595. in 4. Sed Auctoris nomen exprimit manuscriptus Codex Monasterii sancti Emmerami Ratisponensis, ante annos quingentos scriptus, in quo hæc Vita reperitur sub titulo post Capitulationes ita expresso: *In nomine Domini incipit Vita sancti Udalrici Episcopi & Confessoris Christi, edita à Gerhardo, qui ab eo fuit Presbyter ordinatus.* Gerardum itaque imposterum licebit appellare Anonymum, qui nescio an idem cum Gerardo Udalrici Capellano, de quo in Vita num. 63. seu Præposito num. 70. atque Presbytero n. 83. Hos Gerardi Libros de Vita & Miraculis sancti Udalrici cum simplici stylo scriptos legisset Gebehardus Augustanus Episcopus, eos novo Orationis genere expolire aggressus est, ut ipse in prologo suo testatur: sed morte præventus, opus perficere non potuit. Fuit is ab sancto Udalrico Episcopus IV. Liutolfo post septem Regiminis annos succedens anno 995. moriens anno post millesimum secundo. Hanc Gebehardi Commentationem edidit Velserus cum aliis multis *ad Udalricum* spectantibus, anno & loco præcitatis; Gerhardi Opus iterùm obtulit sub nomine proprii Auctoris Joannes Mabillon sæcul. 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, pag. 419. & seqq. *De Gerardo Presbytero & Gebehardo Episcopo*, ambobus sancti Udalrici laudatoribus, eodemque tempore viventibus, citatus Mabillon in Observationibus præviis ad Vitam sancti Udalrici pag. 415. Bollandistæ suis temporibus ad diem 4. Julii.

De Joanne Monacho. 980.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES primùm Monachus, & Joannis Abbatis Gorziensis discipulus postea Abbas sancti Arnulfi Metensis Ordinis Divi Benedicti, floruit sæculo Christi 10. sub Adalberone Metensi Antistite, scripsitque *Vitam sanctæ Glodesindis Abbatissæ Metensis, atque hujus Translationem libris duobus*: quorum primus *De Vita sanctæ Glodesindis*, habetur sæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 1087. Alter *De Translatione ejusdem*, quæ an. 830. contigit, habetur sæculo quarto Sanctorum ejusdem Ordinis Divi Benedicti, parte seu tomo 1. pagina 435. Item *Vitam sancti Joannis Abbatis Gorziensis*, ex mandato Deoderici seu Theoderici Metensis Episcopi, qui ab anno 964. ad annum 984. Metensi Ecclesiæ præfuit. Idem Auctor Joanni morienti inter alios adfuit, ut ipse testatur in prologo num. 2. ubi se ex alio Monasterio Gorziam accitum dicit. Et quidem sub Ansteo Abbate vixit in Metensi sancti Arnulfi Monasterio ex num. 66. unde Gorziam tunc accessisse dicendus est, jam tum Abbas. Siquidem inter Abbates, quos Joannes morti proximus advocavit, unum se nominat. Contigit mors Joannis Abbatis Gorziensis anno 973. die Februarii 27. cujus Vitam ab nostro Joanne scriptam habes apud Bollandum ad diem dictam Februarii tom. 3. & apud Joannem Mabillon sæculo 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 363. ubi in Observationibus præviis de hoc Jo- B anne Abbate S. Arnulfi agit.

De Helperico Monacho. 980.

SUPPLEMENTUM.

HELPERICUS Abbatiæ sancti Galli in Helvetia Monachus & Decanus, scripsit an. 975. ad Asprum *Tractatum de Computo Ecclesiastico*, quem habes manuscriptum in Bibliotheca Viconiensi Ordinis Præmonstratensis, Buciliensi ejusdem Ordinis in Bibliotheca Sancti Germani de Pratis Parisiensibus, atque editioni habet paratum Joannes Mabillon, C de quo ipse agit tomo 1. Analectorum, pag. 113. & seqq. Creditur vixisse Hilpericus usque ad annum 1000. & ultra, cùm in certis exemplaribus ejus computus designet annum 1005. at in quodam manuscripto S. Germani, annus computi præsens designatur 975.

De Rosvveita Sanctimoniali. 980.

SUPPLEMENTUM.

ROSVVEITA seu *Rosvveidis*, Gandersheimensis in Germania Sanctimonialis, clara natalibus, sed clarior in obscuro sæculo ob liberales in D sexu fœmineo Disciplinas, quæ tunc à viris aberant, claruit anno circiter 980. de qua Joannes Vossius De Historicis Latinis lib. 2. cap. 41. Scripsit soluta oratione *Vitam sancti Vvillibaldi Eistetensis Episcopi*. Itemque *Vitam sancti Vunebaldi primi Heidensheimensis Abbatis*, quas Surius habet in Vitis Sanctorum, Henricus Canisius in tomis Antiquarum Lectionum, Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 2. pag. 176. & seqq. 365. & seqq. Scripsit pariter *Carmine Elegiaco Martyrium sancti Gangulphi Martyris, sanctorum Dionysii & sociorum, & sancti Pelagii*, & alia, quæ in folio impressa Nurembergæ anno 1501. cura & studio Conradi Celtii. Denique, *Panegyricum Othonis primi Im-* E *peratoris Carmine heroico, ad preces Othonis secundi, & mandatum Gerbergæ Abbatissæ suæ*, impressum cum Historia Vitikindi Francofurti in fol. anno 1621. apud Aubrios. Itemque in Collectione Scriptorum Germaniæ per Justum Reuberum, impressa Francofurti in fol. anno 1584. pag. 181. & sequentibus.

De Hartmanno Monacho. 980.

SUPPLEMENTUM.

HARTMANNUS Monachus sancti Galli, clarus circa annum 980. scripsit *Vitam sanctæ Vviboradæ Virginis & Martyris, reclusæ apud sanctum Gallum*, quæ anno 925. die 2. Maji mortua dicitur, quam primus in lucem protulit Godefridus Henschenius

nius ad diem 2. Maji mensis, atque doctis, ut solet, Commentariis illustravit. Idemque Hartmanno subjecit etiam *Hepidanni libros duos*, alterum *De Vita*, alterum *De Miraculis*, quos Melchior Goldastus antea ediderat, in Collectaneo veterum aliquot Rerum Germanicarum Scriptorum, edito in fol. Francofurti anno 1606. Opus autem *Hartmanni de sancta Vviborada* iterum impressum sæculo 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pagina 42. cum Observationibus præviis ab Joanne Mabillon Monacho Benedictino.

De Gerberto Monacho. 990.

SUPPLEMENTUM.

GERBERTUS Monachus primùm Aureliacensis claruit anno 990. & sequentibus, factus postea anno 992. Regio favore Rhemensis Archiepiscopus, inde Imperatoria gratia anno 997. Archiepiscopus Ravennatensis demùm anno 999. Romanus Papa sub nomine Silvestri secundi. Doctus fuit maximè in Artibus Mathematicis, quas cùm cæteri hoc tempore ignorarent, magiæ insimulatus est ab Auctoribus sequentis sæculi, Summorum præsertim Pontificum inimicis. Scripsit *Epistolas plures* Parisiis impressas anno 1611. in 4. ex manuscripto Codice Papirii Massoni; curis ac diligentia Joannis Massoni ejus fratris. Item Opusculum cui titulus, *Disputatio Christianorum & Judæorum Romæ habita*, impressum Romæ anno 1544. in 4. Item *Commentarium in locum aliquem Porphirii ad Othonem Imperatorem*, quem recenset Joannes Mabillon tom. 1. suorum Analectorum. Ejusdem Gerberti *Geometria & Rithmomachia* mſ. in 4. in Bibliotheca olim Thuanea, nunc Colbertina. Sed *Rithmomachiæ* vetustus liber editus cum quatuor libris idiomate suo Germanico *De Lusu Schaccorum*, Lipsiæ anno 1616. in fol. à serenissimo Duce Brunsvvicensi & Luneburgensi, sub nomine Gustavi Seleni, quæ editio rara hodie habetur. Edidit in 4. Romæ an. 1629. Abraham Bzovius Ord. FF. Prædicatorum, *Vitam sancti Adalberti Pragensis Episcopi* sub nomine Silvestri secundi qui Gerbertus est: sed Bollandistæ qui eam recuderunt tom. 3. mensis Aprilis ad diem 29. pag. 178. rectè observarunt ipsam non esse Silvestri secundi, unde Anonymam reliquerunt. Idem censet Joannes Mabillon in Observationibus præviis ad eamdem Vitam, quam edidit sæculo 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 846. etiam Anonymam.

De Fulcuino Monacho. 990.

SUPPLEMENTUM.

FULCUINUS Monachus Laubiensis, factus est hujus loci Abbas post mortem Aletranni doctissimi viri anno 965. Dominicæ Incarnationis, qui de sua promotione sic loquitur in Chronico Laubiensi: *Post hæc Dominus Evrardus* (nimirum Leodiensis Episcopus, cujus Ditionis Laubium est) *Folcuinum verè peccatorem, sed & ætate juvenem Laubiensibus præfuit Abbatem*. Abbas factus non otio, sed Litteris operam dedit, variaque composuit, nempe *Chronicon Abbatum Laubiensis Cœnobii* non contemnendum, quod impressum legitur tomo 6. Spicilegii Lucæ Dacherii, *Opusculum De Miraculis sancti Ursmari suo tempore factis*, apud Continuatores Bollandi de Vitis Sanctorum ad diem 18. Aprilis. Demum *Vitam Folcuini Tarvanensis Episcopi*, quam edidit Joannes Mabillon in Actis Sanctorum Ordinis Divi Benedicti sæculo quarto, tomo seu parte 1. pagina 622. Obiit anno 990. in Abbatia sua Laubiensi; de quo multa ipse in suo Chronico loquitur, dum de rebus suo tempore gestis, Lucas Dacherius in præludiis ad tomum 6. Spicilegii, Antonius Possevinus in Apparatu sacro tom. 1. pag. 573. verbo *Folcuinus Monachus*.

De Letaldo Monacho. 990.

SUPPLEMENTUM.

LETALDUS Miciacensis Monachus, scripsit *Librum De Miraculis S. Maximini Abbatis Miciacensis*, quem edidit Joannes Mabillon sæculo 1. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, pagina 598. Atque hunc Letaldum eumdem esse putamus qui expolivit *Vitam sancti Juliani Cenomanensis Episcopi*, etsi Possevinus hunc Monachum Cenomanensem existimat. In illis miraculis seriem Episcoporum Aurelianensium, Abbatumque Miciacensium inserit Letaldus, qui tempore Ermenthei & Arnulphi Episcoporum, atque An-n-onis Abbatis sub finem sæculi 10. se vixisse testatur cap. 11. & seqq. distinguendus à Letaldo altero Abbate Miciacensi, de quo iste agit capite 4. Hæc Joannes Mabillon loco citato pag. 580. in Observationibus præviis ad Vitam sancti Maximini Abbatis Miciacensis, sæculo 2. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*.

De Dudone Decano. 990.

SUPPLEMENTUM.

DUDO Collegialis Ecclesiæ Sancti Quintini in Veromandia Decanus, scripsit circa annum 996. *Libros tres De rebus gestis Normannorum*: Opus impressum in Collectaneo Historicorum Normanniæ, opera Andreæ Duchesnii anno 1619. Parisiis in fol. apud Sebastianum Cramoisy, via Jacobæa, sub Ciconiis: de quo mentionem facit Aubertus Miræus in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis*.

SÆCULUM XI.

Ab anno Dom. 1000. ad 1100.

De sancto Fulberto Carnotensi.

SANCTUS FULBERTUS Episcopus Carnotensis ad initium hujus sæculi floruit. Obiit autem anno 1028. teste Card. Baronio in Annalibus tomo 11. ad hunc annum. Scripsit *epistolas multas ad diversos*, quarum plerasque ponit idem Card. tomo undecimo. Extat etiam *una ad Adeodatum de Sacramento Eucharistiæ adjuncta libro Paschasii Corbejensis*. Scripsit quoque *librum de officiorum Ecclesiasticorum varietate*, quem invenies in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 3. edit. 2. Extant *epistolæ & alia opera ejus* impressa Parisiis in octavo, anno 1608.

DISSERTATIO HISTORICA.

FULBERTUS, liberalium artium suo tempore peritissimus, religiosus vir, & erga Beatam Viginem devotissimus, ut testatur, qui ab eo suum de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus Auctarium auspicatur Henricus Gandavensis, Carnotensem Episcopatum obtinuit ab anno circiter 1007. usque ad diem 10. Aprilis anni 1028. vel 1029. quo obiit, & sepultus est in æde Sancti Petri de Valle. In versibus Epitaphio ejus adjectis dicitur præfuisse annis 21. ac dimidio.

Bis denos annos, atque unum dimidiumque,
Virgo Maria tua præfuit Ecclesiæ.
Ingressurus erat Phœbus post lumina septem
Taurum, cùm mœstum deseruit populum.

Fueritne Roberti Regis Franciæ Cancellarius, disseruimus abundè in nostro Gallico Syntagmate de Cancellariis Franciæ. De eo plura dabunt Glaber Radulfus libri 4. cap. 4. Ademarus à nobis editus Tomo II. Novæ Bibliothecæ mss. librorum, unde excerptum Fragmentum Hist. Aquitaniæ apud Pithœum & Duchesnium, Willelmus Malmesburiensis lib. 2. cap. 11. & lib. 3. de Gestis Anglorum, Chronicon Malleacense, Petrus Damianus in vita Sancti Odilonis, Adelmannus Brixiensis in epist. ad Berengarium, & ex recentioribus Jo: Trithemius, Sixtus Senensis, Baronius, aliique. Varia ejus opera Parisiis anno 1608. & Coloniæ Tomo XI. Bibl. edita sunt ex mss. codicibus opera Caroli de Villiers Doctoris Theologi Parisiensis, hoc est:

Epistolæ, tum ejus, tum quorumdam aliorum, n. 134. *Sermones, Canones, Prosæ, Hymni, & aliquot versus*, cum pauculis editoris notis seu conjecturis.

Extat quoque à Fulberto scripta *S. Autberti Cameracensis Episcopi vita*, apud Surium die 13. Decembris, rogatu Gerardi I. Cameracensis Episcopi, ut docet Baldricus Noviomensis Episcopus cap. 77. libri primi Chronici Cameracensis & Atrebatensis.

A

De Notkero Leod. Episc. 1000.

SUPPLEMENTUM.

NOTKERUS sive *Notgerus*, patria Teutonicus, Leodiensis Episcopus, successit Evrardo anno 972. qui unctus ac confirmatus à Gereone Coloniensi Archiepiscopo, magna cura Urbem Leodiensem ornavit, cujus alter fundator appellatus est. De eo ita Albericus in Chronico: *Nothegerus vir Sanctus Leodiensis Episcopus ordinatus, 36. annis præfuit. Hic Urbem muro circumcinxit, majorem Ecclesiam corpore Sancti Lamberti insignitam à fundamento renovavit, partem quoque fluminis Mosæ circa Insulam venire fecit; Castrum formosum Capre-Montem Urbi nimis contrarium, ex toto cum Ecclesiis suis destruxit.* Nec scientia defuit

B

Notgero Episcopo, qui composuit *Vitam Sancti Landoaldi Presbyteri*, quam habes apud Surium & Bollandistas ad diem 19. Martii. Itemque *Vitam Sancti Remacli* Trajectensis seu Tungrensis Episcopi an. 664. die tertia Septembris mortui, quam habes apud Surium die eadem. Hic Othonis III. Imperatoris gratia plurimùm valuit, Episcopali Palatio instaurato, transiit ad alteram Vitam 4. Idus Aprilis in Cœna Domini an. 1007. humatus in Ecclesia Sancti Joannis Evangelistæ, in qua Canonicorum institiut Collegium. Qui plura cupit, legat Joannem Chapeavillum in tribus tomis quos evulgavit *De*

C

Episcopis ac rebus gestis Leodiensibus, ubi multa de Notgero extant.

De Harigero Monacho. 1000.

SUPPLEMENTUM.

HARIGERUS primùm Monachus, postea Abbas Laubiensis Ord. Divi Benedicti post Fulcuinum allegatum factus an. 990. quam Ecclesiam piè ac prudenter gubernavit per annos septemdecim. Hic est ex antiquioribus, qui scripsit *Historiam de Episcopis Leodiensibus*, quam evulgavit cum aliis ejusdem Dictionis Historicis anno 1613. Joannes Chapeville Canonicus & Vicarius in Spiritualibus ejus-

D

dem Episcopatus. Unum etiam *Librum De Corpore & Sanguine Domini*, quem vidi manuscriptum sub nomine Harigeri, in Bibliotheca Signiacensi Ordinis Cisterciensis in Archiepiscopatu Rhemensi, quemque Anonymum evulgavit Ludovicus Cellot Societ. Jesu Theologus; ad Calcem Historiæ Gottescalci Prædestinatiani, quam edidit in folio Parisiis anno 1655. Sebastianus Cramoisy. Item *Vitam Sanctæ Berlendis Virginis*, Merbecæ in Belgio, quam ediderunt Bollandus ad diem 3. Februarii, & Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Benedictini tomo 1. pag. 14. & sequentibus, correctiorem & Auctori suo assertam. Denique *Libros quatuor de Vita & Miraculis Sancti Ursmari* Carmine inculto ac barbaro, præloque indignos, de quibus tamen Bollandistæ in Vitis Sanctorum ad diem 18. Aprilis, quos vidi manuscriptos in Bibliotheca S. Vitoni Virdunensis. Floruit

eodem

eodem tempore quo Notgerus, obiitque eodem anno 1007. die 31. Octobris. Plura dabunt Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, verbo *Herigerus*, ubi tamen pessimè sentit de ætate Herigeri, quem ad an. 590. collocat, nisi mendum sit Typographi pro 990. quod facilè crediderim. Sigebertus in Catalogo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 128. Aubertus Miræus in Scholio ad dictum Sigeberti Caput. Non omittendus Ægidius Vvaulde, qui anno hujus sæculi 1628. Vitam Sancti Ursmari & Historiam ejusdem Monasterii Laubiensis evulgavit, collectam ex veteribus Monumentis Laubiensibus, vicinarumque Ecclesiarum ac Monasteriorum.

A

De sancto Odilone Abbate. 1010.

SANCTUS ODILO Abbas Cluniacensis scripsit *vitam sancti Majoli Abbatis prædecessoris sui.* Item *vitam sanct Adheleidis Reginæ & epistolas aliquot, & sermones de præcipuis anni festivitatibus*, quæ omnia Parisiis excusa sunt in Bibliotheca Cluniacensi.

B

Dissertatio Historica.

SANCTUS ODILO, Arvernus patria, è nobili Mercoriensium stirpe prognatus, ex Clerico Brivatensi Monachus, Sancto Majolo Cluniacensi Abbati die 11. Maji anni 994. defuncto suffectus Abbas, Sanctissimam illam Congregationem annis 56. feliciter rexit usque ad primum diem Januar. quo obiit anno 1048. secundùm Gallis per ea tempora usitatum calculum, aut 1049. more Romano Indict. non prima sed secunda à Septembri currente ætatis 87. De eo Petrus Damiani S. R. E. Cardin. qui vitam ejus scripsit, Fulbertus Carnotensis, Glaber Radulfus, & Ademarus S. Eparchii Engolismensis Monachus, qui eadem ætate vixerunt, Hugo Abbas Flaviniacensis à nobis ante biennium Tomo I. Novæ Bibliothecæ mss. librorum editus, Sigebertus, Petrus Blesensis, Lupoldus Bambergensis, Joannes Trithemius, Baronius, Vossius, aliique. In Bibliotheca Cluniacensi anno 1614. edita Parisiis studio & cura Domini Martini Marrier Monachi S. Martini à Campis & Andreæ Duchesnii Turonensis, extant hæc Odilonis opera.

C

D

Vita S. Majoli Abbatis decessoris sui, col. 279. *Hymni quatuor de eodem S. Majolo*, col. 291. *Epistolæ aliquot S. Odilonis ad Fulbertum*, & Fulberti, ac aliorum ad Odilonem, col. 349.

Vita S. Adheleidis Imperatricis cum libro de ejusdem miraculis, col. 353. ex Antiquæ Lectionis Henrici Canisii Tomo V. Hæc autem primùm Lotharii Regis Italiæ uxor, ex quo Emmam Francorum Reginam peperit; deinde Othoni I. Germaniæ Regi ac deinde Imperatori nupta, Othonis II. mater extitit, vixitque usque ad diem 16. Decembris anni 999. *Sermones de Festis Domini, B. Virginis ac Sanctorum numero* 14. col. 371. Statutum ejusdem Sancti Odilonis Abbatis *de defunctis*, extat col. 338.

E

De sancto Burchardo Vormaciensi. 1010.

SANCTUS BURCHARDUS, Episcopus Vormaciensis eodem tempore vixit, & anno 1026. Obiit sanctè, & religiosè, ut semper vixerat. Scripsit *viginti libros decretorum ex Conciliis, & Pontificibus, ac sanctis Patribus.*

Dissertatio Historica.

SANCTUS BURCHARDUS urbis Vangionum, quę dicitur Vormatia ad Rhenum sita, Episcopus ex Monacho Lobiensis Cœnobii in diœcesi Leodiensi. Obiit an. 1026. die 14. Oct. ex R. M. Is. Osberto Abbate suo viro undequaque doctissimo collaborante edidit ex Conciliis, Pontificibus, & Catholicis Patribus.

Magnum volumen Canonum libris 20. quod extat Coloniæ 1548. à Melchiore Novesiano, & postea Lutetiæ Parisiorum excusum apud Joannem Petitum, & Foucherum. De eo vide Sigebertum tum in Chronico ad annum 1008. tum cap. 141. de Viris Illustribus. In Jurisconsultorum Indice apud Simlerum malè scribitur Bruccardus Lambiensis, pro Burchardo Lobiensi Monacho, & postea Vormatiensi Episcopo.

De Megenfrido Monacho. 1010.

Supplementum.

MEGENFRIDUS, aliis MEGINFRIDUS, sive MEGINFREDUS, natione Germanus, Monachus Fuldensis sub Othonibus secundo & tertio Imperatoribus, scripsit *Vitam Sancti Emmerami Ratisponensis Episcopi*, circa annum 1010. quam dedicavit Arnolfo Comiti Vogburgensi, tum postea Monachi in Abbatia Sancti Emmerami in Urbe Ratisponensi, quam habet Henricus Canisius tomo 2. Antiquarum Lectionum. Idem Megenfridus scripserat Historiarum libros 24. quos Joannes Trithemius citat in Vita Sancti Maximi Episcopi Moguntini, quæ extat tom. 6. die 18. Novembris, quos intercidisse credimus. Vixit an. circiter 1010. de quo plura Canisius loc. cit. Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* tom. 2. pag. 101. ac Scriptores *De Episcopis Ratisponensibus.*

De Syro Monacho. 1010.

Supplementum.

SYRUS Monachus Cluniacensis, Sancti Majoli Abbatis hujus Sancti loci Discipulus, quem postea merita extulerunt ad regimen Anonymæ Abbatiæ, scripsit circa annum 1010. *Vitam Sancti Majoli Abbatis Cluniacensis libris tribus ad Sanctum Odonem Cluniaci pariter Abbatem*, ejusdem Majoli successorem. Ait autem id operis à se susceptum fuisse, flagitante Vvarnerio Sanctæ Recordationis Monacho, qui Syro misso in Italiam ante perfectum opus, ipse in Alsatiam directus, opus imperfectum detulerat, quod ab Syro reverso postea completum est. Opus istud mixtum variis Carminibus ac Interpolamentis ab Aldebaldo Monacho, ediderunt Bollandistæ ad diem 11. Maji mensis, sed purgatum ab extraneo omni Joannes Mabillon sæculo 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 786. erutum ex manuscripto Codice Collegialis Ecclesiæ S. Martialis apud Lemovices. Habet nonnulla de Syro isto in Elogio historico Sancti Majoli cap. 1. pag. 760. ubi agit de Scriptoribus ejusque Laudatoribus, idem Mabillon loco citato.

De Bernone. 1014.

BERNO ABBAS Augiensis vixit eodem tempore. Ipse enim in libro de rebus ad Missæ officium pertinentibus cap. 2. testatur, se interfuisse coro-

coronationi Henrici primi Imp. quæ facta est à Benedicto Papa VIII. anno 1014. Fuit vir doctus, & scripsit *vitam sancti Udalrici Episcopi Augustani*, quæ extat apud Surium die 4. Julii. Scripsit etiam *de officio Missæ*, sive *de rebus ad Missam pertinentibus*: qui liber extat cum cæteris ejusdem argumenti impressus Coloniæ, & Romæ: & tomo 6. Bibliothecæ sanctorum Patrum, edit 2. ex quo etiam libro cap. 2. discimus, hoc primum tempore cœpisse in Romana Ecclesia cani ad Missam Symbolum fidei. Scripsit *multas epistolas, & alia opera*, quæ, utrum extent, ignoro.

DISSERTATIO HISTORICA.

BERNO ex Monacho S. Galli in Alemannia Abbas Augiæ divitis propè Constantiam ad Rhenum è Brigantino lacu erumpentem, interfuit anno 1014. coronationi Henrici II. Imperatoris factæ à Benedicto VIII. Papa, ut ipsemet testatur libro secundo de Officio Missæ. Obiit anno demum 1045. die 7. Januarii, cùm Monasterium illud nobile annis 39. administrasset. Aberrat ergo à Scopo longiùs Gerardus Joannes Vossius libri secundi de Historicis Latinis cap. 44. cùm asserit discipulum fuisse Hincmari Archiepiscopi, qui obiit anno 882. ducentis fermè ante obitum Bernonis annis, neque ad id probandum quicquam conferre potest Hincmari ad Æneam Parisiorum Episcopum Epistola, quam ex Vaticana Bibliotheca occasione alterius cujusdam junioris Bernonis retulit anno 912. Quo sanè florebat tempore ex Gigniacensi Abbate primus Cluniacensium Abbas Berno, qui anno 927. obiit, & de quo nos egimus alio loco pluribus. Vide Bibliothecam Cluniacensem, quæ ejus Testamentum repræsentat. Sed ut ad institutum redeamus.

Præter Bernonis Augiensis librum illum, *de Officio Missæ*, sive, *de rebus ad Missæ officium pertinentibus*, sæpè typis & seorsim, & in Bibliothecis Vet. Patrum excusum, extat quoque die quarta Julii apud Surium ab eo scripta, *Vita Sancti Udalrici Augustani Episcopi*.

Qui plura de eo volet, adeat Sigebertum Gemblacensem cap. 156. de Viris Illustribus, Eckerardum vitæ Sancti Notgeri, cap. 10. Jo: Trithemium, Gesnerum, Vossium, &c. Miræus annum mortis ejus statuit 1048. Maraccius confundere videtur cum Cluniacensi, qui die 13. Jan. vel ipsis Kalendis mortalem molem deposuisse perhibetur. Porrò de supposito Bernoni nostro, & Guidoni Aretino, egregiis suorum temporum Musicis, libello de Officio Missæ & Ecclesiasticis observationibus, qui Micrologus inscribitur, vide quæ in Erotematis annotavit R. P. Theophilus Raynaudus, quæque nos infrà docebimus in Micrologo.

SUPPLEMENTUM.

BERNO ex MONACHO Sancti Galli in Alemannia Abbas Augiæ divitis propè Constantiam, claruit anno maximè 1030. de quo doctè Bellarminus & Labbeus in dissertatione Historica Scriptorum Ecclesiasticorum, quos iste recensuit: quibus addo scripsisse etiam Bernonem *Vitam Sancti Meginradi Episcopi & Martyris*, quam edidit Joannes Mabillon sæculo IV. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti parte 2. pag. 63. & seqq. Alia apud citatos Bellarminum & Labbeum.

De Osberno Monacho. 1020.

SUPPLEMENTUM.

OSBERNUS Cantuariensis Ecclesiæ Monachus & Cantor, natione Anglus, vir multæ pietatis & eloquentiæ, floruit circa annum 1020. de quo ita Vvilhelmus Malmesburiensis in lib. *De Regibus Anglorum* cap. 8. ubi de Dunstano: *Plura & non contemnenda de viro volentem dicere revocat Cantuariæ Cantor Osbernus, qui ejus vitam Romana eloquentia composuit, nulli nostro tempore stylo secundus, Musica certè omnium sine controversia primus*. Vitam itaque & Miracula sancti Dunstani Cantuariensis Archiepiscopi libris duobus contexuit, quos ex manuscripto Colbertino primus edidit Joannes Mabillon sæculo 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 659. & sequentibus, & quos nonnulli perperam crediderunt esse istud Opus, quod apud Surium die 19. Maji legitur sub nomine Osberti Monachi, quamvis Opera utriusque Osberni & Osberti diversa sint. *Vitam* etiam *sancti Odonis Cantuariensis Archiepiscopi*, quam ex eodem manuscripto Codice Thuano-Colbertino edidit idem Mabillon loco citato pag. 287. Denique *Vitam & Passionem sancti Elphegi Cantuariensis Episcopi & Martyris*, quam habet Bollandus ad diem 19. Aprilis tomo 2. pag. 631. Agunt de Osberno Guillelmus Malmesburiensis loco allegato, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, Bollandus & Mabillon locis citatis in Commentariis præviis ad Legendas quas ediderunt. Porrò quantum ad Osbertum, scripsit *Libros duos, unum de Vita, alterum de Miraculis sancti Dunstani Cantuariensis Episcopi*; quos Surius edidit ad diem 19. Maji, sed truncatos ac mutilos, quorum utcumque sanat vulnera Joannes Mabillon sæculo tertio Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 701. dum truncata ab Surio reparat & sanitati restituit. Igitur sicut duos libros de Miraculis & Vita sancti Dunstani Osbernus conscripserat, ita totidem Osbertus, sed qui anno circiter 1100. scripserit, cùm sæpè loquatur de rebus gestis sub Lanfranco Cantuariensi Archiepiscopo, anno 1089. die 24. Maji humanis rebus exempto, unde annis octoginta vel circiter, Osberno junior est.

De Tangmaro. 1020.

SUPPLEMENTUM.

TANGMARUS Saxo, Decanus Hildesheimensis, scripsit *Vitam sancti Bernardi ejusdem Urbis Episcopi, sui Discipuli*, quam edidit Christophorus Brovverus Societatis Jesu in Syderibus Germaniæ anno *1616*. correctam ad exemplaria manuscripta, immissamque postea in Surianas impressiones nuperas ad diem 20. mensis Novembris. Vivebat post annum 1023.

De Arnolfo Monacho. 1020.

SUPPLEMENTUM.

ARNOLFUS ex Comite Vogburgensi, factus Monachus sancti Emmerami Ratisponensis, florebat anno circiter 1024. contemporaneus Megenfrido, qui ei dicavit vitam sancti Emmerami, de qua paulò ante locuti sumus. Hic ut partem aliquam haberet inter panegyristas hujus sancti Antistitis, conscripsit *Libros duos de Miraculis sancti Emmerami*, quos ex tenebris mss. Codicum eduxit Henricus Canisius tom. 2. Antiquarum lectionum impressos,

ſos, poſt opuſculum Meginfredi de quo ſupra. Hujus meminerunt Antonius Poſſevinus in apparatu ſacro, verbo *Arnolfus Comes*: Joannes Mabillon in Elogio ſuo Hiſtorico Tutonis Ratiſponenſis Epiſcopi ſæculo 5. Sanctorum Ordinis D. Benedicti pag. 108. & ibidem in obſervationibus prævŭs ad acta ſancti Vuolfgangi Ratiſponenſis Epiſcopi pag. 811.

De Adelboldo Monacho. 1020.

SUPPLEMENTUM.

ADELBOLDUS profeſſione Monachus Laubienſis in Ditione Leodienſi tum Epiſcopus Ultrajectinus & Henrici III. Imperatoris Conſiliarius, Magnus habebatur teſte Alberico, vir Nobilis, ſapiens & ſummæ virtutis, Henrici Imperatoris Proconſul, in actis bellicis parum fortunatus, in adminiſtratione & regimine ſuo prudentiſſimus, animum applicans ad augmentum Religionis & divini obſequii, locorumque Sacrorum collapſorum reparationem. Factus Epiſcopus anno 1008. vel 1009. poſt mortem Anfridi vel Aufridi de Lovanio Ultrajectenſis Epiſcopi, ſcripſit *vitam Sancti Henrici Imperatoris nomine Secundi*, quam habes in Vitis Sanctorum ad diem 14. Julii, & tom. 5. Antiquarum Lectionum Henrici Caniſii. Itemque in Sanctis Bambergenſibus, S. Henrico Imperatore, S. Cunegunde Imperatrice, S. Othone Bambergenſi Epiſcopo, cum notis & aliis quibuſdam ad ipſos Bambergæ tutelares ſpectantibus, quos Jacobus Gretſerus Soc. Jeſu, edidit in 4. Ingolſtadii anno 1611. Obiit Adelboldus anno 1027. die 27. Novembris, cujus mentionem faciunt Dithmarus in Hiſtoria ſua, Trithemius De Viris illuſtribus, Joannes de Beka in hiſtoria Epiſcoporum Ultrajectenſium, Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro, verbo *Adelbandus* pag. 8. citans Trithemium lib. 4. cap. 219. Virorum illuſtrium; Sammarthani Fratres in Gallia Chriſtiana tom. 1. pag. 824. in Epiſcopis Ultrajectinis.

De Dithmaro Monacho. 1020.

SUPPLEMENTUM.

DITHMARUS vir ſanctus, Sigefridi in Saxonia Comitis filius, ex matre Cunegunda Saxonica natus anno Domini 976. cùm adoleviſſet, factus eſt Monachus Cœnobii S. Joannis Magdeburgi ſub Riddago Abbate; mox Præpoſitus Vuallibicenſis, & inde Henrico II. Imperatore; procurante ſucceſſit Vuigberto in Epiſcopatu Merſeburgenſi anno Domini 1018. Scripſit autem *Chronicorum libros ſeptem*, quod Chronicon per quinque Regum tempora digeſtum incipit ab Henrico Humili qui primus hoc nomine & in hujus narrationis ordine imperavit: deinde ab Othone Magno ſecundo & tertio viciſſim ſibi ſuccedentibus uſque ad Henricum Pium, quem nomine ſecundum & ſanctum vocamus, protenditur. Iſtud opus impreſſum Francofurti ad Mœnum anno 1580. in folio, cum vita ipſius Dithmari per Reinerum Reineccium. Cedit autem ipſi magnæ laudi (ait Cardinalis Baronius) quod jam argumentis mille & exemplis innumeris, egregiè fidem Catholicam teſtatam reliquit adverſus ſuos gentiles Apoſtatas, qui noſtro hoc ſæculo ex antris, emerſerunt, & ſanè ſinceriſſimus eſt Scriptor. Hæc Baronius, cùm autem annos 10. menſes 7. & dies 7. ſanctè præfuiſſet. Obiit anno 1028. ſuæ ætatis 42. ipſis Kalendis Octobris, & in æde Sacra Mersburgi ſepultus eſt. Ad id porrò quod de obitu ipſius Dithmari diximus, addimus, eum venturæ mortis accepto divinitus nuntio, ex hac vita deceſſiſſe eâdem die qua ſe natum eſſe profitetur. Plura de illo Reinerus Reineccius qui vitam Chronico præmiſit, nos hæc pauca ab Antonio Poſſevino, qui illius mentionem habet in ſuo Apparatu Sacro, verbo *Dithmarus* tom. 1. pag. 480.

De Ademaro Monacho. 1030.

SUPPLEMENTUM.

ADEMARUS ſeu ADHEMARUS, Engoliſmæ in Monaſterio ſancti Eparchii Ordinis D. Benedicti Monachus, vivebat anno circiter 1030. ſcripſit enim *Chronicon & Commemorationem Abbatum Baſilicæ Sancti Martialis Lemovicenſis*, ac Chronicon porrigitur ab anno 829. ad annum Chriſti 1029. quæ impreſſa ſunt apud Philippum Labbeum tom. 2. ſuæ Bibliothecæ mſſ. Librorum, de quibus loquitur Joannes Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 419. *Item Supplementum ad Libros Amalharii De Divinis Officiis* de quo diximus ſupra ſæculo IX. verbo *Amalharius Metenſis Diaconus*: evulgatum tom. 2. Analectorum Joannis Mabillon pag. 96. Plura de illo locis citatis dicti Labbeus & Mabillon, qui opera Ademari ediderunt.

De Guido Aretino Mon. 1030.

SUPPLEMENTUM.

GUIDO ARETINUS MONACHUS Ord. Divi Benedicti, novam diſcendi Muſicam rationem inveniens, adeò ut paucis menſibus puer addiſceret, quod pluribus annis vix quiſque ætate & ingenio pollens, addiſcere potuiſſet: ſcripſit de hoc argumento librum Prænotatum *Micrologus*, quem Theobaldo Aprutino Epiſcopo dicatum, anno ætatis ſuæ 34. ſub Joane vigeſimo, Romano Pontifice Maximo, qui ſucceſſit Benedicto VIII. Romano etiam Pontifici, emiſit in lucem. Et quidem ab eodem Benedicto ter fuit evocatus ad urbem, qui & ejus revolvit Antiphonarium, & aliqua miratus didicit ex eo. Claruit ab anno 1020. ad 130. & ulteriùs, extatque de toto hoc negotio ipſius Guidonis Epiſtola inſerta à Baronio Cardinale ſuis Annalibus ſub annum 1022. ad Michaelem Monachum S. Mariæ Pompoſiani Cœnobii, ut præfert titulus. Hæc nos ex Apparatu Sacro Antonii Poſſevini verbo tenus pag. 694. de quo etiam Sigebertus De Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 144. & in Chronico ad annum Chriſti 1028. Joannes Gerardus Voſſius de 4. Artibus Popularibus.

De Odoranno Monacho. 1030.

SUPPLEMENTUM.

ODORANNUS MONACHUS Sancti Petri Vivi Senonenſis, Ordinis Divi Benedicti, ſcripſit *Chronicon Rerum in Orbe geſtarum* ab anno 675. ad annum 132. quo florebat in dicto S. Petri Cœnobio. Habetur iſtud Chronicon in Collectaneo veterum Hiſtoriæ Francicæ Scriptorum, procurato variis ſeu quinque tomis in folio, ab Andrea Ducheſnio, apud Sebaſtianum Cramoiſy Pariſiis anno 1636 & ſeqq.

De Glabro Rodulpho. 1040.

GLABER RODULPHUS Monachus ſcripſit *hiſtorias ſui temporis libris quinque*, ſatis accuratè, ubi tamen dicit Conradum Regem obiiſſe anno Domini 1041. videtur Scriptorum vitio poſitum eſſe, pro anno undequadrageſimo, id eſt, triceſimo

nono; ut habent alii historici, ac præsertim Hermannus Contractus: Floruit circa annum Dom. 1040.

DISSERTATIO HISTORICA.

GLABER Rodulfus, sive Radulphus, Sancti Germani Autissiodorensis Monachus, (sunt qui Cluniacensi Monasterio addicant) vixit sub Regibus Francorum Roberto Pio, ejusque filio Henrico I. perduxitque sancto Odiloni Cluniacensi Abbati dicatam.

Historiam libris quinque comprehensam, ab anno circiter 990. usque ad annum 1045. Quo anno obierit quove loco, nescimus. De eo certè extra ordinem, post Gregorium scilicet Turonensem, & ante Cordubensem Episcopum Isidorum; paucis Sigebertus Gemblacensis hæc perstrinxit cap. 50. Rodolfus scripsit Historiam Francorum à suo tempore. Nec de eo plura veteres, quod sciam.

Extat quoque ab eo scripta, *Vita S. Guillelmi Abbatis Sancti Benigni Divionensis*, qui multis restitutis in Monasticum ordinem, sapienterque administratis Monasteriis, obiit Fiscanni in Normannia Kalendis Januarii anni 1031. Vide Historiam Reomaensis Monasterii à sancto Joanne Presbytero fundati, quam R. P. Petrus Roverius publicavit Parisiis anno 1637. & Januarium mensem RR. PP. Joannis Bollandi ac Godefridi Henschenii.

De Anselmo Leodiensi. 1040.

SUPPLEMENTUM.

ANSELMUS LEODIENSIS Canonicus, sancti Lamberti ejusdem urbis Scholasticus, deinde Namurcensis Decanus, pietate & doctrina conspicuus, scripsit ad instantiam Idæ sancti Cæciliani Coloniensis Abbatissæ *Historiam Episcoporum Leodiensium*, à sancto Theodardo qui vivebat circa annum 666. usque ad Wazonem qui Ricardo Hannoniensi successit anno 1041. obiitque anno 1048. hanc Joannes Chapeaville Vicarius Generalis in Spiritualibus dicti Episcopatus & S. Lamberti Canonicus, eduxit in publicum Leodii in 4. anno 1612. cum aliis quatuor auctoribus qui de Episcopis Leodiensibus scripserunt, Godescalco & Nicolao Canonicis, Stephano Leodiensi Episcopo, & Raynero sancti Laurentii in Suburbio ejusdem urbis Monacho. De illo Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Joannes Chapeaville in præludio ad ejus Historiam à se editam.

De Hugone Lingonensi. 1040.

SUPPLEMENTUM.

HUGO LINGONENSIS Episcopus factus anno 1030. cognomento de Britolio, filius Gilduini Comitis de Britolio in Agro Belvacensi, assumptus ad hanc sedem Roberto Rege, cùm anteà fuisset Clericus Carnotensis atque Monachus Cluniacensis. Scripsit *Tractatum de Corpore & Sanguine Domini contra Berengarium*, quem anno 1647. edidit Lucas Dacherius in fol. in Appendice ad Opera Lantfranci Cantuariensis Archiepiscopi. Hugo autem post 18. Sedis annum à Lingonensibus pulsus à Sede anno 1048. propter Simoniam, adiit Judicium Leonis Papæ in Concilio Rhemensi anno 1049. ubi depositus fuit. Inde in Monasterium S. Vitoni Virdunensis secessit, sub Vvaleranno fratre suo & Abbate factus Monachus, ubi anno incomperto mortuus est. Vide Galliam Christianam Sammarthanorum tom. 2. pag. 658. in Episcopis Lingonensibus; ubi plura de illo.

De Hermanno Contracto. 1050.

HERMANNUS Contractus à membrorum ferè omnium contractione, & debilitate sic appellatus, filius fuit nobilissimi cujusdam Comitis, & Monachus Augiensis valdè pius. Scripsit *de sex ætatibus mundi Chronicon, quod perduxit usque ad annum Domini* 1052. Sed continuatum fuit à Bertoldo usque ad annum 1065. Scripsisse præterea dicitur *Antiphonam, Salve Regina, & Alma Redemptoris*: necnon *sequentiam illam de Spiritu sancto, Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium, &c.* Scripsit *alia permulta ad musicam*, & *Astrolabium spectantia*. Vide Chronicon Hermanni auctius apud Henricum Canisium tomo 1. antiquæ lectionis.

DISSERTATIO HISTORICA.

HERMANNUS, ab infantia omnibus membris contractus, Vvolferadi Vveringensis in Svevia, Comitis ex Hiltrude filius, Monachus Augiæ majoris seu divitis in Insula lacus Cellensis (qui Brigantini, seu Constantiensis veluti quædam appendix est) jam olim constructæ, pietate & doctrina clarissimus (*a*), obiit anno 1054. in Aleshusam prædio suo, ibique sepultus est. De eo Honorius Augustodunensis lib. 4. cap. 12. Marianus Scotus, Trithemius, qui Monachum Cœnobii S. Galli appellat; Aventinus, Balæus, Vossius, Maraccius, &c.

Chronicon ejus *ab ortu Adami perducitur usque ad annum* 1052. & à Bertoldo Constantiensi continuatur usque ad annum 1065. addita sui temporis Historia usque ad annum 1100. Extat tum seorsim excusum, tum Tomo Rerum Germanicarum Christiani Vvrstisii gemino contextu expan.um, auctius verò correctiusque Tomo 1. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii, & Tomo XI. Bibliothecæ Coloniensis, ex ms. codice Augustani Monasterii Sanctorum Afræ & Udalrici.

Eidem quoque tribuuntur Antiphonæ, *Salve Regina, Alma Redemptoris*, &c. Sequentia, *Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitus*, &c. Hymni & prosæ variæ. Alia verò quæ Trithemius proponit, nondum prodierunt in lucem.

(*a*) Samuel Maresius in examine libelli Blondelliani adversus Papam fœminam, Hermannum nostrum stolidè, & ut decebat Hereticum à Catholica majorum suorum fide alienum impiè, vocat Monachum, superstitiosum, & totum sedi Romanæ addictum. Sed quid faceret: declamandum erat, qua jure, qua injuria in eum, qui Papissæ Joannæ non meminisset. Longè de eo modestiùs Gerardus Joannes Vossius, aliique quamvis in alienis à Catholica religione castris militantes.

De sancto Leone nono Pontifice. 1050.

SANCTUS LEO Papa nonus ex Episcopo Tullensi sedere cœpit in Apostolica sede anno Domini 1049. & sedit annis sex. Itaque obiit anno Dom. 1054. Scripsit *insignem epistolam ad Michaelem Episcopum Constantinopolitanum contra Græcorum errores*; quam Sigebertus librum appellat. Scripsit etiam *& ad Constantinum Monomachum Imperatorem Græcorum*, & *ad alios multos*, quæ extant inter Epistolas Summorum Pontificum, & seorsim apud Card. Baronium tomo undecimo Annalium: & præter epistolas extant etiam homiliæ, & sermones impressi Lovanii anno Domini 1565. & Coloniæ anno 1568.

DIS-

DISSERTATIO HISTORICA.

BRUNO Hugonis Comitis Dagsburgensis & Engeshemensis filius, Conradi II. Imp. Salici dicti consobrinus, ex Tullensi sive urbis Leucorum Episcopo, electus anno 1049. consecratusque est in Romanum Pontificem, assumptoque Leonis IX. nomine per annos 5. menses 2. & dies 7. vixit, usque ad diem 19. Aprilis anni 1054. quo Sanctissimè obiit virtutum & miraculorum laude insignis, cùm Tullensem suam Ecclesiam alteri quamdiu vixit tradere noluisset. De eo Vvibertus Archidiaconus à Sirmondo editus, aliique qui Vitam illius scripserunt, Anselmus Rhemensis Monachus, qui, teste Sigeberto cap. 152. de Viris Illustribus, Itinerarium ejus scripsit hactenus ineditum, Desiderius Abbas Cassinensis in Dialogis mss. Lambertus Schafnaburgensis, Hugo Flaviniacensis nuper in lucem emissus, Sigebertus in Chronico, & cap. 149. Catalogi, ubi inter cætera docet propter cantus in honore Sanctorum ab eo compositos S. Gregorio I. Papæ meritò comparandum, Auctor vitæ S. Arnulfi Svessionensis Antistitis, Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis & de Viris Illustribus Ordin. S. Benedicti. Ex recentioribus verò plura de eo Baronius, & de ejus genere R. P. Hieronymus Viguerius Oratorii D. N. J. C. Presbyter in Stemmate Genealogico Familiarum Alsaticæ, Lotharingicæ, Haspurgicæ, &c. Parisiis anno 1649. excuso.

Opera ejus, quotquot reperiri potuerunt, edita sunt Coloniæ anno 1588. cum operibus S. Leonis Magni, satagente Laurentio Surio Carthusiano, & Antuerpiæ anno 1583. per Canonicos Regulares S. Martini Lovaniensis emendata, cùm jam antea Lovanii anno 1565. ex officina Joannis Bitkmanni Leonis hujusce noni *Sermones* atque *Epistolæ* tam *Decretales*, quàm *familiares*, quibus etiam ditatos reperias Annales Ecclesiasticos Tomosque Conciliorum, prodiissent.

De Hepidanno. 1050.

SUPPLEMENTUM.

HEPIDANNUS Monachus sancti Galli in Helvetia Ordinis Divi Benedicti claruit ab anno 1030. vel circiter ad annum 1080. Scripsit *Chronicon*, quod incipiens ab anno 709. definit in anno 1044. quo florebat, impressum cum multis aliis ad Abbatiam S. Galli spectantibus in Collectaneo Rerum Alamannicarum, quod in fol. Francofurti editum est anno 1606. typis Vvechelianis, ex cura & studio Melchioris Haiminsfeldii Goldasti viri in eruendis è tenebris Antiquitatibus laboriosissimi. Idem scripsit Hepidannus *Libros duos de Vita & Miraculis Sanctæ Vviboradæ*, sed longè serius, quos obtulit post annum 1072. Udalrico Abbati S. Galli, quosque primus edidit in Collectaneo citato Goldastus, sed post ipsum Bollandistæ Jesuitæ in Legendis Sanctorum ad diem 2. Maji. Agunt de Hepidanno Goldastus & Bollandistæ locis citatis plenè, Joannes Mabillon sæculo 5. SS. Ordinis D. Benedicti pag. 42. in observationibus præviis ad vitam S. Vviboradæ Virginis & Martyris, quem nos circa annum 1080. mortuum credimus.

A

De Gualdo Corbejensi. 1050.

SUPPLEMENTUM.

GUALDO CORBEJÆ Gallicæ in Picardia Ordinis D. Benedicti Monachus, sub medium sæculi 11. *Vitam Sancti Anscharii Hamburgensis Episcopi Versibus reddidit & Adalberto Bremensi Archiepiscopo dedicavit*, quam edidit ex mss. Codd. Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ord. Divi Benedicti tom. 2. pag. 115. & seqq.

De Drogone Belga. 1050.

B

SUPPLEMENTUM.

DROGO BELGA Monachus Cœnobi S. Vvinoci, quæ civitas in Belgio est, deinde Gestellensis Pastor, postremò Morinorum Episcopus creatus anno 1036. quibus præfuit cum laude annos plus minus XXXIII. post quos in pace quievit anno 1078. vel juxta alios sequenti. Scripsit *Vitam S. Godolenæ* quam habet Surius ad diem 6. Julii tom. 4. *Vitam Sancti Osvvaldi Northumbriæ in Anglia Regis*, de quo Surius ad diem 5. Augusti. Addidit etiam lib. 1. *De Vita S. Vvinoci Abbatis, secundum & tertium*, qui mss. Bergis asservantur in eodem Monasterio sancti Vvinoci. Plura dabunt de Drogone Belga Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tom. 2. verbo *Bolonienses Episcopi* pag. 430. ubi de Episcopis Tarvanensibus seu Morinensibus.

C

De Helgaldo Monacho. 1050.

SUPPLEMENTUM.

HELGALDUS sive ELGAUDUS Floriacensis Monachus scripsisse dicitur circa annum 1050. *Vitam Roberti Regis Francorum*, editam primùm ex Bibliotheca Petri Pithœi Trecensis ac Parisiensis Causidici, anno 1596. in folio Francofurti Vvechelianis typis, inter undecim veteres Historiæ Francicæ Scriptores ab anno 900. ad 1283. Recudit illam postea in Collectaneo suo Historicorum Franciæ coætaneorum Andreas Duchesnius quem vide.

D

De VVitpone Presbytero. 1050.

SUPPLEMENTUM.

WITPO seu WIPPO Presbyter Germanus, Henrici tertii Imperatoris Sacellanus, clarus circa sæculi undecimi medium, scripsit *Vitam Conradi Salici patris Henrici tertii*, quam evulgavit ex mss. Codicibus Joannes Pistorius tom. 3. pag. 421. Collectionis suæ Scriptorum veterum de rebus Germanicis, quam edidit 3. in fol. tomis Francofurti Vvechelianis typis, annis 1582. 1584. & 1607. Scripsit etiam *Panegyricum in laudem Henrici III. Imperatoris*, editum tomo 2. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii. Agunt de Vvitpone Pistorius & Canisius in præludiis ad ejus opuscula, quæ evulgarunt; Possevinus parcissimè in Apparatu Sacro.

E

De Evervino Monacho. 1050.

SUPPLEMENTUM.

EVERVINUS seu EBERVINUS Monachus Natione Germanus & Abbas Monasterii S. Mauritii

ritii Theologiensis sive Tolejensis in Archiepiscopatu Treverensi, Congregationis Cluniacensis circa annum 1050. scripsit *Vitam S. Simeonis Syracusani Monachi Trevirensis*, quæ extat apud Surium ad diem 1. Junii. Attribuitur hæc à nonnullis Eberwino Abbati S. Maximini Treverensis, sed temporum ratio reclamat: obiit enim S. Simeon anno 1035. die 1. Junii, quo tempore prædictus Eberwinus in vivis jam esse desierat. Affinitas autem nominum Eberwini & Evervini occasionem errori præbuerunt. Hæc Arnoldus Vion in Ligno Vitæ, ac post ipsum Antonius Possevinus in Apparatu Sacro. Addo ego in Catalogo Abbatum S. Maximini Treverensis, quem habes tom. 4. Galliæ Christianæ, nullum Abbatem hujus nominis legi.

De Evershelmo Monacho. 1050.

SUPPLEMENTUM.

EVERSHELMUS Monachus primùm Altimontis juxta Malbodium in Hannonia, deinde hujus loci factus Abbas anno 1048. scripsit circa hoc tempus *unum librum De Vita S. Popponis Abbatis Stabulensis cognati sui*, quem habent Laurentius Surius & Bollandus ad diem 25. Januarii. Inde factus Abbas S. Petri Gandavensis anno 1058. ubi mortuus est anno 1069. Vide Bollandum de illo in præludiis ad Vitam Sancti Popponis, & Sammarthanos Fratres tom. 4. Galliæ Christianæ, in Abbatibus Altimontis & S. Petri Gandavensis.

De Deoduino Episc. 1050.

SUPPLEMENTUM.

DEODUINUS seu THEODUINUS Episcopus Leodiensis successit Wazoni ab anno 1048. ad 1075. quo mortuus est. Scripsit *insignem Epistolam ad Henricum Galliæ Regem de Corpore & Sanguine Domini*, quam Cardinalis Baronius & Joannes Chapeaville perperam sub nomine Durandi Leodiensis Episcopi & quidem mutilam ediderunt, ex mss. Cod. Ludovici Martelli Civis Rothomagensis; integram autem atque auctori suo restitutam Joannes Mabillon tom. 4. Analectorum pag. 396. Idem ipse Codex nunc asservatur in amplissima Bibliotheca eruditi viri Emerici Bigotii, quo in Codice non durandi nomen, (quippè qui ante natam Berengarii Hæresim devixit, anno scilicet 1024.) adscriptum legitur: sed prima dumtaxat Litera D, Deoduinum seu Theoduinum significans, quo eodem modo ejus nomen decurtatum legitur in Cod. ms. S. Audoeni Rothomagensis, quem Codicem cum Bigotiano Contulit Joannes Mabillon.

De Humberto Cardinali. 1054.

HUMBERTUS Cardinalis Episcopus Sylvæ candidæ à Leone nono Pontifice Romam ex Tullensi Ecclesia adductus fuit, & ab eo Legatus Constantinopolim missus, cùm esset Græcè, & Latinè doctissimus scripsit *librum contra Græcos de azymo, in forma dialogi*. Scripsit & *alterum de jejunio Sabbati contra Nicetam pectoratum Græcum*: qui duo libri extant apud Card. Baronium in appendice undecimi tomi Annalium; sed apud Henricum Canisium tom. 6. antiquæ lectionis habentur etiam epistolæ Archiepiscopi Constantinopolitani, & Nicetæ, quibus Humbertus respondet: scriptus est autem prior liber (ut initio dicitur) anno Domini 1054.

A

DISSERTATIO HISTORICA.

HUMBERTUS, sive Hubertus, ex Tullensi Cœnobio S. Mansueti, in quo Monasticam vitam agebat, propter scientiam litterarum traductus, & à Sancto Leone IX. Papa Romam evocatus, Episcopus Sylvæ candidæ, & S.R.E. Cardinalis, missus est Const. ab eodem Papa anno 1051. ubi sæpè disputavit, scripsitque adversùs Græcos. Deinde anno 1059. sub Nicolao II. Papa in Concilio Romano scripsisse dicitur Formulam abjurationis, cui subscripsit Berengarius Turonensis, Archidiaconus S. Mauritii Andegavensis.

B

De eo Lanfrancus in libello de corpore & Sanguine Domini adversus Berengarium, qui Burgundum illum appellitare solebat εἰρωνικῶς, Sigebertus Gemblacensis c. 150. de Viris Illustribus, & sequenti, ubi de Paulo Scriptorum Humberti Græco interprete, Trithemius, Baronius Tomo XI. Annalium, & in ejus Appendice, Henricus Canisius Tomo VI. Antiquæ Lectionis, quique de Cardinalibus & Romanis Pontificibus scripserunt. Extant Tomo VI. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii, & in Bibliothecis Veterum Patrum excusi.

Liber adversus calumnias Michaelis Cerularii Patriarchæ Const. & Leonis Achridani in Bulgaria Archiepiscopi de azymo, & de jejunio Sabbati, Tomo IV. Bibliothecæ Morellianæ, Parte II. col. 201. & Tomo XI. Coloniensis. Hic autem Leo brevem quidem libellum scripserat teste Sigeberto, per quem tantum veneni mortiferi diffuderat, ut eo tota Græcia periisset, nisi antidoto Romanæ auctoritatis & Apostolicæ fidei vis illa veneni extincta fuisset.

C

Refutatio Tractatus editi contra Latinos à Niceta Pectorato Presbytero & Monacho cœnobii Studitarum, col. 239. Hunc verò Nicetam in præsentia Imperatoris Constantini Monomachi adeò feliciter profligavit, ut ipse librum suum prætitulatum de azymo, Sabbato, ac nuptiis Sacerdotum, anathematizaret, & manu sua igni addiceret.

D

Commemoratio eorum, quæ contra Michaelem Patriarcham Const. gesserunt Apocrisiarii Apostolicæ Sedis anno undecimo Constantini Monomachi Imp. Indict. VIII. & qualiter anathematizatus est Michael cum sequentibus suis, col. 250.

Ejusdem, & Petri Amalphitani Archiepiscopi, & Friderici Diaconi & Cancellarii (qui postea fuit Stephanus Papa IX.) *Epistola ad omnes Catholicæ Ecclesiæ filios*, col. 251.

Paulus, inquit Sigebertus cap. 151. quo interprete usi sunt Const. Legati Romanæ Ecclesiæ transtulit de Latino in Græcum, cooperante sibi filio suo Smaragdo omnia quæ Humbertus Ep. disputavit ibi, aut scripsit: quæ omnia jubente Constantino Monomacho Imp. reposita sunt in Archivio Const. Ecclesiæ.

E

De Petro Damiani. 1060.

PETRUS DAMIANI, sic à Fratris sui, quod eum, cùm puer esset in magnis Angustiis constitutus loco piissimi parentis habuisset, Damiani nomine vocatus, nobilis Ravennas Monachus fuit Ordinis S. Benedicti, ac deinde S.R.E. Cardinalis Episcopus Ostiensis. Vixit temporibus Gregorii VI. & successorum ejus usque ad Gregorium septimum, ad quos omnes epistolas dedit. Vir fuit valdè sanctus, & devotus, & præcipuè pœnitentiæ, & austeræ vitæ amator ardentissimus. Qua de causa non semel à Nicolao secundo Pontifice, petiit facultatem dimittendi Ecclesiam Ostiensem,

sem, & redeundi ad eremum, sed non impetravit. Postea tamen Alexandro secundo Pontifice invito, Ecclesia dimissa ad eremum confugit. Sed Alexander, nec successorem ei dedit, nisi post mortem, & legationem ei injunxit, ut Episcopo Cardinali; qua Legatione obita cùm rediret, vitam finivit anno Domini 1072. teste Bertoldo in additione ad Hermannum contractum, ex quo refellitur fabula Helinandi, & Vincentii Bellovacensis, de poenitentia centum annorum, illi imposita à Gregorio septimo Papa. Obiit enim Petrus, antequam Gregorius septimus Pontifex eligeretur. Quamvis autem Petrus severæ vitæ cupidissimus; erat tamen interim non infacetus, nec ludendi, ac falsè carpendi artem ignorabat, ut intelligi potest ex versibus ad Alexandrum Papam, & ad Hildebrandum Cardinalem, quos refert Cardin. Baronius in Annalibus ad annum Domini 1061. Obiit in Apostolica Legatione anno Domini 1072. Scripsit *epistolas plurimas*, *& sermones permultos*, quæ duo opera typis nuper mandavit Romæ Domnus Constantinus Caetanus Ordin. sancti Benedicti Monachus. Scripsit etiam *opuscula non pauca*, quæ inveniuntur in Bibliotheca sanctorum Patrum, tomo 3. editionis 2. Scripsit etiam *vitam sancti Odilonis Abbatis*, quæ extat apud Surium 1. die Januarii; & vitam sancti Romualdi apud eumdem Surium die 19. Junii, & sancti Dominici Loricati apud eumdem Surium die 14. Octobris.

Observatio prima.

In epistola ad Dominicum cap. 5. narrantur quædam leviora de animabus defunctorum, quæ die Dominico refrigerium pœnarum videntur habere; & in figura avicularum de lacu averni exire cernuntur: quæ fabulis fortasse similiora sunt, quàm historiæ.

Observatio secunda.

In epistola ad Firminum Episcopum liberiùs, quàm par esset, videtur auctor reprehendere S. Leonem nonum propter bellum contra Northmannos: neque enim illicitum est Summo Pontifici armis defendere Civitates in quas dominium temporale habet: de qua re vide tomum undecimum Cardinalis Baronii ad annum Domini 1053.

Observatio tertia.

In epistola ad Henricum Ravennæ Episcopum quæ epistola dicitur etiam liber gratissimus, capite 4. scribit auctor, Christum anno 30. in baptismo factum esse Sacerdotem: & cap. 16. scribit Liberium Papam fuisse hæreticum, & seditiosum, quæ falsa sunt: Christus enim in conceptione habuit omnem gratiam, & dignitatem: & Liberius hæreticus non fuit, ut ostendi in lib. 4. de Pontifice capite 9.

Dissertatio Historica.

Petrus Damiani, (sic enim à fratre quem parentis loco habuit cognominari voluit, cùm de Honestis saltem ut plerique volunt, familiari majoribus suis cognomine dici debuisset) civis Ravennas, ex Monacho Ordinis Benedictini in Cœnobio Fontis Avellani, sive S. Andreæ de Avellana, S.R.E. Cardinalis, & Episcopus Ostiensis, multis legationibus ac laboribus pro Ecclesia Romana perfunctus, obiit Faventiæ in Cœnobio S. Mariæ die 23. Februarii anno 1072. ætatis 66. De eo præter Leonem IX. Papam ep. scripta anno 1049. Joannes Monachus ejus discipulus in vita, quam Luitprando Priori & Senioribus Eremi Fontis Avellani misit, Desiderius Abbas Cassinensis libro 2. Dialogorum, Lambertus Schafnaburgensis, Bertoldus in Appendice ad Chronicon Hermanni Contracti, Leo Ostiensis, Sigebertus cap. 163. de Viris Illustribus, Honorius August. libelli 4. cap. 11. Franciscus Petrarcha, S. Antoninus, Jo: Trithemius non semel, Bergomas, Hier. Rubeus, Petrus Ricordatus, Baronius, Jo: Bapt. Signius, Possevinus, Wion, Vossius, aliique cum Bellarmino, cujus tres observationes non omittendæ lectoribus veritatis studiosis.

Omnia ejus opera tribus Tomis distincta Lugduni excusa sunt anno 1623. servato hoc ordine.

Tomo I. continentur.

Epistolarum libri octo: quorum I. ad Pontifices Romanos, & Cadaloum Antipapam. II. ad S.R.E. Cardinales. III. ad Patriarchas & Archiepiscopos. IV. ad Episcopos. V. ad Archipresbyteros & Archidiaconos, Presbyteros & Clericos. VI. ad Abbates & Monachos. VII. ad sæculares Principes. VIII. ad Viros illustres & alias privatas personas. De editione Romana, ac deinde Parisiensi, earumdem Epistolarum, studio Domni Constantini Caetani, Syracusani, Monachi Cassinensis, & postea S. Baronti Abbatis, non est quod fusiùs hìc aperiam, quod Reverendo Patre Jacobo Sirmondo referente accepi.

Tomo II. continentur.

Sermones, juxta mensium ordinem distributi, necnon *Sanctorum Historiæ*, sive, *Vita S. Odilonis* Kal. Januarii, scripta rogatu S. Hugonis, qui Odiloni in regimine Congregationis Cluniacensis successit. Eadem habetur apud Surium & Bollandum, necnon in Chronologia Lirinensi, & in Bibliotheca Cluniacensi. *Vita S. Mauri Episcopi Cæsenatis* 20. Januarii, apud Surium & Bollandum. *Vita S. Romualdi Institutoris Camaldulensium*, 19. Junii apud Surium. *Vita S. Rodulfi Episcopi Eugubini*, juncta vitæ S. Dominici Loricati, qui colitur 14. Octobris. *Passio SS. Virginum & Martyrum Floræ & Lucillæ*, 29. Julii *Expositio visionum SS. Martyrum Mariani & Jacobi*.

Vossius enumerat & alias ex Suriana Collectione selectas Vitas, quas inter sermones reperies. I. Vitam S. Eleuchadii 14. Februarii. II. S. Benedicti Abbatis 21. Martii. III. S. Georgii Martyris 23. Aprilis IV. S. Marci Evangelistæ 25. Aprilis. V. SS. Vitalis & Valeriæ ejus conjugis Martyrum 28. Aprilis. VI. S. Antimi 10. Maji. VII. S. Apollinaris 23. Julii. VIII. S. Cassiani 13. Augusti. IX. S. Fidelis Martyris 28. Octob. X. S. Nicolai 6. Dec. XI. S. Barbatiani 31. Decembris. Alios quoque sermones seu Tractatus præter hos recenset ex eodem Surio Possevinus.

Quod ad Sermones spectat, observarunt jampridem Baronius, Possev. Vossius, & alii, Homiliam quæ sub nomine Petri Damiani affertur à Lipomano Tomo octavo, & à Surio Tomo sexto, *de Nativitate Domini*, falsò illi suppositam, cùm in ea fiat mentio Sancti Bernardi, qui anno 1157. obiit Theophilus quoque Raynaudus in Erotematis hæc habet non omittenda. I. Petro Damiani suppositus est sermo *de S. Martino*, qui manifestè est hominis Galli, meminitque Fulberti Carnotensis suorum temporum Tullii. II. Sermo *de Rivis fluminis* in vigilia

vigilia Nativitatis est S. Bernardi III. Ejusdem est Sermo *de S. Stephano*. IV. qui dicitur 2. *de S. Andrea* est apud Bernardum tertius de eodem festo: sed fortè ad neutrum pertinet, ut aliàs dicemus. V. Sermo item *de S. Nicolao* reperitur apud Bernardum (*a*). Notat quoque Possevinus, ut hoc attexam, librum, *De correctione Papæ & Episcopi* Argentorati ab hæreticis anno 1582. excusum supposititium esse, quales solent promere libros hujusmodi officinæ, ut ipse subjungit.

Tomo III. continentur.

1. *Opus de Fide Catholica ad Ambrosium.* 2. *Antilogus contra Judæos.* 3. *Dialogus inter Judæum & Christianum.* 4. *Disceptatio Synodalis.* 5. *Actus Mediolanenses.* 6. *Liber qui appellatur*, Gratissimus. 7. *Liber Gomorrhianus.* 8. *De parentelæ gradibus, & de gradibus cognationis.* 9. De Eleemosyna. 10. De Horis Canonicis. 11. *Liber qui appellatur*, Dominus vobiscum. 12. *Apologeticum de contemptu sæculi.* 13. *De perfectione Monachorum.* 14. *De Ordine Eremitarum & facultatibus Eremi Fontis Avellani.* 15. De suæ Congregationis institutis. 16. *In Episcopum Monachos ad sæculum revocantem.* 17. *De cœlibatu Sacerdotum.* 18. *Contra Clericos intemperantes in tres Dissertationes distinctum.* 19. *De abdicatione Episcopatus.* 20. *Apologeticus ob dimissum Episcopatum.* 21. *De fuga dignitatum Ecclesiasticarum.* 22. *Contra Clericos Aulicos, ut ad dignitatem provehantur.* 23. *De brevitate vitæ.* 24. *Contra Clericos Regulares proprietarios.* 25. *De dignitate Sacerdotii.* 26. *Contra inscitiam & incuriam Clericorum.* 27. *De communi vita Canonicorum*, ad Clericos Fanensis Ecclesiæ. 28. *Apologeticus Monachorum adversus Canonicos.* 29. *De vili vestitu Ecclesiasticorum.* 30. *De Sacramentis per improbos administratis.* 31. *Contra Philargyriam, & vinculum cupiditatis.* 32. *De Quadragesima, & 42. Hebræorum mansionibus.* 33. *De bona suffragiorum, & variis miraculis.* 34. *De variis miraculosis narrationibus*, addita simili disputatione, de variis apparitionibus & miraculis cum Dissertatione quinquepartita. 35. *De picturis Principum Apostolorum.* 36. *De Divina Omnipotentia in reparatione corrupta naturæ, & factis infectis reddendis.* 37. *De variis sacris quæstionibus.* 38. *De processione Spiritus Sancti.* 39. *Contra sedentes tempore Divini Officii.* 40. *De frænanda ira.* 41. *De tempore celebrandi nuptias.* 42. *De fide Deo obstricta non fallenda, & de servanda fide Deo præstita.* 43. *De laude flagellorum & disciplinæ.* 44. *De decem Ægypti plagis, & Decalogo.* 45. *De Sancta simplicitate.* 46. *De ferenda æquanimiter correptione* 47. *De Castitate.* 48. *De Spiritualibus deliciis.* 49. *De perfecta Monachi informatione.* 50. *Institutio Monialis.* 51. *De vita Eremitica.* 52. *De bono religiosi status.* 53. *De patientia in infectatione improborum.* 54. *De Jejunio Sabbati.* 55. *De celebrandis vigiliis* 56. *De fluxa mundi gloria despicienda.* 57. *De Principis officiis in coercitione improborum.* 58. *De vera felicitate ac sapientia.* 59. *De Novissimis, & Antichristo.* 60. *Expositio mystica libri Geneseos.*

Sequuntur *Legatio Petri Damiani in Gallias*, & alia eodem spectantia, cum Hymno, *de gloria Paradisi*, ex dictis Beati Augustini ab eodem concinnato.

(*a*) Sunt quoque qui affirment plerosque ex sermonibus illis, neque enim de omnibus id verum videtur, scriptos fuisse ad H. Campaniæ Comitem à Nicolao, qui ex Monacho Cœnobii Aremarensis in Campania, transivit ad Ordinem Cisterciensem, & Sancto Bernardo Clarævallensi Abbati fuit per aliquod tempus à secretis, ac deinde transfuga.

In cæteris quoque opusculis multa latere, quæ ad alios auctores pertineant, non diffiteor, majori otio, & severiori examini reservanda.

A

De Sancto Gregorio Papa VII. 1050.

SANCTUS GREGORIUS floruit tempore Leonis IX. cœpit autem sedere in Apostolica Sede anno 1073. & non solùm doctrina, & prudentia, sed etiam sanctitate, & miraculis gloriosus fuit: dedit ad varios *ingentem numerum epistolarum*, quarum aliquam partem non ingenio, vel manu secretariorum, sed à se propriè compositas, & scriptas ipse testatur.

DISSERTATIO HISTORICA.

B

GREGORIUS Hildebrandus antea dictus, ex Monacho Cluniacensi, S. R. E. creatus Cardinalis sub Alexandro II. plurimis pro Catholica Ecclesia perfunctus est legationibus, eoque mortuo, Romanum Pontificatum adeptus anno 1073. in quo transactis annis 12. mense uno, tribusque diebus, obiit Salerni die 25. Maji Dominica anni 1085. ibidem in Ecclesia Sancti Matthæi sepultus. Ejus

Epistolæ extant cum aliis Decretalibus Pontificum editæ, & in tomis Conciliorum Binii, &c. Pro eo Orthodoxi, & adversus eum Heterodoxi plurimi scripserunt de quibus consule Bibliothecam Pontificiam, &c.

C

SUPPLEMENTUM.

GREGORIUS Papa VII. longè ante Pontificatum sub nomine Hildebrandi, ab anno 1049. celeberrimus, ab anno 1073. per annos duodecim, mensem unum, & dies tres ad annum 1085. diem 25. Maji Cathedram Romanam tenuit, libertatemque Ecclesiasticam pro viribus contra Imperatorem tuitus est. Scripsit *insignem Commentarium in septem Psalmos Pœnitentiales*, quem quia mss. Codices Gregorio adscribunt, ideò ob aliquantam quam præ se fert antiquitatem, ob stylum & pietatem, Sancto Gregorio Magno adscriptus est, atque inter ejus opera etiam impressus: licèt ad tempora Henrici IV. spectet ex iis quæ narrantur, ut

D

rectè notavit Petrus de Gussanvilla, in ultima editione Operum S. Gregorii Magni, quam 3. in folio tomis procuravit Parisiis apud magnam Societatem Bibliopolarum. De cæteris Gregorii VII. operibus vide Bellarminum & Labbeum in operibus suis de Scriptoribus Ecclesiasticis, quibus hoc opusculum est supplementum tantùm.

De Lanfranco, & Adelmanno. 1059.

LANFRANCUS ARCHIEPISCOPUS Cantuariensis vir sanctus, & doctus in Concilio Romano sub Nicolao secundo Pontifice anno 1059. disputavit cum Berengario hæresiarcha,

E

eumque ita convicit, ut Berengarius librum suum in ignem injecerit. Sed eo ad vomitum redeunte, scripsit idem Lanfrancus *insignem librum de veritate corporis Domini in Eucharistia*: qui liber extat, & seorsim excusus & in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit. 2. Dicitur etiam idem Lanfrancus *scripsisse in Psalmos David, & in epistolas sancti Pauli.*

Eodem tempore Adelmannus Episcopus Brixiensis, qui aliquando Berengario Diacono Andegavensi comes fuerat, & condiscipulus sub disciplina sancti Fulberti Carnotensis Episcopi, scripsit, *epistolam valdè eruditam ad Berengarium de veritate corporis Domini in sacrosancta Eucharistia*, quæ extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. editionis 2.

DIS-

DISSERTATIO HISTORICA.

LANFRANCUS, natione Italus, patria Papiensis, ex Priore Beccensi, ac deinde Abbate S. Stephani Cadomensis, Archiepiscopus Cantuariensis & Angliæ Primas ab anno 1070. usque ad annum 1089. quo mortuus est die 24. Maji feria quinta; (a) jam ab anno 1059. acerrimè disputaverat cum Berengario coram Nicolao II. Romano Pontifice in Concilio Romano, eumque ita convicerat, ut librum suum in ignem conjiceret. Sigebertus Gemblacensis cap. 155. de Viris Illustribus Berengarium dicit ab ipso Nicolao Papa Romæ in Concilio 93. Episcoporum adeò convictum fuisse, ut ipse suis manibus ignem accenderet, & scripta sua combusserit, juraritque se non amplius talia dicturum, non docturum, non scripturum. Quia tamen neglecto juramento postea scripsit, contra præfatam Synodum, contra Catholicam veritatem, contra omnium Ecclesiarum opinionem, & nominatim contra Humbertum Cardinalem Silvæ Candidæ Episcopum, rescripsisse ad ea Lanfrancum, & posito alternatim suo & Berengarii nomine, alterutras sententias distinxisse. Honorius Augustodunensis libelli Quarti de luminaribus Ecclesiæ cap. 14. in pauca contraxit. Paulò plura Trithemius, quem vide cum recentioribus, ut omittam Guillelmum Pictaviensem de Gestis Guillemi Ducis Normannorum ac Regis Angliæ pag. 198. Historicorum Normanniæ ab Andrea Duchesnio editorum, Edinerum Monachum libro I. Vitæ S. Anselmi Willelmum Malmesburiensem libro 3. de Gestis Regum Anglorum & de Præsulibus Cantuariæ, Ordericum Vitalem libro 4. similesque Anglicarum Neustricarumque rerum scriptores.

Domnus Lucas Dacherius, Monachus Benedictinus, opera ejus, quæ reperire potuit Parisiis edenda curavit anno 1647. hoc ordine post ejusdem Vitam ex codice ms. Beccensi descriptam.

Commentarius in Epistolas B. Pauli. Libellus de Corpore & Sanguine Domini, contra Berengarium, sæpius excusus tum seorsim, tum in Bibliothecis Veterum Patrum, atque à mendis repurgatus per Joannem Vlimerium Priorem Canonicorum Regularium S. Martini apud Lovanienses. *Annotatiunculæ in nonnullas Joannis Cassiani Collationes Patrum. Decreta pro ordine S. Benedicti*, sive statuta Monachis in Anglia Benedictinis præscripta, quæ Clemens Reynerus Duaci edenda curavit, inquit Miræus. *Epistolarum liber*, & ad eas editoris Notæ & Observationes. *Pericope orationis quam in Concilio Anglicano habuit. De celanda confessione libellus*, & ad eum Notæ.

In Appendice continentur.

Chronicon Beccensis Abbatiæ. Vitæ Herluini primi, Guillelmi tertii, Bosonis quarti, Theobaldi quinti, & Letardi sexti Abbatum Beccensium: De nobili genere Crispinorum: Vita S. Augustini Cantuariensis Archiepiscopi: Hugonis Lingonensis Tractatus de Corpore & Sanguine Domini, & Durandi Troarnensis in Neustria Abbatis liber de eodem argumento.

(a). Ut disertis verbis habet Florentius Vigorniensis ad annum 1089. Dorobernensis Archiepiscopus Lanfrancus nono Kalendas Junii Feria quinta obiit, &c. unde corrigas Auctorem vitæ ejus, qui capite 18. scribit anno Archiepiscopatus 19. V. Kalendas Junii, hoc est Maji 28. diem clausisse extremum, regnante Willelmo Rufo filio Willelmi Regis, nuperosque Lectionum Eucharisticarum

A Collectores, qui eum sequuti sunt. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum quievisse in Christo asserit quinto nonas Julii, eique adhæserunt Arnoldus Wion in Ligno Vitæ, Philippus Ferrarius in Supplemento Martyrologii Romani, Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino, aliique.

ADELMANNUS ex Leodiensi Scholastico Brixiensis in Italia Episcopus, floruit labente sæculo undecimo, circa annum 1050. Vide Ferdinandum Ughellum Tomo V. Italiæ Sacræ in Brixiensibus Episcopis, ubi testatur sedisse ab anno 1048. ad annum minimùm 1061.

Epistola de veritate Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, ad Berengarium Turonensem, Archidiaconum Andegavensem, quem vocat dilectum &
B conscholasticum suum (uterque enim fuerat Fulberti Sanctissimi Carnutensium Episcopi discipulus) extat tum seorsim edita Lovanii annis 1551. & 1561. atque alibi, tum in Bibliothecis Patrum Parisiensibus & Coloniensi.

Sigebertus cap. 153. libri de Scriptoribus Ecclesiasticis Almannum Grammaticum appellat, docetque eum scripsisse super eadem re, alteramquoque Epistolam ad Paulum Metensem Primicerium, qua moneret, uti & ipse Berengarium communem amicum suum ab hac prava intentione revocaret. Prodiisse illam nondum comperi.

C De VViberto Tullensi 1060.

SUPPLEMENTUM.

WIBERTUS seu GUIBERTUS, olim Archidiaconus Tullensis, cùm S. Leo IX. postea Romanus Pontifex, esset tantùm Tullensis Episcopus; quem in multis itineribus secutus est, scripsit circa annum 1060. *Libris duobus Vitam hujus Sancti Pontificis*: quam primùm à Jacobo Sirmondo editam, Henschenius & Papembrokius eruditi ejusdem Societatis viri, cum duobus mss. Codd. collatam & auctam ediderunt inter Acta Sanctorum tom. 2. ad diem 19. Aprilis. Opus accuratum in rebus S. Leo-
D nis IX. recensendis.

De Metello Tegersensi. 1060.

SUPPLEMENTUM.

METELLUS TEGESEERSIS; sive TEGERSENSIS Monachus Ord. Divi Benedicti vivebat circa annum 1060. antiquissimus Boicorum Poetarum. Reliquit à se conscriptas Eclogas quas inscripsit Quirinalia in laudes Beati Quirini gloriosi Martyris, quas primùm ex apographo emisit in lucem Henricus Canisius Juris utriusque Consultus Ingolstadii in tom. I. Antiquæ Lectionis. De Me-
E tello Antonius Possevinus in Apparatu Sacro tom. 2. pag. 105. & Canisius in Præludiis Quirinalibus à se evulgatis, appositis.

De Joanne Xiphilino. 1060.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES XIPHILINUS Patriarcha Constantinopolitanus sub Constantino Duca factus anno 1066. juxta Baronium in Annalibus ad hunc annum. Ut auctores sunt Zonaras & alii, hic Trapezunte oriundus & valdè doctus, qui omnibus spontè derelictis, Monasteria frequentavit, solitariam diu vitam egit, ac denique Patriarchali Sede cohonestatus fuit. Hujus extat homilia una græcè

& latinè apud Jacobum Gretserum in opere suo *de Cruce* inscripto, sed hæc quid inter tantas quas assiduus enuntiando Evangelio Xiphilinus composuit? Scripsit itaque *Homilias in Evangelia Dominicalia totius Anni*, quæ mss. Græcè extant sub ejus nomine in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis Cod. 91. & in Vaticana ex manuscripto Codice Heidelbergensi Palatino, num. 221. dignissimæ quæ in publicum prodeant. Mortuus est juxta Baronium anno 1080. de quo loquuntur Zonaras, aliique Scriptores Græci; de scriptis autem Antonius Possevinus in Apparatu Sacro tomo I. pag. 955. verbo *Joannes Xiphilinus*.

De Folcardo Monacho. 1060.

SUPPLEMENTUM.

FOLCARDUS Monachus Cœnobii S. Bertini Sithivensis, Congregationis Cluniacensis, circa annum 1060. scripsit *Vitam S. Bertini Abbatis Sithivensis & vitam S. Audomari Episcopi Morinensis*, quarum utraque impressa jacet inter Legendas Laurentii Surii labore collectas, altera quidem S. Bertini ad diem 5. Septembris, altera S. Audomari ad diem 15. ejusdem Septembris. Meminit Folcardi Antonius Possevinus in Apparatu Sacro tom. I. pag. 573. & Joannes Mabillon sæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, dum loquitur vel affert Legendas istorum Sanctorum.

De Guitmundo Episcopo Aversano. 1070.

GUITMUNDUS EPISCOPUS Aversanus, vixit Gregorio VII. summo Pontifice, ut ipse testatur initio primi libri de Eucharistia. Scripsit *libros tres de corpore, & sanguine Domini in Eucharistia Sacramento*. Nec solùm veritatem confirmavit, sed etiam argumenta contraria doctè solideque destruxit. Scripsit etiam *confessionem de sancta Trinitate, Christi humanitate, & corporis Domini veritate*: quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo sexto, editionis secundæ, & etiam seorsim cum Lanfranci, & Algeri libris excusa. Unum est, in quo Guitmundus reprehendi solet, quòd lib. 2. timuerit concedere species Sacramentales verè posse corrumpi, & putrefieri, quæ potuisset admittere sine ulla injuria corporis Dominici fieri.

DISSERTATIO HISTORICA.

EX Monacho Ordinis S. Benedicti in Cœnobio Crucis S. Audoeni, sive Sancti Leufredi, in pago Madriacensi, ad Auduram fluvium, diœcesis Ebroicensis in Normannia, Cardinalis S. R. E. & Episcopus Aversanus in Italia, floruit sæculo Christi undecimo, obiitque circa annum 1080. De eo Ordericus Vitalis libri 5. Hist. Ecclesiasticæ cap. 17. Ivo Carnotensis epist. 78. ubi eum vocat Religiosum & Litteratum, Willelmus Malmesburiensis, cui dicitur sui temporis eloquentissimus Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, Trithemius, aliique.

Libri tres de Veritate Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, adversus Berengarium Turonensem, interlocutoribus ipso Guitmundo & Rogerio ejusdem Ordinis Monacho. Extat tum seorsim in libello excusus, tum Tomo VI. Bibliothecæ Magnæ Parisiensis, pag. 215. *Ejusdem de Sancta Trinitate, Humanitate Christi, Corporisque & Sanguinis D. N. J. C. veritate Confessio*. Ibidem col. 265. *Ejusdem ad Gullelmum I. Regem Anglorum* (qui obiit anno 1087.) *Oratio, qua Episcopatum recusabat*. Ibidem col. 395.

De Georgio Cedreno. 1070.

GEORGIUS CEDRENUS historicus Græcus scripsit *Compendium historiarum ab Orbe condito usque ad annum Domini* 157. quod opus extat Græcè, & Latinè.

DISSERTATIO HISTORICA.

HÆC de illo jam ab anno 1648. scripsimus in Protreptico pag. 9. Georgii Cedreni Monachi *Compendium Historiarum*, ab initio Mundi usque ad Isaaci Comneni tempora, & annum Christi 1057. ex versione Guillelmi Xylandri cum ejusdem Annotationibus, anno 1647. typis Regiis prodiit. Accesserunt præter lacunas tres ingentes & alias expletas Notæ in Cedrenum R. P. Jacobi Goar Ord. Præd. & Caroli Annibalis Fabroti J. C. eruditissimi, tum variæ ad oram paginarum animadversiones, tum mixobarbararum dictionum Glossarium ad eumdem Cedrenum. Porrò Georgii Cedreni Chronographi (*a*) meminit Zonaras seu Glycas, aut quis alius epist. 56. apud Leonem Allatium in dissertatione altera de libris Ecclesiasticis Græcorum, pag. 324. editionis Parisiensis. At nos Zonaræ tantùm 46. habemus Epistolas, & justa suspicio est Zonaræ lucubrationibus Epistolicis additas fuisse alterius cujuspiam Glyca nostro recentioris aliquot Epistolas. Qui enim fieri potuit, ut de Cedreno ne verbum quidem fecerit in Annalibus suis Glycas, qui Joannem Scylitzam, Joannemque Zonaram tam sæpè appellat. Hæc ego tum paucis: plura Vossius, tum in prima editione libri de Historicis Græcis, quam exscripsit Miræus, tum in altera longè castigatiore, ubi in addendis ad paginam 295. verba ipsa ex nostro ad Corpus Historiæ Byzantinæ Apparatu seu Protreptico repræsentat.

(*a*) Gretserus in Variarum libri III. cap. 4. meritò arguit Cujacium quòd Georgium Chronographum, quem Paulo Diacono miscuerunt, putaverit Cedrenum, cùm sit Georgio Syncello suffectus Theophanes Agri Abbas, nec aliter Cedrenus quam qua Theophanem ipse explicaverat.

De Adone Trevirensi. 1070.

ADO EPISCOPUS Trevirensis floruit tempore Gregorii VII. & scripsit Egregium Martyrologium, quod habetur ad finem septimi tomi vitarum Surii. Sed non desunt qui ambigant an hoc Martyrologium sit Adonis Trevirensis, an potius Adonis Viennensis. Nam Cardinalis Baronius in præfatione ad Martyrologium Romanum cap. 9. tribuit hoc Martyrologium Adoni Trevirensi: sed in Annalibus tomo 10. ad annum Domini 818. tribuit Adoni Viennensi. Et in ultima editione Antuerpiensi Adonis Viennensis, eidem tribuitur hoc ipsum Martyrologium. Sed multum me movet auctoritas Aloysii Lipomani, qui primus ex manuscriptis Codicibus in lucem edidit hoc Martyrologium sub nomine Adonis Trevirensis.

DISSERTATIO HISTORICA.

NULLUS fuit hoc nomine Trevirensis Archiepiscopus, nec mediocriter errarunt, qui cum Aloysio Lipomano, atque eruditissimo nostro Cardinale, Udoni de Nellemburgo, quem constat ætate Gregorii VII. Papæ vixisse, Trevirensemque Cathedram ab anno 1067. ad 1078. tenuisse, adjudicare veriti non sunt.

Martyrologium Sanctorum, quod absque ulla controversia

A versa auctorem genuinum agnoscit Adonem Viennensem in Gallia Præsulem, de quo sæculo *9.* suo loco diximus.

De Adamo Bremensi. 1070.

ADAM BREMENSIS Canonicus scripsit historiam Ecclesiasticam de propagatione religionis Christianæ in Regnis Septentrionalibus à Carolo Magno usque ad Henricum quartum. Addidit in fine libellum de situ Daniæ. Vivebat anno Domini 1070. ut colligitur ex historia ipsius lib. 4. cap. 35.

B DISSERTATIO HISTORICA.

ADAMUS Bremensis, ut ipse loquitur, Matricularius, vixit undecimo Christi sæculo ad finem vergente factus illius Ecclesiæ Canonicus, anno Christi 1077. Adalberti Archiepiscopi Bremensis 24. & post ejus obitum adhuc juvenis opus illud suum Historicum, de quo mox dicendum erit, conscripsit, dicavitque ejusdem Adalberti Successori Liemaro. De eo Helmoldus in Chronicis Slavorum, & recentiores.

Historia Ecclesiastica de Religione Catholica, per diœceses Bremensem & Hammeburgensem, atque adeò universam Septentrionalem plagam propagata, à C temporibus Caroli Magni Imperatoris christianissimi usque ad tempora Henrici IV. extat sæpè typis commissa.

De Joanne Curopalate. 1070.

JOANNES CUROPALATES scripsit *historiam ab anno Domini* 811. *usque ad annum* 1081. extat cum variis Cassiodori, excusus Venetiis anno millesimo quingentesimo septuagesimo.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES Scylitzes, dignitate atque officio Curopalates, vixit extremo Christi sæculo unde-D cimo sub Alexii Comneni Imp. initia. Hujus historiam à fine Theophanis inchoatam, in plerisque αὐτολεξεὶ exscripsit Georgius Cedrenus, paucis subinde recisis, mutatisve, ut in Catalogo Protreptici nostri obiter insinuavimus. Nec erat tanti ut Vossius, aliique hoc in controversiam adducerent, pluribusque persequerentur uter plagiarius esset, quod prima fronte occurrere iis debet, qui utriusque præfationem meditato evolverint. Vide pagg. 297. & sequentes usque ad 301. novæ editionis Historicorum Græcorum. Errant autem insigniter qui ab eodem Joanne Curopalate exscriptum referunt Georgium Syncellum, cùm ipsemet in sua præfatione E exertè pronunciet se ab eo tempore ordiri narrationem, ubi desiit Theophanes, nec memini me uspiam legisse aut accepisse integrum Annalium Georgii Cedreni opus tribui multis in codicibus Joanni Curopalatæ.

Historia ejus ab anno 813. sive à fine imperii Michaelis Ramgabi Curopalatæ, ubi desivit Theophanes, *inchoata*, *desinit in annum* 1081. quo Alexius Comnenus factus est Imperator Græcorum, à Joanne Baptista Gabio Latinè reddita, Venetiis prodiit in minori folio. Nusquam verò Græcè tota excusa fuit, sed pauca dumtaxat Excerpta, ab anno scilicet 1057. ad 1081. utraque dialecto subjecta fuere Compendio Historico Cedreni, cum aliquot notis R. P. Jacobi Goar Ord. Præd. anno 1647. in Typographia Regia excuso.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES SCYLITZES, dignitate atque officio Curopalates, vixit extremo Christi sæculo undecimo, sub Alexii Comneni Imp. initium, de quo Bellarminus & Labbeus in Dissertatione historica de Scriptoribus à Bellarmino recensitis. *Ejus Historia anno* 813. sive à fine Imperii Michaelis Ramgabi Curopalatæ ubi desivit Theophanes, inchoata, *desinit ad annum* 1081. quo Alexius Comnenus factus est Imperator Græcorum. Hæc à Joanne Baptista Gabio latinè reddita Venetiis prodiit in minori foliò: nusquam verò græcè tota excusa fuit, sed pauca dumtaxat excerpta, ab anno scilicet 1007. ad annum 1081. quæ græcè & latinè subjecta fuerunt Compendio historico Georgii Cedreni, cum aliquot Notis Jacobi Goari Ordinis Fratrum Prædicatorum, anno *1647*. Parisiis in Typographia Regia excuso. Hæc nos ex citato Labbeo, cui addimus extare manuscriptum codicem Græcum Joannis Scylitzæ Curopalatæ, Romæ in Bibliotheca Reverendorum Patrum Oratorii, ut audio; itemque in Messanensi Sancti Salvatoris, ut certò scimus: unde Græcus textus Latinò facilè adjungi posset.

De Durando Monacho. 1070.

SUPPLEMENTUM.

Durandum Monachum vide sæculo 14. *post Durandum à S. Portiano.*

De Gerardo Corbejensi. 1070.

SUPPLEMENTUM.

GERARDUS primùm Monachus & Æditυus seu Sacrista Corbejensis Monasterii, tum postea Cellerarius, factus deinde Abbas sancti Vincentii Laudunensis, circa annum 1070. in locum Fratris Reginarii suffectus, vir pietate ac sanctitate insignis, velut acta ipsius testantur, quæ suo stylo prosecutus est Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino lib. 2. Observationum ad diem 5. Aprilis. Hic cum Cellerarii officio apud Corbejam fungeretur, scripsit *Vitam S. Adhalardi Abbatis Corbejensis*, quod præstitit occasione receptæ sanitatis per sanctum Virum, qui ipsum ab improbo capitis dolore liberaverat. Hanc ediderunt Surius & Bollandus ad diem 2. Januarii & Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ordinis D. Benedicti tom. 1. pag. 345. Ex Abbate sancti Vincentii Laudunensis, postea circa annum 1077. Abbas præficitur Monasterio Sancti Medardi Svessionensis: sed à Bertha Regina Philippi Regis conjuge pulsus, Cœnobium Silvæ Majoris Diœcesis Burdegalensis fundat circa idem tempus, eique primus Abbas præest anno eodem 1077. de quo sic Chronicon Malleacense: *Anno* 1077. *Giraudus ædificare cœpit Cœnobium sanctæ Mariæ Silvæ Majoris & obiit* 1095. 7. *Idus Aprilis*. De illo agunt quisquis auctor est vitæ S. Arnulphi Svessionensis cap. 18. sive is sit Liziardus Svessionensis, sive Hariulphus Aldemburgensis Abbas; Martyrologium Benedictinum Hugonis Menardi ad diem 5. Aprilis, Joannes Mabillon & Bollandus locis indicatis; Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tom. 4. in Catalogis trium Abbatiarum S. Vincentii Laudunensis, S. Medardi Svessionensis, & Silvæ Majoris. Imò plura de illo promittit idem Joannes Mabillon sæculo sexto Sanctorum Ordinis D. Benedicti, ad annum 1095. ubi ejus

Elogium Historicum post Hugonem Menardum, ex variis monumentis conscribet.

De Conrado Episc. 1070.

SUPPLEMENTUM.

CONRADUS seu CONRARDUS Henrici IV. Imperatoris Præceptor, eoque sollicitante factus Episcopus Ultrajectinus post Guillelmum anno 1075. scripsisse dicitur librum, quem alii adscribunt Vvaldramo Naumburgensi in Saxonia Episcopo, alii Vvenerico Vercellensi Episcopo. Inscribitur, *Apologia de Unitate Ecclesiæ conservanda, & Schismate inter Henricum IV. Imperatorem ac Gregorium VII. Pontificem Maximum*: Quam ex manuscripto Codice Fuldensis Abbatiæ erutam Marquardus Freherus inseruit primo Volumini Veterum Historiæ Germanicæ Scriptorum, ex tribus editis in fol. Francofurti Vvechelianis typis annis 1600. 1602. & 1611. Hanoviæ. Constructa majori Ecclesia Ultrajectensi, sumptibus potissimùm Henrici IV. Imperatoris, Conradus occisus est anno 1099. octavo Kalendas Maji, de quo abundè Joannes de Beka in Chronico de Episcopis Ultrajectinis, Joannes à Leidis Carmelita, Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tomo 1. pagina 828. in Archiepiscopis & Episcopis Ultrajectensibus, post plures alios quos allegant.

De Bennone Card. 1070.

SUPPLEMENTUM.

BENNO CARDINALIS & Hostis Gregorii Papæ VII. infestissimus, scripsit *Vitam illius*, vel potiùs optimi Pontificis famam libris duobus proscidit, quos edidit Melchior Haiminsfeldius Goldastus Hannoviæ in 4. anno 1611. cum scriptis penè omnibus contra Gregorium VII. facientibus, inclusis in opere isto quod inscripsit, *Apologiam Principum Germaniæ pro Henrico IV. Imperatore contra Criminatores, &c.* Ibidem itaque aperti Gregorii septimi hostes idem faciunt, Conradus Episcopus Ultrajectinus in *Oratione pro Imperatore contra Papam*, pag. 48. Idem Vvaldramus Naumburgensis Episcopus, *in Epistola ad Langravium Thuringiæ pro Imperatoris fide contra Papam*, ibid. pag. 51. & *Apologiarum pro Imperatore libris tribus*, ibid. pag. 53. & *Opusculo de Investitura Episcoporum facienda per Imperatores*, ibid. pag. 226. Idem Otbertus Leodiensis Episcopus, *Epistola de Vita & obitu Henrici IV. Imperatoris*, ibid. pag. 204. & Everhardus Salisburgensis Archiepiscopus, *Oratione de Hildebrandi Anti-Christiano Imperio*, ibid. pag. 237. denique *Supplex Libellus Decani & Conventualium Abbatiæ Laurishamensis* ad Henricum V. Imperatorem contra Hildebrandinos Monachos de Hirsaugia, ibid. pag. 233. Eumdem insectatus est Vvenericus Vercellensis Episcopus in opere, *de Unitate Ecclesiæ conservanda & de Schismate inter Henricum IV. Imperatorem & Gregorium VII. Romanum Pontificem*, quod primò Basileæ, impressum est anno 1557. in Collectaneo Antiquarum Legum Salicarum, Saxonicarum & Germanicarum in fol. cura & studio Joannis Heroldi, dein tom. 1. Collectanei Veterum de Rebus Germanicis Scriptorum Marquardi Freheri, anno 1600. Francofurti in fol. typis Vvechelianis; denique Argentorati annis 1609. & 1618. cum variis. Sed contra hos in patrem suum armatos filios, fideles & sinceri ejusdemque temporis Scriptores multi, quos Ingolstadii variis temporibus edidit Jacobus Gretserus Societatis Jesu, Gregorii VII. defensor fortissimus: nempe Gerhohus Abbas Reicherspergensis, *in Syntagmate de Henricis IV. & V. Imperatoribus, & de Gregorio VII. & nonnullis consequentibus Pontificibus*, Ingolstadii in 4. anno 1611. Item Bertoldus seu Belnaldus Presbyter Constantiensis *in Opusculis quibusdam Apologeticis pro Gregorio VII.* quæ Gretserus edidit ad calcem tomi secundi defensionis Bellarmini, Ingolstadii anno 1609. pagina 43. & Opusculo *De vitanda Excommunicatorum Communione*, apud Gretserum pag. 237. impresso in Opere *contra Replicatorem seu Melchiorem Goldastinum*, Ingolstadii anno 1612. in 4. Sanctus Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus, *in Epistola ad Herimannum Metensem Episcopum*, ibidem pagina prima & sequentibus, relata à Gretsero contra Replicatorem: Et Stephanus Episcopus Halberstatensis, *Epistola contra Schismaticos*, ibidem relata pagina 301. Paulus denique Bernriedensis Abbas *in Vita Gregorii VII.* quam scripsit contemporaneus testis, & idem Gretserus edidit Ingolstadii anno 1610. in quarto. Hæc pauca de sibi adversis hujus alteriusque sæculi Scriptoribus, pro & contra Gregorium VII.

De Michaele Psello. 1070.

SUPPLEMENTUM.

MICHAEL PSELLUS Præfectus studiis Michaelis Ducæ Imperatoris, qui fuit Constantini Ducæ filius, & anno 1071. Romano Diogeni successit in regimine Orientalis Imperii. Floruit anno 1071. & sequentibus, insignis ob magnam rerum philosophicarum & divinarum scientiam, quam probant plurima ejus Opuscula tam impressa quàm etiam manuscripta adhuc latitantia in variis Bibliothecis. Spectant ad Michaelem Psellum *Paraphrasis seu Commentarius in Cantica Canticorum*, græcè editus à Joanne Meursio anno 1617. in 4. una cum Eusebii in idem Canticum paraphrasi. *De sanctissima Trinitate*, Græco-latinè cum Cyrillo contra Nestorianos in 8. Augustæ Vindelicorum anno 1611. cum Notis per Vvegelinum. *Dialogus de Energia & Operatione Dæmonum*, ex Græco à Petro Morellio Parisiis in 8. apud Guillelmum Chaudiere anno 1577. *Jambi in vitia & virtutes*, græcè in 8. Basileæ 1544. cum ejusdem *Isagoge in Tantalum & in Circen* ibid. & *Allegoria de Sphinge* ibid. typis Oporinis. Nec tantùm Theologus, sed & Philosophus & Mathematicus & Physicus extitit, ut Opera ejus sequentia demonstrant. Habetur enim Michaellis Pselli *Introductio in sex Philosophiæ modos, & Compendium quinque Vocum & decem Prædicabilium*, græco latinè Parisiis in 12. anno 1541. *In Librum Ammonii Hermæi De Interpretatione* Commentarius Græcè in folio Venetiis anno 1503. apud Aldum. Ejusdem *Metaphrasis Libri secundi Posteriorum*, Emanuele Margunio interprete, in 8. Venetiis apud Juntas anno 1575. *in Physicam, vel in octo libros Physicorum* Commentarius, Joanne Baptista Camotio interprete, in folio Venetiis anno 1554. *In quatuor Mathematicas Disciplinas* græcè Parisiis in 8. anno 1545. Idem latinè interprete Guillelmo Xilandro, cum ejus Annotationibus in 8. Basileæ 1556. typis Oporinis. Idem latinè per Vinetum in 8. Parisiis anno 1557. apud Cavellat. Hoc Compendium Mathematicum editum pariter in 8. Lugduni Batavorum anno 1647. *De Ratione victus ad Constantinum Imperatorem*, latinè Georgio Valla interprete, in 8. Basileæ anno 1529. *De lapidum virtutibus* græco-latinè à Philippo Maussaco Tolosæ in 8. anno 1615. Extant adhuc alia Opuscula manuscripta in Bibliothecis, Regia Gallica, Imperatoria Vindobonienſi, Vaticana, & alibi: quæ hic recensere, otiosum ac tædiosum fuerit.

De VVilleramo Monacho. 1070.

SUPPLEMENTUM.

WILLERAMUS Germanus, Monachus Fuldensis Ordinis Divi Benedicti, deinceps autem Abbas sancti Petri Merseburgensis Congregationis Cluniacensis, qui claruit anno 1070. scripsit *in Canticum Canticorum Epithalamium de Christi & Ecclesiæ nuptiis*, ex diversi generis Carminibus prosa intermixtis Libros tres, quorum initium est, *Cùm Majorum studia, &c.* Hæc autem Willerami Abbatis Paraphrasis in Cantica Canticorum gemina; prior Rythmis Latinis, altera veteri Lingua Francica, cum Explicationibus & Notis, quibus veterum vocum Francicarum ratio redditur, edita cum Dracontio in Exameron Lugduni Batavorum anno 1598. per P. Merulam in octavo. Vide Possevinum *in Apparatu sacro* tom. 2. pag. 548.

De Theophilacto. 1071.

THEOPHILACTUS Archiepiscopus Bulgarorum vixit tempore Alexandri Papæ secundi, & Romani Diogenis Imperatoris circa annum Domini 1071. ut Card. Baronius demonstrat ex epistolis ipsius Theophilacti. Scripsit *in Prophetas minores, Oseam, Jonam, Nahum, & Habacuc.* Scripsit *in quatuor Evangelia, & in omnes epistolas sancti Pauli*, in quibus Commentariis in Evangelia, & in epistolas, ita Chrysostomum secutus est, ut Chrysostomi abbreviator dici possit.

Porrò schismaticum fuisse Theophilactum intelligi potest ex Commentario in cap. 3. Joannis, ubi Latinos reprehendit, quòd credant Spiritum sanctum à Filio etiam procedere.

DISSERTATIO HISTORICA.

THEOPHILACTUS, Acridæ in Bulgaria Archiepiscopus in lectione operum Sancti Joannis Chrysostomi versatissimus, quem Erasmus alicubi Vulgarium pro Bulgare seu Bulgarorum Præsule appellitat, non anno 860. ut Possevinus, Perronius Card. & plerique alii, sed circiter annum 1071. vivebat tempore Summi Pontificis Alexandri II. & Romani Diogenis Græcorum Imperatoris, ut ex ejus epistolis constat. Pervenisse quoque usque ad Pontificatum Gregorii VII. & Imperium Nicephori Botoniatæ mihi exploratum. Quo autem obierit anno, prorsus ignoto. De eo nonnulla Sixtus Senensis, Possevinus, Baronius, & Bellarminus, atque ex eo, ut solet, Miræus. Ineptus Patrologus maximus ille Senensium ac Wittebergensium Propheta Lutherani dogmatis Achilles nobilissimus, postquam Theophilactum ex Baron. & Bellarm. an. 1071. ex Mornæo 880. & aliis 990. collocavit, subdit: Ab Eutropio lib. 22. ponitur circa annum Christi 760. sed quia Bulgaros convertisse dicitur, rectiùs statuitur recentior. Quæ verba non sani capitis non sanus juret Orestes.

Extant plura ejusdem in Sacros libros Commentaria ex Sancti Chrysostomi grandioribus voluminibus delibata, & velut in epitomen contracta. Ea fermè omnia Latinè simul prodierunt Basileæ ex officina Hervagiana per Eusebium Episcopium anno 1570. & antea Parisiis 1554. & alibi, ut ex Simleri Bibliotheca & Possevini Apparatu disces. Nos præcipuas quasdam editiones, & quantum fieri potest, Græco-Latinas sectamur.

Commentaria in quatuor D. N. J. C. *Evangelia*, A Græcè & Latinè Parisiis anno 1631. ex versione Joannis Oecolampadii recognita à Philippo Montano Armenteriano. Romana editio Græca annis 1542. & 1568. excusa olim erat in pretio. Ex iis verò depromuntur validissima adversus Sacramentarios jacula ab Em. Card. Perronio, quibus numquam satisfacient futiles argutiunculæ ac tergiversationes vitilitigatoris Aubertini, qui in toto illo opere de Eucharistia nihil aliud velle visus est, quàm vel apud bardos aliquos Calvinistas nulliusque judicii homunculos plausum sibi facere, vel apud æquos rerum istarum æstimatores, quibus in leva parte mamillæ cor salit, famæ ac nominis sui jacturam facere sempiternam. Id verò luce meridiana clarius ostendere possunt, qui B in Sanctorum Patrum Veterumque Scriptorum lectione absque præjudicio obstinatæ in hæresi voluntatis sincerè ac sine fuco versantur: nec eo fine ad hoc opus se accingunt, ut obtorto collo pedibus manibusque reluctantes atque invitos in suas partes pertrahant canos illos Patres, quos conscientia teste norunt sibi suisque dogmatibus adversarios.

Commentaria in Acta Apostolorum, Græcè & Latinè ex Laurentii Sifanii interpretatione Coloniæ anno 1568. cum quibusdam Sanctorum Patrum orationibus. Addit editionem Basileensem anni 1570. Possevinus eodem Laurentio Sifanio & Philippo Montano interpretibus.

Commentaria in Epistolas Sancti Pauli, Græcè & C Latinè Londini anno 1636. ex versione Joannis Loniceri recognita ab eodem Philippo Montano Armenteriano: quare mirum mihi videtur cur interpretationem illam Philippo dumtaxat recognitori tribuerint Anglicanæ officinæ. De Christophori Porsenæ Romani versione an. 1469. Sixto IV. Papæ dicata, deinde Coloniæ 1531. Parisiis 1553. &c. Vide Possevinum.

Commentaria in quatuor è minoribus Prophetis, nimirum *Habacuc, Jonam, Nahum, & Oseam* (quamquam hoc initio ac fine mutilum sit) Latinè tantùm prodierunt ex interpretatione Joannis Loniceri recognita ab eodem Philippo Montano.

Epistolæ ejus numero LXXV. Græcè, editæ sunt D anno 1617. in 4. Lugduni Batavorum cura Joannis Meursii ex officina Godefridi Bassoni. Eædem Latinitate donatæ à Vincentio Marinerio Valentino prodierunt Coloniæ anno 1622. in postremó Volumine Bibliothecæ Veterum Patrum cura R. P. Andreæ Schotti.

Oratio in adorationem venerandæ Crucis medio Jejuniorum tempore è Bibliotheca Bavarica Græcè & Latinè interprete Jacobo Gretsero Soc. Jesu Theologo pag. 385. Tomi II. de Cruce.

Institutio Regia ad Constantinum Porphyrogenitum Michaelis Ducæ Parapinacii & Mariæ Augustæ filium, Græcè & Latinè interprete R. P. Petro Possino Soc. Jesu Theologo, Parisiis 1651. in 4. è Typographia Regia. E

Ejus verò, alteriusve Theophilacti, fortè Simocattæ (*a*), dicendum sit Fragmentum *de risu & vociferationibus in Festis Sanctorum & de Nicephoro Confessore*, ambigo. Extat in Bibliothecis Veterum Patrum Parisiensibus Tomo VI.

Cautionem Theophilacto hanc adscripsit Possevinus, errasse nimirum enarratione in caput 3. Evangelii S. Joannis circa processionem Spiritus Sancti ex Patre ac Filio, quam Catholici veteresque Patres colligunt ex iis verbis Joannis 20. Insufflavit ac dixit: Accipite Spiritum Sanctum. Idem monuit ab interpretibus ejus Hæreticis Joanne Oecolampadio ac Joanne Lonicero falsatos fuisse locos, qui ad potestatem Summi Pontificis spectant.

(*a*) Archiepiscopo Achridano potiùs quàm cæteris

teris Theophilacti fragmentum illud adjudicandum censeo quod in Bibliothecis Veterum Patrum occurrit: *Quin & hunc morem introduxit, qui hodie obtinet, quod in splendidis atque solemnibus Festivitatibus Deo & Sanctorum recordationi fit contumelia per fœdas cantilenas ac risus & insanos clamores, quibus adhibitis S. Hymni cantantur, &c.*

Supplementum.

THEOPHILACTUS Acridæ in Bulgaria Episcopus, claruit anno circiter 1080. de quo plenè loquuntur Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & Labbeus ibidem, quibus addo in Supplementum Operum quæ recensent, Commentaria Theophilacti *in quatuor ex minoribus Prophetis*, nimirùm *Habacuc*, *Jonam*, *Nahum & Oseam*, juxta Labbeum, latinè tantùm prodierunt ex interpretatione Joannis Loniceri, recognita à Philippo Montano: sed integra Theophilacti Bulgariæ Episcopi Enarratio in duodecim Prophetas minores, græcè mss. extat in folio in Bibliotheca Augustana Codice 48. Ejusdem quoque *Colloquium cum quodam de Accusationibus Latinorum, & Oratio in Alexium Comnenum Imperatorem*, mss. græcè in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis Codice 116. Hæc nos ad Supplementum magni viri Theophilacti.

De sancto Anselmo Lucensi. 1077.

SANCTUS ANSELMUS Mantuanus, Episcopus Lucensis ab Alexandro II. creatus, ac deinde, cùm in Monasterium se abdidisset, à Gregorio VII. ad Episcopatum revocatus sanctitate, & miraculis clarus obiit anno Domini 1086.

Scripsit *libros duos ex Patrum sententiis pro Gregorii VII. decreto & rebus gestis contra Henricum Imperatorem, & contra Guibertum Antipapam*, qui extant apud Henricum Canisium tomo 6. antiquæ lectionis.

Scripsit quoque *in lamentationes Hieremiæ, & in Psalmos aliquot explicationem*: quæ duo posteriora opera utrum extent, ignoro: post obitum innumeris miraculis floruit: vide Annales Card. Baronii ad annum 1086. tomo 11.

Dissertatio Historica.

SANCTUS ANSELMUS patria Mantuanus, ab Alexandro II. Papa anno 1071. Lucensis in Tuscia Ecclesiæ creatus Episcopus, obiit die 18. Martii anni 1086. & Mantuæ in patria sepultus est (*a*). De eo præter Romanum Martyrologium & Baronii notas dicta die, consulendi ipsi quoque Annales, in quibus plures ejus Epistolæ, & in Tomis Conciliorum apud Binium, Sigebertus cap. 161. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Abbas Urspergensis, Conradus Liechtevanius, Joannes Trithemius, Arnoldus, Wion, aliique recentiores. Extant tum apud Henricum Canisium, tum Tomo XV. magnæ Parisiensis Bibliothecæ Veterum Patrum, & XI. Coloniensis.

Libri duo contra Guibertum Antipapam, & sequaces ejus, pro defensione Gregorii VII. Papæ &

Collectanea quædam ex variis Scriptoribus, eidem adscripta, quibus demonstrare studet, Ecclesiæ facultates non esse in potestate Regis aut Cæsaris. Reliqua ejus scripta perierunt, aut sepulta latent in Bibliothecis.

(*a*) In Divi Petri Cathedrali Ecclesia, in qua integrum ejus corpus in hunc usque diem servatur. Sixtus Senensis asserit hortante illustrissima fœmina Mathilde edidisse in Psalmos Davidicos librum unum à principio ad Psalmum 117. & in Jeremiam Prophetam Explanationis librum alterum. Verùm in eo graviter hallucinatus est, quod Mantuanum scribat fuisse Episcopum, & ab eo distinguat Anselmum Episcopum Lucensem Gregorii Soanensis Papæ VII. cooperatorem indefessum. Vitam ejus metro scripserat Rangerius Lucensis Ep. teste Domnizone libri 2. cap. 3. De eodem consule Anonymum editum à Sebastiano Tengnagelio; & Italiam Sacram Ferdinandi Ughelli.

Supplementum.

ANSELMUS patria Mantuanus, factus est ab Alexandro Papa secundo anno 1071. Lucensis in Tuscia Episcopus, vir Sanctitate & doctrina clarus, maximus Gregorii VII. Summi Pontificis fautor, obiit die 18. Martii 1086. & Mantuæ in patria sepultus est. Bellarminus & Labbeus de illo agunt in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quibus addo in multis Codicibus manuscriptis adscribi illi *insignem Collectionem Canonum Ecclesiasticorum*, quam habes manuscriptam in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, in Regia Gallica, & Romæ in Barberina, ut tradit Stephanus Baluzius *in Opere de Emendatione Gratiani* edito Parisiis in 8. anno 1672. apud Franciscum Muguet, tam in præfatione ad Lectorem num. 19. quàm etiam in Notis pagina 641. quam legito. Hoc autem Opus ob rationes à Baluzio allatas, mihi fermè indubium est *Hildeberti Cenomanensis Episcopi*, cujus temporibus optimè convenit, & qui potuit ad calcem Operis sui adjecisse Decreta aliqua Innocentii Secundi, ut in certis manuscriptis inveniuntur; qui denique tentasse simile aliquid legitur, ut constat ex præfatione Operis quæ est inter ejus Epistolas. Legitur, in antiquis impressis. Promiserat hujus Collectionis editionem Domnus Lucas Dacherius in Spicilegio suo, quod non præstitit, persuasus forsitan quòd non pertineat ad Anselmum Lucensem.

De sancto Anselmo Cantuariensi. 1081.

SANCTUS ANSELMUS Cantuariensis Archiepiscopus factus est anno Domini 1093. tempore Urbani secundi Pontificis & Henrici tertii, aliàs quarti Imperatoris. Vir fuit natione Italus, professione Monachus, ingenio acerrimo, & sanctitate admiranda cum maxima prudentia, & humilitate conjuncta, discipulus, & successor Lanfranci de quo paulò ante diximus. Ejus vita ad Edinero fideliter conscripta apud Surium extat die 21. Aprilis: obiit feliciter anno ætatis 76. salutis 1109. nisi sit error in notis, & scribendum sit 1106. vixit enim annos tredecim in Episcopatu, & creatus fuerat Episcopus anno Domini 1093. quæ omnia ex ipso Edinero constant. Scripsit *multa opera* sed multo plura ei falsò attribuuntur. Adscribam hìc primùm ea, quæ Edinerus familiaris ejus annotavit, & ipso ordine, quo ab Anselmo scripta fuisse narrat Edinerus.

Primò igitur scripsit *libros tres*. *De veritate* 1. *De libero arbitrio* 1. *De casu Diaboli* 1. Deinde scripsit *alios tres*. *Monologii librum* 1. *De Grammatica* 1. *Prosologii* 1.

Scripsit paulò post *responsionem ad quemdam reprehensorem suum, præmissa ipsa reprehensione*. Hi libri inscribuntur, pro insipiente, & contra insipientem: atque hæc opera antequam Archiepiscopus fieret, composuit. Deinde Archiepiscopus factus scripsit *librum*

librum unum de Incarnatione Verbi, quem Urbano Papæ obtulit, quique illi gratissimus fuit.

Scripsit deinde *apud Capuam in Italia librum*, quem in Anglia inchoaverat, qui inscribitur, *Cur Deus homo*. Postea Lugduni in Gallia scripsit *duos libros*.

De conceptu Virginali, & peccato originis, lib. 1. *De meditatione redemptionis humanæ*, 1.

Non procul à fine vitæ scripsit in Anglia, *De concordia præscientiæ, prædestinationis, & gratiæ Dei cum libero arbitrio*.

Et cùm moreretur, dixit, optare se adhuc modicum temporis, ut quæstionem obscurissimam de origine animæ, quam cœperat, absolveret: sed hoc tempus datum ei non est, ut majus bonum ei in æternitate daretur.

Scripsit denique *multas epistolas* tum ante Archiepiscopatum, tum postea, quarum duodecim extant. Hæc omnia opera extant sæpius excusa, excepto ultimo, & de his nulla quæstio fieri debet. Nunc subjiciam opera, quæ feruntur sub nomine sancti Anselmi, tribus tomis distincta.

In primo tomo sunt

Commentaria in Matthæum, & lectiones, sive explanationes in varia loca Evangeliorum.

In secundo tomo sunt

Commentaria in Epistolas sancti Pauli. Commentaria in Cantica, & in Apocalypsim.

In tertio tomo sunt

Opuscula & Epistolæ: & quidem opuscula præter ea quæ ex Edinero posuimus hæc sunt.

De processione Spiritus sancti, lib. 1. *De fermentato, & azymo*, 1. *De diversitate Sacramentorum*, 1. *De similitudinibus*, 1. *De voluntate Dei*, 1. *De miseria hominis*, 1. *De mensuratione Crucis*, 1. *Meditationum libellus*, 1. *De vestimentis, membris & actibus Deo tributis*, 1. *De Passione Domini dialogus*, 1. *Speculum Evangelici sermonis, sive stimulus amoris*, 1. *Homilia de Assumptione in illud, Intravit Jesus*, 1. *De excellentia B.V. Mariæ*, 1. *De imagine mundi*, 2.

Hæc opera distincta quatuor tomis, sunt excusa recenter Coloniæ anno 1612. apud Petrum Cholinum in fol. qua edit. tom. 4. epistolas varias hactenus non editas continet, ut & alia noviter inserta.

Observatio prima.

De Commentario in Matthæum, & lectionibus in varia loca Evangeliorum, ambigo an sint sancti Anselmi: non enim credibile est, ab Edinero potuisse omitti, qui tam minutè opuscula numeravit. Ad hæc, in editione Parisiensi anni 1544. in qua dicuntur esse omnia opera sancti Anselmi; Commentarius in Matthæum non invenitur. Nihil tamen definio, sed suspicionem meam aperio.

Observatio secunda.

Commentaria in epistolas sancti Pauli in editione Parisiensi anni 1544. tribuuntur Hervæo non Anselmo: & videtur ista inscriptio verior. Primò quia hoc opus tam prolixum, & magnum ab Edinero non numeratur inter opera sancti Anselmi. Secundò, quia Hervæi habet vetus inscriptio. Tertiò, quia ista Commentaria contexta sunt ex aliorum explanationibus, & sæpè leviora sunt, quàm esse soleant scripta sancti Anselmi.

A Commentaria in Cantica, & in Apocalypsim, tribui solent Anselmo Laudunensi, sed facilè fieri potuit, ut propter nominis similitudinem opera unius sint attributa alteri, præsertim cùm Edinerus horum Commentariorum non meminerit.

Observatio tertia.

Ex opusculis, quæ in Edinero non inveniuntur apertis verbis, videntur admittenda ut germana sancti Anselmi opera, illa tria, quæ sunt contra Græcos, videlicet, De processione Spiritus sancti, De azymo, & fermentato, & de diversitate Sacramentorum. Scribit enim Edinerus lib. 2. sanctum Anselmum jussu Urbani Papæ in Concilio Barensi disputasse cum Græcis, eosque apertissimè convicisse: &
B credibile est eas disputationes ab eodem Anselmo litteris fuisse mandatas, adde, quòd opusculum de azymo, & alterum de diversitate Sacramentorum, habent stylum Anselmi, & præfixam epistolam Anselmi ad Valramum Episcopum, ut ex initio librorum constat, & in priore libro fit mentio libri de processione Spiritus Sancti ab eodem Anselmo conscripti.

Item opusculum, quod inscribitur, stimulus amoris, videtur esse illud, de quo Edinerus in princ. lib. dicit Anselmum scripsisse precationes suas ad Deum: hoc enim opusculum nihil aliud continet, nisi pias
C precationes ad Deum per omnes articulos vitæ, & Passionis Christi.

Eodem pertinet libellus meditationum, qui solas preces continet.

Opusculum de vestimentis, & membris, & actibus Deo tributis, præterquam quod non habetur apud Edinerum, habetur inter libros S. Hieronymi, & sancti Augustini, sub alio titulo, sed neque illorum Patrum est, ut suprà diximus. Inter opera sancti Hieronymi inscribitur, de his quæ Deo in Scripturis attribuuntur. In operibus verò S. Augustini inscribitur, de essentia divinitatis.

Dialogus de Passione Domini non est sancti Anselmi, sed alicujus indocti hominis, qui multa inepta, & aliqua falsa scribit: & ipsum Anselmum, vo-
D cat S. Anselmum, quem titulum ipse sibi numquam tribuisset.

Homilia de Assumptione S. Virginis extat etiam inter Homilias ab Alcuino collectas: Alcuinus autem præcessit Anselmum ferè trecentis annis.

Opusculum de excellentia S. Virginis non videtur Anselmi, non solùm quia ejus non meminit Edinerus, sed etiam quia non habet stylum, neque gravitatem Anselmi.

Opusculum de similitudinibus non est Anselmi sed alicujus discipuli ejus: nam in ultimis capitibus vocat Anselmum Patrem suum, & multa narrat de ejus verbis & factis.

E Opusculum de Imagine mundi tribui solet Honorio Incluso, & continet multa fabulosa, & inepta, indigna, quæ tribuantur Anselmo.

Opusculum de commensuratione Crucis, ambigo cujus, sit cùm ejus non meminerit Edinerus.

Observatio quarta.

Sixtus Senensis in sua Bibliotheca tribuit S. Anselmo explicationem in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, & Judices: sed unde hoc habeat, divinare non possum, cùm tanta opera Edinerum latuerint.

DIS-

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS ANSELMUS in Augusta Salassorum urbe inter Alpes sita natus (Burgundum alii minùs rectè, ac Seduni apud Rhætos natum, quidam Pedemontanum vocitant atque Italum) relicto patre, quem nullo placare posset obsequio, patriaque clam abscedens, ad Lanfrancum venit Beccensis in Normannia celeberrimi Monasterii Priorem ac Magistrum, ubi factus Monachus, vixque elapsis tribus annis, deinde Prior per quindecim annos, atque Abbas ejusdem Cœnobii, exactis in supremo regimine totidem annis, Cantuariensem adeptus est Præsulatum anno Christi 1093. electus die 6. Martii prima Dominica Quadragesimæ. Multis pro Catholica Ecclesia perfunctus laboribus in Italia, Gallia, ac Britannia. Londini tandem obiit anno ætatis 76. Præsulatus 16. Christi 1109. die 21. Aprilis, feria quarta hebdomadæ Sanctæ, & in Ecclesia Cantuariensi ad caput Lanfranci prædecessoris sui sepultus. De eo Edinerus ejus discipulus, & comes assiduus tum in Vita duos in libros distincta, tum in Commentario de discordia inter S. Anselmum & Henricum Regem; Honorius Augustodunensis, qui eodem vivebat tempore, cap. 15. libelli 4. de præcipuis Luminaribus Ecclesiæ, Sigebertus capite 168. Henricus de Gandavo cap. 5. Dodechinus in Appendice ad Marianum Scotum, Hildebertus epist. 22. ad eum scripta, Guillelmi Gemeticensis & Neubrigensis, Ordericus Vitalis, Vincentius Bellovacensis, S. Antoninus Florentinus, Jo: Trithemius, Baronius, Possev. Bellarm. Harpsfeldius, aliique.

Duæ celebrantur præ cæteris operum D. Anselmi editiones, quarum catalogum in gratiam eruditi Lectoris diligenter recensebo.

Editio Coloniensis anni 1612. ex collatione veterum codicum emendata, Notis illustrata, & aliquot novis opusculis, tribusque Epistolarum libris aucta studio & opera D. Joannis Pichardi Bellovaci, Canonici Regularis ad S. Victoris Parisiensis, hanc servat librorum seriem.

Tomo I. Coloniensi continentur.

Vita D. Anselmi libri duo, auctore Edinero Anglo ejus contubernali & convictore. (*a*) *Enarrationes in Evangelium Matthæi*. Non sunt Anselmi Cantuar. sed fortè Laudunensis, ut mox dicemus. R. P. Theophilus Raynaudus in Erotematis de confixione librorum ex Pitseo & aliis Anglicanis Scriptoribus, adjudicat Petro Babioni, qui claruisse dicitur circa annum 1366. *Explanationes in aliquot Evangelia*. Lectiones vulgò dictæ nova accessione locupletatæ. Eidem quoque abjudicantur, sed nemo germanum parentem agnoscit. *Enarrationes in Cantica Canticorum*. Neque sunt ejus: sed fortè Hervæi Dolensis, aut Anselmi Laudunensis, (*b*) ut Bellarminus.

Tomo II. continentur.

Commentaria in omnes S. Pauli Epistolas. Ea sunt Hervæi, ut benè quidem Bellarminus, sed non Hervæi Natalis, natione Britonis, cui minùs rectè ea attribuit, verùm Hervæi Dolensis in Biturigibus Monachi, ut suo loco dicemus (*c*). *Enarratio in Apocalypsim S. Joannis Apostoli*. Tribuitur Anselmo Laudunensi, aut prædicto Hervæo.

Tomo III. continentur.

Carmen de Contemptu Mundi. *Hymni & Psalterium*

A *B. Virginis Mariæ*. *Monologion*, id est, Soliloquium, liber unus. *Proslogion*, idest, Alloquium, liber unus. *Pro insipiente*, liber unus. *Contra insipientem*, liber unus. *De Incarnatione Verbi*, liber unus. *Cur Deus homo*, libri duo. *De Veritate*, Dialogus unus. *De libero arbitrio*, Dialogus unus. *De casu Diaboli*, Dialogus unus. *Disputatio Dialectica de Grammatico*, Dialogus unus. *De Conceptu Virginali*, *& peccato originali*, liber unus. *De Sacramento Altaris* (*d*), cum Annotationibus D. Joannis Picardi Victorini Canonici. *De Processione Spiritus Sancti*, liber unus. *De Similitudinibus*, liber unus. Est alicujus ejus discipuli. *De voluntate Dei*, liber unus. *De concordia præscientiæ*, *& prædestinationis*, *necnon gratiæ Dei cum libero arbitrio*, liber unus. *De miseria hominis*, liber

B unus. *De vestimentis*, *& membris*, *& actibus Deo attributis*, liber unus, qui neque Anselmi est, neque Hieronymi, aut Augustini, licèt inter eorum opera reperiatur, ut monet Bellarm. sed alicujus auctoris, qui Eucherii Lugdunensis Episc. viderit Formulas spiritualis intelligentiæ, easque in multis expresserit. *De mensuratione Crucis*, de quo ambigit Bellarm. at cum citet S. Bernardum cap. 5. manifestum est alterius junioris fœtum esse. *Liber meditationum*. *De Meditatione redemptionis generis humani*, liber unus. *De Passione Domini*, Dialogus Anselmo falsò suppositus. *Stimulus amoris*, sive, Speculum Evangelici sermonis. *Homiliæ Evangelii secundùm Lu-*

C *cam*. *Passio Divi Guignieri*, *sociorumque*. *De excellentia gloriosissimæ Virginis Mariæ*, liber unus, qui Bellarmino non videtur referre stylum aut gravitatem Anselmi. *De imagine mundi libri duo*. Honorio cuidam Incluso Monacho Anglo tribui solent, aut fortè melius, Augustodunensi, quod jam observavit Trithemius: & sanè ipse Honorius cap. 17. libelli IV. ait se scripsisse Imaginem mundi de dispositione orbis.

Elucidarium, sive, Dialogus summam totius Christianæ Religionis complectens: de quo mirum nihil monuisse Bellarminum, cùm indignum prorsùs sit S. Anselmo illud Opusculum, quod fortè in editione antiqua, quam habebat in manibus, illud non

D repeniretur. P. Theophilus in Erotematis de confixione librorum, pag. 126. testatur se fusiùs monstrasse in Præfatione ad editionem Meditationum S. Anselmi, quæ seorsim in 12. facta est, librum illum à Jo: Trithemio Honorio Augustodunensi adscriptum, esse Guillelmi Coventriensis Carmelitani, ex Balæo scilicet, Pitseo, Simlero, & aliis, qui inter ejus opera numerant Elucidarium. Unum tamen est quod opponam in codice ms. Collegii nostri Parisiensis, cum pluribus Guiberti Novigentini Abbatis tractatibus opusculum illud reperiri, qui sanè superare videtur ætatem illius Carmelitæ, quem affigunt anno dumtaxat 1360. Liberum sit ergo de hoc cuilibet judicium, donec quid certius

E accedat. Propendeo tamen libentiùs in partes Trithemii, cùm citatus modò Honorius se afferat edidisse Elucidarium in tribus libellis, ac primum de Christo, secundum de Ecclesia, tertium de futura vita distinxisse. Quod sanè verissimum esse non diffitebitur quisquis ordinem Elucidarii methodumque diligenter animadverterit; esto in tres libellos modò tributum non appareat, sed uno ac continenti filo à capite ad calcem pertextum videatur.

Tomo IV. continentur.

Diversæ ad diversos exaratæ à S. Anselmo Epistolæ (*e*), quæ tunc primùm lucem aspexerunt studio & opera ejusdem Jo: Picardi Bellovaci tribus libris comprehensæ, cum ejusdem Notis.

De

De Editione Lugdunensi anni 1630.

Post hanc editionem omnium absolutissimam, R. P. Theophilus Raynaudus Cespitellensis, Soc. Jesu Theologus, sæpè à nobis ac meritò laudatus, laudandusque, Lugduni anno 1630. opera omnia sancti Anselmi extraneis in Sacros libros Commentariis exonerata pro argumenti qualitate novo ordine accuratè digessit in Didactica, Ascetica, Parænetica, & Notha, opuscula benè multa tunc primùm ex Vaticana Bibliotheca, aliisque luce donavit, pleraque incerto hactenus auctore vagata Anselmo parenti asseruit, & quæ supposititia sunt ac notha, à legitimis seposuit, servato hoc ordine: *Epistolæ S. Anselmi*, distinctæ in eas, quas nondum Abbas; & in eas, quas mox Abbas; tandemque in eas, quas Archiepiscopus ad varios dedit.

I. Pars: Didactica opuscula.

Monologion. Prosologion. Liber incerti auctoris pro insipiente, adversus B. Anselmi in Prosologio ratiocinationem. *B. Anselmi liber contra insipientem*, sive Apologeticus contra librum præcedentem. *Dialogus de Veritate. Dialogus de libero arbitrio. Dialogus de casu Diaboli. Disputatio Dialectica de Grammatico. Tractatus de Sacramento Altaris*, distinctus duas in Partes. *Pars prior*, Judicium de quibusdam sententiis contentis in opere de Divinis Officiis. *Pars Posterior*, de quibusdam Patrum sententiis circa Eucharistiam expositis, & ad invicem conciliatis. *Liber de Fide, sive, de Incarnatione Verbi. De Nuptiis Consanguineorum. Libri duo contra Gentiles*, Cur Deus homo. *De Processione Spiritus Sancti contra Græcos. De Conceptu Virginali, activo, & peccato originali*, cum Declaratione Incerti Auctoris in dicta quædam illius libri. Fragmenta variarum Sancti Anselmi tractationum *de Conceptu Virginali passivo. De tribus Valeranni quæstionibus, ac præsertim de Fermentato, & Azyma. De Sacramentorum diversitate. Concordia Præscientiæ, Prædestinationis, & Gratiæ cum libertate*, in tres Partes tributa. *Pars I.* Præscientiam videri discordare à libertate; quod non est. *Pars II.* Quid sit Prædestinatio, quòdque libertati non officiat. *Pars III.* De Concordia gratiæ & liberi arbitrii. *Liber de Voluntate Dei.*

II. Pars: Ascetica opuscula.

Meditationum libri decem. 1. *De humana conditione.* 2. *De terrore Judicii ad incutiendum timorem.* 3. *In deploratione virginitatis amissæ.* 4. De Redemptione humana. 5. *Unde vivant animæ bonæ & malæ, deque earum diverso exitu à corpore.* 6. *Ad excitandam animam, ut peccata dimittat.* 7. *Ad roborandam Spem.* 8. *De humanitate Christi.* 9. *De eadem materia.* 10. *De Divinitate Christi. Liber de salute animæ*, qui & Manuale dici potest, perperam hactenus Divo Augustino tributum. *Meditatio ad Sororem*, de præteritis, præsentibus, ac futuris beneficiis Dei. *Meditatio de Passione Christi. Alloquia cœlestia*, sive, Faculæ piorum affectuum erga Deum, Christum, Deiparam, Cœlites complures, numero LVII. *Mantissa Meditationum & Orationum*, in quinque partes tributa. 1. *Erga dulcedinem Divinæ Majestatis, & de aliis multis.* 2. *Excitatio ad quærendum & inveniendum Deum.* 3. *Sagitta, potentis acutæ in corda inimicorum Regis.* 4. *De dignitate & virtute Sanctæ Crucis.* 5. *De laudibus Genitricis D. N. Jesu Christi. Hymni & Psalterium in commemoratione Deiparæ. Liber de excellentia gloriosæ Virginis Mariæ. Liber de quatuor virtutibus Beatæ Mariæ,*

A *ejusque sublimitate. Passio SS. Guigneri, sive Fingaris, Pialæ & Sociorum.*

III. Pars: Parænetica opuscula.

Liber exhortationum ad contemptum temporalium, & desiderium æternorum. Admonitio pro moribundo. Parænesis ad Virginem lapsam. Sermo, sive, Liber de Beatitudine. Homilia in illud Evangelii: Introivit Jesus in quoddam castellum. *Homiliæ in aliquot Evangelia. Carmen de contemptu mundi, & alia carmina.*

IV. Pars: apertè notha opuscula.

B *Liber de similitudinibus B. Augustino adhiberi solitis. Quædam dicta utilia, collecta ex dictis Sancti Anselmi. Liber de mensuratione Crucis. Dialogus de Passione Domini. Liber de vestimentis, & membris, & actibus Deo attributis. Elucidarium*, de quo & de sequenti opusculo abundè Lectorem jam monuimus. *Libri duo de Imagine Mundi.* Vide quoque infra ubi de Honorio Augustodunensi. Adtexitur ad calcem *Syntaxis Opusculorum Sancti Anselmi Quadripartita*, ab eodem R. P. Theophilo Raynaudo Societatis Jesu Theologo concinnata, quam per otium non sine fructu Lector consulet.

(*a*) Usserius Ædmerum Historiæ novellæ auctorem scribere amat, alii Edmerum, alii pluribus aliis
C modis.

(*b*) Sub cujus nomine prodiisse dicuntur Parisiis anno 1550.

(*c*) Certè Sixtus Senensis asserit hos in vetustis Exemplaribus Hervæo Monacho inscriptos se reperisse.

(*d*) Hic liber de Sacramento seu de corpore & Sanguine Domini, non potest esse Sancti Anselmi, quia ut habet R. P. Bertrandus Textor in Præfatione ad opera Guillelmi quondam Abbatis sancti Theodorici, 1. jam obierat S. Anselmus non anno 1106. sed 1109. quando editus est ipse liber post annum 1111. Prior enim pars ad Rupertum Tuitiensem scripta est, ejusque verba quæ habentur libro 2. de Officiis cap. 9. referuntur & refutantur:
D certum porrò est libros illos de Officiis illo ipso labente anno 1111. scriptos esse, ut patet ex miraculo quod refert cuidam fratri ostenso libri VIII. capite 4. 2. Edinerus in Catalogo operum S. Anselmi non meminit illius operis de Sacramento Altaris: 3. non reperitur S. Anselmus libros suos alterius censuræ subjicere, ut Auctor iste facit in præfatione seu epistola libro isti præfixa: 4. quod palmare est argumentum, mss. codices non Anselmi nomen sed Guillelmi passim adscribunt. In duobus Exemplaribus ex Signiacensi cœnobio depromptis & in uno è Bibliotheca Vallis Claræ affirmat quater seu quinquies nomen Guillelmi auctoris exprimi & in
E Cœnobio Igniacensi libris Ruperti Tuitiensis de Officiis præmitti epistolam prædictam quæ ejus errorem confutat eamdemque Guillelmo tribui. Qui autem hunc olim Anselmo adscripserunt, (atque in iis Thomas Waldensis doctissimus Carmelita Anglus qui Tomo II. Doctrinalis Fidei cap. 47. docet Sanctum Anselmum erroris accusasse sententiam Ruperti de Impanatione) inde, ut apparet, decepti sunt, quòd illum sine titulo cum quibusdam operibus Anselmi in eodem codice repererunt, & sic ejus esse senserunt. Illa sanè fuit causa non unius dumtaxat, sed quamplurium hallucinationum quibus multa opera passim tribuuntur SS. Augustino, Hieronymo, Bernardo, & aliis quæ ipsi non scripserunt. Qui enim libros olim sibi curabant describi, sæpè varios Tractatus diversorum Patrum in

unum volumen conferebant; & tituli non raro ex incuria omittebantur, aut differebantur, ut postea minio scriberentur, & hoc tamen postea negligebatur; inde factum est ut aliqui omnes tractatus in unum volumen sic relatos unius Auctoris esse putarint. Plura in eamdem rem subministrabit Sixti Senensis, ad calcem libri quarti Bibliothecæ Sanctæ, De Falsa Librorum Inscriptione brevis Admonitio, ostendens quibus de causis contigerit multorum Ecclesiasticorum Voluminum inscriptiones vel fuisse confictas vel depravatas, & quibus conjecturis inscriptionum finctionem falsitatemve deprehendere liceat.

(*e*) Epistolas aliquot Sancti Anselmi exhibet Veterum Epistolarum Hibernicarum Sylloge à Jacobo Usserio Armachano anno 1632. Vulgata Dublinii.

SUPPLEMENTUM.

ANSELMUS Cantuariensis Archiepiscopus, qui obiit anno 1109. die 21. Aprilis, de quo abundè Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, Bellarminus & Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Addo illis nuperam Operum S. Anselmi editionem, quæ castigatiùs multò quam antea impressa sunt in fol. Parisiis apud Ludovicum Billaine anno 1675. cura & studio doctissimi viri Gabrielis Gerberon Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri.

De Anselmo Laudunensi. 1077.

ANSELMUS LAUDUNENSIS Scholasticus sancti Anselmi Cantuariensis æqualis, aut paulò Junior scripsit *glossam interlinearem*, quæ extat cum glossa ordinaria, & Lyrani. Eidem (ut paulò ante diximus) tribuuntur *Commentaria in Cantica & in Apocalypsim*, quæ habentur inter opera sancti Anselmi.

DISSERTATIO HISTORICA.

ANSELMUS Laudunensis Ecclesiæ Scholasticus, teste Henrico Gandavensi, cap. 30. de Scriptoribus Ecclesiasticis, congruas ex scriptis Sanctorum Patrum excerpens sententias, *totum Vetus ac Novum Testamentum interlineari marginalique glossa* illustravit. Extat Glossa illa cum ordinaria (*a*) Hugonis à Sancto Caro Cardinalis, & Nicolai de Lira Franciscani, aliorumque additamentis. Novum expositionis genus appellat auctor Appendicis ad eumdem Gandavensem capite primo. Pervenisse ad initium sæculi duodecimi, & annum Christi 1101. probabile est: quo verò anno obierit haud constat. Trithemius claruisse sub Henrico IV. seu V. testatur anno Domini 1110. (*b*)

Commentaria in Matthæum, & Lectiones, sive Explanationes in varia loca Evangeliorum, quæ in editionibus Coloniensibus inter opera S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi Tomo I. reperiuntur, tribuuntur in quibusdam mss. codicibus huicce Laudunensi Anselmo, quamquam non desint, qui Guillelmo Parisiorum Episcopo assignent. (*c*)

Commentaria in Paulum, in Apocalypsim, & in Cantica, nonnulli quoque tribuunt Laudunensi. Verùm quæ ad S. Pauli Epistolas spectant, & ms. codex, & editio anni 1544. & Bellarminus, multique alii Hervæo, non Britoni Ordin. Præd. sed Monacho Dolensi O. B. vindicant, cujus commentarios amplissimos in Esaiam Prophetam, nostra Parisiensis Collegii Bibliotheca in membranis adscriptos possidet.

A (*a*) Dele, Hugonis à Sancto Caro Cardinalis, quæ aliud agenti exciderunt, & scribe, Strabi Monachi Fuldensis, & Postillis Nicolai de Lira, &c.

(*b*) Quod etiam repetit Sixtus Senensis, qui eum afferit ingenio acutum, eloquio pressum, & Laconicæ cujusdam brevitatis imitatorem novo & inusitato explanationis modo utriusque Testamenti libros ex brevissimis quibusdam Patrum annotatiunculis exposuisse, quas minutissimis characteribus descriptas inter ipsas Scripturarum lineas majoribus literis exaratas non minus curiosa quàm utili industria artificiosissimè coaptaverit, eumque laborem ad differentiam Glossæ Strabensis, quæ in marginibus Sacrorum Codicum describi solet, Glossam
B Interlinearem appellaverit: unde patet ex verbis Henrici Gandavensis, quæ supra citavimus, delendam esse dictionem illam *Marginalique*, aut certè dicendum, quæ ab Anselmo Laudunensi ad marginem quoque addita fuerant, ea successu temporis cum Strabensibus, Annotatiunculis fuisse permixta atque confusa.

(*c*) Aut Petro Babyoni, *de quo supra in Anselmo Cantuariensi, ubi describuntur opera Tomi I. edit. Coloniensis.*

De Bertoldo Constantiensi. 1077.

BERTOLDUS CONSTANTIENSIS,
C historicus fidelissimus & pius, continuavit *chronicon Hermanni Contracti usque ad annum* 1065. & præterea scripsit *historiam*, sive *Chronologiam rerum gestarum sui temporis, usque ad annum Domini* 1100. quo tempore putatur etiam obiisse.

DISSERTATIO HISTORICA.

BERTOLDUS, dictus etiam à quibusdam Bernoldus, sive Bernaldus, Presbyter Constantiensis ad Rhenum, continuavit Hermanni Contracti Chronicon ab anno 1054. ad annum 1064. addiditque.

Historiam rerum suo tempore per singulos annos gestarum usque ad annum 1100. quo decessisse multi pu-
D tant. Fuisse fidelissimum Historicum omnes boni consentiunt, neque enim moramur Heterodoxos, quibus nihil arridet, nisi quòd vibrato fulmine in Capitolium detonat. De eo consulendus Honorius Augustodunensis cap. 14. libelli ultimi de Luminaribus Ecclesiæ, Joannes Trithemius, aliique.

Varia ejus opuscula pro Gregorio VII. Papa in lucem emiserunt Ingolstadii R. P. Jacobus Gretserus Societatis Jesu, fortissimus Catholicæ veritatis adversus Novatores à fide majorum suorum apostatas Athleta, & Sebastianus Tengnagelius, Bibliothecarius Cæsareus, apud quos de eodem Bertoldo seu Bernoldo plura.

E

SUPPLEMENTUM.

BERTOLDUS, dictus etiam à quibusdam *Bernoldus & Bernaldus*, Presbyter Constantiensis ad Rhenum, scripsit de rebus post Hermanni Contracti obitum gestis usque ad finem sæculi undecimi, *Chronicon* impressum in Collectione veterum Historiæ Germanicæ Scriptorum Christiani Urstitii in fol. Francofurti anno 1585. Wechelianis typis. Ejusdem *Opusculum de vitanda Excommunicatorum societate*, cum veteribus monumentis contra Schismaticos pro Gregorio VII. editis per Sebastianum Tengnagelium 1612. Ingolstadii in 4. Itemque Bernaldi sive Bertoldi Constantiensis *alia Opuscula pro Gregorio VII.* edita à Jacobo Gretsero, cum defensione

fione Gretſeri pro Cardinale Bellarmino in fol. Ingolſtadii anno 1609. typis Adami Sartorii, qui plura cupit de Bertoldo, adeat locis cit. Tengnagelium & Gretſerum, qui ejus Opera evulgarunt, Labbeum in Diſſertatione hiſtorica *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* à Bellarmino recenſitis tom. 1. pag. 202. Antonium Poſſevinum *in Apparatu Sacro* tomo 1. pag. 218.

De Micrologo. 1077.

MICROLOGUS, quem aliqui Joannem Micrologum nominant, ſcripſit *librum de Eccleſiaſticis obſervationibus*, qui extat cum aliis ſimilibus Coloniæ, & Romæ excuſis: vixit autem tempore Gregorii VII. & Anſelmi Epiſcopi Lucenſis: nam cap. 17. ſui operis dicit, Anſelmum Lucenſem Epiſcopum obſervaſſe in Miſſa celebranda ritum quemdam Gregorii VII. & ſibi atque aliis obſervandum commendaſſe: & cap. 14. dicit, ſuo tempore Gregorium VII. in Sede Apoſtolica ſediſſe.

DISSERTATIO HISTORICA.

AUCTOR MICROLOGI, cui à quibuſdam minus rectè præfigitur Joannis nomen, vixit temporibus Gregorii VII. Papæ circa annum 1085. atque Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, ac ſimilium, ad finem properante ſæculo Chriſti XI. unde manifeſtum eſt erraſſe eos, qui vel Bernoni Augiæ Divitis Abbati cum Claudio Eſpencæo, vel Guidoni Abbati S. Crucis Avellani Muſicarum notarum repertori cum Poſſevino tribuerunt. Plura Joannes Maria Braſichellanus Magiſter Sacri Palatii in Purgatorio indice, & Theophilus in Erotematis, neque enim in re explorata amplius immorandum.

SUPPLEMENTUM.

MICROLOGUS AUCTORIS nomen non eſt, ſed Operis quod *Micrologus* inſcriptum eſt. Hujus quiſquis Auctor fuit, non vixit anno 1085. ut Bellarmino & Labbeo in Opere ſuo *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* viſum eſt: ſed anno forſitan 1180. vel circiter. Conſtat enim eumdem eſſe Auctorem *Micrologi iſtius & trium Librorum*, qui manuſcripti inveniuntur in multis Bibliothecis, *Vita Caroli Magni Regis Francorum & Imperatoris*, cùm Auctor iſtorum librorum in prologo, Micrologum de Officiis Eccleſiaſticis ſuum Opus agnoſcat. At ad inſtantiam Friderici I. Imperatoris conſcripti ſunt, ut docet prologus dictorum Librorum, quem evulgaverunt Bollandiſtæ ad diem 28. Januarii: & in hoc prologo Auctor allegat ſe jam ſcripſiſſe librum *Micrologum* inſcriptum. Unde cùm hi libri certò ſint circa annum 1180. vel 1160. compoſiti, idem de Micrologo ſtatuendum annotandumque eſt. Hæc dicta ſint, ſalvis certioribus in contrarium. Alia de Micrologo vide apud Labbeum in Diſſertatione Hiſtorica *De Eccleſiaſticis Scriptoribus*, Antonium Poſſevinum *in Apparatu Sacro*, verbo *Micrologus*, tom. 2. pagina 116. ubi tamen de Micrologo Muſices qui ſpectat ad Guidonem Aretinum, loquitur.

De Oecumenio, & Olympiodoro.

OECUMENIUS, & Olympiodorus Græci ſcriptores, ſcripſerunt *catenas ex antiquis Patribus ille in Acta Apoſtolorum & Epiſtolas ſancti Pauli, iſte in Job*: quo tempore floruerint non omninò conſtat; alii enim collocant eos inter annum 800. & 900. alii poſt annum milleſimum. Scripſit præterea *Olympiodorus*, *Commentarium in Eccleſiaſten* quod extat in primo tomo Bibliothecæ Sanctorum Patrum, editione ſecunda. Extat eodem primo tomo *catena quædam in Epiſtolam ad Romanos ſub nomine Theoduli Presbyteri Cæleſiriæ*. Sed Theodulus ille multo antiquior eſt ipſo Oecumenio, qui in hac catena citatur; imò iſta catena ex Oecumenio videtur tota excerpta, & quaſi compendium eſſe catenæ Oecumenii in epiſtolam ad Romanos.

Porrò Theodulus presbyter Cæleſiriæ obiit ſub Zenone Imperatore, teſte Gennadio de viris Illuſtribus.

DISSERTATIO HISTORICA.

OECUMENIUS AUCTOR *Catenæ in Acta Apoſtolorum, & Commentariorum in Epiſtolas Sancti Pauli, aliaſque omnes Canonicas*, Sancti Joannis Chryſoſtomi Archiep. Conſt. breviator, vixiſſe dicitur poſt an. 1000. ſunt tamen qui ad annum 800. aut 900. revocent. Fronto Ducæus noſter apud Poſſevinum in Apparatu cenſebat in Commentariis ſeu Catenis Oecumenii in S. Paulum quædam fuiſſe à poſteriore aliquo ſcriptore admixta, unde ridiculè pro more concludere viſus eſt Robertus Cocus Commentarios illos falsò fuiſſe Oecumenio adſcriptos. Pari potuiſſet jure argumentari: Gagnæus addidit aliquammultos verſus libri S. Alcimi Aviti in Geneſim: ergo illi libri falsò fuerunt Avito inſcripti. O cor Zenodoti! ò Jecur Cratetis! Quid verò ſi Fronto privatis ad Poſſevinum litteris currente, ut fit, calamo ac re minus benè diſcuſſa abjudicavit, non licebit cuipiam ſive Orthodoxo ſive Heterodoxo impoſterum eidem Oecumenio vindicare? Quis has leges fixit Minos aut Rhadamantus? Cæterùm Theodulus ille Cœleſyriæ Presbyter, cujus extat in Bibliothecis Veterum Patrum *Catena in Epiſtolam ad Romanos* maximam partem ex Oecumenio quem citat decerpta, non eſt ille Theodulus, de quo Gennadius Catalogi cap. 91. qui Zenone imperante floruit. De eo plura Sixtus Senenſis, Jacobus Billius, & Poſſevinus.

Pariſiis anno 1631. apud Claudium Sonnium edita ſunt duobus Tomis Oecumenii opera Græcè & Latinè cum Aretæ Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi Explanationibus in Apocalypſim interprete Joanne Hentenio, Mechlinienſi, Monacho Hieronymiano; Emendatore verò & Prælectore illius editionis Federico Morello. In iis habentur *Enarrationes in Acta Apoſtolorum*, *Commentarii in Epiſtolas S. Pauli*, præmiſſa narratione de Divi Pauli peregrinatione & Euthalii Diaconi Prologo. *In Epiſtolam S. Jacobi*, *aliaſque Canonicas Commentarii*, interprete Coppenio Hæretico Lutherano. Aretæ in Apocalypſim Joannis Apoſtoli Explanatio, eodem interprete Hentenio, cujus verſiones Latinæ Antuerpiæ prodierant anno 1545. in ædibus Joannis Steelſii, & Pariſiis apud Carolam Guillard. Græcus verò textus Veronæ in folio duobus Tomis an. 1532. & poſtea anno 1568.

De Maximi Florentini & Joannis Loniceri interpretationibus Latinis Baſileæ editis, vide ex Simlero Poſſevinum, qui etiam ex Billii obſervationibus multa coacervavit Hentenii παρόραματα (*a*).

(*a*) Sixtus Senenſis libro 4. Bibliothecæ ait Græcum hunc auctorem, qui ut ex temporibus auctorum, qui ab eo citantur apparet, claruit poſt annum Domini 800. in veterum commentariis aſſiduè evolvendis verſatum collegiſſe ſolerti cura ex dictis præſtantiſſimorum Græcæ Eccleſiæ Doctorum nobiles annotationum Commentarios in Octateuchum, quos ipſe in Commentariis ſuis in Epiſtolam ad Hebræos capite ſexto ſe ſcripſiſſe teſtatur. Addit quoque præterea ſcripſiſſe perſimili induſtria Catenam explanationum in quatuor Evangelia. Quod verò

verò subjungit de libro uno in Apocalypsim videtur Aretæ opusculum, quod extat, Oecumenio tribuisse qui testimonis SS. Patrum suas pariter explanationes proprio nomine prænotatas inserere solet, ut ex titulo cognoscat Lector, quid ab ipso, & quid ab aliis Patribus habeat.

Olympiodorus, ex Philosopho Peripatetico, ut quidam arbitrantur, Monachus Græcus, vel ut alii Novæ Romæ, hoc est Const. Diaconus: sunt & qui ad Alexandrinam Ecclesiam transferant, vixisse dicitur sæculo Christi nono ab anno 800. ad 900. quamquam de ejus ætate incerti complures ambigant, & Bellarminus ad sæculum XI. usque, hoc est ad annum circiter 1050. vel 1080. dejiciat. Antiquior fuit Olympiodorus Thebæus, cujus Excerpta quædam non vulgaria ab anno Christi 407. ad 425. servavit posteritati Photius codice 80. μυριοβίβλε, quæ nos unà cum Excerptis Candidi Isauri & Theophanis Byzantii annotationibus Historicis illustravimus Tomo I. Corporis Historiæ Byzantinæ (a).

Commentarius in Ecclesiasten Salomonis, juxta triplicem sensum, succinctus, eruditus & elegans, ut censet Sixtus Senensis, Græcè & Latinè interprete Zenobio Acciajolo Florentino, prodiit in Auctario G. L. Bibliothecæ Veterum Patrum an. 1624. ex Tomo XIII. Morellianæ. De aliis editionibus consule Simlerum.

Idem ut pluribus creditum, ex antiquioribus Patribus *Catenas*, tum *in librum Jobi*, tum in alios Sacræ Scripturæ libros contexuit: Quæ in Jobum typis excusa Lugdunensibus ac Venetis, teritur omnium manibus, tersa atque eleganti Latinitate primùm donata est à R. P. Paulo Comitolo Societatis Jesu Theologo: tum Græcè ac Latinè simul, eaque amplior Londini publicata est in folio anno 1637. à Francisco Patricio Bibliothecario Regis Angliæ, qui eam Nicetæ Heracleensi Metropolitæ Catenarum plurium egregio consarcinatori tribuit ex duobus mss. codicibus Bodlejanæ Bibliothecæ, & Olympiodoro eam ob rem à pluribus addictam innuit, quòd in posterioribus præsertim capitibus reliqui Patres rariores occurrant, & ipse utramque paginam impleat Olympiodorus. Eidem Catenæ Græcum textum Jobi adjecit στιχηρῶς ex antiquissimo Bibliorum codice ms. Theclæ nobilis Ægyptiæ fœminæ, quæ circa Concilii Niceni tempora floruit manu, ut ferunt, exarato, & à Cyrillo Patr. Const. religionis ac synceræ fidei in plerisque capitibus desertore ad Carolum I. Angliæ Regem transmisso.

De Commentariis verò ejusdem alteriusve Olympiodori in Meteora ac Posteriora Analytica Aristotelis, & in Phædonem, Georgiam, Alcibiadem, ac Phædrum, aliosque Platonis Dialogos, suus erit Deo dante dicendi locus.

(a) Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ Sanctæ duos Olympiodoros statuit: primum Monachum natione Græcum, Peripateticæ Scholæ Philosophum, eique tribuit, tum præclaros in Aristotelis, Meteora Commentarios, tum elegantem juxta triplicem sensum in Ecclesiasten Salomonis enarrationem. Alterum verò Diaconum pariter Græcum, qui Græcè scripserit in totum librum Job eruditissimos & elegantissimos juxta litteræ sensum Commentarios: quorum multa fragmenta extent Genuæ in Catena Græca super Job in Bibliotheca Saulia; opus verò integrum in Bibliotheca Vaticana servetur.

M. Antonius Agellius anno 1598. Romæ in 4. apud Franciscum Zannetum edidit, sed Latinè dumtaxat, Excerpta ex Commentariis Origenis, Olympiodori, & aliorum quorumdam in Threnos Jeremiæ fragmenta, ut in Origene commonuimus.

Quod si Commentariorum Meteorologicorum auctor fuit Olympiodorus ille Philosofus magister Procli circa annum Christi 470. longius profectò aberrant, qui eumdem cum Monacho aut cum Diacono confundunt: qua de re eorumque omnium ætate ampliandum censeo.

De Lamberto Schafnaburgensi. 1077.

LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS insignis, & verax historicus, præsertim cùm de contentione inter Gregorium VII. Papam, & Henricum tertium Imperatorem agit. Scripsit *historiam Germanicam, & incipit ab Orbe condito usque ad annum Dom.* 1077. Sed continuavit Monachus quidam Erphesphordensis, cujus nomen proprium ignoratur, usque ad annum Domini 1472.

Dissertatio Historica.

Lambertus Schafnaburgensis, non ut quidam Aschastemburgensis, & cœnobii Hirsfeldensis in diœcesi Moguntina ab anno 1058. alumnus, quo vestem Monasticam ex Meghineri Abbatis manibus, ut ipsemet narrat, accepit, & Presbyter ordinatus Hierosolymitanum iter inscio Abbate aggressus anno sequenti medio mense Septembri ad Monasterium suum rediit. Is culto ac veraci stylo scripsit *Historiam ab orbe condito ad annum* 1077. quæ habetur in collectione Rerum Germanicarum. Continuatio Monachi Erfordensis usque ad annum 1472. non accedit ad præcedentis Historiæ dignitatem, sed hominem sapit parum accuratum atque elegantem, De Lamberto plura dabunt Lipsius, Jos. Scaliger, Vossius, Barthius, aliique. Possevinus addit ex Trithemio scripsisse præterea Chronicon breve quidem, sed non inutile, Monasterii sui Hirsfeldensis, quod in Buchonia silva inter Hassiam Turingiamque constructum est. Verùm illud nec vidi ego, nec sicubi excusum sit, scio (a)

(a) Nisi fortè per Chronicon intelligat partem illam, quæ annos 1040. aut 1058. præcedit, quæ si cum sequentibus periochis conferatur, non Historiæ nomen, sed Chronici dumtaxat meretur. Vidi editionem in 8. Tubingæ ex ædibus Motardinis anno 1533. hoc titulo: Germanorum res præclarè olim gestæ: Itemque rerum aliarum ferè memoratu dignissimarum perbrevis & admodum jucunda quædam annotatio ab exordio mundi primùm nascentis repetita.

De Ingulpho Anglo. 1077.

INGULPHUS ABBAS in Anglia vivebat anno Domini 1050. ut ipse testatur in fine historiæ suæ, sed supervixit usque ad annum Domini 1100. Scripsit *historiam Monasteriorum Angliæ*, quæ amplissima erant, sed attingit multa, quæ ad res gestas Regum Angliæ pertinent. *Incipit ab anno Domini 664. & desinit anno Domini* 1067. quo Rex Wilhelmus primus regnare cœpit. Extat hic auctor cum aliis, qui de rebus Anglicanis scripserunt.

Dissertatio Historica.

Ingulfus, patria Londinensis, professione Monachus Fontanellensis in Normannia, ac deinde Abbas Croilandensis in Anglia, floruit ab anno 1050. ad 1109. quo dicitur è vita migrasse. De eo Baleus, Pitseus, Savillius, Vossius, &c.

Historia Monasteriorum Angliæ ab anno 664. usque ad annum

annum 1067. qui fuit primus regnantis in eadem Insula Guillelmi Nothi, Normannorum Ducis, cui Principi à secretis fuisse perhibetur. Habetur in Collectione Saviliana Scriptorum Historiæ Anglicanæ annis 1596. & 1601. publicata. Appendix illi addita ad Petrum Blesensem referenda est. Additur *de vita & miraculis Sancti Guthlaci* liber, quem non vidi.

De Ursione Abbate. 1080.

Supplementum.

URSIO Abbas Altimontis Ordinis Divi Benedicti juxta Malbodium in Hannonia, scripsit circa annum 1080. *Historiam Sancti Marcelli Papæ libris duobus*, quam Lietberto Cameracensi Episcopo circa sæculi noni finem nuncupavit, quamque retulit Bollandus ad diem 16. Januarii: ubi in Commentariis ad Acta S. Marcelli Papæ prævii, de Ursione loquitur.

De Desiderio Abbate. 1080.

Supplementum.

DESIDERIUS Abbas Cassinensis floruit etiam circa annum 1080. doctrina simul & Sanctitate unde factus ob præstantiam meritorum Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Ceciliæ. Scripsit dum esset Abbas Cassinensis, *Miracula à Sancto Patre Benedicto ejusque Discipulis facta in Italia Dialogicè libris tribus*, quos ex manuscriptis codicibus erutos ediderunt Bollandistæ ad diem 21. mensis Martii, cum aliis ad Sanctum Benedictum spectantibus & Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom 2. pag. 425. Hic defuncto Gregorio VII. Romano Pontifice anno 185. die 25. Maji, suffectus in ejus locum & labores, post menses circiter decem mortuus est. De illo Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro*, tom I. pag. 419. verbo *Desiderius Abbas Sancti Benedicti*, & quotquot nuperi scripserunt de Summis Pontificibus.

De Deusdedit Cardinale. 1080.

Supplementum.

DEUSDEDIT Presbyter Cardinalis, tituli Sanctorum Apostolorum in Eudoxia, temporis Victoris Papæ tertii hoc est anno Christi 1086. scripsit *Collectionem Canonum, seu libros quatuor de rebus Ecclesiasticis*, qui manuscripti extant & asservantur in Bibliotheca Vaticana, ut tradit Stephanus Baluzius in Notis suis ad Emendationem Gratiani pag. 270. de quibus Antonius Augustinus in suis Dialogis.

De Gregorio Cardin. 1080.

Supplementum.

GREGORIUS Presbyter & S. R. E. Cardinalis, scripsit eodem tempore Collectionem Canonum, quam Polycarpum appellavit, quod nomen Operis est, non Auctoris: de qua loquitur Antonius Augustinus De Emendatione Gratiani lib. 1. Dialogo 14. & lib. 2. Dialogo 15. Habetur manuscriptum hoc Opus in Bibliotheca Vaticana, ut asserit idem Augustinus in Opusculo de veteribus collectionibus & Collectoribus Canonum, in Epitome Juris Pontificii Parisiis in folio edito, anno 1641. Itemque manuscriptum in Bibliotheca Colbertina Codicibus 696. & 4047. quos annotasse juvat.

De Paulo Benriedensi Can. 1080.

Supplementum.

PAULUS Benriedensis Canonicus & Præpositus Canonicorum Regularium Divi Augustini, circa hoc tempus scripsit *De Rebus gestis Gregorii VII. Summi Pontificis, & Vitam Sanctæ Herlucæ virginis*, quæ edidit Jacobus Gretserus Germanus Societatis Jesu Theologus in 4. Ingolstadii anno 1610. apud Adamum Sartorium, & post ipsum Bollandistæ suis locis.

De Roberto de Tumbalenia Mon. 1080.

Supplementum.

ROBERTUS DE TUMBALENIA Monachus Sancti Michaelis in periculo maris, ut scribit Ordericus Vitalis libro 8. Historiæ ad annum 1094. factus postea Abbas Monasterii Sancti Vigoris, quod situm est juxta muros urbis Bajocarum, profectusque Romam, *à Gregorio VII. Papa detentus honorificè, usque ad mortem Romanæ fideliter servivit Ecclesiæ*: ut idem scribit loco citato ad annum 1087. qui inter reliqua peritiæ suæ monumenta, *brevem & luculentam sensuque profundam super Cantica Canticorum Expositionem dimisit in Ecclesia*, inquit Ordericus. Hic autem *in Cantica Canticorum Commentarius*, cujus prologum edidit Joannes Mabillon tomo I. Analectorum pag. 125. ex manuscripto Codice Balernensi in Ducatu Burgundiæ, est idem cum eo qui hucusque fuit adscriptus Sancto Gregorio Magno, & ad quem non pertinere censet Petrus de Gussanvilla in ultima editione Operum Divi Gregorii Magni. Habetur etiam hic Commentarius manuscriptus in Bibliotheca Sancti Victoris, sed anonymus, num. 18. lit. D. H. esse autem unum atque idem cum dicto Commentario qui Gregorianus dictus est, hoc patebit conferenti utriusque initia cum consequentibus, nec ullus erit qui utrumque unum & idem negabit, nisi qui sanè non senserit. Nec objicias ex Analectis tom. I. pag. 128. Robertum Abbatem Sancti Vigoris dimisisse Commentarium suum in duobus libris, Anonymum autem tomo 3. Operum Sancti Gregorii pag. 461. fecisse explanationem in eadem Cantica continua. Hoc enim factum est ab Exscriptoribus, ut dicto Abbati obedirent, qui id optavit & injunxit sub finem suæ præfationis tomo I. Analectorum pag. 128. Nec instes alium esse prologum dictorum Commentariorum in Operibus Divi Gregorii, & alium in Analectis: nam qui in Operibus Divi Gregorii est, juxta Petrum de Gussanvilla pag. 458. deest in manuscriptis multis, in aliis discrepat, in aliis brevior aut longior: unde compositus arguitur ab Exscriptoribus, vero prologo hujus Operis & Auctoris existente in Analectis citatis pag. 125. ex manuscripto Codice Balernensi cum nomine Auctoris. Denique nuperrimè hunc commentarium edidit sub nomine Radulfi Fontanellensis Abbatis pag. 276. Operis quod inscripsit *Supplementum Patrum* Jacobus Hommey Augustinianus Eremita, editum Parisiis in 8. anno 1684. apud Petrum de Laulne ad Sorbonam sub signo Imperatoris. Deceptus ex litera sola nominis initiali R, hunc Commentarium ex conjecturis concessit Radulfo Fontanellensi Abbati, quem prologus integer tomo I. Analectorum Joannis Mabillon pag. 125. disertè attribuit Roberto Abbati Sancti Vigoris Bajocensis, post

A post oculatum ac temporaneum testem Ordericum Vitalem, ejusdem Temporis, Regionis, atque Ordinis.

De Mariano Scoto. 1083.

MARIANUS SCOTUS Monachus Fuldensis scripsit *libros tres chronicorum ab initio mundi usque ad annum Domini* 1083. Sed primus liber caret principio; describit historiam universalem satis diligenter. Continuavit ejus historiam Dodechinus Abbas sancti Dysibodi usque ad annum Domini 1200.

Dissertatio Historica.

B MARIANUS SCOTUS in Hibernia potiùs quàm Scotia Britannica anno 1028. natus, anno 1052. sæculum reliquit, factus, ut ait, pro regno cœlesti peregrinus, patrioque solo extremum dicens vale, in Germaniam venit, Coloniæ anno 1058. Monachum induit, tum anno seq. 1059. Fuldam profectus cum Sigfrido Abbate Fuldensi apud Wirceburgum in Presbyterum media Quadragesima 3. Idus Martii consecratus, eodem anno pridie Idus Maji Feria sexta post Ascensionem inclusus fuit Fuldæ per annos decem, quibus elapsis anno 1069. jussu Moguntinensis Archiepiscopi & Fuldensis Abbatis Feria sexta ante Palmas 3. nonas Aprilis solutus de
C Clusa Fuldensi venit Moguntiam atque in Festivitate SS. septem Fratrum iterum inclusus est. Anno denique ætatis 58. Christi 1086. (mendosè apud Vossium 1088.) obiit & apud S. Martinum in majori Ecclesia non sine Sanctitatis opinione sepultus est. Hæc ex ejus Chronico quod anno 1083. definit, & ex ejus Appendice continuata usque ad annum 1200. opera Dodechini Abbatis Sancti Dysibodi in diœcesi Trevirensi. Utrumque opusculum tum sæpè aliàs editum occurrit, tum in Tomis Rerum Germanicarum.

De eodem videndus Sigebertus cap. 159. de Viris Illustribus, & in Chronico ad annos 1061. & 1082.
D Matthæus Westmonasteriensis Trithemius, Aventinus, Baronius, Wionius, Brovverius, Balæus, cujus, ut sæpè monui, vacillat in plerisque fides, quemadmodum Dempsteri, Pithœus, Vossius, Harpsfeldius, Miræus, &c. quique iis tantùm non prælo subjectis primùm in meas venit manus, Jacobus Waræus (*a*) lib. 1. de Scriptoribus Hiberniæ.

(*a*) Is nonnulla habet scitu non indigna. I. in ejus Chronici impresso codice plurima omissa esse quæ in mss. exemplaribus habentur, ut ex Briano Tvvino liquet de Antiquitate Academiæ Oxoniensis libro secundo. II. Ex hoc opere quamplurima Chronico suo inseruisse Florentium Vvigorniensem, qui Marianum Hiberniensem vocat. III. Alia quoque Mariani opera recenseri à Balæo, Dempstero, & Nicolao Harpsfeldio in Historia Ecclesiastica Anglicana.

De Beato Brunone. 1088.

E BEATUS BRUNO Cartusianorum institutor Coloniensis, vir doctissimus habitus est, ut testantur multa encomia sapientiæ ipsius apud Surium die sexto Octobris. Vixit tempore Urbani secundi Pontificis, à quo Romam vocatus fuit ex Cartusia. Obiit autem anno Domini 1101. ex vita ejus apud Surium. Scripsit *multa*, quæ extant impressa Parisiis apud Jodocum Ascentium: *præcipua esse videntur Commentaria in Psalmos, & Commentaria in Epistolas sancti Pauli.*

Dissertatio Historica.

SANCTUS BRUNO, patria Coloniensis, sed Rhemis in Campania Canonicus, ac Scholarum Magister, cum aliquot sociis ad S. Hugonem Gratianopolitanum Episcopum venit, ac frigidissimos Carthusiæ montes incolere cœpit anno 1086. Unde ab Urbano II. cujus aliàs præceptor fuerat, in Italiam anno 1090. evocatus, ejusdemque permissu in Calabriæ Eremum, cui Turris vocabulum, profectus, ibidem sancto fine decessit die 6. Octobris anni 1101. post suum è Carthusiæ solitudine egressum undecimo plus minus anno, ut ex brevi opusculo disces de Institutionibus Ordinis Carthusiani, quod editum est pag. 638. Tomi I. novæ Bibliothecæ mss. librorum. Leo X. anno 1514. in cœlitum album retulit. De causa secessus S. Brunonis in solitudinem, consule doctissimorum virorum inter se velitationes ante aliquot annos publicatas, ubi plura de S. Brunone, ejusque Ordinis primordiis, eaque non vulgaria reperies.

Parisiensem Ascensianam operum S. Brunonis editionem viderat Bellarminus: Ego Coloniensem anni 1611. præ manibus habeo studio Theodori Petrei Campensis Carthusiæ Coloniensis alumni recensitam, ac tribus Tomis distinctam.

Tomo I. continetur.

Post Vitam S. Brunonis, *Expositio in omnes Psalmos Davidicos.*

Tomo II. continetur.

Commentarius in omnes Epistolas Sancti Pauli Apostoli.

Tomo III. continentur.

Liber de laudibus Ecclesiæ, capitibus octo. Liber de ornamentis Ecclesiæ capitibus 12. *Liber de Novis, capitibus* 10. *De aliquot præcipuis Festis Christi Salvatoris. In Solemnitatibus aliquot B. Virginis. Liber Sermonum de Martyribus. Liber Sermonum de Confessoribus. Sermo de Sancto Michaele. Sermo de contemptu divitiarum.* Epistolæ duæ ex eremo Calabriæ à S. Brunone scriptæ. I. *Ad Radulphum Viridem, Ecclesiæ Rhemensis Præpositum*: qui in annotatione ad oram ab editore adscripta falsò dicitur fuisse Radulfus socius exilii B. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, de quo Baronius ad annum 1172. *II. Ad suos Majoris Carthusiæ eremum in Delphinatu circa Gratianopolim incolentes.*

Observatio ad præcedentia.

Librum de laudibus Ecclesiæ, ac proximè sequentes omnes, quos Patriarchæ suo Sanctissimo vindicant Carthusiani, non ad eum, sed ad Brunonem Signiensem Episcopum, ac S. R. E. Cardinalem pertinere, conatur evincere multis argumentis D. Mabrus Marchesius, Panormitanus, Congregationis Cassinensis Monachus, in Dissertatione Historica de S. Brunone Astensi, atque ab eo conscriptis libris, præfixa editioni omnium illius operum, quæ anno demùm 1651. Venetiis prodiit in duos Tomos distributa, hoc servato ordine.

Tomo I. Operum Brunonis Astensis.

Expositiones & Commentaria
In Genesim. In Exodum. In Leviticum. In Numeros.

In

In Deuteronomium. In librum Job. In Psalterium juxta vulgarem editionem. In Cantica Canticorum In Apocalypsim.

Tomo II. Operum Brunonis Astensis.

Homiliæ, seu Sermones 145. *in Evangelia totius anni*, hactenus Eusebio Emisseno, aut Eucherio Lugdunensi, aut aliis antiquioribus Scriptoribus perperam attributi. *Tractatus in Canticum Zachariæ. Tractatus de Incarnatione Domini. Argumentum de Sacrificio azymo. De Sacramentis, Ecclesiæ mysteriis, atque Ecclesiasticis ritibus Opusculum.*

Vita S. Leonis Papæ IX. amplior ea, quam scripsit Wibertus Archidiaconus, & à Sirmondo nostro edita fuit anno 1615. cum Vita Caroli Boni Flandriæ Comitis. *Responsio ad Quæstionem*, Cur corruptus Ecclesiæ status? *Vita S. Petri Episcopi Anagnini, & Privilegium Canonizationis ejusdem. Epistola S. Brunonis ad Portuensem Episcopum. Epistola ejusdem ad Paschalem Summum Pontificem. Sententiarum libri sex*, Sancto Brunoni Cartusiensium Fundatori aliàs tributi, nimirùm, *De laudibus Ecclesiæ. De Ornamentis Ecclesiæ. De Novo mundo. De Festivitatibus Festivitatum. De laudibus Beatissimæ Virginis. De Martyribus, Confessoribus*, &c. Accessit Appendicis vice, Odonis Astensis Monachi Ordinis Benedictini ad eumdem Brunonem Signiensem Episcopum, *Expositio in Psalmos per contemplationem exarata.*

Hujus verò Brunonis meminerunt præ cæteris Petrus Diaconus in Cassinensi Chronico, Card. Baronius Tomo XII. Annalium, Marcus Antonius Scipio in Elogiis Abbatum Cassinensium, Ferdinandus Ughellus Tomo I. Italiæ Sacræ in Signinis Antistitibus, & Philippus Malabayla in Disquisitione de Ortu, Canonicatu, & recessu à Cassinatibus S. Brunonis, &c. quem docent obiisse die 18. Julii, anno circiter à Christo nato 1125. & à Lucio Papa III. in Sanctorum numerum relatum (*a*).

Omissus quoque est à Bellarmino nostro Bruno Herbipolensis Episcopus Conradi Romanorum Imp. patruelis, qui obiit die 17. Maji anni 1045. Extant ejus in Bibliotheca Coloniensi.

Commentaria in Psalterium & in Cantica tam Veteris quàm Novi Testamenti, in Orationem Dominicam, & in Symbola Apostolicum, & Athanasianum. De eo vide Jo: Trithemium libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.

(*a*) De hoc Sanctissimo juxta atque eruditissimo Viro plura Petrus Diaconus Monachus ac Bibliothecarius Sacri Cassinensis Archisterii in opusculo de Viris Illustribus Cassinensibus, ejusque editor clarissimus Joannes Baptista Marus Romanus, Sancti Angeli in Foro Piscario Canonicus, in Annotationibus, qui & alicubi, ni fallor, observat Commentaria in Cantica Canticorum in editione Veneta Brunoni falsò tributa, esse S. Thomæ Aquinatis.

De Brunone Astensi.

SUPPLEMENTUM.

BRUNO ASTENSIS Monachus Ord. Divi Benedicti, postea Episcopus Signiensis & S. R. E. Cardinalis, qui obiit anno 1125. die 18. Julii, de cujus Scriptis Labbeus sufficienter, quæ sunt edita Venetiis in fol. anno 1651. cum dissertatione prævia, quæ multa docet de Operibus hujus Brunonis in præjudicium alterius Carthusiani Ordinis Institutoris, quam legito. Addo Labeanis *Opusculum Brunonis de Consecratione Ecclesiæ*, mancum in editione Veneta, integrum haberi tom. 12. pag. 79. Spicilegii Dacheriani. Eodem tempore vivebat Odo Astensis, item Monachus ejusdem Ordinis, cujus Opera edita simul cum Brunonianis Signiensibus, ad calcem voluminis.

De Brunone Erbipolensi.

SUPPLEMENTUM.

BRUNO HERBIPOLEOS in Germania Orientalis Franciæ Episcopus, idemque Germanus, quem Eisengrenius, vocat Ducem Carnorum & Comitem Artemburgensem, avunculus Conradi II. Romanorum Imperatoris, sanctitate & eruditione celebris, clarebat anno circiter 1040. Vir uti doctus collegit (ut inquit Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ) ex Orthodoxorum Patrum Explanationibus, *strictum & elegantem in omnes Psalmos Commentarium*, cujus initium est: *Nova non cudimus, sed vetera renovamus*. Quin Brunonis hujus Commentarii etiam breves *in Cantica omnia Veteris & Novi Testamenti* quæ cum Psalmis cantantur in Ecclesia Catholica, in Canticum Moysis, Annæ, Davidis, Isaiæ, Ezechiæ, Abacuc, ex Testamento Veteri. Item ex Novo Testamento, in Orationes Zachariæ, B. Mariæ, Simeonis, & in Orationem Dominicam, in Symbola Apostolorum, Ambrosii, & Athanasii. Hi omnes Commentarii in Psalmos & in Cantica ac Symbola, impressi primùm anno 1494. Coloniæ ab Antonio Koburger, unde postea immissi in Bibliothecam Veterum Patrum Coloniensis editionis anni 1618. apud Antonium Hieratum: denique hæc eadem opera Brunonis Herbipolensis habentur tom. XVIII. Bibliothecæ SS. Patrum editionis Lugdunensis anni 1677. apud Anissonios Fratres. Moritur Henrico II. Imperatore anno Domini 1045. die 17. Maji, qui ut inquit Joannes Trithemius, Franciæ Orientalis singularis Patronus habetur, atque Sanctorum albo adscriptus fuit. Faciunt mentionem de Brunone Herbipolensi Episcopo, Sixtus Senensis loco citato, Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, & cæteri omnes qui de Episcopis hujus Sedis in Franconia scripserunt.

De Ivone. 188.

IVO CARNOTENSIS Episcopus vixit tempore Urbani secundi, ad quem extant epistolæ sed supervixit usque ad annum 1114. Scripsit *volumen decretorum*. Scripsit etiam *de Divinis, & Ecclesiasticis officiis, & præcipuis festis diebus sermones viginti unum*, qui extant excusi Coloniæ cum aliis similibus libris. Scripsit quoque *librum de corpore Domini*, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 3. Scripsit denique *epistolas multas ad varios*; quarum nonnullas refert Card. Baronius tomo 11. & 12. Annalium. Fertur etiam sub Ivonis nomine Pannormia, seu potius Pannomia: sed ea Pannomia non dicitur Ivonis, quia sit ab Ivone composita, sed quia sit ex decreto Ivonis maxima ex parte desumpta: est enim Pannomia quasi compendium decreti Ivonis, & ideò mirum videri non debet, quod libro 8. multa sint decreta ex Innocentio secundo Papa, & ex historia Sigeberti, qui fuerunt Ivone posteriores.

DISSERTATIO HISTORICA.

YVO, sive Ivo, patre Hugone de Altoylo, matre Hilemburgi natus in agro Bellovacensi, Lanfranci non Abbatis sed Prioris dumtaxat Beccensis in Theologicis auditor sedulus, tum ex Abbate,

sive

sive ut alii vulgò appellare solent Præposito S. Quintini Bellov. Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini à Guidone Episcopo anno 1078. fundati, consecratus Carnotensis Episcopus ab Urbano II. Papa Capuæ in Italia 23. Novembris anno 1092. aut quemadmodum alii putant, sequenti in Gallias rediit, multisque pro Ecclesia ac Regno pertractatis negotiis, gravibusque molestiis ac laboribus perfunctus post 22. Pontificatus annos obiit Carnuti die 23. aut 22. Decembris anni 1115. ut ex Necrologiis Carnutensis Ecclesiæ aliisque firmatur in Vita postremæ operum ejus editioni præmissa: alii enim vel anno 1114. vel 1116. ejus mortem consignant, & in Choro Abbatiæ S. Joannis in Valle sepultus est, *Sainct Joan en Vallée*. Pius V. Papa Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis diem ejus festum 20. Maji celebrari permisit Bulla data 18. Decembris 1570. Pontificatus quinto. De eo Sigebertus qui eodem vivebat tempore cap. 167. de Viris Illustribus, & in Chronico ad annos 1078. & 1092. Ordericus Vitalis Angligena Uticensis in Neustria Monachus libro 8. Historiæ Ecclesiasticæ, Goffridus Abbas Sanctæ Trinitatis Vindocinensis epist. libri 2. Sugerius Sancti Dionysii Abbas in Vita Ludovici Crassi Franciæ Regis, Matthæus Patis annis 1093. & 1117. Continuator Sigeberti anno 1114. Hildebertus Cenomanensis Episcopus ep. 26. 39. & 61. Philippus Abbas Bonæ spei qui ejus Encomium brevi carmine sive Epitaphium scripsit, Joannes Trithemius; & ex recentioribus Baronius, Possevinus, Vossius, Juretus, Loisellus, Lovvetus, Rovillardus, ac præ cæteris Souchetus, de quo mox dicendum.

Omnia Ivonis Carnotensis Episcopi opera simul uno grandi volumine excusa sunt Parisiis anno 1647. castigata studio & opera Joannis Baptistæ Soucheti Doctoris Theologi & Canonici Carnotensis Ecclesiæ, in duas partes distributa.

Prior continet eximium *Decretorum opus* ad exemplar mss. insignis Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis, ex infinitis, quibus scatebat, mendis repurgatum, additis quibusdam notulis & Indice locupletissimo. Editum fuerat anno 1561. Lovanii ex officina Bartholomæi Gravii in folio cura Joannis Molinæi Gandensis I. U. D. & Decretorum in Academia Lovaniensi Professoris Regii.

Posterior complectitur, I. *Epistolas numero* 287. cum notis doctissimorum virorum Francisci Jureti J. C. & Canonici Lingonensis, & Joannis Bapt. Soucheti Canonici Carnotensis. Prima Epistolarum illarum editio opera Petri Pithœi, cui dicata fuerat à Jureto, prodiit Parisiis anno 1585. in 4. ex officina Nivelliana, altera anno 1610. in 8. apud Sebastianum Cramosium cum libro Observationum non antea edito ejusdem Francisci Jureti J. C.

II. *Sermones XXII. de Ecclesiasticis Sacramentis ac officiis præcipuisque per annum Festis*, quibus additi duo ex mss. codd. Bibliothecarum Regiæ ac Petavianæ. Vide etiam Bibl. Veterum Patrum & Collectiones Rerum Ecclesiasticarum Coloniæ & alibi excusas.

III. *Breve Chronicon de Regibus Francorum* à Faramundo usque ad Philippum I. Regem Francorum, & Willelmos Nothum ac Longo-spatham primos è Normannis Angliæ Reges. Quod autem additur de Henrico, hujus fratre, illius filio, regnasse annos 30. id ab alio quopiam adtextum fuit, neque enim ad annum usque 1135. pervenit vivendo noster Yvo. Verùm ineptissimus fuit quisquis ille tandem Chronographus & luce publica indignus, saltem in iis quæ de Carolo Simplici, Radulfo, Ludovico Transmarino, ejusque nepote Ludovico, aliisque falsò commentus est. Chronicon illud in præcedentibus Pithœi & Jureti editionibus non fuerat omissum.

Quod autem à quibusdam præterea celebratur Chronicon satis amplum à Nino usque ad Ludovicum Pium Augustum, cujus à Marquardo Frehero Hanoviæ anno 1611. in Corpore Historiæ Franciæ excusa est pars ferè media sub nomine Ivonis Carnotensis, non aliud esse apparet à Chronico Hugonis à Sancta Maria Monachi Floriacensis. Ivoni autem ideo à quibusdam perperam videtur tributum, quod reperiatur præfixa in fronte epistola quædam Hugonis illius ad Ivonem Carnotensem, qua eum rogat, ut Chronicon suum inspiciat, & emendet, si quid in illo emendandum repererit. Vide Tomum III. Historicorum Franciæ Duchesnii pag. 347. ubi de Tribus Hugonis Floriacensis Chronicis eruditè loquitur, I. ad Ivonem. II. ad Matildem Anglorum Reginam. III. ad Adelaidem Comitissam conscriptis.

In Bibliothecis Veterum Patrum extat quoque *libellus de Corpore Domini, utrum datum sit Discipulis in Cœna passibile, an nos illud sumamus impassibile*, sive Epistola ad Haymericum Abbatem Aquicinctensem, quæ est inter editas ordine 287. quod monendum reor, ne quis existimet deesse aliquid in nupera editione Parisiensi operum Ivonis Carnotensis.

Ivoni quoque tribuitur à quibusdam quæ dicitur *Pannomia*, & corrupta à librariis voce *Pannormia*, sive *Panormia*, quæ ex Decreto Ivonis ab Hugone quodam Catalaunensi in Compendium contracta est, nonnullis præterea additis ex Sanctionibus Innocentii II. Papæ, qui post Ivonem annis 15. in schismate cum Petro Leonis in Romanum Pontificem electus est anno 1130. & post Pontificii regiminis annos ferè 14. defunctus est anno 1143.

SUPPLEMENTUM.

IVO sive Yvo Carnotensis, natus in Agro Bellovacensi, ex patre Hugone de Altoylo & matre Hilemburge, Lantfranci non Abbatis, sed Prioris dumtaxat Beccensis in Theologicis sedulus auditor, tum Præpositus Ecclesiæ (quæ nunc Abbatia est) Sancti Quintini Bellovacensis Canonicorum Regularium Sancti Augustini, quam Guido ejusdem Urbis Episcopus anno 1078. fundaverat. Inde Carnotensis factus Episcopus, & consecratus ab Urbano II. Papa Capuæ in Italia die 21. Novembris anno 1092. Scripsit multa, egregiaque à multis recensita, de quibus omissis plurimis, Possevinus in *Apparatu Sacro*, Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* sæculo XI. Labbeus in eodem Opere, de Operibus agit ad plenum, omnesque vitæ hujus Ivonis Epochas ac functiones egregiè enunciat, cum omnibus aut saltem potissimis, qui de eo vel Scriptis suis scripserunt. Exposcit tamen ratio *Supplementi nostri*, ut tam diligentibus Labbei Annotationibus addamus, Ivonem Carnotensem Episcopum scripsisse *in Psalmos* Commentarium ms. in fol. cod. 1478. insignis Bibliothecæ Colbertinæ.

Quantùm autem ad Pannormiam Ivoni adscriptam atque inscriptam, hæc Labbeus loco citato pag. 504. *Ivoni quoque tribuitur à quibusdam quæ dicitur* Pannomia, *& corrupta à Librariis voce*, Pannormia, *quæ ex Decreto Ivonis ab Hugone quodam Catalaunensi in Compendium contracta est nonnullis præterea additis ex Sanctionibus Innocentii secundi Papæ, qui post Ivonem annis quindecim, in Schismate cum Petro Leonis in Romanum Pontificem electus est anno* 1130. *& post Pontificii Regiminis annos ferè quatuordecim, defunctus est anno* 1143. Hæc Labbeus. At quid huic sensui Labbeano rependerem, sub-

subministrat doctissimus Antiquarius & Historicus Stephanus Baluzius, qui hoc Critices punctum, eo quo pollet nobili judicio diligenter excussit, cujus unius sententia præponderat apud me, multis etiam contrarium asserentibus. Excutit hanc controversiam in præfatione ad Dialogos Augustini Tarraconensis Episcopi *De Emendatione Gratiani*, à se emendatos ac notationibus eruditissimis illustratos, quas edidit apud Franciscum Muguet an.1672. in 8. via Citharæ sub trium adoratione Regum; cujus ipsa referam verba, nec enim melius dici quicquam potest. Ita igitur.

„ XX. Sequitur Ivo Carnotensis Episcopus, vir magni in Ecclesia nominis, cujus lucubrationes in omnium manibus versantur. Extant duæ Canonum ac Decretorum collectiones antiquæ huic Auctori tributæ, quarum una *Decretum Juris* vulgò vocatur, altera *Pannormia*, utraque eamdem habens præfationem; quo factum est ut viri docti putaverint Pannormiam non esse Ivonis Opus, sed Hugonis cujusdam Catalanensis aut alterius incerti Scriptoris qui Decretum in Compendium redegerit, fundum suæ illius opinionis accipientes ex Vincentio Bellovacensi, qui libro xxv. Speculi Historialis cap. lxxxiv. testatur Hugonem illum ex eodem volumine abbreviato Libellum portatilem composuisse, qui *Summa Decretorum Ivonis* appellatur. Sed Opus illud diversum esse à Pannormia vel hæc res indicio est, quòd *Summa Decretorum Ivonis* inscriptum fuerit, cùm *Pannormia* in vetustissimo Codice ms. S. Victoris Parisiensis, in tribus etiam antiquis Codicibus mss. Monasterii S. Albini Andegavensis, denique in omnibus editionibus, *Pannormia* semper vocetur, numquam *Summa Decretorum*. Præterea vir rerum istarum peritissimus Ant. Augustinus ex eo collegit Pannormiam non esse Epitomen Decretorum Ivonis, quòd pauca sint in quibus hæ duæ Collectiones inter se conveniant. Cæterùm, aut valdè me fallit amor suscepti negotii, aut deprehendisse mihi videor, Victorinum Pannormiæ Codicem multò antiquiorem esse Hugone Catalanensi, quisquis tandem homo ille fuerit. Unde colligi potest Vincentium de quodam alio Opere loqui, quo caremus absque ullo bonarum Litterarum dispendio. XXI. Ego in ea sum sententia ut omnino putem Ivonem primò scripsisse Pannormiam, & præfationem eodem tempore confecisse, quæ postea magno Decretorum volumini præfixa est. Nam cùm videret haud dubiè Pannormiam successum habuisse prosperum, & commendari ob utilitatem suam, putavit sistendum hìc non esse, adeoque majus Opus aggrediendum. Sed priusquam de majore illo Opere agamus, res postulare videtur ut ad Pannormiam redeamus, de nomine ipso paulisper acturi. Sunt qui putant non Pannormiam aut Panormiam vocari debere, sed Pannomiam, adeo ut Anton. Possevinus *in Apparatu* eorum inscitiam traducat, qui *Græcæ Linguæ inscientes Pannormiam scribunt, cum Ivo Pannomiam scripserit, hoc est, quod omnes complectitur leges*. Religiosior fuit Seb. Brant, qui primus hanc conjecturam fecit, primus omnium Pannormiam typis evulgavit. Hic enim sententiam suam cùm promeret de etymo istius vocabuli, duas diversas interpretationes afferens, unam è Græco sermone, alteram è Latino, Pannormiam tamen, & hìc & in titulo Operis vocavit, Lectori arbitrium integrum relinquens amplectendi quam malet etymologiam. *Appellavit autem* (inquit) *hunc suum librum Panno-miam, quasi totius justitiæ sive Legis materiam continentem (Pan enim totum, nomas verò Lex, seu nomia justitia Græcè dicitur) vel ut alii volunt, Pannormiam à norma, quæ regula à*

Bellarm. de Script. Eccl. Tom. VII.

A *quibusdam dicitur, sive fabrorum Decretorium*. Quicquid sit de nomine, græcamne originem habeat, an Latinam, an ex utraque conflatum sit, parum refert. Illud certè constat Pannormiam vocari in manuscriptis Codicibus & libris editis: sic enim habet utrobique initium Operis: *Incipit prologus Pannormiæ Ivonis Carnotensis Episcopi de multimoda distinctione Scripturarum sub una castorum eloquiorum facie contentorum, exceptiones Ecclesiasticarum Regularum, &c.* Sic pariter in veteri Codice suo legerat Joannes Trithemius, qui in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis agens de Ivone, ita loquitur: *Scripsit post Burkardum Vvormaciensem Episcopum ex Canonibus Sanctorum compendiosum Decretum, quo ante Gratiani* B *tempora utebantur Juristæ, quod prænotavit Pannormiam libris x. Excerptiones Ecclesiasticarum, &c.* Eumdem quoque titulum habuisse manuscriptum exemplar Pannormiæ, quod sibi comparaverat Antonius Contius, hinc liquidò constat, quod scribit illud fuisse simile Codici qui Decreta parva Ivonis inscribitur in Bibliotheca Sancti Victoris, idest, illi quem nos suprà laudavimus. XXII. Divisa est Pannormia in partes octo, Decretum in decem & septem. Utrique Operi præfixa est, uti diximus, eadem præfatio, in cujus fine ista utrobique leguntur: *Deinceps singularum partium totius voluminis intentionem breviter perstringemus, & hinc prudens Lector advertat quid in* C *unaquaque parte sibi necessarium quærere debeat*. Statim verò describit Auctor quid in unaquaque Pannormiæ parte contineatur, multùm diverso ordine ab eo qui servatus est in compositione Decreti. Cæterùm præfatio illa uno tenore decurrit in Codice Victorino, cùm in editionibus secta perperam sit in capita xliii. in quibus continetur Elenchus octo partium integri Operis. XXIII. Prima illius per Typographos editio exiit Basileæ anno mccccxcix. studio & opera Sebastiani Brant, secunda Lovanii anno mdlvii. accurante Melchiore à Vosmediano. In utraque in calce libri consequentibus numeris descripta sunt Decreta Innocentii secundi, quæ doctorum vi- D rorum conjecturæ locum fecerunt, ex eo suspicantium Pannormiam non esse Ivonis Opus; cùm Ivo multò ante rebus humanis excesserit, quàm Innocentius fieret Romanus Pontifex. Huic tamen doctorum virorum scrupulo faciemus satis, si cum Antonio Augustino dicamus addita esse Decreta Pannormiæ, non esse partem ejus Collectionis; testatur præterea idem Augustinus habuisse se veterem librum Pannormiæ, in quo Decreta Innocentii II. non extabant, sicuti non extant in optimo & antiquissimo Victorino, in quo caput quod est cxxxvi. octavæ partis in editionibus (*Leo Papa in Synodo congregata, &c.*) finem imponit Pannormiæ. Postea verò nihil aliud repe- E ritur scriptum in Codice illo. Et hæc de Pannormia sufficiant. Redeamus ad Decretum. XXIV. Cùm videret Ivo, uti suprà dicebamus, Pannormiam favorabiliter acceptam, manibus studiosorum versari; majus opus aggredi statuit, in quo & causas tractaret abundantiùs, ac præterea excurreret ultra præfixos Pannormiæ terminos. Ergo incipiens rursum à præfatione, Opus quod in octo tantùm partes primò diviserat, nunc in decem & septem distribuit, mutato tamen ordine. Opus illud vulgò vocatur Decretum Ivonis, initio facto ab editione Joannis Molinæi viri doctissimi; in vetustissimo tamen Codice manuscripto Bibliothecæ Sancti Victoris Parisiensis nullus titulus in fronte extat, neque nomen Auctoris, sed in fine libri hæc tantùm scripta sunt: *Explicit liber*

 Cano-

„ *Canonum*. Et mox in sequenti folio alia manu multò recentiore: *Liber Canonum superscriptus*, DECRETA JOVINIANI, *quem composuit Yvo quondam Carnotensis Episcopus, & continet decem & septem partes principales*. Viderat hunc Codicem Antonius Contius, qui in præfatione sua in Decretum Gratiani, loquens de duabus Canonum & Decretorum Collectionibus Ivoni attributis, hæc ait: *Duplex ejus volumen hoc titulo insignitum reperi, unum, majus, & magnitudine sua longe excedens Gratiani volumen, quod ex Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, nobis aliquando communicatum est. Huic Operi inscriptum titulum hunc invenimus*: DECRETA JOVINIANI. *Verùm hanc inscriptionem falsam puto, & ignorantia Librariorum adscriptam; cùm eadem illic sit præfatio quæ apud Ivonem in minori volumine Pannomiæ, & idem ferè ordo, nisi quòd illud volumen multò plures habeat partes & titulos, & Canones in 17. quippe partes divisum*. Duas Operis majoris editiones hactenus habemus, unam quæ anno MDLXI. prodiit Lovanii, alteram quæ Parisiis ante hos viginti annos. Quæ sit inter illas differentia, utra alteri præstet facilius intelligi quàm explanari potest. Illud tantùm admoneri debere visum est, Synopsim rerum dicendarum quæ sequi debuit post ultima verba præfationis, prout verba ipsa indicant & auctoritas Codicis Victorini; suo loco positam esse in editione Lovaniensi; in Parisiensi verò præfixam Vitæ Ivonis, quæ antecedit præfationem. Hæc Stephanus Baluzius verbo tenus loco citato, Paragraphis XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV.; quæ nos omisisse nefas duxissemus, quasi quæ demonstrent utrumque Opus, *Decretum* nempe & *Pannormiam* esse Ivonis Carnotensis.

De Samuel Marochiano. 1090.

SAMUEL MAROCHIANUS ex Judæo Christianus scripsit utilissimam *epistolam, sive librum de adventu Messiæ*, & de iis, quæ Judæi moderni negant, & ob quæ in Judaismo obstinatè perseverant. Scripsit autem, ut ipse testatur, *Post mille annos ab ultima eversione Jerosolymæ sub Tito Imperatore* idest *post annos mille septuaginta duos à natali Domini*. Extat hic liber in tom. 4. Bibliothecæ sanctorum Patrum, editionis secundæ, & etiam seorsim excusus invenitur.

DISSERTATIO HISTORICA.

RABBI SAMUEL, natione Afer, ab urbe Natali Marochianus dici solitus, ex Judæo factus Christianus, scripsisse se profitetur adversus populares suos in erroribus avitis obstinatè perseverantes libellum, sive Epistolam, post elapsos mille annos ab ultima Hierosolymorum eversione, ideoque anno Christi 1070. non verò 1072. cùm certum sit à Tito captam Sanctam Civitatem Templumque incensum anno salutis 70. ut ipsemet in Chronico suo putavit Miræus. Gravius verò errant qui illos mille annos numerant ab ipso Christi Domini natali cum Simlero, Possevino, &c.

Epistola illa ad Rabbi Isaac Synagogæ Magistrum quæ erat in Subiulmeta oppido ejusdem Regni Marochiani, sive, *Liber de Adventu Messiæ, quem Judæi frustrà adhuc expectant, & de iis qui increduli ac contumaces Judæi negant, & ob quæ in Judaismo perseverant*, prodiit Argentorati, Coloniæ, Basileæ, Heidelbergæ, Parisiis, tum seorsim, tum in variis Collectionibus Vet. PP. ac Theologorum, necnon in calce secundæ Partis Summæ Historicæ sive Chronicorum S. Antonini Archiepiscopi Florentini, ac Burgis anno 1591. cum Scrutinio Sacrarum Scripturarum Pauli de Sancta Maria Burgensis Episcopi, opera Christophori Sanctotisii Augustiniani. Ex Arabico verò Latinam factam fuisse volunt anno 1339. ab Alfonso Bonihominis, Ordinis Prædicatorum, natione Hispano, de quo legendus Antonius Senensis in Bibliotheca, aliique Dominicani. Hujus autem Epistola prooemialis ad Hugonem Magistrum Ordinis Prædicatorum dignissimum missa præmitti solet.

De Conrado Monacho. 1090.

SUPPLEMENTUM.

CONRADUS MONACHUS Ordinis Divi Benedicti, natione Germanus, in Monasterio sancti Nicolai Bruvillarensis, in Archiepiscopatu Coloniensi, florebat jam an. 1070. imperante Henrico quarto, qui tamquam oculatus testis scripsit circa annum 1096. *Vitam Sancti Volphelmi Abbatis Bruvillarensis*, qui mortuus est anno 1091. die 22. Aprilis. Hanc oblatam Everartho suo successori, ac Herimanno sancti Pantaleonis Coloniensis Abbati, ediderunt Surius & Bollandistæ ad diem 22. Aprilis, repetitque Joannes Mabillon sæculo 6. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti ad annum 1091. Mentionem hujus Conradi faciunt Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1. pagina 380. Bollandistæ citati in Commentariis præviis ad Vitam S. Vvolphelmi.

De Udalrico Monacho. 1091.

SUPPLEMENTUM.

UDALRICUS CLUNIACENSIS Monachus, clarus sanctitate & doctrina circa annum 1090. scripsit *Libros tres antiquarum Cluniacensis Cœnobii Consuetudinum*, quas in publicum eduxit D. Lucas Dacherius tomo 4. Spicilegii pagina 21. & seqq. Creditur vixisse usque annum 1100. & ultra forsitan, de quo loquitur Lucas Dacherius in prolegomenis ad quartum tomum Spicilegii sui, quæ consulat Lector.

De Gaufredo à Malaterra. 1090.

SUPPLEMENTUM.

GAUFREDUS A' MALATTERA, Monachus Ordinis Divi Benedicti, non Hispanus, ut censet Antonius Possevinus, sed Gallus ex provincia Nortmanniæ, claruit circa annum 1097. scripsitque gesta sui temporis & suæ, ut ita loquar, nationis: nempe *Libros quatuor de gestis Roberti Viscardi Calabriæ Ducis & Rogeri ejus fratris, Principum Normannorum & eorum fratrum, in Campania, Apulia, Sicilia*: seu de conquestu Regnorum Siciliæ, Calabriæ & Apuliæ. Cumque hoc Opus diu delituisset inter vetera monumenta Regum Aragonum, ad annum usque 1578. Hieronymus Zurita vir celebris edidit in folio Cesaraugustæ typis Dominici à Portonariis eodem anno, munitum & laudatum privilegio Regio, dedicatum autem Antonio Augustino tunc Tarraconensi Archiepiscopo, viro in antiquitatibus doctissimo. Idem Opus postea insertum etiam in 4. volumen *Scriptorum Hispaniæ Illustratæ*, quæ Francofurti in folio anno 1603. edita sunt. Mentionem facit hujus Historici Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 1. pag. 621. qui Gaufredum scripsit & malè credidit Hispanum, eo quòd Opus ejus absque dubio illuc è Sicilia olim allatum, in Hispania inven-

ventum, atque in eadem primò editum fuerit, quamvis Normannus esset.

De Guillelmo Appulo. 1090.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS APPULUS, quòd natus in ea provincia in Regno Neapolitano, floruit sub finem sæculi 11. & Imperio Henrici IV. Scripsit ad preces Urbani II. qui rexit Ecclesiam ab an. 1088. ad 1099. & Rogeri de Bussiaco *insigne Poema heroicum de rebus gestis Normannorum in Italia & Neapolitano Regno*, quod impressum anno 1552. curis Joannis Tiremii Rothomagensis in Parlamento Causidici. Videas & illud in Collectione Scriptorum *De Rebus Normannicis* ab Andrea Duchesnio Parisiis anno 1619. apud Sebastianum Cramoisy, & Collectaneum Scriptorum Siciliæ Francofurti in fol. anno 1579. Vvechelianis typis.

De Nalgodo Monacho. 1090.

SUPPLEMENTUM.

NALGODUS Cluniacensis Monachus, non fuit Discipulus Sancti Majoli Abbatis Cluniacensis, ut opinatus est Godefridus Henschenius ad diem undecimam Maji in præviis Commentariis ad Vitam sancti Majoli, qui mortuus est anno 994. sed circa annum 1100. vixit. Nam *in Vita* quam scripsit *sancti Odonis Cluniacensis Abbatis*, & quam refert Joannes Mabillon sæculo 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 186. annis ferè ducentis vivebat post Odonem; id quod ipse disertè asserit n. 29. nimirum Urbano secundo Summo Pontifice, aut certè post ipsum ex num. 23. unde rectè circa annum 1099. vel circiter collocandus occurrit. Scripsit etiam *Vitam sancti Majoli Abbatis Cluniacensis* an. 994. mortui, quam Bollandistæ ediderunt ad diem undecimam Maji. De Nalgodo Henschenius in præludiis ad Vitam sancti Majoli die undecima Maji, Joannes Mabillon in iisdem ad Vitas Sanctorum Odonis & Majoli Abbatum Cluniacensium sæculo 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, paginis 125. & 760.

De Othlono. 1090.

SUPPLEMENTUM.

OTHLONUS natione Germanus, sub finem sæculi 11. vel sub initium 12. *illustrandis sancti Bonifacii gestis* operam suam contulit, conquisitis ac relatis ipsius Bonifacii aliorumque Epistolis, quæ ad rem pertinere videbantur. Othloni nomen quod diu latuerat, Henricus Canisius primus in Rebdorfensis Monasterii manuscripto Codice deprehendit in hæc verba: *Incipit prologus venerabilis Presbyteri Othloni & M. Cœnobii sancti Bonifacii in Vitam ipsius*, idest, prout divinavit Canisius, Monachi Cœnobii sancti Bonifacii. Fuisse enim Othlonum Monachum, satis ex præfatione patet; dum non solùm *Fratres suos Fuldenses* vocat, sed & semetipsum illosque *& infimos & spectaculum factos mundo* ait. Non tamen Fuldensis Cœnobita fuisse videtur, quia Fuldenses Monachos in præfatione alloquens, *Cœnobium vestrum* nominat: sed ex aliquo Monasterio sancti Bonifacii, quem *Patronum nostrum* appellat. Vixit circa initium sæculi 12. ex prologo Vitæ quam in duos libros distinxit; & quam primus edidit Henricus Canisius tomo 4. Antiquæ Lectionis, & Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, tom. 2. pag. 1. & sequentibus.

De Gilleberto Episc. 1090.

SUPPLEMENTUM.

GILLEBERTUS Lunicensis in Hybernia Episcopus, clarus circa annum 1090. scripsit *Libellum unum De statu Ecclesiæ*, cui præmissa Epistola de *Usu Ecclesiastico ad Episcopos Hyberniæ*, quam inseruit Jacobus Usserius Armachanus Archiepiscopus suæ Collectioni Epistolarum Hybernicarum pagina 54. & seqq. Extat ibidem pag. 61. ejusdem *Gilleberti ad Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum Epistola*, cum Responsione sancti Anselmi ad ipsum: unde liquet quo tempore hic Gillebertus floruit, cautè distinguendus ab aliis duobus Anglis, Gilberto Vvestmonasterii Abbate, & altero Episcopo Londoniensi cognomento *Foliot*, de quibus nos postea agemus. Impressæ autem Epistolæ Usserii Hybernicæ in 4. anno 1665. apud Ludovicum Billaine Parisiis in aula Palatii.

SÆCULUM XII.

Ab anno Dom. 1100. *ad* 1200.

De Leone Ostiensi. 1101.

LEO MARSICANUS Episcopus Ostiensis factus à Paschali secundo, sub eodem obiit ad initium anni 1110. Scripsit *Chronicon Monasterii Cassinensis à sancto Benedicto usque ad Desiderium Abbatem*, qui fuit postea Victor Papa tertius. In quo chronico non pauca attinguntur ad historiam Ecclesiasticam illorum temporum valde utilia.

DISSERTATIO HISTORICA.

LEO MARSICANUS ex Cassinensi Monacho ac Bibliothecario S. R. E. Cardinalis & Episcopus primùm Svessanus in Regno Neapolitano, deinde Ostiensis factus sub Paschale II. Papa. Obiit die 12. Maji, sed quo anno ignoratur. Vivebat adhuc post annum 1112. ideoque Miræus peccat, qui dicit eum obiisse anno 1110. quo verè tum scribebat.

Chronicon Cassinensis Monasterii libris tribus distinctum, à tempore S. Benedicti, usque ad Desiderium ejusdem Cassini montis Abbatem, qui anno 1085. post Gre-

Gregorium VII. electus est Papa Romanus dictus Victor II. obiitque an. 1087. editum est Venetiis anno 1513. apud Lazarum Soardum, ac deinde anno 1603. Parisiis, cum Aimoini Monachi Historia Francica, aliisque curante Domno Breulio Ordin. Benedict. Videndi de Leone, tum Petrus Diaconus ejusdem cœnobii Monachus cap. 31. & 40. Chronici sui Cassinensis, quod à quibusdam liber quartus numeratur, & adtexitur operi Leonis Marsicani tamquam appendix, tum ex recentioribus Arnoldus Wion in ligno Vitæ, Baronius, Possevinus, &c. (a).

(a) Quibus prælucere meritò debet idem Petrus Diaconus cap. 30. libelli de Viris Illustribus Cassinensis cœnobii, ejusque editor atque illustrator Joannes Baptista Marus, qui Concilio Vastellensi interfuisse docuit, tum anno 1112. die 25. Octobris majus altare S. Laurentii in Lucina consecrasse, ac subscripsisse Acta Concilii Lateranensis sub Paschali Papa. Videndi quoque Matthæus Lauretus, Camillus Peregrinus, Marcus Antonius Scipio, aliique. Vivebat adhuc an. 1115. teste Bulla ejusdem Papæ, cui subscriptus reperitur. Ab eo diversus fuit Leo Card. Diac. ejusdem cœnobii Monachus, quem Petrus Diaconus capite 31. asserit nomine Urbani II. Papæ quamplures scripsisse Epistolas, ejusque Registrum fecisse, quod idem Marus observavit adversus Card. Baronium & Possevinum unum ex duobus conflantes.

De Radulfo Ardente, 1100.

SUPPLEMENTUM.

Hunc vide sæculo decimo post Radulfum Flaviacensem.

De Zacharia Chrysopolitano. 1101.

ZACHARIAS EPISCOPUS Chrysopoleos vixit tempore Paschalis secundi Pontificis, ad initium anni 1101. & scripsit *in quatuor Evangelia quatuor libros Commentariorum.*

DISSERTATIO HISTORICA.

ZACHARIAS, CHRYSOPOLEOS Episcopus, à Sixto Senensi lib. 4. Bibl. Sanctæ aliisque vixisse dicitur initio XII. Æræ Christianæ sæculi sub Paschali II. Romano Pontifice. Quo sanè anno obierit, nescimus. Omninò diversus fuit à Zacharia Scholastico Mitylenes in Lesbo Insula Metropolitano, de quo nihil Bellarminus nec Trithemius, cui solus memoratur Zacharias Papa nostro etiam Bellarmino indictus.

Libri IV. Commentariorum in Evangelicam Concordiam, sive unum ex quatuor Μονοτέσσαρον ab Ammonio Alexandrino Græcè olim elaboratum prodierunt Coloniæ anno 1535. in folio apud Eucharium Cervicornum, & Tomo XII. Bibliothecæ Coloniensis, nam in Parisiensibus actenus desiderati sunt.

In fine excusus est *Sermo de Assumptione B. Mariæ Virginis*, qui incerto potius Auctori adscribendus est, quàm Zachariæ Chrysopolitano, quod etiam visum est ipsi editori.

Postquam hæc scripta fuissent, venit in manus meas locus ex Chronico Alberici Monachi Trium-Fontium Ordinis Cisterciensis, seu potius Helinandi Monachi Frigidi montis ex eodem ordine, quo Zachariæ hujus ætas, necnon Radulfi Flaviacensis, pressiùs atque significantiùs aperitur. Anno 1157. *Florebant hoc tempore quidam Viri venerabiles, quorum unus Zacharias Chrysopolitanus (Episcopum non vocat, ut plerique omnes alii faciunt) de ordine Præmonstratensium apud Sanctum Martinum Laudunensem, fecit volumen illud egregium super quatuor Evangelia, quod Unum ex quatuor* (Monotessaron) *appellatur. Et Radulfus ille Niger Monachus Flaicensis, aliàs Flaviacensis, in territorio Bellovacensi, fecit opus super Leviticum per viginti libros dispositum, quod prædicatur & probatur magnificum.* Tum subdit pro more nomen Elinandi, ex cujus Chronico sive Historia plurima excerpsit, non secus atque Vincentius Bellovacensis dictus, aliique eo posteriores. Ex his verò colligas velim Chrysopolitanum dici fortè Zachariam nostrum, quod Bisuntinus seu Vesontionensis esset, eumque non ineunte sæculo XII. quod cum Sixto, Possevino, & Bellarmino multi sentiunt, sed anno 1157. floruisse.

Quamvis autem ad finem properemus, non erit tamen inutile nonnulla observare. I. Vocabulorum quorumdam difficilium in Sacris paginis obviorum interpretationem, quæ in editis præmittitur, in Veteri Codice ms. Abbatiæ S. Dionysii quem vidit Petrus Pithœus, ad finem haberi, idque appositè omnino ad mentem Auctoris, ut docet Admonitio ad Lectorem pag. 24. editionis Coloniensis: *Notum facimus Lectori quòd expositionis lucem sumpsimus ab Hieronymo, Hilario, Rabano, super Matthæum; ab Hieronymo & Beda super Marcum; in Lucam ab Ambrosio, & Beda, in Joannem ab Augustino & ejus abbreviatore Albino. Insuper etiam opus illuminant Augustinus de Concordia, &c. Interpretationes quidem paucas interserimus, quia in fine operis ordine Alphabeti locabimus omnes ad Evangelium pertinentes, ut inde Lector, prout opportunitas dabit, argumenta eliciat.* Alterum, Admonitionem, quæ ad pag. 20. calcem legitur, in eodem ms. Codice Dionysiano ad finem subjunctam esse. III. in eodem Exemplari Zachariæ nomen, nec prolixiori illi de excellentia Evangelii, &c. Præfationi quæ dicitur prima, nec secundæ, quæ Vitas Evangelistarum brevissimè perstringit, sed Tertiæ dumtaxat, quæ excusa habetur pag. 19. & sic incipit: *Unum & quatuor Evangelistarum* dictis Evangelio claro studio composuit Ammonius Alexandrinus qui Canonum quoque Evangelii fertur inventor. Hoc Eusebius Cæsariensis in epistola præscripta editioni, qua memoratos Evangelii Canones edidit præfati viri imitatus studium, Carpiano scripsit. Tatianus etiam, &c. quæ supra exhibuimus in Tatiano. IV. Ex eadem Præfatione non omittenda, quæ pluribus à nobis supra in Ammonio Eusebioque relatis lucem allatura videntur: Hujus operis quis auctor, imò ordinator extiterit, nihil interest ignorare. Etenim tam verba, quàm sententiæ, nonnisi Evangelistarum sunt: Matthæi namque dictis reliquorum trium excerpta arte mira magisque brevitate miranda junguntur. Hoc autem prænominatum Ammonium fecisse scribit Eusebius Carpiano. Ut ergo absque scrupulo studiosi mens secura possit hoc uti volumine, sententias Evangelistarum personas (idest similes, congruentes, consonas) numeris per loca congrua curavi diligenter distinguere. Horum alter signis quibusdam (quas vulgò cifras appellant) expressus indicat numeros ipsos in Canonibus Eusebianis. Alter sub hoc pinguiusculis literis effigiatus & usque ad decem tantummodo procedens, in quoto canone superpositus numerus inveniatur, ostendit. Numeris siquidem luce clarius aperitur, quid propriè, quid communiter, quæve similia dixerint Evangelistæ. Literis quoque eosdem brevitatis necnon differentiæ causa indico debere discerni, videlicet per R, literam Marcum; per M, Matthæum; per A, Aquilam summum Evangelistam; per L, verò Lucam. Præterea nemo culpet, & quæ deinceps sequun-

quuntur, quæ quia ad rem nostram non accedunt, exscribere supersedeo.

De Zacharia Ep. Mitylenensi. 560.

Supplementum.

Zacharias ex Scholastico seu Sophista, Mitylenensis non solùm Episcopus, verùm etiam *Metropolita* vocatus *in Actis Oecumenici Concilii quinti*, anno 553. habiti à centum sexaginta quinque Patribus contra Anthymum & Theodorum, sub Vigilio Pontifice Romano, temporibus Justiniani & Justini Impp. Huic igitur interfuit Zacharias Mitylenensis, ac deputatus à Menna Patriarcha & Concilio, cum Vosporio Neocæsariensi Metropolita Provinciæ Ponti Polemoniaci, & Acacio Pessinuntino, ad notificandum Anthymo quæ à Concilio gesta essent de ejus exauctoratione ab Episcopatu Constantinopolitano, & ipsum invitandum infra tres dies ad Synodum, ad faciendam super annuntiatis congruam satisfactionem.

Scripsit Dialogum *De universitatis procreatione contra mundi & materiæ æternitatem à Philosophis constitutam*, quem Gilbertus Genebrardus Aquensis Archiepiscopus, & antea Regius Litterarum Hebraicarum Professor, latinum fecit. Item scripsit *Disputationem contra ea, quæ De duobus principiis à Manichæo quodam scripta, & in viam publicam projecta reperit*, quam Franciscus Turrianus ex mf. Codice suæ Bibliothecæ latinè reddidit, & Henricus Canisius tom. 5. Antiquarum Lectionum Ingolstadii anno 1604. in 4. publicavit. Utrumque opus legitur latinè in Bibliotheca Veterum Patrum tom. 6. editionis Coloniensis anni 1618. apud Antonium Hierat. Porrò *Dialogus de mundi Opificio contra Philosophorum disputationem*, græcè & latinè prodiit Parisiis anno 1618. in 4. interprete Joanne Tarino Andegavensi, cum *Origenis Philocalia* de obscuris Sacræ Scripturæ locis, à Sanctis Patribus Basilio Magno & Gregorio Nazianzeno ex variis Origenis Commentariis excerpta; & cum Sermone Anastasii Presbyteri in monte Syna *De hominis ad imaginem, & similitudinem Dei creatione*, qui & Gregorio Nysseno tribuitur. Habes etiam græcè & latinè *in Bibliotheca SS. Patrum* Morelliana Parisiensi anni 1644. tom XI. pag. 331. & sequentibus. Claruit circa annum 560. de quo loquuntur Miræus in *Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 152. pag. 209. Possevinus *in Apparatu Sacro* & Conradus Gesnerus in *Bibliotheca sua*. *Disputatio autem Zachariæ* quam Canisius edidit, habetur græcè manuscripta inter Codices græcos, quos Franciscus Turrianus attulit ad Societatem Jesu dum Romæ ipsam professus est.

De Sigeberto Historico. 1101.

Sigebertus Monachus Gemblacensis vixit tempore Gregorii septimi Pontificis, & obiit tempore Paschalis secundi circa annum Dom. 1112. Scripsit *Chronologiam*, quæ extat cum aliis Historicorum Germanorum libris ab anno Domini 381. usque ad annum 1111. continuavit Sigebertum Robenus de Monte usque ad annum Domini 1210.

Porrò Sigebertus in sua Chronologia iniquior fuit Gregorio 7. ob studium erga Imperatorem: qua de causa non pauca mentitus est, & præsertim cùm narrat obitum ipsius Gregorii.

Scripsit præterea *duos libros de viris illustribus*, inter quos se ipse posuit, & opuscula sua diligentissimè numeravit. Inter quæ opuscula unum inveni-

A tur contra epistolam Gregorii septimi ad Episcopum Metensem, & alterum contra epistolam Paschalis secundi, quæ opuscula meritò ab Ecclesia Catholica interdicta fuerunt.

Scripsit quoque, ut ipse testatur, *librum contra eos, qui calumniantur Missas conjugatorum Presbyterorum*, qui liber periisse videtur & jure indignus enim erat, qui lucem aspiceret. Neque enim Gregorius septimus, in cujus odium liber ille scriptus erat, reprehenderat Missas conjugatorum Presbyterorum, sed Missas concubinariorum Presbyterorum: neque vetuerat Gregorius, Missas ejusmodi concubinariorum audiri, quòd existimaret illas non esse veras; sed quòd judicaret concubinarios indignos esse, qui
B Missam celebrarent, & qui à fidelibus populis frequentarentur. Quod autem liber ille Sigeberti in defensionem concubinariorum Sacerdotum, scriptus esset contra Gregorii Papæ edictum; perspicuum est ex ipsa ejus Chronologia ad annum Domini 1074. ubi dicit, à Gregorio septimo prohibitos fuisse uxoratos Sacerdotes divina officia celebrare, novo exemplo, & inconsiderato, &c. Sed in defensionem Gregorii Papæ contra calumnias Sigeberti scripsit sanctus Anselmus in epistola ad Guillelmum Abbatem, quæ est numero octava, ubi sic ait, de Presbyteris, inquit, qui se apertè reproba libidinis conversatione Deo reprobabiles exhibent, omnino tenendum est, quod Apostolica providentia Ecclesiastico, justoque rigore
C constituit. Nempè nullatenus convenit, ut ibi reverenter adstent, ubi pertinaciter aperta, & impudenti libidine fœtentes Dei, & Sanctorum prohibitionem contemnendo, sacris altaribus deserviunt, imò non deserviunt, sed quantum ad ipsos, commaculant: non quo quis ea, quæ tractant, contemnenda; sed tractantes execrandos existimet: ut quæ Dei, & Angelorum præsentia non reverentur, vel hominum detestatione repulsi, sacra contaminare desistant.

Dissertatio Historica.

Sigebertus, Gemblacensis in Brabantia Gallicana cœnobii Monachus, (errat enim Melchior
D Goldastus qui Gemblacensem Abbatem eumdemque Sanctum appellare non est veritus) cùm ætate florens pueros in Metensi S. Vincentii Monasterio diu docuisset, Gemblacum reversus, reliquum vitæ tempus ibidem egit, Henricianis partibus adversus Romanos Pontifices Gregorium VII. Urbanum II. & Paschalem II. ad procacissimam usque infrunitæ mentis audaciam, atque, ut Catholici quidam scripserunt, insaniam deliriumque addictus. Obiit die 5. Octobris non anni 1112. ut Miræus aliique plurimi scripsere, sed anni 1113. proximè consequentis. Suum ipse sibi texuit elogium cap. 171. *libri de Viris Illustribus* post alia omnia opera compositi; quem cum aliis sex, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis ex professo
E tractarunt recudendum curavit Aubertus Miræus Antuerpiæ anno 1639. in Bibliotheca Ecclesiastica. De eodem Sigeberto videndi S. Anselmus epistola 8. ad Guillelmum Abbatem, Trithemius, Poss. Bar. Bell. Miræus, & Joannes Maria Brasichellanus, qui & de Joanna Papissa nonnulla observat, & ad alios controversiam illam adversus Novatores Hæreticos fusiùs pertractantes remittit. Jacobus Gaddius, sciolus Florentinus pag. 348. Tomi II. Sigebertum transformat in Sigonium, aitque scripsisse utroque stylo multa volumina teste Trithemio, qui eum magis laudat & modestiùs reprehendit quàm Bellarminus. Scilicet in schismaticorum gratiam excusandus fuerat Sigebertus, & Catholicæ fidei vindex Bellarminus quacumque occasione oblata ac etiam contra jus fasque omne culpandus. Consule, amabo, observationes eruditissimi

Card.

Card. ac mecum non ſine ſtomacho damnabis profanorum hujuſmodi ſcriptorum qui de rebus ſibi parum cognitis judicare ſatagunt, inſulſitatem non ferendam. Verùm Gaddianas aberrationes ſeorſim Deo dante colligemus, in quibus non poſtrema erit, quæ mox ſequitur his verbis Symmachus Patricius, Senator & Conſul Rom. & Socer Boetii ſcripſit epiſtolarum ad diverſos volumen, quod & Argentorati 1510. lucem hauſit & Venetiis. Dein citato Macrobio qui circa annum 401. obiit, addit: De Sym. Sigebertus ſcribit ſub an. 517. &c. quæ produnt Gaddii in Chronologicis infantiam.

Chronicon ab eo tempore, quo deſinit Sancti Hieronymi ad Euſebianum Chronicon appendix, hoc eſt, *ab anno Chriſtianæ æræ* 379. (aliis 381.) quo cremato à Gothis Valente Theodoſius Senior cum Gratiano & Valentiniano minore fratribus Auguſtis imperare cœpit, *inchoatum* uſque ad annum 1112. perduxit. Illud ad fidem autographi codicis Gemblacenſis comparatum, atque à quiſquiliis Galfridi Monumetenſis ſive Aſaphenſis, quæ in omnibus præcedentibus editionibus inſperſæ legebantur, liberatum, Verduſſianis typis Antuerpiæ anno 1608. in 4. edidit idem Miræus. Verùm ut ipſe cum aliis Euſebianum Hieronymianumque Chronicon excepit, ita quamplurimi Chronicon ejus continuarunt: atque in iis præcipua tres: Anſelmus Gemblacenſis Abbas ab an. 1113. ad annum 1133. Secundus Anonymus, quidam falsò hactenus creditus Robertus Abbas, de Monte S. Michaelis, cùm potiùs, ſi quid conjectura aſſequi poſſum, fuerit Religioſus aliquis Ordinis Præmonſtratenſis in Diœceſi Laudunenſi aut non procul ab illa commoratus. Tertius eſt Robertus de Thorigneio Abbas S. Michaelis de Tumba ſive in Periculo maris, cujus Chronicon extat poſt Guiberti Novigentini Abbatis opera ſtudio D. Lucæ Dacherii O. B. anno 1651. in folio edita cum pluribus aliis.

Vita S. Sigeberti Francorum in Auſtraſia Regis, Eccleſiæ & Abbatiæ S. Martini extra Metenſem civitatem ſitæ conditoris, apud Surium & Bollandum Kal. Februarii. *Vita S. Guiberti Abbatis & Gemblacenſis Monaſterii fundatoris*, apud Surium die 23. Maji. *Vita S. Maclovii, ſeu Machutis Epiſcopi Alethenſis in Minore Britannia*, apud eumdem Surium die 15. Novembris.

Notandum porrò eſt deceptum fuiſſe Voſſium, dum Sigeberti verba referens; ſcripſit vitam Theodorici Epiſcopi conditoris ipſius Eccleſiæ & Abbatiæ, inſeruit (Gemblacenſis) neque enim Dietericus, ſive Theodericus Metenſis Epiſcopus fundavit Gemblacenſem Eccleſiam, cujus S. Guibertus auctor fuit, ſed S. Vincentii Monaſterium, in quo tum pueros erudiendo verſabatur, ut paullò ante monuerat. Quod ſi quis Schiſmatica Sigeberti opuſcula quærat, Schardianas, & Goldaſtinas adeat ſimilibus libris prægnantes farragines.

Sixtus Senenſis natione Gallum fuiſſe aſſerit, Poetam ſui temporis celebratiſſimum & in Divinis Scripturis à juventute detritum, qui ſcripſerit in librum Eccleſiaſtis Salomonis hexametro carmine librum unum.

De Theoderico Monacho 1100.

Supplementum.

THEODERICUS Monachus Ordinis Divi Benedicti & Abbas Sancti Trudonis in Epiſcopatu Leodienſi, in Monaſterium Ganda exulare coactus eſt ob eas cauſas, quas in Obſervationibus præviis ad Vitam Sancti Bavonis retulit Joannes Mabillon ſæculo 2. Sanctorum Ordinis D. Benedicti pagina 393. Hic hortatu Joannis Abbatis & Monachorum Cœ-

A nobii Trudoniani *novum Libellum de Vita Sancti Trudonis* ſcribere aggreſſus eſt ſub finem ſæculi XI. quo in Opere nihil agnoſcit ſui proprium *præter verba alio ſenſu derivantia* auctoritatem à Scriptoribus receptiſſimis mutuatus. Et tamen de ætate ſancti Trudonis inſerit nonnulla, quæ cum recta Chronologia convenire non poſſunt. *Vita ſancti Trudonis* à Theodorico apud Surium die 23. Novembris. Itemque ejuſdem *Vita Sancti Bavonis* apud eumdem Surium ad diem primam Octobris, de quo Joannes Mabillon in præludiis ad Vitam ſancti Bavonis ſæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 395. Item ſcripſit *Vitas ſancti Rumoldi Epiſcopi Tungrenſis*, *ſanctæ Landradæ Abbatiſſæ Belicienſis*, *ſanctæ Amalbergæ Virginis*
B *Tamiſienſis*, *& Sermonem de Translatione ſanctorum Trudonis & Eucherii Aurelianenſis Epiſcopi*. Vita *ſanctæ Amalbergæ* extabat olim manuſcripta apud Aubertum Miræum & alibi non edita. Vita *ſanctæ Landradæ* apud Surium die 8. Julii eſt mutila, quam dabunt integram Bollandiſtæ ad dictam diem, & quæ manuſcripta integra in Rubræ-Vallis Cœnobio propè Bruxellam. Quo tempore vixerit Theodoricus Scriptor ejuſmodi Legendarum, patet ex Chronico Trudoniano, quod extat tomo 7. Spicilegii Dacheriani. Nam in fine libri quinti Theodoricus 3. Kalendas Februarii anno Domini 1099. Trudoniani Cœnobii Abbas conſecratus dicitur, ac ſub finem libri ſexti obiiſſe 7. Kalendas Maji anno 1107. Ex eodem libro
C quinto Chronici diſcimus occaſionem Scriptionis *Vitæ ſancti Bavonis*. Scilicet Theodoricus Gandæ in Monaſterio ſancti Petri moratus ſub contentione Abbatum Lanzonis & Luponis (qui Metenſis & Leodienſis Epiſcoporum factione de dignitate certabant,) rogatu Fratrum Gandenſium exornandis ſancti Bavonis actis primariis operam dedit, unde ſub finem Vitæ à ſe conſcriptæ calamitoſum illud tempus deplorat. De illo Sigebertus capite 170. & Aubertus Miræus Scholio ad dictum caput Sigeberti pagina 157. Bibliothecæ Eccleſiaſticæ, & in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis capite 354. pagina 245.

D
De Hugone Flaviacenſi. 1100.

Supplementum.

HUGO ex Monacho ſancti Vitoni Virdunenſis, Abbas ſancti Petri Flaviniacenſis in Burgundia, produxit *Chronicon ſuum* à Chriſto nato uſque ad annum 1102. quod primus evulgavit Philippus Labbeus Societatis Jeſu Presbyter Theologus, tomo primo novæ Bibliothecæ manuſcriptorum librorum.

De Lupo Protoſpata. 1100.

E
Supplementum.

LUPUS PROTOSPATA natione Appulus, officio, ut creditur, Protoſpatarius, ſive Palatinorum militum Primipilus, ſcripſit *De rebus in Regno Neapolitano ab anno octingenteſimo ſexageſimo ad annum milleſimum centeſimum ſecundum geſtis Chronicon*: breve quidem, ſed accuratum. Quod cum appendice incerti Auctoris uſque ad annum 1519. Antonius Caracciolus ex Ordine Clericorum Regularium, quos vulgò Theatinos vocant, Theologus, typis in 4. Neapoli imprimi curavit anno 1626.: additis Heremperti Longobardi & Falconis Beneventani Chronicis, quorum poſterior Lupi Protoſpatæ narrationem excipit.

De

De Hariulfo Monacho. 1100.

SUPPLEMENTUM.

HARIULFUS MONACHUS primùm Centulanus seu sancti Richarii in Pontivo, inde meritis appellantibus Aldemburgensis in Flandriæ Comitatu factus Abbas propè Brugas in Belgio, variis Opusculis nomen suum posteritati clarum ostendit. Scripsit autem *Chronicon Ecclesiæ suæ Centulanæ*, quod ex manuscripto Codice edidit Lucas Dacherius tomo quarto Spicilegii sui. Scripsit etiam *Vitam sancti Arnulfi Suessionensis Episcopi* anno 1087. defuncti, quam Laurentius Surius & alii eum secuti ad diem 15. Augusti, non rectè attribuunt Lisiardo Suessionensi Episcopo. *Librum de Miraculis sancti Richarii*, quem habet Joannes Mabillon sæculo 5. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 567. Item scripsit *Vitam sancti Maldegisili Confessoris & Eremitæ in Pontivo*, quam composuit ineunte sæculo XII. quamque refert Joannes Mabillon sæculo 4. Sanctorum Ordin. Divi Benedicti tomo secundo pagina 537. Vide infrà in *Anschero*.

De Petro Tudebodo. 1100.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS TUDEBODUS, Presbyter Sivracensis apud Pictones, primus scripsit *De Itinere Hierosolymitano cui interfuerat*, describens à Concilio Claromontano anni 1096. ad diem 14. Augusti anni 1099. & narrans res gestas quinque annorum: à quo imposterum Anonymus, Robertus, Rhemensis, Baldricus Burguliensis, Guibertus Novigentinus, aliique mutuati sunt. Impressus cum aliorum Auctorum descriptionibus Bellorum atque Expeditionum ad Terram Sanctam duobus tomis in folio Hannoviæ anno 1611. Vvechelianis typis, cura & studio Jacobi Bongarsii. Hunc malè Aubertus Miræus *in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 358. pagina 246. Italum natione credidit, & in Comitatu Boamundi Apuliæ Ducis natum.

De Raymundo de Agiles. 1100.

SUPPLEMENTUM.

RAYMUNDUS DE AGILES Canonicus Podiensis, Capellanus Comitis Tolosani, seu sancti Ægidii, adfuit cùm effoderetur *Lancea sacra quæ Christum perfodit*, quam & in prælio tulit. In hoc sacro Itinere ad Sacerdotium promotus (petente Pontio Baladunio viro nobili, qui Comiti Tolosano familiaris erat) scripsit *Historiam Francorum qui ceperunt Jerusalem*, eamque Episcopo Vivariensi, & aliis Transalpinis omnibus dicavit, quam habes apud dictum Bongarsium impressam, in citato Collectaneo quod inscribitur: *Gesta Dei per Francos*. Incipit à Comitis Tolosani in Sclavoniam ingressu, & jam dicti quinquennii Narrationem persequitur, scilicet usque ad acceptam de Ammirato seu Admiraviso Babylonis victoriam.

De Philippo Solitario. 1100.

SUPPLEMENTUM.

PHILIPPUS SOLITARIUS anno 1105. scripsit ad Callinicum Monachum, sibique fratrem ac professione Monastica amicissimum, Opus inscriptum, *Dioptram, idest, Regulam seu amussim Rei Christianæ*, desumptam ex Codice manuscripto Græco Bibliothecæ Augustanæ, distinctam per Dialogos & in quatuor libros explicatam, quæ spirat ubique maximam pietatem, flagratque studio nos reddendi Deo gratiores: ususque est versibus Politicis, de quibus fusè agit Jacobus Pontanus in præfatione *ad Orationes Simeonis Junioris Theologi*. Dioptram Philippi Solitarii Michael Psellus & Phylaletus, hortatu Dionysii Metropolitæ Mytilenensis Notis illustrarunt: quæ omnia idem Pontanus latinitate donavit, & Gretserus Notis illustriora reddidit, extantque tomo 12. Bibliothecæ Sanctorum Patrum à Coloniensibus anno 1618. editæ.

De Stephano Abbate. 1100.

SUPPLEMENTUM.

STEPHANUS sancti Jacobi Leodiensis Abbas floruit sub Henrico quinto Imperatore circa annum 1110. *Scripsit Vitam sancti Modoaldi Treverensis Archiepiscopi libris tribus*, quos obtulit Tietmaro Monasterii Helmvvardicensis Abbati, quam refert Surius ad diem 12. Maji, & Bollandistæ ad eamdem diem tomo 3. pag. 51. Huic autem Stephano in gratiarum actionem idem Tietmarus & fratres Helmvvardicenses obtulerunt Tractatum eodem circiter tempore factum *De Translatione ejusdem sancti Modoaldi*, quem ibidem habes apud Bollandistas pag. 61. contigitque factum hujus Translationis anno 1107. sub Abbate Tietmaro.

De Anschero Abbate. 1100.

SUPPLEMENTUM.

ANSCHERUS ABBAS Sancti Richarii seu Centulensis in Pontivo, floruit an. circiter 1108. & scripsit libris tribus *Vitam & Miracula sancti Angilberti Abbatis Centulani*, quos evulgavit Joannes Mabillon sæculo quarto Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tom. 1. pag. 123. & seqq. Et librum quidem primum *De Vita sancti Angilberti* antea evulgavit Joannes Bollandus ad diem 18. Februarii sub nomine Hariulfi Monachi Centulensis, & postea Abbatis Aldemburgensis: sed ex conjecturis solis, quæ pro Anschero validiores sunt, ut habet Joannes Mabillon loco citato pag. 91. ubi plurima in laudem S. Angilberti amplectitur.

De Theofrido Abbate. 1100.

SUPPLEMENTUM.

THEOFRIDUS ABBAS Epternacensis in Ducatu Luxemburgico, scripsit prolixè admodum *Vitam S. Villibrordi primi Ultrajectensis Archiepiscopi*, nempe capitibus 36. qui mortuus est in dicto Monasterio Epternacensi anno 739. die 7. Decembris; de qua vide Surium ad dictam diem. Item scripsit *Flores Epitaphios Sanctorum libris quatuor*, quos cum eadem sancti Vvillibrordi Vita impressos vidi in 4. Luxemburgi anno 1619. apud Hubertum Reuland, cura & studio Roberti Arduennatis Andaini, Societatis Jesu Theologi, qui hæc Opera Notis ornavit. Idem scripsit *Sermones quosdam de cultu & veneratione Sanctorum*, qui leguntur passim in impressionibus variis Bibliothecæ veterum Patrum *sub nomine Theofridi Abbatis*, quas consulere habes. Obiit Theofridus anno 1110. die quarta mensis Aprilis in suo Monasterio.

De Gofrido Vindocinensi. 1110.

GOFRIDUS ABBAS Vindocinensis, & Cardinalis tit. S. Priscæ ab Urbano secundo creatus vixit usque ad extrema tempora Honorii secundi, ut constat ex epistola Innocentii ad ipsum. Scripsit *epistolarum libros quinque*, *Opuscula quindecim*, *& sermones duodecim*: quæ omnia extant excusa Parisiis anno 1610. Opera Jacobi Sirmondi è Societate Jesu.

Dissertatio Historica.

GOFRIDUS, seu Gaufridus, patria Andegavensis, quintus Vindocinensis Monasterii à Goffrido Martello Andegavorum Comite anno 940. fundati Abbas & Cardinalis S. Priscæ ab Urbano II. creatus, duodecies pro Romanæ Ecclesiæ utilitate Alpes transgressus, ter ab ejus adversariis captus, vixit usque ad Pontificatum Innocentii II. & annum Christi 1130. Vitam ejus Sirmondus noster operum ejus anno 1610. Parisiis editor & illustrator ex ejusdem maximè scriptis contexuit, quam defloravit de more Miræus pag. 243. Auctarii de Scriptoribus Ecclesiasticis. Ad eum scripsit Ivo Carnotensis Episcopus epistolas 41. 57. 82. 163. & 195. Callixtus II. Papa unam. Honorius II. Papa unam.

Epistolarum libri quinque, I. ad Pontifices & Sedis Apostolicæ Legatos. II. ad Episcopos Carnotenses. III. ad Episcopos Andegavenses, Cenomanenses, & Santonenses. IV. ad Abbates Priores, Monachos diversorum Monasteriorum. V. ad Sæculares, tum Clericos, tum Laicos. *Opuscula numero* 18. *Sermones* 11. Notæ in quinque Epistolarum libros eruditissimæ.

De Odone Cameracensi. 1110.

ODO EPISCOPUS Cameracensis, vir pius & doctus, multa composuisse dicitur, quæ in variis locis reperiuntur. Extat unica, quod sciam, eadem brevis expositio Canonis Missæ, tom. 6. Bibliotheca sanctorum Patrum edit. 2.

Dissertatio Historica.

ODO CAMERACENSIS Episcopus, ex Aurelianensi Scholastico & Abbate S. Martini in urbe Tornacensi, sedit ab anno circ. 1105. ad 1113. quo exul obiit 13. Kal. Julii sive 19. Junii, ac sub tumulo marmoreo sepultus est in Monasterio Aquicinctino propè Duacum Ordinis S. Benedicti. De eo Henricus Gandavensis cap. 4. Jo: Trithemius, Possevinus qui ex uno duos fecit Joannes Molanus, Aubertus Miræus, David Lindanus in Teneramunda, Valerius Andreas, aliique Belgæ, qui etiam meminerunt Epistolæ de ejus obitu scriptæ ab Amando de Castello, qui ex Priore Aquicinctino factus est postea Abbas Marchianensis. Sunt qui Odoardum etiam dictum, & civem Aurelianensem fuisse putant.

Brevis Expositio in Canonem Missæ divisa in quatuor distinctiones, in Bibliothecis Veterum Patrum extat jam olim edita Antuerpiæ 1532. & Lugduni 1556. cum Francisci Titelmanni Ordinis Minorum libro ejusdem argumenti. Aubertus Miræus addit in Belgicis cœnobiis reperiri ejusdem opuscula ms. de Mysterio Incarnationis Dominicæ, Dialogum contra Leonem Judæum; de peccato Originali librum unum; de blasphemia in Spiritum Sanctum; Homiliam de Villico iniquitatis; Collationum librum; Parabolas & alia, ex quibus nonnulla R. P. Andreas Schotus Tomo XV. Bibliothecæ Patrum postremæ editionis Coloniensis inseruit (*a*).

(*a*) Nimirum, de peccato originali libros tres; de blasphemia in Spiritum Sanctum librum unum, & Homiliam de Villico iniquitatis ad caput XVI. Evangelii secundùm Lucam. Hujus dumtaxat meminit Sixtus Senensis, qui apud suos perspicuum declamatorem appellat, & de ejus ætate omninò silet.

De Francone Abbate. 1110.

Supplementum.

„ FRANCO ABBAS Afflighemiensis Ordinis Divi Benedicti de quo hæc Henricus Gandavensis in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 39. Franco Abbas Afflighemiensis, rogatus à Domino Fulgentio prædecessore suo, antequam ipse Dominus Franco Abbas esset, scripsit Opusculum quod appellavit *De gratia Dei*; & antequam consummaret idem Opusculum, decedente Abbate Fulgentio, ipsi successit, & jam Abbas factus prædictum Opusculum consummavit, in ejusdem Opusculi fine laudes sui prædecessoris declamans. Metricè etiam statum futuræ gloriæ eleganter descripsit. Hæc Henricus, cujus etiam mentionem facit Sigebetus in Catalogo c. 164. Hi autem libri *De Gratia Dei*, sunt impressi Antuerpiæ anno 1565. & anno 1620. Friburgi in Brisgoia, itemque immissi in varias editiones Bibliothecæ Sanctorum Patrum, quas excutere potes. Claruit anno 1112. & ulteriùs, de quo Possevinus *in Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in Scholio ad caput 39. Henrici Gandavensis pag. 170. Bibliothecæ Ecclesiasticæ.

De Gotselino Monacho. 1110.

Supplementum.

GOTSELINUS, seu GOSCELINUS Monachus primùm sancti Bertini in Artesia, tum postea S. Augustini Cantuariensis in Anglia, diligentissimè omnium, *Sancti Augustini Cantuariensis Archiepiscopi Vitam*, post Bedam libro 1. Historiæ Anglorum cap. 23. & sequentibus, & lib. 2. capitibus 2. & 3. duplici descripsit Opusculo, majore scilicet & minore, ut in sua præfatione appellat n. 4. quorum alterum post Lanfranci Opera tacito Auctoris nomine reperitur, alterum nempe majus Opusculum nusquam editum, evulgatur sæculo primo Sanctorum Ordinis D. Benedicti pag. 499. cum libro Miraculorum ab eodem Gotselino composito. Præterea Gotselinus iste duobus libris sancto Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo nuncupatis comprehendit *Historiam Translationis sancti Augustini*, quos dabit publico Joannes Mabillon sæculo sexto Sanctorum Ordinis Divi Benedicti. Commendat eximiè hunc Goscelinum ob doctrinam & elegantiam Guillelmus Malmesburiensis lib. 4. *De Regibus Anglorum* cap. ultimo, & in libro *De Dorobernensibus Archiepiscopis*, ac post ipsum Joannes Mabillon in Observationibus præviis ad Vitam sancti Augustini, sæculo 1. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti, pag. 498. quod editum in folio apud Ludovicum Billaine anno 1668. in aula Palatii.

De

De Guillelmo de Campellis. 1110.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS DE CAMPELLIS, gallicè, *De Campeaux*, cognomento Venerabilis, sic dictus à natali solo Oppido de Campellis, Parisiensis Diœcesis in Bria, tertio à Meleduno milliario, ubi Ecclesia Collegiata insignis. Adolescens sub Anselmo Præceptore Laudunensi Decano Litteris operam dedit, qui tum per Franciam famosus habebatur, sicut ex Abaelardo discimus. Sub eo magnos cùm fecisset progressus, Parisiensis Ecclesiæ Archidiaconus, & Scholæ hujusce Cathedralis insuper in Dialectica edocenda præpositus est. At ille melioris vitæ cupidus, ad Cellam veterem non longè ab Urbe Parisina remotam, ubi erat Capella quædam Sancti Victoris, cum discipulis aliquot migravit, & vestem induit Canonici Augustinianorum Ordinis, teste Anonymo Scriptore, sed antiquo : *Eodem*, inquit, *tempore Magister Vuillelmus de Campellis, qui fuerat Archidiaconus Parisiensis, vir admodum Litteratus & Religiosus, assumens habitum Canonici Regularis, cum aliquibus discipulis suis extra Urbem Parisius, in loco ubi erat Capella quædam sancti Victoris Martyris, cœpit ædificare Monasterium Clericorum*. Hanc mutationem professionis laudat Hildebertus Cenomanensis Episcopus Epist. 1. ad eumdem : *De conversione & conversatione tua lætatur & exultat anima mea, illum prosequens actione gratiarum, cujus muneris est, quòd tandem philosophari decreveris. Nondum quippe redolebas Pholosophum, cùm ex acquisita Philosophorum sententia, scientiæ morum tibi minimè depromeres venustatem*. Unde Abaelardus in Epistola declarativa calamitatum suarum capite 2. *Perveni Parisios, ubi jam maximè Disciplina hac* (Dialectica) *florere consueverat, ad Guillelmum scilicet Campellensem Præceptorem meum, in hoc tum Magisterio, re & fama præcipuum*. Et paulò post : *Præceptor meus ille Guillelmus Parisiensis Archidiaconus habitu pristino mutato, ad Clericorum Regularium Ordinem se convertit; ea, ut referebant, intentione, ut quo religiosior crederetur, ad majorem Prælationis gradum promoveretur, sicut in proximo contigit, eo Catalaunensi Episcopo facto*. Nec tamen hic suæ conversionis habitus, vel ab Urbe Parisina, aut à consueto Philosophiæ studio eum revocavit : sed in ipso Cœnobio, ad quod se causa religionis contulerat, statim more solito publicas exercuit Scholas, hortatu nempe prædicti Hildeberti. Scripsisse plura Guillelmum Campellensem, mihi vix dubium est, quippe cùm credatur primus Ordinator Theologiæ quam Scholasticam vocant. Editus est nuper ejus nomine *Dialogus Christiani & Judæi* in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis ultimæ Lugdunensis anni 1677. apud Anissonios fratres, quam procuravit maximam D. Philippus Despont Doctor Theologus, quem ob scientiam ac virtutem notissimas plurimùm colimus. Hic amicus noster, sæculo duodecimo inserit sub dicti Guillelmi Campellensis nomine Dialogum allegatum, sed quem hac in parte aliquis incautus decepit, attribuens ex solius literæ initialis G, inscriptione, Guillelmo Campellensi, quod est opus Gilberti Abbatis Vuestmonasteriensis propè Londinum in Anglia. Inventum forsan ms. opus in Catalaunensi vel urbe vel Episcopatu, potuit dare locum ingenio claris Guillelmi Campellensis dotibus occupato, ut opus istud sola initiali litera inscriptum, ipsi adscriberet. Nos autem nec unum vidimus, sed mss. Codices duos aut tres Gilberto Abbati Vuestmonasteriensi attribuentes : atque hoc vulnus hujus Abbatis Lateri inflictum industrius hac

A in parte Medicus sanavit, Gabriel Gerberon Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia, qui in Nupera ac correctissima editione omnium Sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi operum, de qua in Anselmo diximus : hunc Dialogum inseruit, ereptum Guillelmo Campellensi, restitutum Gilberto Vuestmonasteriensi; neque id ex conjecturis, sed ex fide mss. Codicum quos ad marginem allegat. Hæc solius justitiæ intuitu, absque ulla personarum acceptione, æqualibus mihi omnibus Monachis simul ac Clericis Regularibus. Scripsisse insuper dicitur *Sententias Theologicas* ante Magistrum Sententiarum Petrum Lombardum, quarum manuscriptum exemplar repertum fuit in

B Bibliotheca Abbatiæ S. Petri Catalaunensis Monachorum Ord. Divi Benedicti, & nunc asservatur in Bibliotheca B. Mariæ Parisiensis, ex dono D. Claudii Joly Cantoris & Canonici Parisiensis. Denique juxta Albericum in Chronico ad annum 1113. *Magister Guillelmus de Campellis Moralia Sancti Gregorii Papæ abbreviavit & alia fecit*. Sed fallor, nisi Guillelmum pro Guarnero sumpserit Albericus : vel Joannes Pichardus anno 1610. deceptus sit, dum edidit Parisiis Compendium Moralium Sancti Gregorii Papæ compositum à Garnero vel Garnerio Canonico Regulari sancti Victoris ad muros Parisienses, quod Guillelmo de Campellis inscribi debuit. Potuit Albericus attribuere Guillelmo de

C Campellis opus quod Garnerii fuit, cum centum & amplius annis distet Albericus à Campellensi Guillelmo : quod plusquam satis est, ut quis fallatur. At falli etiam potuit Joannes Picardus in editione hujusmodi Compendii sub nomine Garnerii, quod Guillelmi Campellensis esse potest. Viderint Regulares Victorini, horum ad quem spectet hoc compendium, ad Guillelmum an ad Garnerium ? Litem ego definire non possum. Assumptus est ad Episcopatum anno 1113. Albericus in Chronico. *Obiit Catalaunensis Episcopus, succedit Magister Guillelmus de Campellis, qui Moralia Gregorii Papæ abbreviavit, & alia fecit*. Sequenti anno interfuisse memoratur dedicationi S. Mariæ Laudunensis. Benedixit

D autem S. Bernardum Claræ-Vallensem Abbatem ipsi apprimè amicum & familiarem anno 1115. vacante Sede Lingonica, uti memorant Albericus & Vita ipsius Bernardi lib. 1. cap. 7. Nominatur an. 1115. in charta Cessionis Ecclesiæ S. Laurentii & Sancti Martini Malignicortis. Anno quoque 1120. ordinavit pacem inter Canonicos S. Martini de Virtute, & Monachos sancti Salvatoris. Hujus porrò cum elogio meminere Ivo Carnotensis Epistol. 268. sanctus Bernardus Epist. 3. maximè charissimum virum nuncupans, Otho Frisingensis Episcopus lib. 7. Chronici cap. 47. & 48. Chronicon Maurigniacense, apud quod *celebratur Cononis Prænestini Episcopi & Apostolicæ Sedis Legati auxiliator Magnus Vuillelmus Catalaunensis,*

E *Episcopus, qui sublimes causas rexerat, & tunc zelum Dei habens super omnes Episcopos totius Galliæ, divinarum Scripturarum scientia fulgebat*. Verùm excessit è vivis anno 1121. 8. Kalendas Februarii, ut docent tabulæ S. Stephani, & Albericus : hinc certior est Epocha, quàm quæ assignatur à nonnullis eum fato cessisse anno 1119. post regimen annorum septem & sex mensium. Corpus ad sepulturam defertur in Abbatiam Claræ-Vallis. Hæc ut plurimùm ex Sammarthanis Fratribus in Gallia Christiana tom. 2. pag. 504. in Episcopis Catalaunensibus.

De Baldrico Episc. 1110.

SUPPLEMENTUM.

BALDRICUS primùm Gerardi primi, Lietberti & Gerardi secundi Cameracensium ex ordine Episcoporum Secretarius, deinde Canonicus & Cantor Tarvanensis, postea Archidiaconus & Episcopus Noviomensis, demùm Episcopus Noviomensis ac Tornacensis, quæ duæ Ecclesiæ Sexcentis annis circiter unitæ fuerunt. Scripsit *Historiam Cameracensis & Attrebatensis Ecclesiarum* olim unitarum, tribus libris quos titulo Chronici Cameracensis Georgius Colvenerius Doctor Theologus Duacensis & Cancellarius, cum notis anno 1615. Duaci in lucem edidit. Putatur insuper scripsisse *Chronica Ecclesiarum Tarvanensis & Ambianensis*, quæ vel perierunt, vel fœdo pulvere obsita alicubi latent. Obiit Baldricus anno 1112. in urbe Tarvanensi, ubi Episcopus translatus fuerat, sepultus cum Epitaphio quod legebatur ante urbis eversionem.

De Alulfo Monacho. 1110.

SUPPLEMENTUM.

ALULFUS MONACHUS sancti Martini Tornacensis tempore Odonis hujus loci Abbatis, & Cameracensis postea Episcopi qui obiit anno 1113. scripsit grande Opus *ex propriis verbis Divi Gregorii Papæ*, quòd *Gregoriale* inscripsit, mſ. in Variis Bibliothecis in quatuor Voluminibus in fol. nempe in Bibliotheca S. Amandi Ordinis S. Benedicti & in Alnensi Ord. Cisterciensis, 1. & 2. Volumen continent Commentarios in Veteris Testamenti libros, 3. in libros Novi Testamenti, 4. De Variis Argumentis in 16. libros distinctum est. Vidi etiam tria priora hujus operis Volumina mſſ. in Bibliotheca Longipontis Ord. Cisterciensis in Episcopatu Svessionensi, & 4. mſ. in Bibliotheca Sancti Petri Selincurtensis Ordinis Præmonstratensis apud Ambianos. De eo plura Joannes Mabillon tom. 1. Analectorum p. 312. & seqq.

De Udascalco Monacho. 1110.

SUPPLEMENTUM.

UDASCALCUS seu UDALSCALCUS Monachus scripsit *Narrationem de Controversiis inter Hermannum Episcopum Augustanum & Eginonem Abbatem sancti Udalrici, cum Carmine de itinere & obitu ejusdem Eginonis*, quam habet Henricus Canisius tom. 2. Antiquarum Lectionum, Ingolstadii 1602. in 4. Vixit autem temporibus Paschalis Papæ II. & Arnoldi Moguntini Archiepiscopi, quorum & litteras suæ Narrationi inseruit Udalscalcus S. Udalrici Monachus.

De Hugone à Sancta Maria. 1110.

SUPPLEMENTUM.

HUGO à SANCTA MARIA Monachus Floriacensis Ordinis Divi Benedicti, floruit circa annum 1115. scripsitque insigne *Chronicon maximè de Rebus Gallicis agens*, quod vidi mſ. in Bibliotheca Igniacensi Ordinis Cisterciensis in Tractu Rhemensi. Est autem impressum in 4. Monasterii in Germania anno 1638. cura & studio Bernardi Ruttendorf qui notas ad calcem adjecit, apud Bernardum Raesfeldium. Ejusdem *Tractatus De Regia Potestate & Sa-*

A *cerdotali Dignitate*, quem edidit Stephanus Baluzius tom. 4. Miscellaneorum pag. 9. edito apud Franciscum Muguet Parisiis 1683. in 8.

De Turgoto Monacho. 1110.

SUPPLEMENTUM.

TURGOTUS MONACHUS Dunelmensis clarissimus, qui tum Prioris ejusdem Ecclesiæ per annos 20. officio functus, tum etiam Archidiaconi, Vicarii, Decani, Vicedomini ubique Episcopo suo, seu ut ipsius sunt verba lib. 4. cap. 4. col. 54. *Christianitatis curam per totum Episcopatum agentis*, tum
B postea Sant-Andreani in Scotia per septennium dignitatibus claruit. Hic autem ab Osvvaldo Rege seu à fundamentis Ecclesiæ Dunelmensis Historiam suam in tempora Guillelmi Rufi Regis media aut circiter seu annum 1097. quem Simeon Dunelmensis deducens, id ipsum continuavit ad annum Christi 1129. Turgotus verò usque ad Henrici primi annum decimum-quintum, seu Christi 1115. superstes ut ostenditur, tunc mortuus est. Audax nimiùm facinus Simeonis sanè, ne quid gravius dicam, qui Scriptoris adeo sibi nuperi & vicini, ac ejusdem Ecclesiæ tum Collegæ tum Præfecti, tantisque dignitatibus clarissimi opus integrum, (demptis quæ diximus) sibi ipsi quasi planè novum, idque velut sua solùm mi-
C nerva congestum sit, arrogaverit. Habetur scilicet in Bibliotheca Cottoniana Codex mſ. Turgoti, ipsius tempore manifestè conscriptus, cui titulus: *Libellus de Exordio atque procursu istius, hoc est, Dunelmensis Ecclesiæ, cum sequentibus: Turgotus Prior Dunelmensis author hujus libri*. Incipit, *gloriosi quondam Regis Northan-Himbrorum & pretiosi Martyris Osvvaldi, &c.* usque ad caput 22. libri tertii Historiæ, quæ sub nomine Simeonis Dunelmensis evulgata est, de qua nos ad annum 1129.

De Rodulfo Abbate. 1110.

SUPPLEMENTUM.

D RODULFUS ABBAS sancti Trudonis in Tractu Leodiensi floruit anno 1117. & sequentibus, unde translatus ad Abbatiam sancti Pantaleonis Coloniensis, ibi Disciplina quæ pessum ierat restaurata, obiisse dicitur anno 1138. die 6. Martii. Scripsit *Chronicon Cœnobii sui Sancti Trudonis libris* 13. evulgatum tom. 7. Spicilegii Dacheriani. Item *Vitam sancti Lietberti Cameracensis Episcopi*, quam absque auctoris nomine evulgavit idem Dacherius tom. 9. sui Spicilegii. Item *Opusculum de susceptione puerorum in Monasteriis, ad instantiam Siberti Prioris sancti Pantaleonis*, evulgatum à Joanne Mabillon tom. 2. Analectorum pagina 495. & seqq. Item Scripserat libros
E septem contra Simoniacos, quos manuscriptos asservabat Bibliotheca Gemblacensis Ord. Divi Benedicti, de quibus Joannes Mabillon loco citato pag. 534. quos incendium nuperum hujus Cœnobii quo totum absumptum est, consumpsit.

De Gilberto Monacho. 1110.

SUPPLEMENTUM.

GILBERTUS seu GILLEBERTUS Monachus Anglus & Abbas in Cœnobio Vvestmonasterienti juxta Londinum, Litteras ibi humaniores docuit. In studiis deinde Sacris Magistrum habuit sanctum Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum, qui lustratis demùm Galliæ & Germaniæ Academiis,

cùm

cùm in Patriam per Germaniam remearet, Moguntiæ in quemdam Judæum incidit, contra quem *doctissimam habuit Disputationem, in forma Dialogi conscriptam*, inscriptamque *Disputatio Judæi cum Christiano*, quam nuper edidit ex variis mss. Codd. Gabriel Gerberon Monachus Ordinis Divi Benedicti Congregationis Sancti Mauri inter Opera S. Anselmi, vel post opera pag. 512. editionis Parisiensis anni 1675. apud Ludovicum Billaine in Palatii aula. Scripsisse dicitur opusculum *De Statu Ecclesiæ* ms. in Bibliotheca Cantabrigiæ publica vol. 247. & *in Prologos Divi Hieronymi super Biblia* ms. Cantabrigiæ in Collegio Domus sancti Petri Cod. 92. At opusculum istud *De statu Ecclesiæ* spectat ad Gillebertum Episcopum Lunicensem in Hibernia, uti diximus ad annum 1090. in hoc *Gilberto Lunicensi Episcopo*. Mortuus est Gilbertus anno 1117. cautè distinguendus ab aliis ejusdem nominis, Gilberto Londoniensi Episcopo, Gilberto Porretano Pictaviensi Episcopo, Gilberto Abbate Hoilandensi, qui omnes scripserunt eodem sæculo 12. & quorum opera confunduntur.

De Florentio Bavonio. 1110.

SUPPLEMENTUM.

FLORENTIUS BAVONIUS Vigorniensis Monachus homo utraque scientia divina & humana apprimè eruditus, magnum sibi ex suis opusculis doctrinæ comparavit nomen. Ingenium planè habuit, ad quodcumque vellet, apertum & conspicuum, memoriam splendidam ac fœlicem: unde posteris demùm reliquit ad celebrem Anglicæ Antiquitatis hederam eximia ingenii sui monumenta, Latino sermone conscripta. Ejus *Chronicon ab Initio mundi usque ad annum* 1118. continuatum ab altero ejusdem Cœnobii Monacho ad annum 1163. evulgavit Henricus Savillius Anglus, Vir doctissimus in Collectaneo Historicorum Angliæ, quod editum in fol. Londini anno 1596. & Francofurti in Germania anno 1601. Aliud Collectaneum pariter Historicorum Angliæ, est editum Londini anno 1652. in folio 2. tomis, in quo habentur Turgotus, Simeon Dunelmensis, Gervasius Cantuariensis, Joannes Hagustaldensis, Elredus seu Ethilredus Rievallensis, Radulfus de Diceto, Joannes Brompton, cum aliis Anglicarum Rerum Scriptoribus: opus aureum, curis & studio Joannis Seldeni procuratum. Hoc ex occasione *Florentii Bavonii* in Collectaneo primo collecti, qui tandem obiit non sine luctu suorum anno nati Salvatoris 1119. sub Henrico primo Rege Anglorum.

De Petro Honesto Abbate. 1110.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS HONESTUS Abbas sanctæ Mariæ de Portu propè Ravennam, scripsit *Regulam pro Clericis sui Instituti*, quam vulgo *Constitutiones Portuenses* appellant, & falsò adscribitur Petro Damiano, ut Pennotus in Historia Canonicorum Regularium lib. 2. probat: Nam Abbatia S. Mariæ de Portu usque hodie possidetur à Canonicis congregationis Lateranensis. Habetur hæc Regula inter opera S. Petri Damiani ultimæ editionis Parisiensis anni 1663. apud Ægidium Tompere via Aurigaria propè Puteum Certum. Floruit tempore Paschalis secundi Papæ, & obiisse dicitur anno 1119.

De Berengosio Abbate. 1112.

BERENGOSIUS ABBAS scripsit *de inventione sanctæ Crucis libros tres*, item librum *de mysterio ligni Crucis*; & *sermones variorum argumentorum*, quæ omnia extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 2. edit. 2.

Hunc prior Carthusiæ Trevirensis, qui eum in lucem edidit, existimat illum Berengosium esse, qui fuit Abbas sancti Maximi tempore Paschalis secundi Pontificis, & Henrici quarti Imperatoris.

DISSERTATIO HISTORICA.

BERENGOSIUS ABBAS Sancti Maximini extra muros Trevirenses, vixit sub Paschale II. Papa, initio duodecimi æræ Christianæ sæculi. Hunc perhibent auctorem *Librorum trium de Laude & Inventione Sanctæ Crucis. Libri de Mysterio Ligni Dominici, & de luce visibili & invisibili, per quam antiqui Patres meruerunt illustrari. Sermonum quinque, de Martyribus, Confessoribus, Dedicatione Ecclesiæ, & Veneratione Reliquiarum.*

Multa quoque de humana sapientia, & de Jejuniis Quatuor Temporum scripsisse quidam asserunt ex Sigeberto libro de Illustribus Viris, cap. 157. Verùm nihil eorum apud Sigebertum loco ab iis citato reperitur.

De Euthymio Zigabeno. 1118.

EUTHYMIUS ZIGABENUS Monachus vixit tempore Alexii Comneni Imperatoris, ut ipse testatur initio Panopliæ.

Scripsit *Panopliam adversus omnes hæreses & parte secunda tit. 23. describit errores Basilii auctoris Bogomilorum* quem Alexius Imperator comburi jussit in equestri theatro.

Scripsit etiam *Commentaria in omnes Psalmos*, & *in quatuor Evangelia*. Falluntur, qui hunc auctorem floruisse scribunt anno Domini 440. vel 1180. floruit verò anno 1118. quo Alexius Imperator obiit.

DISSERTATIO HISTORICA.

EUTHYMIUS, ZIGABENUS, Monachus Græcus, vixit ineunte sæculo Christi XII. superstesque adhuc erat anno 1118. quo Alexius Comnenus Imperator obiit, cujus jussu Basilius auctor Bogomilorum (quorum errores parte 2. Panopliæ cap. 23. describuntur & refutantur) in Theatro Equestri combustus fuisse narratur.

Orthodoxæ fidei Panoplia Dogmatica adversus omnes hæreses, in duas partes distributa prodiit Lugduni anno 1536. & Venetiis anno 1575. apud Franciscum Rampazetum, Latinè tantùm, interprete Petro Francisco Zino Veronensi Canonico. Quæ ejus nomine Græcè & Latinè edita sunt cum aliis Saracenicis à Jo. Jacobo Beutero, & recusa Tomo 12. Magnæ Bibliothecæ Parisiensis, col. 536. titulo Confutationis Ismaelitarum & eorum sectæ fictitiorum dogmatum, nihil aliud sunt quàm breve fragmentum ex Panoplia decerptum.

Commentationes in omnes CL. Psalmos, & decem Sacræ Scripturæ Cantica, è Græco in Latinum sermonem conversæ per R. P. Philippum Saulium Ep. Brugnatensem excusæ sunt Veronæ anno 1530. typis Stephani Nicolini Sabiensis & Fratrum, ac deinde multis aliis locis, Venetiis anno 1568. &c.

Commentaria in quatuor Evangelia, Lovanii excusa anno 1544. interprete Joanne Hentenio Mechlinien-

si, recusa sunt deinde Parisiis anno 1562. in octavo, &c.

Eodem quoque interprete prodiisse dicitur Lovanii & Parisiis *Commentarius in Epistolas S. Pauli*, ex Chrysostomo & aliis Patribus diversis studiosè collectus, sed non memini me uspiam vidisse, certè in Bibliothecis Veterum Patrum Coloniensi & Parisiensibus non apparet. Quisquam ne erit, qui hæc, & quæ præterea dicuntur latere ms. in Bibliothecis doctissimi interpretis monimenta, quem acerrimi judicii scriptor Joannes Maldonatus in cap. 17. Matthæi dixit esse in verborum proprietatibus observandis diligentissimum, tandem ornatè & Græcè simul ac Latinè evulget ad publicam eruditorum omnium utilitatem? (*a*)

(*a*) Creditur quoque esse auctor, inquit Sixtus Senensis, Catenæ Græcæ, quæ scripta in Bibliotheca Vaticana servatur: in qua ex dictis Sanctorum Patrum Græcorum alternatim dispositis, quinque libri Mosis plenissimè explicantur: cujus auxilio Aloysius Lipomanus Veronensis Episcopus in contextu Catenæ suæ super Genesim & Exodum usus est.

De Joanne Zonara. 1118.

JOANNES ZONARAS Monachus Græcus, scripsit *libros tres Annalium; quibus complexus est historiam universalem ab orbe condito usque ad exitum Alexii Comneni Imperatoris Græcorum*, qui obiit anno Domini 1118.

Scripsit etiam *Commentaria in Nomocanonem Photii*.

Dissertatio Historica.

JOANNES ZONARAS, ex Magno Drungario Biglæ, & Protoasecretis, Monachus Ord. S. Basilii, sunt qui Const. Fuisse velint, floruit sæculo Christi XII. circa annum 1120. quo autem anno obierit, non liquet. Citatur sæpè à Michaele Glyca.

Annales ab orbe condito ad annum 1118. quo Alexius Comnenus Imperator Græcorum obiit die 15. Augusti, in tres Tomos distincti, Græcè & Latinè editi sunt Basileæ apud Joannem Oporinum anno 1557. Interprete Hieronymo Wolfio Oetingensi, qui, ut monuit Possevinus, inter Hæreticos primæ classis prohibitus est in Indice Romano.

Tomus I. agit de rebus Judaicis ab exordio Mundi usque ad Hierosolymitanum excidium. II. Historiam Romanam ab Urbe condita usque ad Constantinum Magnum breviter complectitur. III. denique Imperatorum res gestas à Constantino Magno usque ad obitum prædicti Alexii Comneni tractat. E Typographio Regio, Deo dante Annales illos brevi emittemus ad mss. codices de novo exactos.

Commentarii in Canones SS. Apostolorum & Sacrorum Conciliorum, tam Oecumenicorum, quàm Provincialium, Græcè & Latinè, cum pluribus aliis opusculis editi Parisiis anno 1618. hoc ordine:

I. *Canones Sanctorum Apostolorum cum Joannis Zonaræ in eosdem Commentariis*, ex versione Joannis Quintini Hedui, Juris Pontificii Professoris in Universitate Parisiensi excusa primùm in eadem urbe anno 1558.

II. *Canones Veterum Conciliorum*, Gentiano Herveto Aurelio Rhemensi Canonico interprete, *cum Commentariis Jo. Zonaræ*, interprete Antonio Salmatia, Sacræ Theologiæ, & Collegii Ambrosiani Doctore, ex editione Mediolanensi anni 1613.

III. *Acacii Const. Fausti Apolloniadis, Pamphili Abydeni, Asclepiadis Tralliani, Justini Siculi, Felicis Ro-*

A *mani, Aritheonis Arsinoes, Quintiani Asculani Episcoporum Epistolæ adversus Petrum Fullonem τὸν γναφέα Pseudo-Patriarcham Antiochenum*, Græcè & Latinè, incerto interprete ex Tomo 2. Conciliorum.

IV. *Sancti Nicephori Patriarchæ Const. ad Leonem III. Romanum Pontificem Epistola*; Theodoro Peltano Soc. Jesu Theologo interprete.

V. *Hadriani Papæ I. Epistola ad Basilium Thessalonicensem Antistitem*, ex libro quinto Juris Græco-Romani, anno 1596. edita Francofordiæ cura Leunklavii, *cum ejusdem Basilii Responso*.

VI. *Alexii Patriarchæ Const. monumentum Synodale*, ex eodem Jure Græco-Romano.

VII. *Constitutiones Sanctorum Apostolorum, auctore*
B *S. Clemente Episcopo, & cive Romano*, interprete Francisco Turriano Societ. Jesu Theologo, ex editione Græca apud Jonam Zikttum Venetiis 1563. & Latina apud Christophorum Plantinum Antuerpiæ anno 1578.

Iidem Bibliopolæ Parisienses anno 1622. post SS. Gregorii Thaumaturgi, Macarii Ægyptii, & Basilii Seleuciensis opera emiserunt, *Expositionem Epistolarum Canonicarum Sanctorum Patrum Dionysii Alexandrini, Petri Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Athanasii Alexandrini, Basilii Cæsariensis, elaboratam per Joannem Zonaram*, Antonio Salmatia, Collegii Ambrosiani Mediolanensis Doctore interprete. Reliquorum verò Canonum & Epistolarum Canonica-
C rum expositio eadem est cum illa, quam Theodorus Balsamon affert, eamque à Zonara nostro mutuatus censetur.

Canon de Sancta Virgine, sive, Poema adversus omnes propemodum hæreses, Gilberto Genebrardo O. B. interprete Tomo 12. Parisiensis ultimæ, ac Coloniensis Bibliothecarum Veterum Patrum.

De Vita Alexandri Magni, ex ejusdem Zonaræ Annalibus excerpta, & ab Angelo Cospo Bononiensi Latinè reddita; Vide Vossium in secunda editione Historicorum, præsertim paginis 380. & 541.

Extant in Bibliotheca nostra aliisque Joannis Zonaræ aliquot Epistolæ; ex iis aliquas Latinè vertit ediditque Bonaventura Vulcanius in suis notis ad li-
D brum S. Cyrilli Alexandrini Patriarchæ adversus Anthropomorphitas.

De Ruperto Tuitiensi. 1119.

RUPERTUS ABBAS Tuitiensis vixit tempore Paschalis secundi Pontificis, & Henrici IV. dicti V. Imperatoris circa annum Domini millesimum centesimum undecimum: hunc enim annum ipse notat lib. 8. de divinis officiis cap. 4. Scripsit *multa opera* quorum catalogum ipse ponit in epistola dedicatoria ad Cononem Episcopum Ratisponensem, cui dedicat libros de divinis officiis.

Opera ejus hæc sunt.

E *De divinis officiis lib.* 12. *In Job Commentariolum abbreviatum*, 10. *In Joannem Evangelistam*, 14. *De operibus sanctæ Trinitatis*, 42. *In Apocalypsim*, 12. *In duodecim Prophetas minores*, 30. *De victoria Verbi*, 13. *De gloria & honore filii hominis secundùm Evangelium Matt.* 8. *De glorioso Rege David ex libris Regum*, 11. *In Cantica Canticorum*, 7.

Observatio prima.

Libri de officiis divinis olim carebant nomine auctoris; nam, ut testatur Thomas Valdensis lib. de Sacramentis cap. 47. 65. & 93. extabat suo tempore liber, sive opus de divinis officiis, ex quo Jo. Wiclef

clef hæresiarcha mirificè triumphabat, & Catholicos vexabat, nunc Sancti Ambrosii, nunc Sancti Isidori, nunc sancti Fulgentii nomine eum librum venditans. Itaque Catholici diu libri ejus auctorem quærentes suspicati sunt, auctorem fuisse quemdam Valramum, ad quem scripsit sanctus Anselmus librum de azymo: hinc postea Dominicus à Soto, Claudius Sanctius, Gulielmus Alanus Cardinalis, & alii, auctorem erroris de impanatione fecerunt Valramum: sed revera opus illud de divinis officiis à Wiclefo citatum, non est Valrami, qui nihil ejusmodi usquam scripsisse legitur, sed Ruperti Tuitiensis Abbatis, de quo nunc agimus: siquidem initium illius operis, quod à Wiclefo citabatur, apud Valdensem erat, Ea quæ per anni circulum: & hoc ipsum est initium librorum Ruperti de officiis divinis. Deinde omnia, quæ citabat Wiclefus ex auctore de divinis officiis, inveniuntur ad verbum in lib. 2. de officiis div. cap. 2. & cap. 9. apud Rupertum. Præterea errores istius lib. inveniuntur etiam in libris Ruperti in Exodum, & in Joannem, ut planè constet eumdem esse auctorem omnium istorum librorum. Denique Algerus lib. 1. de Sacramento Eucharistiæ cap. 6. dicit tempore suo exortam novam hæresim, & absurdissimam de impanatione. Atqui Rupertus vixit eodem sæculo, quo Algerus, & erat Algero paulò Senior: & hic ipse error, quem Algerus notat, habetur in 2. lib. cap. 2. & cap. 9. de officiis divinis apud Rupertum. Atque hæc videtur esse causa, ut opera Ruperti Tuitiensis alioqui non mala, nec indocta, jacuerint sine luce & honore, in tenebris oblivionis, annis circiter quadringentis: nam nostro primùm tempore cœperunt lucem aspicere.

Observatio secunda.

Error Ruperti in eo situs est, quòd existimavit non converti panem in corpus Christi dum conficitur Eucharistia, sed assumi à Verbo Divino, quemadmodum assumpta est humanitas. Id perspicuum est ex lib. 6. in Joannem, ubi Rupertus dicit Verbum factum esse hominem, non destruendo, sed assumendo humanitatem: & eodem modo in Eucharistia idem verbum fieri panem non destruendo, sed assumendo panem, & similia habet lib. 2. in Exodum cap. 10. sed clarissimè lib. 2. de officiis divinis cap. 2. cùm sic ait, Nec duo corpora dicuntur, aut sunt, hoc quod de Altari, & illud quod acceptum est de utero Virginis: quia videlicet unum idemque Verbum unus idemque Deus sursum est in carne, hic in pane: & cap. 9. sic, inquit, Verbum Patris carni, & sanguini, quem de utero Virginis assumpserat, & pani ac vino quod de altari assumpsit, medium interveniens, unum sacrificium efficit, quod cùm in ora fidelium Sacerdos distribuit, panis & vinum absumitur, & transit: partus autem Virginis cum unito sibi Verbo Patris & in cœlo, & in hominibus integer permanet, & inconsumptus: hæc ille, ubi cùm dicit, permanere in cœlo, & in omnibus partum Virginis Verbo Patris unitum; intelligit, permanere in hominibus per fidem, non re ipsa: statim enim subjungit: Sed in illum in quo fides non est, præter visibiles species panis, & vini nihil de sacrificio pervenit: hæc ille. Hunc errorem explicuimus, & refutavimus lib. 3. de Sacramento Eucharistiæ, cap. 11. & 15.

Dissertatio Historica.

Rupertus, Possevino dicitur Robertus, primùm Monachus S. Laurentii in Oesbrovic propè Trajectum, deinde propter eruditionem à Friderico Archiep. Coloniensi evocatus, & Tuitiensis

A cœnobii è regione Coloniæ Agrippinæ ad dexteram Rheni ripam creatus Abbas Ord. S. Benedicti, vivebat anno Christi 1111. Paschale II. Pontifice, Henrico V. Imp. & Ludovico Crasso Franciæ Rege, ut colligitur ex cap. 4. libri 8. de Divinis Officiis. Hoc Sancto Paschæ Sabbato, quo cereo anno ab Incarnatione Domini 1111. inscriptus est, in Ecclesia sancti Laurentii ad præcedentes ejusdem diei matutinos, &c. quæ per otium leges. Obiit verò sub Lothario III. Imperatore quarto nonas Martii an. 1135. ut ex epitaphio saxo monumenti ejus inciso constat. De eo Honorius Augustodunensis capite 16. libelli quarti de Luminaribus Ecclesiæ, ubi ait eum à Spiritu Sancto per visionem illuminatum totam penè

B Scripturam egregio stylo exposuisse, Auctor Appendicis ad Henricum Gandavensem capite 5. Thomas Waldensis qui sæpè meminit libri de Divinis Officiis cujus auctorem ignorabat, Joannes Trithemius tum in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, tum in oratione in laudem ejus habita hortatu Gerlacui de Breitbach Abbatis Thritiensis, quæ inter ejus orationes excusa etiam fuit numero octava, Mathias Agritius Wittlichius in Declamatione ex ipsis Ruperti libris conscripta, Sixtus Senensis, Maldonatus, Possevinus, Bellarm. Vossius, Vallerius Andreas, aliique, quorum aliqui minus peritè mortuum fuisse an. 1124. scripserunt.

C Coloniæ non semel edita sunt ejus opera, Lovanii quoque, Parisiis, & alibi. Ego Parisiensem anni 1638. editionem hoc loco repræsentabo, ut cum jejunione Bellarmini elencho conferre possis.

Tomo I. continentur.

Commentariorum de Sanctissima Trinitate & operibus ejus libri 42. in utrumque Testamentum, ad Cononem Abbatem Sigebergensem, postea Ratisponensem Episcopum, quem minùs accuratè Sixtus Senensis vocavit Archiepiscopum. Opus illud in tres Partes distributum est. I. pars propria Æterni Patris opera in tribus libris continet à prima scilicet Mundi creatione usque ad ejectionem Adæ de Paradiso. II. Pars

D libris 30. complectitur propria Filii opera, quæ ab ejectione Adæ usque ad Incarnationem & Passionem ejusdem Filii Dei in figuris, vaticiniis, visionibus, & scripturis propter venturum Christum dicta sunt vel facta. III. denique Pars libris novem habet opera Spiritus Sancti propria ab Incarnatione J. C. D. N. usque ad finem sæculi in Scripturis Sacris recitata.

Commentariorum in XII. Prophetas Minores libri 31. ad Fridericum Archiepiscopum Coloniensem: scilicet in Oseam libri 5. in Joel, I. &c. *Commentariorum in Cantica Canticorum de Incarnatione Christi & laudibus Deiparæ Virginis libri septem* juxta sensum mysticum eruditissimi. *In Job liber unus Commentarius*. *In Eccle-*

E *siastem ad Gregorium libri quinque.*

Tomo II. continentur.

De Gloria & honore Filii Hominis super Matthæum libri tredecim, ad Philochristum Cononem ex Abbate Sigebergensi Præsulem Ratisponensem.

De Glorificatione Trinitatis & Processione Spiritus Sancti libri novem, quibus præmittuntur I. Hymnus sive Oratio Ruperti ad Sanctum Spiritum in morem versuum Jambicorum dimetrorum. II. epistola ad Sedis Apostolicæ Præsulem Romanum Pontificem. III. Prologus ejusdem ad Cononem Ratisponensis Ecclesiæ venerabilem Episcopum.

Commentariorum in Evangelium S. Joannis libri quatuordecim. *Commentariorum in Apocalypsim libri* 12. ad

Fride-

Fridericum, Coloniensem Archiepiscopum, *De Victoria Verbi Dei libri tredecim*, ad eumdem qui supra Cononem. *De Divinis Officiis per anni circulum libri* 12. cum epistola ad eumdem Cononem, in qua operum suorum catalogum ipse contexuit: ex qua aliisque indiciis patet hallucinatos qui Waleramo cuidam S. Anselmi amico tribuerunt. *De incendio Tuitiensis oppidi sua ætate viso in quo Corpus Domini nostri JESU CHRISTI à flamma circumfusa intactum remansit, liber capitibus 23. distinctus. De Meditatione mortis libri duo. Vita S. Heriberti Coloniensis Archiepiscopi* qui obiit 17. Kal. Aprilis 1021. ad Marcvvardum, non tam de novo scripta, quàm cultior atque illustrior reddita. *De passione S. Elsphii Martyris ad Albanum Abbatem S. Martini. De voluntate Dei liber unus. De omnipotentia Dei liber unus. In quædam capitula Regulæ S. Benedicti libri quatuor ad Cononem Abbatem. Altercatio Monachi & Clerici, quòd liceat Monacho prædicare. De eadem re*, ex Historia Venerabilium Dominorum Abbatum Monasterii Sancti Nicolai Brunvvilerensis, epistola ejusdem Ruperti. *De læsione virginitatis, & an possit conservari corrupta, liber*.

SUPPLEMENTUM.

RUPERTUS ABBAS Tuitiensis Ord. Divi Benedicti juxta Coloniam Agrippinam, cujus opera sæpiùs impressa Coloniæ, Parisiis, & alibi, de quibus abundè Bellarminus & Labbeus. Quibus adde *Libros 3. Dialogi ejusdem inter Christianum & Judæum*, quem appellavit *Annulum*, editos ex mſ. Letiensis Abbatiæ cum operibus vel post opera S. Anselmi Cantuariensis pag. 524. ultimæ editionis Parisiensis anno 1675. procuratæ à Gabriele Gerberon Monacho Benedictino.

De Pandulfo Pisano. 1120.

SUPPLEMENTUM.

PANDULFUS PISANUS floruit circa annum 1128. & scripsit *Vitam Sancti Gelasii Papæ secundi*, qui anno 1119. Cluniaci obiit, impressam anno 1638. Romæ in 8. cum Commentariis Constantini Cajetani Abbatis Ordinis Divi Benedicti, quem hoc sæculo Varia Scripta celebrem reddiderunt.

De Anna Comnena. 1120.

SUPPLEMENTUM.

ANNA COMNENA Alexii Imperatoris Constantinopolitani filia, Zonaræ in scribenda Historia defectum supplevit, de cujus doctrina hoc testimonium dat ipse Zonaras: *Studiis erat addicta, & exquisitè atticissabat, & acutissimo erat ingenio ad abstrusissimas quasque contemplationes*. Scripsit hæc *Libros quindecim de rebus gestis patris sui*, quos *Alexiadas* nuncupavit, & multi multa adulatione plenos esse censent. Hos ex Bibliotheca Augustana David Hœschelius primùm, tum Joannes Gronhovius evulgarunt: sed omnium optimè & ultimus cum insigni expressione latina Petrus Possinus Gallus Societatis Jesu Theologus anno 1651. Parisiis in fol. ex Prælo Lupareo, cum auctoribus aliis Historiæ Byzantinæ, ad cujus opus notas adjecit doctissimus Vir Carolus du Cange, Scriptis suis notissimus. Claruit Anna Comnena circa annum 1120. quæ multa de parente suo (ut Vossius notavit) longè aliter narrat, quàm Latini solent: qui omnes ferè, si unum excipias Albertum Aquensem Canonicum, describunt eum ut Principem fraudulentum ac perfidum. Sed verisimile est, tum Latinos suo erga Græcos odio indulsisse, tum filiam Comnenam suo erga parentem amori aliquantulum obtemperasse.

A

De Laurentio Dunelmensi. 1120.

SUPPLEMENTUM.

LAURENTIUS DUNELMENSIS in Anglia Ordinis Divi Benedicti Monachus, scripsit circa hoc tempus. *Hyppognosticon seu Memoriale Veteris & Novi Testamenti Carmine Elegiaco*, quod opus in libros 9. distinctum est, & habetur mſ. in Bibliotheca Thuanea, quam jam Colbertus possidet. Item in Bibliotheca Aureæ-Vallis Ord. Cisterciensis in Ducatu Luxemburgensi in 4. denique in nostra Bucilliensi, unde transcriptum missum est Joanni Mabillon illud exposcenti per litteras. Floruit usque ad annum 1140. cujus etiam opus mſ. in Bibliotheca sancti Benedicti Cantabrigiæ cod. 74. inscriptum *Laurentii Dunelmensis Hyppognostica ad Gervasium*.

B

De Thoma Eliensi. 1120.

SUPPLEMENTUM.

THOMAS ELIENSIS Monachus in Anglia circa annum 1120. scripsit *Libros duos De Vita & Translatione sanctæ Ethildritæ Virginis & Reginæ, primæ Eliensis Abbatissæ* quæ obiit an. 679. die 23. Junii. Horum primum qui est *De Vita hujus Reginæ* edidit D. Joannes Mabillon sæculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pagina 738. & seqq. & alterum *De Translatione ejusdem*, quæ contigit anno 1106. pollicetur ad sæculum Ordinis septimum & Ecclesiæ duodecimum, anno 1106.

C

De Gualtero Tarvanensi. 1120.

SUPPLEMENTUM.

GUALTERUS TARVANENSIS Ecclesiæ Canonicus floruit circa annum 1120. & scripsit ad Joannem Episcopum Tarvanensem *Vitam ac Martyrium Caroli cognomento Boni Flandriæ Comitis*, quam ex Bibliotheca sanctæ Mariæ Igniacensis in Tractu Rhemensi Ordinis Cisterciensis, edidit primùm Sirmondus Parisiis in 8. anno 1615. apud Sebastianum Cramoisy Via Jacobæa sub Ciconiis. Porrò cùm cædes Caroli Boni Flandriæ Comitis anno 1127. patrata sit, circa hoc tempus vita ista conscripta est. Floruit eodem tempore alius *Gualterus* seu *Galterius* natione Gallus, dignitate Cancellarius, qui cùm se accinxisset cum Godefrido Bullonio ad recuperationem Terræ sanctæ promovendam, scripsit *Narrationem de Obsidione Antiochena, & aliis rebus fortiter gestis usque ad annum* 1119. quæ legitur apud Jacobum Bongarsium in Collectione Scriptorum *De Gestis Dei per Francos*. Totum Scriptum Cancellario dignum est, ubi ipse vi carceris hebetatum sibi ingenium conqueritur; cujus historia, quæ quomodocumque scripta sit, accuratè facta est ab teste oculato, qui multis negotiis à se descriptis præsens adfuit. Potuit hic Gualterus seu Galterius esse unus atque idem cum alio, qui reversus ex Orientalibus cruciatis, posteà factus sit Canonicus Tarvanensis; & res gestas *Caroli Boni Flandriæ Comitis* conscripserit circa annum 1130. quod tamen ego definire nolim, destitutus ad id affirmandum idoneis testimoniis aut rationibus.

D

E

De

De Roberto Monacho. 1120.

SUPPLEMENTUM.

ROBERTUS MONACHUS sancti Remigii Rhemensis, Claromontano Concilio, à quo pius Occidentis in Orientem motus incœpit, interfuit, tum posteà ipsi Expeditioni sacræ. In Galliam redux jussu Bernardi Abbatis sui, Hierosolymitanam Historiam libris novem descripsit, & desinit in illa celebri victoria de Babylonico Ammiraviso apud Ascalonam post captam Hierosolymam victo ac prostrato, quæ contigit anno 1099. Habetur opus Roberti in Collectaneo *Gestorum Dei per Francos*, excuso in fol. Hanoviæ 2. tomis anno 1611. typis Vvechelianis cura & studio Jacobi Bongarsii. Floruit Robertus Rhemensis anno 1120.

De Alberto Aquensi. 1120.

SUPPLEMENTUM.

ALBERTUS AQUENSIS seu Aquisgranensis Canonicus & Sacrista, seu Sacrorum Custos, floruit anno 1120. vel circiter, scripsitque Libris 12. *Historiam Expeditionis Hierosolymitanæ super itinere sive passagio Godefridi Bullonii*, in citato collectaneo inclusam, quam finit anno 1126. Scripsit autem Albertus ardens desiderio ipsius Expeditionis, quæ auditu & relatione nota habuit ab iis qui præsentes adfuerant, ut ipse variis locis testatur. Initium facit ab ipso Expeditionis initio, finem in anno 2. Balduini secundi Regis Hierosolymitani, & complectitur res Gestas annorum sex & viginti. Debemus Historiam Alberti sanè accuratam *Reinero Reineccio*, qui anno 1584. eam Helmestadii primus sed sine nomine Auctoris edidit: Nomen autem Auctoris debemus Davidi Hœschelio, præfatione sua *in Alexiadem*, & posteà Jacobo Gretsero ex ms. Codice sancti Martini Lovaniensis id adstruenti. Habetur autem impressa iterum *in Collectaneo Gestorum Dei per Francos*, de qua statim locuti sumus *in Roberto Sancti Remigii Rhemensis Monacho*.

De Theobaudo Monacho. 1120.

SUPPLEMENTUM.

THEOBAUDUS MONACHUS Bezuensis Cœnobii in Burgundia, circa annum 1126. clarus, scripsit *Acta, Translationes, & Miracula S. Prudentii Martyris libris* 4. quibusdam Carminibus identidem interjectis, quos ex ms. Cod. edidit Labbeus tom. 2. novæ Bibliothecæ pag. 605. & sequentibus.

De Ernulfo Roffensi. 1120.

SUPPLEMENTUM.

ERNULFUS EPISCOPUS Roffensis in Anglia, natione Gallus, Patria Bellovacensis, floruit anno 1120. scripsitque *Solutiones quasdam ad Quæstiones Lamberti Abbatis Bertiniani, De Corpore & Sanguine Domini*. Nam quæ ei attribuit Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, verbo *Arnulfus Episcopus Roffensis* tom. 1. pagina 514. *De Operibus sex dierum & de Verbis Domini in Cruce*, spectant certò ad Ernaldum seu Arnoldum Abbatem Bonæ vallis in Carnotensi Episcopatu, sub cujus nomine ab annis jam multis opera ista impressa sunt. Obiit autem Ernulfus anno 1124. cujus opuscula quædam impressa sunt in
A Spicilegio Lucæ Dacherii, tom. 2. pagina 420. *Tomellus sive Epistola Ernulfi ex Monacho Benedictino Episcopi Roffensis De incestis conjugiis*: & ibidem pag. 431. *Epistola* 2. *qua Variis Respondet Lamberti Quæstionibus*, quarum aliquæ *De Corpore & Sanguine Domini*. Variæ ad eum Sancti Anselmi Cantuariensis Epistolæ, ac de eo Dacherius Prologo ad dictum tomum Spicilegii pag. 18.

De Michaele Glyca. 1120.

SUPPLEMENTUM.

MICHAEL GLYCAS Siculus, sub Alexio &
B Joanne Comnenis Imperatoribus Constantinopolitanis vixit, & scripsit circa annum 1120. *Annales Quadripertitos*, opus non modo Historicum, sed etiam Theologicum & Physicum. Prima parte agit de Operibus sex Dierum, altera De rebus gestis ab orbe condito usque ad Christum natum. Tertia persequitur res gestas à Christo usque ad Constantinum Magnum, quarta res tractat Byzantinorum Imperatorum usque ad obitum Alexii Comneni, qui anno 1118. moriens Joannem Comnenum successorem habuit. Exinde usque ad captam à Latinis Constantinopolim perstrinxit res Byzantinas Joannes Leunclavius, qui & primus Glycæ interpretationem nobis dedit, editam Basileæ an. 1572.
C in 8. typis Episcopii. Habetur autem jam eadem Historia Græcè & Latinè in folio inter Historicos Byzantinos Parisiis editos ex Typographia Regia cum interpretatione & notis Philippi Labbei, de quo tam sæpè loquimur. Extat græcè ms. in Bibliotheca Vaticana, Regia Gallica, Imperatoria Viennensi, & Augustana Cod. 80. Ejusdem Michaelis Glycæ *Disputatiunculæ duæ* Latinæ per Jacobum Pontanum Soc. Jesu, Ingolstadii in 4. anno 1604. cum Dioptra Philippi Solitarii. Denique in Bibliothecis mss. Græcè, nimirum in Imperatoria Viennensi & Augustana Cod. 75. *Michaelis Glycæ Explicatio obscurorum locorum Sacræ Scripturæ*; vel ut in Imperatoria, *ejusdem Quæstiones & Dubitationes in Scri-*
D *pturam*: quæ nondum, quod sciam, impressæ sunt. De illo Antonius Possevinus in Apparatu Sacro tomo 2. pag. 112. Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 312. pag. 237.

De Eadmero Monacho. 1120.

SUPPLEMENTUM.

EADMERUS ANGLUS Ordinis sancti Benedicti Monachus in Cantuariensi Cœnobio, discipulus fuit & socius sancti Anselmi Cantuariensis Episcopi, & claruit anno 1120. & ulteriùs, nomen suum posteritati clarum faciens variis operibus com-
E positis, quorummulta sub S. Anselmi nomine hucusque edita fuerant ex mss. Codicum fide, qui sæpè attribuunt Anselmo Magistro quæ sunt Eadmeri discipuli. Sed illa tandem restituta legitimo parenti, & sunt *Libri* 2. *De Vita sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi*, *Historia Rerum novarum seu rerum sui temporis lib.* 6. *De Excellentia Beatæ Mariæ Virginis*, *lib. de quatuor Virtutibus quæ fuerunt in B. Virgine Maria*, *lib. De Beatitudine Cœlestis Patriæ*, *lib. De Similitudinibus Sancti Anselmi*, qui hucusque sancto Anselmo Attributus est: quæ omnia edidit post opera sancti Anselmi Gabriel Gerberon Monachus Congregationis sancti Mauri anno 1675. apud Ludovicum Billaine Parisiis in fol. Scripsit etiam *Vitam S. Vvilfridi Eboracensis Archiepiscopi*, quam edidit Joannes Mabillon sæculo 3. Sanctorum Ordinis

D. Be-

D. Benedicti tom. 1. pag. 196. & ſeqq. Edidit & Carmen de ſancto Dunſtano mſ. in Bibliotheca ſancti Benedicti apud Cantabrigiam Cod. 338.

De Nicolao Leodienſi Can. 1120.

SUPPLEMENTUM.

NICOLAUS ſancti Lamberti Leodienſis Canonicus, circa annum 1120. poſt plures alios ſuum ſtylum exercuit *in Vitam S. Lamberti Leodienſis Epiſcopi*, quam Joannes Chapeaville, de quo ſuprà jam ſæpè diximus, edidit in ſuo Collectaneo Scriptorum *De Epiſcopis & rebus aliis Leodienſibus*.

De Domnizone Presbytero. 1120.

SUPPLEMENTUM.

DOMNIZO Presbyter vivebat ſub finem ſæculi XI. & initium ſequentis, Henrico IV. & V. Imperatoribus uſque ad annum circiter 1125. vel ultrà, quem ſæpè allegat Cæſar Baronius ut teſtem oculatum vel fidelem in pleriſque rebus. Scripſit *Libris* 2. *Carmine heroico Vitam Mathildis Comitiſſæ*, quam vir doctiſſimus Sebaſtianus Tengnagelius Cæſareus Bibliothecarius edidit Ingolſtadii anno 1612. In eodem Volumine Tengnagelii, *Gebhardus Saliſburgenſis* qui anno 1088. obiit, *Sigefridus Moguntinas Archiepiſcopus* qui anno 1084. *Stephanus Halberſtatenſis* & alii Antiſtites ac Principes continentur, qui ſcripſerunt *Varias Epiſtolas pro Gregorio VII. aliiſque Pontificibus Romanis contra Schiſmaticos*, quas cum aliis veteribus monumentis ex mſſ. Codicibus dictus Tengnagelius edidit. Tum ſequuntur *Lib.* 2. *metrici Domnizonis Presbyteri de rebus geſtis Mathildis Comitiſſæ*, cum Bernoldi ſeu Bertoldi Conſtantienſis Presbyteri *Libello De vitandis Excommunicatis*. In eodem Volumine Tengnageliano reperies *Vitas Altmanni Paſſavienſis*, *Thiemonis Saliſburgenſis & Anſelmi Lucenſis Epiſcoporum* ab Anonymis ſcriptas: Item *Heſſonis Scholaſtici brevem Commentarium de rebus anno* 1119. *geſtis inter Calixtum Papam & Henricum V. Imperatorem*. Cæterùm Bernoldus Presbyter Conſtantienſis præter libellum à Tengnagelio publicatum, ſcripſit & alia *Opuſcula pro Gregorio VII. contra Schiſmaticos*, quæ Gretſerus ſuæ Apologiæ pro eodem Pontifice inſeruit, ubi & docet quis fuerit iſte Bernoldus.

De Heſſone Rhemenſi. 1120.

SUPPLEMENTUM.

HESSO RHEMENSIS Scholaſticus & Presbyter, ſcripſit Acta Concilii Rhemenſis anni 1119. quæ legi poſſunt in Conciliis ultimæ editionis Labbeanæ Pariſienſis tom. X. pag. 872. & ſequentibus: an idem opuſculum ſit cum ſuperiore, de quo ſtatim locuti ſumus, ex collatione cognoſcetur.

De Lietberto. 1120.

SUPPLEMENTUM.

LIETBERTUS ſeu LETBERTUS Canonicus Inſularum in Flandria & Canonicorum Præpoſitus, tum poſtea Abbas ſancti Rufi Ordinis Divi Auguſtini propè Valentiam, floruit circa annum 1120. ſcripſitque *inſignem & prolixum in Pſalmos omnes Davidis Commentarium*, de quo Joannes Mabillon tom. 1. Analectorum pag. 289. Vidi opus iſtud cum Epiſtola quam refert idem Mabillon, mſ. 3. Voluminibus in folio in Bibliotheca Branenſi noſtri Ordinis Præmonſtratenſis in tractu Sueſſionenſi.

De Hermanno Laudunenſi Mon. 1120.

SUPPLEMENTUM.

HERMANNUS ſancti Vincentii Laudunenſis Monachus, factus poſteà Abbas ſancti Martini Tornacenſis, claruit anno quo ſupra, ſcribens varia quæ ejus ſtudium ac doctrinam probant. Scripſit itaque *Hiſtoriam Reſtaurationis Monaſterii ſancti Martini Tornacenſis ad ſua uſque tempora*, quam evulgavit Domnus Lucas Dacherius tom. 12. ſui Spicilegii. Item *Libros tres De Miraculis Beatæ Mariæ Laudunenſis* oblatos Bartholomæo Epiſcopo, quos evulgavit idem Dacherius cum operibus Guiberti Abbatis de Novigento impreſſis in fol. Pariſiis anno 1651. apud Ludovicum Billaine ſub ſigno ſancti Auguſtini. Item ſcripſit *inſignem Tractatum De Incarnatione Domini ad Stephanum Viennenſem Archiepiſcopum*, quem mſ. in Cœnobio noſtro habeo relatum è peregrinatione Belgica, cujus copiam ad prælum tranſmiſimus amico noſtro Joanni Mabillon. Vixit Hermannus uſque ad annum 1140. & ultrà, de quo citatis locis Lucas Dacherius multis egit.

De Elnoto Monacho. 1120.

SUPPLEMENTUM.

ELNOTUS Cantuarienſis Eccleſiæ Monachus, Ordinis D. Benedicti, circa annum 1120. ſcripſit ad Nicolaum Daniæ Regem *Librum* 1. *De Vita & Paſſione ſancti Canuti Daniæ Regis*, impreſſum cum notis Joannis Meurſii, Hafniæ in 4. anno 1631.

De Marbodo. 1120.

SUPPLEMENTUM.

MARBODUS Natione Gallus, Patria Cenomanenſis, vel, ut aliis placet, Andegavenſis, factus ſucceſſu temporum Canonicus, Scholaſticus & Archidiaconus Andegavi, indeque meritis doctrinæ & pietatis evectus ad Epiſcopatum Redonenſem in Britannia, quem tenuit ab anno 1096. quo Concilio Turonenſi interfuit, uſque ad annum 1120. quo adfuit Conſecrationi Cathedralis Eccleſiæ Cenomanenſis cum aliis Epiſcopis ad preces Hildeberti Epiſcopantis: ſed fractus ſenio & oculis orbatus, ob quam infirmitatem cedens Pontificatui anno 1123. factus eſt Monachus pauper & cœcus in Monaſterio ſancti Albini Andegavenſis. Scripſit, ut teſtatur Sigebertus in libro de Viris Illuſtribus cap. 158. *in Cantica Canticorum Commentarium*, quem neſcio an alicubi impreſſus ſit, nec enim comparet in editione ulla Bibliothecæ Veterum Patrum, nec in ullo alio Collectaneo Scriptorum quod viderim. Item ſcripſit *Tractatum De gemmarum lapidumque pretioſorum formis, natura & viribus*, impreſſum Coloniæ anno 1539. cum notis Alardi Amſtelodamenſis, & Pictorii Villigenſis. Item *Dactylotecam* cum Scholiis G. Piſtorii anno 1555. Baſileæ in 8. impreſſam. Item *agonem ſancti Laurentii Martyris* Carmine expreſſit, quem Surius habet ad diem 10. Auguſti. Item *Vitam ſancti Ro-*

Roberti Abbatis Casæ-Dei Ordinis D. Benedicti in Gallia libris 2. quam habent Continuatores Bollandistæ ad diem 24. Aprilis tom. 3. pag. 316. & sequentibus. Item *Vitam S. Licinii Andegavensis Episcopi* apud Bollandum ad diem 13. Februarii. Item *Epistolas Aliquot*, inter quas una in Epistolis Hildeberti Cenomanensis Episcopi num. 80. *ad Rainaldum Andegavensem Episcopum*; altera Marbodi Epistola *ad Hildebertum Cenomanensem Episcopum*, edita tom. 13. Spicilegii Dacheriani, respondens ei illum consulenti, de viro à quo uxor debitum conjugale postulabat, licèt ipse votum monasticæ Vitæ de consensu ejus emisisset. Tertia demùm sub ejus nomine circumfertur *ad Robertum de Arbrisello*, qua portentosis eum accusat criminibus, quam habet Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo 12. tom. seu part. 2. dissertatione 5. pagina 629. per totam. Obiit Marbodus an. 1123. die 2. Septembris, quem laudant Sigebertus in Catalogo capite 158. & Miræus de eo agit in Scholio ad dictum Sigeberti caput, Natalis Alexander sæculo 12. citato part. 1. cap. 6. pag. 458. Sammarthani Fratres tom. 3. Galliæ Christianæ *in Episcopis Redonensibus*, ubi plura in ejus laudem.

De Guiberto Monacho Flaviacensi. 1120.

SUPPLEMENTUM.

GUIBERTUS MONACHUS Flaviacensis seu sancti Geremari Ordinis D. Benedicti in tractu Bellovacensi, tum postea Abbas B. Mariæ de Novigento juxta Codiciacum agri Laudunensis Castrum, multa scripsit, quæ sunt evulgata Parisiis in fol. anno 1651. cura & studio Lucæ Dacherii Benedictini Congregationis sancti Mauri in Gallia. Sunt autem, *Tractatus quomodo sermo fieri debeat. In Genesim Moralium lib.* 10. *Tropologiarum in Osee lib.* 3. *in Amos lib.* 1. *in Lamentationes Jeremiæ lib.* 1. *Tractatus De Incarnatione contra Judæos. Epistola prolixa De bucella Judæ data & de veritate Dominici Corporis. De Laude B. Mariæ lib.* 1. *Opusculum de Virginitate. De Pignoribus Sanctorum lib.* 3. *Gesta Dei per Francos, seu Historia Hierosolymitana lib.* 9. *Vita sua seu Monodiarum lib.* 3. Item magnus Sermo in illud *Sapientia vincit malitiam*, qui legitur inter opera Divi Bernardi, spectat ad nostrum Guibertum Abbatem, ut constat ex lib. 1. vitæ suæ cap. 16. pag. 477. Denique scripsit alia multa quæ latent, & quæ vidi mss. in Bibliothecis Vallis Claræ & Igniaci, ambabus Ordinis Cisterciensis, Laudunensis ac Rhemensis Episcopatuum. Sunt autem *Commentarii in Abdiam Prophetam*, cujus prologus incipit: *Patribus & Dominis totius cultu reverentiæ amplectendis, sancti Medardensi Abbati Godefrido; & item ejusdem gratiæ Florinensi Alardo, Guibertus, ad omnem proh dolor impuritatem vitæ degenerans & moribus, votivo utriusque salutis affectus. Quoniam & litteraturæ celebritas, &c.* Incipit Abdias Propheta, *Visio Abdiæ, visio Prophetalis subtilitatem significat, &c. In Jonam Prophetam*, cujus prologus incipit, *Audemus & bonam voluntatem habemus, &c.* Item *in Michaam Prophetam lib.* 2. *in Zachariam lib.* 3. *in Joelem lib.* 1. *in Nahum lib.* 1. *in Abacuc lib.* 1. *in Sophoniam lib.* 1. Obiit Guibertus anno 1124. die 1. Augusti, qui suam ipse vitam scripsit, de cujus autem laudibus abundè agit Lucas Dacherius tam in prolegomenis ad editionem illius operum, quam in suis annotationibus & in subjecto Chronico Abbatum Novigentinorum.

De Hugone Metello. 1120.

SUPPLEMENTUM.

HUGO METELLUS Canonicus Regularis Ordinis D. Augustini in Abbatia S. Leonis Tullensis, floruit sub sæculi 12. initium circa annum 1120. & aliquanto ulteriùs, scripsitque *Epistolas plures ad viros sui temporis scientia vel dignitate illustres*, quas habet mss. Bibliotheca Collegii Regii Parisiensis Ludovici Magni Soc. Jesu.

De Gualberto Marchianensi. 1130.

SUPPLEMENTUM.

GUALBERTUS Monachus Marchianensis Ord. Divi Benedicti, scripsit ad Sasvvalonem Cathedralis Ecclesiæ Attrebatensis Canonicum & Roberti Episcopi qui sedit ab anno 1115 ad 1131. Secretarium, *Libros duos Miraculorum sanctæ Rictrudis Patronæ Marchianensis*, quos referunt Bollandi Continuatores ad diem 12. Maji tom. 3. pagina 118. & seqq. Hoc opus compositum est post mortem Rodulfi Archiepiscopi Rhemensis defuncti anno 1124. & post cædem Caroli Boni Flandriæ Comitis anno 1127. patratam; siquidem num. 45. ipsius Operis, Archiepiscopus dicitur *Bonæ Memoriæ*; & in Epistola meminit auctor versuum de illa cæde à se conscriptorum, & à Sasvvalone reprehensorum, eo quòd nimiùm sæcularis litteraturæ spirarent: ex quibus colligi posse censeo, proximo post dictam cædem anno 5. visum amatumque à Gualberto Sasvvalonem Canonicum.

De Stephano Augustodunensi Episc. 1120.

SUPPLEMENTUM.

STEPHANUS factus Augustodunensis Episcopus anno 1113. adfuit Concilio Tornutiensi anno 1117. itemque & unctioni Philippi filii Ludovici Crassi in Regem Franciæ, anno 1129. Unde postea renuntians Episcopatui factus est Monachus Cluniaci sub regimine Petri Venerabilis, ubi mortuus est anno incerto. Scripsit *Librum seu Tractatum De Sacramento Altaris & iis quæ ad illud variosque Ecclesiæ Ministros pertinent*, quem Joannes de Montolon Canonicus & Cantor Augustodunensis Ecclesiæ edidit anno 1517. unde in Bibliothecam Sanctorum Patrum editionis primæ Parisiensis an. 1575. & in alias transiit. De Stephano Augustodunensi Petrus Venerabilis in Epistola ad Humbertum Archidiaconum Eduensem ejus nepotem, quæ est sexta libri quinti, ubi testatur reddidisse spiritum Creatori inter manus suas: Sammarthani in Gallia Christiana tom. 2. ubi de Episcopis Eduensibus.

De Simeone Dunelmensi Monacho. 1120.

SUPPLEMENTUM.

SIMEON DUNELMENSIS Monachus Ord. Divi Benedicti, & Præcentor, cum primariis sæculi sui Monachis meritò conferendus, floruit ante medium sæculi duodecimi. Quæ de eo aliisque collecta sunt in Præliminaribus ad Collectionem Historicorum Angliæ anno 1652. Londini in fol. impressa curis Seldeni, ex Lelando, Baleo, Pitseo & Vossio, hic

hic describere operæ pretium non est, cum ad Seldeni prolegomena excurrere cuique pronum sit. Sunt autem in hac Collectione Opera Simeonis Dunelmensis, *Historia Dunelmensis Ecclesiæ*, partim ex Turgoto, de quo suprà ad annum 1115. pagina 1. *De Archiepiscopis Eboraci*, pag. 753. *De Obsidione Dunelmi*, pag. 79. *Historia de Gestis Regum Anglorum ab anno 616. ad 1129.* pag. 85. Addidit Historiæ Simeonis Dunelmensis Joannes Prior Hagulstadensis seu de Hersam annos 25. ibidem pag. 258. usque ad annum 1154. quo tempore dictus Joannes floruit. Richardus item Prior Hagulstadensis scripsit *Libros duos De Statu & Episcopis Ecclesiæ Hagulstadensis*, ibidem pagina 286. & floruit sub Henrico secundo Rege, mortuusque est sub annum 1190. regnante Richardo primo.

De Raynero Monacho. 1120.

SUPPLEMENTUM.

RAYNERUS MONACHUS S. Laurentii Leodiensis Ord. D. Benedicti, scripsit *De Viris illustribus Cœnobii sui & Episcopatus Leodiensis*, quem vide in Collectione de Rebus Leodiensibus Joannis Chapeaville in 4. Leodii 3. tomis 1612. & sequentibus. Claruit circa annum 1130.

De Cosma Pragensi Decano. 1120.

SUPPLEMENTUM.

COSMAS PRAGENSIS Ecclesiæ in Bohemia Decanus, *Historiam Bohemorum tribus libris* conscripsit, in quibus Gentis origo & Antiqui Duces usque ad Vratislaum Regem primum ab Henrico III. Imperatore anno 1126. creatum commemorantur: quo tempore & ipse Cosmas floruit. Edita Historia in fol. Hanoviæ anno 1607. à Marquardo Frehero, cum aliis Bohemiæ Scriptoribus.

De Raynaldo de Semur. 1120.

SUPPLEMENTUM.

RAYNALDUS DE SEMUR Dalmatii Domini de Semur ex illustri Burgundionum genere & Aremberge Vergeia filius Frater S. Hugonis Abbatis Cluniacensis & Gaufridi de Sinemuro, Monachus Ordinis Divi Benedicti; deinde meritis exigentibus primò Abbas Vezeliacensis, quo nomine interfuit Concilio Trecensi anno 1104. inde tandem assumptus ad Sedem Archiepiscopalem Lugdunensem. Scripsit *Vitam S. Hugonis Abbatis Cluniacensis fratris sui*, quam habes in Bibliotheca Cluniacensi edita ab Andrea Duchesnio. Hic Hugo mortuus est anno 1109. tertio Kalendas Maji ætatis 85. de quo etiam consulere tu poteris Continuatores Bollandi ad diem 29. Aprilis tom. 3. pag. 648. & seqq. ubi prosa & metro legitur. De Raynaldo Henricus Gandavensis in libro De Viris Illustribus cap. 3. pagina 162. Bibliothecæ Ecclesiasticæ Auberti Miræi Bruxellensis, Fratres Sammarthani in Gallia Christiana abundè tom. 1. pag. 314. de Archiepiscopis Lugdunensibus, ubi eum volunt mortuum esse an. 1129. die 7. Augusti.

De Algero Scholastico. 1130.

ALGERUS SCHOLASTICUS Leodiensis, ac postea Monachus Cluniacensis floruit circa annum Domini 1130. Scripsit *varia opusculla*

A *de gratia, & libero arbitrio, & de Misericordia & justitia. Sed præcipuum ejus opus est de corpore & sanguine Domini contra Berengarium*, quod tribus libris comprehensum valdè laudatur à venerabili Petro Cluniacensi, qui initio libri de sacrificio dicit, Lanfrancum scripsisse de Sacramento Eucharistiæ, benè, planè, perfectè: Guitmundum, melius, plenius, perfectius; Algerum, optimè, plenissimè, perfectissimè. Sed tamen observandum est, hunc Algerum lib. 2. cap. 1. non rectè scripsisse species Sacramentales non posse corrumpi, vel rodi à muribus, &c. quod etiam notavimus in Guitmundo, à quo id videtur Algerus accepisse, sic etiam cap. 8. perperam citavit Algerus sanctum Augustinum, cùm ait, Unde,
B ut ait Augustinus, nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne ritè communicatur. Hæc enim non sunt Augustini; sed Paschasii in libro de corpore Domini, cap. 14. Denique cap. 10. videtur Algerus velle, esse de jure divino, ut sacrificium Missæ celebretur in azymo: quod non est verum, alioquin Ecclesia non toleraret eos, qui celebrant in fermentato. Hæc notare volui, non ut imminuam gloriam Algeri, qui magno zelo veritatem sua ætate defendit: sed ne lector offendiculum incurrat in legendo opere isto, alioqui valde bono, cum sit commune mortalibus aliquando labi. Extat hoc opus Algeri impressum Lovanii cum Paschasio, Lanfranco, & Guitmundo, necnon cum iisdem in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit. 2.

C DISSERTATIO HISTORICA.

ALGERUS, ex Leodiensis Ecclesiæ Scholastico Cluniacensis Monachus, vixit sæculo Christi XII. circa annum 1130. Petrus Venerabilis ejusdem Cœnobii Sanctissimus Abbas, initio libri de Sacrificio, docet eum de hoc argumento omnium optimè, plenissimè, & perfectissimè scripsisse, ac superasse Lanfrancum & Guitmundum, qui in eodem stadio præiverant. De eodem Jo. Trithemius, tum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, tum capite 90. libri II. de Viris Illustribus Ordinis S. Benedicti, atque ex ejus fonte recentiores.

D *Libri tres adversus hæresim Berengarii de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini*, extant in Bibliothecis Veterum Patrum, & seorsim etiam excusi. Vide columnam 271. Tomi VI. Bibliothecæ Parisiensis, quam & Morellianam appellare nonnumquam soleo.

SUPPLEMENTUM.

ALGERUS LEODIENSIS primùm Canonicus, inde spreto sæculo Cluniacensis Monachus, eodem tempore floruit, cujus elogium auctore Nicolao Leodiensi Canonico ejus æquali, refert Joan-
E nes Mabillon tomo 1. Analectorum pagina 303. de quo Bellarminus & Labbeus in Opere De Scriptoribus Ecclesiasticis. Quibus addo scripsisse *Tractatum inscriptum de Misericordia & Justitia* lib. 3. cujus prologum refert loco citato idem Mabillon, quem vidi ms. in Bibliotecha Alnensi Cisterciensis Ordinis in Belgio, in Codice modico, cujus dorso titulus est, *De Vita Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ*: ubi *Algerus* dicitur *Augerus*, & cujus hoc opus quod de Canonum observantia est, prælo dignissimum opinor.

De Hildeberto Turonensi. 1125.

HILDEBERTUS ARCHIEPISCOPUS Turonensis vixit tempore Honorii secundi Pontificis

A
tificis, ad quem epistolam scripsit. Honorius autem sedere cœpit anno Domini 1125.

Scripsit *Sermones*, *Epistolas*, & *Carmina sacra*, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 3. edit. 2. ad eum una extat Epistola sancti Bernardi, qua eum hortatur, ut Innocentium secundum, ut verum Pontificem agnoscat, & veneretur.

DISSERTATIO HISTORICA.

HILDEBERTUS de Lavardino, Berengarii Sacramentariorum Signiferi in secessu suo Turonensi post abdicationem hæreseos quondam discipulus, & scripto in ejus laudem non ineleganti elegiaco carmine encomiastes, cujus etiam meminit
B
Guillelmus Malmesburiensis libro tertio de Gestis Anglorum, & Scholæ Magister post Hoelum, electus fuit anno 1097. Cenomanensis Episcopus, tum Gilleberto Archiep. mortuo, jussu Honorii II. Romani Pontificis anno 1125. translatus est ad Turonensem Metropolim, ubi obiit die 15. Kal. Januarii anni 1132. De eo in pluribus non consentiunt inter se Cenomanicæ Historiæ illustratores, Corvæserius, & Bodonnetus, nec cum Vossio, qui morti ejus adsignat annum 1136. Lotharii Imp. undecimum, quos consule, & ex antiquioribus Ivonem Carnotensem, Gofridum Vindocinensem, & S. Bernardum Clarævallensem in Epistolis, Will. Malmesburiensem libro 5. cap. 9. Henricum Gandavensem cap. 8. Bernardum Majoracensem Congreg.
C
Cluniacensis Monachum libro de Contemptu mundi ad Petrum Ven. Abb. Cluniac. Vincentium Bellovacensem, S. Antoninum, Trithemium, &c.

Inclytus & prosa, versuque per omnia primus,
Hildebertus olet prorsus ubique rosam.

Ex multis quæ tum prosa, tum versu conscripsit, hactenus pauca fuerunt in lucem edita, atque hæc dumtaxat in manus meas venerunt.

Epistolæ, numero 83. verborum venustate egregiè, sententiis utiles, & figurarum coloribus adornatæ à Margarino Bignæo anno 1589. in Bibliotheca SS. Patrum vulgatæ, sed in multis mutilæ atque imperfectæ, ut necesse sit eas iterum ad mss. codi-
D
ces exigere, atque emendatas, vel seorsim edere, vel cum reliquis ejusdem scriptoris operibus, quæ adhuc in Bibliothecarum angulis delitescunt.

In Bibliothecis Veterum Patrum eidem tribuuntur *Prosa de Natali Domini*. *Versus de mysterio & ordine Missæ, sive, de concordia veteris & novi Sacrificii*. *Sermo in illud Isaiæ cap.* 35. Tunc aperientur oculi cæcorum, &c. *Sermo in illud Lucæ* 12. Cui multum datum est, multum quæretur ab eo, &c. *Ad Pastores sermo Synodicus*. *Vita S. Hugonis Cluniacensis Abbatis*, cujus fuerat discipulus legitur in Bibliotheca Cluniacensi anno 1614. excusa Parisiis, col. 413.
E
Vita S. Mariæ Ægyptiacæ, Henrico Gandavensi cap. 8. memorata, & alia plura ex manuscriptis codicibus collecta, suo tempore, faventibus superis lucem aspicient.

Miræus videtur ei tribuere Epistolam ad Carthusianos, seu Fratres de Monte Dei: sed si de ea intelligit, quæ Sancto Bernardo tribuitur, insigniter hallucinatus est: Auctorem enim habuit Guillelmum Sancti Theodorici Abbatem, de quo Henricus Gandavensis cap. 10. *Willelmus ex Abbate Sancti Theodorici Monachus Claravallensis, adhuc Abbas scripsit Epistolam ad Fratres de Monte Dei, Ordinis Carthusiensis, ipsius Ordinis sectatoribus valdè utilem.*

De sancto Bernardo. 1130.

SANCTUS BERNARDUS Abbas Claravallensis, vir planè Apostolicus, & non minus gloria miraculorum, quàm sapientiæ splendore illustris, floruit maximè tempore Innocentii II. Pontificis anno Domini 1130. sed obiit anno 1153. ætatis suæ 63. Scripsit *multa opera*, sed multa etiam illi tribuuntur, quæ ejus non sunt. Opera, quæ sine dubio sanctum Bernardum habent auctorem, illa sunt quæ numerantur à Gofrido ejus discipulo, & alumno libro 3. vitæ ipsius cap. ultimo; vitam enim sancti Bernardi primus scripsit eo vivente Guillelmus Abbas sancti Theodorici, unico libro comprehensam: deinde adjecit secundum librum Bernardus Abbas bonæ Vallis: tres ultimos addidit Gofridus Monachus Claravallensis.

Opera S. Bernardi indubitata ex Gofrido Monacho.

Homiliæ in laudem Virginis Matris sive super Missus est Angelus, 4. *De gradibus humilitatis*, 1. *De diligendo Deo*, 1. *Apologeticus ad Gulielmum Abbatem*, 1. *De præcepto, & dispensatione*, 1. *Exhortatorius ad milites templi*, 1. *De gratia, & libero arbitrio*, 1. *De Consideratione ad Eugenium*, 5. *In Cantica sermones* 86. *Epistolæ ad diversos*, 351. *Vita S. Malachiæ Episcopi Hiberniæ*.

Opera sancti Bernardi secundi ordinis, quæ habentur etiam pro indubitatis.

De Adventu Domini sermones 7. *De Vigilia natalis Domini*, 6. *De natali Domini*, 6. *De Circumcisione*, 3. *De Epiphania*, 4. *De Dominica prima post Epiphaniam*, 2. *De Conversione S. Pauli*, 2. *De Purificatione Beatæ Mariæ*, 3. *De Septuagesima*, 2. *De Quadragesima*, 7. *De sancto Benedicto Abbate*, 1. *De Annunciatione Beatæ Mariæ*, 3. *De Domin. Palmarum*, 3. *De feria quarta pœnosa*, 1. *De feria quinta in Cœna Domini*, 1. *De Pascha*, 4. *De octava Paschæ*, 2. *De Rogationibus*, 1. *De Ascensione*, 6. *De Pentecoste*, 3. *De sancto Joanne Baptista*, 1. *De SS. Petro & Paulo*, 4. *De David, & Golia*, 1. *De septem panibus*, 3. *De sancto Victore*, 2. *De sancta Maria Magdalena*, 1. *De Assumpt. B. M. V.* 5. *De verbis, Signum magnum*, 1. *De Nativitate sanctæ Mariæ*, 1. *De sancto Michaele*, 2. *De festo omnium Sanctorum*, 5. *De sancto Malachia*, 1. *De verbis Isaiæ*, 5. *De sancto Martino*, 1. *De sancto Clemente*, 1. *In vigilia sancti Andreæ*, 1. *In die sancti Andreæ*, 2. *In obitu Humberti*, 1. *In dedicatione Ecclesiæ*, 6. *In Psalmum* 90. 17. *De diversis argumentis*, 35. *De altitudine cordis*, 4. *De Conversione ad Clericos*, 1. *Sermones parvi*, 66. *De donis Spiritus sancti*, 1. *Sententiæ sancti Bernardi*. *Declamatio in illud, Ecce nos reliquimus omnia*.

Ordo tertius operum dubiorum.

Ad fratres de monte Dei. Meditationes. De interiori domo. De ordine vitæ. De scala Claustralium. Formula honestæ vitæ. Speculum Monachorum. Sermones varii. Liber de conscientia. Descriptio Claravallis. Lamentatio Virg. Mariæ. Doctrina S. Bernardi. Homilia de exeuntibus in Emmaus. De amore Dei. De natura, & dignitate Divini amoris. Sermo de Passione Domini. Tractatus de Passione Domini. Rhetorica sancti Bernardi. De modo bene vivendi ad sororem suam. De Conscientia. Sermones de diversis argumentis, 15. *Super Salve Regina. Epistola ad quemdam, qua docetur, quid à nobis requirat Deus. De oneribus sermones* 11.

Observatio prima.

Inter opera secundi ordinis est sermo de nativitate B. Mariæ, qui non est, ut multi existimant, de nativitate ex sancta Anna matre sua in hunc mundum; sed de nativitate per dormitionem mortis, in cœlum, quo

quo modo dicuntur natalitia aliorum omnium Sanctorum, id ex contextu facilè potest intelligi, hæc enim sunt prima verba, Fœcundæ Virginis amplectitur cælum præsentiam, terra memoriam veneratur, &c.

In eodem ordine est sermo brevissimus de Beata Virgine post sermonem quintum de Assumptione; sed ille ex sermonibus parvis est secundus, & inde huc sine causa translatus: & fortasse non est sancti Bernardi, cùm auctor ejus sermonis dicat, se carere virginitate, & ex primo libro cap. 3. vitæ sancti Bernardi probabiliter colligatur, eum virginem fuisse.

In eodem ordine invenitur lib. Sentent. sancti Bernardi, de quo libro ambigo, an sit scriptus ab ipso S. Bernardo, an ab aliquo alio, qui collegerit eas sententias ex scriptis, & Sermonibus ejusdem sancti viri: video enim in iis sententiis quædam vocabula barbara, ut guerram, pro bello, & res alias leviores, quàm ut decere videantur sanctum Bernardum: sed nihil definio.

Observatio secunda.

In tertio ordine in quo dubia opera continentur: aliqua sunt, quæ manifestè sancti Bernardi non sunt, sed tamen gravia, & utilia sunt: alia habent suos auctores, qui in titulis prænotantur: alia sunt inepta, & indigna, quæ tanto viro attribuantur: alia denique tam proximè accedunt ad spiritum & stylum sancti Bernardi, ut ejus fœtus judicari possint. Ac ut dicam de singulis quod sentio.

Sermo, seu liber de vita solitaria ad fratres de monte Dei, non habet stylum, sed habet spiritum sancti Bernardi, & dignissimus est, qui legatur. Tribui solet hic liber Guillelmo Abbati de sancto Theodorico.

Meditationum capita sexdecim similia sunt libro superiori: non habent stylum, neque eruditionem sancti Bernardi, sed habent pietatem, & devotionem, & utiliter legi possunt.

Tractatus de interiori domo, non est malus, sed ad superiores duos non pertingit.

Tractatus de ordine vitæ, sive de doctrina puerorum, similis est superiori.

Scala claustralium, sive de modo orandi, non habet stylum sancti Bernardi sed alioqui insignis libellus est, & lectu dignus.

Formula vitæ, cum annexo documento, & speculum Monachorum, utilissima continent documenta, ac Religiosis viris planè necessaria, quamvis à stylo sancti Bernardi longè absint.

Sermones de Natali Domini, qui ordine succedunt, non sunt B. Bernardi, neque eruditi: siquidem in primo sermone auctor laudat Abbatem Claravallensem, idest, sanctum Bernardum; proinde non est ipse sanctus Bernardus sermonis auctor. Idem ipse auctor dicit, nocte Natalis Domini corruisse templum pacis Romæ, quod æternum futurum sperabatur. At nascente Domino nondum templum illud ædificari cœptum erat; denique stylus turgidus est, sed vocabulis barbaris non caret.

Item de aliis sermonibus, ejusdem auctoris judicium fieri potest.

Inter sermones est unus de Villico iniquitatis, cui præmittitur epistola Bernardi ad Matthæum Episcopum Albanensem, cui sermo ille transmittitur, & quidem sermo stylum sancti Bernardi non habet, sed alioqui eruditam explicationem continet. Itaque vel sanctus Bernardus solitam suam eloquentiam in hoc sermone neglexit, vel alius Bernardus est, qui sermonem istum conscripsit.

Liber de conscientia pius, & utilis est quamvis sancti Bernardi esse non videatur.

A Descriptio Claræ Vallis non est sancti Bernardi, sed alicujus, qui eam bene noverat.

Lamentatio B. Virginis indigna est, quæ sancto Bernardo tribuatur, quippè quæ ineptias, & falsa nonnulla continet.

Sermo de duobus discipulis euntibus in Emmaus insignis est, sed sancti Bernardi stylum non habet.

Liber de amore Dei stylum potius sancti Augustini quàm sancti Bernardi habere videtur: qui enim librum illum composuit imitari voluit sanctum Augustinum in libris confessionum cum Deo colloquentem.

Liber de natura, dignitate amoris divini subtilis & B obscurus est, nec cujus sit affirmare possum.

Sermones duo de Passione Domini, quorum prior incipit, JESUM Nazarenum, & posterior longè prolixior, Ego sum vitis vera, docti sunt, & utiles: sed non videntur sancti Bernardi, si è stylo judicium fiat.

De Rhythmis, hoc solum dicere possum, illum qui incipit, Jesu dulcis memoria, longè præstare cæteris omnibus.

Liber de modo benè vivendi, qui scriptus dicitur à sancto Bernardo ad sororem suam, utilissima documenta continet; sed neque stylum habet sancti Bernardi, neque ad sororem ejus scribi potuit: hic enim liber ad sororem Virginem, & cum Virginibus, in C monasterio degentem scribitur, ut perspicuum est ex cap. 21. Sanctus autem Bernardus unicam habuit sororem, eamque primò conjugatam, deinde sanctimonialem. Vide lib. 1. vitæ sancti Bernardi cap. 1. & 6.

Liber de conscientia, de gradibus humilitatis, sermones de Cœna Domini, & cætera usque ad finem secundi tomi non solùm longè distant à stylo sancti Bernardi, sed etiam verisimile non est de iisdem argumentis toties sanctum Bernardum disseruisse.

DISSERTATIO HISTORICA.

D SANCTUS BERNARDUS in castro Fontanis propè Divionem in Ducatu Burgundiæ natus anno 1091. patre Tecelino, matre Aletha, Cistercium venit cum sociis circiter 30. anno 1113. ad Stephanum Hardingum tertium illius Monasterii anno 98. primùm fundati Abbatem, à quo Claræuallensi Cœnobio anno 1115. ad fluviolum Seniam in diœcesi Lingonensi erecto datus Abbas, vixit usque ad diem 20. Augusti anni 1153. quo ad cœlos evolavit Doctor Mellifluus, ac verè sui sæculi decus singulare, cujus vitam plures scripsere, quos modò referemus. De eodem videndi Alexander III. Papa in Litteris Apostolicis, de eo in numerum Sanctorum relato, Philotheus Monachus in Elegiis, Hildebertus Cenomanensis Episc. 72. Epistola, Petrus Venerab. Otho E Frisingensis, Guerricus Abbas, Jacobus de Vitriaco, Henricus Gandavensis (*a*) cap. 9. & Auctor Appendicis ad eumdem librum adjunctæ, cap. 4. Joannes Trithemius, aliique innumerabiles, quorum partem aliquam collegit V. C. Jacobus Merlonus Horstius S. Theologiæ Licentiatus, & Beatæ Mariæ in Pasculo Coloniæ Pastor, qui summo studio & labore animum calamumque omnium postremus in recensendis vulgandisque Sanctissimi hujus Ecclesiæ Doctoris operibus utiliter exercuit.

Tomo I. continentur.

De Vita S. Bernardi, ejusque Miraculis libri septem. Primus est in capp. 14. distributus, Auctore Guillelmo Ex-Abbate S. Theoderici in editione Rhemensi Monacho

nacho Ordinis Cisterciensis. II. capitibus octo constat auctore non Bernardo quodam, ut cum multis erravit Horstius, sed Arnoldo Bonæ-vallis in diœcesi Carnotensi Abbate, ut docebimus infra suo loco ex Henrico Gandavensi, aliisque. III. IV. & V. auctore Gaufrido Monacho quondam Clarævallensi ab anno circiter 1140. & S. Bernardi Notario, ac demùm ex Igniacensi, quarto Clarævallis Abbate. Falsus enim est Joannes Picardus, ejus affectator Claudius Robertus, qui censuerunt Godefridum S. Bernardi consanguineum, atque ex Abbate Fontanetensi creatum anno 1139. Episcopum Lingonensem tres illos libros composuisse. VI. qui Hodœporicon ejus per Germaniam, Belgium, Galliamque, & facta passim ubique innumera miracula complectitur, Auctores habet præcipuos Philippum Monachum Clarævallensem, quondam Archidiaconum Leodiensem ad Samsonem de Pratis Rhemensem Archiepiscopum, & prædictum Gaufridum Monachum ad Hermannum Episcopum Constantiensem à capite decimo usque ad finem. VII. decerptus est ex libro Virorum Illustrium Ordinis Cisterciensis, qui etiam Exordium, vel de initio Ordinis Cisterciensis dicitur, & 29. capita numerat. Seq. Alexandri Papæ III. Litteræ Apostolicæ IV. Gaufridi Abbatis Claravallensis quarti Sermo in Anniversario obitus Sancti Bernardi, Philothei, & aliorum carmina atque Elogia varia hinc inde collecta etiam & Luthero, Calvino, similibusque Hæresiarchis, cum refutatione calumniarum Centuriatorum Magdeburgensium, Parænesi ad Sectarios, & Chronologia vitæ ac scriptorum ejusdem Sanctissimi Doctoris ab anno 191. ad 1153.

S. Bernardi sequuntur Epistolæ numero 367. quarum prima ad Robertum cognatum, qui à Cisterciensibus ad Cluniacenses defecerat, miraculo celebris (*b*)

Tomo II. continentur.

Sermones in Dominicas & Festa Christi, Deiparæ, & Sanctorum per annum: Item de Dedicatione Ecclesiæ 7. & *unicus in obitu Humberti Monachi. In Psalmum* XC. Qui habitat in adjutorio Altissimi, &c. Sermones 17. *Sermones de Diversis*, numero 3. cum Sermonibus 17. parvis quinque Parabolis, quarum tres de Pugna spirituali, quarta de Christo & Ecclesia, quinta de Fide, Spe, & Charitate. *Officium de S. Victore à S. Bernardo, rogatu Guidonis Arremarensis compositum. Confessionis privatæ formula*, sive Oratio pœnitentis ad Christum. *Jubilus Rhythmicus de Amore* JESU CHRISTI, & in commemorationem acerbissimæ ejus Passionis, & gloriosi in cœlum Ascensus.

Tomo III. continentur.

Sermones 86. *in priora tria capita Cantici Canticorum.* Falluntur verò Sixtus Senensis, multique ab eo delusi, qui sermones illos ultimo B. Bernardi vitæ anno coràm Monachis habitos existimant. Nam, ut rectè admonuit Horstius, priores 23. absolverat antequam iret in Italiam, accersitus causa schismatis ab Innocentio II. anno 1137. Sermonem 26. ubi Gerardo fratri suo justa persolvit, scripsit anno 1138. Sermones verò 65. & 66. contra Petrobusianos hæreticos circa annum 1147.

Annotationes Horstii in tres priores Tomos.

Tomo IV. continentur.

1. *De Consideratione ad Eugenium Papam libri quinque*, verè aurei & incomparabiles anno Christi 1151. quadriennio post Concilium Rhemense scripti. 2. *De moribus & officio Episcoporum*, ad Henricum Senonensem Archiepiscopum Tractatus, qui in præcedentibus editionibus est epistola numero 42. 3. *Apologia de vita & moribus Religiosorum*, ad Guillelmum Abbatem Sancti Theoderici. 4. *De contemptu mundi*, sive de vita & moribus Clericorum rectè instituendis Tractatus, qui aliàs dicitur, Declamatio super, ecce nos reliquimus omnia (*c*), vel, Sermo de colloquio Simonis & JESU, vel, Exhortatio de contemptu mundi ad Clericos. 5. *De diligendo Deo*, ad Haymericum S. R. E. Cardinalem & Cancellarium, Tractatus elegans, ac valde pius. 6. *De gratia & libero arbitrio*, ad Guillelmum Abbatem S. Theoderici. 7. *De præcepto & dispensatione*, ad Monachos Carnotenses; cum Epistola ad Abbatem Columbensem. 8. *De gradibus humilitatis & superbiæ*, ad Godefridum Monachum, cum censura seu retractatione in illum Tractatum. 9. *De nova militia*, seu, *Exhortatio ad milites Templi*, ad Hugonem Militem Christi, & Magistrum Militiæ Christi. 10. *De Conversione ad Clericos*, ut quidam mss. codices legunt, Parisienses, sive, Exhortatio de vita in melius convertenda. 11. *De erroribus Petri Abaillardi in Synodo Senonensi damnatis*, ad Innocentium II. Papam Tractatus, qui in prioribus editionibus, est Epistola 190. 12. *Tractatus ad Hugonem de Sancto Victore, de quæstionibus ab eo propositis*, qui in aliis editionibus inter Epistolas reperitur num. 77. 13. *De Vita & rebus gestis Sancti Malachiæ*, Archiepiscopi ac Primatis totius Hiberniæ, anno 1148. in Claravalle, die 2. Novembris sancta morte defuncti, cum sermone de eodem Sancto Malachia.

Tomo V. continentur supposititia & dubia.

1. *Sermones* 48. *in Canticum Canticorum*, ab eo loco capitis tertii, ubi Sanctus Bernardus morte præventus desiit: In lectulo meo (*d*) &c. Auctor est Gillebertus de Hoylandia, Abbas Svvinshetensis, Ordinis Cisterciensis in Anglia, de quo Trithemius, Simlerus, Balæus, Pithseus, & Vischius.

2. *Tractatus de Vita solitaria*, sive, *Epistola ad Fratres de Monte Dei Carthusianos.* De Auctore mirum est etiamnum velle ambigere doctos viros, cùm certo certius sit partum esse Guillelmi Abbatis Sancti Theoderici de Monte Aureo, diœcesis Rhemensis. Plura dabunt Horstius in Præfatione Tomi hujus, & Theophilus in Erotematis, contra Dionysium Richelium, & Theodorum Petrejum Carthusianos (*a*).

3. *Vitis mystica*, sive, Tractatus de Passione Domini super illud, Ego sum vitis vera, &c. Auctor nondum compertus. 4. *Meditationes piissimæ ad humanæ conditionis cognitionem*, numero 15. ad illam sententiam, Nosce teipsum. Primus est in eos, qui apud Hugonem De Sancto Victore inscribuntur de Anima. Negat tamen esse ejus fœtum Horstius. 5. *De interiori domo*, seu, de conscientia ædificanda. Is est inter quatuor, qui Hugoni à S. Victore tribuuntur, liber de Anima, ordine tertius. 6. *De ordine vitæ, & morum institutione*, aliàs, de doctrina puerorum seu adolescentium. Auctor ignoratur. 7. *Scala claustralium*, sive, Tractatus de modo orandi ad Fratrem Gervasium, auctore D. Guigone Carthusiæ Majoris quinto Priore, qui anno 1137. obiit. Scala Paradisi inscribitur Tomo IX. operum S. Augustini. 8. *De Amore Dei*, sive de diligendo Deo libri tres, eodem auctore, qui supra sæpè laudatus est, Guillelmo Abbate Sancti Theoderici. Verumtamen sex priora capita apud Richardum de S. Victore Tractatu de Gradibus charitatis reperiuntur, & in reliquis multa esse ex Sancti Bernardi operibus excerpta observavit Horstius. 9. *Institutio Sacerdotis*, seu,

seu, Tractatus de præcipuis mysteriis nostræ Religionis tum primùm editus. Incertus auctor, quamquam in mss. dicatur Beatus Bernardus Abbas. 10. Sermones in quædam Festa & Dominicas anni. *Sermones undecim*, seu potiùs, *Sermo de undecim oneribus Isaiæ*. Auctorem nactus est Aelredum Abbatem Rievallensem in Anglia, Ordinis Cisterciensis, cujus opera consule à Richardo Gibbono Societatis JESU Presbytero edita. *Sermones tres de Nativitate*, quorum primus minùs rectè apud Aloysium Lipomanum, & Laur. Surium tribuitur Petro Damiani (*f*). *Sermo de Sancto Stephano* Protomartyre qui incipit, Adhuc filium Virginis. *Tractatus de puero Jesu duodenni*, in Evangelium Dominicæ infra Octavam Epiphaniæ, cum factus esset Jesus, &c. est ejusdem Aelredi. *Sermones XV. de sermone Domini in Cœna habito*. Horstius putat esse alicujus Benedictini Monachi. Ogerii Abbatis Cucedii, Ord. Cisterciensis nomen præferunt in cod. ms. Bibl. Ducis Sabaudiæ, una cum ejusdem Ogerii tractatu de laudibus B. Mariæ. Vide Erotemata Theophili, pag. 151. *Sermo de duobus Discipulis euntibus in Emmaus Feria II. Paschatis*. Abjudicant Bernardo Bellarminus & Horstius. *De Excellentia Sanctissimi Sacramenti, & dignitate Sacerdotum, sermo*, in illud: Panem Angelorum, &c. *De Nativitate & honoribus seu privilegiis Sancti Joannis Baptistæ sermo*. Reperitur inter opera Petri Damiani, cui potiùs tribuendum censet Horstius. *In Parabolam de Villico iniquitatis ad Matthæum Albanensem Episc.* Bernardo Claræ vallensi abnuunt Bellarm. & Horstius. *De B. Maria Deipara sermo in illud*, Ave Maria, &c. *Sermo in illud libri Sapientiæ*, Sapientia vincit malitiam, &c. *In Parabolam Evangelicam de decem Virginibus sermo*. *Sermo de Sancto Andrea in illud*, Corde creditur, &c. Reperitur, quemadmodum & proximè sequens, inter opera Petri Damiani, non tamen rectè, si fides Horstio, qui mavult inter ἀδεσπότους annumerare. *In festo Sancti Nicolai Episc. Myrensis*.

Sermones IV. in Salve Regina, quos Bernardo suppositos eruditè probat Horstius, tum ex antiquis editionibus, tum firmis rationibus. Eadem est ratio *Meditationis* in eamdem Antiphonam. Pseudo-Julianus Toletanus, si qua tamen auctoritate valere debet apud eruditos, in Chronico, num. 607. testatur *Sermonum* illorum autographum penes se fuisse sub nomine Bernardi ex Monacho Benedictino, S. Hugonis Cluniacensis Abbatis discipulo Archiepiscopi Toletani. At verò Possevinus noster B. Anselmo Lucensi Episcopo, qui Mantuæ anno 1086. decessit, *Meditationem* illam attribuit.

Ad Clerum in Concilio Rhemensi congregatum. Ab aliquo confictus videtur ad imitationem S. Bernardi, multis ex eo hinc inde sublectis. Nec probabile est ab ullo Episcopo in magna illa Rhemensi Synodo pronuntiatum fuisse. *Ad Pastores in Synodo congregatos*. Hic longè dignior Bernardo. *Ad Præfatos in Concilio generali*. Nec ille Bernardi esse creditur. *De fugienda cordis & corporis immunditia*. Falsò Bernardo adscriptus, cùm sit cento ex Patribus, ac nominatim Guerrico Abbate, Beati Bernardi discipulo, consarcinatus. *Sermo de miseria humana*, inter nothos meritò rejiciendus, cum tribus sequentibus. *De Septem Gratiis seu donis Spiritus Sancti*. *De duodecim portis Jerusalem*. *In Canticum V. Mariæ* Magnificat anima, &c. *Sermones parvi de Diversis num.* 14. Nonnullos meliùs sententiis, quàm sermonibus annumerandos jure censuit Horstius. 11. *De Conscientia Tractatus*, ad Religiosum quemdam Ordinis Cisterciensis, cui similis reperitur inter opera Petri Abbatis Cellensis. 12. *De modo bene vivendi ad sororem liber capitibus* 73. Nullo pacto respondere nomini S. Bernardi

A rectè Horstius post nostrum Bellarminum, qui scitè observavit Humbelinam S. Bernardi sororem nuptam fuisse, non virginem. 13. *Liber Sententiarum*. Inter dubios saltem collocant Bellarm. & Horstius. 14. *Soliloquium, sive*, Oratio ad Deum præfixa libro de Amore Dei, de quo dictum est num. 8. nec videtur esse S. Bernardi. 15. *Disputatio cujusdam justi cum Deo*. 16. *Aliud Soliloquium*, omninò alienum à stylo Sancti Bernardi. 17. *Formula honestæ vitæ*. Theophilus in Erotematis asserit esse Bernardi Silvestri, cujus Epistola de re familiari benè administranda ab aliquibus perperam quoque tributa est S. Bernardo. 18. *Instructio, Quomodo possit homo in bono proficere, & placere Deo*. 19. *Varia & brevia documenta piè vivendi*. 20. *Speculum* B *Monachorum*. 21. *Doctrina B. Bernardi*. 22. *Octo puncta perfectionis aquirendæ*. 24. *Epistola de doctrina vitæ agendæ*, seu de regimine cordis, oris, & operis. 24. *Tractatus, Ad quid venisti?* 25. *Lamentatio B. Virginis Mariæ*, indigna prorsus, quæ inter opuscula etiam rejecta B. Bernardi locum suum servet, testibus Bellarmino & Horstio.

Tomo sexto continetur Appendix.

D. Guerrici Abbatis Igniacensis, discipulis S. Bernardi sermones per annum numero 55. *Gilleberti de Hoylandia Abbatis Svvinshetensis in agro Lincolniensi ejusdem Sancti Bernardi discipuli, Epistolæ tres*. 1. ad Fr. Richardum. C 2. ad Adam. 3. ad Guillelmum. *Ejusdem Asceticæ Dissertationes sex ad amicos scriptæ*, de contemplatione, &c. *Ejusdem Epistola ad Rogerum*. In prima parte abdicationem suadet curæ pastoralis: in altera, hortatur ad perseverandum in regimine. *Ejusdem sermo de semine verbi Dei*. *S. Bernardi Epistola ad S. Hildegardem* Abbatissam Montis Roberti propè Bingam ad Rhenum in diœcesi Moguntina. *Guigonis Majoris Carthusiæ Prioris ordine quinti, Epistolæ tres*, 1. ad Haymericum S. R. E. Cardinalem & Cancellarium, 2. ad Hugonem Sanctæ Militiæ Priorem, 3. ad Innocentium II. Romanum Pontificem. Annotationes Horstii in Tomum IV. operum S. Bernardi cum Nomenclatore vocum aliquot peregrinarum, Anthologia D Bernardina, & variis indicibus.

Præclaram præter hanc in Theodidacti nostri Doctoris operibus, qua recensendis, conquirendis, vulgandisque, qua etiam annotationibus illustrandis operam, & alii viri docti hactenus posuerunt, atque in his Joannes Picardus Bellovacus, Canonicus Regularis Sancti Victoris, cujus extant Notæ in Epistolas.

Videndam quoque suadeo Bibliothecam Cisterciensem D. Caroli de Visch, Prioris B. Mariæ de Dunis, secundis curis elaboratam, ubi præter omnia opuscula D. Bernardi in mss. codicibus attributa, magno studio collecta, ex Dunensi Bibliotheca Rhythmos aliquot pios vulgavit post eum, quem multi Fr. E Jacopono Ord. Minorum vindicant (*g*).

(*a*) Ubi duo dicit non prætereunda. I. talem ac tantum in religiosa conversatione & doctrina fuisse, ut minus ad ejus laudem sit, quod ab homine dici potest. II. superfluum esse ejus opusculorum ordinem texere, cùm in tantum vulgata sint, ne ea nescire non possit, qui aliud scire potest. Videndi quoque cum citatis Sixtus Senensis, Baronius, Manrique, aliique Cistercienses, & ex nostris Theophilus cùm pag. 424. Hoplothecæ; tum in opusculo cui titulus Apis Gallica.

(*b*) Epistola 241. scripta est ad Ildefonsum sive Alphonsum Comitem Tolosanum, in qua non mirum in modum debacchatur (quæ prophani nebulonis Edmundi Aubertini pag. 963. edit. Latinæ impudentissima vox est) sed graphicè suis omnibus coloribus

bus impurissimi variarum hæreseon mangonis Henrici doctrinam moresque depingit haud absimiles Lutheri, Calvini, Zuinglii, Bezæ, similiumque Apostatarum moribus doctrinæ. Idem Aubertinus pro genio suæ sectæ Miraculis Bernardi meridiano sole clarioribus caliginem offundere molitur, & illud quod occasione Petri Abaillardi dixit Otho Frisingensis & ante obitum retractavit, ineptissimè usurpat : Bernardus ex habituali mansuetudine quodammodo credulus. Quæ autem opera S. Bernardi sopita fuerat hæresis anno 1145. post aliquot annos tantùm revixit circa annum 1170. ideoque integra manet fides Gaufridi narrationi, & si aliud voluit Massonus, erravit. Mitto quæ de Castri viridis incolis refert ex Guillelmo de Podio Laurentii : quid enim facias impietatis patronis, qui ex omnibus fœditatibus undecumque collectis teterrimas librorum suorum sentinas replere non verentur.

(*c*) Hunc sermonem non esse S. Bernardi, sed Gaufridi quondam beatissimi illius Patris Notarii, ac postea Igniacensis primùm, mox Claræ-vallis, deinde Fossænovæ in Italia, ac tandem Altæcumbæ in Sabaudia Abbatis, ex quo uno tres quatuorve scriptores commentus est Carolus Witschius in Bibliotheca sua Cisterciensi, docuerunt me RR. Patres Vallis Lucentis in Diœcesi Senonensi & Bonifontis in Theorascia Priores Ordinis Cisterciensis, viri eruditione percelebres. Et certè in mss. codicibus, qui Abbati Igniacensi opus illud tribuunt, Præfatio hæc habet.

(*d*) Usque ad locum illum quinti Capitis : Dilectus meus candidus & rubicundus : neque enim perfecit. Sixtus Senensis perperam vocat Gilbertum Hollandum.

(*e*) Nuper quoque ad me misit R. P. Bertrandus Textor, O. C. Prior Cœnobii Bonifontis, Præfationem ad opera ejusdem Guillelmi Abbatis, quam tibi, Lector, repræsento.

Venerabilis hic Pater S. Bernardo olim arctissima fuit necessitudine devinctus : cujus initium ipse cap. 7. vitæ ejusdem Sancti aperit. Cùm enim dixisset, illum paulò post ordinationem suam in Abbatem gravi ægritudine afflictum, curæ R. D. Præsulis Catalaunensis fuisse commissum, subditi hæc verba. *Eodem tempore ego Claramvallem ipsumque frequentare cœpi. Quem cùm ibi cum quodam Abbate altero visitarem, inveni eum in suo illo tugurio, quale leprosis in compitis publicis fieri solet. Ingressusque regium illud cubiculum, cùm considerarem habitationem & habitatorem, tantam mihi, Deum testor, domus ipsa incutiebat reverentiam sui, ac si ingrederer ad altare Dei*. Addit, tanta se suavitate affectum circa hominem Dei, tàntoque desiderio in paupertate illa & simplicitate cohabitandi ei : ut si optio ipsi data fuisset, nihil tam exoptasset, quàm ibidem cum eo semper manere ad serviendum ei. Infrà ait, se quoque aliquando adversa valetudine laborantem, mandato S. Bernardi per fratrem ejus Gerardum Claramvallem fuisse deductum : ubi quantum ex convictu & sermonibus hospitis sui profecerit, fusè declarat. Mutuum hunc amorem eorum scripta demonstrant. Guillelmus in epistola quæ præcedit librum de Sacramento Altaris, sic Patrem Sanctum salutat. *Carissimo suo electo ex millibus, suus ille seipsum*. Et in alia, quæ non extat, *Suus ille*, inquit, *quod suus*. Huic respondet epist. 86. S. Bernardus pari quoque salutatione. Epistola autem 85. amicè cum eo expostulat, quod scripsisset, minùs se à D. Bernardo diligi, quàm Bernardum à se. *Fortè*, inquit, *verum est, quod dicis, minus scilicet à me amari te, quàm me diligis : sed certè certus sum certum non esse tibi*. Et infrà Deum alloquens. *Quod*, inquit, *diligam illum*, scil. Guillelmum, *ex dono tuo & suo merito, tu scis; & ego sentio : quatenus autem diligam, tu scis, ego nescio*. Denique S. Bernardus suum De gratia & lib. arb. librum, itemque Apologiam pro Cisterciensibus Guillelmo; & hic vicissim suum de Sacramento Altaris opusculum, & alterum adversus Petrum Abaelardum Bernardo nuncupavit : in quibus etiam quanti alter alterius eruditionem æstimaret, declaratur. Guillelmi siquidem censuram pro evulgando aut supprimendo libro prædicto expectare se dicit Sanctus Pater : qui & epist. 79. ab Abbate quodam consultus, Guillelmi nostri sapientiam his verbis commendavit. *Miror, quid tibi visum fuerit, me tam remotum expetere consultorem : cùm propè habeas virum sapientem, vestri ordinis, & tuæ præcipuè domus amatorem, Guillelmum scilicet Abbatem S. Theodorici*. Quod verò fuerit Guillelmi de S. Bernardi eruditione judicium, ex præfatione prædicti de Sacramento Altaris libri, & disputatione adversus Abaelardum agnosces. Cùm tanta inter illos animorum esset unio : non tamen facilè assecutus est Guillelmus, quod in primis exoptabat, ut scilicet deposita pastorali dignitate, & relicto suo S. Theodorici Cœnobio ad Ordinem Cisterciensem convolaret : dissuadente nimirum mutationem illam S. Bernardo, ut ex epist. ejus 86. constat. Prævaluit tamen Guillelmus, ac tandem Signiacense Cœnobium, non Claravallense, ut aliqui scripserunt, petiit; idque, non mortuo, sed vivente & annuente Sancto Patre, qui & Guillelmo undecim annis supervixit. Hujus migrationis testis est Burchardus Abbas, utriusque synchronus, (ad eum enim extat S. Bernardi epist. 146.) qui hæc post librum primum vitæ ejusdem sancti scripsit. *Præscriptum opus, quod de vita Sanctissimi viri Bernardi Claravallis Abbatis conscriptum est à venerabili Guillelmo pridem S. Theodorici Abbate, sed tunc jam monacho Signiacensis Cœnobii, &c. digestum esse cognoscitur*. Idem testatur antiquum Chronicon manuscriptum ejusdem Signiaci, de quo mox plura; testantur & alii codices manuscripti Ordinis, in quibus ejus opera sunt descripta, quorum quædam mox producemus. Denique sepulchrum ejus cernitur in ipso Signiacensi Monasterio, & sepulchro appicta effigies, & inscriptum nomen. Prædictum Chronicon exercitium Guillelmi in præfato loco otium contemplationis ponit : unde & plerumque Fratribus de plenitudine cordis sui verba vitæ æternæ propensiùs eructabat. Socios habuit in eodem Monasterio alios duos insignes viros, Arnulphum fratrem Domini de Moriomez, Abbatem S. Nicasii Rhemensis, & D. Gerardum fratrem Domini de Orcimonte, Abbatem Florinensem : qui cum duodecim è Monachis suis Signiacum veniens, se cum suis suscipi petiit & impetravit. Hæc & plura prædictum Chronicon : & addit, prædictos tres viros, Guillelmum, Arnulphum, & Gerardum, tunc temporis omni congregationi quasi tria luminaria refulgentes, suis sanctis monitis & exemplis pluribus profuisse. Pergit & de Guillelmo verba facere : & tandem, *Cursum*, inquit, *vitæ suæ sancto fine complens obdormivit in Domino. Corpus ejus in claustro juxta introitum Capituli traditum est sepulturæ*. At octogesimo circiter post mortem anno translatum est cum corporibus prædictorum Arnulphi & Gerardi, Domno Egidio nono Signiaci Abbate, de quo præfatum chronicon. *Ipse ossa D. Guillelmi quondam Ab. S. Theodorici, Arnulphi Ab. S. Nicasii, & Gerardi Ab. Florinensis, de tumulis in quibus usque ad tempus illud jacuerant, levavit, & eadem intra murum oratorii & juxta introitum Ecclesiæ à parte claustri in quadam theca cum honore debito collocavit. Huic autem translationi vicini Abbates interfue-*

fuerunt. Effigies eorum ibi depictæ adhuc cernuntur, & nomina subscripta. Hactenus de Guillelmo, nunc de ejus scriptis agendum. Horum catalogum texuit ipse in epistola ad PP. de Monte-Dei præfixa libro de vita solitaria, non qualis passim cernitur, mutila scilicet & media sui parte truncata, sed qualis in Bibliothecis Ordinis reperitur: nominatimque in Signiacensi, ubi illa ab authore exarata fuit: qui exordium ducit ab ipso libro de vita solitaria, quem vocat laborem suum quotidianum: alii enim libri quos posteà recenset, jam editi erant. Hi autem sunt, Speculum Fidei, Ænigma Fidei, Liber de contemplando Deo, Liber de natura & dignitate amoris, Libellus de Sacramento Altaris, Meditationes in Cantica Canticorum, usque ad illum locum, *Paululum cùm pertransissem eos*, &c. Contra Petrum Abaelardum, Expositio Epistolæ ad Romanos, Sententiæ Fidei, Liber de natura corporis: & Liber de natura animæ. Scripsit & idem Pater postmodum librum primum vitæ S. Bernardi, cui & immortuus est. Porrò Epistolam ad Patres de Monte-Dei, seu librum *De vita solitaria*, aliis ejus opusculis præmittimus, licèt prius scriptis: quia præfatio ejus illorum catalogum continet, quem ideò nunc omittimus. Librum autem ipsum *De vita solitaria*, S. Bernardo à quibusdam adscriptum, illius non esse, jam olim persuasum fuit iis, qui editionem operum ejus adornarunt. Nam codices omnes typis excusi ante librum illum hanc annotationem habent. *Hactenus habes opera à D. nostro Bernardo composita*, &c. Quæ autem sequuntur, negant esse illius. Inter illa autem, quæ negantur esse S. Bernardi, primo loco ponitur liber ille *De vita solitaria*. Codices verò manuscripti omnes opusculum illud Guillelmo S. Theodorici Abbati ascribunt. Vidi Signiacensis cœnobii, in quo illud scriptum est, exemplar, quo usus sum: vidi & Longipontanum, ac Calisianum. Dunense se vidisse testatur noster Henriquez, quæ omnia Guillelmum authorem agnoscunt. Noster item Angelus Manriq. eumdem librum Guillelmo tribuit ad ann. 1134. cap. 7. Bellarminus quoque lib. de Scriptoribus, postquam dixit, opusculum illud stylum S. Bernardi non habere, sed spiritum: addit, illud communiter tribui Guillelmo. Unde colligimus, non solùm in Gallia, ubi scripsit & vixit: sed & in Belgio, in Italia, & alibi, codices manuscriptos librum prædictum huic ascribere authori. Denique, qui librum illum scripsit, cùm sibi vindicet duodecim alia opuscula jam recensita, si librum illum Sancto Bernardo tribuimus, ei etiam tribui duodecim alia prædicta opuscula debent: quæ tamen Guillelmi nomen præferunt. Illius ergo est & prædictus Liber De vita solitaria ad Patres de Monte-Dei.

Quæ verò spectant ad Librum de Sacramento Altaris reperies, Lector, sæculo præcedenti, ubi de S. Anselmo verba fecimus. Subdit verò hanc clausulam.

Circa disputationem adversus Abaelardum nota, extare aliam Disputationem cujusdam Abbatis adversus eumdem tribus libris comprehensam, sed imperfectam, & ex qua jampridem exciderunt nonnulla, quæ Gaufridus Abbas Altæcumbæ amissa quondam querebatur: sed illa usque hodie manet imperfecta. Hanc nostro Guillelmo quidam ascripserunt: verùm quam hìc exhibeo, ex Signiacensi cœnobio ubi scripta est ab Authore nostro, sumpta est. Quis autem fuerit alter Abbas ille, ignoratur. Ut tamen curiosis fiat satis, illam quoque addere visum fuit.

(*f*) Cùm sit auctoris Sancto Bernardo ætate supparis, ut patet ex ipsis verbis.

A (*g*) Georgius à Sancto Benedicto Monachus Congregationis Sancti Bernardi Reformatæ Ordinis Cisterciensis edidit Romæ anno 1640. in 24. opuscula aliquot B. Bernardo, sed falsò, quod vel levis eorum lectio docet, attributa. I. De Contemplatione D. N. J. C. II. Sermonem ubi fit mentio de Nundinis animæ & de quinque regionibus. III. Sermonem de octo Beatitudinibus per modum Dialogi. IV. Bellum secundùm Beatum Bernardum de perfectione Servorum Dei.

De Guillelmo Rhemensi. 1144.

SUPPLEMENTUM.

B GUILLELMUS Monachus Ordinis D. Benedicti, factus post Nicolaum mortuum anno 1144. Abbas Sancti Nicasii Rhemensis, tum posteà (ut aliqui volunt) Sancti Theodorici propè Rhemos ejusdem Ordinis, qui post obitum sui amici Sancti Bernardi, relicta Abbatia Ordinem Cisterciensem in Cœnobio Signiacensi professus est. Scripsit multa quorum Catalogum ipse contexuit in præfatione *ad librum De Vita Solitaria ad Fratres de Monte-Dei*: Nempe, *Speculum Fidei*, *Ænigma Fidei*, *Meditationum librum I. De contemplando Deo librum I. De natura & dignitate amoris divini lib. I. De natura corporis & animæ lib. 2. Disputationem contra Petrum Abaelardum*, C *De erroribus Guillelmi de Conchis lib. I. De Sacramento Altaris Tractatum*, *Expositionem in Cantica Canticorum* usque ad hæc verba, *num quem diligit anima mea vidistis? Commentarium in Epistolam ad Romanos*. Quæ omnia continentur tom. 4. Bibliothecæ Scriptorum Ordinis Cisterciensis anno 1662. in fol. impressæ apud Bonunfontem. Item scripsit *Librum unum De Vita S. Bernardi*, qui sæpissimè impressus cum operibus ejusdem Sancti Doctoris. Item *Commentarium insignem in Cantica Canticorum ex verbis D. Ambrosii*, quem sub nomine Antonii Democharis habes sub finem tomi V. Operum Sancti Ambrosii. Item *Commentarium in eadem Cantica ex verbis D. Gregorii paulò diffusiorem quàm Beda fecerit*, quem vidi ms. in Bibliotheca Signiacensi, *cum* D *sententiis fidei ex verbis D. Augustini & aliorum Ecclesiæ Patrum*, ibidem in eodem ms. codice. Horum duorum operum quæ sunt apud me parata editioni, mentionem facit idem Guillelmus in præfatione libri *De Vita Solitaria*, ubi suos recenset Tractatus hucusque compositos.

Denique in ultima editione Operum Divi Bernardi quam procuravit Joannes Mabillon apud Fredericum Leonard Parisiensem Bibliopolam anno 1667. 2. tomis in folio, idem Joannes edidit sub nomine S. Bernardi *Commentarium in duo priora capita Cantici Canticorum*, quem meo quidem judicio, censeo esse reddendum & attribuendum Guillelmo Sancti Theodorici Abbati. Nam primò Guillelmus ipse in Vita E Sanctissimi Abbatis cap. 12. sic loquitur de hoc Commentario (itaque tunc differuit mihi de Cantico „ Canticorum, quantum tempus illud infirmitatis „ meæ permisit, moraliter tantùm intermissis My- „ steriis Scripturæ illius, quia sic volebam, & sic „ petieram ab eo. Singulisque diebus quæcumque „ super hoc audiebam, ne mihi effugerent, scripto „ alligabam, in quantum mihi Deus donabat & me- „ moria juvabat.) Esset igitur Commentarius inscri- „ bendus *Guillelmi à Sancto Theodorico excipientis ab ore Sancti Bernardi*. 2. Inventus est à Domno Carlo de Vvisch in veteri Codice ms. Bibliothecæ Dunensis, ubi habebantur alii duo Tractatus indubii ejusdem Guillelmi, unus *De Contemplando Deo*, alter *De natura & dignitate amoris Divini*: ambo tamen sub nomine Divi Bernardi, etsi perperam: unde idem de hoc

hoc tertio operè affirmandum est. 3. Quamvis Guillelmus ex ore Divi Bernardi scripserit hunc commentarium; attamen cùm sæpè fallat memoria, & plura scribantur per otium, quàm quæ furtim ab ore excipiuntur: inde magis tribuendus est Guillelmo quàm Bernardo, ex communi hominum sensu. Agunt de Guillelmo Abbate Sancti Theodorici Henricus Gandavensis, in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap 10. Aubertus Miræus in Scholio ad dictum caput, Carolus de Vvisch in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis, Bertrandus Tissier in Præludiis suis ad tomum quartum Collectanei Scriptorum veterum ejusdem Ordinis, Guillelmus Marlot Prior Sancti Nicasii in Historia Rhemensi.

De Petro Cluniacensi. 1130.

PETRUS VENERABILIS Abbas Cluniacensis sancti Bernardi æqualis fuit, ut epistolæ testantur, ultro, citroque missæ. Fuit nobilis Aquitanus, ac primò miles, deindè Monachus. Scripsit libros duos de miraculis sui temporis.

Scripsit *librum, per formam epistolæ, adversus errores Petri de Bruis, in quo egregiè tractat, De baptismo parvulorum. De auctoritate libri Actorum Apostolorum. De auctoritate epistolæ B. Pauli. De auctoritate Ecclesiæ. De auctoritate Veteris testamenti. Iterum de baptismo parvulorum. De Basilicis, templis, & aris. De veneratione sanctæ Crucis. De sacrificio Missæ, & veritate transubstantiationis. De suffragiis defunctorum. De laudibus Dei in canticis, & musicis instrumentis.*

Scripsit quoque *libros multos epistolarum ad diversos*; quarum nonnullas refert Card. Baronius tom. 12. Annalium.

Addit Trithemius, eum scripsisse *de conversatione Eremitica*. Sed hunc librum non vidi, neque utrum extet, scio.

Dissertatio Historica.

PETRUS Mauricius, ex nobili Dominorum de Monte Buxerio in Arvernia stirpe oriundus, Mauricii & Rangardæ filius, ingressus Cluniacensem Ordinem, post Hugonem II. qui tribus tantùm aut quinque mensibus præfuit, anno 1123. die Assumptæ in cœlum Virginis suffectus est Abbas Cluniacensis Congregationis ordine nonus, cognominatus passim ob gravitatem morum ad doctrinam Venerabilis Abbas. Obiit die 8. Kal. Januarii anni 1157. sepultus inter Altare SS. Philippi & Jacobi & altare S. Dionysii.

Omnia ejus opera post editiones Parisiensem anni 1522. & Ingolstadiensem anni 1546. extant in Bibliotheca Cluniacensi excusa Parisiis in folio anno 1614. studio ac diligentia Domini Martini Marrier Monachi O. B. & Andreæ Duchesnii cum ejusdem notis, hoc ordine.

Vita Petri Abbatis, ex Chronico Cluniacensi, & Veterum de eo testimonia S. Bernardi ep. 277. & 283. Roberti de Monte, Matthæi Parisii, Henrici de Gandavo cap. 29. Nicolai de Clamengis, Joannis Trithemii, & aliorum, cum Petri Pictaviensis Monachi Panegyrico dicto in primo adventu Petri Abbatis in Aquitaniam secundam, Invectiva in Calumniatorem, Epistola ad eumdem Petrum, &c.

Petri Venerabilis Epistolarum libri sex, cum octo de novo additis, à col. 622. *Epistola ad Petrum de Sancto Joanne contra eos qui dicunt* Christum numquam se in Evangelio apertè Deum dixisse, col. 966. *Tractatus adversus Judæorum inveteratam duritiem* col. 984. *Epistola ad S. Bernardum Abbatem Claravallensem*, de translatione sua, qua fecit transferri ex Arabico in Latinum, sectam sive hæresim Saracenorum anno 1143. cum summula brevi contra hæreses & sectam diabolicæ fraudis Saracenorum, sive Ismaelitarum, &c. col. 1109. *Epistola*, sive, *Tractatus adversus Petrobusianos hæreticos*, coll. 1118. *De Transfiguratione D. N. J. C. Sermo*, col. 1231. *De miraculis sui temporis libri duo*, col. 1247. sæpius etiam seorsim excusi. *Rhythmi, Prosæ, Versus, & Hymni*, col. 1338. *Statuta Congregationis Cluniacensis* cum diplomatis & chartis, &c. col. 1354.

Occasione diligentiæ non vulgaris quam noster hic Petrus adhibuit in conquirendis eruditis hominibus, qui Alcoranum ex Arabico verterent in Latinum sermonem, placet hìc exhibere Lectoribus, quæ adversus impiam Mahometis pseudo-Prophetæ insaniam edita sunt Basileæ anno 1543. in folio opera & studio Theodori Bibliandri ministri Zuingliani (*a*).

Parte prima continentur.

Philippi Melanchthonis Lutherani Hæretici damnatæ memoriæ ad Alcorani Lectorem Præmonitio. Apologia pro editione Alcorani Theodoro Bibliandro authore H. Z.

Epistola Domini Petri Abbatis Cluniacensis ad Bernardum Clarævallis Abbatem de Translatione Alcorani sive Saracenorum legis ex Arabico in Latinum.

Summula quædam brevis contra hæreses & sectam Diabolicæ fraudis Saracenorum, sive Ismaelitarum.

Præfatio Roberti Retenensis Angli postea Pampilonensis Ecclesiæ Archidiaconi, ad Domnum Petrum Abbatem Cluniacensem de Alcorani versione sive Collectione præceptorum, quam Mahomet pseudo-Propheta per Angelum Gabrielem quasi de cœlo sibi missam confinxit.

Codex authenticus doctrinæ Mahometicæ, sive Alcoran, ex Arabica lingua versus per eumdem Robertum Retenensem Angligenam, cui adjungitur Hermannus Dalmata quem acutissimi & litterati ingenii scholasticum vocat Petrus in sua ad Sanctum Bernardum Epistola.

Doctrina Mahometis summatim ab aliquo ejusdem spiritus pseudo-Propheta per dialogum comprehensa, quæ apud Saracenos magnæ auctoritatis est, ab eodem Hermanno Dalmata ex Arabico translata.

De generatione Mahometis & nutritura ejus, eodem Hermanno interprete apud Legionem Hispaniæ civitatem.

Chronica mendosa & ridiculosa Saracenorum de vita Mahometis & successorum ejus, eodem interprete: eam non esse integram monuit editor.

Annotationes eruditi cujusdam & recentioris Scriptoris Nicolao Cusano quem citat junioris, quæ in Alcorani manuscripti marginibus adjectæ fuerant, unà cum aliquot capitum argumentis & censuris: ac varia diversorum exemplarium lectione.

Parte altera comprehenduntur Confutationes Alcorani seu legis Mahometicæ.

Ludovici Vivis Valentini de Mahomete & Alcorano sive Saracenorum lege censura, è libris ejus de Veritate Fidei Catholicæ decerpta.

De Mahometo ejusque legibus & Saracenorum rebus ex Raphaele Volaterrano.

Mahometanorum sectam omni ratione carere, Commentatiuncula lectu dignissima Fr. Hieronymo Savonarola Ferrariensi O. P. auctore.

Disputatio Christiani eruditissimi, qui diu versatus est apud Principem Saracenorum cum magna dignatione, & Saraceni sodalis ipsius adversus doctrinam & flagitia Mahometis ex 24. libro speculi Historialis Vincentii Bellovacensis O. P. deprompta & in compendium contracta.

Cribrationum Alcorani libri tres, Reverendissimo atque doctissimo Domino Nicolao de Cusa Cardinali auctore ad Pium II. Pontificem maximum.

Richardi seu Ricoldi fratris Ordinis Prædicatorum viri doctissimi Confutatio legis à Mahometo Saracenis latæ translata è Latina lingua in Græcam per Demetrium Cydonium. Eadem verò è Græco rursus Latinitate donata, Bartholomæo Piceno de monte arduo interprete ad Ferdinandum Aragoniæ & utriusque Siciliæ Regem.

Christianæ fidei Exomologesis sive Confessio, Saracenis facta cum primis pia & spiritum planè Apostolicum redolens Græcè & Latinè incerto auctore: licèt quibusdam videatur idem qui præcedentis Confutationis auctor Richardus Florentinus.

Tertia Pars complectitur Historica, quæ ad Saracenorum seu Turcarum originem, mores, & res gestas pertinent.

De Historiæ hujus utilitate præfati Philippi Melanchthonis Lutheri discipuli, ad Joannem Ernestum Ducem Saxoniæ. De moribus, religione, conditionibus, & nequitia Turcarum, Septem castrensi quodam auctore incerto. Epistola Pii Papæ II. ad Morbisanum Turcarum Principem, qua ostensis Mahumetanæ sectæ erroribus ipsum admonet, ut relicta illa veram solidamque legis Evangelicæ eruditionem amplexetur. Morbisani Turcarum Principis ad Pium II. Papam responsio. Ordinatio politiæ Turcarum domi & foris, incerto auctore. Turcicarum rerum commentarius Pauli Jovii Episcopi Nucerini ad Carolum V. Imperatorem Augustum ex Italico Latinè redditus à Francisco Nigro Bassianate. Ordo ac disciplina Turcicæ militiæ eodem Paulo Jovio auctore. Joannis Ludovici Vivis de conditione vitæ Christianorum sub Turca libellus. Quibus itineribus Turci sint agrediendi Felicis Petancii Cancellarii: Segniæ ad Wladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem liber. Jacobi Sadoleti, Episcopi Carpentoractis de regno Hungariæ ab hostibus Turcis oppresso & capto Homilia: *At de his satis.*

(*a*) Operæ pretium esset Saracenica omnia opuscula, quæ in his tribus Tomis continentur, quæque cùm ex antiquioribus, tum ex recentis memoriæ Scriptoribus adjungi possent, iterum typographicis formis excudere, expunctis Hæreticorum aliorumque damnatæ memoriæ auctorum nominibus & quisquiliis. Hoc enim & ad Romanæ Ecclesiæ gloriam conduceret plurimùm, & eis qui in Turcarum Imperio, in regnis Persarum & Mogorum, totoque Oriente cum Mahumetanis congredi ac disputare nonnumquam solent, omnino necessarium. In Expurgatorio Indice jussu Pii IV. Romæ edito apud Paulum Manutium an. 1564. hæc leguntur pag. 25. Alchoranus Mahometis Basileæ impressus, & similes, cum scholiis & impiis annotationibus & præfationibus, item in vulgari lingua, non nisi ex concessione Inquisitorum haberi possit.

De Hugone de S. Victore. 1130.

HUGO de sancto Victore, natione Saxo, professione Monachus, dignitate Abbas sancti Victoris, æqualis fuit sancti Bernardi, ut ex epistola S. Bernardi ad hunc ipsum Hugonem constat. Scripsit multa, quæ tribus tomis comprehenduntur in editione Veneta, anni 1588.

Primi tomi hæc sunt.

De scripturis, & scriptoribus sacris, prænotationes, Annotationes elucidatoriæ in Pentateuchum, Judices, libros Regum, Psalmos aliquot. In Ecclesiasten homiliæ 19. Annotationes elucidatoriæ in Threnos, In Joelem, & Abdiam. Annotationes elucidatoriæ allegoriarum in totum testamentum vetus, exceptis Prophetis, & libris sapientialibus. Annotationes elucidatoriæ allegoriarum in quatuor Evangelia. Annotationes litterales, & quæstiones in epistolas sancti Pauli. Annotationes elucidatoriæ in Dionysium Areopagitam.

Secundi tomi hæc sunt.

Institutiones in decalogum. Expositio in Regulam sancti Augustini. De Institutione novitiorum. De Claustro animæ. De anima libri quatuor. De medicina animæ. De arrha animæ. De laude charitatis. De modo orandi. De fructu carnis, & spiritus. De nuptiis carnalibus, & spiritualibus lib. 2. De vanitate mundi libri quatuor. De meditatione libellus. De Arcæ mysticæ descriptione. De Arca Noe, libri quatuor. Sermones centum de variis argumentis. Sermo de Assumptione B. Mariæ.

Tertii tomi hæc sunt.

Didascali libri septem, quorum ultimus de Trinitate disserit: reliqui sex ad artes liberales pertinent. De potestate, & voluntate Dei, libellus De quadruplici voluntate in Christo, libellus. De sapientia animæ Christi, libellus. De unione corporis, & spiritus, libellus. De Verbi Dei efficacia, libellus. Apologia de Verbo Incarnato. De Verbo Incarnato disputationes tres. De perpetua Virginitate Beatæ Mariæ. Miscellaneorum secundi codicis libri quinque. De filia Jephte tractatus. Speculum de mysteriis Ecclesiæ. De caremoniis, Sacramentis & officiis Ecclesiasticis libri 3. De canone mystici libaminis libellus. Dialogus de Sacramentis legis naturalis & scriptæ. Summa sententiarum septem tractatibus comprehensa quorum est, Primus de Fide, Spe, & Charitate, de Trinitate, & Incarnatione. Secundus de creatione & de statu angelicæ naturæ. Tertius de creatione, & statu humanæ naturæ. Quartus de Sacramentis in genere, & præceptis divinis. Quintus de Sacramento Baptismi. Sextus de Sacramento Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ & Extremæ unctionis. Septimus de Sacramento conjugii. De Sacramentis Christianæ fidei libri duo.

Observatio.

Non pauca sunt in operibus Hugonis, quæ non videntur germana ejus opera; sed quoniam auctor editionis Venetæ suis locis hæc annotavit, & mihi non licuit per angustias temporis omnia excutere, remitto lectores ad notas, quæ in ipsis operibus extant. Hoc solum addam extare apud Card. Baronium insignem epistolam Hugonis ad Joannem Archiepiscopum Hispalensem apostatam à fide, tom. 12. ad annum Domini 1136.

Dissertatio Historica.

HUGO, natione Saxo, Ordinis S. Augustini Canonicus in Cœnobio S. Victoris ad muros Parisienses, ab antiquis quibusdam Chronographis dictus Didascalus, ob septem libros ab eo Didascali seu Didascalici titulo insignitos, ab aliis lingua Augustini

gustini, vel alter Augustinus, quòd summus illius æmulator esset, cognominari solitus, obiisse dicitur anno 1140. vel quod idem est, die 11. Februarii anno 1139. more Gallico, ætatis suæ dumtaxat 44. cùm Chronicon suum usque ad annum 1138. perduxisset. De eo S. Bernardus epist. 77. Petrus Cellensis ep. 19. libri 7. Jacobus de Vitriaco lib. 2. cap. 24. Henricus Gandavensis cap. 25. quique ei appendicem attexuit cap. 7. ubi subjungit opera ejus à quamplurimis pro sui utilitate transcriptione digna esse, SS. Thomas & Bonaventura, aliique passim Theologi Scholastici, Vincentius Bellovacensis, Gobelinus Cosmodromii ætate sexta, cap. 58. Matthæus Paris, Auctor Magni Chronici Belgici, Trithemius, aliique. In Bibliotheca Maxima Parisiensi SS. Patrum occurrunt Tomo 10. col. 1333. *Speculum de mysteriis Ecclesiæ, capp. 95. col. 1367. Tres libri de Cæremoniis, Sacramentis, Officiis, & observationibus Missarum juxta temporum & causarum varietatem, col. 1424. Libellus de Canone mystici libaminis, ejusdemque ordinibus.*

Omnia ejus opera primùm Parisiis an. 1526. tum Venetiis an. 1588. prodierunt tribus Tomis, opera Domini Thomæ Garzonii de Bagnacaballo, Canonici Regularis Lateranensis, qui duo mihi inter cætera peccasse videtur in vita Hugonis initio præfixa, tum quòd eum in juvenili ætate constitutum, Ordinem Canonicorum Regularium Lateranensium ingressum fuisse temerè, ac nulla prorsus auctoritate, aut ratione nixus asserat, & in singulorum Tractatuum fronte repetat, nulla facta Victorinæ, quam solam Hugo coluit, Congregationis mentione, tum quòd postea falsò quoque subjungat eumdem Hugonem Cœnobii Sancti Victoris Lutetiæ Parisiorum Abbatem fuisse delectum una omnium voce & consensu. Idem quoque peccarunt Miræus, Vossius, Patrologus Jenensis, quique in Andrio sancti Victoris propè Parisios religiosissimum Moderatorem vocarunt. Trithemius dubitanter præmiserat; & Abbas, ut ferunt, ibidem. Verùm hoc quoque erravit, & post eum Sixtus Senensis & alii cùm floruisse narrant anno 1130. sub Henrico quinto, qui à sex annis jam obierat.

Colonienses anno 1617. eadem opera excuderunt, & anno 1640. Rothomagi sumptibus Joannis Berthelin recusa ex mss. ejusdem operibus, quæ in Bibliotheca Victorina servantur, accuratè castigata, & emendata, cum vita ipsius antehac nusquam edita, studio & industria Canonicorum Regularium Regalis Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis. Verùm cùm & idem ordo servatur, nihilque de novo sit additum, ne actum à Bellarmino iterum agam, catalogum non adscribam, paucis contentus observatiunculis.

I. Esse Auctorem librorum quatuor *de Claustro animæ*, non esse Hugonem hunc Victorinum, sed Hugonem de Folieto, cujus nomine & seorsim editus habetur, & sæpè allegatur à Joanne Nidero in opere de reformatione Religiosorum, ut notavit Theophilus in Erotematis. Certè id apertissimè docuerat Trithemius, cujus hæc verba adscribo: Hugo Monachus Corbejensis, Ordinis Sancti Benedicti, dictus de Folieto, scripsit insigne volumen omnibus Religiosis & Deum timentibus, non tam utile quam jucundum, in quatuor distinctum libellis de Claustro materiali, de Claustro spiritali, de Claustro animæ, de Claustro Paradisi. Claruit temporibus Henrici quarti seu quinti, anno Domini 1120.

II. Primum librum *de Anima*, esse eumdem cum *Meditationibus 15. piissimis ad humanæ conditionis cognitionem*, & librum tertium cum *libro de interiori domo*, quæ inter opuscula Beato Bernardo Clarævallensi adscripta reperiuntur. Secundum verò inter opera Sancti Augustini delitescere, ut suo loco monuimus. At de his consule Horstium, & præfixam ab editore admonitionem.

III. Opusculum *de Medicina animæ*, alium à Victorino stylum referre, necnon *de fructibus carnis & spiritus*, & quædam alia, de quibus dubitatur. Revocatur quoque in dubium *libellus de Canone mystici libaminis, ejusque ordinibus*, & quidam putant *Miscellanea* non ab Hugone, sed ab aliquo discipulo ex ejus operibus fuisse collecta.

IV. Omissos fuisse Tomo II. à Bellarmino Exceptionum priorum libros decem, & Bestiarium, sive de proprietatibus animalium, & aliarum rerum libros quatuor. Et Tomo III. prætermissum fuisse Miscellaneorum Priorum librum unicum.

V. Hugonem ex domo & familia Comitum Blankemburgensium ad silvam Harcyniam fuisse oriundum, si quæ fides Henrico Meibomio Professori Historiarum in Academia Julia, in Appendice ad Gobelianum Cosmodromium: Juvenem vixisse in Monasterio. Hamerslebiensi propè Helmstadium diœcesis Halberstatensis in Saxonia, idque testari librum de Arca animæ, quem ejus loci Monachus scripsit: Missum Parisios studiorum gratia, in Cœnobium Sancti Victoris se recepisse, ibique obiisse addito Epitaphio, quod Paulus Langius (qui Priorem minus rectè appellat, cùm hoc officium Richardo ejusdem loci Monacho tribui debuerit) refert in Chronico Citizensi:

> *Conditur hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo;*
> *Quàm brevis eximium continet urna virum!*
> *Dogmate præcipuus, nullique secundus in orbe,*
> *Claruit ingenio, Moribus, Ore, Stylo.*

SUPPLEMENTUM.

HUGO VICTORINUS, seu Sancti Victoris Parisiensis, Canonicus Regularis Divi Augustini, cujus Opera sæpiùs impressa in Galliis, de quo Bellarminus & Labbeus, in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. His addas *Opusculo Hugonis de studio legendi* caput ultimum, *De Ingenio* tomo 1. Analect. Joan. Mabillon pag. 324. Plura etiam suprà *in Hugone Corbejensi*, & infrà *in Roberto Paululo* ad annum 1170. Nonnulla tamen à me advertenda sunt de Scriptis & Impressionibus Operum tam Hugonis Victorini, quàm Richardi ejus Ecclesiæ Canonici ac Scriptoris. *Primùm*. Opera utriusque ultima editione sunt impressa in folio Rothomagi annis 1648. & 1650. apud Joannem Berthelin in Area Palatii, quæ ut promptiùs venderent Bibliopolæ, audaci manu apposuerunt, ea omnia esse recensita & collata ad manuscriptos Codices, quod magnum huic editioni meritum commendasset, si tamen verum fuisset. At nullus invenitur qui edita cum manuscriptis contulerit, nec vel modica variatio allata ex manuscriptis Codicibus, imò quantùm mihi liquet ex manuscriptis à me inspectis, nec vel apicem Codicum manuscriptorum cum editis contulerunt. Hoc uno vel maximè peccatum est ab Impressoribus, vel à curatoribus impressionis hujus Rothomagensis, quòd varias Censuras in antiquis anni 1526. eorumdem Operum editionibus Parisiensibus cum magno tunc temporis judicio factas, suppresserint, quibus varia Opera vel abjudicabantur Hugoni Victorino, vel ei cum scrupulo ac formidine attribuebantur, ob fidem manuscriptorum Codicum, quos antiquæ istius editionis Curatores diligenti examine discusserant. At Moderni Rothomagenses Censuris suppressis, omnia quæque cœco modo præfractè Hugoni, absque ullo delectu concesserunt. *Secundum*. Inter Opera Hugonis Victorini hoc modo impressa, extant, *Libri quatuor de Claustro animæ, Liber de Medicina animæ, Libri duo*

A *priores de Avibus ad Raynerum*, *Libelli duo de Nuptiis carnalibus & spiritualibus*, qui ex fide manuscriptorum Codicum spectant ad Hugonem de Folieto Monachum Benedictinum Corbejensem, ejusdem temporis Scriptorem. De quibus diximus supra ad annum 1130. *in Hugone Folietano*. Item *Libri tres de Officiis Ecclesiasticis*, & Opusculum *De Canone mystici Libaminis*, spectant ad Robertum Paululum Presbyterum, & Domesticum Episcopi Ambianensis, de quo dicemus ad annum 1170. Ac sanè recenter Opera ista conjecta sunt in massam Operum Hugonis Victorini in editione Coloniensi anni *1609*. & Rothomagensi ab nuperis editoribus, opinantibus eo celebriorem esse Scriptorem, quò plura ei indiscriminatim attribuuntur, B absque duce & consule. Opusculum etiam *De Spiritu & Anima*, quod habetur inter opera spuria Divi Augustini impressa tom. 7. & quod nonnulli opinabantur spectare ex conjecturis ad Hugonem Victorinum; Illustratores novissimi Operum Divi Augustini, doctissimi Patres Benedictini Galli, abstulerunt ab Hugone, ut alicui Cisterciensi vero illius parenti restituerent. *Tertium*. Extat inter Opera Hugonis Victorini *Liber de Anima Christi*, quem in diversis Bibliothecis vidi manuscriptum sub nomine *Hugonis Parisiensis*, inscriptum *De Sapientia Christi & Sapientia Christo*. Est indubius Hugonis Victorini fœtus, quem dicavit Gualtero de Mauritania, Laudunensi postea Episcopo post Bartholomæum atque Gualterum Sancti Martini Abbatem, viro Litteris clarissimo. Hic C autem Liber in ms. Lætiensis Abbatiæ Ordinis D. Benedicti Comitatus Hannoniensis, habet prologum ad dictum Gualterum, qui hucusque in editis deest, quem proxima editio Operum hujusmodi facilè obtinere posset. *Quartum*. *Excerptionum Libri* 24. habentur apud Hugonem Victorinum de quorum vero Auctore controvertitur, fueritne Hugo Victorinus, an Richardus, an neuter, sed aliquis Anonymus, qua de re posteà ad finem hujus Observationis dicemus. *Hi Libri* 24. *Excerptionum* sparsim ac tumultuariè impressi sunt inter Opera *Hugonis ac Richardi Victorinorum*. Nam quatuor *primi Libri* tantùm sub nomine Richardi Victorini inter ejus Opera editionis Rothomagensis anni 1650. apud Joannem Berthelin D pag. 313. absque prologo. At hujus Collectanei *decem primi Libri* tantùm cum prologo, & cum Scholiis brevibus Domini Thomæ Garzonii à Bagnacaballo, ejusdem Ord. Augustinianorum Theologi, sub nomine Hugonis Victorini inter ejus Opera editionis Rothomagensis anni 1648. apud eumdem Berthelin tom. 2. pag. 333. & seqq. quæ malè inscribuntur *Institutiones Monasticæ Excerptionum priorum*, cùm de rebus Monasticis non loquantur. Altera pars istarum Excerptionum *juxta prologum* continere debet *Libros quatuordecim*, quorum *novem primi* habentur sub nomine Hugonis Victorini tom. 1. Operum prædictæ impressionis pagina 221. & seqq. E *Decimus* autem *Liber* secundæ partis harum Excerptionum, ac *vigesimus* totius Operis, juxta prologum tom. 2. dictorum Operum pag. 333. per Sermones seu Homilias quasdam distinctus est ab Excerptore, estque *in Ecclesiasten* collectaneum Homiliarum novemdecim, quas habes sub nomine Hugonis Victorini inscriptas *Annotationes elucidatorias in Ecclesiasten Salomonis*, tom. 1. Operum ejusdem Hugonis editionis citatæ pag. 75. & seqq. *Libri* autem 21. 22. 23. 24. qui restant, habentur eodem tomo sub ejusdem Hugonis nomine, pag. 283. & seqq. inscripti, *Annotationes elucidatoriæ in quatuor Evangeliorum libros*, continentque tantùm *quatuor libros* secundùm numerum Evangeliorum, & non *novem*, ut malè habet titulus dicta pagina 283. Nec ultra libros 24. extenditur *Collectaneum Excerptionum Victorinarum*, sive Hugonis sit, sive Richardi aut Anonymi, juxta prologum quem allegavimus: unde Commentarius *in omnes Epistolas sancti Pauli*, quem habent Opera Hugonis Victorini editionis Rothomagensis anni 1648. tomo 1. pag. 361. est additus postmodum huic Collectaneo, ab aliquo alio, qui Opus truncatum atque mutilum opinatus est, nisi additamentum ejusmodi subjungeretur, ut omne novum Testamentum quodammodo hoc Collectaneum complecteretur. Hoc patet ex simplici lectione totius Operis; quamvis enim liber hujus Collectanei 24. qui *in Evangelium Joannis est*, sit per modum quæstionum ac solutionum diversarum à consarcinatore confectus; est tamen styli omnino alterius *ab Annotationibus elucidatoriis in Epistolas sancti Pauli* tom. 1. pag. 361. qui sapit scholasticam venam primorum ejusmodi hominum, qui scribebant anno circiter 1210. vel 1220. unde perpetua affectatio vocis istius ad singulas quæstiones, *Solutio*, qualem affectabant primi summarum scholasticarum Farraginatores; ac qua abstinet latinus magis & minùs scholasticus, Collector *libri* 24. *Excerptionum in Joannem*, licèt per quæstiones & responsiones agat. Hæc quantum ad ordinem atque impressionem *librorum* 24. *Excerptionum* inter opera Hugonis Victorini, quod annotasse otiosum non fuerit, ad futuram & planam Operum ejusmodi impressionem. Hujus Collectanei mss. Codices in nonnullis Galliæ Bibliothecis inveniuntur 2. vol. in fol. Anonymi ut plurimum, quorum *volumen primum* primam Collectionis partem, *aliud* alteram complectitur. Vidisse memini in manuscripto Codice Bibliothecæ Fulcardi-Montis Ordinis Cisterciensis, Archiepiscopatus Rothomagensis, primam partem hujus Operis sub nomine *Richardi Victorini*, qui Codex in folio jam transiit in Bibliothecam Colbertinam, estque scriptus non multò post tempora Auctoris, cujus nomen præfert.

Jam quæritur quis sit legitimus Auctor istius magni Collectanei, quod per partes ac sparsim est impressum in Operibus Hugonis Victorini vel Richardi, ut suprà meminimus: an Hugo Victorinus, Richardus, an Anonymus. Vellem optaremque tam grande Opus posse attribui Victorino alicui Canonico; at judicium ex affectu desumendum non est, sed ex veritate rei, quantùm eam assequi possumus. Nullus alienis ditandus, ac si vel proprius parens alienis esset indutus, legitimè nudaretur, ut alienum redderetur. Grande hinc patientur Opera Hugonis vel Richardi Victorini dispendium, sed quid ad rei veritatem? Quid ad justitiam? Vincentius Bellovacensis lib. 28. Speculi Historialis cap. 58. D. Antoninus in 3. volumine partis Historialis tit. 18. cap. 3. Guillelmus de Sancto Lando Abbas XXII. S. Victoris Parisiensis in Elogiis quatuor Patrum Victorinorum, scilicet Thomæ Prioris, Hugonis, Richardi, & Adami ejusdem Ecclesiæ Scriptorum; Platina in Vitis Pontificum; Trithemius in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*; Joannes Pitseus Anglus libro *De illustribus Angliæ Scriptoribus*; Gilbertus, Genebrardus, & Jacobus Gualterus Societatis Jesu *in Chronologiis*, attribuunt Richardo Victorino, & alii passim, quos refert nupera editio Operum Richardi, facta Rothomagi in fol. anno 1650. apud Joannem Berthelin, ubi de hac controversia in frontispicio Operis, cumulatè & ex professo. Quibus addo vidisse me manuscriptum Codicem in folio optimæ notæ, quasi contemporaneum Richardo, in Bibliotheca Fulcardi-Montis, nunc Colbertinum, ubi dicti Operis prima pars sub nomine Richardi Victorini. Atque his non obstantibus, vel variis etiam editionibus Richardi

chardi Victorini, ubi sub nomine ejus comparent, & in editione Parisiensi anno 1528. Lugdunensi anno 1534. Coloniensi in Germania anno 1621. & Rothomagensi anno 1650. Nec obstantibus etiam editionibus Operum Hugonis Victorini, ubi sub ejus nomine inveniuntur, ut in Parisiensi anni 1526. cum formidine tamen ac Censura: in Venetiana itidem anni 1588. quam procuravit Garzonius Lateranensis Canonicus Regularis: in Coloniensi anno 1629. & in Rothomagensi anni 1648. tom. 2. pagina 332. ubi prima pars seu *Libri decem primæ partis* hujus Collectanei impressa legitur, cum Scholiis dicti Domini Thomæ Garzonii à Bagnacaballo ejusdem Ordinis Theologi. Unicum mihi suppetit argumentum, sed in hoc genere demonstrativum. Quisquis fuit Auctor hujus Collectanei, scripsit illud postquam Philippus cognomento Augustus assecutus est Monarchiam Francicam, quod contigit post mortem Ludovici Junioris anno 1180. Hoc patet ex ipso Collectanei Auctore, qui sic claudit caput 10. libri decimi, dum loquitur de Regibus Franciæ: *Post hunc fuerunt isti, Henricus, Philippus, Ludovicus Grossus, Ludovicus Junior, & Philippus*. At nec Hugo Victorinus, qui obiit anno 1140. nec Richardus Victorinus, quem asserunt Victorini Canonici mortuum anno 1173. die 10. Martii, attigerunt Regnum Philippi Augusti Francorum Regis: unde certò constat neutrum esse Auctorem hujus Collectionis, quæ conflata videtur tempore hujus Regis, vel circa annum 1200. Nec valet contra hoc argumentum auctoritas Vincentii Bellovacensis aut aliorum, qui ex professo hoc punctum numquam attigit, sæpeque deceptus noscitur circa designandos Scriptorum Auctores. Aliam iniit viam Cardinalis Bellarminus in libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ut hoc Collectaneum Hugoni Victorino auferret, magnam nempe disparitatem styli: sequutus hac in parte Thomam Garzonium, qui in editione Veneta anni 1588. & Rothomagensi anni 1648. in Annotationibus suis ad primam partem hujus Collectanei, sic eam concludit: *Finis libri decimi & ultimi prioris partis Excerptionum M. Hugonis de Sancto Victore, Canonici Regularis Sancti Victoris Parisiensis, ut plerique credunt: mihi tamen ob phrasim & loquendi de gente sua formam, aliter circa assertionem visum est. Secunda autem pars in primo tomo Operum Magistri Hugonis impressa est*. Sed hæc ratio tam Bellarmini quàm Thomæ Garzonii infirma semper visa est: Quis enim stylus vel styli differentia cognosci potest in Excerptione fideli de aliis Auctoribus, qui verbotenus, uti hic Excerptor, desumit ex aliis, ac consequenter proprium in Collectaneis non habet stylum. Igitur ex styli differentia, non potest argui Auctorem hujus Collectionis non esse vel Hugonem Victorinum, vel Richardum. Denique ob rationem supra allatam, quisquis ille est hujus Collectanei Auctor, sive Hugo Victorinus, sive Richardus, congessit illud sub extremum Vitæ, *agens de Philippo Rege Francorum*. At quis credat hos duos viros, ambos doctissimos, ambos multis Scriptis è suo penu doctissimè depromptis insignes ac famosos, sub senium ac fatiscentes artus, incubuisse transcribendis alienis Auctoribus, conficiendis farraginibus rerum omnium, quale censetur hoc Collectaneum? Hæc sanè cogitatio derogans utriusque honori est, ac meritis notissimis: quòd omne dictum sit, absque præjudicio meliorum, quæ fervidus amplectar.

De Richardo de sancto Victore. 1130.

RICHARDUS de sancto Victore, natione Scotus, Monachus Ordinis Canonicorum regularium Hugonis tempore claruit, & in eodem monasterio sancti Victoris sanctissimè vixit. Fuit quoque sancti Bernardi amicissimus ut ex libris ad eum scriptis perspicuum est. Ejus opera duobus tomis continentur.

Primi tomi opera.

De exterminatione mali, & promotione boni tract. 1. *De statu interioris hominis*, 3. *De eruditione interioris hominis libri* 3. *Beniamin minor, idest, de præparatione ad contemplationem. Beniamin major, idest, de gratia contemplationis libri* 5. *Allegoriæ tabernaculi fœderis*, 1. *De Trinitate*, 6. *De tribus appropriatis personis in Trinitate, ad S. Bernardum*, 1. *De Incarnatione Verbi ad eumdem*, 1. *De Emmanuele lib.*2 *Exce ptionum*, 4. *De potestate ligandi, & solvendi tract.* 1. *De contemplatione plagarum in fine mundi*, 1. *De judiciaria potestate in finali judicio*, 1. *De spiritu blasphemiæ*, 1. *De gradibus charitatis*, 1. *De quatuor gradibus violentiæ charitatis*, 1. *De gemino Paschate*, 1. *In die Paschatis sermo* 1. *Declaratio difficultatum Scripturæ Sanctæ, ad sanctum Bernardum*, 1. *Quomodo Spiritus sanctus sit amor Patris & Filii*, 1. *De differentia peccati mortalis & venialis*, 1. *De superexcellenti Baptismo Christi*, 1. *De missione Spiritus sancti sermo* 1. *De comparatione Christi ad florem, & B. M. ad Virgam*, 1. *Quomodo Christus ponitur in signum populorum*, 1. *De differentia sacrificii David, & Abrahæ*, 1. *De differentia beneficii Abrahæ, & Beatæ Mariæ*, 1.

Opera tomi secundi.

Explanatio difficultatum ex tabernaculo fœderis. De templo Salomonis ad litteram. De concordia temporum in libros Regum, Explanatio variorum locorum in Psalmis. Explanatio libri Cantici Canticorum. De visione Ezechielis. De templo Ezechielis. Decisio dubiorum in Apostolo. In Apocalypsim Joannis lib. 7.

Observatio.

Hæc omnia opera uno excepto, quod inscribitur, Excerptionum libri quatuor videntur mihi docta, & pia, & dignissima ingenio acutissimo Richardi, neque scio de eis ab ullo esse dubitatum, an sint legitima Richardi opera. De libris excerptionum nonnihil ambigo, an sint ejusdem auctoris, non quòd non sint libri illi eruditione varia pleni, sed quòd quædam contineant, quæ non videntur à Richardo scribi potuisse. Libro 1. cap. 24. sic loquitur, Inventores Theologiæ fuerunt apud Græcos Linus, apud Latinos Varro, & nostris temporibus Joannes Scotus. At cur Scotus, inventor Theologiæ? cur non magis Moyses, aut Athanasius, aut Augustinus, aut Joannes Damascenus? Deinde non sunt noti Joannis Scoti nisi duo, unus trecentis annis ante Richardum, alter centum, & amplius annis post Richardum: quis igitur ille est de quo hìc dicitur, Et nostris temporibus Joannes Scotus? Eodem capite dicit hic auctor, inventorem Rhetoricæ fuisse Demosthenem. Id quod est manifestè falsum: Demosthenes enim insignis orator fuit, sed ante illum fuerunt alii, ut Isocrates, Pericles, & alii; & cum ipso claruit Æschines: & eodem tempore floruit Aristoteles, qui de Rhetorica egregiè scripsit. In tertio libro cap. 7. Scribit de Insulis, & Scotiam suam tantùm nominat. Et

cap. 8.

cap. 8. describit civitates celebres totius mundi & Lutetiam Parisiorum, ubi ipse degebat, ne nominat quidem, ut neque Londinum, neque Cantuariam, neque Edimburgum, neque alias Britanniæ, vel Scotiæ Civitates. In quarto libro numerat Pontifices Hebræorum, & omittit Aaron, Eleazarum, Phinees, & nonnullos alios inter præcipuos.

DISSERTATIO HISTORICA.

RICHARDUS, natione Scotus, Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini in cœnobio S. Victoris propè Lutetiam Parisiorum, vixit post annum 1140. quo è vita discessit ejus magister Hugo Didascalus. De eo Henricus Gandavensis cap. 26. ubi dicitur Clericus S. Victoris, Joannes Trithemius qui Monachum vocat, Sixtus Senensis qui Priorem cœnobii Victorini, nec malè: fuisse enim sub Gruesio Abbate anno 1164. Priorem docet R. P. Joannes à Tolosa ejusdem Cœnobii Canonicus in vita postremæ operum editioni præmissa, & obiisse sexto Idus Martii anni 1173. Idem quoque plures alios refert qui Richardi meminerunt. Præcipua operum ejus videtur editio Veneta apud Joannem Baptistam Ciottum anno 1592. quam κατὰ πόδας sequutæ sunt Coloniensis anni 1621. & Rothomagensis anni 1650. apud Joannem Berthelinum: cum quibus conferre placuit quæ habet Bellarminus noster. Senensis citatus virum vocat honestate conversationis & eruditionis doctrina conspicuum, ingenio subtilem & eloquio medium inter Augustini argutiam & Bernardi dulcedinem incedentem, qui multa scripserit in Divinas Scripturas mystici sensus opuscula, in quibus intellectum erudit, affectum ascendit, & Lectoris studium ad majora promovet ac producit.

Tomo I. continentur.

De exterminatione mali & promotione boni Tractatus unus. De statu interioris hominis tres Tractatus. Henricus de Gandavo eximium illud opusculum nuncupatum ab Auctore scribit, de statu hominis post lapsum. *De eruditione hominis interioris*, occasione accepta ex mystico somnio Nabuchodonosor apud Danielem, libri tres. Exaravit, inquit Sixtus, in totum Danielem explanationis mysticæ librum, unum à Trithemio citatum: quem cùm diu quæsitum non invenissem, tandem magnam ejus partem reperi in compendio Allegoriarum Godefridi Tilmanni super librum Danielis. *De Præparatione animi ad contemplationem* liber dictus Beniamin minor. Henricus Gandavensis vocat librum de XII. Patriarchis *De gratia Contemplationis libri quinque*, occasione accepta ab Arca, Mosis, vocaturque opus illud Beniamin Major. *Allegoriæ nonnullæ Tabernaculi fœderis. De Trinitate libri sex*, quos, ut ait Henricus Gandavensis, scripsit non Scripturarum auctoritate, sed ratione procedens: in quo opere mirari potest commune humanum ingenium quòd eo usque pervenire potuit unius hominis ingenium. *De tribus appropriatis personis in Trinitate*, ad D. Bernardum Abbatem Claravallensem. *Liber de Incarnatione Verbi*, ad eumdem, in quo ostendit necessarium fuisse Deum incarnari, nullamque personam congruentiùs quàm Filii. *De Emmanuele libri duo*, contra Judæos & contra Judaizantes nostros de hac prophetia Esaiæ: Ecce Virgo concipiet.

Tractatus Excerptionum distinctus in 4. libros. Continet originem & discretionem Artium, situmque terrarum, & summam Historiarum. Suppositium esse librum illum multis prolatis in medium argumentis Bellarminus insinuat. Verùm cùm Vincentius Bellovacensis cap. 58. libri 28. speculi Historialis, Trithemius, & alii inter libros Richardi Victorini Excerptiones recenseant, nec difficile possint, quæ objiciuntur aut solvi, aut in Amanuenses imperitos rejici; non est quod opus illud ei abjudicemus; nisi fortè cuipiam probabilius videatur accidere potuisse, ut quatuor illi Excerptionum libri omnino similes ac iidem planè cum quatuor prioribus excerptionum libris qui Hugonis inter opera reperiuntur in locum eorum quos scripserat Richardus, incuria librariorum substituerentur. Qua de re ampliandum pronuntio.

De potestate ligandi atque solvendi Tractatus. De meditandis plagis quæ circa finem mundi evenient. De Judiciaria potestate in finali & universali judicio. De spiritu blasphemiæ Tractatus. De Gradibus Charitatis. De quatuor Gradibus violentæ charitatis. De gemino Paschate Tractatus. Sermo in die Paschæ. Declarationes nonnullarum difficultatum Sacræ Scripturæ, ad B. Bernardum Claravallensem Abbatem. Quomodo Spiritus Sanctus est amor Patris & Filii. Tractatus de differentia peccati mortalis & venialis. De superexcellenti baptismo Christi. Sermo de Missione Spiritus Sancti. De comparatione Christi ad florem, & Mariæ ad virgam. Quomodo Christus ponitur in signum populorum. De differentia Sacrificii David & Abrahæ. De differentia Sacrificii Abrahæ à Sacrificio B. Mariæ Virginis.

Tomo II. seu Parte II. continentur.

Expositio difficultatum suborientium in descriptione Tabernaculi fœderis. De Templo Salomonis ad litteram. De concordia temporum Regum conregnantium super Judam & Israel, ad B. Bernardum Abbatem Claræ-vallis. *Explanatio Psalmorum aliquot*, seu potiùs *Mysticæ annotationes variorum locorum in Psalmis Davidis. Explanatio in Cantica Canticorum. De visione Ezechielis.*

De Templo Ezechielis. Ad hæc, inquit Sixtus Senensis, elucidavit descriptionem Templi Ezechielis litterali explanatione adhibita, in qua decentissimis picturis ac Geometricis demonstrationibus singulas Templi partes diligentissimè expressit. *Decisio aliquot dubiorum Apostoli. In Apocalypsim Sancti Joannis libri septem.*

Joannes Baccondorpius, sive de Baccone, Ord. Carm. in 4. Sententiarum dist. 2. quæst. 4. art. 1. citat nonnulla verba in honorem B. Virginis descripta ex sermone quodam msf. ejusdem Richardi, quem ipse legerat. Non decuit ut caro illa B. Mariæ peccato aliquando obnoxiam se cognoverit, sed electa est ab initio: nam Dei Sapientia indignum esse credimus, ut quod ad lumen Gentium prædestinavit, tenebris pravitatis sineret involvi, &c. Cæterùm Matthæus Palmerius ad annum 1159. hunc nostrum Richardum vocat, Præstabilis doctrinæ hominem, & sine ulla dubitatione acutissimum disputatorem: quod verissimum esse nemo qui legerit, inficiabitur.

De VVilhelmo Malmesburiensi. 1130.

WILHELMUS, seu Guillelmus Monachus Anglus dictus Bibliothecarius, & Malmesburiensis, vixit eodem tempore, quo prædicti quatuor scriptores. Scripsit *libros quinque de rebus gestis Regum Anglorum, usque ad Henricum primum.* Item *historiæ novellæ libros duos.* Denique *de rebus gestis Pontificum Anglorum libros quatuor.*

DISSERTATIO HISTORICA.

GUILLELMUS, sive, ut sæpiùs more antiquo scribi solet, Willelmus Somerset, Malmesburiensis in Anglia Cœnobii Monachus, & Bibliothe-

A thecarius, novellam suam, ut vocat, Historiam anno 1142. terminavit: an ultrà vivendo progressus sit, prorsus ignoro. Sunt qui hoc ipso anno 1142. mortuum memorent. De eo plura Balæus, Pitseus, Vossius, &c. Extant inter Scriptores Rerum Anglicarum ab Henrico Savillio editos annis 1596. Londini, & 1601. Francofurti.

Libri V. de rebus gestis Regum Anglorum, ad Robertum Comitem Glocestriæ Henrici I. Regis Angliæ filium naturalem. *Libri duo Historiæ novellæ*, eidem Roberto Comiti dicati.

Libri quatuor de rebus gestis Pontificum Anglorum, nulli sunt dicati: mss. sunt dumtaxat antiquitates Glasconiæ, quas scripsisse dicitur ad Henricum Soliacensem, Episcopum Wintoniensem, Stephani Regis Anglorum fratrem, non verò, ut Vossius habet,
B nepotem. Ejusdem enim Stephani Blesensis Comitis & Alæ Normannicæ fuerunt filii Guillelmus Soliacensis dominus, Theobaldus, Blesensis Comes, Stephanus ex Boloniensis Comite Rex Anglorum, & noster hic Henricus, de quo ex oblata occasione egimus.

S U P P L E M E N T U M.

GUILLELMUS Malmesburiensis, de quo Bellarminus & Labbeus in libro suo De Scriptoribus Ecclesiasticis. Quibus addo scripsisse illum anno 1125. *Vitam Sancti Aldhelmi Episcopi Schireburgensis primi*, quam edidit Joannes Mabillon sæculo 4.
C Sanctorum Ordinis D. Benedicti tom. I. pag. 726. & sequentibus. Ejusdem *Opus de Antiquitate Glasconiæ* habetur ms. in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti Cantabrigiæ Cod. 373. Item *Abbreviatio Guillelmi Malmesburiensis ex Gestis Haymonis de Imperatoribus* ms. in Bibliotheca Collegii Balliolensis Oxoniæ Cod. 108.

De Hugone Corbejensi Mon. 1120.

S U P P L E M E N T U M.

HUGO Corbejensis Monachus *de Folieto* dictus, claruit circa annum 1130. & multa optima scripsit, quæ perperam Hugoni Victorino attribuuntur, atque inter ejus opera recensentur, magno
D legitimi Auctoris damno. Hujusmodi sunt ex pluribus mss. Codicibus à me visis & discussis in Variis Bibliothecis maximè Cistercienfis Ordinis, *Lib. 4. aurei de Claustro Animæ*, *lib. De Medicina Animæ*, *lib. 2. priores de Avibus ad Raynerum*, quos sæpè cum ipsis avium picturis mss. Codices repræsentant: nam alii duo posteriores de feris, postmodum ab alio adjecti sunt *Libri 2. De Nuptiis Carnalibus & Spiritualibus* sunt ejusdem Hugonis Folietani ex Variis mss. Codicibus, qui unum tantùm librum faciunt, inscriptum, *Ad Socium volentem nubere, de*
E *Nuptiis fugiendis*. Eidem attribuitur opus inscriptum, *Speculum peccatoris*, Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 218. quod impressum extat tom. 9. Operum Divi Augustini, inter spuria. Editores ultimi Operum Hugonis Victorini omiserunt censuram istorum Operum, quam prudenter adhibuerant qui eadem ediderunt in fol. Parisiis olim anno 1526. & ad quam debent recurrere, qui voluerint rescire dubia vel indubia Opera Hugonis Victorini. Hos autem libros morales competere potissimùm Hugoni Folietano, compertum mihi maximè est, tam ex stylo quàm ex fide mss. Codd.

De Guillelmo Gemmeticensi Mon. 1130.

S U P P L E M E N T U M.

GUILLELMUS Gemmeticensis in Normannia Monachus cognomento *Calculus*, floruit anno circiter 1130. & scripsit *Historiam insignem rerum Normannicarum*, quam habes impressam in fol. Parisiis anno 1619. in Collectaneo Historicorum Normanniæ, curis Andreæ Duchesnii procurato. Plura de illo dictus Andreas in suis Prolegomenis ad citatum Collectaneum.

De Fulcherio Carnotensi. 1130.

S U P P L E M E N T U M.

FULCHERIUS Carnotensis, Balduini Fratris Godefridi Bullonii Sacellanus, Expeditionem sacram suscepit & ingressus est cum Roberto Normanniæ Duce, & cum Stephano Blesensi & Carnotensi Comite. Unde *quinquennium illud Expeditionis Sacræ*, intra quod Scriptores antè recensiti (excepto Alberto Aquensi) nempe Robertus Rhemensis, Baldricus Burguliensis & Raimundus Agileus se continuerant, egressus: *Historiam Belli Sacri ab anno 1095. ad annum 1124.* libris tribus deduxit. Cumque non longè abesset ab Antiochia Syriæ, Balduinum Godefridi Bullonii Fratrem secutus est, cujus tum erat Capellanus, ut ipsemet narrat. Laudatur ab Orderico Vitali lib. 9. à Guillelmo Malmesburiensi lib. 4. & aliis. Scripsit autem Fulcherius libros tres, qui Brugis in Collegio Societatis Jesu inter reliquias Pamelianæ Bibliothecæ extant pleni & integri: quod monere congruum fuit, eo quod exemplaria quibus Jacobus Bongarsius usus fuit, nec integra nec satis emendata fuerint, ut ipse fatetur. Hæc Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 358. pag. 247. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, cui addo eamdem Historiam contineri correctam & integram tomo 4. novi Collectanei Historicorum Franciæ ab Andrea Duchesnio, post Historiam Petri Tudebodi de eadem materia, de quo diximus suprà ad annum 1100.

De Hervæo Monacho 1130.

S U P P L E M E N T U M.

Hervæum Burgidolensem vide sæculo 14. post Hervæum Natalem.

De Udalrico. 1130.

S U P P L E M E N T U M.

UDALRICUS primùm Monachus sancti Blasii in Hercinia Silva, deinde Episcopus Constantiensis in Germania electus Imperatoris nutu, installatur renitente Paschali Pontifice, & octo annis sine consecratione præsedit. Postea Gelasii Decreto à Mediolanensi Antistite consecratus, obtinuit à Sede Apostolica Canonizationem sancti Conradi decessoris sui. Monasteria Erentzelingen Ordinis Divi Augustini & Brigantinum Ordinis Benedictini à Rudolfo Brigantiæ Comite fundatum dedicavit. Interest Comitiis Argentinensibus anni 1111. Cumque anno 1128. Henricus de Bavaria cum magno exercitu Constantiam obsedisset, Episcopus Udalricus cum civibus ei strenuè restitit.

Nec

A Nec Matrem solùm coluit, sed & Minervam. Scripsit *Vitam sancti Gebehardi Augustani Episcopi lib.* 2. quam refert Canisius in Collectaneo Antiquarum Lectionum, & Surius ad diem 27. Augusti. Item *Vitam sancti Conradi Episcopi ejusdem Augustani* ad Calixtum 2. Papam, apud Surium ad 26. diem Novembris. Denique Udalricus ad suum sancti Blasii in Hercinia Silva Monasterium liberè rediit anno 1138. amans quietem & solitudinem, ubi dicitur vixisse usque ad annum 1140. Falluntur autem qui ex uno duos faciunt Udalricos Constantienses Episcopos, sibi immediatè succedentes.

De Isaaco Monacho. 1130.

B SUPPLEMENTUM.

ISAAC MONACHUS Catholicus juxta Labbeum in brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum, floruit anno circiter 1130. cujus *libri* 2. *adversus Armenorum errores*, quos ex ms. Cod. edidit Franciscus Combefis in Auctario Graeco-Latino Bibliothecae Veterum Patrum tom. 2. pag. 317. & seqq. quod editum 2. tomis in fol. Parisiis an. 1648. apud Antonium Berthier via Jacobaea sub signo Fortunae. Vult autem dictus Combefis loco citato pag. 415. cum floruisse saeculo 11.

De Baldrico. 1130.

C SUPPLEMENTUM.

BALDRICUS ex Burguliensi in Andegavis Abbate, Dolensis in Aremorica (ut tunc temporis vocabatur) Archiepiscopus ab anno 1114. per annos 22. & dies 44. usque ad 27. Januarii anni 1131. Scripsit *Poetica methodo libros quatuor Historiae Hierosolymitanae*, laudaturque ab Orderico Vitali libro 9. Historiae suae Ecclesiasticae. Admovit manum huic Operi sexagenarius, neque visa narravit, sed ab Anonymo verè quidem, at stylo rusticano scripta, secutus est. Inseruit multa ab iis audita qui interfuerant, cùm & ipse Claromontano Concilio D interfuisset anno 1095. Opus impressum in Collectaneo *Gestorum Dei per Francos*, edito in fol. tomis 2. Hanoviae 1611. cura & studio Jacobi Bongarsii. Itemque *in Collectione Historicorum Franciae* tomo 4. cum aliis quibusdam Poeticis ejusdem Auctoris, quae edidit Andreas Duchesnius. Item *Vitam S. Roberti de Arbrisellis, Ordinis Fontis-Eberaldi Fundatoris*, dicatam Petronillae Abbatissae, quam habent Surius & Bollandus ad diem 26. Februarii. Huic Andreas Monachus Fontis-Eberaldi addidit *Descriptionem obitus sancti Viri*, ibidem insertam. Idem Baldricus scripsit *Translationem & Miracula capitis sancti Valentini Martyris*, apud Gemmeticensem Abbatiam, quae apud Bollandum die 14. Februarii. Idem E Baldricus *Historiam veterem de sancto Hugone Rothomagensi Archiepiscopo* in meliorem, ut potuit, statum restituit; quam Ursioni Gemmeticensium Abbati, ejusdemque loci Congregationi inscripsit. Hanc habemus ex lib. 13. Jacobi Guisii qui eam in undecim capitula distinxerat, quam totam edidit Arturus du Monstier in Neustria Pia cap. 8. Gemmeticensis Monasterii, & quam cap. 9. discutit explo ditque ut fabulosam, & variis scatentem mendis, veritati & rationi Chronologicae omninò adversantibus. Huic etiam *Vitam S. Sampsonis Dolensis Episcopi* attribuit Aubertus Miraeus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 358. pagina 246. & Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tom. 2. in Episcopis Dolensibus.

De Stephano Hardingo. 1130.

SUPPLEMENTUM.

STEPHANUS HARDINGUS Natione Anglus, post sanctos Robertum & Albericum ab anno 1109. Abbas Cisterciensis usque ad annum quo obiit 1134. die 17. Aprilis, cùm aliquot antè mensibus abdicasset, oculis captus. Scripsisse dicitur *Exordium parvum Ordinis Cisterciensis*, quod legitur tom. 1. pagina 1. Bibliothecae Cisterciensis, quam edidit variis tomis in folio anno 1660. & seqq. Bertrandus Tissier Prior Bonifontis in tractu Rhemensi quae Parisiis venditur in Collegio Bernardinorum, & via Jacobaea apud Edmundum Couterot sub signo Boni Pastoris. Appellatur etiam Auctor *primarum Ordinis Cisterciensis Constitutionum* quas vulgò *Cartam Charitatis* nuncupant. Quae quidem Constitutiones ut & Instituta Conversorum ejusdem Ordinis Cisterciensis, extant in Menologio Cisterciensi, typis Plantinianis Antuerpiae anno 1635. edito, ad diem 5. Julii. Plura de Stephano omnes qui scripserunt de rebus Cisterciensibus.

De Gaufrido Grosso. 1130.

SUPPLEMENTUM.

GAUFRIDUS GROSSUS Monachus Tironensis Ordinis Divi Benedicti, scripsit circa annum 1135. *Vitam sancti Bernardi Abbatis Tironensis*, quam habent Bollandistae ad diem 14. Aprilis pagina 222. tomi 2.

De Anselmo Gemblacensi. 1130.

SUPPLEMENTUM.

ANSELMUS ABBAS Gemblacensis in Brabantia post Sigebertum ab anno 1112. ad annum 1137. vel 1138. quo mortuus est die 20. Martii. Continuavit *Chronicon Sigeberti usque ad annum* 1137. quod ab alio pariter continuatum usque ad 1149. cui tandem alius Aquicincti Monachus additionem posuit usque ad annum 1225. Haec omnia edidit in 8. Antuerpiae anno 1608. Aubertus Miraeus Verdussianis typis, cum Chronico Sigeberti, quae sola editio est genuina, utpote libera à nugis & quisquiliis *Galfridi Monumetensis* seu *Asaphensis*, quae in aliis omnibus Chronici Sigebertani editionibus inspersae leguntur. Meminit Anselmi Gemblacensis Aubertus Miraeus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 346. pag. 244. Natalis Alexander in Selectis Historiae Ecclesiasticae Capitibus saeculo 12. part. 1. cap. 6. artic. 3. pagina 462. Libellus de gestis Abbatum Gemblacensium quem Lucas Dacherius tomo 6. Spicilegii edidit, eumdem Anselmum laudat pag. 539.

De Guigone Carthusiano. 1130.

SUPPLEMENTUM.

GUIGO DELPHINAS Valentinensis, quintus majoris Carthusiae Prior ab anno 1110. usque ad annum circiter 1137. quo mortuus die 27. Julii. Vir fuit magni meriti & doctrinae, qui scripsit *Statuta Carthusiensium prima*, quae manuscripta habentur in Bibliotheca Thuanea, nunc Colbertina semel atque iterum, & habentur passim apud Carthusianos, impressa olim Basileae anno 1510.

Item

Item *Vitam sancti Hugonis Gratianopolitani Episcopi*, primi Carthusianorum Fundatoris, quam Surius & Bollandistæ non omiserunt in Vitis sanctorum. Item ad Gervasium *Epistolam seu librum De modo orandi*, impressum sub nomine veri Auctoris Guigonis in nupera editione Operum D. Bernardi, & in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Lugdunensis. Item *Tractatum De quadripertito Exercitio Cellæ*, quem primus edidit Petrus Franciscus Chifflet Societatis Jesu, ac post eum ultimus Amplificator Bibliothecæ Veterum Patrum. Item *Epistolas duas* in editione Operum Divi Bernardi procurata à Joanne Mabillon, & *tertiam* tom. 1. Analectorum ejusdem Auctoris pag. 331. Plura Fratres Sammarthani in Gallia Christiana tomo 4. pagina 971. Natalis Alexander sæculo 12. capite 6. artic. 9. pag. 498. partis primæ.

De Drogone Abbate. 1130.

Supplementum.

Drogo, ut inquit Hermannus Monachus libro *De Miraculis B. Mariæ Laudunensis* capite 22. Prior primùm sancti Nicasii Rhemensis, postea assumitur in primum Abbatem sancti Joannis Laudunensis. Sed cùm jam illic Deo donante non parum proficeret, bono odore sapientiæ & probitatis ejus longe lateque diffuso, Innocentius secundus Papa constrictum obedientiæ vinculo eum Romam ire jussit & coegit, Urbisque Hostiensis Episcopum consecravit. Scripsit *Opusculum de Passione Domini*, *& alia*, quæ inserta sunt Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis Parisiensis anni 1644. tomo 2. pag. 565. & seqq. Obiit anno 1138. vel sequenti, de quo plura Lucas Dacherius in editione Historiæ Hermanni Monachi, cum Operibus Abbatis Novigentini Guiberti, quem supra ad annum 1120. recensuimus.

De Henrico Utidoniensi. 1140.

Henricus Utidoniensis scripsit *historiam Anglicanam libris* 8. *usque ad Stephani Regis obitum*, idest, *usque ad annum* 1153.

Dissertatio Historica.

Henricus Huntidoniensis, seu Hunctigtonensis, natione Anglus, Archidiaconus & Canonicus Ecclesiæ Lincolniensis, claruit anno 1153. quo obiit Stephanus Rex Angliæ. De eo Polydorus Virgilius, Joannes Lelandus, Matthæus Westm. Baleus, Pitseus, &c.

Historiæ Anglorum libri decem, ad Alexandrum Lincolniensem Episcopum, ab Anglorum & Saxonum transitu in Britanniam usque ad annum 1153. extant cum aliis Rerum Anglicarum Scriptoribus ab Henrico Savillio publicatis anno 1596. & 1601.

Supplementum.

Henricus Huntingtonensis natione Anglus, Archidiaconus & Canonicus Ecclesiæ Lincolniensis, Poeta, Orator, Historicus, à Polydoro Virgilio & Joanne Lelando laudatus. Claruit anno 1153. quo obiit Stephanus Rex Angliæ, & scripsit *Historiam Anglorum lib.* 10. ad Alexandrum Lincolniensem Episcopum, ab Anglorum & Saxonum transitu in Britanniam usque ad annum 1153. Extant lib. 9. cum aliis Anglicanarum rerum Scriptoribus Londini in fol. anno 1596. publicatis per Henricum Savillium, & anno 1601. Francofurti in Germania. Porrò ex libris decem Henrici Huntingtonensis, omissus est nonus in collectione veteri, quem quis invenire potest in ms. Codice optimæ notæ Bibliothecæ Thuaneæ, quam jam Colbertus comparavit suæque adjunxit. Scripsit etiam *De Sanctis Angliæ librum unum*, qui ms. extat Antuerpiæ in Bibliotheca Societatis Jesu. Item *Opus inscriptum Imago mundi* ms. Oxonii in Bibliotheca S. Trinitatis Cod. 7. in Magdalenensi, Cod. 17. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii S. Benedicti cod. 367. impressum tomo 8. Spicilegii pag. 178. ex ms. Cod. Gemmeticensi. Item *Epistolam de Regibus Britonum*, *& de Provinciis Angliæ Opusculum*, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 251. De illo Aubertus Miræus in Auctario suo De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 374. pag. 252. Bellarminus & Labbeus ibidem.

De Falcone Beneventano. 1140.

Supplementum.

Falco Beneventanus, sacri Palatii Notarius ac Scriba, ab Innocentio II. Papa ob Fidei constantiam, qua Pontificias partes in maximis illorum temporum turbis tutatus fuerat, Judex suæ patriæ renunciatus fuit. Reliquit posteris *Chronicon*, sive *Historiam*, quæ ab anno 1102. usque ad annum 1140. eventus & res præsertim Beneventi gestas produxit; & adeò accuratè descripsit, ut qui eas legit, non legere, sed præsens esse videatur. Evulgavit illud Neapoli anno 1626. Antonius Caraccioli Theatinus, cum Historiis Heremperti & Lupi Protospatæ Appuli, quod inveniri etiam potest in Collectione Historicorum veterum Siciliæ, quæ Francofurti anno 1579. impressa fuit, Stylus quidem Fulconis barbarie est horridus, pro genio illius ævi, sed quoad cætera, Cæsari Baronio in Annalibus, & Jacobo Gordono in Chronologico opere placuit. De illo Aubertus Miræus *in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 339. pag. 241. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*.

De Orderigo Vitali. 1140.

Supplementum.

Orderigus Vitalis Angligena, Ordinis Divi Benedicti, Monachus Uticensis, sive sancti Ebrulfi in Normannia, scribebat anno 1141. ætatis suæ 67. *Historiam Ecclesiasticam* nobilem, insertam pag. 324. Collectionis Historicorum Normanniæ, quam Parisiis in fol. edidit anno 1619. Andreas Duchesnius, qui in prolegomenis hujus Collectanei agit de Orderigo sufficienter.

De Luca Abbate Præmonstratensi. 1140.

Supplementum.

Lucas Montis sancti Cornelii Abbas ordinis Præmonstratensis, quem malè Joannes Trithemius Ordini Benedictino adscripsit: nam Mons Cornelii juxta seu propè Leodium, ubi nunc Carthusiani sunt, Ordinis olim Præmonstratensis fuit. Scripsit circa annum 1140. *Commentarium in Cantica Canticorum* Miloni Tarvanensi Episcopo dedicatum, qui propriè Commentariorum Antiquioris Apponii Compendium est. Habemus impressum an. 1538. Friburgi, unde exiit in Bibliothecam Sanctorum Patrum. Correxit errorem Trithemii Joannes Miræus in Ap-

in Appendice addi solita ad Opus Henrici Gandavensis *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 9. pag. 174. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, qui etiam hujus Lucæ mentionem facit *in Auctario suo de Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 241. dum loquitur de Apponio, cujus Lucas Abbas Abbreviator est. A

De Hugone Farsito. 1140.

SUPPLEMENTUM.

HUGO FARSITUS Canonicus Regularis Ordinis Divi Augustini, quantum augurari licet, juxta vel in ipsa Urbe Suessionensi, Abbas postea, sed Ecclesiæ mihi nondum cognitæ, unde eum Abbatem vocat qui ejus mentionem facit, Henricus Gandavensis in libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 36. Scripsit circa annum 1140. unum librum *De Miraculis B. Mariæ Suessionensis*, quem alii *De Sacro igne* inscribunt, quemque Joannes Picardus Canonicus Regularis Sancti Victoris, in Notis ad Epistolas Divi Bernardi testatur inveniri mf. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis. Vidi etiam mf. in 4. in Bibliotheca Fusnianensi Ordinis Cisterciensis, Episcopatus Laudunensis, cum *altero libro Miraculorum sancti Quintini Martyris, & libris quinque Miraculorum S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, quos scripsit *Odo Cantuariensis Monachus, & postea Abbas de Bello* in Anglia. Est autem editus Hugonis Farsiti Liber ad calcem Historiæ Gallicæ B. Mariæ Suessionensis Ordinis Divi Benedicti, pag. 481. & seqq. quæ prostat in 4. Parisiis anno 1675. apud Joannem Coignard, cura & studio Michaelis Germani Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri. Scripsit ad Hugonem hunc jam Abbatem Epistolas duas sanctus Bernardus. B C

De Roberto Retenensi. 1140.

SUPPLEMENTUM.

ROBERTUS RETENENSIS natione Anglus, post Galliam, Italiam, Dalmatiam & Græciam lustratas, in Asiam transiit, & inter Saracenos ibi agens Linguam Arabicam perfectè didicit. Unde in Hispaniam navigio transvectus, ubi innotuit hominis eruditio, ad Archidiaconatum Ecclesiæ Pampelonensis est evectus. Dein Petro Cluniacensi Abbate petente, *Alchoranum Mahometanum in Epitomen redegit, & ex Arabico in Latinum* transtulit, ut Nicolaus Cusanus in Cribratione Alchorani lib. 1. Narrat. Obiit autem Pampelonæ sub annum 1143. Alchoranum porrò *Joannes Albertus Vvidmanstadius*, Austriæ Cancellarius, Ordinis S. Jacobi Miles, & alii multi refutarunt: quorum Opuscula cum *Roberti Retenensis versione* anno 1543. Norimbergæ, & 1550. Basileæ typis edita sunt. Hæc Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 373. pag. 252. D E

De Petro Abaelardo. 1140.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS ABAELARDUS Nannetensis in Arremorica, Monachus primùm sancti Dionysii, tum postea factus Abbas sancti Gildasii in natali solo, quam ob corruptos mores Monachorum Præfecturam abjicere compulsus est. Appellatus sui temporis Dialecticus, ob nobilem differendi industriam, qua plurimùm in Disputationibus valuit. Accusatus à sancto Bernardo multorum Errorum, quos ab ipso numquam fuisse probatos, hodie multi nostrorum temporum pensatis hinc atque inde omnibus, censent & affirmant, qua de re statuere quippiam nostri non est instituti. Ultro citroque ab Auctoribus sui temporis accusatus & excusatus. Obiit tandem Monachus Cluniacensis in Prioratu sancti Marcelli propè Cabilonem, dicti Ord. anno 1142. die 21. Aprilis ætatis 63. Heloissa verò ejus olim amica ac postea uxor, ad conversionem veniens post Petrum, & Abbatissa Cœnobii Pacleti in Episcopatu Tricassino, obiit anno 1163. die 17. Maji. Opera Petri & Heloissæ lectu digna, impressa sunt Parisiis in 4. anno 1626. quæ sunt, *Epistolarum liber* 1. *Solutionum ad problemata liber* 1. *Commentarius in Epistolam ad Romanos lib.* 5. *Sermones varii, Introductionis ad Theologiam lib.* 3. Franciscus de Ambosia Consiliarius Regius, qui ejus Opera inquisivit & evulgavit, pollicebatur *ejusdem Petri Logicam*, quam apud se manuscriptam habebat. Ejusdem Petri Abaelardi *Expositio super Epistolas Pauli & super Psalterium*, mf. in Bibliotheca Colbertina Cod. 4334. Scripserat & *Commentarium quemdam in Ezechielem Prophetam*, Lauduni, incœptum, ac posteà Parisiis completum, dum ibi Scholas aperuisset: de quo ipse (ut opinor) Petrus loquitur Epistola sua prima, quæ est suarum calamitatum. Item scripsit *Apologiam* seu *breve Apologeticum* quod refert Bibliotheca Cisterciensis Ordinis tomo 4. pag. 254. Idem scripsit *Librum Sententiarum*, & alium inscriptum *Nosce teipsum*, quem appellat suam Ethicam, de quibus postremis sanctus Bernardus in suis Epistolis, & Petrus ipse in sua Apologia. Hos manuscriptos *cum Commentario in Genesim Heloissæ suæ nuncupato*, servat Bibliotheca sancti Michaelis in periculo maris, ex Joanne Mabillon in sua editione Operum Divi Bernardi, dum Notas adjicit Epistolæ 188. Opus autem Sententiarum Petri Abaelardi in veteribus manuscriptis inscribitur communiter, *Sic & non:* atque ita mf. extat in Bibliotheca publica Cantabrigiæ Cod. 168. & in Collegio S. Benedicti ibidem Codice 390. Qui plura cupit de Petro Abaelardo, videat Natalem Alexandrum in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo 12. part. 3. dissertatione 7. ubi variam ejus fortunam multis exprimit.

De Gratiano. 1145.

GRATIANUS Patria Clusinus, professione Monachus sancti Benedicti, claruit tempore Eugenii tertii Pontificis, & Conradi tertii Imperatoris ad annum Domini 1145. Scripsit *Decretum*, sive *concordiam discordantium canonum*: opus valdè laboriosum, in quo canones plurimos collegit ex scripturis, ex responsis Pontificum, ex Conciliis, & ex Patribus. Et quamvis multi alii viri docti in hoc genere scriptionis laboraverint, ut Dionysius Exiguus, Isidorus, Cresconius, Burchardus, Ivo, & si qui alii sunt: ipse tamen solus obtinuit, ut publicè in gymnasiis prælegeretur, & multorum doctissimorum virorum Commentariis illustraretur.

Scripsit hoc opus Bononiæ in monasterio sancti Felicis ex sententia Trithemii in secundo libro de viris Illustribus Ordinis S. Benedicti, anno Domini 1127. vel ut alii volunt, anno Domini 1151. nisi fortè Trithemius inchoationem, alii consummationem operis annotaverint.

Porrò hoc opus à mendis purgatum, & suæ integritati restitutum fuit à viris quibusdam eruditissimis auctoritate Gregorii XIII. Pontificis anno salutis 1580.

Obser-

Observatio in Gratianum.

Gratianus id unum habet, quod reprehendi posse videtur, quòd non habuit delectum auctorum, ex quibus decreta collegit. Annotabo hìc aliqua loca per modum exempli.

Primò distinctione XVI. can. Septuaginta, citatur epistola sancti Athanasii Episcopi Alexandrini de canonibus Nicænis incendio consumptis, ad Marcum Papam. Sed Card. Baronius tomo tertio Annalium demonstrat, eo tempore Athanasium fuisse exulem in Galliis, & incensionem illam canonum Nicænorum contigisse diu post obitum Marci Papæ, & ipsum Marcum defunctum jam fuisse, quando scribitur respondisse ad epistolam Athanasii: ut undique nutet fundamentum harum epistolarum, & septuaginta canonum Nicæni Concilii.

Secundò, distinctione 63. can. Adrianus, & can. in Synodo, ponuntur duo canones ex historia Ecclesiastica Sigeberti, quibus affirmantur investituræ Episcoporum concessæ Imperatoribus ab Hadriano primo, & à Leone octavo summis Pontificibus: quos canones confictos fuisse à Sigeberto schismatico historico probat multis argumentis Card. Baronius tomo 9. Annalium, ad annum tertium Hadriani primi Pontificis. Neque obstat, quòd iidem canones habentur etiam apud Ivonem in Pannomia lib. 8. cap. 135. & 136. cùm tamen Ivo Sigebertum ætate præcesserit. Hoc (inquam) non obstat: quoniam Pannomia non dicitur Ivonis, quia sit ab Ivone composita, sed quia sit ex decreto Ivonis maxima ex parte decerpta. Quòd autem auctor Pannomiæ sit recentior Ivone, perspicuum est ex libro octavo, ubi multa sunt decreta Innocentii secundi Pontificis, qui fuit Ivone posterior.

Tertiò, causa 24. quæst. 1. can. Hæc est fides: tribuitur iste canon sancto Hieronymo in Symbolo ad Damasum. Sed revera desumptus est ex libello fidei Pelagii hæresiarchæ ad Innocentium primum Pontificem. Id satis constat ex S. Augustino libro de gratia Christi cap. 30. 31. 32. & 33. ubi ponit ipsa verba hujus Symboli, & dicit esse verba libelli, quem de fide sua Pelagius ad Innocentium misit.

Quartò, causa 10. quæst. 1. can. Quia Sacerdotes. Iste canon sumitur ex epistola S. Hieronymi ad Damasum, de oblationibus altaris. Sed ea epistola indigna est, quæ S. Hieronymo tribuatur: nam inter sancti Spiritus organa numerat auctor hujus epistolæ Eusebium Chronographum, quem Sanctus Hieronymus Arianum hæreticum passim appellat.

Item scribens ad Damasum citat Chrysostomi Commentarium in Matthæum. At eo tempore, quo Chrysostomus scripsit in Matthæum, Damasus jam ante multos annos obierat. Obiit enim Damasus anno septimo Theodosii Senioris: Chrysostomus autem anno sequenti ordinatur Presbyter, & incipit concionari ad populum: inter quas homilias sunt etiam illæ, quibus explicatur Evangelium sancti Matthæi. Omitto quòd stylus hujus epistolæ impolitus, & barbarus cùm sit, nihil habet simile cum stylo sancti Hieronymi.

Quintò, causa 22. can. Nec artificioso: citatur S. Augustinus in libro de conflictu virtutum & vitiorum cap. 19. At is liber non potest esse S. Augustini, cùm in fine ejus libri commendetur Regula S. Benedicti, qui fuit plus centum annis Augustino posterior.

Sextò, causa 27. can. Nubendi licentia: iterum citatur idem liber cap. 24. qui nullo modo Augustini esse potest. Adde quòd plurimis in locis Gratianus citat Chrysostomum pro auctore operis imperfecti, & Hieronymum pro Origene.

Dissertatio Historica.

Gratianus, Clusii in Etruria natus, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, vixisse dicitur sæculo XII. saltem usque ad annum 1151. & Boioniæ composuisse in Monasterio Sanctorum Felicis & Naboris anno 1150.

Decretum, in quo discordantes invicem Canones in concordiam revocare studuit, & SS. Patrum scriptis Romanorum Pontificum Sanctionibus & epistolis, diversorum Conciliorum statutis, legibus etiam sæcularibus non omissis, ipsum opus per Distinctiones, Causas, Quæstionesque disponens. De eo plura Henricus Gandavensis cap. 49. libri de Viris Illustribus, Calderinus, Alexander, Joannes Trithemius, qui Bononiensem sive Classensem Monachum vocat, opusque ejus quo Juris Canonici Professores utuntur in Scholis, Antonius Augustinus in dialogis de Decreti illius emendatione, Baronius, Bellarminus, aliique recentiores.

De Petro Lombardo. 1145.

Petrus Lombardus, Episcopus Pariensis eodem tempore floruit, quo Gratianus, & sicut iste collegit Canones, & Canonistarum quasi magister fuit: sic ille collegit sententias sacrorum Theologorum, & Magister Sententiarum, & Theologorum Scholasticorum dici meruit. Ferunt Gratianum, & Petrum Lombardum, & Petrum Comestorem germanos fratres fuisse: sed fundamento caret ea opinio. Certè in patria non conveniunt: Gratianus enim Etruscus fuit ex Clusio Civitate, Magister Petrus Lombardus ex Novaria, Petrus Comestor Gallus ex Trecis. Quæ scripserit Petrus Lombardus, ex epitaphio sepulchri ejus, quod est in Ecclesia S. Marcelli Parisiis, cognosci potest: sic enim ibi legitur, Hìc jacet Magister Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui composuit *librum Sententiarum*, *Glossas Psalmorum*, & *Epistolarum*.

Porrò *libri Sententiarum*, quod est præcipuum opus Magistri Petri, *quatuor sunt*.

Primus continet sententias Patrum de Trinitate, & unitate Dei.

Secundus de creatione Mundi, ac præcipuè Angelorum, & hominum, & de gratia Dei.

Tertius de Incarnatione Verbi, deque virtutibus, & vitiis.

Quartus de Sacramentis, & novissimis, idest, Resurrectione, Judicio, &c. Hi jam aliquoties Coloniæ prodierunt ex officina Birckmannica.

Observatio.

Quamvis Petrus Lombardus Magister appelletur, tamen discipuli ejus, Scholastici doctores, viri acuti, & docti non omnia probant, quæ Magister docuit: notantur enim articuli viginti sex, in quibus Magister rejicitur, in additione ad Magistrum excusa typis. Nec solùm opiniones ejus aliquando refelluntur: sed etiam non defuerunt, qui eum ad Alexandrum tertium Pontificem detulerint, hæresis nomine, quòd docuisset, Christum ut hominem non esse aliquid. Quam ejus sententiam damnatam fuisse in Concilio quodam Parisiensi, jubente Alexandro Pontifice, testatur Matthæus Paris in historia Anglicana, in Henrico secundo pag. 132. quæ damnatio contigit annis novemdecim post obitum ejusdem Petri. Non diu postea accusatus fuit à Joachim Abbate, quòd docuisset, unam summam

rem esse Patrem, & Filium & Spiritum sanctum. Sed Concilium Lateranense sub innocentio tertio, Petri Lombardi sententiam approbavit, & contrariam Joachimi Abbatis reprobavit.

Dissertatio Historica.

PETRUS, natione Lombardus, patria Novariensis, ab oppido urbi illi vicino, quod vulgò *Lumen omnium* dicitur Magister Sententiarum vulgo dictus, ex Theologicæ Scholæ præsidente qui per ea tempora Scholasticus vocabatur, Parisiensis, non Archiepiscopus, ut alicubi scripsit minus circumspectè Blondellus, sed Episcopus ab anno Christi 1159. aut sequenti quo ei ob eminentem doctrinam cessit Philippus Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ Ludovici VI. Regis Franciæ Filius & Ludovici VII. frater, usque ad diem 20. Julii anni 1164. quo vitam finiit & in suburbana S. Marcelli Ecclesia conditus est: successit Mauricius Theologicæ scholæ in eadem urbe moderator, qui Basilicam B. Mariæ Virginis inchoavit, vixitque usque ad annum 1196. De Petro præter ea quæ in ejus doctrinæ defensionem adversus sugillationem Joachimi Abbatis continentur in Concilio Lateranensi magno sub Innocentio III. & in ipso libri primi Decretalium fermè initio, consule Henricum Gandavensem cap. 31. & Appendicis capite undecimo, Joannem Trithemium, Sixtum Senensem, Baronium ejusque Continuatores, aliosque recentiores.

Sententiarum libri quatuor, & seorsim sæpiùs ex recognitione Jo: Aleaume, Antonii Democharis, Ripaldæ & aliorum editi, atque innumerabilium Theologorum, quos Scholasticos dicimus, Commentariis, scholiisve illustrati prodierunt. Opus magnum & arduum, inquit citatus mox Gandavensis, quo usque hodie vel maximè utuntur studia Theologorum (*a*).

Glossæ seu Commentaria in Psalterium Davidicum, Parisiis anno 1541. in folio.

Collectanea in omnes Divi Pauli Epistolas, ex SS. Patribus Augustino, Ambrosio, Hieronymo, aliisque nonnullis Sacræ Scripturæ primariis interpretibus summa arte ac diligentia contexta Parisiis 1535. ab hæredibus Badii.

Quamquam autem Petrus noster suos nævos habere dicatur, quos non est hujus loci pluribus exponere, aut excusare, rectè tamen Stancarus libro de Trinitate dixit unum Lombardum pluris se facere quàm centum Lutheros, ducentos Melanchthones, trecentos Bullingeros, quadringentos Petros Martyres, quingentos Calvinos, ex quibus si in mortario contundantur, utpote hæreticis & hæreticorum ductoribus doctoribusque, exprimi non possit uncia veræ Theologiæ, in iis scilicet, in quibus ab Ecclesia Catholica, ac Romana, Columna ac firmamento veritatis, diffidere voluerunt.

(*a*) Hoc sententiarum opus quadripartitum falsò quidam apud Gilbertum Genebrardum in Chronographia Bauduino cuidam tribuerunt, cùm verus sit Petri Lombardi fœtus, non secus ac Collectanea in Psalmos & Epistolas Sancti Pauli. Quod verò Bauduini nomen aliquis fortè Codex ms. prætulerit, inde factum videtur, quòd librarius vel exscriptor fuerit ille, vel sanè quòd codicis illius possessor. Cæterùm Sixtus Senensis & alii minus exactè locuti videntur, cùm eum claruisse anno 1140. scripserunt sub Conrado III. Imperatore.

A

De Ottone Frisingensi. 1145.

OTTO FRISINGENSIS Episcopus, insignis nobilitate, pietate, & doctrina, fuit Henrici quarti Imperatoris nepos, Henrici quinti sororius, Conradi Regis frater uterinus, Frederici primi patruus, initio Monachus fuit Cistercienfis, ac paulò post Abbas Morimundensis, deinde Episcopus Frisingensis, tandem in ipso eodem monasterio piè Deo animam reddidit anno Domini 1159. & quoniam Gilbertum Porretanum aliquando valdè laudaverat, in morte revocavit, si quid in ejus laudem dixisset, quod fidei Christianæ contrarium videri posset. Siquidem aliqui articuli in Concilio Episcoporum ab Eugenio III. Pontifice damnati fuerant sub nomine Gilberti. Vide hæc omnia apud Radevicum lib. 2. de gestis Frederici Imperatoris cap. 11.

B

Scripsit Otto Frisingensis *libros septem Chronicorum ab Orbe condito usque ad annum Dom.* 1146. quibus addidit *librum octavum de fine mundi, Antichristi persecutione, Resurrectione mortuorum, judicio finali & gloria beatorum, ac suppliciis damnatorum.*

Scripsit præterea *de gestis Frederici I. Imperatoris libros duos*: quibus duos alios addidit Radevicus Canonicus Frisingensis.

C

Dissertatio Historica.

OTTO, Leopoldi Marchionis Austriæ filius, Conradi Svevi III. hoc nomine Imperatoris frater uterinus, & Friderici Ahenobardi ejusdem Conradi in Imperio successoris patruus, ordinem Cisterciensem ingressus, Abbas Morimundensis in Burgundia seu Bassignejo creatus est, unde ad Episcopatum Frisingiæ in Noricis transiit: sunt qui Frisium vel Frisiensem vocitarint similitudine vocum delusi. Cum Conrado fratre aliisque Cruce signatis, anno 1148. in Terram Sanctam profectus est, unde in Bavariam reversus, depositoque postea Episcopali onere, convolavit in dilectum sibi Morimundense cœnobium, ubi sanctissimè obiit die 21. Septembris anno Christi 1158. Friderici Imperatoris 3. Regis Germaniæ quinto. De eo plura Radevicus, Frisingensis Ecclesiæ Canonicus, qui morienti adfuit, illiusque Historiæ continuationem adtexuit, Æneas Sylvius, postea Pius Papa II. qui eum à veritatis studio plurimùm commendat, Trithemius, Possevinus, Vossius, aliique. Extant in rebus Germanicis Christiani Urstitii ex antiquioribus editionibus excusi,

D

Chronicorum libri septem, ab initio Mundi ad sua tempora, hoc est ad annum usque Christi 1146. cum libro octavo de Fine mundi & Antichristi persecutione.

Libri duo de Gestis Friderici I. cognomento Ahenobardi Imperatoris nepotis sui, quibus & alios duos Radevicus, de quo antea dictum est, de Friderico eodem adjecit jam ab anno 1515. cum Ottone Argentorati à Schurerio excusos, curante Joanne Cuspiniano, qui Viennæ repererat.

E

Radevicus Canonicus, Frisingensis, atque Ottonis ejusdem Ecclesiæ Episcopi Sacellanus & familiaris, qui morienti adfuit, inchoatum ab illo Ottone *de Rebus gestis Friderici Imperatoris* opus perfecit, eique quatuor annorum Historiam ab an. 1157. ad 1160. adjecit cui adjacet Appendix an. undecim ab anno 1160. ad 1190. cum Epistola de Asiatica ejusdem Frederici Barbarossæ Expeditione in Terram Sanctam atque obitu die 10. Junii an. Cristi 1190. Vide rerum Germanicarum Christiani Urstitii Tomum & quæ supra diximus in Ottone Frisingensi.

De

De Othone de S. Blasio. 1190.

SUPPLEMENTUM.

OTHO de Sancto Blasio Germanus continuavit *Chronicon Ottonis Episcopi Frisingensis* usque ad tempora quibus floruit, nempe ad annum circiter 1190. opus impressum cum Ottone Frisingensi in Collectione Rerum Germanicarum, Christiani Urstitii Basileensis fide & studio in lucem edita in fol. Francofurti anno 1585. Vvechelianis typis. De illo Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, tom. 2. pag. 204.

De Joanne Burgundio. 1150.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES BURGUNDIO Civis Pisanus, temporibus Eugenii Papæ tertii, transtulit è Græco in Latinum, *Opus Sancti Joannis Damasceni de Fide Orthodoxa*, cujus translationis initium, *Deum nemo vidit unquam*. Hanc vidi manuscriptam in manibus Jacobi Hommey Augustiniani Eremitæ Parisiis, mutuatam ex Bibliotheca Sorbonica, Cod. ms. in 4. Item ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi Cod. 109. & Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti cod. 135. Idem transtulit è Græco in Latinum Homilias aliquas Divi Chrysostomi, ibidem mss. Cod. 241.

De Teulfo Monacho. 1150.

SUPPLEMENTUM.

TEULFUS MONACHUS Morigniacensis Ordinis D. Benedicti, scripsit circa annum 1150. *Chronicon ejusdem Monasterii* ab anno Christi 1008. ad annum 1147. quod 3. tomo pag. 359. Collectionis Historicorum Franciæ ab Andrea Duchesnio insertum fuit.

De Constantino Manasse. 1150.

SUPPLEMENTUM.

CONSTANTINUS MANASSES Historicus Græcus, scripsit *Versibus politicis Synopsim historicam*, quæ comprehendit res ab initio mundi usque ad initium Imperii Alexii Comneni, quod in annum millesimum octogesimum primum incidit. Vixit autem octoginta circiter annis postea, nempe circa annum 1150. temporibus Imperatoris Manuelis Comneni, cui diuturnum precatur Imperium, dicavitque Opus suum Fratriæ hujus Manuelis Irenæ, Andronico nuptæ. Constantini Manassis Annales ex Græcis Latini per Joannem Leunclavium Basileæ in octavo anno 1573. editi apud Episcopium, græcè & Latinè per Joannem Meursium in 4. Lugduni Batavorum anno 1616. apud Pacium. Idem *Constantini Manassis Breviarium Historicum* cum Notis Joannis Leunclavii & Joannis Meursii, cum variis Lectionibus & Animadversionibus Allatii & Fabroti, editum in fol. græcè & latinè Parisiis inter Historiæ Byzantinæ Scriptores ex Regio Typographio, nostris temporibus. Codices Græci manuscripti hujus Historiæ extant in variis Europæ Bibliothecis, in Messanensi Siciliæ, Bavarica serenissimi Ducis codicibus 51. 192. 193. Vaticana ex codicibus Palatinis Heidelbergensibus num. 124. & 397.

A

De Constantino Harmenopolo. 1150.

SUPPLEMENTUM.

CONSTANTINUS HARMENOPOLUS Sebastus, Nomophilax & Judex Thessalonicensis, claruit circiter sæculi 12. medium, cujus *Epitome Canonum* legitur græcè & latinè tom. 1. Collectionis Juris Græco-Romani, quam Joannes Leunclavius Hamelburgensis edidit Francofurti in folio anno 1596. de qua Labbeus, verbo *Theodorus Balsamon*. Item *ejusdem Confessio* oe *Opinionibus Hæreticorum & de fide Orthodoxa*, ibidem græcè & latinè pag. 547.
B Idem græcè & latinè cum egatione Manuelis Comneni Imperatoris anno 15718. Basileæ in 8. Scripsit etiam *Promptuarium Juris Civilis*, Latinum factum à Joanne Mercero, & Lugduni impressum an. 1556. in 4. græcè verò Parisiis anno 1540. in 4. Vvechelianis typis. Sed Harmenopoli Prochiron Juris Civilis græcè & latinè cum Scholiis per Joannem Mercerum, & cum Paratitlis, variis Lectionibus & Nomenclatore per Dionysium Godefridum, Genevæ anno 1587. in 4. Opera Harmenopoli extant manuscripta græcè in variis Bibliothecis, Vaticana variis Codicibus, atque ex Palatinis Heidelbergensibus num. 256. & 369. Imperatoria Viennensi, & alibi.

C

De Joanne Cyparissiota. 1150.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES CYPARISSIOTA Auctor pariter Græcus, assignatus malè à Labbeo in Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum ad annum 1150. quem quære ad annum 1364.

De Arsenio Monacho. 1150.

SUPPLEMENTUM.

D ARSENIUS MONACHUS in monte sancto Athos floruit circa annum 1150. & scripsit *Epitomen Canonum Ecclesiæ*, editam tomo 2. Bibliothecæ Juris Canonici Veteris, de qua diximus ad annum 560. *in Joanne Scholastico*. Plura de isto Arsenio prologus ad tomum secundum istius Bibliothecæ, quem consulas.

De Simeone Juniore Magistro & Logotheta. 1150.

SUPPLEMENTUM.

E *Hunc Simeonem vide sæculo 9. in Simeone Metaphraste*.

De Galfrido Episcopo. 1150.

SUPPLEMENTUM.

GALFRIDUS ex Monumetensi Archidiacono Asaphensis in Cambria Episcopus, Henrico II. apud Anglos Rege, (qui regnum anno millesimo quinquagesimo quarto iniit & an. 1189. obiit) scripsit seu potiùs ex Britannico in latinum transtulit *Librum de rebus Britannicis*, qui ineptas fabulas de Merlino, Arthuro & aliis rebus admixtas continet. Opus Galfridi inscriptum *Rerum Britannicarum lib.* 12. quos ex mss. Codd. Britannicis transtulit in latinum sermonem. Iniquior in eum fuisse existimatur Guillelmus

lelmus Neubrigensis, ingratus verò Polydorus Virgilius, utpote qui Historiam suam compilando, innominato auctore plurimùm Galfredi testimonio utatur. Claruit anno 1152. librique impressi Lugduni in fol. anno 1587. apud Renatum Potelier, cum Epistola Gildæ sapientis de excidio Britanniæ pag. 113. Historia Ecclesiastica Bedæ Anglo-saxonis pag. 147. Guillelmi Neubrigensis libris quinque rerum Anglicarum pag. 353. Idem apud Commelinum in fol. anno 1587. & Parisiis apud Ascensium in 4. anno 1517.

De Sugerio Monacho. 1150.

SUPPLEMENTUM.

SUGERIUS humili loco natus, virtutis & doctrinæ gradibus ad summa conscendit. In celebri sancti Dionysii propè Parisios Monasterio sancti Benedicti Regulam professus, ingenii fœlicitate & ad res magnas gerendas capacitate Ludovico VI. Regi Galliarum innotuit, cujus legatione ad Calixtum II. Summum Pontificem cum laude perfunctus. Abbas S. Dionysii absens electus est, adhuc Diaconus, & accedente Regis consensu Benedictus anno 1123. Regularem observantiam in cœnobio sibi commisso *absque scandalo & perturbatione Fratrum* restituit, Basilicam insignem eo quo etiamnum conspicitur Schemate instauravit, ornavit, locupletavit: Deo sanctam reformationem bonorum etiam temporalium copia remunerante, ut dicere possent, *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*. Nec virtuti studio litterarum defuit; nam scripsit Sugerius *Vitam Ludovici VI. Francorum Regis* cognomento *Grossi*, *Librum Epistolarum ad diversos de gravioribus Regni negotiis*, quibus Ludovico VII. dicto Juniore ad Expeditionem sacram profecto dignissimè præfuit. Item *Lib. De rebus in administratione Cœnobii sancti Dionysii à se gestis*, & alterum *De Consecratione Ecclesiæ* à se ædificatæ & translatione Corporum S. Dionysii & Sociorum, quæ omnia sunt edita à Francisco Duchesnio in Collectaneo Historicorum Franciæ tom. 4. collecta ex mss. Codd. Porrò *Liber De Consecratione Ecclesiæ Dionysianæ* qui mutilus est apud Duchesnium potest suppleri ex tom. 1. pag. 328. Analectorum Joannis Mabillon. Obiit anno 1153. die 13. Januarii more Romano, cujus *Constitutiones & Testamentum* post alia ejus Opera in dicti Collectanei tom. 4. pagina 546. Qui plura cupit de Sugerio, adeat Sammarthanos Fratres in Gallia Christiana tom. 4. pagina 333. in Abbatibus Sandionysianis, Natalem Alexandrum in selectis capitibus Historiæ Ecclesiasticæ sæculo 12. tomo 1. cap. 6. art. 12. pag. 536. & seqq. ex quo compendium istud desumptum.

De Ogerio Abbate. 1150.

SUPPLEMENTUM.

OGERIUS ABBAS de Lucedio Ordinis Cisterciensis in Sabaudia circa hoc tempus clarus, scripsit *Opus insigne Sermonum XV. de Cœna Domini*, quod hucusque inter Opera Divi Bernardi Anonymum impressum est, cujus Prologus incipit: *Paschalibus dapibus satiati*.

De Guidone Abbate. 1150.

SUPPLEMENTUM.

GUIDO ABBAS Cariloci in Burgundia Sequana, ad quem scripsit duas Epistolas S. Ber-

A nardus, scripsit *Tractatum De Correctione Cantus Cisterciensis Ordinis*, quem sub nomine D. Bernardi edidit post auctoritatem Joannis Bona S. R. E. Cardinalis viri doctissimi Domnus Joannes Mabillon, in editione sua Operum D. Bernardi. Fefellit Joannem Bonam ms. Codex quo utebatur, quem (quia vidit dicto Tractatui præmissam Divi Bernardi Epistolam) opinatus est esse Tractatum Bernardi. At ms. Codex quem hìc Buciliaci habeo, continens varios Tractatus qui ad musicam & Cantum Ecclesiasticum pertinent, habet in fronte Operis nomen *Guidonis Abbatis Cariloci*, & caret extranea iste D. Bernardi Epistola, quæ Cardinalem impulerat ad Tractatum Bernardo attribuendum, qui Guidonis Abbatis certò est.
B Vult tamen Joannes Mabillon certis argumentis suam etiam opem huic Operi à Divo Bernardo esse præstitam.

De Odone Abbate Morimundi. 1150.

SUPPLEMENTUM.

ODO ABBAS Morimundi Cisterciensis Ordinis, claruit tempore D. Bernardi, & fuit suo tempore celebris, cujus discipuli doctrinam collegerunt, ut patet ex prologis mss. Operum sub nomine ipsius. Vidi ac tenui volumen ms. in folio in Bibliotheca Bonifontis in Thierascia, eò allatum ex Bibliotheca Fusniacensi ejusdem Ordinis, continens
C *Commentarius in certos quosdam locos Veteris ac Novi Testamenti*, qui incipiunt ab his verbis: *Ut in novo Opere Veteris recordemur Testamenti, &c.* Item vidi *Sermones sub ejusdem nomine ornatos & mellifluos* in duobus mss. Codicibus Bibliothecæ Longipontis Cisterciensis Ordinis, Territorii Svessionensis: quorum prima pars in fol. post Opus sancti Augustini contra Cresconium, pars secunda in Cod. ms. intitulato, *Augustinus de mendacio, & Sermones Domni Odonis Abbatis Morimundi*. Atqui tam ex prologo Sermonum quàm Commentariorum in Scripturam, quem utrumque legi, constat hæc omnia ab ejus aliquo discipulo collecta esse, non ipsum Opus Odonis. De quo multa
D Carolus de Vvisch in Bibliotheca Scriptorum Cisterciensis Ordinis, & plura quàm quæ scripserit: Itemque plenè de illo apud Annales Ordinis Cisterciensis, in Catalogo Abbatum Morimundi. Obiit 6. Nonas Maji anno 1161. de quo Sammarthani tom. 4. Galliæ Christianæ in Abbatibus Morimundensibus.

De Gilberto Porretano. 1150.

SUPPLEMENTUM.

GILBERTUS DE PORRETA ortu Pictaviensis & Canonicus sancti Hilarii Majoris, subtilissimus Philosophus & in sacris Litteris plurimùm exerci-
E tatus, Pictavis Theologiam profitebatur, cùm creatus fuit Episcopus anno 1141. Is ergo cùm scrutaretur nimium sublimia, ad Concilium Rhemense sub Eugenio III. Summo Pontifice habitum vocatus anno 1147. ad instantiam Divi Bernardi arguitur, quòd obscuriùs de sanctissima Trinitate disseruisset, coactusque fuit scripta sua interpretari; de qua re Otho Frisingensis lib. 1. De rebus gestis Friderici Imperatoris cap. 46. & 47. sed ibidem condemnatus non legitur, ut multi passim scribunt. Vivere desiit an. 1154. pridie nonas Septembris, ut habetur in Appendice Roberti de monte ad Sigebertum ubi sic: *Moritur Gillebertus Episcopus Pictaviensis, vir Religiosus, ac multiplicis doctrinæ, qui Psalmos & Epistolas Pauli luculenter exposuit*. Scripsit itaque prolixum Commentarium in Psalmos

Psalmos incipientem, *Christus integer, caput cum membris est materia, &c.* quem Vidi mſ. duobus voluminibus in fol. in Bibliotheca Selincurtenſi Ord. Præmonſtratenſis in Tractu Ambianenſi, eſtque etiam mſ. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Balliolenſi Cod. 35. Item *in Epiſtolas Divi Pauli Commentarium breviorem*, mſ. bis in Bibliotheca Vallis-claræ Ordinis Ciſtercienſis in Tractu Laudunenſi. Itemque *Opus de Trinitate* de quo loquitur D. Bernardus Serm. 80. in Cantica, mſ. in folio apud Patres Carmelitas Pariſienſes Diſcalceatos, quorum Manuſcipta audivi, ſed falsò, tranſiiſſe ad Bibliothecam Regiam. Qui plura de Gilberto voluerit, adeat Galliam Chriſtianam Fratrum Sammarthanorum tom. 3. pag. 886. ubi *De Epiſcopis Pictavienſibus*, Henricum Gandavenſem lib. *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* c. 17. Miræum in Scholio ad dictum caput pag. 165. ſuæ Bibliothecæ Eccleſiaſticæ.

De Alexandro Vallis-Celeſinæ Abbate. 1150.

SUPPLEMENTUM.

ALEXANDER ABBAS Celeſini Monaſterii ſeu Vallis-Celeſinæ, vivebat anno 1154. quo obiit Rogerius ex Duce Siciliæ Rex ſalutatus ab anno jam 1139. Scripſit autem Alexander *Libris quatuor res geſtas hujus Regis*, impreſſis Cæſarauguſtæ anno 1578. evulgatiſque curis Dominici Portoneri, & qui continentur etiam tom. 3. Hiſpaniæ Illuſtratæ, quæ in celebribus Bibliothecis non deeſt.

De Joanne Monacho Turonenſi. 1150.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES MONACHUS Majoris Monaſterii in agro Turonenſi florebat anno 1154. quo Gaufridus Comes Andegavenſium & Dux Normannorum ex parte uxoris ſuæ Mathildis Anglicæ, quæ Henrici primi Anglorum Regis unica filia fuit, obiit ad diem 7. Septembris. Scripſit Joannes *Acta hujus Gaufridi Andegavenſium Comitis & Normanniæ Ducis, Plantageniſtæ nuncupati*: quæ Pariſiis edidit Laurentius Bouchel Parlamenti Cauſidicus anno 1610. in 8. apud Petrum Chevalier, itemque impreſſa inter auctores Hiſtoricos Normanniæ Collectos in fol. ab Andrea Ducheſnio anno 1619. apud Sebaſtianum Cramoiſy via Jacobæa ſub Ciconiis.

De VVolberone Abbate. 1150.

SUPPLEMENTUM.

WOLBERO Abbas S. Pantaleonis intra Coloniam, Ordinis Sancti Benedicti, circa annum 1150. ſcripſit Commentarium in Cantica Canticorum IV. Libris, quos edidit Henricus Gravius Ord. D. Benedicti Monachus, Coloniæ anno 1650. in 4. Obiit anno 1167.

De Joanne Priore Hagulſtadenſi. 1150.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES Prior Hagulſtadenſis addidit *annos 25. ad Hiſtoriam Simeonis Dunelmenſis* de rebus geſtis Regum Anglorum, nempe ab anno 1129. ad 1154. quo floruit. De eo ad annum 1129. *in Simeone Dunelmenſi* antea jam egimus, quo recurras. Habetur hæc Hiſtoria mſ. Cantabrigiæ in Collegio ſancti Benedicti Cod. 64. cum Hiſtoria Simeonis Dunelmenſis & cum Hiſtoria Richardi. Item Prioris Hagulſtadenſis, *De geſtis Regis Stephani & de bello Standardi*.

De Hugone Pictavino. 1150.

SUPPLEMENTUM.

HUGO PICTAVINUS Ordinis Divi Benedicti Monachus, Guillelmi Vezeliacenſis Abbatis Notarius, *Hiſtoriam ſui Monaſterii* juſſu Pontii Abbatis ſcribere aggreſſus eſt anno 1156. & hanc ſub ipſo Guillelmo abſolvit anno 1167. quatuor comprehenſam libris, quos habes tom. 3. Spicilegii Lucæ Dacherii.

De Bernardo Morlavenſi. 1150.

SUPPLEMENTUM.

BERNARDUS MORLAVENSIS, Monachus Cluniacenſis & Poeta ſæculo 12. nobilis, ſcripſit ad Petrum Abbatem ſuum Cluniacenſem Carmine *Libros tres De mundi contemptu*, impreſſos Rintelii ad Viſurgim in Germania anno 1626. in 8. apud Petrum Lucium Academiæ Rintelienſis Typographum. Primus eos è membranis Gerardi Baumanni Embricenſis Medici, dedit luci Nathan Chytræus Bremæ anno 1597. deinde Eilhardus Lubinus anno 1607. Demum Sternii in 12. anno 1640. Typographi Luneburgenſes. Vide an conveniant cum Opere *De Contemptu mundi Metrico*, quod legitur inter Opera ſancti Anſelmi ultimæ editionis Pariſienſis anno 1675. apud Ludovicum Billaine ſub ſigno Divi Auguſtini & Magni Cæſaris. Nam opus quod apud Anſelmum eſt, nonnulli attribuunt *Anſelmo Cantuarienſi*, alii huic *Bernardo Cluniacenſi*, quod forſitan neutrius eſt.

De Serlone Monacho. 1150.

SUPPLEMENTUM.

SERLO de Valle-Badoni juxta Bajocas in Normannia oriundus, in Ceraſienſi Ordinis Benedictini Cœnobio Monachum induit, deinde Savigniaci electus Abbas anno 1148. quod Monaſterium eſt in Diœceſi Abrincenſi. Cœnobium iſtud à Beato Vitali ante annos triginta-ſex conditum, & triginta alia quæ ipſi velut Ordinis Capiti obtemperabant, Ordini Ciſtercienſi tradidit & ſancto Bernardo ac Abbatiæ Claræ-Vallis addixit. Scripſit *Sermones* quos edidit Bertrandus Tiſſier anno 1664. tomo 6. pag. 107. collectionis ſeu Bibliothecæ Patrum Ciſtercienſis Ordinis, quos etiam vidi mſſ. in Bibliotheca Urſicimpi Ordinis Ciſtercienſis in tractu Noviomenſi. Seceſſit tandem Serlo Claram-Vallem Regimine abdicato, poſt ſancti Bernardi obitum, qui permittere noluerat vivens ut officio nuntium remitteret, ubi tandem obiit anno 1158. quinto Idus Septembris: vir (ut ait Chronicon Savigniaci) vita & ſermone atque Scripturarum ſcientia conſpicuus. Ejuſdem Serlonis *Opuſculum in Orationem Dominicam* mſ. in Bibliotheca Colbertina Cod. 5207. quem legimus ac optimum cenſemus. Plura apud Scriptores omnes Rerum Ciſtercienſis Ordinis, Fratres Sammarthanos in Gallia Chriſtiana tom. 4. in Abbatibus Savigniacenſibus.

De Anselmo Havelbergensi. 1150.

SUPPLEMENTUM.

ANSELMUS Havelbergensis in Marchionatu Brandeburgensi Episcopus, clarus doctrina & rebus gestis, eodem tempore floruit, scripsitque doctum *Opus contra Græcos*, quod ex mſ. Codice edidit Lucas Dacherius tom. 13. sui Spicilegii, ubi de Anselmo Havelbergensi Episcopo in præliminaribus agit.

De Amedeo Ep. Lausannensi. 1150.

SUPPLEMENTUM.

AMEDEUS ex Abbate Altæ-Combæ Ordinis Cisterciensis, Episcopus Lausannensis ab anno 1144. quo ordinatus est, ad 1159. quo mortuus dicitur die 27. Septembris. Scripsit *Homilias aliquot in laudem B. Mariæ Virginis*, sæpiùs impressas in Gallia, cum Sermonibus sanctorum Leonis Maximi, Chrysologi, Fulgentii, & aliorum. Hæ Homiliæ VIII. de laudibus Deiparæ Virginis cum elogio Auctoris præfixo à Gervasio Sopheno Brisacensi Germano, editæ primùm in 8. Basileæ anno 1117. apud Adamum Petri. Plura de eo dabunt, post Scriptores omnes rerum Cisterciensium, Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 384. pag. 255. suæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ, Fratres Sammarthani in Gallia Christiana dum de Episcopis Lausannensibus, Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus sæculo XII. part. 1. cap. 6. art. 13. pag. 538.

De Odone de Diogilo. 1150.

SUPPLEMENTUM.

ODO DE DIOGILO vulgariter de Devil, ex primo Abbate sancti Cornelii Compendiensis, ad quem scribit Beatus Bernardus Epistola 285. factus est Abbas sancti Dionysii in Francia anno 1153. post mortem viri clarissimi Sugerii. Huic Ludovicus concessit castrum novum in terra Martyris Dionysii ante sanctum Clarum in Vulcassino Diplomate anni 1153. Vir doctus scripsit nobile Opus *De profectione Ludovici septimi Regis Francorum in Orientem*, quod edidit ex mſ. Codice Petrus Franciscus Chiffletius Soc. Jesu, Divione in 4. apud Viduam Philiberti Chavance anno 1660. in opere suo inscripto *Sancti Bernardi Clarævallensis Abbatis genus illustre assertum*: ubi etiam leguntur *Joannis Eremitæ de Vita Sancti Bernardi lib. 2. pag. 97.* scripti anno 1180. ut in præfatione probatur. Item *Lib. 3. de Miraculis Divi Bernardi*, scripti anno 1178. ab Herberto Abbate primùm de Moris, tum postea Amanuensi seu Capellano Henrici Clarævallensis Abbatis, Turrium denique apud Sardiniam Archiepiscopo, qui ibidem pag. 161. Vixit Odo usque ad annum circiter 1168. de quo Sammarthani in Gallia Christiana tom. 4. in Abbatibus Sancti Dionysii Parisiensis Archiepiscopi.

De Pothone Brumiensi. 1151.

POTHO Presbyter Brumiensis scripsit *de domo Dei libros quinque*, & *de magna domo sapientiæ librum unum*. Qui libri extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 9. edit. 2. scribere porrò cœpit *de Domo Dei*, ut manu sua ipse notatum reliquit, anno quo mortuus est Rex Conradus, hoc est anno 1152.

DISSERTATIO HISTORICA.

POTHO, Brumiæ celebris in diœcesi Trevirensi cœnobii Monachus, & Presbyter, (non Episcopus, ut habet Index Bibliothecæ Parisiensis ultimæ) scribere cœpit de Domo Dei anno 1152. quo Conradus III. Imperator seu Rex Romanorum vivere desiit. De eo nihil Joannes Trithemius, vel quisquam Antiquiorum. Anno 1532. Hagonoæ in 8. ac deinceps in Bibliothecis Veterum Patrum prodierunt, *De statu Domus Dei libri V. De Magna domo Sapientiæ liber unus.*

De Petro Comestore. 1160.

PETRUS COMESTOR, qui & Magister historiæ Scholasticæ, hoc ipso tempore floruit: dedicavit enim opus suum Wilhelmo Archiepiscopo Senonensi, cui Alexander III. Papa commisit, ut sententiam quamdam Petri Lombardi damnaret, ut suprà diximus. Scripsit *historiam sacram 16. libris*, qui sunt libri sacri historiales videlicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Josue, Judices, Ruth primus Regum, secundus Regum, tertius Regum, quartus Regum, Tobias, Ezechiel, Daniel, Judith, Esther, Machabæorum, Historia Evangelica, & historia Actuum Apostolorum. Scripsit autem inserens verbis sacris multa ex Glossis, & ex profanis auctoribus, & non raro admiscens incertas historias.

DISSERTATIO HISTORICA.

PETRUS Comestor, sive Manducator, Gallicè *le Mangeur*, Trecis ad Sequanam oriundus in Campaniæ Comitatu Ecclesiæ S. Petri ejusdem urbis Canonicus & Decanus, necnon Cancellarius Ecclesiæ B. Mariæ Parisiensis, ac tandem Can. Regularis B. Augustini obiit 12. Kal. Novembris circa annum Christi 1198. sepultus Lutetiæ ad S. Victoris cœnobium in læva parte altaris S. Dionysii cum Epitaphio, quod sæpe legimus, *Petrus eram*, &c. De eo Petrus Abbas Cellensis (ut quidem Sirmondo visum, cui se planè accedere profitetur Vossius licet scirpus hic non sit absque nodo) libri 7. epistola 19. Vincentius Bellovacensis, S. Antoninus Parte III. Tit. XV. cap. 6. Henricus de Gandavo cap. 32. Philippus Bergomas, Jo: Trithemius, qui ait claruisse sub Friderico Imp. anno 1160. ridiculam affert nominis etymologiam, quod scripturarum auctoritates in suis sermonibus & opusculis crebriùs allegaret, quasi in ventrem memoriæ manducando reposuisset, Sixtus Senensis, Vossius, Gabriel Pennottus, Claudius Hemeræus Theologus in libro de Academia Parisiensi, aliique plures.

Historiæ Scholasticæ Magister dici solet, quam in 16. libros distinctam dicavit Guillelmo Theobaldi Magni Campaniæ, Carnuti, Blæsarumque Comitis filio natu minimo, qui ex Carnotensi Antistite saltem designato ad Archiepiscopum Senonensem evectus anno 11. & ad Rhemensem Thronum postea transiit & S. R. E. Cardinalis vulgò dictus ad Albas manus, obiit anno 1201. ex Chronico Roberti Ordinis Præmonstratensis S. Mariani Monachi in urbe Antissiodorensi. Impressa est primùm anno 1473. apud Guintherum Zainer, deinde Argentinæ 1483. & pluribus deinceps in locis. De eo opere hæc Sixtus: omnes libros Historicos, tum

Vete-

Veteris, quàm Novi Teſtamenti, continuata ſerie ſcripturarum breviter in unum corpus redegit, intermiſſis ad integrum abſolutæ ſtructuræ complementum non ſolùm multis externis hiſtoriis, ſcripto probatiſſimorum Auctorum proditis, ſed etiam, multis apocryphis narrationibus ſola veterum traditione ſine ullo ſcripto acceptis: adjecti item variis in locis breves quaſdam ex dictis Patrum annotationes, quæ locos Hiſtoriæ obſcuros illuſtrarent. Hæc ille.

Sermo de immaculata B. Virginis Mariæ Conceptione, excuſus dicitur Antuerpiæ apud Guillelmum Veſtermannum anno 1536. ex vetuſto quodam codice in Anglia excerptus. An etiam alii ejus ſermones de Tempore ac Sanctis typis fuerint alicubi mandati, nondum compertum habeo. In mſ. Victorino hoc lemma legitur: Octoginta ſermones Petri Manducatoris quorum 50. Presbyter edidit: alios 30. factus Canonicus S. Victoris. Plura de eodem dicenda venient alio in opere.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS COMESTOR ſeu MANDUCATOR, Presbyter & Decanus Trecenſis & Magiſter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, obiit in Cœnobio Sancti Victoris Pariſienſis anno 1198. die 21. Octobris, ubi ſepultus eſt cum Epitaphio, de quo abundè Bellarminus & Labbeus. Quibus addo *hujus Petri Sermones numero* 114. inveniri mſſ. in folio in Bibliotheca Longipontis Ordinis Ciſtercienſis in Epiſcopatu Sveſſionenſi, qui incipiunt ab his verbis: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, &c. Tres legimus cœleſtis verbi auditores, &c.* Sunt etiam mſſ. Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana codd. 48. & 76. Advertendum autem eſt, Sermones quos edidit Joannes Buſæus Societatis Jeſu ſub nomine Petri Bleſenſis, & qui habentur in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Colonienſis, non eſſe verè Petri Bleſenſis: ut annotavit rectè Petrus de Guſſanvilla, qui ultimò in Galliis edidit Opera Petri Bleſenſis, ſed eſſe Petri Comeſtoris qui Patria Trecenſis fuit, unde vero auctori reſtituendi ſunt.

De Ecberto Abbate. 1160.

ECBERTUS BONNENSIS primùm Canonicus, deinde Monachus & Abbas Schonaugienſis, multa ſcripſit, quæ à Trithemio Commemorantur. Extant nunc ſermones 13. adverſus Catharos ejus temporis hæreticos; quibus decem illorum hereſes, ex Manichæorum erroribus petitas refutat. Qui ſeorſim prius editi in auctario etiam Bibliothecæ ſanctorum Patrum editionis 3. poſiti ſunt.

DISSERTATIO HISTORICA.

ECKEBERTUS ex Presbytero Bonnenſis ad Rhenum oppidi in diœceſi Colonienſi Canonicus, poſtea Schonaugienſis in Trevirenſi non longè à Rheno Monachus & Abbas, frater S. Elizabethæ Schonaugienſis Abbatiſſæ, quæ anno 1165. obiiſſe dicitur, floruit ſæculo Chriſti XII. circa annum 1160. ut docet Jo: Trithemius, qui multa de eo profert, ejuſque Sanctiſſima ſorore, vel 1180. ut ex ejus ſcriptis colligitur. Quo deceſſerit anno, prorſus ignoro.

Sermones tredecim contra Catharos, ſeu Waldenſes ſui temporis hæreticos, quibus decem illorum hæreſes ex Manichæorum erroribus petitas egregiè refellit, dicati Illuſtriſſimo Rectori Pontificalis Cathedræ in Colonia domino Reginaldo.

Item, *Excerptum ex Sancto Auguſtino de Manichæis*, extant tum ſeorſim edita ſtudio R. P. Jacobi Gretſeri Soc. Jeſu cum Luca Tudenſi, & aliquot aliis adverſus Valdenſes coætaneis ſcriptoribus, tum in corpus Bibliothecæ Veterum Patrum translata.

Anno quoque 1628. Coloniæ editus eſt *Liber de tranſitu ſive obitu S. Eliſabethæ ſororis ejus*, unà cum ejuſdem Eliſabethæ Viſionum libris tribus, & Epiſtolarum libro uno.

De Theoriano. 1160.

THEORIANUS quidam Græcus vir doctus, miſſus fuit à Manuele Imperatore ad Armenos, ut eos ab erroribus circa fidem Chriſtianam revocaret: quod ille egregiè præſtitit anno Domini 1170. extat *dialogus Theoriani Orthodoxi cum generali Armenorum*, in tomo quarto Bibliothecæ ſanctorum Patrum edit. 2. eſtque dialogus lectu dignus. Quamvis Genebrardus lib. 4. Chronologiæ conetur excuſare Armenos ab errore Petri Gnaphei, tamen judicent lectores, an rectè excuſaverit.

DISSERTATIO HISTORICA.

THEORIANUS, vir orthodoxus atque eruditus, ab Emmanuele Comneno Græcorum Imperatore miſſus anno 1170. ad Armenos ab erroribus revocandos, ſcripſit.

Dialogum Orthodoxi cum Catholico, hoc eſt, *Archiepiſcopo*, ſeu *Primate Armenorum*, & *Geſta Legationis illius*. Prodierunt Baſileæ Græcè & Latinè in 8. anno 1578. interprete Joanne Leunklavio Amelburno & Bibliotheca Joannis Sambuci, & Tomo I. Auctarii Bibliothecæ Veterum Patrum anni 1624. nec non Morellianæ Tomo undecimo pag. 439. Latinè verò occurrent in aliis Pariſienſibus & Colonienſi. Ridiculum porrò mihi videtur quod quidam annotarunt hunc eſſe Theorianum quem Nicephorus in Chronologia ſua numerat 47. inter Patriarchas Conſt. cum S. Nicephorus quatuor ante hanc Legationem ſæculis ad Superos emigravit

De Philippo de Harveng. 1160.

SUPPLEMENTUM.

PHILIPPUS cognomento de Harveng, Abbas Bonæ-Spei in Hannonia Ord. Præmonſtratenſis floruit anno 1160. & ſequentibus, qui anteà multa habuerat cum S. Bernardo Claræyallis Abbate intricata, de quibus conqueritur acriter Philippus in ſuis Epiſtolis. Scripſit autem multa, quæ ex mſſ. ejuſdem Eccleſiæ quæ vidimus, evulgavit Nicolaus Chamart Abbas ejuſdem Cœnobii, Duaci in folio anno 1621 apud Balthaſarem Bellerum. Sunt autem *Eloquentes Epiſtolæ XXI.* pag. 1. & ſequentibus, quarum *decima* objurgat acriter ſanctum Bernardum, multis ſeſe immiſcentem ad ſe non pertinentibus. *Commentarius Myſticus in Cantica Canticorum* pag. 101. *Moralitates in eadem Cantica* pag. 286. *De Somnio Nabuchodonoſoris* pag. 440. *Tractatus De Salute primi Hominis* pag. 344. *Tractatus De Damnatione Salomonis* pag. 361. *Tractatus ſex de Inſtitutione Clericorum*, nempe 1. *De Clericorum dignitate*, 2. *De Scientia*, 3. *De Juſtitia*, 4. *De Continentia*, 5. *De Obedientia*, 6. *De Silentio*. Attendere deberent ad ſextum hunc Tractatum noſtri Ordinis Clerici, & omnes alii qui ſilentium nuperrimè abjecerunt olim ubique religiosè

ligiosè observatum; quasi illud sit praxis quædam Monachismi. Hæc ubi pleni vanitatis venditant & capitis sui levitatem produnt, & instituti sui ignorantiam. Gloriantur plerique hodiernæ corruptionis homines de nomine *Canonici Regularis*, illud affectant ac sæpissimè usurpant, in quamque familiaris sui colloquii periodum importuni obtrudunt: at rem nomine significatam spernunt, exsufflant, derident, digniores nomine *Canonicorum Irregularium*. Longè à me petulcum ejusmodi hominum genus. Item *Vita sancti Augustini Hipponensis Episcopi* pag. 691. *Vita Sancti Amandi Abbatis* pag. 707. *Passio Sanctorum Cyrici, & Julittæ* pag. 745. *Passio Sancti Salvii Martyris* pag. 752. *Vita Sancti Foillani* pag. 759. *Vita Sancti Gislani Confessoris & Abbatis* pag. 767. *Vita Sancti Landelini Abbatis* pag. 773. *Vita Sanctæ Odæ Virginis* pag. 779. *Vita Sanctæ Vualdetrudis Virginis* pag. 788. *Passio Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris* carmine Elegiaco pag. 796. *Varia Carmina, Epitaphia & Logogryphi* pag. 798. Vixit Abbas Philippus usque ad annum 1180. & ultrà.

De Petro Pictaviensi. 1160.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS Pictaviensis Poeta & Monachus Cluniacensis, scripsit *nobile Poema ad laudem Abbatis sui Petri Cluniacensis*, cujus tempore circa annum 1160. claruit, quodque cum dicti Abbatis operibus imprimi consuevit.

De Joanne Tzetzes. 1160.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES TZETZES Isaaci Tzettæ ejus, qui in Lycophronem scripsit, frater, circa annum 1160. viguit, & scripsit *Variam Historiam versibus Politicis*: non autem jambicis, quod Conradus Gesnerus putavit. Politicos porrò versus apud Græcos sic dictos opinor, quasi civiles ac populares rythmos, qui quindecim syllabis singuli constant: sic tamen ut cujusque versus pars prior integra dictione octavam syllabam absolvat, more jambici dimetri. Hoc versuum genere & *Michael Psellus* Cantica Canticorum explanavit, & *Constantinus Manasses* suos Annales Byzantinos & alii alia scripserunt. Porrò Joannis Tzetzæ variarum Historiarum liber versibus Politicis Græcis cum Latina interpretatione Pauli Lacizii & Præfatione Nicolai Gerbelii, in fol. Basileæ anno 1546. Item Joannis Tzetzæ *Allegoriæ Mythologicæ, Physicæ, Morales*, Carminibus Græcè & Latinè à Frederico Morello Parisiis anno 1616. in 8. Scripsit pariter *Commentaria in Hesiodum*, cujus Hesiodi Opera Græco-Latina cum Scholiis Græcis Procli, Moschopuli, Tzetzæ, Joannis Diaconi, &c. edita à Daniele Heinsio cum ejusdem versione & notis in 4. anno 1603. apud Raphelengium Amstelodami. De Joanne isto Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 348. pag. 244.

De Joanne Ciritta. 1160.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES CIRITTA Hispanus, Abbas Tharoucanus Ordinis Cisterciensis anno 1162. *Regulam Militibus Ordinis Avisii* apud Lusitanos clari, scripsit: exemplo nimirum sancti Bernardi Clarævallensis, qui Regulam Templariorum militum, sive pauperum Commilitonum Christi Templique Hierosolymitani anno 1128. conscripsit, hortatu Balduini Regis Hierosolymitani, & Patrum Concilii Trecensis. Item *Alfonsus I. Lusitanorum Rex* anno 1166. *Constitutiones Militum sancti Michaelis sive de Ala*, publicavit. Item *Guido Abbas Cisterciensis*, posteà S. R. E. Cardinalis, anno 1187. *Constitutiones Militum Calatravæ* foras dedit. Denique Alvarus de Lucia & Mendoza, miles Calatravensis *Constitutiones Militum Montesiæ*, jubente Jacobo II. Aragoniæ & Valentiæ Rege, in scriptum redegit: quæ omnia habentur in Privilegiis Ordinis Cisterciensis anno 1630. Antuerpiæ à Balthazare Moreto excusis.

De Hugone Cluniacensi. 1160.

SUPPLEMENTUM.

HUGO Patria Ambianensis, ex Abbate Radinghensi in Anglia, factus anno 1130. Rothomagensis Archiepiscopus, usque ad annum 1164. quo obiit die 10. Decembris. Scripsit *Opus de officiis & Ministris Ecclesiæ* ex ms. Codice evulgatum post Opera Guiberti de Novigento, cura & studio Lucæ Dacherii. Vide suprà Guibertum Abbatem ad annum 1124. ubi plura præmittit Lucas Dacherius ante editionem hujus operis, quæ Hugonem commendant & illustrem effantur. Item multa Sammarthani Fratres tom. 1. Christianæ suæ Galliæ in Archiepiscopis Rothomagensibus pag. 578.

De Rodulfo Tortario. 1160.

SUPPLEMENTUM.

RODULFUS cognomento *Tortarius* scripsit circa hoc tempus librum insignem *De Miraculis sancti Benedicti* quem evulgavit D. Joannes Mabillon sæculo 4. Benedictino tom. 2. pag. 390. & sequentibus, post alios duos libros Miraculorum ejusdem sancti Patris *ab Aimoino Floriacensi Monacho* sæculo XI. pag. 356. & libros tres *Desiderii Abbatis Cassinensis* qui Victor Papa tertius dictus est, ibidem impressos pag. 425. & seqq.

De Aldeberto Abbate. 1160.

SUPPLEMENTUM.

ALDEBERTUS Abbas Heidencheimensis Ord. Divi Benedicti, floruit anno 1164. scripsitque *Relationem Historicam de restitutione sui Monasterii Benedictinis facta* sub Eugenio Papa tertio, quam cum Commentario Philippi Eistetensis Episcopi *De Episcopis Eistetensibus* ab anno 1306. ad 1322. edidit Jacobus Gretserus Soc. Jesu Ingolstadii in 4. anno 1617. apud Elisabetham Angermariam. Opus Jacobi Gretseri inscriptum, *Commentarius de sanctis Eistetensis Ecclesiæ tutelaribus, S. Richardo, S. Vuillibardo, S. Vuunibaldo, S. Vualpurga, &c.*

De Elisabetha Abbatissa Schonaugiensi. 1160.

SUPPLEMENTUM.

ELISABETHA Virgo & Abbatissa Schonaugiensis Ordinis Divi Benedicti in Diœcesi Trevirensi, scripsit *Visionum seu Revelationum libros 3. & Epistolarum librum unum*, qui Coloniæ typis sunt editi anno 1628. unà cum libro Eckberti Abbatis Schonaugiensis, quem scripsit *De transitu seu obitu S. Elisabethæ sororis suæ germanæ*. Obiit ipsa anno Christi 1165. ætatis

A tis 36. die 18. Junii. Notet autem lector, tria olim Monasteria apud Germanos Schonaugiæ nomine clara extitisse. Primum fuit Monachorum Ordinis sancti Benedicti, in Silva Hercinia sub ditione Comitum Nassaviorum, in finibus Diœcesis Treverensis situm, quod alio nomine *sancti Florini Monasterium* nuncupatur, atque etiamnùm floret. Hujus loci Abbas secundus fuit *Eckbertus* S. Elisabethæ jam laudatæ frater, anteà Canonicus Bonnensis. Secunda Schonaugia Monialium Benedictinarum, dicto sancti Florini Cœnobio olim vicina, quæ circa annum 1590. vel 1600. desiit, fundo ac possessionibus in usum Monachorum sancti Florini translatis, cujus Schonaugiæ secundæ Abbatissa fuit sancta Elisabetha, hæc ipsa soror Abbatis Eckberti. Tertia verò Schonaugia, quæ
B est Monachorum Ordinis Cisterciensis, in Diœcesi Vvormaciensi, altero lapide ab Heidelberga, Rhenani Palatinatus urbe primaria, loco amœno visitur: in quo *Hildegundis Virgo* virili veste sexum mentita, assumptoque Josephi nomine, usque ad obitum vixit. Hæc visum fuit monere, desumpta ex Auberto Miræo in auctario suo De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 379. pag. 254. Bibliothecæ Ecclesiasticæ; ne quis in errorem trahatur à Chrysostomo Henriquez, aut aliis hæc tria Monasteria confundentibus.

De Gilberto de Oilandia. 1160.

C SUPPLEMENTUM.

GILBERTUS Abbas de Oilandia ordinis Cisterciensis in Anglia, floruit circa annum 1165. continuavitque *Commentarium Divi Bernardi in Cantica*, opus impressum cum aliquibus ejusdem dissertationibus, in editione Operum Divi Bernardi Parisiis anno 1667. apud Fredericum Leonard via Jacobæa sub Scuto Veneto, curis Joannis Mabillon, post Joannem Merlonem Horstium. De Gilberto Henricus Gandavensis libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 12. his verbis: *Gilbertus Abbas Ord. Cisterciensis, imitatus B. Bernardum in quantum potuit, Sermones composuit in quibusdam capitulis Cantici Canticorum, ab isto scilicet loco*: In lectulo meo per noctes, *&c. Subtiles*
D *quidem & valde spirituales, sed revera B. Bernardi eloquentiæ & sensibus impares.* Hæc Gandavensis. Idem Gilbertus scripsit *Varias Epistolas ac Dissertationes in forma Epistolarum*, quas habes ibidem impressas.

De Hugone Cluniacensi. 1160.

SUPPLEMENTUM.

HUGO Cluniacensis Monachus claruit circa annum 1160. & scripsit *Epistolam* multa de virtutibus sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis continentem; Itemque posteà instantibus Cluniacensibus
E suis Fratribus, *Vitam integram hujus sanctissimi Abbatis*, quam habes cum Epistola citata in opere inscripto *Bibliotheca Cluniacensis*, itemque in ultima editione Laurentii Surii ad diem 29. Aprilis.

De Adamo Parisiensi. 1160.

SUPPLEMENTUM.

ADAMUS sancti Victoris Parisiensis, Ordinis Divi Augustini Canonicus, floruit anno circiter 1168. & seqq. scripsit *Dialogum de Instructione Novitiorum*, & alia, quæ mss. extant in Bibliotheca sancti Victoris, nec enim scio an aliquid Adami Victorini impressum sit, quem aliquando allegat Joannes Picardus hujus Cœnobii Canonicus, in suis notis ad Epistolas sancti Anselmi & sancti Bernardi, quas consule.

De Ælredo Monacho. 1160.

SUPPLEMENTUM.

ÆLREDUS ELREDUS ATHELREDUS vel EDILREDUS Anglus, Monachus Cisterciensis Ordinis & Abbas Regiæ-Vallis in Archiepiscopatu Eboracensi, floruit anno 1164. & sequentibus temporibus, clarus multis scriptis, quæ ex mss. Codd. evulgavit Richardus Gibbonus Presbyter Societatis Jesu, ac post ipsum in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis Bertrandus Tissier Nostras, tomo 5. pag. 16. & seqq. Sunt autem hæc: *Sermones de tempore & de Sanctis, in Isaiam Prophetam Sermones XXXI. Speculum charitatis lib. 3. cum Compendio ejusdem Speculi, De Spirituali Amicitia lib. 3. Tractatus De Puero Jesu duodenni.* Item *Regula ad inclusas*, impressa olim inter Opera sancti Augustini, quam habet Lucas Holstenius sub nomine Ælredi auctoris proprii in Collectione Regularum parte 3. pag. 109. Idem Edilredus seu Alredus scripsit etiam alia opuscula Historica, quæ habentur in nova Collectione Historicorum Angliæ impressa 2. tomis in fol. Londini anno 1652. curis & studio Joannis Seldeni. Sunt autem Historica Ethelredi seu Ailredi *Descriptio belli Standardi* pag. 333. item *Genealogia Regum Anglorum* pag. 347. *Vita sancti Edvvardi Regis & Confessoris* pagina 369. *Historia de Sanctimoniali de Vvatthun* pagina 415. Obiit cum odore Sanctitatis anno 1166. die 12. Januarii, cujus Vita apud Bollandum.

De Laurentio Leodiensi. 1160.

SUPPLEMENTUM.

LAURENTIUS LEODIENSIS ad sanctum Laurentium Ordinis D. Benedicti Monachus, deinde missus Virdunum ad restaurandas Litteras in Cœnobio sancti Vitoni ejusdem Regulæ, floruit anno 1160. & ultrà, scripsitque tempore Alberonis ejusdem Virduni Episcopi, *Opusculum de Virdunensibus Episcopis* usque ad annum 1148. quo forsitan jam anno scribebat. Opus impressum cum Berthario & anonymo de Episcopis Virdunensibus tom. 12. ut opinor) Spicilegii Dacheriani. Vixisse dicitur usque ad annum 1179. vel sequentem.

De Arnulpho Lexoviensi. 1170.

ARNULPHUS Episcopus Lexoviensis, cujus crebra est mentio in Historia sancti Thomæ Cantuariensis, scripsit epistolas, & alia quædam opuscula tum prosa, tum versu, quæ simul extant edita Parisiis.

DISSERTATIO HISTORICA.

ARNULFUS ex Sagiensi Archidiacono, post avunculum suum Joannem, Lexoviensis in eadem Neustria anno 1151. electus ac consecratus Episcopus, in Palæstinam cum Ludovico septimo Rege Francorum, multisque aliis Crucesignatis anno 1147. abiit. Alexandrum III. Papam, & S. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem egregiè tutatus est, tandemque senio jam gravis, & Anglorum Regi Henrico II. jampridem suspectus, in Cœnobium sancti Victoris ad muros Parisienses se recepit anno 1177. aut 1180. siquidem verum sit per annos 40. potentem opere & sermone populo suo præfuisse,

se, vixitque usque ad annum 1182. quo ad Superos abiit die 31. Augusti, sepultus propè chorum ad Altare S. Dionysii, cum epitaphio. De eo plura dabunt Auctores Appendicis ad Sigebertum, Chronica Normannicum & Rhotomagense, ac similia, Rogericus ab Hovedem, Continuator Aimoini, Guillelmus Tyrius, Jo. Sarisberiensis, aliique Scriptores vitæ sancti Thomæ Cantuariensis, Petrus Blesensis, Baronius, aliique. Extant ab Odone Turnebo Hadriani filio primùm edita illius, & deinde in Bibliothecas vet. Patrum translata, *Epistolæ*, *Conciones*, & *Epigrammata*.

Recens quoque Tomo II. Spicilegii veterum aliquot Scriptorum editus est ejusdem Arnulfi Sagiensis dumtaxat Archidiaconi Tractatus brevis de schismate orto post Honorii II. Papæ decessum, inter Innocentium II. & Petrum Leonem Antipapam, ad Gaufridum Carnotensem Episcopum, S. R. E. Legatum.

De Nicolao Claravallensi. 1170.

NICOLAUS Monachus Claravallensis, & S. Bernardi Abbatis Secretarius, scripsit epistolas ad diversos, quæ nuper in lucem editæ sunt, in auctario Bibliothecæ sanctorum Patrum editionis tertiæ.

Dissertatio Historica.

NICOLAUS, Monachus Claravallis, ex ordine Cisterciensi, S. Bernardo primùm à Secretis Epistolis, deinde adversarius & apostata, vixit circa annum 1152. Quo verò anno obierit mihi N. L. Vide quid de eo Angelus Manriquez in Analibus ad annum 1145. 1148. 1551. & 1171. & Carolus Vischius in Bibliotheca Cisterciensi.

Epistolarum ejus volumen cura & studio Joannis Picardi Canonici Regularis in cœnobio S. Victoris Parisiensis prodiit primùm in Auctario Bibliothecæ Veterum Patrum anno 1610. deinde in Coloniensi, &c.

Supplementum.

NICOLAUS Arremarensis primùm Monachus Ordinis D. Benedicti, tum posteà ex motu rigidioris vitæ Monachus Claræ-Vallis, & Sancti Bernardi Notarius seu ab Epistolis. Claruit scientia & scripsit *Librum Epistolarum* quem habet Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Coloniensis anni 1618. & Lugdunensis anni 1677. Item *Librum Sermonum dicatum Henrico Campaniæ Comiti*, quem habet Bibliotheca Scriptorum veterum Ordinis Cisterciensis tom. 3. pag. 193. & seqq. tandem ob pessimam versationem in officio suo, in Italiam profugus & sancti Abbatis hostis, vixisse creditur usque ad annum 1171. & adhuc ulteriùs; nec enim de anno vel genere mortis illius constat.

De Gaufrido Mon. Cisterciensi. 1170.

Supplementum.

GAUFRIDUS Monachus Ordinis Cisterciensis, Patria Antissiodorensis, Petri Abaelardi quondam Discipulus, quo relicto ad Magisterium Divi Bernardi, adhuc juvenis se contulit. Inde clarescentibus Disciplinæ doctrinæque meritis, factus est successivè Abbas Igniaci in tractu Rhemensi, Altæ-Cumbæ in Sabaudia, & Claræ-Vallis quartus, unde tamen, quam ob causam nescio, cedere ac destitui A coactus est. Factus sub finem vitæ Divi Bernardi, fugiente Nicolao, Notarius D. Bernardi, absque dubio ob doctrinam ac scribendi nitorem. Scripsit *nobilem & prolixum Commentarium in Cantica Canticorum sex libris*, & *in Apocalypsim XIX. magnis Sermonibus*, quos vidi mss. in fol. in Bibliotheca Fulcard-Montis Ordinis Cisterciensis Rothomagensis Diœcesis, qui cum aliis ejusdem mss. Codd. transierunt jam in Bibliothecam Colbertinam. Item scripsit per Otium variis temporibus *magnum opus Sermonum* duobus tomis in fol. ms. in Bibliotheca Claræ-Vallis, quod à me visum est *in manibus Bertrandi Tissier apud Bonum Fontem*; dum parabat se editioni speciali operum dicti Gaufridi, sed interrupit mors B propositum boni senis. Item *Librum de contemptu mundi*, in illud: *Ecce nos qui reliquimus omnia &c.* olim sub nomine D. Bernardi inter opera ejus impressum, sed in editione Joannis Mabillon suo auctori legitimo restitutum. Item *libros* 3. *De Vita Sancti Bernardi*, impressos sæpè cum Operibus sancti Patris. Item *librum* 1. *De Miraculis ejusdem Abbatis*, qui legitur tom. 1. pagin. 255. Bibliothecæ Scriptorum Ordinis Cisterciensis, cum *Epistola ejusdem Auctoris* ad finem libri. Item *Vitam sancti Petri Tarentasiensis Archiepiscopi*, quam Lucius tertius Summus Pontifex scribendam ei injunxit circa annum 1182. & quam habes apud Surium & Bollandistas ad diem 8. Maji. Item *Epistolam de Concilio Rhemensi anni* 1148. quam Baronius suis inseruit C Analibus. Item *librum contra Petrum Abaelardum*, quem vidi ms. & editioni paratum in manibus Bertrandi Tissier Bonifontis in Thierascia Prioris, cum altero ejusdem Gaufridi opusculo *De vestibus Sacris seu Sacerdotalibus*. Vixit valdè senex usque ad annum 1200. & ultra, ut constat ex certis ejus sermonibus, in quibus arguit errores Abbatis Joachimi. Plura de illo Scriptores rerum Cisterciensium. Collegerat atque editioni parabat omnia quæ plurima sunt hujus Gaufridi opera Bertrandus Tissier Prior Bonifontis; quæ tandem interveniente laboriosi senis morte, neglecta illic tenuimus, grataque solis muribus has cartas comedentibus, maximo horum D Monachorum opprobrio. Auctor enim iste eloquentissimus est, atque alter Guerricus sæculi duodecimi.

De Gilberto de Sempringham. 1170.

Supplementum.

GILBERTUS de Sempringham Anglus, Fundator Ordinis Canonicorum Gilbertinorum in Anglia, qui dudum Sanctitate & regularibus floruerat observantiis, floruit circa hunc annum 1170. immò multò ante ac multò post, longam ducens vitam. Scripsit autem *Constitutionum sui Ordinis libros* E *duos*, quos habes in Monastico Anglicano tom. 2. ex tribus editis in folio Londini annis 1661. & 1673. apud Aliciam Varren.

De S. Thoma Becket. 1170.

Supplementum.

SANCTUS THOMAS BECKET ex Cancellario Regis Angliæ, nominatus Cantuariensis Archiepiscopus, scripsit *multas Epistolas* ad sui justificationem & ad libertatem Ecclesiasticam vindicandam, quas *in quinque libros distinctas* ex ms. Codice Vaticano erutas evulgavit Christianus Lupus Ordinis Eremitarum D. Augustini, anno 1682. tomis duobus in 4. Bruxellis apud Henricum Frick, cum libris quatuor aut quin-

quinque de Vita ejusdem Sancti Martyris, qui *Quadrilogus* inscribuntur, quia sunt excerpti ex quatuor auctoribus, Collectore Anonymo. Habentur eædem Sancti Thomæ Epistolæ lib. 5. collectæ Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti Cod. 11. Obiit Martyr anno 1170. die 29. Decembris, jussu regio ab impiis in Ecclesia Cantuariensi excarnificatus. De illo auctores innumeri scripserunt, quos recensere solùm, esset prolixum nimis, nec nostri instituti.

De Joanne Cornubiensi. 1170.

Supplementum.

JOANNES CORNUBIENSIS Anglus, ex primis & celeberrimis Theologis sæculi duodecimi, claruit anno 1170. vel circiter, scripsitque *Elogium ad Alexandrum Papam III.* ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolana cod. 58. Opusculum etiam *quomodo fiat Sacramentum Altaris per virtutem Sanctæ Crucis & de 7. Canonibus Missæ*, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti cod. 178.

De Adamo Scoto. 1170.

Supplementum.

ADAMUS natione Scotus, Canonicus Regularis Ordinis Præmonstratensis, florebat anno 1172. & sequentibus usque ad annum 1180. Scripsit *Commentarium in Regulam Divi Augustini*, *librum seu Tractatum De triplici Tabernaculo*, *alium de triplici genere Contemplationis*, *Sermones varios*, quæ omnia impressa in fol. Antuerpiæ anno *1659*. apud Petrum Bellerum. Scripserat Adamus, ut testatur in Prologo, *Sermones centum*, quorum XLVII. tantùm sunt impressi: cæteri autem ex ms. Codice eruti, sunt in manibus D. Hermanni à Porta Abbatis Sancti Michaelis Antuerpiensis, *cum Soliloquio ejusdem Adami de Anima*, quæ parata sunt editioni quam promptam optamus, ad auctoris gloriam. Habentur autem mss. hæc opera apud Celestinos Meduntanos, ut nuperrimè didici ab oculatis testibus, cod. *618.* & *619.* in 4.

De Hugone Etheriano. 1177.

HUGO ETHERIANUS natione Tuscus, vir doctus Græcè, & Latinè. Costantinopoli degens scripsit valdè eruditè *librum de processione Spiritus Sancti adversus errores Græcorum*, quem librum ad Alexandrum tertium Pontificem misit anno 1177. teste Card. Baronio tomo 12. Annalium, ubi & epistolam ejusdem Alexandri ponit, qua gratias agit Hugoni. Scripsit etiam *de regressu animarum ab inferis*. Utrumque opus extat in tomo *9.* Bibliothecæ sanctorum Patrum, edit. 2.

Dissertatio Historica.

HUGO ETERIANUS, vel spiritu adscripto Etherianus, natione Tuscus, floruit vergente ad finem sæculo Christi XII. vixitque aliquamdiu in urbe Const. tempore Manuelis Comneni Imp. Græcorum, apud quem magnæ auctoritatis erat, teste Trithemio, in cujus editionibus pro Alexandro IV. Papa restituendus est Tertius. De eo Baronius Tomo ult. Annal. Ecclesiasticorum, aliique (*a*).

De Hæresibus, quas Græci in Latinos devolvunt, libri tres, ad Ardoinum Cardinalem, sive, *de processio-* A *ne Spiritus Sancti ex Patre & Filio*, *adversus errores Græcorum*, seorsim editi Basileæ apud Rob. Vinter 1543. & in Bibliothecis Veterum Patrum, cum ejusdem libro, *De anima corpore exuta*, sive, *de regressu animarum ab inferis*, ad Clerum urbis Pisanæ: qui liber prodierat Coloniæ apud Gymnicum anno 1540.

(*a*) Quamvis Hugo iste, inquit Joannes Maria Brasichellanus in Expurgatorio Indice, vir Orthodoxus & eruditus extiterit, circumspectè tamen, & cum judicio legendi ejus tres libri: in quibusdam enim à propria & exacta loquendi norma Theologorum declinare videtur. Præsertim in eo, quòd Patrem Filii & Spiritus Sancti causam sæpis- B simè appellat. Videndus quoque Genebrardus libro 4. Chronologiæ, &c.

De Arnoldo Carnotensi. 1177.

ARNOLDUS CARNOTENSIS, Abbas Bonæ-vallis, vir admodum pius, & doctus, & sancti Bernardi discipulus, & amicus in primis, ad quem etiam scripsit *epistolam 310. de obitu suo jam imminente*. Scripsit insigne *opusculum de septem verbis novissimis à Christo in Cruce prolatis*. Scripsit item *de laudibus Virginis Mariæ Matris Dei*: quæ duo opera extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo primo, edit. 2. Scripsit quoque *secundum librum vitæ san-* C *cti Bernardi*, qui habetur ad finem operum sancti Bernardi.

Dissertatio Historica.

ARNOLDUS, CARNOTENSIS dictus, non à patria, quam ignorari arbitror, sed quòd Abbas Bonæ-vallis fuerit in diœcesi Carnotena notissimæ, unde arguas Miræum à Claudio Roberto haud dubiè deceptum, qui illud, cui præfuit noster Arnoldus, Bonæ-vallense Cœnobium in Viennensi diœcesi collocat. Vixit post S. Bernardi obitum usque ad annum Christi circiter 1160. Quo autem anno obierit, mihi nondum constat. Henri- D cus Gandavensis capite undecimo libri de Scriptoribus Ecclesiasticis, Ernaldum vocat, eademque ratione scriptus reperitur in titulis Epistolarum 3. 17. & 38. quas ad eum dedit Arnulfus Lexoviensis Episcopus. At in vita S. Bernardi libri postremi capite 2. dicitur Arnaldus. Extant seorsim & in Bibliothecis veterum Patrum ab eo scripti, *Tractatus de septem Verbis Domini in Cruce prolatis*, cum Scholiis Francisci Titelmanni Hassellensis, & recognitione R. P. Andreæ Schotti Soc. Jesu. *Tractatus de operibus sex dierum*, ex recognitione Dionysii Perroneti, Melodunensis, Ecclesiastæ Altissiodorensis. *Sermo de laudibus Sanctæ & perpetuæ Virginis Mariæ*, cum scholio in illud encomium, quod ante Tractatum E de septem Verbis compositum fuit.

Idem explicavit *Vitam S. Bernardi Claræ-vallensis Abbatis*, in quatuor libris præter illum, quem Abbas Sancti Theoderici Guillelmus scripserat, multa hinc inde tangens, quæ ipsi pertinere videbantur ad materiam, quam scribebat, inquit supra citatus Henricus de Gandavo. Verùm in hoc erraffe videtur Henricus, quòd tertium, quartum, ac quintum vitæ Sancti Bernardi libros huic Arnoldo tribuit, cui solus secundus debetur. Eumdem quoque errorem sequutus est Trithemius, qui Arnoldum scribit & claruisse sub Friderico Imperatore anno 1160. asserit. S. Bernardus ad eum scripsit epistolam 310. quam Gaufridus Claræ-vallensis Historiæ suæ intexuit, ubi Bernardi amicum intimum fuisse insinuat. Quare meritò redarguas eos, qui Auctorem secundi illius libri

libri ex Arnoldo, seu Ernaldo, aut etiam Arnaldo transformarunt in Bernardum; deinde qui eum Bonæ-vallis Abbatem in Allobrogibus ac Delphinatu fuisse asserunt cum Roberto, ejusque Continuatoribus nuperis, qui celeberrimi illius in diœcesi Carnotensi Abbatis non meminerunt, cùm tamen ex citato Gandavensi, aliisque nemo non intelligat eumdem fuisse & vitæ Sancti Bernardi, & Commentariorum de ultimis Domini verbis, & quarumdam epistolarum scriptorem, quem omnes norunt fuisse Carnotensem, de quo videndus quoque Joannes Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis (*a*).

Observandum insuper hoc loco in Oxoniensi Collegio Omnium animarum reperiri in mss. codice, *Tractatum de Cardinalibus operibus Christi*, qui editus est inter opera S. Cypriani, attributum Arnoldo Bona-villarensi Abbati ad Hadrianum Papam, quem ego omnibus ritè perpensis non alium esse arbitror ab hoc nostro Bonæ-vallensi Abbate, qui tempore Hadriani IV. floruit. Falsum enim est quod Robertus Cocus asserit Auctorem illius Tractatus pervenisse ad annum 1200.

(*a*) De Autore libri secundi Vitæ S. Bernardi, fueritne Cisterciensis Ordinis an Benedictini, Bonæ-vallis in Carnutibus an in Allobrogibus Abbas, adhuc sub judice lis est, aliis aliò trahentibus. Ego Henrico Gandavensi fere suppari aliisque pluribus adhæsi. Tu si lubet consule Jacobum Horstium in notis ad Epistolam 310. Sancti Bernardi, Bibliothecam Cisterciensem Caroli Wischii, & nuperos lectionum Eucharisticarum in gratiam Monialium Collectores pag. 570. ubi & de Auctore vero Tractatuum de operibus Cardinalibus Christi ad Hadrianum Papam nostram opinionem calculo suo firmant.

Supplementum.

ARNALDUS sive ERNALDUS & ARNOLDUS Abbas Bonæ-vallis Ordinis Divi Benedicti, Carnotensis Episcopatus, floruit hoc tempore, qui multa ornatè scripsit, quæ simul collecta sibique à Bernardo Tissier Priore Bonifontis Ordin. Cisterciensis in Thierascia missa, habebat editioni proxima Joannes Mabillon. Sunt autem *Tractatus de Cardinalibus Christi operibus*, hucusque sub nomine & inter Opera Sancti Cypriani impressus. *In Hexameron* seu *De Paradiso* ut cum Membranis loquar, mss. cum Prologo nondum impresso in Bibliotheca Fulcardi Montis Ordinis Cisterciensis, quæ jam in Colbertinam transiit. *De laudibus Beatæ Mariæ Virginis*, *De 7. verbis Domini in Cruce*, impressi sæpiùs in Bibliotheca Veterum Patrum; item *Meditationum lib.* 1. apud eumdem Mabillon ex mss. Cod. transcriptus: sed quæ tandem omnia cum mss. Codicibus collata sub nomine legitimi Parentis impressa sunt in Anglia Oxonii in folio cum operibus Sancti Cypriani Martyris, de quibus suprà in Cypriano abundè diximus. Restant adhuc sub ejusdem nomine mss. Tractatus duo nondum impressi in manibus D. Joannis Mabillon, nempe *Commentariolus in Psalmum* 44. mss. cum multis præcedentibus in Bibliotheca Longipontis Ordinis Cisterciensis. Item *Opusculum De septem donis Spiritus Sancti*, incipiens ab his verbis: *Nemo cum hæc capitula viderit, expectet Tractantem de Sapientia Dei, &c.* eductum, ut audio, ex mss. Cisterciensi.

De Joanne Saresberiensi. 1177.

JOANNES SARESBERIENSIS, Episcopus Carnotensis vixit tempore Alexandri tertii. Scripsit *multa*, & *in iis vitam Sancti Thomæ Cantuariensis*. *Opus pœnitentiale*, *Jurgationem Cleri*, *Policraticum libris octo*, *De nugis curialium*, *Epistolas ad diversos*. Extant impressa anno 1513.

Dissertatio Historica.

JOANNES de Sarisberia, seu Salisbury, natione Anglus, patria Wiltunensis, Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi, ejusque successoris S. Thomæ Beket Martyris primùm Clericus, tum anno 1172. creatus Episcopus Carnotensis cessione Willelmi dicti ad Albas manus, filii Theobaldi Comitis Campaniæ, qui ad Senonensem, ac deinde Rhemensem Cathedram promotus, per biennium Carnotensem Episcopatum concessu Alexandri III. Papæ retinuerat. Interfuit Concilio Lateranensi anno 1179. unde reversus obiit anno 1182. sepultus in Abbatia Sanctæ Mariæ vulgò de Josaphat appellata. De eo Robertus Abbas S. Michaelis, seu quis alius Continuator Sigeberti, Petrus Cellensis Abbas, cujus fuerat Clericus, epist. 8. libri 7. ubi Joannes dicitur pretioso Sanguine B. Thomæ, Pontificis & Martyris intinctus, &c. Item epist. 20. 21. aliisque, Petrus Blesensis epist. 22. ubi dicitur S. Thomæ manus & oculus; Trithemius, qui minùs rectè docet floruisse anno 1140. Philippus Bergomas, Justus Lipsius, Erycius Puteanus, Joannes Pitseus, Thomas Dempsterus, Gerardus Joan. Vossius, qui justo citiùs Episcopalem lituum illi ab anno 1164. concedit, Baronius, aliique.

Polycraticon, sive, *de Nugis Curialium*, *& vestigiis Philosophorum libri octo*, ad Theobaldum Henrici Regis Angliæ Cancellarium ex Alberico, nam alii dicatos volunt Sancto Thomæ nondum Archiepiscopo. Editi fuerunt primùm Parisiis anno 1513. studio Constantini Frandini.

Epistolarum liber ad diversos, cum Gerberti & Stephani Tornacensis Epistolis editus è Bibliotheca Papyrii Massonis J. C. anno 1611. in 4. Parisiis.

Vita Sancti Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, cujus fuerat comes familiaris & individuus in exilio, Notariique functus officio, extat in Bibliotheca Vaticana cum trium aliorum ejusdem Thomæ discipulorum de eadem re lucubrationibus, & collectione Epistolarum ad S. Thomæ negotia spectantium, ab eodem Saresberiensi in quinque libros digesta, de qua consule Baronium ad annum 1162.

Entheticum metricum, *& de Membris conspirantibus*. docet Pitseus Parisiis anno 1513. edita, quæ non vidi. Naudæus quoque in variis Metalogici capitibus testatur meminisse Adami Anglici, Gausleni, Gilberti Porretani, Guillelmi de Campellis, Guill. de Conchis, Guill. Svessionensis, Roberti Pulli, Simonis Pexiacensis, Ulgenii, & aliorum. An Mythologicon libri 4. quos mss. esse asserit cum pluribus aliis ejusdem operibus Pitseus, quem vide.

Supplementum.

JOANNES SARISBERIENSIS, socius & comes individuus Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris, in suis peregrinationibus atque exiliis, anno etiam 1170. florebat & sequentibus, de cujus tantùm editis Epistolis agunt Bellarminus & Labbeus. His addo scripsisse eum *Opus Metalogicum*, seu *Tractatum De Logica*, *Philosophia*, *&c.* impres-

impressum Parisiis anno 1610. in 8. & Lugduni Batavorum anno 1639. in 8. Item insigne opus inscriptum *Polycraticum* seu *De nugis Curialium* cum *Enthetico metrico* ad frontem operis, impressum Parisiis anno 1513. in 4. & Lugduni Batavorum anno 1595. & 1639. in 8. Item *Commentationes in Epistolas Sancti Pauli Apostoli*, impressas Amstelodami anno 1646. in 4. *Item Epistolas plurimas ab anno* 1154. *ad* 1180. Parisiis impressas anno 1611. in 4. Item *septem ejusdem Epistolas Historicas* edidit Andreas Duchesnius tom. 4. pag. 465. Collectanei sui Scriptorum Historiæ Francicæ veterum, quod impressum Parisiis in fol. anno 1641. & seqq. Aliæ etiam plures leguntur sub ejus nomine *in Collectione Epistolarum Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, impressa Bruxellis anno 1682. tomis duobus in 4. apud Henricum Frick, opera Christiani Lupi Augustiniani Eremitæ. Item scripsit *Vitam atque Passionem Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris*, sed brevissimè, nec ex variis auctoribus per modum Dialogi vel Quadrilogi, quam vidi ms. in fol. in Bibliotheca Regalis-montis Ordinis Cisterciensis, cujus Prologus incipit: *Sacrosanctam Ecclesiam jugiter impugnat hostis antiquus, &c.* Vita autem, *Prædictus igitur Beatissimus Thomas Londoniensis indigena, &c.* Et quidem impressus nuperrimè Bruxellis cum Epistolis Sancti Thomæ anno 1682. Quadrilogus de vita & morte S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris ab eodem Christiano Lupo, qui ex 4. auctoribus desumptus est. Sed non spectat ad Joannem Sarisberiensem, cujus opus non est prolixum, ut videre est in eodem ms. Regalis-Montis & Vaticano, ubi testante eodem Lupo legitur: qui ab ejus editione sibi pepercit, quod non debuit facere ob antiquitatem & modicitatem operis. Magnus autem Quadrilogus quem edidit Lupus, jam Parisiis anno 1495. in 4. impressus fuit, inscriptus: *Vita & passio Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, & processus super Libertate Ecclesiastica per Herbertum de Hocsam Joannem Carnotensem, Vvilhelmum Cantuariensem, & Alanum Tenkesburiensem, ideoque vulgò Quadrialogus dicitur.* Factus autem Joannes Episcopus Carnotensis anno 1172. occupavit dignissimè Sedem hanc ad annum 1182. quo mortuus est, sepultus in Abbatia S. Mariæ de Josaphat, quæ est Benedictinorum. De illo Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 369. pag. 251. Fratres Sammarthani tom. 2. *Galliæ Christianæ* in Episcopis Carnotensibus, Bellarminus citatus antea, & alii.

De Petro Blesensi. 1177.

PETRUS BLESENSIS, Archidiaconus Bathoniensis, vixit tempore Alexandri tertii Pontificis, & Henrici secundi Regis Anglorum, cui diu familiaris, & administer fuit. Scripsit *multa sapienter, & eloquenter*, quæ nunc extant opera Joannis Busæi, edita sunt Moguntiæ anno 1600. videlicet epistolæ 180. *Tractatus de transfiguratione Domini. Tractatus de conversione sancti Pauli. Compendium in Job. Tractatus de Hierosolymitana peregrinatione. Instructio fidei ad Soldanum Iconii. Liber de confessione Sacramentali. Liber de satisfactione à Sacerdote injungenda. Canon Episcopalis, sive de institutione Episcopi. Invectiva contra depravatorem. Tractatus de amicitia Christiana.*

At hæc meminit ipse in Invectiva aliorum operum suorum, quæ non videntur extare. Inveniuntur multæ hujus Petri epistolæ in tomo 12. Annalium Card. Baronii: & instructio fidei ad Soldanum: invenitur etiam apud Matthæum Parisiensium ad annum Domini 1169. sub nomine Ale-

A xandri tertii Pontificis. Pontifex enim eam direxit nomine suo, quamvis à Petro Blesensi conscriptam.

Dissertatio Historica.

PETRUS, à natali Galliæ ad Ligerim oppido, cognominatus Blesensis, Odonis de Soliaco post Mauricium Parisiensis Episcopi familiaris & amicus, ex Canonico Bituricensis Ecclesiæ Bathoniensis in Anglia Archidiaconus, ac postea etiam Londinensis, & Cantuariensis Archiepiscopi Cancellarius, anno Christi 1169. Alexandri III. Papæ nomine ad Salutanum Iconii scripsit Epistolam de
B Institutione Fidei Christianæ, anno 1167. in Siciliam profectus erat cum Stephano Comitis Perticensis filio, unde postea reversus in Galliam Angliamque, obiisse videtur circa annum 1200. aut paulò post. De eo Matthæus Parisius, Trithemius, Baronius, Possevinus, Pitseus, aliique recentiores, sed omnium uberrimè Joannes Busæus Soc. Jesu in præfixa illius Vita editioni Moguntinæ, ubi inter cætera refutat Centuriatores Magdeburgicos qui eum tandem ad Archiepiscopatum Rotomagensem evectum fuisse commenti sunt, & plurima alia solito sibi more peccarunt.

Prima operum ejus editio Moguntiæ facta fuisse dicitur, quam vidit allegatque Busæus. Altera longè amplior, quam ille, non viderat, Parisiis apud
C Joannem Petitum anno 1519. complectitur Epistolas, Sermones, Expositionem in Job, contra perfidiam Judæorum, de Confessione, de Amicitia Christiana & dilectione proximi, de charitate & dilectione Dei. Tertiam adornavit idem Busæus editionem in 4. Moguntiæ anno 1600. Hoc ordine servato.

I. *Epistolæ Blesensis numero* 180. II. *Exhortationes vel Sermones* 51. III. *Tractatus de Transfiguratione Domini.* IV. *Tractatus de Conversione S. Pauli.* V. *Compendium super Job*, sive, Explanatio in duo priora Jobi capita, & in finem 42. VI. *Tractatus de Hierosolymitana peregrinatione acceleranda*, sive, ut alii
D citant, de accelerando passagio. VII. *Instructio fidei ad Soldanum Iconii ab Alexandro III. Romano Pontifice missa* anno 1169. VIII. *Liber de Confessione Sacramentali.* IX. *Liber de Pœnitentia vel satisfactione à Sacerdote injungenda.* X. *Canon Episcopalis*, vel Tractatus de Institutione Episcopi.

XI. *Invectiva contra depravatorem*, in qua ex quibusdam à se in lucem editis opusculis nonnulla recensuit, & inter cætera Dialogum ad Henricum Regem, librum de præstigiis fortunæ, & opus novellum de assertione fidei, quæ videntur hoc tempore adhuc desiderari, quemadmodum & liber de rebus gestis Henrici II. Regis Anglorum cujus meminit ipse epistola 14. quæ est ad Sacellanos ejus-
E dem Regis.

XII. *Tractatus de Amicitia Christiana*, in pluribus mutilus & imperfectus. In Cassiodoro Senatore supra monuimus falsò illi in editione anni 1588. suppositum fuisse Tractatum illum de Amicitia Christiana, qui verè est Blesensis, contra quam sensisse videtur vir doctus in Erotematis, qui conferendum monet cum ejusdem argumenti libro nomine Aelredi Cisterciensis edito Tomo XIII. Bibliothecæ Coloniensis.

Idem quoque eximius Theologus Soc. nostræ, quinquennio post edidit in eadem Moguntinensi urbe anno 1605. in 8. Paralipomena opusculorum Petri Blesensis, ac Joannis Trithemii, aliorumque ejus studio præcedentibus annis in Typographeo Moguntino editorum.

Petri Blesensis liber de Perfidia Judæorum. De Amicitia Christiana, integer ac perfectus, & ab innumerabilibus mendis vindicatus. De Charitate Dei & proximi.

Sequuntur, quæ ad Joannem Trithemium pertinent, de quibus infra suo loco Lectorem monebimus cum Hincmari Rhemensis Archiepiscopi duabus Epistolis atque Hymno de solemnitate S. Wigberti & duabus Homiliis. Cæterum idem Busæus ex priore illa Moguntina editione anni 1600. & Paralipomenis anni 1605. videtur posteriorem aliquam concinnasse, quem sequuti sunt Colonienses extremo Tomo XII. Bibliothecæ Veterum Patrum. Tu si vacat, per otium consule.

Præterea auctor fuisse perhibetur Petrus Blesensis Appendicis, quæ rogatu Abbatis & Conventus Croilandensis adjecta est ad Historiam Ingulfi de Monasteriis Angliæ, qua de re Vossium consule ex Briano Tuvino libro primo de antiquitate Oxoniensis Academiæ.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS Blesensis, natione Gallus, dignitate Archidiaconus Bathoniensis in Anglia, floruit ab anno 1160. usque ad 1200. & ultrà, scripsit multa quæ undique conquisita nuperrimè evulgavit Parisiis in folio apud Simeonem Piget anno 1667. via Jacobæa sub signo Prudentiæ, Petrus de Gussanvilla Carnotensis Presbyter doctissimus, cum Notis & variantibus Lectionibus, quæ quia nondum facta quando Opus suum vel Bellarminus vel Labbeus conscripserunt, ideò hìc Elenchum substituimus. Sunt autem ejusmodi Opera Petri Blesensis in editione hac præstantissima & ultima.

Epistolæ numero CLXXXIII. pag. I. *Sermones de variis argumentis* LXV. p. 267. Tractatus *de Transfiguratione Domini*, pag. 400. *Tractatus De Conversione Sancti Pauli* p. 404. *Compendium in Job*, p. 408. Tractatus *De Peregrinatione Jerosolymitana* p. 425. *Instructio fidei ad Soldanum Iconii*, p. 431. Liber *De Confessione Sacramentali*, p. 436. Liber *De Pœnitentia*, *vel Satisfactione*, pag. 444. *Canon Episcopalis*, vel Tractatus *De Institutione Episcopi*, p. 447. Invectiva contra Depravatorem, p. 455. Liber *contra perfidiam Judæorum*, pag. 462. Tractatus duplex *De Amicitia Christiana*, pag. 497. Tractatus *De utilitate Tribulationum* p. 553. Tractatus *Quales sunt* p. 563. Tractatus *De Divisione & Scriptoribus Sacrorum Librorum* p 596. Tractatus *De Eucharistia* metricè, p. 600.

Variantes lectiones & breves Notæ tam Joannis Busæi Theologi Soc. Jesu, quàm Petri de Gussanvilla Presbyteri, à pagina 619. ad 802. non contemnendæ. Continuavit *Historiam Ingulfi Croilandensis de Regibus Angliæ*, quem Ingulfum habes integrum cum continuatione Petri Blesensis, in fol. anno 1684. è Theatro Seldoniano Oxonii in Anglia, cum aliis Anonymis Historiis. Vidi etiam olim libros ejus *De præstigiis fortunæ* mss. in aliqua Bibliotheca, sed ubi nam gentium, meminisse non potui.

De Thoma Cisterciensi Mon. 1170.

SUPPLEMENTUM.

THOMAS Cistercii Monachus circa annum 1180. scripsit ad Pontium Claromontanum Episcopum, prolixum *Commentarium lib. 12. in Cantica Canticorum*, cujus Epistola dedicatoria incipit: *Vehementer obstupesco & ultrà quàm dici potest, admirari non desino*, &c. Prologus incipit: *Tria sunt Epithalamia, primum Historicum*, &c. Liber primus incipit: A *Osculetur me osculo oris sui. Hæc est vox Synagogæ*, &c. quem vidi mss. in Bibliothecis multis Abbatiarum Cisterciensis Ordinis, imò & impressum Parisiis anno 1521. typis Jodoci Badii Ascensii & Lugduni iterum anno 1571. & alibi. Fallitur Carolus de Vvisch, dum tres Thomas facit ex unico, alterum nempe Cistercii Monachum, alterum Persennæ, ac tertium de Valcellis in tractu Cameracensi, hos omnes hujus Commentarii auctores, cum tamen unius infantis unus dumtaxat pater esse possit. Dicitur vixisse usque ad annum 1190. imò usque ad 1200. Multi scripserunt de auctore præfati commentarii, qui fere omnes decepti sunt. *Primùs* Carolus de Vvisch *in Bibliotheca Scriptorum Cisterciensis* B *Ordinis* impressa Coloniæ Agrippinæ in 4. anno 1654. apud Joannem Buzæum, & in 4. Duaci anno 1649. apud Joannem Serrurier, ut supra diximus, auctorem hujus Commentarii facit tres Thomas variis locis, unum Cisterciensem, alterum Persennensem ac tertium tandem Valcellensem juxta Cameracum. *Secundus* Joannes le Page Auctor Bibliothecæ Præmonstratensis lib. I. cap. 17. pag. 307. quæ prodiit in fol. Parisiis anno 1633. apud Adrianum Taupinard, vel ex simplicitate vel ex affectatione aut fide aliena, attribuit hunc Commentarium *Thomæ quidam Viconiensis Ecclesiæ Ordinis nostri Præmonstratensis Canonico*, ut sine dubio ditaret Ordinem suum Scriptore extraneo. At mallem ego nudus esse, quàm alienis indui. Cùm C itaque anno 1680. Viconiæ per quindenam mansissem, omnesque hujus Bibliothecæ *olim* insignis manuscriptos Codices excussissem, veniens ad hunc Commentarium; tenui, volvi, legi, inveniensque anonymum si solum *Thomæ* nomen ei appictum excipias, agnovi nec illic ullam literulam, qua alicui Viconiensi Canonico attribueretur. Cùm autem in multis jam aliorum Ordinum Bibliothecis hunc Commentarium reperissem, sæpius anonymum, aliquando cum expresso nomine *Thomæ Cisterciensis & Epistola prævia ad Pontium Claromontanum Episcopum*, imò & primas tam Epistolæ quàm præfationis ac primi Libri Symbolas memoriter possiderem, statim intellexi esse ipsum opus Thomæ Mo- D nachi Cisterciensis, tam sæpè à me visum in Bibliothecis aliis. Itaque vel bonus Joannes le Page opinatus est, quidquid anonymum inveniebatur in Manuscriptis Viconiensibus, spectare ad *Fratres Viconienses*: vel quis alius eum fefellit, forsitan ex Viconiensibus satis in sui gratiam credulis, quod de Belgis omnibus in Hispanica ditione manentibus, expertus sum. *Tertius* aperto marte collatisque signis, hunc commentarium auctori sui Ordinis vendicare, imò furari omnimodis cavillationibus conatus est. Hic Paulus Reatinus Minorita Observantinus, qui præmaturo in suum Joannem Scotum zelo, ut hunc Franciscanum quem Doctorem subtilem appellant, ad- E huc clariorem cæteris, suisque cariorem redderet; aggressus est audaci ausu sed irrito tandem conatu, evulgare hunc Commentarium Romæ anno 1665. in folio ex Typographia Stephani Caballi, suo falso nomine *Joannis Duns Scoti, Doctoris subtilis, super Canticum Canticorum Salomonis*. Hoc cùm rescivisset Joannes Malgorius Bonæ-Cumbæ Monachus & Procurator Generalis Ordinis Cisterciensis in Curia Romana, opposuit se pro parte Ordinis sui nefariis Conatibus Pauli Reatini, impressionemque impediit. Interea nec ab incœpto destitit Paulus Reatinus, qui audaciam suam justum sibi titulum reputans, traxit in causam Cisterciensem Malgorium, reum simul & insontem. Intentata lite, rationibus hinc atque inde allatis, Chartis atque probationibus in medium productis, tandem *hoc Commentario in Cantica Canticorum*

corum tonsus est Joannes Duns Scotus, confusus (si tamen confusionis idoneus fuit) Paulus Reatinus Minorita Observantinus, convictusque temeritatis & audaciæ. *Sententia definitiva in forma publica Reverendissimi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici* prolata anno MDCLV. indictione VIII. die verò decima quinta Martii, *qua diffinitivè pronuntiavit librum super Cantica Canticorum fuisse, & esse compositum, confectum & editum à R. P. Thoma Cisterciense. Et erroneè ac perperam per R. P. Paulum Reatinum Minoritam, & alios litis consortes, procuratum fuisse & esse imprimi, & publicari sub nomine Joannis Duns Scoti, Doctoris subtilis: cum inhibitione, ne sub nomine Scoti imprimatur, vendatur, & usu recipiatur, sed sub solo nomine Thomæ Cisterciensis.* Sic subsignatum. *Ita pronunciavi ego Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Prædicatorum, Sacri Apostolici Palatii Magister D. Joannes Garzias Valentinus Notarius.* Vidi unum ex his Romanæ impressionis exemplaribus in Bibliotheca Benedictinorum S. Germani de Pratis Parisiensibus, in folio, ubi à pagina prima ad 403. & ultimam inscribitur JOANNIS DUNS SCOTI IN CANTICA, &c. juxta editionem citatam Pauli Reatini Minoritæ : sed Frontispicium ac primarius operis titulus, THOMAS CISTERCIENSIS IN CANTICA CANTICORUM, *Opus Concionatoribus utilissimum, ad Eminentissimum & Reverendissimum Principem Jacobum, S. R. E. Cardinalem Ninium, Sacri Palatii Apostolici Præfectum, & Sacri Ordinis Cisterciensis Protectorem clementissimum.* Doluit procul dubio Paulus Reatinus, qui suum Joannem Scotum similem sancto Thomæ Aquinati facere non potuit, per furtivam substitutionem hujus Commentarii in Cantica Canticorum. Atque utinam ausus similes simili censura comprimerentur, nec invenirentur tot Charitativi Anonymorum Scriptorum parentes! Multa hæc, non tamen brevius mihi litem hanc depingere licuit. De *Thomæ hujus Commentario*, nos iterum paucis postea ad annum 1230. ubi agemus de *Joannis Abbatis-Villani* Scriptis.

De Romualdo Salernitano. 1170.

SUPPLEMENTUM.

ROMUALDUS Salernitanus Archiepiscopus perduxit Chronicon usque ad annum 1177. quod opinor est nullibi impressum, nam ubique gentium post plurimam inquisitionem, invenire illud non potuimus. Citatur autem sæpiùs à Baronio in suis Annalibus, & aliquando in Summa Conciliorum, de quo vide Vossium lib. 3. de Historicis Latinis cap. 7. pag. 781. ubi vult ms. in Bibliothecis Vaticana & Salernitana. Audio etiam ms. in Bibliotheca Regia Galliarum.

De Gilberto Præposito. 1170.

SUPPLEMENTUM.

GILBERTUS seu GISLEBERTUS Præpositus Ecclesiæ S. Vvaldetrudis in Urbe Montensi apud Hannonios, & Balduini Magnanimi Flandriæ & Hannoniæ Comitis anno 1170. defuncti Cancellarius, scripsit *Historiam à creatione Mundi ad sua usque tempora*, quæ manuscripta extat in Archivio Nobilium Virginum Canonicarum Montensium. Citat eam frequenter *Jacobus Guisius* in suis Hannoniæ Annalibus, quorum autographum ms. vidit Aubertus Miræus, Montibus in Bibliotheca Franciscanorum.

De Roberto Paululo. 1170.

SUPPLEMENTUM.

ROBERTUS PAULULUS Presbyter & Domesticus Episcopi Ambianensis, scripsit circa annum 1178. *Libros tres de Officiis Ecclesiasticis*, quos mss. in Codice optimæ notæ habet Bibliotheca S. Germani Parisiensis ex Corbejensi : sed tam separatim impressos, quàm cum operibus Hugonis Victorini, eique ut & alii plures, perperam in editionibus nuperis attributos; nam desunt in veteri. Ad eumdem auctorem spectat opusculum inscriptum, *Canon Mystici Libaminis*, quod habetur etiam inter opera ejusdem Hugonis Victorini. Subscripsit variis instrumentis seu Cartis in tabulario Corbejensi annis 1174. 1179. & 1184. ut indicat Joannes Mabillon præfatione ad tomum primum sæculi tertii Benedictini pag. 55. unde hæc habuimus.

De Guarnero Canonico. 1170.

SUPPLEMENTUM.

GUARNERUS Canonicus & Supprior Abbatiæ sancti Victoris Parisiensis, floruit pariter circa hunc annum 1178. scripsitque opus *Gregorianum* inscriptum, seu *Allegoricas explicationes rerum Biblicarum ex libris & verbis Divi Gregorii Papæ* : quod Parisiis editum in 8. anno 1608. cura & studio Joannis Picardi Canonici sancti Victoris. Plura non suppetunt quæ scribantur de Guarnero, quem tamen pluribus commemorant ex domesticis suis instrumentis, Canonici Regulares sancti Victoris, in Historia Abbatiæ suæ quam scripsit Joannes de Dolosa Canonicus ejusdem loci. Jam nos supra de eo egimus ad annum 1110. verbo *Guillelmus de Campellis*, cui dictum opusculum attribuere videtur Albericus Trium fontium Ord. Cisterciensis Monachus *in Chronico*.

De Petro Cellensi. 1180.

PETRUS Abbas Cellensis primum, deinde sancti Remigii ac demum Episcopus Carnotensis, scripsit varios tractatus, *de panibus lib.* 1. *de Tabernaculo Moysis libros* 2. & *de conscientia lib.* 1. qui extant tomo 9. Bibliothecæ sanctorum Patrum. Scripsit etiam *Epistolas plurimas ad diversos*, quæ in libros novem digestæ, excusæ sunt Parisiis. Scripsisse & alia constat, quæ in lucem nondum prodierunt.

DISSERTATIO HISTORICA.

PETRUS, patria Gallus, primùm Monasterii Cellæ propè Trecas postea S. Remigii in suburbio Rhemensis urbis Abbas, defuncto Joanne de Sarisberia Carnotensi Episcopo, in ejus locum subrogatus est anno 1182. & obiit anno 1187. 11. vel 12. Kalendas Martias ex Necrologio Ecclesiæ Carnotensis, sepultus in Abbatia Sanctæ Mariæ de Josaphat. Ad eum scripserunt, ejusve meminerunt in suis Epistolis Alexander III. Papæ, S. Bernardus, Nicolaus Claræ-vallensis Monachus S. Bernardi Secretarius, Joannes Sarisberiensis, Stephanus Tornacensis, & alii, ut pluribus Sirmondus noster, quem pro more exscripsit Aubertus Miræus in Auctario.

Epistolarum libri novem. Item Alexandri Papæ III. ad eumdem Petrum Cellensem & alios Epistolæ 56. cum notis R.P. Jacobi Sirmondi Soc. Jesu ejusdemque elegantissima ad Cartusianos Montis Dei epistola

ſtola nuncupatoria prodierunt Pariſiis anno 1613. in 8. deinde in Bibl. Pariſienſi & Colonienſi in quibus occurrunt etiam ſequentia opuſcula quæ jam ab anno 1600. fuerunt in 8. excuſa in eadem urbe Pariſienſi ex Bibliotheca V. C. Nicolai Fabri.

Liber de Panibus, ad Joannem Sariſberienſem poſtea Epiſc. Carnotenſem. *Moſaici Tabernaculi myſticæ expoſitionis libri duo. Liber de Conſcientia*, ad Alcherum Monachum. Spem quoque fecerat V. C. Nicolaus Camuzatius, Eccleſiæ Trecenſis Canonicus, plura, quæ adhuc lucem expectant, è tenebris ſe eruturum, ſed non puto præſtitiſſe: ſaltem nihil me vidiſſe aut audiviſſe recordor.

Supplementum.

PETRUS primùm Abbas Cellenſis ad muros urbis Trecenſis anno 1154. poſteà Rhemis ad Sanctum Remigium, Hugone mortuo anno 1162. electus eſt. Porrò cum prudenter per annos circiter novemdecim rexiſſet, Joanni Saresberienſi in Epiſcopatu Carnotenſi ſucceſſit anno 11882. quod commendatione Guillelmi Cardinalis factum eſt. Scripſit *De Panibus*, *de Tabernaculo*, *& de Conſcientia*, quæ Opuſcula ex Bibliotheca Nicolai Fabri Pariſienſis primùm prodierunt. Ejuſdem *Libros novem Epiſtolarum* poſteà Jacobus Sirmondus Lutetiæ edidit, cum *Alexandri III. Papæ Epiſtolis octo & viginti*. Extant hæc omnia tom. 12. Bibliothecæ Veterum Patrum à Colonienſibus anno 1618. editæ. Denique ſcripſit *Librum de Diſciplina Clauſtrali ad Henricum Campaniæ Comitem*, *Sermoneſque de tempore & de Sanctorum Feſtivitatibus*, cujus omnia Petri Opera noviſſimè impreſſa ſunt Pariſiis anno 1671. apud Ludovicum Billaine in Palatii Aula, ſtudio & curis Anonymi Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri. Huic Petro Abbati de Cella Bernardus Epiſtola 293. Saresberienſis Epiſtola 75. 77. 81. Nicolaus Clarævallenſis Epiſt. 20. 24. & 28. ſcribunt, eidemque ut Abbati Sancti Remigii idem Saresberienſis Epiſtola 280. & Alexander Papa III. paſſim. Stephanus verò Tornacenſis ejuſdem ut Epiſcopi Carnotenſis meminit Epiſtola 136. Obiit Petrus anno 1187. undecimo Kalendas Martias, ex Necrologio B. Mariæ Carnotenſis, ſepultus in Abbatia Sanctæ Mariæ de Joſaphat: de quo Sammarthani in Gallia Chriſtiana tomo 2. in Epiſcopis Carnotenſibus, & tomo 4. in Abbatibus Cellenſibus & S. Remigii Rhemenſis, poſt Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 370. pag. 252. & alios.

De Guerrico Abbate. 1180.

GUERRICUS ABBAS Igniacenſis ordinis Ciſtercienſis, ſancti Bernardi olim diſcipulus, ſcripſit *ſermones de tempore & ſanctis*, qui Pariſiis primùm editi ſunt anno 1539. Scripſiſſe præterea dicitur *epiſtolas ad diverſos*: ſed hæc nondum excuſæ ſunt.

Dissertatio Historica.

GUERRICUS, ſeu Guarricus, ex Tornacenſi Canonico, & Scholæ Magiſtro Religioſus Ordinis Ciſtercienſis, & Abbas Igniacenſis Cœnobii in Diœceſi Rhemenſi, vixit ſæculo 12. cumque circa annum Chriſti 1140. fuiſſet diſcipulus Sancti Bernardi Claræ-vallenſis Abbatis, ſuperfuiſſe dicitur uſque ad annum 1157. quo obiit die 19. Auguſti. De eo Trithemius, ut omittam Manriquem, Henriquem, Viſchium Bibliothecæ Ciſtercienſis auctorem, alioſque, qui de illius Ordinis Viris Illuſtribus ſcripſerunt.

Joannes Gagnæus Theologus Pariſinus, Franciſci I. Francorum Regis Doctor ac primus Eleemoſynarius, ex mſ. codice Cœnobii Vallis-lucentis primus emiſit in lucem anno 1539. apud Gervaſium Chevallonium, *Sermones B. Guerrici de Tempore per annum*, verè aureos, mellitoſque, quos deinde in Gallicam dialectum verſos anno 1547. vulgavit. Eos poſt varias editiones ab Horſtio emendatos nuper emiſerunt Typographi initio Tomi VI. operum Bernardi, cum Gilleberti de Hoyllandia aliquot opuſculis. Vide quoque Tomum XIII. Bibliothecæ Colonienſis, ubi epiſtola Joannis Coſterii Canonici Ord. S. Auguſtini.

De Gulielmo Tyrio. 1180.

GULIELMUS ARCHIEPISCOPUS Tyri vivebat anno Domini 1180. quo anno Manuel Imperator græcorum obiit, ut ipſe teſtatur lib. 22. hiſtoriæ ſuæ cap. 4. & 5.

Scripſit *hiſtoriam de bello ſacro libris viginti tribus*, ſed liber viceſimus tertius, ab ipſo inchoatus, non abſolutus fuit, incipit ab anno Domini 1095. & perduxit hiſtoriam uſque ad annum 1180. ſed continuavit Joannes Heroldus additis libris ſex ad annum Domini 1521.

Dissertatio Historica.

GUILLELMUS, quibuſdam creditus natione Gallus, aut Germanus, electus eſt Tyri in Phœnicia Archiepiſcopus die 30. Maji anni 1175. ſed Junii dumtaxat 8. Dominica die conſecratus, ut ipſe narrat cap. 9. libri 21. in Occidentem, adeoque in Gallias venit anno 1188. ut ex Rogerio Hovedeno & Matthæo Pariſio diſcimus. Plura de eo ex recentioribus Joannes Heroldus, qui ejus Hiſtoriæ Sacræ libros ſex addidit, Jacobus Bongarſius in Præfatione ad Geſta Dei per Francos, Gerardus Jo: Voſſius de Hiſtoricis Latinis, Baronius, Miræus, aliique. Quo anno obierit, non conſtat.

Hiſtoriarum de Bello Sacro libros 23. pertexuit ab anno 1095. ſive Concilio Claromontano habito tempore Urbani II. Papæ, uſque ad annum 1180. liber 23. non eſt abſolutus. Opus illud tum ſeorſim editum habetur, tùm in Collectione Bongarſiana.

Fuit alter Guillelmus, Tyri ſimiliter Achiepiſcopus, Hiſtorico noſtro antiquior, cujus extant Epiſtolæ quædam ad Bernardum Patriarcham Antiochenum, qui anno circiter 1127. mortuus eſt.

De Friderico Æneobardo. 1180.

Supplementum.

FRIDERICUS primus Imperator, dictus Æneobardus, eo quod eſſet Rufus, floruit in Imperio ab an. 1152. ad 1190. de cujus rebus præclarè geſtis auctores varii Baſileæ impreſſi in folio anno 1569. Expeditio ejus Aſiatica in qua periit, ab æquævo Scriptore Conſcripta atque, ut credimus, à Chriſtiano de Buck Moguntino Archiepiſcopo impreſſa Ingolſtadii in 4. anno 1664. tom. 5. antiquæ Lectionis Henrici Caniſii. *Epiſtolæ ejus plures* apud Melchiorem Goldaſtum in Collectaneo Conſtitutionum Imperialium, & alibi in aliis dicti Goldaſti Collectaneis operibus. Item aliæ paucæ in Spicilegio Lucæ Dacherii & in Miſcellaneis Stephani Ba-

ni Baluzii ; aliisque veterum Scriptorum hujus sæculi Collectionibus.

De Laborante Cardinali. 1180.

SUPPLEMENTUM.

LABORANS (ita enim proprio nomine dictus) S.R.E. Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Mariæ trans Tiberim, anteà verò Diaconus sanctæ Mariæ in Porticu, Philosophus & Theologus insignis, edidit anno Domini 1182. elaboratissimam (ut Baronii Cardinalis verbo utar) *Canonum Collectionem*. Extat item ejus *Opus ad Majorem magnum Siciliæ Ammiratum, de Justitiæ rationibus quadripartitum. Opus ad Hugonem Panormitanum Archiepiscopum, idemque tripartitum. Epistola ad Hugonem*. Fortè eumdem, *contra Sabellianos rursum reviviscentes. Altera ad Vivianum Cardinalem S. Stephani in cœlio monte de Appellationibus*, quæ non integra sed recisa legitur. Continet has omnes Laborantis lucubrationes Codex membraneus Basilicæ S. Petri in Urbe, ut habet Baronius tom. 12. Annalium ac post eum Antonius Possevinus in Apparatu Sacro verbo *Laborans*.

De Gilberto Foliot. 1180.

SUPPLEMENTUM.

GILBERTUS FOLIOT Leicestrensis Cœnobii Canonicorum Regularium Abbas fuit, atque Episcopus primùm Herefordensis, postea Londinensis. Scripsit *Expositionem in Cantica Canticorum*, quæ inscripta est ad Robertum Herefordensem Episcopum successorem suum, quam edidit Patricius Junius Londini in 4. anno 1638. cum Compendio Alchuini in eadem Cantica. Vixit in Episcopatu annis 23. obiitque anno Virginei partus 1187. infensus S. Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo, dum viveret.

De Theodorico Monacho. 1180.

SUPPLEMENTUM.

THEODORICUS Monachus incomperti Cœnobii, scripsit circa annum 1180. *Historiam brevem de rebus Ecclesiasticis ac regibus Norvvagiæ*, quam obtulit Augustino Nidrosiensi Archiepiscopo, qui circa eumdem annum florebat. Hanc Historiolam cum altero Anonymi opusculo *De profectione Danorum in Terram Sanctam* anno 1185. suscepta, erutam ex Schedis Joannis Kirkmanni Lubecensis, edendam curavit Nepos ejus Gaspar Kirchmannus Amstelodami an. 1684. in 18. apud Jansonium Vvaesbergium.

De Christiano Abbate. 1180.

SUPPLEMENTUM.

CHRISTIANUS Abbas circa annum 1180. scripsit *Collectaneum quoddam Sermonum de variis argumentis cum brevibus expositionibus diversorum locorum Sacræ Scripturæ*, quod habetur in folio mf. in Bibliotheca Abbatiæ S. Germani Parisiensis numero 769. aliunde illuc allatum. Anonymus recens attribuit hos Sermones in inscriptione novissima huic mf. Codici apposita, cuidam Christiano Abbati S. Petri in Valle Carnotensi Ordinis D. Benedicti, sed meo quidem judicio fallitur. Nam in Gallia Christiana Sammarthanorum Fratrum ubi referuntur Abbates sancti Petri in Valle Carnotensi, nul-

A lus legitur Christianus nomine in toto syllabo Abbatum. 2. Scriptor istorum Sermonum in prooemio affirmat se scribere stylo simplici, nec affectasse Gallicanum dicendi eloquentiæ Cothurnum, quomodo declarat apertè alium se à Gallicis Abbatibus ac regionibus. Unde Joannes Mabillon tom. 3. Analectorum p. 451. aliam init viam cognoscendi horum Sermonum auctoris Christiani Abbatis, quos opinatur (nec enim positive affirmat) posse attribui Christiano Moguntino Archiepiscopo, qui floruit anno 1180. obiitque juxta Romam anno circiter 1183. hunc enim Christianum in Gallia Christiana Fratrum Sammarthanorum tom. 1. in Archiepiscopis Moguntinensibus pag. 356. *probè Litteris instructum fuisse, libri* (inquiunt) *ab eo editi testantur. Nam præter Epistolas & Conciones, composuit Tractatum De Vita & Gestis Imp. Friderici Barbarossæ, qui ejus opera plurimùm usus est in legationibus obeundis: in hoc tamen vituperandus, quod Militaribus studiis nimium deditus esset*. Itaque sic censet, innixus testimonio Fratrum Gemellorum in sua Gallia Christiana. Porrò quod scripserit acta Friderici primi Imperatoris, testatur Vossius lib. 2. De Historicis Latinis cap. 53. pag. mihi 435. atque acta ista creduntur esse *ipsa expeditio Asiatica Friderici primi*, quam habet Henricus Canisius tom. 5. antiquæ Lectionis: unde colligendum est hunc Christianum Moguntinensem obiisse post annum 1184. vel 1186. ut eam scribere posset. At quantùm ad hos Sermones quorum occasione hìc de Christianis duobus agimus, adscribuntur perperam Christiano Moguntinensi Archiepiscopo. Quamvis enim inter Archiepiscopos Moguntiacenses sint duo Christiani tempore non multum distantes, neuter tamen fuit Abbas vel Monachus, sed primus ante Archiepiscopatum Archicancellarius Imperatoris, alter verò Præpositus ipsius Ecclesiæ Moguntinensis: Unde cùm Scriptor istorum Sermonum Abbas appelletur & ita in mf. Codice quem tenui, inscribatur; nequaquam convenit cum Christianis Moguntinensibus Archiepiscopis, qui numquam Abbates vel Monachi fuerunt. Commodiùs itaque attribuentur uni è duobus Christianis Claræ-vallensibus primùm Monachis, qui olim Divi Bernardi Discipuli, assumpti tandem sunt ad Infulas Abbatiales & Episcopales in Hybernia, de quibus mentionem facit Arnoldus lib. 2. De Vita S. Bernardi cap. 8. dum de Viris illustribus è Clara-Valle ad Infulas Episcopales aut purpuram Cardinalitiam assumptis. Favet huic sententiæ nostræ, quod *plurima ex his Sermonibus vel brevibus Expositionibus in diversos Scripturæ locos*, desumpta sint ex Operibus & Commentariis S. Bernardi: quod promptum fuit his Christianis ejus olim Discipulis, numquam autem vel raro usitatum Abbatibus Ordinis D. Benedicti, vel aliorum Ordinum. Hæc dicta absque præjudicio certiorum, contra opinationes nostras. Claruerunt uterque Christianus, Scriptores de quibus suprà, anno 1180. & ulteriùs.

De Joanne Cinnamo. 1180.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES CINNAMUS Historicus Græcus, qui se Grammaticum Regium appellat, floruit anno 1180. & scripsit *Historiam* qua compendio Joannis Commeni, diffusè verò Emmanuelis Commeni filii res gestas depingit: impressam Græcè & Latinè Ultrajecti in 4. anno 1652. cum Notis Cornelii Tollii, itemque Parisiis in fol. anno 1671. ex Typographio Regio cum Commentariis & Notis Petri Possini.

De Joanne Phoca. 1180.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES PHOCAS Historicus Græcus eodem tempore vivens, scripsit *parvulam Historiam*, quam suis in Simmictis evulgavit Leo Allatius. Editum autem Opus Simmictorum duobus libris in 8. Coloniæ Agrippinæ anno 1653. apud Judocum Calcovium. Claruit circa annum 1180.

De Hildegarde Abbatissa. 1180.

SUPPLEMENTUM.

HILDEGARDIS Abbatissa Ordinis Divi Benedicti, in Monte sancti Ruperti ad Naham fluvium propè Bingam, claruit multis, ut volunt, revelationibus, quæ apud Devotos multùm æstimantur; sed apud graves & doctos viros sunt modici admodum ponderis, idem omninò sentientes de cæteris omnibus Visionibus. Multa scripsit quæ ex mss. Codicibus eruta evulgata sunt anno 1566. Coloniæ, indeque translata in Bibliothecam sanctorum Patrum editionis Coloniensis anno 1618. & editionis ultimæ Lugdunensis apud Anissonium anno 1677. tom. 23. non omnia tamen. Sunt autem sub nomine sanctæ Hildegardis *Physicorum seu de rerum Natura lib. IV.* impressi Argentinæ anno 1533. *Libri tres Revelationum quos Scivias* appellavit, impressi in fol. Parisiis anno 1513. apud Henricum Stephanum, & mss. in Anglia Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 188. Vita *sancti Roberti Confessoris Bingiorum Ducis*, *Epistolæ variæ*, *XXXVIII. Quæstiones & Expositio Regulæ sancti Benedicti* quas cum Vita sanctæ Hildegardis 3. libris, habet Bibliotheca SS. Patrum editionis Coloniensis 1618. sæculo 12. pag. 612. ejusdem *Prophetiæ* mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii S. Benedicti codd. 71. & 216. Obiit anno 1180. die 17. Septembris.

De Balduino Cant. Archiep. 1180.

SUPPLEMENTUM.

BALDUINUS seu BALDEVVINUS Fordæ in Anglia quondam Abbas Ordinis Cisterciensis claruit anno 1180. factus ab an. 1171. Cantuariensis Archiepiscopus in locum sancti Thomæ Martyris. Scripsit *multa*, quæ tandem ex mss. Codd. eruta, immissa sunt in tomum 5. Bibliothecæ veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis pag. 1. & sequentibus, quem anno 1662. edidit Bertrandus Tissier Prior Bonifontis. Balduinus hic cognominabatur *Devonius*, cujus sub nomine Cantuariensis Archiepiscopi *Sermones* mss. inveniuntur cod. 634. Bibliothecæ Colbertinæ clarissimæ. Sunt autem Opera impressa *Tractatus XVI. de diversis argumentis* quæ incipiunt: *Sacramentum Dominici Corporis & Sanguinis pro sua dignitate*, *&c.* pag. 1. lib. 1. *De Commendatione fidei*, *omnia fœdera societatis humanæ*, *&c.* pag. 74. liber 1. *De Sacramento Altaris* dedicatus per Epistolam Bartholomæo Oxoniensi Episcopo qui incipit, *Amantissimo Domino & Patri B. &c.* p. 103. & seqq. Plura absque dubio tibi subministrabit Carolus de Vvisch in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis in 4. impressa Coloniæ Agrippinæ anno 1656. apud Joannem Busæum. Advertat autem Lector in ms. Codice Colbertino de quo supra, inveniri tres adhuc Homilias hujus Balduini, quæ non sunt impressæ. *Prima* exhortatio ad Sacerdotes quæ incipit: *Vos, ò Sacerdo-*

A *tes Domini*, *attendite à voluptatibus carnis*, *&c. Secunda* De obedientia & inobedientia ad textum: *Melior est obedientia quàm victima*, *&c.* quæ incipit, *Quantum sit obedientiæ bonum*, *& quantum è diverso inobedientiæ malum &c. Tertia* De sancta Cruce: *Convenite populi nationum ad stupendum divinæ virtutis spectaculum*. Hoc annotasse juvat, propter Collectores Scriptorum veterum. Tractatus Balduini Devonii nobiliores ex sexdecim impressis sunt, 3. *De dilectione Dei*: Movere nos potest, &c. pag. 7. 4. *De duplici Resurrectione*, *quæ per obedientiæ perseverantiam obtinetur*, 12. 5. *De Requie quam sibi & nobis Christus quæsivit & paravit*, 17. 6. *De Efficacia Divini eloquii*, 22. 7. *De Salutatione Angelica*, 28. 8. *De vulnere Charitatis*, *quod sponsa infli-*
B *git sponso*, 33. 9. *De Beatitudinibus Evangelicis*, 36. 11. *De Crucifixione veteris hominis*, 51. 15. *De Vita Cœnobitica seu Communi*, 62. 16. *De Pulchritudine Nazaræorum*, 70. cæteris minus præcipuis.

De Philippo Abbate Cisterciensi. 1180.

SUPPLEMENTUM.

PHILIPPUS ex Priore Claræ-Vallis, Abbas de Eleemosyna Ordinis Cisterciensis, claruit etiam per id temporis, scribens *varias Epistolas*, quas habet dictus Bertrandus Tissier tomo 3. Bibliothecæ veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis, pa-
C gina 238.

De Alano Monacho. 1180.

SUPPLEMENTUM.

ALANUS Monachus Claræ-Vallis, inde Abbas Ripatorii, quod Hatto Tricassinus Episcopus fundaverat anno 1140. demum Episcopus Antissiodorensis post Hugonem anno 1152. Sarcina quam ob solitudinis amorem abjecit anno 1167. consentiente Alexandro III. Summo Pontifice. Scripsit hic Alanus *Compendio Vitam sancti Bernardi Claræ-Vallensis Abbatis*, quam latiùs antea Guillelmus, Arnaldus &
D Gaufridus posteà Abbas Claræ-Vallis quartus digesserant; editam præmissamque Operibus Divi Bernardi, editionis anni 1667. à Joanne Mabillon. Reversus ad Claram-Vallem Alanus, cessit rebus humanis anno circiter 1184. die 14. Octobris. Plura dabunt Scriptores omnes rerum Cisterciensium, & Fratres Sammarthani tom. 2. Galliæ Christianæ in Episcopis Antissiodorensibus.

De Henrico Cardin. Petro Abbate Claræ-Vallensi, & Guarnero Episcopo Lingonensi. 1180.

E

SUPPLEMENTUM.

HENRICUS ex septimo Abbate Claræ-Vallis, Albanensis Episcopus Cardinalis: PETRUS octavus Abbas dicti loci, & GUARNERUS ex nono Abbate Episcopus Lingonensis, celebres eodem tempore scripserunt, quorum Scripta in dicta Bibliotheca Veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis. Nam Henrici *Tractatus de peregrinante Civitate Dei*, tom. 3. dictæ Bibliothecæ pag. 1. & *Epistolæ* pag. 252. cum aliis Epistolis quorumdam Monachorum & Abbatum Claræ-Vallis pag. 257. ad 264. *Epistolæ* Petri pag. 264. & seqq. *Sermones* verò Guarneri noni Abbatis ibidem pag. 75. quæ omnia prælo dignissima sunt; de quibus qui plura voluerit, consulat Galliam Chri-

Christianam Sammarthanorum fratrum, *in Abbatibus Claræ-Vallis & Episcopis Lingonensibus.*

De Isaaco Stellæ. 1180.

SUPPLEMENTUM.

ISAAC STELLÆ Abbas Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Pictaviensis, clarus circa annum 1188. scripsit *Sermones*, quos edidit Bertrandus Tissier tomo 6. Bibliothecæ Scriptorum Veterum Ordinis Cisterciensis. Huic etiam attribuitur *Tractatus de Spiritu & Anima*, qui legitur inter Opera sancti Augustini suppostitia, & quem communiter attribuunt omnes Hugoni Victorino, inter cujus Scripta extat tomo secundo pag. 145. ubi est secundus *De Anima*, etsi hic non procedat ultra caput quinquagesimum ejus Operis qui legitur tomo tertio pagina 394. Operum Divi Augustini.

De Bartholomæo Anglo. 1180.

SUPPLEMENTUM.

BARTHOLOMÆUS natione Anglus, ex primis Theologiæ Scholasticæ Alumnis, Academiam insignem Oxoniensem suis curis fecit, unde meritis hominem promoventibus, ad Episcopales Oxoniæ Infulas sublimatus, quas omni virtutum ornamento extulit. Interfuit variis Conciliis sæculo 12. annis nempe 1164. 1175. 1177. ut videre est in tomis Conciliorum ultimæ editionis. Scripsit *Pœnitentiale omnibus Sacerdotibus necessarium*, ex Sanctis Patribus desumptum, multis capitibus compositum, quod ms. asservatur in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis. Vixit usque ad annum 1180. & ultra.

De Odone de Cheritona. 1180.

SUPPLEMENTUM.

ODO DE CHERITONA, seu CERITONA, Anglus pariter atque ejusdem temporis & ingenii, quoad studia Litterarum promovenda in Anglia, floruit circa annum 1184. & scripsit *Summam de Pœnitentia, cum aliis multis ad Decalogum & peccata mortalia pertinentibus*, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 101. & Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi cod. 185. Item *Homilias de tempore*, mss. in citata Bibliotheca Domus Sancti Petri cod. 102. ubi appellatur *Odo Chirton*, vel *Odo de Chelton*. Ita in Ecloga mss. Oxonio-Cantabrigiensi lib. 2. pag. 48.

De Bernardo Abbate Præmonstratensi, & Emengardo. 1180.

SUPPLEMENTUM.

BERNARDUS Abbas Fontis Calidi Ordinis Præmonstratensis, & *Ermengardus* hoc circiter tempore scripserunt contra Vvaldenses, quorum Opuscula vide in Bibliotheca Sanctorum Patrum.

De Roberto de Torinneio. 1180.

SUPPLEMENTUM.

ROBERTUS DE TORINNEIO Monachus Ordinis D. Benedicti, & Prior Monasterii Beccensis, Abbas tandem electus est Cœnobii S. Michaelis in periculo maris, sive de Monte, unde *Robertus de Monte* vulgò appellatus est, quod contigit anno 1154. sexto Kalendas Junii. Scripsit *Accessiones & Appendicem ad Sigeberti Chronicon*, *gesta Henrici II. Anglorum Regis*, *Tractatum de Immutationibus Monachorum*, *De Abbatibus & Abbatiis Normannorum*, *& Ædificatoribus ac Dotatoribus earum*: *Historiam Monasterii sancti Michaelis in periculo maris*. Ipsum commendant Chronicon Beccense ad annum MCLIV. & Henricus Huntingtoniensis in Epistola ad Varinum, ubi *Robertum de Torinneio tam divinorum quàm sæcularium librorum Inquisitorem & Coacervatorem studiosissimum* prædicat. Chronicon suum ab anno 1112. ubi desierat Sigebertus, ad annum 1182. perduxit. Quæ autem Appendix ad Sigebertum inter illustres Germaniæ Historicos edita est, maxima ex parte est alterius Auctoris, nempe ab anno 1110. ad annum 1155. Germanam autem Appendicem ad Chronicon Sigeberti ex Autographo Monasterii S. Michaelis de Monte, & ejusdem Accessiones ad Sigebertum, & Tractatum de Immutationibus Monachorum, & de Abbatiis Normanniæ edidit vir doctissimus Lucas Dacherius ad calcem Operum Guiberti Abbatis Novigentini, de quibus egimus *in Guiberto* ad annum 1120. *Historiam etiam Monasterii sancti Michaelis de Tumba*, uti appellant Veteres, habet in suo Spicilegio citatus Lucas Dacherius. Plura de Roberto Lucas citatus in præliminaribus ad Opera quæ edidit, Aubertus Miræus in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 351. pag. 245. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, Sammarthani fratres in Gallia Christiana tom. 4. pag. 642 *in Abbatibus sancti Michaelis*, Natalis Alexander in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæculo 12. tom. 1. cap. 6. pag. 549.

De Gaufredo Monacho. 1180.

SUPPLEMENTUM.

GAUFREDUS Monachus sancti Martialis, & Prior Vosiensis Cœnobii in Diœcesi Lemovicensi, scripsit anno 1184. *Chronicon*, quod ex ms. codice edidit Philippus Labbeus tom. 2. pag. 330. suæ Bibliothecæ librorum manuscriptorum, quam procuravit in fol. Parisiis anno 1657. apud Sebastianum Cramoisy via Jacobæa sub Ciconiis, ubi multa Opera antehac nondum edita fuerant.

De Gerhoho Abbate. 1180.

SUPPLEMENTUM.

GERHOHUS Reicherspergensis in Bavaria Abbas florebat anno 1188. qui scripsit *Syntagma de Henrico IV. & V. Imperatoribus, & Gregorio VII. Summo Pontifice, variis constans Opusculis*: quod cum refutatione Alogiarum Annæ Comnenæ *in Alexiade*, edendum curavit Jacobus Gretserus Societatis Jesu, Ingolstadii in 4. anno 1611. apud Angermariam. Item *Chronicon Monasterii sui Reicherspergensis*, usque ad annum 1178. editum Monachii in 4. anno 1611. cura Christophori Gevvoldi. Ejusdem Gerhohi Reicherspergensis *Commentarius in Psalmum 64. sive De corrupto Ecclesiæ statu*, ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 4841. prælo dignus.

De Sylvestro Giraldo. 1180.

SUPPLEMENTUM.

SYLVESTER GIRALDUS Cambrensis, apud Henricum secundum Angliæ Regem qui anno

1172.

1172. Hiberniam sibi subjecit, summo in honore fuit: cui Regi, ejusque filio Richardo *Historiam Naturalem ac Topographiam Hyberniæ* à se lustratæ dicavit, quam *Topographiam Hyberniæ* seu *de ejus Mirabilibus* habes editam cum Antiquis Anglicanæ Historiæ Scriptoribus à Guillelmo Cambdeno collectis, in fol. Francofurti in Germania anno 1603. typis Vvechelianis. Cujus etiam Epitomen Richardus Stanihurst Hybernus & Auberti Miræi olim in Oratorio Alberti Belgarum Principis Collega, nobilis genere ac doctrina, typis anno 1584. edendam curavit Antuerpiæ, cum suis Commentariis de Rebus Hybernicis. Item Sylvester Giraldus scripsit *Historiam Vaticinalem de Expugnatione Hyberniæ*, quam idem qui supra Guillelmus Cambdenus loco citato edidit, cum Vita Girardi Cambrensis. Opus etiam istud *De Hybernia Expugnata* citatur tom. 2. Collectionis Conciliorum Anglicorum Henrici Spelmanni, Londini in fol. anno 1639. Giraldus porrò Menevensis in Cambria seu Vvallia Archidiaconus existens, cum Balduino Cantuariensi Archiepiscopo Cambrenses ad bellum Hierosolymitanum excitante, illam Britanniæ Provinciam peragravit: quod iter à Giraldo postea descriptum & à se visum Harpsfeldius lib. 12. Historiæ Anglicanæ cap. 47. citat. *Itinerarium istud Cambriæ seu Balduini Cantuariensis Archiepiscopi Legationis per Vvalliam accurata descriptio*, cum Notis Davidis Povveli, ibidem à Cambdeno edita, quæ jam Londini anno 1585. in 8. prodierat. Idem Giraldus *Varias Sanctorum Vitas* & alia Litteris consignavit, ac demùm Menevensis Episcopus obiit, de quo Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 363. pag. 250. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, Ecloga Oxonio-Cantabrigiensis lib. 2. pag. 88. ubi mss. Codd. Operum Giraldi Cambrensis recensentur: quibus enuntiandis abstinemus, eò quòd omnia saltem quæ legerimus, impressa sint.

De Helmodo Butsoniensi. 1280.

HELMODUS Canonicus Butsoniensis eodem tempore scripsit *historiam Henetorum*, sive *Sclavorum à Carolo Magno usque ad annum Domini.* 1168.

Dissertatio Historica.

HEMOLDUS, Butsoniensis propè Lubekam Canonicus, sunt qui Presbyterum in Buzoensi vico appellent, hortatu Geroldi Lubecensium primi Episcopi.

Chronicon Sclavorum, sive Venetorum, à Caroli Magni temporibus inchoatum, perduxit usque ad annum Christi 1168. editum studio Sigismundi Schœbelii anno 1573. Francofurti. Continuatorem nactus est Arnoldum ex Præposito Hildensseimensi Abbatem Lubecensem, usque ad tempora Othonis IV. Imp. (*a*).

(*a*) Henricus Bangettus nuper edidisse dicitur Lubecæ apud Stalium Wessel in 4. cum notis Chronicon illud Slavorum Helmodi, ejusque continuatoris Arnoldi. Sunt & in Hermoldum seu Helmodum notæ Reineri Reineccii.

Supplementum.

HELMOLDUS Butsoniensis propè Lubekam Canonicus, clarus extitit circa annum 1170. cùm scripserit *Chronicon Sclavorum* usque ad annum 1168. quod posteà continuavit usque ad annum Christi 1212. Arnoldus Hildeshemii Præpositus & Abbas

A Lubekensis. Impressum est cum notis Reinerii Reineccii anno 1573. Francofurti, cura & studio Sigismundi Schœbelii. Item prodiit illud cum observationibus Henrici Bangetti Lubecensis Gymnasii Rectoris, in 4. Lubecæ anno 1659. sumptibus Statii Wesselii.

De Gothefrido Viterbiensi. 1186.

GOTHEFRIDUS Viterbiensis Notarius Conradi tertii, & Friderici primi Imperatorum, scripsit *Chronicon universale*, quod appellavit *Pantheon*, fortasse, quòd contineat res gestas omnium Principum, tum Ecclesiasticorum, tum tempora-
B lium. Principes enim Dii appellantur in scripturis. Scripsit autem partim prosa, partim carmine, & divisit opus suum in partes viginti, & dedicavit illud Urbano tertio summo Pontifici, ad cujus Pontificatum historiam suam perduxit, id est, ab initio mundi usque ad annum Domini 1186.

Porrò hoc ipso anno nupsit Constantia filia Rogerii Regis Siciliæ, Henrico sexto filio Friderici primi, adolescenti annorum viginti, & unius, adhuc vivente parente ejus Friderico primo, ut idem Gothefridus testatur parte decimaseptima extrema.

Ex quibus refellitur fabula de Constantia filia Rogerii, Sanctimoniali, & vetula per dispensationem Cælestini tertii nubente Henrico sexto.

C Cælestinus enim tertius sedere cœpit anno Domini 1191.

Dissertatio Historica.

GOTHEFRIDUS, seu Godefridus aut Gofridus, Viterbiensis à patria dictus, Presbyter, à Sacris & Scriniis Impp. Conradi III. & Frederici I. ejusque filii Henrici VI. Capellanus, vivebat adhuc anno 1186. quo anno obierit, non constat. Trithemius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis ejus meminit, & ex recentioribus plerique post Basilium, Joannem Heroldum.

Inter Scriptores Rerum Germanicarum à V. C.
D Joanne Pistorio Nidano editorum initio Tomi II. extat ejus *Chronicon universale in viginti partes tributum*, multis fabulis ineptiisque refertum, carmine & soluta oratione invicem mixtis contextum, de mundi principio, de universo, veteri & novo Testamento, & ætatibus mundi, temporibus, gestis, ac Historiis Regum omnium, usque ad annum 1186. quod *Pantheon* inscripsit, dicavitque Urbano II. Papæ.

Alius ab eo fuit Godefridus Monachus Sancti Pantaleonis apud Coloniam, qui obiit circa annum 1220. ut aliàs Deo dante dicemus.

Supplementum.

E GODEFRIDUS Viterbiensis, Presbyter, Conradi III. Friderici I. & Henrici VI. Imperatorum Capellanus ac Notarius, partim prosa, partim metro, scripsit ad Urbanum III. Papam, *Chronicon universale*, quod *Pantheon* nuncupavit, & in libros seu partes viginti partitum perduxit usque ad annum 1186. Immissum habetur in tomo 2. Collectionis Historicorum Germaniæ, quam procuravit Joannes Pistorius Niddanus, Francofurti in folio tribus tomis 1582. 1584. & 1607. typis Vechelianis. De illo Baronius in Annalibus, Possevinus in *Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 378. pag. 254.

De

De Godefrido Monacho. 1240.

SUPPLEMENTUM.

GODEFRIDUS Monachus Sancti Pantaleonis Coloniensis, Ordinis Divi Benedicti, scripsit *Chronicon* quod incipit ab anno 1162. usque ad annum 1237. quod Marquardus Freherus edidit in suo Collectaneo veterum Historiæ Germanicæ Scriptorum tom. 1. pag. 239. editionis Francofurti 1600. & seqq. Claruit anno 1240. sub Frederico II. & aliis Imperatoribus.

De Hugone Falcando. 1190.

SUPPLEMENTUM.

HUGO FALCANDUS Sancti Petri Panormitani in Sicilia Thesaurarius, scripsit *Historiam Siciliæ* ab Guillelmo primo qui regnare cœpit anno 1152. ad annum 1189. quam Gervasius de Tournay Svessionensis Ecclesiæ Canonicus eductam ex ms. Codice Bibliothecæ Matthæi de Longue-Jove Svessionensis Episcopi, edidit Parisiis anno 1550. unde transmissa postmodum in Collectionem Historicorum Siciliæ, Francofurti in Germania in fol. anno 1579. impressam.

De Gontero Belga. 1190.

SUPPLEMENTUM.

GONTERUS Sancti Amandi in Belgio congregationis Cluniacensis Monachus, floruit sub finem sæculi 12. circa annum 1190. & ulteriùs, ob artem Poeticam magni factus. Scripsit *Poema libris X. De rebus gestis Friderici Barbarossæ in Liguria & Lombardia*, quos intitulavit *Ligurinus*, seu de gestis hujus Frederici Barbarossæ Imperatoris: opus sæpius citatum à Cardinale Baronio & aliis sub nomine *Ligurini*, impressum Strasburgi anno 1531. Basileæ anno 1569. Francofurti anno 1584. immissumque in tertium Volumen Historicorum Germaniæ. Item scripsit aliud Opus in 13. libros *De Oratione, Jejunio & Eleemosina*, impressum Basileæ anno 1504. & 1507. apud Michaelem Furterum in 4. Item scripsit Carmine *Vitam Sanctorum Cyrici & Julittæ*, de quibus vide Surium & Bollandistas ad diem 16. Junii, de quo Sigebertus in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 166. Dubium tamen est, an sint unius atque ejusdem Gonteri omnia ista opera, atque potissimè hoc ultimum *De vita SS. Cyrici & Julittæ*.

De Petro Cantore. 1190.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS Theologicæ Scholæ Rector per multos annos Parisiis, & tandem Cantor in Ecclesia B. Mariæ hujus Urbis primariæ unde cognomen ei adhæsit Petri Cantoris. Celeberrimus Theologus anno 1191. Tornacensis Episcopus electus est, cujus electione in controversiam vocata, Stephanus Abbas sanctæ Genovefæ Parisiensis Guillelmum Archiepiscopum Rhemensem tunc supremum Regni Administrum per litteras oravit ut electo faveret. Verba ejus describam, quibus eximia *Petri Cantoris* commendantur merita: sic itaque Epistola 175. *Vir est*, inquit, *cujus per omnes Ecclesias famæ suavis diffunditur opinio, qui gemina scientia efficacissimè clarens, & doctrinam monitis ornat, & moribus Disciplinam. Ori-*

A *geni parem in aliquo, sic eum docere credimus, ut vivere; sic vivere, ut docere. Tales in Candelabro vestro lucernas, tales in Diademate Capitis Aaron lapides, tales in sancta Rhemensi Ecclesia suffraganeos esse decet, ut vicinæ Provinciæ sancta æmulatione moveantur ad promotionem consimilium: & sollicitudo vobis commissa faciliùs & frequentiùs juvetur per Religionem & prudentiam ipsorum, &c.* Petrum Cantorem hoc etiam ornat Elogio Jacobus de Vitriaco in Historia Occidentali, *Magister Petrus, venerabilis Cantor Parisiensis, vir potens opere & sermone, aurum suum & argentum similiter conflans, & verbis suis stateram faciens, morum honestate pondus & gravitatem conferens suæ doctrinæ: cœpit enim facere & docere, velut lucerna ardens & lu-*
B *cens, & civitas supra montem posita, & candelabrum aureum in domo Domini.* Plura possent colligi in laudem Cantoris Petri ex variis sui temporis Scriptoribus, quæ compendii gratia omittuntur, ut ad scripta tam edita quàm mss. veniamus. Scripsit itaque *Summam* quæ dicitur *verbum Abbreviatum*, eò quod ab his verbis incipiat, solam impressam Montibus Hannoviæ anno 1639. in 4. apud Franciscum Waudreum cum Notis Georgii Galopini, Monachi sancti Gisleni, Ordinis Divi Benedicti. Quæ extat etiam ms. in Bibliotheca sanctæ Genovefæ Parisiensis, & Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii sancti Benedicti cod. 223. & in Cœnobio Longipontis Ordin. Cisterciensis in tractu Svessionensi. Item scripsit
C *Summam* quæ dicitur *Abel*, eò quòd procedens per Ordinem Alphabeticum, incipiat à nomine *Abel*, quam vidi ms. in Cœnobio Longipontis citato, & in Bibliotheca Branensi Ordin. Præmonstratensis, quod utrumque in Episcopatu Svessionensi est. Et ms. Cantabrigiæ in Collegio Domus sancti Petri cod. 97. Item *Magnam Summam de Sacramentis* quæ incipit: *Quæritur de legalibus*, partim desumptam ex sanctis Patribus, quam vidi ms. in Cœnobio Longipontis, & in Bibliotheca Vallis-Claræ Ord. ejusdem Cisterciensis in Laudunensi Episcopatu. Item Summam quæ inscribitur, *Distinctiones Cantoris Parisiensis*, ms. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti cod. 219. & cod. 371. Itemque Oxonii in Bi-
D blioth. Collegii Mertonensis cod. 164. & Cantabrigiæ in Collegio Domus Sancti Petri codd. 72. & 78. An autem aliud opus sit à Summa de Sacramentis, collatione utriusque, facilè nosci potest ab eo qui veritatem experiri voluerit: sæpe enim unum atque idem opus, in mss. codicibus inscribitur variis titulis, ut docti in his rebus sciunt. Item *De Contrarietatibus Theologiæ* opusculum quod incipit: *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, &c.* Ms. in Bibliotheca Navarrica codice in 4. & Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti cod. 371. sed Anonymum & inscriptum, *Tractatus De Contrarietate Scripturæ*. Scripsit etiam (juxta Henricum Gandavensem libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 15.)
E *alium librum quem vocavit Grammaticam Theologorum, ad intellectum Sacræ Scripturæ in multis locis satis utilem*: quem ego opinor esse *ipsas Allegorias Petri Cantoris in Scripturas seu Sacros Libros Veteris & Novi Testamenti*, quas vidi mss. in Bibliotheca Parisiensi Navarrica, quorum hoc est initium, *in Principio creavit Deus cœlum & terram, &c.* quæ etiam mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Aulæ Pembrochianæ cod. 76. cum Sermonibus Petri Comestoris, cui malè attributæ sunt. Sæpius enim Opera Petri Cantoris & Petri Comestoris confusa sunt in mss. Codd. ratione solius primæ literæ cognominis initialis, quæ cum legatur in mss. alii addiderunt pro libitu vel speciali genio, nunc Petri Cantoris, nunc Comestoris. Ejusdem *in libros Numerorum, Deuteronomii, Josue, Judicum, Ruth*, Oxonii ms. in Bibliotheca

Bal-

Balliolana cod. 22. in Psalmos ibidem cod. 30. Item *Glossa in Evangelia*, mſ. Oxonii in Bibliotheca Collegii Mertonensis cod. 144. Ejusdem *Glossa in novum Testamentum* mſ. Cantabrigiæ in Bibliotheca aulæ Penbrochianæ cod. 179. Præterea doctum opus inscriptum, *Consiliarium Cantoris Parisiensis de Pœnitentia*, compositum à quodam Discipulo Petri Cantoris Parisiensis ex dictis & Scriptis ejus, habet Bibliotheca Colbertina cod. 2208. quod eximiè laudat Stephanus Baluzius vir ingenio & Scriptis clarissimus. Virum piissimum Infulas Episcopales declinasse, & Monachum induisse in Monasterio Longipontis Ordinis Cisterciensis, ubi sanctitatem vitæ sancto fine complevit, Necrologium Ecclesiæ Tornacensis testatur. Obiit 10. Kalendas Octobris anno 1197. ut ejusdem Abbatiæ, in qua obiit, Necrologium commemorat. Plura de Petro Cantore Sammarthani in Gallia Christiana tom. 3. ubi de Episcopis Tornacensibus, Antonius Murdach Supprior Longipontis in Chronico suæ Abbatiæ, Scriptores omnes Rerum Cisterciensium.

De Gualtero de Castellione. 1190.

SUPPLEMENTUM.

„ GUALTERUS dictus de Castellione, Insu-
„ lis oriundus, unde est ejus illud Mono-
„ sticon, (insula me genuit, rapuit Castellio no-
„ men, scripsit gesta Alexandri Magni eleganti metro;
„ tro; qui liber in Scholis Grammaticorum tantæ
„ dignitatis est hodie, ut præ ipso veterum Poe-
„ tarum lectio negligatur. Hæc Henricus Ganda-
„ vensis in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 20.

pag. 165. Bibliothecæ Auberti Miræi. Floruit Gualterus anno circiter 1190. vel ultra etiam, extant autem *Libri decem Alexandridos* sive *de gestis Alexandri Magni* à Gualtero Castellionensi versu Heroico nec infœlici, ad Guillelmum Rhemensem Archiepiscopum scripti, qui Argentorati 1531. Ingolstadii & Lugduni 1558. typis editi. Scripsit etiam *Libellos tres contra Judæos*, quos vidi mſſ. in Bibliotheca Branensi Ordin. Præmonstratensis Episcopatus Suessionensis, cum aliis Tractatibus contra Judæos in unum volumen compactis. Sunt autem per formam Dialogi inter *Gualterum* qui se Castellionensem appellat, & *Balduinum* Valentianensem hujus Ecclesiæ Branensis Canonicum, Gualtero ob eamdem Patriam carissimum. Denique alia ejus opuscula mſſ. in Bibliotheca Galliarum Regia.

De Nicolao Methonensi Episcopo. 1190.

SUPPLEMENTUM.

NICOLAUS Methonensis Episcopus, Græcus Schismaticus floruit anno circiter 1196. Scripsit *librum unum de Processione Spiritus sancti contra Latinos*, Græcè mſ. in Bibliotheca Vaticana, & Bavarica serenissimi Ducis cod. 116. cod. etiam 129. ejusdem Bavaricæ Bibliothecæ habetur *Nicolai Methonensis Episcopi discussio Theologicæ Institutionis Procli Platonici Philosophi, ne quis probabilitate deceptus à vera fide deficiat*. Plura dabit Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, verbo *Nicolaus Methonensis Episcopus* tom. 2. pag. 152.

De Radulfo de Diceto. 1190.

SUPPLEMENTUM.

RADULFUS DE DICETO Decanus Sancti Pauli Londinensis, qui etiam *Dicetensis* appellatur, vir erat sui temporis tum ob doctrinam, tum ob pietatem singularem percelebris, de quo ita Bostonus Buriensis mſ. *Radulfus de Diceto Decanus Ecclesiæ Sancti Pauli Londoniensis floruit anno Christi 1197. & scripsit librum Chronicorum qui dicitur Imagines Historiarum. Chronica sunt Imagines Historiarum, & finit anno Christi* 1195. Opera autem Radulphi impressa in collectaneo Historicorum Angliæ edito Londini in folio anno 1652. curis & studio Joannis Seldeni sunt, *Abbreviationes Chronicorum* pag. 429. *Imagines Historiarum* pag. 525. *Series causæ inter Henricum Regem & Thomam Cantuariensem Archiepiscopum* pag. 711. Claruisse dicitur etiam sub Rege Joanne, & vixisse usque ad annum 1210.

De Mauritio de Soliaco. 1190.

SUPPLEMENTUM.

MAURITIUS DE SOLIACO, humili apud Soliacum ad Ligerim loco natus, ob eruditionem & facundiam eximiam ad Parisiensem Episcopatum evectus est post obitum Petri Lombardi anno 1164. Cathedralem Ecclesiam Deiparæ Virgini sacram à fundamentis erexit, quatuor Abbatias condidit ac dotavit, Herivallem, Hermerias, Hederam, & Gif, jure nuncupatus *Pater pauperum*. *Sermones per totum annum tam de Dominicis quàm de Sanctorum festivitatibus & exhortationes ad Presbyteros de cura animarum fideliter gerenda*, ipsum scripsisse Henricus Gandavensis lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 14. testatur: quos audio mſſ. asservari in Bibliotheca Regia & Sancti Victoris Parisiensis. Vir sanctus obiit anno 1196. tertio Idus Septembris, & ad Sancti Victoris Ecclesiam deportatus, ubi sepultus est, cum cartula quam supra pectus suum poni jusserat, ut viros plerosque Litteratos circa Resurrectionem Corporis hæsitantes in fide confirmaret, cui hæc verba inscripta legebantur: *Credo quòd redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Reposita est hæc spes mea in sinu meo*. Ita refert Rigordus in Vita Philippi Augusti. *Mauritio* Epitaphium composuit Stephanus Tornacensis, rogantibus Canonicis Parisiensis Ecclesiæ, quod Epistolæ ipsius 260. insertum est. De illo plura Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tom. 1. ubi de Archiepiscopis Parisiensibus pag. 436. & seqq. Sufficiat hoc compendium ex Natali Alexandro in selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæculo 12. tom. 1. cap. 6. pag. 545.

De Roberto de Flamesburia. 1190.

SUPPLEMENTUM.

ROBERTUS DE FLAMESBURIA Ord. Divi Augustini Canonicus Regularis, & Pœnitentiarius Parisiensis in Cœnobio Sancti Victoris, floruit circa annum 1198. atque ex primis Theologis scripsit *Pœnitentiale quatuor libris nobile & amplum*, quod asservatur mſ. in duabus Bibliothecis Parisiensibus, sancti Victoris nempe & Collegii Choletani.

De

De Richardo Hagulstadensi. 1190.

Supplementum.

RICHARDUS Canonicus Hagulstadensis in Anglia, Ordinis Canonicorum Regularium Divi Augustini, floruit anno 1190. & sequentibus, de quo nos diximus supra ad annum 1150. *in Joanne* Hagulstadensi pag. 422.

De Joanne Brompton. 1190.

Supplementum.

JOANNES BROMPTON Abbas Jornallensis Ordinis Cisterciensis, de quo Chrysostomus Henriquez in suo Fasciculo libro 2. distinct. 26. cap. 50. „ & in suo Phœnice cap. 20. his verbis: Joannes „ Bromptonus Ordinis Cisterciensis habitum in Anglia ab adolescentia suscepit, qui virtutum & eruditionis meritis factus est Abbas Jornallensis, „ aliàs Jarvaugensis Cœnobii. Fama est hunc „ multa scripsisse, quorum tamen nihil quod sciam „ extat, præter Historiarum Opus, quod compo „ suit & suo Monasterio dicavit, cui titulum præfixit, *Chronicorum librum unum*, postquam contigit Britones. Extat manuscriptus Cantabrigiæ in „ Collegio sancti Benedicti, quando autem auctor „ floruerit, ignoratur. *Hoc Chronicon* incipit ab anno Domini 588. quo Sanctus Augustinus venit in Angliam, usque ad mortem Richardi primi Regis, scilicet annum Domini 1198. quod impressum Londini in folio anno 1652. pag. 725. in Collectaneo Scriptorum Rerum Anglicarum veterum Joannis Seldeni. Sunt qui velint eum non esse auctorem hujus Chronici, sed tantùm illud emptum & comparatum eo tempore, quo Abbatiam Jornallensem tenebat: unde factum ut Chronicon ei attribueretur, sicut Seldenus narrat pluribus, in Prologo ad Scriptores decem Historiæ Anglicæ, pag. 38. circa medium, quem cupidi plurium adeant.

De Gulielmo Neubrigensi. 1190.

GULIELMUS Neubrigensis eodem tempore scripsit *historiam Anglicanam libris quinque*, & lib. 4. cap. 13. deplorat infelicem exitum Friderici primi, ob injustam persecutionem factam legitimo Pontifici Alexandro tertio. Cœpit historiam suam ab anno Domini 1066. & brevissimè pertransiit usque ad annum 1135. quo anno se natum fuisse testatur, & ab hoc anno fusè scribit historiam gentis suæ usque ad annum 1197.

Dissertatio Historica.

GUILLELMUS Litle, hoc est Parvus, Gallicè, *le Petit*, à Neubrigensis, seu Novoburgensis Collegii incolatu propè silvam Cuculinam in Eboracensi provincia, Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini, dictus vulgò Neubrigensis, *Historiam Anglicanam libris quinque* perduxit ab anno 1066. quo Guillelmus Nothus Normannorum Dux Angliam conquisivit usque ad annum 1197. & extrema tempora Richardi Thymoleontis Anglorum Regis: hoc tamen discrimine, quòd ab anno 1066. usque ad annum 1135. quo se natum testatur, denatumque Regem Henricum I. delibet singula, ac levissimè percurrat, reliqua verò accuratiùs fusiusque pertractet. Quidam anno 1208. obiisse volunt. Mihi nihil de ea re exploratum.

Doctis Commentariis Historiam Neubrigensis illustravit Joannes Picardus Canonicus Sancti Victoris ad muros Parisienses, ediditque Parisiis anno 1610. in octavo, cùm antea jam ab anno 1565. fuisset Antuerpiæ excusa, sed undecim capitibus manca, quæ nova editio repræsentat.

Sunt qui eumdem velint interpretatum fuisse *Canticum Canticorum Salomonis de intacta Virgine, ejusque laudibus*, qua de re plura Hippolytus Maraccius in Bibliotheca Mariana ex Marci Antonii Delrii Soc. Jesu Theologi Commentariis in Canticum, Balæo, aliisque.

De Rogerio Historico. 1190.

ROGERIUS de Hoveden insignis historicus scripsit *libros duos Annalium Anglicanorum* valdè diligenter, & pervenit usque ad Joannem Regem, qui regnare cœpit anno Domini 1199.

Dissertatio Historica.

ROGERIUS Hovedenus, Eboraci in Anglia nobilibus parentibus ortus, ac primarius quondam Theologiæ in Academia Oxoniensi Professor, vixit usque ad annum 1200. Quo autem anno defunctus sit ignoro. De eo Gualtherus Coventriensis in Annalibus, Ranulfus lib. 7. cap. 39. Robertus Patsou in Admonitione, Bryanus Thvvinus libro 2. Antiquitatum Oxoniensis Academiæ, Gerardus Jo. Vossius, & alii.

Historiam, sive, *Annales gentis suæ, in duas Partes, Priorem Posterioremve digestos*, ab anno Christi 731. ubi Ven. Beda definit, perduxit usque ad mortem Richardi Angliæ Regis Thymoleontis dicti die 8. Aprilis anni 1199. & fratris ejus Joannis Moritonii Comitis, qui sine terra dictus, in Ducem Normanniæ die 25. Aprilis Rothomagi, ac deinde Londini in Regem Angliæ apud Westmonasterium die 27. Maji in festo Ascendentis ad Patrem Christi factam inaugurationem. Unde patet error Miræi, qui pervenisse vult usque ad annum 1204. Extant inter Auctores Rerum Anglicarum ab Henrico Savillio editos annis 1596. Londini, & 1601. iterata editione Francofurti typis Wechelianis.

De Theodoro Balsamone. 1191.

THEODORUS Balsamon Patriarcha Antiochenus vixit tempore Xiphilini Patriarchæ Constantinopolitani, cui dedicavit suum opus. Gregorius autem Xiphilinus anno 1191. sedere cœpit, teste Baronio Card. tomo 12. Annalium, ad annum 1191. Scripsit Balsamon *duos libros Commentariorum, unum in Nomocanonem Photii, alterum in Canones variorum Conciliorum, & sanctorum Patrum*. Fuit autem Balsamon schismaticus, & Romanæ Ecclesiæ infensus, non minus quàm Photius. Vide Baronium loco citato.

Dissertatio Historica.

THEODORUS Balsamon, ex Diacono Sanctæ Dei Magnæ Ecclesiæ Nomophylace, Chartophylace, & Primo Blachernarum, creatus Theopoleos Metropolita, sive Magnæ Antiochiæ totiusque Orientis Patriarcha, vixit sub finem sæculi duodecimi, ac memoratur Nicetæ Acuminato Choniatæ libro 2. Historiarum Isaaci Angeli ἀνὴρ ὑπὲρ τοὺς τότε πάντας ὄντας νομοτριβής. Quo anno obierit N. L. licèt certum videatur vixisse etiam anno 1203. antequam Const. à Latinis oppugnaretur. Plura de eo

eo Baronius Tomo VIII. ſub annum *692*. Sergii Papæ I. V. & ultimo, ad annum *1191*. numero *49*. & *62*. Ejus autem opera præcipua Græcè & Latinè Pariſiis edita fuerunt anno *1620*. hoc ordine.

Nomocanon, hoc eſt Sacrorum Canonum & Legum Imperatoriarum conciliatio, & in certos titulos diſtributio, auctore Photio Patriarcha Conſt. cum ampliſſimis Commentariis Theodori Balſamonis, in quibus homo Schiſmaticus & Romanæ Eccleſiæ hoſtis multa effutiit in defenſionem falſorum quorumdam Canonum, Gentiano Herveto Aurelio, Canonico Rhemenſi, interprete; ſunt qui Xiphilino Patr. Conſt. opus illud dedicaſſe aſſerant, ſed id mihi nondum planè conſtat: Fateor quidem ſcripſiſſe carmen ad Xiphilinum, cùm jam eſſet Archiepiſcopus Antiochenus: ex præfatione autem ejuſdem diſcimus Commentarios illos, cùm Diaconus adhuc eſſet, elaboraſſe juſſu Emanuelis Comneni, Imp. & Patr. Michaelis Anchiali τȣ̃ γιγονότος ὑπάτου τῶν φιλοσόφων; &c. Quid verò ſi dicamus, ut omnia in concordiam veniant, Diaconum illud ſuſcepiſſe, Archiepiſcopum perfeciſſe & Xiphilino obtuliſſe. Hic verò caſtiges amabo Gisbertum Voetium, qui pag. 494. Tomi 1. diſp. docet ſcripſiſſe ſub Manuele Comneno circa annum 1200. cum Manuel obierit 1180.

Canones Sanctorum Apoſtolorum & Sanctarum Oecumenicarum & Particularium Synodorum, necnon Dionyſii Alexandrini, Petri Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Athanaſii Alexandrini, Baſilii Cæſarienſis, Gregorii Nyſſeni, Theophili Alexandrini, Cyrilli Alexandrini, Gregorii Theologi, Amphilochii Iconienſis, Gennadii Patr. Conſt. Taraſii Patr. Conſt. Sancti Niconis, Timothei Presbyteri, Methodii Patr. Conſt. Theodori Studitæ, & reliquorum Sanctorum Patrum, cum ejuſdem Expoſitionibus, & quibuſdam aliis.

Supplementa locorum Theodori Balſamonis, ex codicibus Vaticanis & Harlæano. Sciendum porrò eſt verſionem illam Latinam Expoſitionum in Photii Nomocanonem auctore Gentiano Herveto prodiiſſe primùm Pariſiis anno *1561*. eodemque anno alteram Baſileæ, opera Henrici Agylæi apud Joannem Oporinum fuiſſe excuſam in folio: anno verò *1615*. eamdem Lutetiæ in lucem emerſiſſe cum Græco textu in 4. cura & ſtudio Chriſtophori Juſtelli J. C.

Libro V. Juris Græco-Romani ſtudio Joannis Leunklavii Amelburni anno *1596*. Francofordiæ excuſi in fol. pag *362*. extant *Interrogationes Marci Alexandrini Patriarchæ*, & ad eas Reſponſa Theodoris Balſamonis Patriarchæ Antiocheni.

Libro VII. ejuſdem Juris pag. 442. habentur *Meditata ſive Reſponſa Theodori Balſamonis*. I. De Patriarcharum privilegiis. II. De duobus officiis Cartularii ac primi Defenſoris τȣ̃ χαρτοφύλακος καὶ Πρωτενδίκȣ. III. διάγνωσις. De diſceptata in Synodo quæſtione, num unus & idem duabus ſobrinis jungi debat. IV. Epiſtola de incenſis quæ à Patriarcha dari ſolent eo die, quo catecheſis habetur. V. De convocatione, quæ fit ad Sacras Monaſteriorum ædes per tria ſigna. Sunt & aliæ quædam ejuſdem lucubrationes Canonicæ nondum è membranis pluteiſque Bibliothecarum publicam in lucem eruditorum emiſſæ.

Neque hic omittenda cautio Jo. Mariæ Braſichellani in Expurgatione Bibliothecæ Brignæanæ Veterum Patrum: Memineris Lector Theodorum Balſamonem Græcum eſſe Schiſmaticum, Eccleſiæ Romanæ hoſtem, erroribus non paucis defœdatum, ut notavit Genebrardus in Chronologia pag. *616*. & *622*. ideoque ſcholia ejus ac Commentaria cautè legenda, nec eis multùm fidendum.

De Joachimo Abbate. 1195.

JOACHIMUS Abbas Florenſis Monaſterii, vivebat anno 1195. Scripſit *in Iſaiam & Hieremiam & Apocalypſim*, & *Concordiam teſtamenti veteris, & novi*. Quæ omnia extant. Circumferuntur quædam vaticinia ſub ejus nomine de futuris Pontificibus Romanis, quæ quam fidem mereantur, aliorum ſit judicium: illud mirum eſt, quod cùm ea vaticinia ad ſolos quindecim Pontifices pertineat: tamen curioſitas hominum ad noſtra uſque tempora, extendere illa conatur.

Dissertatio Historica.

JOACHIM, Florenſis cœnobii Abbas Ordinis Ciſtercienſis, ex Calabria oriundus, florebat, teſte Trithemio, adhuc anno 1200. & ut Propheta ſuo tempore habitus etiam futura prædicere conatus eſt. Sed aberraſſe idem auctor aſſerit, ac præſertim, quòd Fredericum III. Imp. ſomniarit hoſtem Eccleſiæ futurum, quem omnes norunt uſque ad mortem pacificum, & Romano Pontifici fidelem perſeveraſſe. Jam verò obierat anno 1115. cùm in Concilio Lateranenſi præſide Innocentio III. Papa liber ejus adverſus quaſdam Petri Lombardi Magiſtri Sententiarum opiniones damnatus eſt, ut patet ex Titulo primo libri 1. Decretalium de Summa Trinitate, & Fide Catholica. De eo Baronius, Blaſius Viegas, Arnoldus Wion, aliique recentiores. Carolus de Vich in Bibliotheca Ciſtercienſi mortem ejus refert ad annum 1201. auctore Miræo, multaque de eo ex variis collegit non contemnenda, ad quæ Lectorem curioſum ablego: necnon ad Tomum 2. Theologicorum Dogmatum R. P. Dionyſii Petavii, ubi de ejus errore multa.

Commentaria in Iſaiam, Hieremiam, Apocalypſim, &c. dicuntur Venetiis, Coloniæ, & alibi excuſa. *Concordia Teſtamenti Veteris & Novi*, Venetus 1519. in 4. *Vaticinia de Summis Romanis Pontificibus 15. tantùm*, quæ & ſola, & commentariis Joſephi Scaligeri, & Paſqualini Regiſelmi (*a*) onerata prodierunt; de quibus ſimilibuſque otioſorum hominum nugamentis verè dici poteſt, θησαυρὸς ἄνθρακες.

(*a*) Vidi quoque librum Italicum Patavii excuſum anno 1625. in 4. hoc titulo: *Profetie dell' Abbate Gioachino & di Anſelmo Veſcovo di Marſico, con l' imagini in diſſegno intorno a' Ponteſici paſſati e ch' anno a venire: còn due Ruote & un Oracolo Turcheſco figurato ſopra ſimil materia: aggiontivi alcuni maraviglioſi Vaticinii e le Annotationi del Regiſelmo*. Præcedit ejuſdem Joachimi vita à Gabriele Barrio Franciſcano ſcripta, in qua elaboratos ab eo libros hoc ordine enumerat. I. Concordiæ veteris & novi Teſtamenti libros quinque, Romanorum Pontificum Lucii III. Urbani III. & Clementis III. juſſu, in quibus agit de quinque Sigillis, & quædam Danielis & aliorum Prophetarum capita explanat. II. Expoſitionem in Apocalypſim ex eorumdem Pontificum mandato. III. Pſalterium decem chordarum in tres partes diviſum, quarum primam Deo Patri, ſecundam Filio, tertiam Spiritui Sancto dicavit. IV. In Evangelium Sancti Joannis. V. Adverſus Judæos. VI. Super Merlinum, & in Cyrilli revelationem, & in librum Florenſis cœnobii dictum de Summis Pontificibus. VII. Librum de conſolatione ſeu Conſolandi alicujus cauſa. VIII. Volumen egregium ſententiarum. IX. In Erythream. X. Rogatu Imperatoris Henrici VII. anno

no ut ipse memorat 1197. Comment. in Hieremiam, Esaiam, & quædam capita Prophetarum Nahum, Abacuc, Zachariæ, & Malachiæ. Subjungit multa ab eo prædicta, & nonnulla de ejus discipulis ac comitibus Sanctitate vitæ illustribus: tum refert ex Vaticana Bibliotheca epistolam Honorii III. Papæ ad Episcopum Lucanensem in favorem & Patrocinium Joachimi Abbatis adversus eos qui de illius sincera fide detraherent, ac Monachis Florensibus improperantes, datam Romæ apud sanctum Petrum die 4. Decembris primo anno sui Pontificatus.

A

SÆCULUM XIII.

Ab anno Dom. 1200. *ad* 1300.

De Innocentio tertio Pontifice.

INNOCENTIUS tertius Pontifex maximus sedere cœpit in Apostolica sede anno 1198. & sedit usque ad annum 1216. Vir fuit multæ pietatis, & doctrinæ, nec minoris prudentiæ in Ecclesia gubernanda. Ejus opera duobus tomis continentur.

In Priore habentur.

Sermones de tempore. Item *de Sanctis, tum proprii tum communes.* Item *de consecratione Pontificis, quatuor.*

Ad hæc libri.

De Eleemosyna, 1. *In septem Psalmos pœnitentiæ,* 1. *De laude charitatis,* 6. *De mysteriis Missæ,* 6. *De contemptu mundi,* 3. *Encomium in Christum, & ejus Matrem. Precationes de passione Christi,* 3. *De Sanctorum veneratione,* 3. *Hymnus in Christum, & ejus Matrem. Conciones parænetica ad Concilium. Acta atque decreta Concilii Lateranensis.*

In Posteriore tomo sunt.

Epistolarum libri duo: & Constitutionum decretalium libri quinque.

Hujus opera extant quam correctè impressa Coloniæ apud Maternum Cholinum 1575.

Observatio.

Qui libros Innocentii tertii edidit, præmisit ante Concilium Lateranense admonitionem, in qua dixit, Concilii illius decreta non à Concilio, sed ab ipso Innocentio post Concilium conscripta, atque edita fuisse: quod inde probat, quia in capitulis quibusdam fit mentio Concilii Lateranensis jam peracti, ac præsertim in cap. 29. 33. & 41. Sed hic auctor, quicumque fuerit, omnino deceptus est, & alios nonnullos scriptores decepit. Siquidem Concilium Lateranense, cujus fit mentio in his capitulis, non est Lateranense sub Innocentio tertio, sed sub Alexandro tertio, atque ad hunc errorem tollendum è medio, in editione Romana Conciliorum generalium Græcè, & Latinè editorum. In Concilio sub Innocentio tertio notatur ad marginem, ubi sint capitula Lateranensis Concilii sub Alexandro tertio ibi citata. Itaque decreta Concilii sub Innocentio tertio edita, verè Concilii generalis sunt, & ab ipso Concilio constituta, & edita non à solo Innocentio post Concilium.

Bellarm. de Script. Eccl. Tom. VII.

B

DISSERTATIO HISTORICA.

INNOCENTIUS, patria Anagninus in Hernicis, nobili Comitum Signiæ genere ortus, Pontificatum Romæ tenuit ab anno 1198. usque ad diem 20. Julii anni 1216. quo Perusiis obiit cùm sedisset annis 18. mensibus 6. diebus novem. Ejus vitam edidit Illustris. Monspeliensis Episcopus ab Anonymo auctore exaratam, à quo etiam expectamus Canones Concilii Lateranensis Generalis Græcè, & Latinè, ex veteri codice illo ipso tempore descriptos in charta bombacina. Innocentii III. meminere Henricus Gandavensis cap. 35. Trithemius, Sixtus Senensis, Possevinus, aliique recentiores, præsertim Baronii Cardinalis, qui in ejus Papæ electione desiit, continuatores Bzovius, Spondanus, Odalricus, quique de Pontificibus, & Cardinalibus scripserunt, scribuntque in singulos dies, ac præ cæteris R. P. Ludovicus Jacob à S. Carolo, Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo.

C

Opera ejus Coloniæ excusa sunt anno 1575. apud Maternum Cholinum, eo quo Bellarminus recensuit ordine ut iterum ea repræsentare non videatur operæ pretium: hoc tantum observabo, *Epistolarum ejus libros duos*, in quorum primo epistolæ sunt 557. in altero 264. jam ab anno 1543. Romæ fuisse editos, ac deinde in Conciliorum Tomos à Binnio translatos: *Commentaria verò in septem Psalmos Pœnitentiales, & libros tres de contemptu mundi*, seu, *de miseria hominis*, ad Petrum Cardinalem Portuensem seorsim fuisse, sæpiusque impressos.

D

Anno 1635. Tolosæ Tectosagum prodierunt *Innocentii III.* Papæ *Epistolarum libri quatuor*, hoc est Regesti XIII. XIV. XV. & XVI. ex ms. Cod. Bibliothecæ Collegii Fuxensis à sodalibus ejusdem Collegii descripti, ac notis illustrati à Francisco Bosqueto Narbonensi J. C. nunc verò Monspeliensi Episcopo, qui, ut jam monui, gesta ejusdem, licèt pluribus lacunis hiantia, necdum omnibus suis partibus absoluta, magno Historiæ Ecclesiasticæ emolumento adjecit. Paucas ex iis epistolis decerptas, suisque observationibus ornatas ediderat in 8. Divione V. C. Paulus Du Meii, Burgundici Senatus Consiliarius.

E

SUPPLEMENTUM.

INNOCENTIUS. III. Summus Pontifex, de cujus scriptis Bellarminus, & Labbeus: Quibus addo *multas ejus Epistolarum libros* ex ms. Cod. erutos, impressos 2. Tomis in folio Parisiis, cum Vita Innocentii epistolis istis præmissa, ex veteri pariter ms. Codice, apud Franciscum Muguet an. 1682. cura, & studio Stephani Baluzii Colbertini Bibliothecarii. Qui plura cupit adeat Bellarminum, & Labbeum citatos.

De Gervasio Dorobernensi. 1200.

SUPPLEMENTUM.

GERVASIUS Dorobernensis seu Cantuariensis Monachus Benedictinus, quem claruisse anno 1128. falsò hallucinatus est Gesnerus in sua Bibliotheca, & quem etiam laudat Lelandus ms. in Bibliotheca publica Oxoniensi. Ejus sunt in citato suprà Seldeni Collectaneo Opera, *Tractatus De combustione & reparatione Cantuariensis Ecclesiæ pag.* 1289. *Imagines de Discordiis inter Monachos Cantuarienses & Baldewvinum Archiepiscopum* 1303. *Chronica &c.* 1338. *Vitæ Pontificum Cantuariensis Ecclesiæ pag.* 1629. Floruit sub Joanne Rege, seu anno Christi 1200. laudatus à Baleo cent. 3. script. 48. Pitsæo ætate 13. script. 285. Vossio de Historicis Latinis lib. 2. cap. 56.

De Petro de Riga. 1200.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS DE RIGA Canonicus & Cantor Beatæ Mariæ Rhemensis, florebat anno circiter 1200. quem inter sui temporis doctores doctissimum vocat Joannes Trithemius. Scripsit carmine vario opus *Auroram* inscriptum, quo plurimos sacræ Scripturæ libros carmine insigni exponit, ms. in multis Galliarum, Angliæ & Germaniæ Bibliothecis. Hujus decem mss. Codd. in Bibliotheca Galliarum Regia, 2. Codd. in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis Ordinis Divi Benedicti, plures in Colbertina. Idem ms. in Bibliotheca Præmonstrati, Bonifontis Cisterciensis & Bellæ-Vallis Præmonstratensis Ordinum in Episcopatu Rhemensi, in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum Lugdunensium, ac pauci auctores qui tantùm & tam frequenter transcripti sint, quamvis opus impressum non sit. Ecloga Thomæ James quam Oxonio-Cantabrigiensem vocat, numerat exempla quatuor hujus Auroræ mss. lib. 2. pag. 53. Oxonii in Bibliotheca Magdalenæ cod. 3. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii sancti Benedicti codd. 43. 371. & 395. *Ejusdem Tropi & Phrases Scripturæ* mss. cod. 395. jam citato S. Benedicti. Hanc *Auroram* ad varios collatam mss. Codd. habeo paratam editioni, nullus certè qui tanto successu Scripturam carmine reddiderit. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1263. pag. 19. hunc Petrum Rhemensem assignavit suis Dominicanis absque auctoritate vel ratione, nisi forsitan quod mss. Opera hujus Petri inveniantur in Bibliothecis Conventualibus Fratrum Prædicatorum. At mortuus erat Petrus de Riga ante natum Ordinem Dominicanorum, quem alii ferè omnes scribunt claruisse circa annum 1160.

De Theoderico Abbate. 1200.

SUPPLEMENTUM.

THEODERICUS Abbas Ordinis Divi Benedicti florens circa annum 1200. scripsit *libros tres De Vita S. Hildegardis Abbatissæ* quæ obiit an. 1180. die 17. Septembris, quam apud Surium habes.

De Saxone Grammatico. 1200.

SUPPLEMENTUM.

SAXO Grammaticus Sialandicus floruit anno circiter 200. qui scripsit *Historiam Danicam lib.* 16. dedicatam Andreæ ejusdem Regni Episcopo, stylo quidem elegantissimam, sed quoad priora tempora fabulis plenam, ut multi contendunt, quam habes impressam sæpè, sed præsertim in folio Seræ in Dania anno 1644. & antea Basileæ anno 1534. ac Parisiis anno 1514.

De Stephano Tornacensi. 1200.

SUPPLEMENTUM.

STEPHANUS Canonicus primùm Regularis Ord. Divi Augustini, tum Abbas sanctæ Genovefæ Parisiensis & tandem Episcopus Tornacensis ab anno 1191. ad annum 1203. de quo Bellarminus & Labbeus. Quibus addo impressas nuperrimè Epistolas Stephani Tornacensis cum accessione nova Parisiis anno 1679. in 8. apud Ludovicum Billaine cura & studio Claudii du Molinet Canonici Regularis Congregationis Gallicanæ, cum Vita Stephani Epistolis præmissa. Scripsit idem Stephanus *prolixum Commentarium in Decretum Gratiani*, ms. in folio in Bibliotheca celebri Colbertina cod. 2592. & in Bibliotheca sancti Victoris Parisiensis. Item *Sermones aliquos* quos ad 31. hinc & inde ex mss. Codicibus erutos & editioni paratos habet apud se idem qui suprà Claudius du Molinet, sed ut nimiùm stylo simplices non edidit.

De Stephano Langton. 1200.

SUPPLEMENTUM.

STEPHANUS LANGTON Anglus floruit sub initium sæculi 13. electus Cancellarius Universitatis Parisiensis. Factus ab Honorio III. Summo Pontifice anno 1206. S. R. E. Cardinalis tit. S. Chrysogoni & anno sequenti ob eminentiam scientiæ morumque probitatem Archiepiscopus Cantuariensis. Scripsit commentarios in plures Scripturæ libros lectos à se in Scholis, nempe *in* 12. *Prophetas* qui incipiunt: *Ossa duodecim Prophetarum*. *In libros duos Machabæorum*, *Nehemiam*, *Tobiam*, *Judith*, *Esther*, *Ruth*, *libros Regum*, & incipiunt: *Residuum erucæ comedit locusta*. Quæ omnia vidi contineri 2. ingentibus tomis in fol. in Bibliotheca Fulcardi Montis Cisterciensis Ordinis, quæ postea transierunt in ditissimam Bibliothecam Colbertinam. Habentur autem plura passim hujus Stephani Langtonii Opera mss. in Bibliothecis Anglicis, nempe Commentaria in Scripturam sacram.

In Pentateuchum Oxonii in Biblioth. Collegii Trinitatis cod. 5. & Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 248.

In Josuam, *Judices & Ruth* Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 248. & sancti Benedicti cod. 151. Item *in Leviticum*, *Josue*, *Judices*, *Ruth*, *&c.* manuscripto in Bibliotheca Colbertina cod. 661.

In Job Oxonii in Bibliotheca Orialensi cod. 12. *in Ecclesiastem* manuscripto in Bibliotheca Colbertina cod. 2808.

In Tobiam, *Judith*, *Esther*, *Esdram*, *lib.* 2. *Machabæorum* Oxonii in Bibliotheca Exoniensi cod. 3. Cantabrigiæ in Biblioth. Domus sancti Petri cod. 241. & sancti Benedicti cod. 151.

In Hieremiam, *Ezechielem*, *Esdram*, *Nehemiam*, *&* 2. *libros Machabæorum*, Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii sancti Benedicti cod. 145. *In Isaiam* ibidem cod. 376.

Tropologia in 12. *Prophetas Minores*, Oxonii in Collegio Trinitatis cod. 6. in Exoniensi cod. 3. & Can-

Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 16. & in Collegio ſancti Benedicti cod. 148. Et in Bibliotheca Colbertina codd. 1754. & 4777. Scripſiſſe etiam dicitur *Vitam, paſſionem & translationem S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi & Martyris lib. V.* qui incipiunt: *Profeſſores artium ſæculi proprios, &c.* qui etiam extant mſſ. Cantabrigiæ in Collegio ſancti Benedicti cod. 75.

Annalium Archiepiſcoporum Cantuarienſium liber 1. qui incipit *res geſtæ, &c.* habetur in Bibliotheca Collegii ſancti Benedicti Cantabrigiæ cod. 22. ſub nomine Stephani Archiepiſcopi; ſed ex Nota veteris cujuſdam, ſpectat ad Radulfum de Diceto Londonienſis Eccleſiæ Decanum. Vixit uſque ad annum 1228. quo obiit die 2. Julii, de quo Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib. 2. cap. 56. Faciunt eum Ciſtercienſes *in Bibliotheca Scriptorum Ciſtercienſium*, Monachum ſui Ordinis, ſed pro more Monachorum ſibi facilè multa attribuentium, quæ ad eos nullatenus ſpectant. Scimus equidem *Stephanum de Langtona* exulem, recepiſſe ſe Pontiniacum Ord. Ciſtercienſis Cœnobium: ſed aliud ibidem hoſpitio charitativè exceptum aliquot annis manſiſſe, aliud Monachiſmum adſumpſiſſe, quod non legimus, niſi apud Neotericos Ciſtercienſes ſibi de his aggaudentes.

De Petro Pictavienſi. 1200.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS Pictavienſis Cancellarius olim Univerſitatis Pariſienſis, poſt Petrum Lombardum atque Robertum Pullenum Lector Theologiæ in Clauſtro B. Mariæ, inde teſte Alberico Archiepiſcopus factus eſt Ebredunenſis. Scripſit ad eorum exemplum *Summam Sententiarum* Guillelmo Senonenſium Archiepiſcopo dedicatam teſte eodem Alberico, quam habes impreſſam in fol. Pariſiis cum Summa Sententiarum Roberti Pulli anno 1655. de qua vide ſuprà ad annum 1150. Scripſit etiam *ſuper Tabernaculum Moyſis* mſ. Cantabrigiæ in Bibliotheca Penbrochiana cod. 75. *Allegorias ſuper Biblia* mſſ. privatim in Biblioth. L. cod. 231. Obiit anno 1205. de quo Albericus in Chronico, Auctor Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis ſæculo 12.

De Adamo de Corlandon. 1200.

SUPPLEMENTUM.

ADAMUS DE CORLANDON Canonicus & Decanus B. Mariæ Laudunenſis, Diſcipulus Michaelis Senonenſis Archiepiſcopi, claruit ab anno 1180. uſque ad 1200. quo obiit, ſepultus in capitulo ſancti Martini Laudunenſis, ſub marmore cum Epitaphio. Scripſit *varias quæſtionum in Sacram Scripturam ſolutiones* variis temporibus, quas dicto Michaeli Archiepiſcopo dicavit, mſſ. in 3. voluminibus in fol. in Bibliotheca Abbatiæ Cuiſſiacenſis, in Epiſcopatu Laudunenſi. Prologus incipit, *Frange eſurienti panem tuum, &c. Pater reverende ratio conſulit, utilitas ſuggerit, neceſſitas cogit &c.* quæ autem deſunt ex uno volumine quod mutilum eſt, ſuppleri poſſunt ex altero continente opus integrum, opera enim quædam ibi bis manuſcripta ſunt.

De Adamo de Perſennia. 1200.

SUPPLEMENTUM.

ADAMUS primùm Monachus, poſt Abbas de Perſennia Ordinis Ciſtercienſis in Epiſco-
A patu Cenomanenſi, floruit anno 1200. ſcripſitque ad ſuos fratres in Capitulo congregatos *Opus Sermonum impreſſione digniſſimum* quod eſt mſ. Romæ in manibus clariſſimi viri Hilarionis Rancati Abbatis ſanctæ Crucis in Hieruſalem. Impreſſi ejus Sermones de Beatiſſima Virgine ex Codice Cœnobii Caſemarii, & Notis illuſtrati ſtudio Hyppoliti Maraccii Presbyteri Lucenſis, Romæ apud Ignatium de Lazzeriis 1652. in 4. Item ſcripſit *Epiſtolas quaſdam ad Oſmundum Mortui Maris in Normannia Monachum*, quas edidit Stephanus Baluzius tom. 1. Miſcellaneorum pag. 423. Audio etiam mſ. Cod. dictorum Sermonum aſſervari apud Cœnobium Perſennenſe, quem
B non vidi.

De Andrea Sylvio. 1200.

SUPPLEMENTUM.

ANDREAS SILVIUS primùm Monachus, tum Cœnobii Marchianenſis Ordinis D. Benedicti in Territorio Duacenſi Abbas, ſcripſit circa annum 1200. *Hiſtoricam Merovvingicæ ſtirpis Regum Francorum Synopſim*, cum continuatione aliorum editam Duaci anno 1633. 2. tomis in 4. à Raphaele de Beauchamps cum Notis. Fuit autem compoſita hortatu Petri Attrebatenſis Epiſcopi, ex Abbate Ciſtercii in Epiſcopum conſecrati anno 1184. & mor-
C tui anno 1203. Scripſit etiam *Libros duos De Miraculis ſanctæ Rictrudis*, quos Anonymos ediderunt Bollandi Continuatores ad diem 12. Maji. Hæc tempora planè conveniunt cum Prælatura Simonis apud Marchianenſes Abbatis anno 1199. conſtituti & 1202. mortui, ſub quo *Chronicon Scriptum Marchianenſe* ut creditur ab Andrea Silvio, quod mſ. aſſervatur Antuerpiæ apud Patres Societatis Jeſu.

De Alberto Hieroſolymitano. 1200.

SUPPLEMENTUM.

ALBERTUS primùm, ut volunt, Eremita,
D tum poſtea Vercellenſis Epiſcopus, inde Patriarcha Hieroſolymitanus, florebat adhuc anno 1206. qui ſcripſit *Regulam Carmelitis* ſeu Solitariis in Monte Carmelo commorantibus, quam ediderunt Bollandiſtæ in ſuo menſe Aprili, in præludiis Commentariis ſuis ad Vitam dicti *ſancti Alberti Carmelitarum Legislatoris*. De illo Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 381. pag. 255. Bibliothecæ Eccleſiaſticæ, ſed ad nauſeam Bollandiſtæ in ſuo menſe Aprili, quem quivis conſulere poteſt.

De Balduino Imp. Conſt. 1204.

E SUPPLEMENTUM.

BALDUINUS Flandriæ & Hannoniæ Comes, Balduini cognomento Magnanimi filius, anno 1204. ex Latinorum genere primus Conſtantinopoli à noſtris occupatæ datus eſt Imperator, annum ætatis 32. agens: à Niceta Choniate aliiſque Græcis (quod magnum virtutis eſt argumentum) ſummoperè laudatus. Scripſit Balduinus ipſe Latinè ad ſuos in Belgio ſubditos, *longam Epiſtolam de urbis Conſtantinopolitanæ expugnatione*, quam ex mſſ. Sonegienſi, in Codice piarum donationum cap. 99. edidit ac publicavit Aubertus Miræus. Balduinus porrò anno 1205. die 25. Aprilis à Bulgaris captus in prælio, & menſes ſexdecim in vinculis habitus, demùm juſſu Joannis Bulgarorum

Regis

Regis crudeliter interemptus fuit. Successit ei in Imperio Const. Balduinus Frater.

De Gaufrido de Villehardovin. 1200.

SUPPLEMENTUM.

GAUFRIDUS Dominus de Villehardovin, Marescallus Campaniæ & Romaniæ, adfuit huic Francorum & Venetorum Expeditioni anno 1204. quam Gallico idiomate conscripsit anno eodem, quam ediderat in 4. Parisiis anno 1585. Blasius de Vigenere apud Abelem Langelier: & quam anno 1657. *in suo Constantinopolis Christianæ Imperio* edidit iterùm in fol. Parisiis Carolus du Fresne, du Cange, Quæstor Regius Ambianensis, cum suis Annotationibus doctissimis & collaterali comparatione veteris Idiotismi Gallici cum hodierno.

De Absalone Parisiensi. 1200.

SUPPLEMENTUM.

ABSALON ex Canonico sancti Victoris Parisiensis, factus Abbas Spinkirbatensis in Archiepiscopatu Trevirensi, anno circiter 1210. floruit, ex Cæsario qui eum allegat in opere suo de Miraculis suorum temporum, tamquam sibi Synchronum aut proximum. Scripsit *doctos & elegantes Sermones*, quos Daniel Schillingus ejusdem Ecclesiæ Abbas procuravit imprimi in folio Coloniæ anno 1534. sub hoc titulo: *Sermones festivales quinquaginta Absalonis Abbatis Spinkirbatensis*. Horum aliquos iterum recudi curavit Petrus de Alva & Astorga in suo Mariali, ubi de hac impressione agit. De illo Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 337. pag. 242. ubi malè tamen eum affigit ad annum 1120. quo nondum natus erat.

De Guiberto Gemblacensi. 1200.

SUPPLEMENTUM.

GUIBERTUS seu GILBERTUS Martinus Gemblacensis Monachus, ita cognominatus ob specialem suam in sanctum Martinum Turonensem Episcopum devotionem, claruit anno circiter 1208. multa scribens quæ mss. asservabantur in Monasterio Gemblacensi in Brabantia, ubi Abbas fuerat olim. Hæc viderat Joannes Mabillon in 3. voluminibus, unde summatim refert tom. 2. suorum Analectorum pag. 544. & seqq. sed combusta omnis hujus Cœnobii Bibliotheca nuperrimè, imò totum Cœnobium incendio momentaneo, cui nullus mederi unquam potuit.

De Roberto de Chorceon. 1200.

SUPPLEMENTUM.

ROBERTUS de Chorceon, seu de Chorceone Anglus, Theologus suo tempore clarissimus, scripsit *summam Theologicam* quam mss. asservant custodes Bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis. Est autem Robertus factus S. R. E. Cardinalis, & Legatus Apostolicus, qui florebat anno 1206. & anno 1212. habuit Concilium, in Urbe Parisiensi ad Ecclesiæ Gallicanæ Reformationem, ut patet ex Conciliis ultimæ editionis; de quo plura sæculo 13. Historiæ Universitatis Parisiensis.

De Gunthero. 1203.

GUNTHERUS Monachus Parisiensis, scripsit *historiam Constantinopolitanam*, quæ tempore suo contigit, quando videlicet Constantinopolis à Latinis capta est, & Balduinus Flander Imperator creatus: quæ historia extat apud Henricum Canisium tomo quinto, part. 2. antiquæ lectionis.

DISSERTATIO HISTORICA.

GUNTHERUS Monachus, Parisiensis, sic dictus à Cœnobio quodam Cisterciensis Ordinis in Diœcesi Basileensi, non autem ab urbe Gallici Regni Primaria Lutetia Parisiorum, vixit sæculo Christi XIII. Quo verò obierit anno, non constat.

Historia capta à Francis ac Venetis Constantinopoleos anno 1204. quam ex ore Martini cujusdam Abbatis, qui præsens interfuerat, accepit, edita est ab Henrico Canisio Tomo V. antiquæ lectionis.

De Helinando. 1203.

HELINANDUS Monachus Gallus scripsit *historiam ab orbe condito usque ad annum* 1212. *libris quadraginta octo*: quem auctorem præcipuè secuti sunt Vincentius Bellocavensis, & S. Antoninus in historia scribenda. Scripsit etiam *sermones & epistolas, & alia*, quæ utrum excusa extent, ignoro.

DISSERTATIO HISTORICA.

HELINANDUS Monachus Frigidi montis in Diœcesi Bellovacensi O. C. scripsit chronicon sive Historiam ab orbe condito usque ad annum 1212. lib. 48. ex aliis pro more illorum temporum nullo ferè delectu consarcinatam, ex qua deinde Historias, & Chronica sua locupletarunt Vincentius Bellovacensis qui lib. 31. cap. 105. Speculi Historialis, vocat eum virum religiosum, & facundia disertum, Albericus Trium fontium Monachus, S. Antoninus, Auctor Magni Chronici Belgici, & alii. Eidem quoque tribuitur *Narratio martyrii S. Gereonis, & sociorum, Sanctorumque Victoris, Cassii, Florentii & aliorum*, apud Surium die 10. Octobris.

Claruisse anno 1069. mendosè docuit Simlerus. Trithemio Hesinandus scribitur Librarii, ut arbitror oscitantia. Quod verò additur claruisse anno 1200. sub Henrico Imp. falsum quoque est, cùm ab anno 1197. mortuus sit Henricus VI. cognominatus Asper.

Sermones, & Epistolas typis commissas non memini me vidisse, nec puto, quidquid nonnulli scribant. Reperitur in Bibliotheca Abbatiæ Longipontis D. Guessionensis O. C. ms. Commentarius Helinandi in Apocalypsim. (a)

(a) Joannes Nider O. P. in libello de Reformatione Religiosorum, quem tempore Basileensis Concilii scripsit cap. 2. refert Historiolam hanc ex Helinandi epistola scripta, De reparatione lapsi ad Gualterum Apostatam Monachum. Unde elegantissimè respondit quidam de nostris adolescentibus Belvacensi Episcopo eum interroganti, unde contingeret, quod sanior, & pulchrior esset in claustro, quàm solebat esse in mundo. Quia, inquit, uniformiter vivo & decenter. De quorum primo habeo, quòd sanus sim, de secundo, ut pulcher sim. In sæculo autem vivebam tam difformiter, quàm multi-

multiformiter. De quorum primo turpitudo nascitur etiam corporalis, de secundo ægritudo. Perrexitque Episcopus quærere dicens: Quid ergo comedisti hodie? satis, inquit. Quid heri? similiter satis. Non quæro inquit de quantitate, sed de qualitate. Quid comedisti heri? quid hodie? Heri, inquit, comedi pisa, & olera; hodie olera, & pisa; Cras autem comedam pisa cum oleribus, post cras olera cum pisis. Hæc de Helinando.

SUPPLEMENTUM.

HELINANDUS, Frigidi-Montis Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Bellovacensi Monachus, claruit anno 1212. Scripsit *Chronicon* ad annum 1204. vel circiter, quod impressum novissimè extat in Bibliotheca veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis à Bertrando Tessier, *cum aliquibus ejusdem sermonibus* erutis ex Autographo dicti Helinandi, quem penes me olim habui è Frigido-Monte mutuatum, ac fideliter restitutum. Idem scripsit *Martyrium SS. Gereonis, & Sociorum ejus*, apud Surium ad diem 10. Octobris. Item *prolixum Commentarium in Apocalypsim B. Joannis* ex Patribus compilatum; quem vidi ms. bis in Bibliotheca Longipontis Ordinis Cisterciensis. Addo *librum de laude vitæ Claustralis*, & alium *De Regimine Principum*, qui reperiuntur mss. Tongris in Bibliotheca Canonicorum Regularium. Ejusdem lib. *de reparatione lapsi* ms. in Bibliotheca Viridis Vallis propè Bruxellas, quem Vincentius Bellovacensis Helinando nostro contemporaneus eidem tribuit: si tamen hic liber non est unus, & idem cum *libro de Laude vitæ Claustralis*, quod probabile satis est. Obiisse dicitur anno 1227. Fallitur Carolus de Vvisch in Bibliotheca Scriptorum Cisterciensis Ordinis, dum duos Helinandos, alium è Frigido-Monte, alium è Persennia distinguit, est enim unicus horum omnium Scriptor Operum.

De Niceta Choniate. 1205.

NICETAS Acominatus, sive Choniates floruit post annum 1200.

Scripsit enim *historiam*, quæ extat *Græcè, & Latinè ab anno* 1118. *usque ad annum* 1205. idest, ab Imperio Jo. Comneni, Alexii filii usque ad obitum Balduini primi ex latinis Imperatoris Constantinopolitani. Dicitur etiam scripsisse *libros quinque de fide Orthodoxa Græco idiomate*, quos non vidi sed Parisiis excusos esse accepi.

DISSERTATIO HISTORICA.

NICETAS Acominatus, à patria dictus Choniates, Magnus Logotheta Secretorum, Inspector, ut Judex veli, ac Præfectus sacro cubiculo fuit Anno 1204. quo à Francis Venetisque capta est Constantinopolis Virginem Bellisariotidem, quam è manibus hostium eripuerat, duxit uxorem, reliquumque vitæ tempus Niceæ in Bithynia exegit, quam in urbem Theodorus Lascaris, aliique è Græca nobilitate præcipui, se receperant. De eo ex recentioribus plura Wolfius, Lipsius, Possevinus, Vossius &c. Michael Choniates Athenarum Archiepiscopus Monodiam scripsit in funere fratris sui Nicetæ quam Petrus Morellus Latinitate donavit.

Historia, sive, *Annales* ab obitu Imperatoris Alexii Comneni hoc est ab anno 1118. ad annum 1205. & obitum Balduini primi Latinorum in Ecclesia Imperatoris, res in Græcia, & Asia gestas libro uno, ac viginti complectuntur. Primùm Basileæ prodierunt Græcè & Latinè interprete Hieronymo Wolfio
A Oetingensi Lutherano anno 1557. in folio cum Zonara, & Gregora, ex Bibliotheca, & sumptibus V. C. Antonii Tuggeri Genevæ, deinde in 4. anno 1593. cum marginalibus notis, & argumentis: (*a*) postremò tandem in Typographia Regia cum aliis Byzantinæ Historiæ Scriptoribus anno 1647. collati cum variis codicibus calamo exaratis, additoque insuper Glossario Græco-Barbaro à V. C. Carolo Annibale Fabroto J. C. doctissimo.

Tomo XII. Bibliothecæ Coloniensis Veterum Patrum, & alibi extant Latinè dumtaxat ejusdem Nicetæ *libri quinque priores Thesauri Orthodoxæ Fidei*, ex plurium aliorum naufragio servati, Petro Morello Turonensi interprete, qui jam ab anno 1580.
B Lutetiæ, fuerant emissi in 8. apud Guillelmum Calderium ex Bibliotheca V. C. Joannis à S. Andrea Canonici Parisiensis. In primo, secundo, ac tertio jactis Christianæ Religionis fundamentis, in quarto hæreses quasdam ante Arium exortas numero 44. in quinto Arianorum, Eunomianorumque deliria confutat.

Fragmentum de ordine qui servari solet, cum quis à Saracenismo ad Christianismum transit ex lib. 20. Thes. Nicetiani eodem Petro Morello interprete primùm vulgatum est anno 1580. deinde Græcè & Latinè, sed ex vers. aut diversa aut saltem interpolata anno 1596. in 8. cum Saracenicis, seu Mahometicis Sylburgii Tomo II. Auctarii G. L. Bibliothecæ San-
C ctorum Patrum Auctore R. P. Frontone Ducæo S. J. an. 1624. unde in Morellianam cum reliquis transiit. Est porrò Saracenicorum illorum, seu Mahometicorum opera Friderici Sylburgii editorum ex Typographia Hieronymi Commelini talis series. I. Israelitarum, futiliumque ejus sectæ dogmatum perspicua confutatio Joanne Jacobo Beurero interprete ex Euthymii Zigabeni Dogmatica Panoplia Parte II. tit. 24. II. De Saracenorum Principe & Pseudopropheta Mahometo Historia incerti Auctoris cum fragmento de Arabibus. III. Saracenorum ad Christianam Ecclesiam sese aggregantium Catechesis, & Saracenismi anathematizatio, cujus auctor tacetur à Sylburgio, cum sit, ut diximus, Nicetas. IV. Ex
D Theophanis, & Anastasii Ecclesiastica Historia de Mahometicæ sectæ primordiis. V. Ejusdem Beureri Synopsis rerum Saracenicarum, & Turcicarum.

(*a*) Ab homine hæretico S. G. S. Genevæ anno 1593. stabulanti, atque Hadriano Junio Tyongio Dordraceno dedicanti. Ego si quid auguror ex vestigiis singularum illarum notarum agnoscendum censeo Simonem Goulartium Silvanectensem, inter Calvinianæ hæreseos Mangones eo tempore non postremum. Quod si quis alius conjecerit felicius, divinationem ille suam omnibus prodat.

SUPPLEMENTUM.

E NICETAS Choniates, magnus Logotheta Secretorum &c. de quo plenè loquitur Labbeus in dissertatione Historica de Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis. Huic tantum addo extare mss. Græcè in Bibliotheca Bavarica cod. 119. Thesauri Orthodoxæ Fidei *Nicetæ Choniatæ de Armenorum hæresi tom.* 17. *ejusdem tom.* 18. *contra Paulitianos, & 19. contra Saracenos, cum modo recipiendi illos, qui à Saracenis ad Christiana sacra redeunt*. Dabit autem plura citatus Labbeus, sed plura dicere nostrum non patitur institutum, qui tantùm omissa ab ipso allegamus in auctoribus adductis, vel auctores ipsos omissos.

De

De Gervasio Sagiensi. 1210. A

SUPPLEMENTUM.

GERVASIUS Abbas Præmonstrati, tum postea Sagiensis in Normannia Episcopus, floruit anno 1206. & sequentibus, usque ad annum 1228. quo mortuus est. Scripsit *Epistolas circiter centum ad personas sui temporis illustres*, quas ex ms. Codice Viconiensi eductas, edidit in 4. apud Montes Hannoniæ anno 1662. Norbertus Cailleu Prior Præmonstrati. Plura de Gervasio Auctor Bibliothecæ Præmonstratensis, & Sammarthani Fratres in Gallia Christiana, ubi de Præmonstratensibus Abbatibus & Sagiensibus Episcopis. B

De Gervasio Tilleberiensi. 1210.

SUPPLEMENTUM.

GERVASIUS Tilleberiensis Marescallus seu Polemarchus Regni Arelatensis, clarus ad annum 1210. scripsit ingens opus Chronographicum ac Geographicum, inscriptum *Otia Imperialia*, bis ms. in celebri Bibliotheca Colbertina, ex manuscriptis Thuaneis. Itemque ms. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti cod. 237. Meminit hujus Gervasii Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, p. 638. C quem legas.

De Alexandro Neckam. 1210.

SUPPLEMENTUM.

ALEXANDER NECKAM Anglus, Grammaticus, Philosophus ac Theologus hoc tempore non ignobilis, floruit circa annum 1210. scribens varia quæ tantùm in diversis Angliæ Bibliothecis mss. extare leguntur. Sunt autem,

Isagoge seu Isagogicon, ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 154.

De nominibus utensilium, Contabrigiæ in Domo D sancti Petri cod. 25. & in Archivis Collegii Caii cod. 70.

Commentarius in Martianum, ms. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 185.

De Accentu in mediis Syllabis cum alio Tractatu dubii generis, ibid. cod. 262.

De natura rerum, in Bibliotheca privata Gualteri Copi cod. 62.

Super Evangelia, ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii Lincolniensis cod. 21.

Super Cantica, ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 285. Balliolensi cod. 38. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 122. & Penbrochiana E cod. 152.

Laudes Divinæ Sapientiæ, ms. privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 33.

De Adamo Barkingensi. 1210.

SUPPLEMENTUM.

ADAMUS BARKINGENSIS Anglus floruit anno circiter 1216. qui scripsit *Postillas breves super Vetus & Novum Testamentum*, mss. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 91.

De Roberto Præmonstratensi. 1210.

SUPPLEMENTUM.

ROBERTUS Canonicus Ordinis Præmonstratensis in Abbatia sancti Mariani apud Antissiodorum, scripsit circa annum 1212. *Chronologiam ab orbe condito usque ad annum* 1212. unde creditur mortuus esse anno proximè sequenti. Hugo ejusdem Ecclesiæ Canonicus Appendicem adjecit usque ad annum 1227. Nicolaus Camuzatus Trecensis Canonicus curavit utriusque lucubrationes imprimi in 4. Trecis anno 1608. apud Natalem Moreau. De Roberto Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 388.

De Arnoldo Hildesheimensi. 1210.

SUPPLEMENTUM.

ARNOLDUS Hildesheimensis Præpositus, continuavit *Chronicon Helmoldi* usque ad annum 1212. de quo Bellarminus & Labbeus *in Helmoldo*, & ego suprà ad annum 1168. vel circiter.

De Vincentio Cracoviensi. 1210.

SUPPLEMENTUM.

VINCENTIUS CADLUBCUS Polonus, Cracoviensis Episcopus, quo officio se sponte abdicans, in Andreovicensi Cisterciensis Ord. Cœnobio Monasticen professus, reliquos quinque vitæ suæ annos religiosè confecit. Scripsit *Historiam Polonicam jussu Casimiri Poloniæ Ducis*, impressam in fol. Dobromili anno 1612. in Officina Joannis Szeliga, cum Historia Polonica Joannis Longini sive Duglossi, Canonici Cracoviensis & postea Episcopi Leopoliensis. Obiit Cadlubcus anno 1224.

De Petro Cisterciensi. 1210.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS Monachus Vallis-Sarnensis Ordinis Cisterciensis, vulgariter, *des Vaux de Cernay*, scripsit anno circiter 1216. *Historiam Hæreticorum Albigensium*, quam inseruit Bibliothecæ veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis Bertrandus Tissier tom. 7. pag. 1. & seqq. impresso ad annum 1669. apud Bonumfontem in Thierascia, Ord. ejusdem Cisterciensis Abbatiam in Episcopatu Rhemensi. Scripsit hanc Historiam hortatu Innocentii III. Summi Pontificis, cui & illam dicavit, quæ extat etiam edita typis anno 1615. Trecis in Campania Galliæ. De illo Aubertus Miræus in Auctario suo De Scriptoribus Ecclesiasticis capite 403. Carolus De Vvisch in Bibliotheca Scriptorum Cisterciensis Ordinis, atque alii.

De Simone Tornacensi. 1210.

SUPPLEMENTUM.

SIMON Tornacensis insignis hoc tempore Theologus, cujus etsi nihil impressum sit, doctrina tamen cognita sufficienter est ex Historia Universitatis Parisiensis sub sæculi 13. initium. Scripsit *Summam Quæstionum in Sententias*, ms. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Balliolensi codd. 58. & 188. *Institutiones in sacram Paginam* mss. Oxonii in Collegii Mertonen-

tonenſis Bibliotheca cod. 36. nec mihi dubium quin etiam in aliis locis inveniantur Opera hujus antiqui Theologi. Ejuſdem *Summa Theologica* mſ. in Bibliotheca Colbertina cod. 4314. quæ an idem opus ſit cum *Summa Quæſtionum in Sententias*, me neſcire fateor.

De Gualtero Victorino. 1210.

SUPPLEMENTUM.

GUALTERUS ſeu WALTERUS Prior Sancti Victoris Pariſienſis, Ordinis Canonicorum Regularium D. Auguſtini, vel potiùs *ejuſdem loci Canonicus*, quem perperam Anonymus Abbatem ſtatuit, non enim Cenſetur in Syllabo Abbatum apud Sammarthanos in Galliaſua Chriſtiana tom. 4. pag. 926. Floruit circa annum 1210. ſcripſitque opus inſcriptum, *Contra Quatuor Labyrinthos Franciæ*, ſeu *contra quatuor Petros Theologos*, *Lombardum*, *Abaelardum*, *Comeſtorem*, *& Pictavienſem*: quod mſ. aſſervatur in Bibliotheca ſancti Victoris Pariſienſis, ut habet Joannes Mabillon tom. 3. Analectorum pag. 450. ubi de Vvaltero iſto plura habet, quem aliundè non noveram.

De Vvernero Abbate. 1210.

SUPPLEMENTUM.

WERNERUS Abbas Sancti Blaſii in Nigra Silva Ordinis Sancti Benedicti, Diœceſis Conſtantienſis in Germania, collegit *ex diverſis Patribus deflorationem*, *quæ continet Sermones poſtillares* (ut loquuntur) per annum, Baſileæ anno 1549. editam. Floruit ſub annum 1210. vel circiter.

De Petro de Corbolio. 1210.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS DE CORBOLIO Gallicè *de Corbeil*, Michaelis de Corbeil Senonenſis Archiepiſcopi ac Reginaldi de Corbeil Pariſienſis poſtea Epiſcopi conſanguineus, Innocentii Papæ III. quondam Didaſcalus, ob eminentem ſcientiam toti Chriſtiano vel ſaltem Latino orbi notiſſimam, evectus eſt anno circiter 1200. ad Epiſcopatum Cameracenſem, atque aliquanto poſt à Sede Cameracenſi eſt translatus ad Archiepiſcopatum Senonenſem. Ejus nominationem confirmat idem Innocentius III. cap. *Gratum* de poſtulatione, in tertia compilatione. Licet autem hic ſubjicere excerpta Chronicorum Turonenſis, & Antiſſiodorenſis Roberti, dum inquiunt. *Anno* 1200. *Octavianus Epiſcopus Oſtienſis Legatus Petrum de Corbolio, qui Litteraturæ ſæcularis & Theologiæ prærogativa famoſus in Scholarum regimine Pariſiis diu claruerat, & de Cathedra Magiſtrali ad Cameracenſis Eccleſiæ Cathedram nuper aſſumptus fuerat, Michaele Senonenſi Archiepiſcopo mortuo, in Senonenſem Eccleſiam inthronizat.* Idem verò Pontifex, Petro adhuc Canonico Pariſienſi, committit cauſam Lingonenſis Epiſcopi contra Capitulum lib. 1. Epiſt. *Cùm olim*, 1198. Atque ut ipſi tradatur pacificè Archidiaconatus in Eccleſia Eboracenſi, mandat eodem anno 16. Kalendas Januarii Decano & Capitulo. *De cujus*, inquit, *Litteratura & ſcientia in longinquis & remotis partibus prædicatur*, *ſub cujus Magiſterio nos aliquando fuiſſe in memoriam reducimus*, *& ab eo divinarum audiviſſe paginam Litterarum* (Pariſiis) *quod volumus reputare glorioſum.* Et alia Epiſtola ad Richardum Angliæ Regem ait, *Magnificentiam ipſius Regiam non ignorare*, *qualiter is Petrus inter alios orbis clericos ſcientia liberali præfulgeat*, *& ſua probitate & diſcretione ſit admodum commendandus*, *&c.* Scripſit *Summam Quæſtionum Theologicarum* quam apud ſe mſ. adſervatam habet Joannes Launoy Doctor Theologus Pariſienſis Scriptis ſuis notiſſimus, cujus hic titulus eſt: *Quæſtiones Scholares Magiſtri Petri Senonenſis Archiepiſcopi*; de qua etiam mentionem facit idem Joannes Launoius in libro *De Scholis celebrioribus* per Occidentem reſtauratis cap. 59. art. 6. pag. 229. Obiit Petrus anno 1222. Junii die 3. in Senonenſi Eccleſiæ Choro, ipſa die qua celebrabatur Synodus, ſub Archiepiſcoporum conditorio tumulatus. Hæc breviter; qui plura cupit, legat Hiſtoriam Univerſitatis Pariſienſis ſæculo 13. & adeat Sammarthanos Fratres in ſua Gallia Chriſtiana tom. 1. in Archiepiſcopis Senonenſibus pag. 635. ubi fusè meritas Petri de Corbolio laudes exequuntur.

De Oliverio Colonienſi. 1210.

SUPPLEMENTUM.

OLIVERIUS Scholaſticus Colonienſis, vir pius, eruditus ac facundus fuit, qui à Romano Pontifice ad prædicandam crucem auctoritatem per Litteras Apoſtolicas habens, in Brabantia, Flandria, Frizia, aliiſque vicinis Provinciis, cum Arnoldo Diſcipulo ſuo fortiter ac fœliciter id præſtitit: ut Cæſarius Heiſterbacenſis qui eodem tempore vixit, Albertus Stadenſis & alii narrant. Scripſit *Epiſtolam de Expugnatione Damiatæ* ad Sanctum Engelbertum Colonienſem Archiepiſcopum datam, quam Jacobus Bongarſius habet tom. 1. *Geſtorum Dei per Francos* de quibus jam ſuprà & ſæpè diximus. Subnectitur Epiſtolis ab Amalrico Rege, Amalrico Patriarcha Hieroſolymitano, Raymundo Principe Antiocheno, Gilberto Cuſtode Hoſpitalis Hieroſolymitani, & aliis ad Regem Francorum Ludovicum cognomento *Juniorem*.

De Roberto Pullano. 1210.

SUPPLEMENTUM.

ROBERTUS Pullanus, ſeu Pullus, quem alii Anglum, alii Gallum volunt, Gallicè *Robertus Poulain*, Doctus & Antiquus Theologus floruit in Gymnaſio Pariſienſi anno 1200. & ultra, unde poſtea ob morum præſtantiam & doctrinæ ſimul eminentiam, elevatus eſt anno 1208. ad Archiepiſcopatum Rothomagenſem. Sacræ Militiæ nomen dedit contra Albigenſes Hæreticos, una cum aliis Præſulibus Gallicanis anno 1209. ut eſt apud Albericum & Petrum Vallis-Sernaii Monachum in Chronico cap. 62. Scripſit *libros* 8. *Sententiarum de Trinitate inſcriptos*, quos cum Petro Pictavienſi ex mſ. Codice anno 1655. evulgavit Pariſiis in folio Hugo Mathout Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri. Huic reſcripſit Innocentius III. cap. 8. *ad reprimendam* de officiis Ordinarii, quatenus poſſit Archiepiſcopus abſolvere excommunicatum à ſuffraganeo. Moritur anno 1221. 4. Nonas Maji, ſepultus in Cœnobio Mortui-Maris, Nonis ejuſdem menſis. Vide Hiſtoriam Univerſitatis Pariſienſis ſæc. 12. & 13. Sammarthanos in Gallia Chriſtiana tom. 1. pag. 584. in Archiepiſcopis Rothomagenſibus. Summa ejus *de Trinitate*, mſ. olim in Bibliotheca Gualteri Copi Armigeri, ſeu Nobilis Angli cod. 41.

De Conrado Urspergensi Abbate. 1215.

ABBAS URSPERGENSIS, cujus nomen diu fuit incognitum, sed tandem Conradum esse innotuit, vivebat tempore Innocentii tertii Pontificis: testatur enim ipse, se anno Domini 1202. factum Presbyterum, & anno 1207. factum esse Monachum Præmonstratensem, & anno 1215. factum esse Abbatem Urspergensem.

Scripsit *historiam*, sive *chronicon à primo Rege Assyriorum Belo, usque ad Fridericum secundum Imperatorem*, id est, usque ad annum Domini 1229. & Friderici Imperatoris nonum.

Observatio.

Necesse est, hanc historiam, vel non esse unius auctoris, vel Conradum hunc inseruisse aliqua in historia sua, ex scriptis aliorum. Siquidem anno 1102. scribit se Romæ fuisse, cum Paschalis secundus Pontifex feria quinta in Cœna Domini publicè Imperatorem Henricum excommunicatum pronunciavit. At ipse (ut paulò antè notavimus) scribit, se anno 1215. factum esse Abbatem Urspergensem: quæ certè non cohærent, nisi fortè factus sit Abbas cùm esset plusquam centum, & quindecim annorum. Sed neque hoc dici potest; cùm ipse idem loquens de initio Pontificatus Innocentii tertii, idest, de anno 1198. dicat, se tunc fuisse in minori ætate, & adhuc laicum: quomodo enim esse poterat in minori ætate, si plusquam centenarius erat?

Illud quoque observandum est, hunc auctorem ob amorem erga Imperatores suæ nationis, non pauca contumeliosa scripsisse de Innocentio tertio, & Gregorio nono Pontificibus valdè piis, & doctis: alioqui autem scriptorem esse satis diligentem, & dignum, qui legatur.

DISSERTATIO HISTORICA.

CONRADUS à Lichtenaw, seu Lichtenavius, Ordinis Præmonstratensis, vir suo tempore non mediocriter eruditus, Urspergensis fuit Abbas ad Mindulam in Diœcesi Augustana ab anno 1215. usque ad annum 1240. quo obiit, cùm annis 24. huic Cœnobio præfuisset. Extat non semel typis excusum ejus

Chronicon à Belo Rege Assyriorum ad annum Christi Domini 1229. Friderici II. Imper. nonum, ex variis diversarum ætatum, & locorum Chronologis in modum centonis consarcinatum, ut erat mos, ac veluti genius omnium ferè ævi illius ac sæculi χρονογράφων Vincentii Bellovacensis, Alberici Triumfontium Monachi, & innumerabilium aliorum, præsertim Cœnobitarum, quorum id negotium fuisse in singulis penè Monasteriis observavimus. Errarunt ergo, qui eum auctorem vixisse scripserunt anno 1211. & interfuisse coronationi Henrici V. Imperatoris à Papa Paschale II. peractæ, cùm certum sit præter ea, quæ supra jam attulimus, ex ipsius confessione anno 1202. factum Presbyterum, & anno 1207. Præmonstratensem Monachum. Sed de eo plura Bell. Vossius, aliique. (*a*)

(*a*) Atque omnium diligentissimè R. P. Jacobus Gretserus cap. 10. lib. 11. Variarum Lectionum, quas post ejus obitum à R. P. Georgio Stengelio ejusdem Soc. Jesu collectas, & anno 1628. excusas ante aliquot dumtaxat menses mihi primùm legere contigit.

A

B

C

D

E

De Honorio Augustodunensi. 1220.

HONORIUS Augustodunensis Presbyter claruit anno Domini 1220. ex Trithemio, qui ei multa opera attribuit, quæ fortasse non extant. Extat autem excusa Basileæ anno 1544. *summa historiarum*, sive *chronicon magnum*: extat etiam *commentarius in libros Salomonis* editus Coloniæ anno 1544. Extat quoque liber inscriptus *Gemma animæ*, qui liber solet excudi cum auctoribus, qui scripserunt de officiis divinis. Extat denique liber de scriptoribus Ecclesiasticis.

DISSERTATIO HISTORICA.

HONORIUS, Eduensis, sive Augustodunensis Ecclesiæ in Ducatu Burgundiæ Presbyter, & scholasticus, floruisse dicitur sub Henrico V. Imp. qui anno 1124. obiit, ideoque non tolerandus error Bellarmini, quique eum ut in cæteris κατὰ πόδας sequutus est, Rhapsodi Patrologi Jenensis, & aliorum qui ad annum 1220. revocant, citantque Joannem Trithemium, licèt ille disertè Henrici V. meminerit, & anni 1120. Unde verò Nicolaus Aurificus, Michael Hittorpius, & Hippolytus Maraccius habuerint fuisse Monachum, & Abbatem Ordinis S. Benedicti, nondum hactenus rimari potui, cùm tamen de se ipso multa dicat, atque ex eo Trithemius, Simlerus, & alii. Extant verò typis excusa, ex omnibus ejus operibus quæ sequuntur.

I. *Liber de Luminaribus Ecclesiæ*, sive de Scriptoribus Ecclesiasticis ab Auberto Miræo in Bibliotheca Ecclesiastica in quatuor libellos divisus; quorum primus brevi compendio, multisque resectis, recenset eos, quos Hieronymus. II. quos Gennadius. III. quos Isidorus collegerat. IV. denique quos ipse aliundè corrasit, repræsentat nonnullis identidem additis, quæ nonnihil lucis afferunt etiam superioribus scriptoribus, quamquam ut sæpius observavimus nimium brevitatis studium, aut incogitantia Epitomatoris multos contraxerit nævos, quos Miræus editor Lectoribus indicare debuerat.

II. *Commentarii in libros tres Salomonis*, Coloniæ excusi apud Cervicornum anno 1540. cum tribus libris Αντικειμένων, sive oppositorum in speciem utriusque Testamenti, Auctoris innominati.

III. *Inevitabile*, sive *Dialogus de Prædestinatione & libero arbitrio*, primùm prodiit Coloniæ apud Lambertum Sylvium anno 1552. studio, ac diligentia Georgii Cassandri, inter cujus opera Parisiis anno 1616. in folio edita reperitur, & in Auctario Biblioth. VV. PP. anno 1610. deindeque editus Antuerpiæ in 8. anno 1620. & 1624. & in Auctario Biblioth. Coloniensis anno 1622. omninò diversus à priori, & tunc primò erutus ex Bibliotheca Cœnobii S. Mariæ in Tongerlo, ordinis Præmonstratensis opera Joannis Conen ibidem Prioris, qui in præfatione monuit inserta ab hæreticis, & à Cassandro edita prava dogmata in hoc ms. codice desiderari.

IV. *Gemma animæ, de officio Missæ, ejusque ceremoniis in quatuor partes divisa* Lipsiæ anno 1514. ac deinde sæpius in Collectionibus Tractatuum de officiis Ecclesiasticis, & Bibliothecis Veterum Patrum.

V. *Synopsis mundi*, sive, *de imagine mundi libri tres*. Spiræ Nemetum anno 1583. typis Bernardi Albini, quorum tertius numquam visus, tum verò una cum prioribus ex vetusto ms. Cod. luce donatus. Certè in editionibus etiam nupera operum Sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi duo tantùm reperiuntur: Et Trithemius duos tantùm enumerat

merat hoc eodem initio : *Mundus itaque dicitur &c.* Scribit quidem Honorius se concinnasse Imaginem mundi de dispositione orbis, sed an unus, pluresve libri fuerint, non explicat. R. P. Theophilus Raynaudus in Syntaxi operum S. Anselmi tribuere videtur cum aliis Honorio cuidam Incluso Monacho Anglo, errore fortè inde nato, quod in editione Spirensi noster hic Honorius pro Scholastico dicatur Solitarius Augustodunensis : deinde verò in Erotematis docet tam manifestè opus illud Anselmo suppositum, ut non sit in ea re diutius terenda opera, sed cui tribuendum sit, non affirmat.

VI. *Elucidarium* Anselmo olim suppositum, & à Theophilo in Erotematis Guillelmo Coventriensi Carmelitæ adjudicatum, nos huicce Honorio cum præcedenti opusculo restituendum docemus ubi de Anselmo.

Simlerus ait *libros Honorii de hæresibus*, &c. impressos fuisse Basileæ apud hæredes Cratandri anno 1544. ejusque majoris Chronici, quod mf. reperitur Epitomen dumtaxat excusam fuisse, sed ubi non designat. Bellarminus, & ex eo Patrologus summam Historiarum, sive Chronicon magnum, dicunt excusum Basileæ anno 1544. R. P. Andreas Schottus S. J. omnia Honorii hujus Augustodunensis Presbyteri opera tum Philosophica, tum Theologica, quæ reperiri potuerunt, omisso tamen nescio quam ob causam Inevitabili, nisi fortè quod editionem ejus novam moliretur, parâretque Joannes Coven, recensita & aucta anno 1618. tradidit excudenda Antonio Hierato Coloniensi Typographo, qui ea in calcem Tomi 12. Bibl. Veterum Patrum retulit hoc ordine. *De mundi Imagine libri tres*. I. De mundo supero, & infero, seu de Sphæra. II. De temporum differentiis. III. De temporum volubilitate, seu de Chronologia : cui si nihil ab alio additum, vixerit saltem ad annum 1152. quo post Conradum electus est Imperator Fridericus Barbarossa. *De mundi Philosophia libri quatuor*, I. De Deo & mundi Fabrica. II. De mundi partibus. III. De elementis, & orbibus cœlestibus. IV. De Terra, mundi ornatu, & homine. *De solis effectibus liber*. *Series Romanorum Pontificum* à S. Petro ad Innocentium II. anno 1130. electum. *De Luminaribus Ecclesiæ*. *Hæreseon ab ortu Ecclesiæ Catalogus*, sive de hæreticis Judæorum, & Paganorum, quique fuerunt in Ecclesia Christiana. *Gemma animæ*, sive, de Divinis Officiis, & antiquo ritu Missarum libri quatuor. *Quæstiones, & ad easdem Responsiones in duos Salomonis libros, Proverbia, & Ecclesiasten*. *Commentaria*, sive, *Expositio in Cantica Canticorum Salomonis*. *Sigillum B. Mariæ*, ubi eadem Cantica Canticorum exponuntur. Adjuncta iis est alia *Expositio brevis in Cantica*, quæ an sit Honorii incertum. Certè in antiquissima editione, quæ sine anno reperitur facta initio nascentis Typographiæ, Honoriano operi subtexitur.

De Sancto Antonio de Padua. 1220.

SANCTUS ANTONIUS de Padua appellatus quia in ea Civitate post multa sanctitatis edita signa obiit, & in eadem sepultus mirificè honoratur : patria fuit Ulyssiponensis, & vivente adhuc Sancto Francisco ejus ordinem ingressus, doctrina & miraculis plurimos convertit, vel ab hæresi ad rectam fidem, vel ab improbis moribus ad pœnitentiam agendam. Extant ejus *conciones tum de tempore, tum de Sanctis*. Migravit in cœlum anno Domini 1231. & anno sequenti à Gregorio nono Pontifice inter Sanctos relatus est.

Dissertatio Historica.

SANCTUS ANTONIUS, Olyssipone in Lusitania natus, Ordinis Minorum primus, ut volunt, Theologiæ Professor, vivendi finem fecit in urbe Venetorum celeberrima Padua (unde Paduanus, sive Patavinus vulgò cognominari solitus) die 13. Junii anni 1231. & à Gregorio IX. Pontifice, qui eum Arcam Testamenti, & Sacrarum Litterarum Armarium aliquando appellaverat, nondum elapso ab ejus morte annuo curriculo in Sanctorum numerum relatus est. Jo: Trithemius ante ingressum Ordinis Theologiam Tolosæ, Bononiæ, & Patavii multo tempore gloriosè docuisse asserit, & à Sancto Francisco Episcopum suum vocari solitum fuisse. Plura de eo Wadingus in Annalibus, & Bibliotheca Ordinis Minorum, & Baronianorum Annalium Continuatores, Bzovius, Spondanus, Odolricus, ut alios omittam.

Studio R. P. Joannis de la Haye, Parisini, ejusdem Seraphici Ordinis Professoris, edita sunt Parisiis anno 1641. omnia S. Antonii Patavini opera, post varia Sancti Francisci Assisiatis Ordinis Minorum Fundatoris opuscula, quæ quòd omissa sint cum eorum Auctore Sanctissimo in Catalogo Bellarmini, haud abs re fuerit iisdem hic quoque præmissis, integrum illum Tomum per singulas partes repræsentare Lectoribus rerum Ecclesiasticarum studiosis.

Quæ ad S. Franciscum Assisiatem attinent.

Vita S. Francisci auctore S. Bonaventura, præfixis variorum elogiis, & nominatim eorum, qui illum inter Ecclesiasticos Scriptores annumerarunt cum Jo: Trithemio, &c. *Bulla Canonizationis Sancti Francisci, ejusque diei festi institutio &c. S. Francisci Epistola prima ad universos Christi fideles. Alia ad eosdem prolixior, capitulis* 13. *distincta. Epistola ad B. Antonium de Padua. Epistola ad B. Claram, & cæteras sorores S. Damiani. Epistola ad easdem. Ad Fratrem Eliam Vicarium Generalem. Ad eumdem. Ad Gerardum Ministrum Fratrum Minorum. Ad Provinciales Ministros eorumdem. Ad Capitulum Generale. Ad Sacerdotes totius Ordinis. Ad Universos Clericos. Ad universos custodes Fratrum Minorum. Ad populorum Rectores. Ad Fratrem Leonem. Ad dominam Jacobam, de septem Ostiis. Verba sacræ admonitionis ad omnes Fratres*, capitulis 27. *Verba ad humilitatem, obedientiam, devotionem, & patientiam inducentia. De Virtutibus, quibus decorata fuit Sancta Virgo, & debet esse sancta anima. Opusculum de vera, & perfecta lætitia. Expositio in Orationem Dominicam. Laus Domini Dei altissimi. Oratio B. Patris in suæ conversionis initio. Alia præponenda horis Canonicis. Salutatio ad Virginem Mariam. Orationes duæ ad eamdem. Oratio B. Patris pro obtinenda paupertate. Alia ad Sanctam Eucharistiam. Alia ejusdem ad impetrandum divinum amorem. Alia ejusdem in infirmitate. Alia ejusdem pro commendanda familia. Alia quotidiana ejusdem. Testamentum ejusdem D. Patris. Laus ejusdem Testamenti. Prima regula pro Fratribus Minoribus*; capitibus 33. cum Prologo, & exhortatione ad Fratres. *Secunda regula pro Fratribus Minoribus*; capitibus 12. cum Prologo, & laudibus secundæ illius Regulæ. *Prima regula Sanctimonialium S. Annæ*; capitibus duodecim. *Regula Tertiariorum, sive Fratrum de Pœnitentia capitibus* 29. *Collationes XXVIII. de variis argumentis. Officium Passionis Dominicæ. Canticum Solis. Canticum de effectibus Divini amoris. Canticum de vehementia ejusdem. Apophthegmata. Familiaria*

liaria colloquia. Prophetiæ. Parabolæ, & exempla. Benedictiones. Oracula, & sententiæ communes.

In Appendice dubiorum opusculorum numerantur, *Sermones VII. Præcipuæ sex Rationes, quare Deus Religionem Minorum suæ concesserit Ecclesiæ, & opusculum decem Perfectionum veri Religiosi, & perfecti Christiani.* Hactenus Sancti Francisci opuscula.

Quæ ad S. Antonium Patavinum spectant.

Vita & Elogia S. Antonii Paduani Ordinis Minorum, cum Bulla Canonizationis ejusdem &c. *Sermones Dominicales Adventus, Quadragesimales, ac reliqui omnes de Tempore* à pag. 97. ad 416. *Sermones de Sanctis* à pag. 417. ad 463. *Interpretatio, vel Expositio mystica in sacram Scripturam*, sive ab eodem fuerit elaborata, sive ab aliquo alio ex ejus operibus collecta, à pag. 464. ad 656. *Concordantiæ Morales sacrorum Bibliorum*, miro ingenio, & optimo ordine dispositæ in libros quinque à pag. 661. ad finem usque voluminis, cum Indicibus locorum sacræ Scripturæ, & rerum quæ in eo continentur.

SUPPLEMENTUM.

ANTONIUS DE PADUA, natione Lusitanus origine Ulyssipponensis, *de Padua* ex sepulturæ loco nuncupatus, ex Canonico Regulari S. Augustini Conimbricæ, factus Minorita, primus (ut volunt) Ordinis Minorum Theologiæ Professor, multa scripsit de quibus abundè agunt Bellarminus, & Labbeus in libro suo de Scriptoribus Ecclesiasticis; hic ad annum 1231. ille tom. 1. pag. 94. & 95. & doctissimus Lucas Waddingus in Bibliotheca Ordinis Minorum pag. 34. quos consulas. His adde, cùm plurimos scripserit Sermones Antonius de Padua qui variis temporibus, & locis impressi sunt, Parisiis nempe anno 1521. per Badium Ascensium, Venetiis in 8. anno 1575. apud Joannem Antonium Bertanum, ac Parisiis anno 1641. ex Officina Caroli Rovillard : nuperrimè tamen his supplementum adjecit Antonius Pagi Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Doctor Theologus, desumptum ut mihi dixit, ex Bibliothecæ Florentinæ Fratrum Minorum Cod. ms. impressum in 8. anno 1684. Avenione apud Petrum Offraii, carta ac prælo pessimis. Inscriptum illud, *Sermones de Sanctis in particulari, Sermones de diversis.* Vidi, ac legi nonnullos qui mihi omnimodè simplices, ac jejuni esse videntur, unde nisi grandioris meriti alia S. Antonii Paduani Opera fuerint, erat convenientius latere in Bibliotheca modicas ejusmodi merces, quàm in publicum evulgari. Sanè qui majori Scriptorum mole Patres opprimuntur, non ii semper inde majorem reportant gloriam, nisi respondeant evulganda, conceptis de Auctore opinionibus. Mortuus est Antonius Patavii anno 1231. die 13. Junii, ubi ingens Templum ejus nomini, & corpori extructum; de quo plura Bellarminus, Labbeus & Waddingus locis citatis, post Antonium Possevinum *in Apparatu Sacro*, Aubertum Miræum in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, eumdem Waddingum in Annalibus Fratrum Minorum.

De Honorio Tertio. 1220.

SUPPLEMENTUM.

HONORIUS III. Papa Romanus, scripsit *Collectionem Decretalium Epistolarum*, editam

A ex mss. Tolosæ in fol. anno 1645. ab Innocentio Cironio cum Notis ibidem, & cum aliis opusculis ejusdem Cironii ad jus civile spectantibus. Sedit Honorius III. anno 1216. post Innocentium III. obiit anno 1227. Hæc compilatio, seu collectio Decretalium computatur quinta ex vetustis evulgatis.

De Rigordo Gotho. 1220.

SUPPLEMENTUM.

RIGORDUS Chronographus Regius, natione Gothus, professione Physicus, sancti Dio-
B nysii Clericorum Minimus, ut seipsum in præfatione nuncupat, *Gesta Philippi Augusti Francorum Regis*, soluta oratione descripsit, & Ludovico VIII. Augusti filio, ac successori dicavit. De *ejusdem Philippi vita* Guillelmus Brito Armoricus libros undecim Philippidos nomine versu heroico conscripsit. Isti duo Historici cum Guillelmo de Nangiaco Monacho S. Dionysii propè Lutetiam, qui scripsit *Gesta S. Ludovici IX. Francorum Regis, ejusque Filii, ac successoris Philippi Audacis* anno 1285. defuncti, & aliis aliquot Anonymis, anno 1596. Francofurti typis Wechelianis primùm in lucem dati sunt, & Bibliotheca Petri Pithoei. Continent
C autem : *Historiam Francorum ab anno Christi nongentesimo usque ad annum millesimum ducentesimum octogesimum quintum* : hoc est narrant extrema stirpis Carolinæ, & Capetiorum Regum res gestas usque ad Philippum Augustum S. Ludovici filium. Ex ejusdem Pithoei divite Bibliotheca jam antea prodierant *Scriptores Veteres duodecim Coætanei*, qui Caroli Magni, & ejus familiæ Regum Francorum gesta litteris reddiderant. Iidem Rigordus, & Guillelmus Brito sunt in collectione Duchesniana, tomo ultimo.

De sancto Raymundo de Pennaforti. 1230.

D SANCTUS RAYMUNDUS de Pennaforti Barcinonensis, Ord. Prædicatorum, floruit tempore Gregorii noni, cujus jussu collegit *in unum volumen quinque libris distinctum epistolas decretales summorum Pontificum*, ut ipse Gregorius Papa testatur in proœmio Decretalium. Idem scripsit *egregiam summam* quæ cùm diu manuscripta ferretur tandem typis mandata est. Obiit senex admodum Barcinone anno Domini 1275. illustris vitæ sanctitate, & miraculorum gloria : & nostro tempore, ac me ipso præsente in sanctorum numerum relatus est à Clemente octavo summo Pontifice, anno Domini 1601.

E DISSERTATIO HISTORICA.

RAYMUNDUS de Penna, seu Rupe Forti, Gallicè *de Rochefort*, patria Barcinonensis, (sunt quoque, qui ex stirpe Regum Aragoniæ oriundum velint) Ordinis S. Dominici Prior Generalis Tertius, Juris utriusque præsertim Pontificii scientissimus, oblatum sibi à Gregorio IX. cujus Capellanus & Pœnitentiarius fuit, Archiepiscopatum Tarraconensem respuit, multisque pro Ecclesia atque ordine suo functus laboribus, plenus dierum, obiit Barcinone, miraculis clarus, ipso die Epiphaniæ 6. Januarii anni 1275. & à Clemente VIII. anno 1601. inter Sanctos relatus. Henricus Gandavensis cap. 48. Catalogi, natione Provincialem vocat, cùm fuerit Catalanus, quod ex illius tem-

temporis consuetudine profectum pauci norunt. De eo S. Antoninus Archiepisc. Florentinus, Leander Albertus, Antonius Senensis, Franciscus Diegus, Franciscus Penna, Antonius Vincentius Domenecus, & alii quamplurimi, qui de Ordine Prædicatorum ejusque sanctis, atque illustribus viris commentarios scripserunt.

Libros V. Decretalium ex antiquis Collectionibus Epistolarum, ac Responsionum Romanorum Pontificum collegit, multisque hinc inde recisis (conqueruntur nonnulli multa fuisse sublata quæ ad honorem Galliæ spectabant) in ordinem per titulos & capita digessit, quos Gregorius IX. Romanus Pontifex probavit, & ad Universitates Parisiensem & Bononiensem misit Auditoribus prælegendos, ut patet ex Epistola quæ data dicitur anno 1230. Cur Extravagantes vel novum jus Gregorii, passim dicantur, obvium est omnibus Juris Canonici studiosis.

Extat quoque ejus *Summa*, dicta Raymundina, *de Casibus pœnitentialibus*, audientibus confessiones valdè necessaria, inquit Henricus de Gandavo, quæ cùm olim tam vulgata esset, ut à nemine ignoraretur, postea tamen tenebris sepulta ex mss. codicibus eruta est, & in quatuor libros distincta Romæ anno 1603. apud Joannem Tallinum excusa hoc titulo: *Summam de Pœnitentia & Matrimonio* cum Glossis Joannis de Friburgo Lectoris ejusdem Ordinis Dominicani. Hanc verò composuisse perhibetur jussu Fratris Sugerii primi Prioris Provincialis Ordinis Prædicatorum in Hispania ad informationem, & directionem Fratrum, & omnium audientium confessiones, ut consilia salutaria confitentibus possint dare.

Nescio quis jam ab anno 1502. Coloniæ imprimendam curaverat brevem summulam ex majori Raymundina contractam hoc initio.

Summula de Summa Raymundi prodiit ista.

De Eberardo Bethuniensi. 1220.

SUPPLEMENTUM.

EBERARDUS sive EVERARDUS Bethuniensis in Artesia, vulgò dictus est *Græcista*, eò quod librum *Græcismi titulo* scripserit, *De Figuris deque Octo partibus Orationis*, de quo hi versus extant:

Anno milleno centeno bis duodeno,
Condidit Ebrardus Græcismum Bethuniensis.

Hic liber fuit olim in pretio, & extat typis in 4. editus, cum Doctrinali puerorum Alexandri de Villa-Dei: sed apud hodiernos cultioris Latinitatis Grammaticos, nullius jam utilitatis est. Scripsit & Tractatum contra Valdenses Hæreticos, quem Jacobus Gretserus Societatis Jesu anno 1614. in 4. Ingolstadii edidit. Ejusdem Ebrardi *Elementa Grammaticæ* manuscripta asservantur Lovanii in Bibliotheca sancti Martini. Item *Proverbia Senecæ in Poesim versa*, manuscripta in Bibliotheca Collegii Caji Cantabrigiæ cod. 147.

De Prepositivo Parisiensi. 1220.

SUPPLEMENTUM.

PREPOSITIVUS insignis hoc tempore Parisiensis Theologus, quem sanctus Thomas interdum allegat in Summa sua Theologica, scripsit *Summam Theologicam Scholasticam ex dictis Sanctorum Patrum*, quæ quidem huc usque impressa non fuit, sed manuscripta legitur & volvitur in non-

A nullis Bibliothecis; in Regia nempe Gallica, & sancti Victoris Parisiensis, Oxonii in Bibliotheca Collegii Balliolani Cod. 188. in Orialensi Cod. 57. cujus initium, *Qui producit, &c.* & in Bibliotheca Metropolitanæ Ecclesiæ Cameracensis in Belgio, pulpito 12. Denique in Bibliotheca FF. Augustinianorum Eremitarum Cremonæ. Plura de Prepositivo in Historia Universitatis Parisiensis, quæ multis voluminibus edita est.

De Hugone Floreffiensi. 1230.

SUPPLEMENTUM.

B HUGO Floreffiensis Canonicus Ordinis Præmonstratensis in Episcopatu Namurcensi, floruit circa annum 1230. & scripsit jussu Joannis Abbatis Floreffiensis *Vitam sanctæ Ivettæ viduæ, & reclusæ apud Huyum* Ditionis Leodiensis oppidum, anno 1227. mortuæ, quæ extat apud Joannem Bollandum ad diem 13. Januarii. Item & *Vitas Idæ Nivellensis & Idæ Leuvensis* Virginum & Monialium Ordinis Cisterciensis in Rameja Gallo-Brabantiæ oppido, quæ omnia extant manuscripta in Villario apud Gallo-Brabantos Monasterio, Ordinis Monachorum Cisterciensium. De Hugone Aubertus Miræus in auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 388. pag. 257. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, C Bollandus supra citatus, Auctor Bibliothecæ Præmonstratensis, ubi de Scriptoribus hujus Ordinis, quæ Parisiis in fol. anno 1633. impressa est apud Michaelem Soly, via Jacobæa sub signo Solis, Antonius Sanderus in Bibliotheca Belgica, & alii.

De Joanne de Abbatis-Villa. 1230.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES DE ABBATIS-VILLA cognomento *Algrinus*, Doctor Theologus Parisiensis, postea Ambianensis Decanus, & (ut Albericus scribit) anno 1225. Remis postridie sancti Lucæ con- D secratur in Archiepiscopum Bisuntinensem. Idem Anagniæ à Gregorio IX. qui eum in Scholis Parisiensibus noverat, mense Septembri anni 1227. Cardinalis creatur Episcopus, Tit. sanctæ Sabinæ, statimque ad prædicandam Cruciatam (ut vocant) contra Saracenos, mittitur in Lusitaniam & Hispaniam. Inde ab eodem legatur ad Fridericum II. quem ad amicas pacis compositiones adduxit. Hic adjecit *breves Notas ad Commentarium prolixum Thomæ Cisterciensis in Cantica Canticorum*, quorum prologus incipit: *Ad honorem Matris & Filii Cantica Canticorum expositurus, &c.* quas cum dicto Commentario Thomæ duodecim libris distincto edidit in fol. Parisiis anno 1521. Jodocus Badius Ascen- E sius. Has autem breves Notas adjecit dicto Thomæ Commentario Joannes Algrinus, (nisi potiùs utrumque Commentarium simul jungere Ascensio pro captu placuerit) anno 1233. tempore Domini Gregorii Papæ IX. ut indicat citata Parisiensis editio Ascensii. Scripsit etiam *Sermones de tempore ac de Sanctis* per annum, de quibus ita loquitur Henricus Gandavensis in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 38. Joannes dictus de Abbatis-Villa, „ ex Magistro Theologiæ Parisiis Archiepiscopus Bi- „ suntinus, & inde Romæ Episcopus Cardinalis „ scripsit Sermones tam de Dominicis quàm de Fe- „ stivitatibus. Lectiones Evangelicas & Apostolicas „ breviter exposuit, post hæc Sermones valdè pro- „ lixos, tot inductis Scripturarum Sanctarum testi- „ moniis, quòd vix possint memoriæ commendari. „

Haben-

Habentur prolixiùs mss. in Anglia Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Codice 40. & in Archivis Collegii Caii codice 41. Breviùs autem cum solis Lectionum Evangelicarum & Apostolicarum brevibus Expositionibus, Oxonii in Bibliotheca Collegii Lincolniensis codice 271. Cantabrigiæ in Bibliotheca Penbrochiana codice 169. & privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 155. Inveniuntur pariter in insignioribus Galliarum Bibliothecis. Reversus Romam obiit anno 1236. aut 1237. de quo vide Franciscum Chiffletium in Gallia Christiana Fratrum Sammarthanorum tomo primo, verbo *Bisuntinenses Archiepiscopi*, & Jacobum Chiffletium in opere inscripto, *Vesuntio Sequanorum Metropolis*.

A

B

De Guillelmo Andrensi. 1230.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS Andrensis Cœnobii Abbas, Ordinis Divi Benedicti, in Diœcesi Tarvanensi seu Morinensi, floruit anno circiter 1230. qui scripsit *Chronicon sui Cœnobii*, quod usque ad annum 1227. impressum anno 1669. tomo 9. Spicilegii Lucæ Dacherii pagina 338. At idem Chronicon mss. Antuerpiæ apud Bollandistas seu Patres Societatis Jesu, ab anno 1082. usque ad annum 1234. ut ipsi dicunt tomo tertio mensis Maji pag. 80. in prolegomenis ad Vitam sanctæ Rictrudis.

C

De Petro de Vineis. 1230.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS DE VINEIS Germanus, doctissimus Jurisconsultus, & Frederici secundi Cancellarius, Imperatoris hujus magnus Confidentiarius, claruit hoc tempore Romanis Pontificibus valde infensus. Scripsit *Tractatum de Potestate Imperiali*, *Epistolarum libros sex*, & alia à Fulgoso recensita, quæ anno 1609. Ambergæ in 8. & Basileæ anno 1566. in 8. in Germania impressa sunt. Vide Collectionem Melchioris Goldasti, *De Jurisdictione Ecclesiastica, & Civili*. Obiit anno 1249. Capuæ incarceratus, qui cùm contra Romanam Ecclesiam stolidus cœcusque mente oblatrasset; ab Imperatore cujus partes sectatus fuerat, aliam ob causam excœcatus interiit. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti extant manuscripta *Dictamina M. Petri de Vineis* codice 331. quæ ad hunc spectare possunt.

D

De Germano 2. Patr. Const. 1230.

SUPPLEMENTUM.

Germanum hunc vide sæculo 8. in S. Germano I. Patriarcha Const.

E

De Guillemo de Podio Laurentio. 1230.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS DE PODIO-LAURENTII, clarus circa annum 1230. scripsit *Chronicon* quod potissimùm agit *De Hæresi Albigensium, rebusque gestis ad eam pertinentibus*: Opus impressum primò Tolosæ in folio anno 1623. tum posteà missum in tomum quintum Collectanei Historicorum Franciæ Veterum, ab Andrea Duchesnio collectorum, de quo jam sæpiùs locuti sumus.

De Philippo Grevio. 1230.

SUPPLEMENTUM.

PHILIPPUS GREVIUS seu *de Grevia*, Cancellarius Parisiensis, *qui Theologicæ Scholæ Parisiis gloriosè præfuit, scripsit Sermones de singulis Psalmis duos vel tres, quibus usque hodie multi utuntur, qui prædicationis officio vacare voluerint*. Hæc Henricus Gandavensis in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 50. Sunt autem Philippi Cancellarii *Sermones* CCCXXX. *in Psalmos Davidis*, impressi primùm Parisiis an. 1523. apud Badium Ascensium, & Brixiæ in Italia anno 1600. ex officina Petri Mariæ Marchetti. Item *Summa Sermonum Magistri Philippi Cancellarii Parisiensis*, ms. cod. 2843. Bibliothecæ Colbertinæ, Parisiis. Idem scripsit *insignem Commentarium in Job*, ms. in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Cameracensis pulpito 14. n. 6. Item *super Evangelia*, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri codice 103. Attribuit etiam illi Thomas James in Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi lib. 2. pag. 34. *Distinctiones*, ex manuscripto codice 72. ejusdem Domus S. Petri: sed in eo codice inscribuntur tantùm *Distinctiones* Parisiensis, unde ex conjectura addidit, *Fortè Philippi de Greves Cancellarii Parisiensis, qui dicebatur Parisiensis*. Principium, *Incipiunt adaptationes*. At illæ spectant ad Petrum Cantorem, qui sæpiùs dictus est Parisiensis quàm Philippus, cui alii codices mss. idem Opus attribuunt, ut constat ex principio Operis. Plura de Philippo dabit Auctor Universitatis Parisiensis sæculo 13. ubi ille cum merito & laude Cancellariam gessit.

De Conrado Everbakensi. 1230.

SUPPLEMENTUM.

CONRADUS Abbas Everbakensis Cœnobii Ordinis Cisterciensis, floruit anno 1230. vel circiter, & scripsit *sex libris seu distinctionibus Exordium Cisterciensis Ordinis*, quod Magnum appellatur ad distinctionem ab altero quod Parvum dictum est, ac tribuitur Stephano Cisterciensi Abbati. Impressum utrumque tomo 1. pag. 1. & 13. Bibliothecæ Veterum hujus Ordinis Scriptorum, quam procuravit Bertrandus Tissier, apud Boni-Fontis Cœnobium editum.

De Friderico 2. Imper. 1230.

SUPPLEMENTUM.

FRIDERICUS secundus Imperator ab an. 1220. ad 1244. per annos plures pluribus actus discordiis, agitatus negotiis, scripsit nihilominùs libros *De arte venandi cum Avibus*, quos unà cum Additionibus Manfredi Regis, habes impressos Augustæ Vindelicorum anno 1596. in 8. Item *Jus Navale Friderici secundi*, impressum lingua Saxonica, idest, vulgari Germanica Hafniæ anno 1572. in 8. *Variæ Epistolæ* inter Epistolas Petri de Vineis, in Collectaneis Goldasti, in Miscellaneis Baluzii, & alibi.

De Fabiano Hugelino &c. 1230.

SUPPLEMENTUM.

FABIANUS HUGELINUS, aliique Auctores Minoritæ circa hunc annum 1230. scribunt *Antiquitates Franciscanas*, seu *de Vita sancti Francisci & socio-*

A *sociorum ejus*: Opus editum Coloniæ anno 1623. in 8. cum Castigatione Philippi Bosquieri, ejusdem Ordinis, apud Viduam Joannis Crithii. Lucas Vvadingus de his in Bibliotheca Ordinis Minorum pag. 292. ubi de Scriptis Philippi Bosquieri.

De Cæsario Heisterbacensi. 1230.

SUPPLEMENTUM.

Cæsarium Heisterbacensem, vide sæculo 5. *in Cæsario Arelatensi.*

De Conrado Marpurgensi. 1230.

B

SUPPLEMENTUM.

CONRADUS Marpurgensis in Germania, Ordinis Fratrum Prædicatorum, scripsit *Vitam sanctæ Elisabeth*, quam obtulit Gregorio IX. Summo Pontifici, quamque habes in Simmictis Leonis Allatii pag. 269. anno 1653. Coloniæ impressis. Opus modicum, sed oculati testis, quod magni ponderis est.

De Alexandro de Villa-Dei. 1230.

SUPPLEMENTUM.

C ALEXANDER DE VILLA-DEI, Dolensis Aremoricus, de quo sic Henricus Gandavensis in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 59. *Alexander Dolensis scripsit metricè librum quem Doctrinale vocant, cujus libri in Scholis Grammaticorum magnus usus est temporibus hodiernis*. Florebat an. circiter 1230. scripsitque carmine Leonino Opus inscriptum *Doctrinale puerorum*, quo pueri utebantur ad linguæ Latinæ peritiam antequam prodiisset Opus Joannis Despauterii Ninivitæ in Flandria. Istud Doctrinale est sæpè impressum litteris Gothicis, sed Venetiis anno 1483. cum Explicatione Ludovici de Guaschis. Vixit usque ad annum 1240. si verus est in hac parte Joannes Trithemius. D

De Adamo Silvanectensi. 1230.

SUPPLEMENTUM.

ADAMUS Monachus primùm Ordinis Cisterciensis, tum Abbas Caroliloci in Diœcesi Silvanectensi; denique posteà Silvanectensis Episcopus, quem vocant *Adamum de Chamilly*. Evectus est ad hanc sedem mortuo Guarino ad annum 1230. Erexit Parochiam S. Stephani secus Silvanectum an. 1232. adfuit Concilio apud S. Quintinum in Veromandia anno 1233. & Concil. Rhemensi anno 1235. nominaturque 1239. & 1240. in Actis Thesaurii Regii. E Scipsit *insigne Opus Sermonum*, quod ego vidi manuscriptum in Bibliotheca Cœnobii Longipontis Ordinis Cisterciensis, incipiens ab his verbis: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, & post multa tempora invenies eum*. Idem Concilio Lugdunensi adfuit anno 1245. & dedicationi sancti Sacelli Parisiensis 1248. Quo eodem anno recensetur in Instrumento Transactionis factæ inter Regem Ludovicum & Ecclesiam Parisiensem, coram Philippo Bituricensi & Joanne Ebroicensi Episcopis. Obiit circa annum 1250. duodecimo Kalendas Septembris in Necrologio Abbatiæ Beatæ Mariæ de Victoria, & jacet in Choro Caroli loci.

De Gulielmo Antissiodorensi. 1240.

GULIELMUS Antissiodorensis Episcopus hoc sæculo scripsit *summam Theologicam* Scholastico more, distinctam in libros, tractatus, capita, & quæstiones. Una ejus sententia notari solet, ut singularis, quòd videlicet merita hominum justorum prius, & principalius à fide, quàm à charitate dependeant. Sic enim docet libro tertio, tractatu duodecimo, capite primo, quæst. secunda: & capite secundo quæstione prima. Et quamvis ipse fidem prædicet longè alio sensu, quàm Lutherani faciant, tamen sententia ejus, hoc potissimum tempore, vitanda esse videtur. Vide, si placet, quæ scripsimus libro quinto de justificatione cap. 15.

DISSERTATIO HISTORICA.

GUILLELMUS de Seliniaco, seu Scilligniaco ex Antissiodorensi Episcopo factus, orta dissensione inter Canonicos super Episcopi electione, jussu Honorii Papæ Parisiensis Episcopus illo nomine II. obiit apud S. Clodoaldum ad Sequanam, in festo B. Clementis, die 23. Novembris anni 1123. & sepultus est in Pontiniacensi Cœnobio Ordinis Cisterciensis, ideoque erravit Bellarminus, Patrologus, aliique, qui ad annum 1240. revocant. De eo plura leges in Historia Episcoporum Autissiodorensium à pag. 479. ad 495. Tomi I. novæ Bibliothecæ mss. librorum, in Appendice ad Chronicon Roberti Monachi S. Mariani, apud Rigordum, Vincentium Bellovacensem, Jo: Trithemium, aliosque.

Summa ejus Theologica, Parisiis anno 1500. excusa, iterum in eadem urbe recusa est apud Franciscum Reginaldum anno non adscripto.

De Gulielmo Parisiensi. 1240.

GULIELMUS Episcopus Parisiensis vivebat anno Domini 1240. ut colligitur ex articulis quibusdam ab ipso hoc anno damnatis, qui habentur in additione ad libros sententiarum Petri Lombardi.

Vir fuit admodum pius, & doctus: ejus opera hæc extant Venetiis excusa.

De S. Trinitate, lib. 1. *De primo principio*, 1. *De Sacramentis*, 1. *Cur Deus homo*, 1. *Summa virtutum*, 1. *Summa vitiorum*, 1. *De fide, & legibus*, 1. *De animabus hominum*, 1. *De bono & malo*, 1. *De universo*, 6. *De professione novitiorum*, 1. *De dono scientiæ*, 1. *De operibus virtutum*, 1. *De remediis tentationum*, 1. *De pluralitate beneficiorum*, 1. *De claustro animæ*, 1. *De Rhethorica divina*, 1. *De pœnitentia*, 1. *De Dæmonibus*, 1. *In Exameron*, 1. *In Psalterium*, 1. *In Proverbia Salomonis*, 1. *In Ecclesiasten*, 1. *In Cantica Canticorum*, 1. *In Evangelium Matth.* 1. *Sermonum*, 1. *Epistolarum*, 1. *De collatione, & pluralitate beneficiorum Ecclesiasticorum tractatus duo*.

DISSERTATIO HISTORICA.

GUILLELMUS Patria Arvernus, Theologus, Philosophus, & Mathematicus præstantissimus, ac vir admodum pius ad Parisiensem Episcopatum anno 1228. electus, damnavit anno 1240. quosdam articulos Theologorum minus Catholicæ fidei conformes, vixitque usque ad III. Kalendas Apriles, seu feriam tertiam majoris Hebdomadæ anni 1248. more Gallico, aut 1249. More Romano, sepultus in Basilica S. Victoris, cum Epitaphio tetrasticho. De eo Thomas Cantipratanus libro

libro de Apibus non semel, Joannes Gerson, Trithemius, aliique. Bellarminus veterem aliquem secutus, ut arbitror, aut certè Trithemium Simlerumve, varia ejus opuscula recensuit in Catalogo: Nos verò Venetæ anni 1591. adhærentes, utpotè omnium, quæ hactenus prodierunt, perfectissimæ, in duos Tomos divisæ opera Joannis Dominici Trajani Neapolitani, sacræ Theologiæ Professoris, hanc proponimus seriem:

Tomo I. continentur.

De Fide, liber unus. De Legibus, liber unus. De Virtutibus, liber unus. De Moribus, liber unus. De Vitiis & peccatis, liber unus. De Tentationibus & resistentiis, liber unus. De Meritis, liber unus. De Retributionibus Sanctorum, liber unus. De Immortalitate animæ, liber unus. De Rhetorica Divina, liber unus.

Tomo II. continentur.

De Sacramentis in Generali, liber unus. De Baptismo. De Confirmatione. De SS. Eucharistia. De Pœnitentiæ Sacramento. De Ordine. De Extrema Unctione, & Sacramentalibus. De causis, cur Deus Homo, liber unus. De Pœnitentia novus Tractatus. De Universo primæ partis principalis, partes I. II. & III. De Universo secundæ partis principalis, partes I. II. & III.

Ad hæc ejusdem habemus, *sermones per annum ex Evangeliis, & de Sanctis* denuò in lucem excusos Parisiis anno 1638. emendatos ad accuratissimum exemplar Patrum Cœlestinorum Parisiensium.

Tractatus duo de collatione, & pluralitate Beneficiorum Ecclesiasticorum, impressi Argentinæ, fuerunt apud Knoblouchum anno 1507.

Censura detestabilium aliquot errorum contra Catholicam veritatem facta anno 1240. & *Assertiones oppositæ erroribus*, extant cùm alibi sæpè, tum Tomo IV. Magnæ Bibliothecæ Parisiensis Veterum Patrum col. 925. Quæ verò leguntur Tomi VI. col. 418. Constitutiones Synodales non sunt hujus III. sed alterius junioris Guillelmi Parisiensis IV. qui obiit anno 1320.

Dialogi septem de Sacramentis Lipsiæ anno 1512. & Lugduni 1567. impressi, nomen ejus præferunt falsò, cum in fine addat illorum Auctor sua se collegisse ex scriptis Fratris Thomæ, & Petri de Tarento, seu Tarentasia, qui Guillelmo nostro posteriores fuerunt. R. P. Theophilus in Erotematis tribuit cuidam Guillelmo patria Parisiensi, Religioso Ordinis Prædicatorum, qui ante annos 300. scribebat, teste Claudio Spineo ejusdem Ordinis. (*a*)

(*a*) Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ asserit composuisse multos Commentarios in varios utriusque Testamenti locos, quibus nomen suum ad posteros transmiserit, atque ex iis extare explanationem in Hexaemeron, in Psalterium, in Proverbia, in Ecclesiasten, in Cantica, & in Matthæum, quæ hactenus typis excusa non vidi. Fortè hæc, ut pleraque alia, descripsit Sixtus ex Trithemio.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS, Patria Arvernus, Theologus, & Philosophus insignis, vir admodum pius, ad Episcopalem sedem Parisiensem electus an. 1228. damnavit anno 1240. articulos Theologorum quosdam Catholicæ fidei non conformes, vixit usque ad tertium Kalendas Apriles, mortuus feria tertia Majoris Hebdomadæ anno 1248. more Gallicano, aut 1249. more Romano, conditus in Ecclesia S. Victoris Parisiensis cum Epitaphio tetrasticho. Scripsit multa de quibus Bellarminus, & Labbeus ex

A editione Veneta anni 1591. sed emersit nuperrimè nova editio cura Domini Blasii Ferronii Canonici Carnotensis, & Theologi Sorbonici, Aureliæ anno 1674. duobus tomis in folio, quæ venditur Parisiis apud Ludovicum Billaine in Aula Palatii. His autem quæ jam impressa erant, addidit Ferronius aliquot insignes Tractatus, nempe *de Trinitate, & Attributis Divinis*. Item *de anima*. Item *Supplementum novi Tractatus de Pœnitentia*. Item *Tractatus duos de pluralitate, & Collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum*. Quos omnes constat esse genuina opera dicti Guillelmi Arverni Parisiensis Episcopi ex fide mss. Codicum. Addidit idem Ferronius *Opus ingens Sermonum de tempore, & de Sanctis*, quos jam excusos scimus Parisiis anno 1638. in folio ex fide ms.

B Codicis Bibliothecæ Cœlestinorum Parisiensium. Opinatus sum olim hos sermones spectare ad Guillelmum Peraldum, quem Lugdunensem vocant, & non ad Parisiensem, ac fefellisse ms. Codicem Cœlestinorum Parisiensium. Hi igitur spectare mihi videbantur ad Guillelmum Peraldum Ordinis Fratrum Prædicatorum. 1. Quòd omnes, qui agunt de Operibus Guillelmi Lugdunensis, recenseant hos sermones qui fuerunt semel & iterum in Gallia impressi sub ejus nomine, antequam prodirent sub nomine Guillelmi Parisiensis. 2. Vidi Sermonum istorum exemplar ms. in Bibliotheca Cuissiacensi Ord. Præmonstratensis sub nomine Guillelmi Lugdunensis,

C quod est ejusdem cum auctore temporis. 3. Guillelmus quidam Parisiensis Dominicanus, cujus edita Postilla in Epistolas, & Evangelia totius anni, Parisiis anno 1509. & Argentorati annis 1513. & 1521. his Sermonibus utitur sub nomine Guillelmi Lugdunensis, qui nullum excerpit Scriptorum Nicolao Lyrano recentiorem. Variant autem maximè impressiones veteres horum sermonum. Nam ut jam dixi, impressi sunt Parisiis anno 1638. in folio, & Tubingæ anno 1499. in 4. sub nomine Guillelmi Episcopi Parisiensis. At è contrario sub nomine Guillelmi Peraldi Lugdunensis Episcopi, ex editione Parisiensi anno 1494. apud Udalricum Gering & Bertoldum Rembold in 8. & Lugduni anno 1567.

D in 8. demum Coloniæ anno 1629. in 4. Sunt itaque editiones oppositæ, & aliqui Codices mss. aliis Codicibus, ut allegatus Cuissiacensis Cœlestiniano Parisiensi: sed quod me movet contra primam opinionem, ut hos opinor jam pertinere ad Guillelmum Arvernum Parisiensem Episcopum, illud magna multitudo mss. Codicum ejusmodi Sermonum extantium in diversis Angliæ Bibliothecis, qui omnes uniformiter inscribuntur vel *Guillelmi Parisiensis*, vel *Parisiensis* simpliciter, nomine Guillelmi suppresso. Ita Oxonii in Bibliothecis Collegii novi cod. 255. Magdalenensi codd. 30. 31. 32. 34. 56. Mertonensi cod. 135. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti cod. III. Nec omnia etiam vidit Ferronius, nec habuit in impressione

E sua, quæ spectant ad Guillelmum Parisiensem. Si enim ingressus fuisset non ignobilem Bibliothecam Longipontis in Svessionensi Episcopio, vidisset insigne volumen in folio sub nomine Guillelmi Parisiensis, continens *Commentaria in Cantica Canticorum, & in Ecclesiasten*, de quibus loquitur Sixtus Senensis in sua Bibliotheca. Sic autem volumen incipit: *Incipit insignis expositio Guillelmi Parisiensis Episcopi super Cantica Canticorum. Liber Canticorum, qui & Canticum amoris, & Sirasirim Hebraicè, idest Cantica Canticorum dicitur, &c.* Item, *Incipit expositio Magistri Guillelmi, Episcopi Parisiensis super Ecclesiasten. Ecce, inquit Salomon Proverb. 22. descripsi tibi doctrinam tripliciter, &c.* Scripsit etiam *Tractatum contra Exemptiones* ms. in Anglia Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 238. & in Mertonensi cod. 261. Vidimus etiam in ali-

in aliquibus Bibliothecis *Commentarium in Matthæi Evangelium*, mſ. ſub nomine noſtri Guillelmi Pariſienſis, ad quem ſpectare etiam ex ſtylo cognoſcitur. Suſpicionem ergo, vel certitudinem injicit, eſſe Guillelmi Pariſienſis eam, de qua agimus, explanationem in Matthæum: 1. quod in ea Auctor cap. 6. ad ea verba, *ſed libera nos à malo*, ita ſcribat: *Homo qui vult aſcendere in cœlum, videns quia non poteſt aliter aſcendere, niſi à malis hujus mundi liberetur, clamat: libera nos à malo, ideſt à peccato originali, & actuali & à deſiderio hujus mundi, ut & temporalia, & meipſum abjicere queam, & fiam pauper ſpiritu: quod totum fit per ſpiritum timoris, ſicut ſuperius expoſitum eſt plenius in tractatu Virtutum.* Hoc autem in Tractatu Guillelmi Pariſienſis *De Virtutibus* legitur aliquoties, ſaltem quoad ſubſtantiam. 2. idem *lib. De Moribus* cap. 10. ipſo initio capitis videtur allegare, ſeu remittere ad ſuum quemdam Commentarium in Matthæum. 3. denique eum ſcripſiſſe in Matthæum volunt indices omnes apud Trithemium, & Poſſevinum. Sed quia in omnibus editionibus hujus Commentarii *in Matthæum*, qui S. Anſelmi operibus attexitur, Theophilus Raynaudus Soc. Jeſu Theologus advertit deſiderari præfationem inſignem ejuſdem Commentarii, quam habet Codex mſ. Bibliothecæ Collegii S. J. Lugdunenſis: hanc uti non ingratum Embolum repræſentavit ad calcem ſuæ editionis novæ Operum Sancti Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi pag. 457. Lugduni in folio anno 1630. apud Laurentium Durandum. Hæc in gratiam Guillelmi Pariſienſis dicta ſunto, ut unicuique proprium reddatur. Qui plura cupit, adeat Bellarminum, & Labbeum in libro ſuo *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quorum omiſſiones hìc tantùm ſupplemus: Fratres Sammarthanos in Gallia Chriſtiana tom. 1. pag. 444. ubi de Epiſcopis Pariſienſibus, Hiſtoriam Univerſitatis Pariſienſis ſæculo XIII.

De Jacobo à Vitriaco. 1240.

JACOBUS à Vitriaco, natione Gallus S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Tuſculanus à Gregorio nono creatus multis laboribus pro Eccleſia Dei perfunctus in Oriente & Occidente, piè obiit anno Domini 1240. de quo multa narrat Thomas Cantipratenſis ejus fermè æqualis.

Scripſit magnum *volumen concionum de tempore* in quibus multus eſt in ſacris Scripturis citandis, & exponendis. Scripſit *libros duos hiſtoriæ Hieroſolymitanæ, & Occidentalis*. Item *librum unum contra Saracenos*. Item *libros duos de vita B. Mariæ OEgniacenſis* qui extant apud Surium die 23. Junii. Denique ſcripſit *epiſtolas ad diverſos*.

Dissertatio Historica.

JACOBUS de Vitrejo, ſeu Vitriaco, dictus à vico Diœceſis Pariſienſis, ubi natus perhibetur. Sunt tamen qui Argentolii ad Sequanam natum velint, & in eadem villa Presbyterum creatum, ex Canonico Regulari Oigniacenſi, & primò Acconenſis urbis, ſed Ptolemaidis in Palæſtina, Epiſcopo, Cardinalis S. R. E. & Tuſculanus Epiſcopus à Gregorio IX. Papa conſtitutus, multis in Oriente, & Occidente laboribus perfunctus, obiit Romæ, pridie Kalend. Maji anni 1244. unde corpus ejus Oigniacum relatum in cœnobium ad Sabin fluvium in Diœceſi Namurcenſi. De eo Henricus Gandavenſis cap. 37. Thomas Cantipratanus, Vincentius Bellovacenſis, Sanctus Antoninus, Bergomas, Trithemius, Continuatores Baroniani, Andreas Hoius, quinque de Cardinalibus ſcripſerunt ex profeſſo, nec omittendus Voſſius, qui ex auctore Magni Chronici Belgici à Piſtorio editi mendosè obitum ejus refert ad ann. ſeu 1260. ſeu 1240.

Conciones in Evangelia, & Epiſtolas totius anni, Antuerpiæ primùm excuſæ anno 1575. cura Damiani à Ligno O. P. in ædibus viduæ, & hæredum Joannis Stelſii, qui etiam affirmavit vidiſſe ſe ejuſdem Sermones de Sanctis & alios.

Libri tres Hiſtoriæ Orientalis, & Occidentalis Duaci anno 1597. ſtudio Andreæ Hoji Brugenſis, & Tomo priori Hiſtoriæ Orientalis. Ex iis duo primus ſcilicet, & Tertius recuſi ſunt cura Jacobi Bongarſii anno 1611. Hannoniæ cum Auctoribus, qui Geſta Dei per Francos ſcripſerunt. Primus à defectione Mahometis inchoatus, deſinit in Coronatione Joannis Brennenſis facta anno 1210. Secundus res Occidentales tractat. Tertius ad obſeſſam, captamque anno 1218. Damiatam perducitur. Vide Præfationem illius Hiſtoriæ Tomo 6. Antiquæ Lectionis Henrici Caniſii, & Jacobi Gretſeri Soc. Jeſu Hortum Crucis.

Vita B. Mariæ Oigniacenſis libri duo, apud Surium die 23. Junii.

Adduntur, *liber contra Saracenos*, &, *liber de claris mulieribus Leodienſibus*, quos non vidi, nec excuſos puto.

Supplementum.

JACOBUS de Vitriaco Epiſcopus Acconenſis, & S. R. E. Cardinalis, de quo Bellarminus, & Labbeus in libro De Scriptoribus Eccleſiaſticis. His addo quantum *ad Sermones Jacobi Vitriacenſis* impreſſas in folio anno 1575. Antuerpiæ apud Viduam, & hæredes Joannis Steltii, eſſe tantùm impreſſas eorum quatuor partes, quæ ſpectant ad ſermones de tempore: *ſed quintam partem, quæ de Sanctis eſt, & ſextam quæ de variis hominum ſtatibus*, cum aliis etiam partibus haberi mſſ. ſex vol. in folio, in Bibliotheca Almenſi Ordinis Ciſtercienſis Epiſcopatus Cameracenſis, in Dominio tamen Leodienſi temporali, ubi eas vidi ac tenui. De aliis eorumdem ſermonum mſ. Cod. agit Antonius Poſſevinus in Apparatus Sacri Appendice, verbo *Jacobus Vitriacenſis*, ad calcem tomi primi. Ejuſdem inſignis epiſtola ſcripta anno 1219. ad Papam Honorium III. tom. 8. Spicilegii pag. 373. Obiit Jacobus anno 1244. die 30. Aprilis, cujùs oſſa & cineres relata ad Abbatiam Oigniacenſem, & condita in ſepulchro, quod ibi magnificè extructum eſt.

De S. Edmundo Cantuarienſi. 1240.

SANCTUS EDMUNDUS Archiepiſcopus Cantuarienſis à Gregorio nono Pontifice creatus, obiit anno Domini 1240. & paulò poſt ab Innocentio IV. Pontifice inter ſanctos relatus fuit.

Scripſit utilem *librum*, qui *ſpeculum Eccleſiæ* dicitur; & extat in tomo 5. Bibliothecæ SS. Patrum, edit. 2.

Dissertatio Historica.

SANCTUS EDMUNDUS, cognomine Virgo, ex Doctore Theologo Pariſienſi, Cantuarienſis in Anglia Archiepiſcopus ab anno 1233. ad diem 16. Novembris anni 1240. quo obiit in Soſiacenſi domo Canonicorum Regularium, unde in Pontiniacenſe Ordinis Ciſtercienſis Cœnobium haud procul Antiſſiodorenſi clariſſima Galliæ civitate relatum corpus ejus, è terra anno 1249. elevatum eſt, quo etiam anno ab Innocentio IV. Romano Pontifice Sanctorum faſtis adſcriptus eſt ſolemni diplomate dato Idi-

bus Januarii. Extat in Bibliothecis Veterum Patrum libellus, qui inscribitur

Speculum Ecclesiæ, ad Cistercienses Cœnobii illius Pontiniacensis Monachos.

Errant, qui de eo locutum censent Henricum Gandavensem cap. 7. de Viris Illustribus. Ille enim Edmundus, seu potius Edinerus, (ita enim legendum sentio, mihique subscribit R. P. Theophilus Raynaudus, aut certè dicendum binominem fuisse Monachum illum S. Anselmi comitem, quem etiam Eadmerum, sive Edmerum appellatum reperio) fuit Monachus Cantuariensis, qui scripsit vitam S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, & alium librum de Discordia inter Willelmum Regem Anglorum, & eumdem S. Anselmum Archiepiscopum. Joannes tamen Pitseus, Miræus, aliique distinguunt, quibus præivit Cardinalis Baronius in Notis ad diem 21. Aprilis Martyrologii Romani. Sed fusius, Deo dante hoc argumentum in altera Dissertatione tractare licebit ex Trithemio, aliisque.

De Guillelmo Diacono. 1240.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS Diaconus, & anteà Judæus, S. Guillelmi Bituricensis Archiepiscopi, à quo ad Christianam fidem conversus est, Discipulus ac susceptitius, post conversionem scripsit Opus inscriptum: *Bellorum Domini contra Judæos, & Saducæos Judæorum Hæreticos, libris duobus*. Incipit hoc Opus, *Per Allegorias Librorum Veteris, & novi Testamenti*, desumptas ex principio & fine cujuslibet libri, cum Allegoriis de quinque sensibus, Sermone de Passione Domini & Confessione de Corpore & Sanguine Christi. Hinc incipit prologum suorum Librorum, his verbis, *Omnibus in Christo credentibus Guillelmus Christi Diaconus, olim Judæus, salutem in Domino. Per admonitionem beati & eximii Confessoris Guillelmi Bituricensis Archiepiscopi, nuper veniens de umbra veritatis ad lucem, quæ videlicet per fidem Evangelicam illuminat omnem mundum, &c.* Liber primus incipit, *O Judæi! qui usque ad hodiernam diem, &c.* Liber 2. *Hæretici dicuntur ab hæresi, id est, Electione, &c.* Creditur vixisse usque ad ann. 1240. Deceptus est Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, verbo *Petrus Paludanus*, dum Opus istud dicto Paludano attribuere voluit, extatque hoc Opus manuscriptum inter paucos manuscriptos codices, in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum, majoris (ut vocant) Conventus Parisiensis.

De Nicephoro Blemmyda. 1240.

SUPPLEMENTUM.

NICEPHORUS BLEMMYDA Monachus & Presbyter floruit anno 1240. sub Joanne Duca, amicus Latinorum, quorum causam Scriptis suis tuitus est. Extant pleraque ejus Opera græcè manuscripta in Bibliotheca Vaticana, atque in Bavarica cod. 108. habentur: *Nicephori Blemmydæ Monachi & Presbyteri Introductionis Dialecticæ & Physicæ Libri duo. Ejusdem Encomium in Joannem Evangelistam. Ejusdem Oratio de anima, ejusdem Oratio de corpore. Ejusdem enarrationes in aliquot Psalmos, ejusdem de Fide, de Virtute & Religione*. Præter hæc atque ex his, *Nicephori Blemmydæ Lib. de Processione Spiritus Sancti græco-latinè per Leonem Allatium*, in tomo primo Continuationis Raynaldi Romæ in fol. anno 1646. Item *Nicephori Blemmydæ Epitomæ Logicæ & Physicæ ante annos 370. conscripta*, & edita græcè à Joanne Vvegelino in 8. anno 1605. Augustæ Vindelicorum. Facit mentionem Nicephori Blemmydæ Nicephorus Gregoras libro 5. Historiæ, atque ex recentioribus Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2. pag. 138. ubi mss. in variis Bibliothecis extantia narrat.

De Moneta Cremonensi. 1240.

SUPPLEMENTUM.

MONETA Cremonensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ampliùs eo cognomine notus quàm nomine proprio, claruit anno circiter 1240. Hic in sæculo Professor Artium Bononiæ, à Reginaldo in Ordinem FF. Dominicanorum admissus, scripsit *utilem hæresibus eradicandis Summam*, adversùs Hæreticos Catharos, & alios, quæ manuscripta extat tum Neapoli, tum Bononiæ in Cœnobiis ejusdem Ordinis. De Moneta Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2. pag. 451. & Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana*, ad annum 1222. ubi eum appellat *Beatum*, pro more Regularium, præsertim verò Mendicantium, qui uno calami ductu Beatos etiam plurimos conficiunt.

De Alvaro de Lucia & Mendoza. 1240.

SUPPLEMENTUM.

ALVARUS DE LUCIA & MENDOZA Miles Calatravensis, jubente Jacobo secundo Aragoniæ & Valentiæ Rege, circa annum 1240. *Constitutiones Militum Mentesiæ* in scriptum redegit, quas cum aliis ejusmodi Militum seu Militarium Ordinum Constitutionibus habes impressas cum privilegiis Ordinis Cisterciensis, anno 1630. Antuerpiæ à Moreto excusis.

De Luca Tudensi. 1240.

SUPPLEMENTUM.

LUCAS TUDENSIS in Hispania Episcopus, patria Legionensis fuit, vir ardentis ingenii, qui Romam, Constantinopolim, Cyprum & Hierosolymam præsens lustravit. Hic Gregorio IX. Summo Pontifice sedente *Sancti Isidori Chronicon* locupletavit ac produxit ad suam ætatem, stylo magis gravi quàm nitido. Id Opus à plerisque Isidori nomine per errorem allegatur, cùm sit ejus minima ex parte, multaque sint addita & continuata, vix ut antiqua dignosci possint, nisi cum Germano Isidori Chronico conferantur. De illo Joannes Mariana lib. 12. de Rebus Hispaniæ capite 12. hæc: „Lucas Tudensis primùm Diaconus, deinde Episcopus, Italiam & Orientis Provincias Religionis eruditionisque ergo lustravit, Roderico Præsuli Toletano æqualis, & in simili conscribendæ Historiæ studio versatus, ingenio styloque non ineleganti, neque prorsus vasto. *Historiam edidit de Rebus Hispaniæ, Sancti Isidori Chronico inserto*, unde opinio nata est primam ejus Operis partem Isidoro attribuentium. Præterea Sancti Isidori Vitam conscripsit, & separato volumine ipsius Miracula, cujus voluminis pars altera in confutandis Albigensibus consumitur.“ Hæc Mariana loco citato. Historia autem Lucæ Tudensis habetur in Collectaneo Hispaniæ illustratæ, & *contra*

tra Albigenses libri tres habentur in Bibliotheca Sanctorum Patrum variæ editionis Coloniensis, Parisiensis, Lugdunensis. Item Lucas, multis hortantibus, tum *Sancti Isidori Vitam*, tum *Miracula* justo volumine conscripsit, monente præsertim *Berengaria Regina* Ferdinandi Regis cognomento sancti sancta Matre, cui ut obtemperaret, in priore etiam Opere laboraverat. Quo in Opere Diaconum se ipse vocat in præfatione, his verbis: *nos verò ad libros Chronicorum à Doctore Hispaniarum Isidoro editos, manum mittimus; secundo libro quosdam alios Hispanorum Regum & aliorum quorumdam seriem persequendo, præcepto gloriosissimæ Hispaniarum Reginæ Berengariæ omni desiderio desiderantes fideliter satisfacere: ipsa enim mihi Lucæ indigno Diacono, ut hoc perficerem imperavit*. Posteà verò Episcopum Tudensem creatum fuisse in confesso est, atque in ea urbe sepulchrum ejus monstratur, *B. Petri Gonsalvi* ex Ordine Prædicatorum quem olim viventem coluerat, sepulchro olim conjunctum; uti ipse moriens testamento fieri mandaverat. Fuit etiam Roderico Semeno Toletano Archiepiscopo fermè æqualis, Heliæ autem familiaris, ei qui à Sancto Francisco institutum Ordinem (eo abdicante ac concedente) gubernandum suscepit. Nam quæ ab eo audiverat, ipse commemorat, non absque honoris præfatione. Sic ferè Mariana in suis Prolegomenis ad eumdem Lucam Tudensem. Habetur *Vita S. Isidori Hispalensis & Miraculorum ejus* apud Bollandistas ad diem 4. Aprilis, & sæculo 2. SS. Ordinis Divi Benedicti. Hæc Aubertus Miræus paucis à me additis, in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 390. pag. 258.

De Richardo à S. Laurentio. 1240.

SUPPLEMENTUM.

RICHARDUS à Sancto Laurentio Canonicus & Archidiaconus Ecclesiæ Rothomagensis, scripsit insigne opus lib. 12. distinctum, egregium sanè atque *omnimodas Beatæ Virginis Matris Dei Mariæ laudes* cumulatè continens. Hoc opus allegat sæpius cum insigni encomio Aloysius Novarinus *in Umbra Virginea*, impressa in fol. Turnoni anno 1640. apud Laurentium Durand. Qui tanto sæpius ac liberius id facit, quòd asserat se primùm habuisse notitiam hujus Scriptoris & Operis, cujus penes se mſ. extabat. Impressum olim fuit, atque hujus impressi exemplar in Bibliotheca Franciscanorum de Bernajo in Normannia, sub hoc titulo: *Dominus Richardus à Sancto Laurentio qui ante* 400. *annos floruit, de laudibus Beatæ Virginis libri duodecim*. Præfatio ad Lectorem hujus editionis, advertit eum etiam fuisse Beatæ Mariæ Rothomagensis Pœnitentiarium, sequentibus verbis: *Richardus à Sancto Laurentio vivebat circa annum* 1230. *Pœnitentiarius Rothomagensis*. Legitur in Catalogo Decanorum Ecclesiæ Rothomagensis circa idem tempus; unus Richardus Decanus adhuc vivens anno 1239. an idem sit, affirmare nolim. In processu verbali visitationis ab Odone Clementi Rothomagensi Archiepiscopo factæ, & ordinationum pro Reformatione Capituli Andelicensis anno 1245. leguntur præsentes & testes Magistri *Richardus de Sancto Laurentio, Richardus de Salmonville, Robertus & Reginaldus* Canonici ejusdem Ecclesiæ. Hoc autem Opus vel Anonymum inventum, vel avulso primo folio ex veteri impressione de qua supra, placuit tandem Domini canis ultimam editionem Operum Alberti Magni procurantibus, inserere proprio sensu in dictam collectionem Operum Alberti. Hoc detexit post Novarinum expresè Labbeus tom. 1. *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 31. restituitque libros legitimo parenti Richardo à Sancto Laurentio. Hos eosdem Laurentio adscribit libros Theophylus Raynaudus ejusdem Societatis *in Nomenclatore Mariano*, quos perpetuò citat: idemque Hyppolitus Maraccius, in Opere *De Scriptoribus Marianis*. Porrò quam allegat loco citato Labbeus hujus operis editionem factam Duaci ex antiquis mſſ. anno 1625. opinarer falli, (licèt non affirmem) nullamque aliam inveniri nisi veterem, quæ Duaci forsitan annó 1525. contigit. Hæc nos ex Historia Gallica Ecclesiæ Rothomagensis lib. 2. cap. 23. pag. 283. quam edidit in 4. Parisiis Franciscus Pomerallius Benedictinus Monachus, congregationis Sancti Mauri in Gallia.

De Gualtero Senonensi. 1240.

SUPPLEMENTUM.

GUALTERUS CORNUTUS Simonis Cornuti Domini Villæ-Novæ propè Monasteriolum oppidum filius, ex Decano Parisiensi creatur Archiepiscopus Senonensis anno 1223. uti asserit Albericus in Chronico, & Guillelmus Brito Philippidos lib. 12. Assumitur autem à Sancto Ludovico cum Bernardo Episcopo Aniciensi & nonnullis Toparchis, ut in occursum Spineæ Coronæ properaret, quæ Constantinopoli Venetiis oppignerata, tandem pecunia restituta Rege tam pretiosum donum acceptante redempta fuerat. Scripsit igitur *hanc Historiam Coronæ Spineæ D. N. Jesu Christi*, ab urbe Constantinopoli in Galliam anno 1239. advenientem, impressam tom. 5. Historicorum Franciæ veterum, in collectaneo Andreæ Duchesnii. Obiit anno 1241. die 20. Aprilis, conditus in Choro Metropolitanæ Ecclesiæ. Qui plura cupit, volvat Fratrum Sammarthanorum Galliam Christianam tomo 1. pag. 637. ubi insigne ejus elogium inveniet, cum Epitaphio quod ejus lapidi sepulchrali adscriptum est.

De Alberico Cisterciensi. 1240.

SUPPLEMENTUM.

Hunc Albericum Trium-Fontium vide in Alberico Berg. sæcul. 14.

De Ricero Italo. 1240.

SUPPLEMENTUM.

RICERUS natione Italus, ex Marchia oriundus, unus ex Sancti Francisci Sociis, brevi tractatu explicuit, *quomodo homo possit citò pervenire ad agnitionem veritatis*. Extat Lovanii 1554. editus, cum aliis ejusdem argumenti.

De Ægidio Assisiate. 1240.

SUPPLEMENTUM.

ÆGIDIUS ASSISIAS, unus ex primis Fratribus Ordinis Minorum, Sancti Francisci similiter Socius, scripsit *verba Aurea* Antuerpiæ 1534. excusa & alibi: cujus plura opera recenset Rodulfus lib. 1. Historiæ Seraphicæ, quæ nondum edita sunt. Quidquid autem illius est editum, habetur cum Ægidii vita apud Bollandistas ad diem 23. Aprilis. Obiit anno 1262. die prædicta, de quo plurima Bollandistæ citati ad diem præfatam.

De Godefrido Coloniensi. 1240.

SUPPLEMENTUM.

GODEFRIDUS Monachus Sancti Pantaleonis Coloniensis Ordinis Divi Benedicti, scripsit *Chronicon* quod incipit ab anno 1162. usque ad annum 1237. quod Marquardus Freherus edidit in suo Collectaneo veterum Historiæ Germanicæ Scriptorum tom. 1. pag. 239. editionis Francofurti 1600. & seqq. Claruit anno 1240. sub Frederico II. & aliis Imperatoribus.

De Roderico Xemeno. 1240.

SUPPLEMENTUM.

RODERICUS SEMENUS vel XEMENUS Patria Navarrus seu Vasco, anno 1208. Episcopus Toletanus est electus. Anno proximè sequenti ejus hortatu, publicum Sapientiæ Gymnasium ab Alfonso Rege, Palentiæ est constitutum, ad Juventutem Litteris & humanitate informandam, artium Professoribus Gallia atque Italia convocatis: quæ Academia inde posteà Salmanticam à Ferdinando Alfonsi nepote anno 1239. translata est. Scripsit *Historiam Hispaniæ libris IX.* non omninò inelegantibus, quam habes in Collectaneo Hispaniæ Illustratæ, cum Notis Andreæ Schotti Societatis Jesu. Anno demum 1245. vivere desiit, Hortæ quæ est Monachorum Ord. Cisterciensis Cœnobium in Aragoniæ finibus, honorificè conditus; ubi ad aram maximam Cippus monstratur, cum inscriptione hac: *Mater Navarra, Nutrix Castella, Schola Parisius, Sedes Toletum, Hortus Mausoleum, Requies Cœlum.* Semper in Hispania vivet Auctoritas Roderici, memoria vigebit, cujus defuncti Manibus in pluribus maximi Templi Toletani Sacellis ad hanc diem parentatur; aliquot Sacerdotiis ejus jussu atque impensa, eam ob causam constitutis. Plura in laudem ejus Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 392. pag. 259. à quo hæc accepimus per compendium: Andreas Schottus qui ejus Historiam evulgavit, & alii omnes qui scripserunt de rebus Ecclesiasticis Hispaniarum.

De Joanne Semeca. 1240.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES SEMECA Teutonicus, postea Præpositus Ecclesiæ Halberstatensis, dicitur à Sancto Antonino in Summa, *Auctor Glossæ Communis in Decretum Gratiani*, sæpius cum Gratiani Decreto impressæ. Obiit anno 1245. ut constat ex inscriptione tumuli.

De Albertano Brixiensi. 1240.

SUPPLEMENTUM.

ALBERTANUS Brixiensis Causidicus, de ore Sanctæ Agathæ, Capitaneus Gavardi, (inquit mſ. Codex ejusdem cum illo ætatis) qui conjectus est in carcerem à Friderico II. Imperatore, quando capta est Brixia quam defendebat ad communem utilitatem patriæ, clarebat his temporibus. Scripsit *librum De Dilectione Dei & proximi & aliarum rerum de formula vitæ* anno 1238. ad Vincentium filium suum, quem in mſſ. tripartitum vidi. Item *librum De Consolatione & Consilio*, anno 1246. quando in carcere detinebatur ad Joannem filium suum, capita 35. continentem. Denique brevem *librum De Doctrina loquendi & tacendi* ad Stephanum filium suum, sex tantùm capitibus comprehensum. Hæc omnia vidi mſſ. in Bibliotheca Dunensi Ord. Cisterciensis Brugis in Flandria, in Parchensi Abbatia propè Lovanium Ord. Præmonstratensis, in Valle Sancti Martini Lovanii, & in Bibliotheca Canonicorum Regularium Tungrensium, demùm Oxonii in Anglia in Bibliotheca Magdalenensi cod. 161. Sed tandem inveni ac vidi impressos esse hos libros in 4. Cunei (vulgò Coni) apud Pedemontanos per Magistrum Viotum De Dulcis anno 1507. die 4. Decembris. Sunt cum multis præli mendis, quæ facilè emendarentur impressione iterata, cujus unum exemplar vidi in Bibliotheca Domni-Martini Ordin. Præmonstratensis in Artesia, dum illic anno 1680. excuterem cartas & antiquitates hujus Abbatiæ.

De Ægidio Cisterciensi. 1240.

SUPPLEMENTUM.

ÆGIDIUS Aureæ-Vallis Ordinis Cisterciensis in Ducatu Luxemburgensi Monachus scribebat anno 1246. *Historiam suam de Episcopis Leodiensibus*, quam evulgavit anno 1613. Leodii Joannes Chapeaville, cum aliis ejusdem materiæ Scriptoribus.

De Guillelmo Tornacensi. 1240.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS Monachus Sancti Martini Tornacensis Ordinis D. Benedicti, claruit circa annum 1246. scribens *Collectaneum Præclari Ordinis libris 10. ex Scriptis Divi Bernardi Abbatis Claræ-Vallis*, quod inscripsit *Bernardinum* seu *flores ex operibus Divi Bernardi*, cujus Prologus incipit: *Cum non essem alicui exercitio magnopere occupatus*, &c. Incipit liber primus, *Quid est Deus?* De quo Joannes Mabillon tom. 1. Analect. pag. 319. ubi citat Codicem mſ. Bibliothecæ Cisterciensis, sed impressum est absque nomine Auctoris sub titulo Florum Divi Bernardi anno 1556. Lugduni apud Benedictum Rigaudum & Joannem Sangrinum in parvo 8. Hoc opus fuit etiam editum olim in parvo 4. pulcherrimo caractere & nitido, Parisiis anno 1499. apud Philippum Pigouchet, cujus unum exemplar penes me est.

De Conrado Moguntino. 1240.

SUPPLEMENTUM.

CONRADUS Moguntinus, cognitus sub nomine Conradi Episcopi, floruit anno 1240. & ultrà sub medium sæculi 13. qui numquam Moguntinensis Archiepiscopus fuit, sed succursarius tantùm ac suppleturus vices Archiepiscopi absentis, vel nolentis fungi suis functionibus. Hic scripsit *Chronicon Rerum Moguntinarum* ab anno 1140. ad 1250. quod anno 1535. ab Hervagio primùm evulgatum est, tum impressum etiam anno 1569. Basileæ, immissumque posteà à Christiano Urstitio in suum volumen Historicorum Germaniæ pag. 567. editum Francofurti anno 1585. Vvechelianis typis. Ejusdem *Chronicon vetus* cum Historicis Germanicis ex Bibliotheca Justi Reuberi editis in fol. Francofurti anno 1584. iisdem typis. De Conrado isto Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis

cis cap. 378. pag. 254. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, quem vult fuisse Archiepiscopum Moguntinum ac mortuum Patavii in Bavaria anno 1205. Sed absurdè fallitur Aubertus Miræus in parte ista, quamvis enim admittam cum Sammarthanis ac Miræo, fuisse Conradum quemdam Archiepiscopum Moguntinum, qui mortuus sit vel ex Miræo anno 1205. vel ex Sammarthanis anno 1202. quod ipsi optimè probant: attamen Conradus iste hoc anno mortuus, non potuit scribere res Moguntinas usque ad annum 1250. sicut scripsit Conradus de quo loquimur. Nisi velit Miræus suum Conradum fuisse Prophetam, qui scripserit aut præscripserit res futuras annorum quinquaginta post mortem suam: quod quàm lepidum sit cordato viro, judicent Lectores benevoli. Distinguendus est igitur Conradus iste Suffraganeus vel Chorepiscopus Moguntinus, qui res Moguntinas scripsit usque ad annum 1250. à Conrado verè Archiepiscopo Moguntino qui mortuus est anno 1202. de quo videndi Sammarthani tomo 1. Galliæ Christianæ pag. 355. & 356. in Archiepiscopis Moguntinis.

De Roberto Capitone. 1240.

SUPPLEMENTUM.

ROBERTUS CAPITO, Anglicè Grostheads, Gallicè Grossetește, præstantissimus sæculi sui Theologus ac nobilis Scriptor, dudum in Academia Parisiensi operam Litteris dedit, in qua insignis Philosophus ac Theologus extitit. Reversus in patriam, Leicestrensis primùm Archidiaconus, dein an. 1235. Hugoni de Velles Lincolniensi Episcopo successit. Anno 1242. vertit ex Hebræo in Latinum *Testamentum* 12. *Prophetarum*, Opus quod Judæi hucusque magna sedulitate & invidia absconderant, ut habet Matthæus Parisiensis ad hunc annum. Impressum inter Orthodoxographos in folio Basileæ anno 1569. apud Henricum Petri, & in Micropresbytero, seu veterum quorumdam Theologorum Elencho, ibidem in folio anno 1550. apud eumdem. Item ms. in Bibliotheca Colbertina ex ms. Cod. Thuaneo. Venit autem in offensam Innocentii Papæ IV. ut tradit Henricus de Knigton lib. 2. *De Eventibus Angliæ* ad annum 1253. eò quòd Papa Nepotulo suo puero contulisset Canonicatum cum Prebenda proximè vacatura in Ecclesia Lincolniensi, quem Robertus admittere noluit, rescribens Papæ se nec velle nec debere tales admittere ad animarum curas, qui seipsos nescirent nec possent regere. Epistola ad Innocentium IV. sic incipit, *Dominus noster Jesus Christus*, &c. quam refert Matthæus Parisiensis ad annum 1253. Scripsit plurima Robertus, quorum pauca satis in comparatione mss. restantium in Bibliothecis Anglicis, impressa sunt. Ex impressis *Commentarius in libros Posteriorum Aristotelis*, editus Venetiis an. 1504. & 1537. ibid. ex editione Pamphili Montii. *Compendium Sphæræ mundi*, Venetiis anno 1508. opuscula plura ibidem edita anno 1514. Obiit autem Robertus Capito anno 1253. in nocte sancti Dionysii, apud Bugedonum manerium suum. Jam ad Opera ejus mss. veniamus.

Summa Philosophiæ ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 92.

Commentarius in libros Posteriorum Aristotelis, ms. Oxonii in Collegio novo cod. 245.

In libros Physicorum, ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 105. Cantabrigiæ in Collegio sancti Petri cod. 43.

Commentarius in Catonem, Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 25.

A *De Prognosticationibus Aeris*, Cantabrigiæ in Bibliotheca S. Benedicti cod. 194. & in privata Gualteri Copi cod. 7.

De Articulis fidei & fide Catholica, ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 176.

De Confessione, ms. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi cod. 14. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 133. & in Collegio S. Benedicti cod. 207.

De Cessatione Legalium, Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi cod. 159. Mertonensi 160. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 36. & privatim in Bibliotheca Lumleii cod. 285.

De Conjugio, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 133.

B *Computus Ecclesiasticus*, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca sancti Benedicti cod. 123. & in Archivis Collegii Caii cod. 122.

De Cura Pastorali, ms. Oxonii in Bibliotheca Exoniensi cod. 24. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 227.

De decem Præceptis, ms. Oxonii in Bibliotheca Lincol. cod. 14. & 38. Exoniensi cod. 24. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica codd. 118. 137. & 200. in Penbrochiana cod. 175.

Moralitates super 4. *Evangelia*, ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolana cod. 34. sanctæ Trinitatis cod. 15. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 26.

De pœnis Purgatorii, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 26.

C *De pœnitentia*, ms. ibidem cod. 118.

Scala Voluptatis, ms. ibidem cod. 130.

Summa Justitiæ, ms. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi cod. 14. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 57. & Domus S. Petri cod. 89. & privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 183. & 262.

Templum Domini, ms. Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi cod. 33. & 160. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 118. & 133. Penbrochiana cod. 59. & 123. & privatim in Bibliotheca Lumleii cod. 183.

Testamentum 12. *Patriarcharum*, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 243. in Collegio S. Benedicti cod. 122. in Penbrochiana cod. 123. privatim

D in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 208. & Gualteri Copi Armigeri cod. 153.

De Triplici gratia & Justificatione, ms. Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caii cod. 151.

De Veritate Christi, Oxonii in Bibliotheca Collegii Lincolniensis cod. 19.

De lingua & corde moraliter, ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 281. Lincolniensi cod. 12. & 14. Magdalenensi cod. 19. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 57. & Penbrochiana cod. 116.

De oculo moraliter, ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 186. Magdalenensi codd. 58. 69. & 160. Balliolensi cod. 235. Mertonensi cod. 158. 160. 161. & 273. Cantabrigiæ in Bibliotheca Penbrochiana cod. 123. & privatim in Bibliotheca clarissimi viri

E Baronis Lumleii cod. 183.

De venenis moraliter, ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 260. Magdalenensi codd. 50. & 160. Mertonensi cod. 160. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 137. & Penbrochiana cod. 106.

Ejusdem varii Tractatus, ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 92.

Ejusdem dicta, ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 260. Lincolniensi cod. 12. Exoniensi cod. 24. Magdalenensi cod. 157. Mertonensi cod. 151. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 52. in Collegio sancti Benedicti cod. 207. Domus sancti Petri cod. 97. & Penbrochiana cod. 59.

Positio Domini Lincolniensis contra Papam, ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 260. Mertonensi

cod.

cod. 68. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 207. & 250.

Sermones, mss. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 186. in Lincolniensi cod. 12. Mertonensi cod. 232.

Epistolæ, mss. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. ultimo, Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti codd. 227. & 386. Item *Epistola ad Conventum Missenden pro Abbate eligendo*, ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 232.

Epistola & quædam excerpta ex dictis ejus, ms. privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 285.

Denique *Vita Guillelmi Capitonis*, ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 260.

Quicumque plura cupit de doctrina & virtute hujus Guillelmi, legat Historiam Universitatis Parisiensis sæculo 13. ubi multa & præclara leget, quæ virum hunc intrepidum commendabunt in sæculum sæculi, ante Deum & homines.

De Innocentio IV. 1243.

INNOCENTIUS IV. Pontifex, patria Genuensis, vir doctrina & prudentia clarus sedere cœpit anno Domini 1243. & obiit anno 1254. Scripsit *apparatum super Decretales*, brevem, sed eruditum. Scripsisse dicitur etiam alium librum, Novellas, sive authenticas, appellatum, necnon librum de Pontificis auctoritate, & Imperatoris juribus contra Petrum de Vineis. Sed hos duos posteriores libros ego non vidi.

Dissertatio Historica.

SINIBALDUS, Nobili Fliscorum stirpe ex Lavaniæ Comitibus oriundus apud Genuenses, Romanus Pontifex fuit, assumpto Innocentii IV. nomine ab anno 1243. ad diem 13. Decembris anni 1254. quo mortuus est Neapoli, cùm sedisset annis 11. menses 5. & dies 14. De eo Trithemius, aliique.

Apparatus libris quinque distinctus in totidem libros Decretalium, Gregorii IX. prædecessoris ejus jussu compilatarum, Venetiis, Lugduni, Francofurti &c. prodiit, à quo longè diversus est Apparatus ad easdem Decretales tributus Bernardo Presbytero compostellano.

Quidam, teste Baronio in notis ad diem 15. Septembris Martyr. Rom. censet ab eodem Pontifice ordinatum fuisse *Officium Ecclesiasticum, quod in die octava Nativitatis B. Mariæ canitur*. Valentinus Forsterus in Historia juris Civilis Romani, asserit I. ob insignem juris peritiam, quam sub Azone, Accursio, & Jacobo Balduino didicerat, Cardinalitia dignitate cohonestatum fuisse. II. Exemplo Accursii primùm Annotationes ad Jus Pontificium scripsisse post Synodum Lugdunensem, in qua Fridericum II. Imperio abdicavit, cum ibidem longius moraretur. III. Scripsisse librum de Jurisdictione Imperii, & Auctoritate Pontificis contra Petrum Vineam, qui omnium rerum arbitrium Imperatori tribuebat, Pontificique auctoritatem adimebat. IV. Patrem, ac Organum veritatis appellatum ea fuisse modestia, ut cùm posset scriptis suis auctoritatem addere, maluerit liberum judicium Lectori relinquere. V. Primum Cardinalibus roseum galerum tribuisse. VI. Jussisse Natalem B. V. Mariæ octonis diebus celebrari. VII. Bononiam studio privasse, & Patavium transtulisse. De eo quoque Jo: Fichardus in Vitis recentiorum Jurisconsultorum, similesque.

De Alexandro de Hales. 1245.

ALEXANDER Halensis, natione Anglus Ordinis S. Francisci, vir doctissimus, & sanctorum Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis præceptor scripsit jussu Innocentii Papæ quarti *summam Theologiæ* egregiam, & copiosissimam, quæ notissima est. Scripsit *postillam in tota Biblia*: necnon *summam virtutum*. Obiit anno Domini 1245. ut testatur Petrus Rodulphus à Tossiniano in historia Seraphica.

Dissertatio Historica.

ALEXANDER de Hales, sive Halensis, Anglus, Ordinis Minorum primus Doctor, ac Sanctorum Bonaventuræ, & Thomæ Aquinatis in Theologicis Præceptor, dictus Doctor Irrefragabilis, & Fons vitæ, obiit die 27. Augusti anni 1245. sub Innocentio Papa IV. cujus rogatu dicitur scripsisse Summam Theologicam, sepultusque fuit in magno Conventu Minorum Parisiensium, apposito Epitaphio. De eo præter Henricum Gandavensem cap. 46. de Viris Illustribus; plura dabunt Bartholomæus Pisanus in libro Conformitatum S. Francisci, Petrus Rodulfus de Tossiniano, Franciscus Gonzaga, Henricus Willotus, Lucas Wadingus, Pitseus, & alii recentiores.

Commentarii in Psalmos, de quibus vide infrà V. Hugo de S. Caro Cardinalis, cui tribuuntur: quæque ex Possevino notavit Wadingus. *Commentaria in Apocalypsim*, opera R. P. Joannis de la Haye primùm prodierunt Parisiis 1647. in folio apud Antonium Bertier. *Summa universæ Theologiæ* in quatuor partes ab ipsomet authore distributa, Basileæ anno 1502. excusa, Venetiis 1576. Coloniæ 1622. *Quæstiones in quatuor libros Sententiarum*, Lugduni 1515. quatuor Tomis. *Summa de Virtutibus*, Parisiis 1509. & alibi, de qua vide judicium Lucæ Wadingi, Tomo I. Annalium Minorum ad annum 1245. *In Metaphysicam Aristotelis Commentaria*, edita in lucem Venetiis anno 1572. quæ quidam nescio cui Alexandro ab Alexandria adjudicare malunt. *(a)*

Quod verò spectat ad *Destructorium vitiorum*, quod quidam Halensi tribuunt, dicitur in editione Norimbergensi anni 1496. compositum fuisse à quodam Fabri Lignarii filio, qui ob humilitatem voluit nomen suum reticere.

(a) Et merito; Alexander enim ille ab Alexandria dictus ex eodem Minorum Ordine qui floruit anno circiter Christi 1310. ex S. Thomæ Aquinatis scriptis suos Commentarios illustrare potuit. Vide Nazarium pag. 56. Tractatus de operibus S. Thomæ, qui etiam observat Prosperum Restam à Talliacotio O. M. cujus studio prodierant in Metaphysicam Aristotelicam lucubrationes illæ falsò Alexandro Halensi tributæ, fuisse à Matthæo Aquario refutatum.

Sixtus Senensis lib. 4. memorat Postillam Halensis super totam, ut vocat, Bibliam, in qua utrumque sacrum Testamentum variis hinc inde annotationibus veluti stellulis illustraverit.

Scripsisse præterea dicitur librum de Immaculata Conceptione in illa verba Cantici Canticorum, Tota pulchra es, de quo ac miraculis vide Dionysium Carthusianum in Tertium Sententiarum dist. 3. & alios pag. 315. Exceptionum R. P. Joannis Eusebii Nierembergii.

Addere quoque non pigeat R. P. Hippolyti Maraccii Bibliothecam Marianam, in qua mentio libri ejusdem de Immaculata Conceptione B. V. & Maria-

Marialis in sex Partes distributi, sed ea nondum excusa typis fuisse arbitror.

SUPPLEMENTUM.

ALEXANDER Halensis Anglus sic cognominatus ab *Hales* Monasterio Comitatus Claudio-Cestrensis, seu Clocestriæ, ubi in juventute evasit omnium divinarum ac humanarum scientiarum præsidiis instructus. Claruit autem successu temporum in celeberrima Academia Parisiensi circa annum 1230. unde postea calcatis omnibus ob Christum, spretis sæculi spebus, ac vanitatibus, transiit ad Ordinem pauperum Fratrum Minorum, quem tunc temporis eximia sanctitas venerabilem orbi, ac omnibus Occidentalibus charissimum, effecerat. Hic primus Ordinis Minorum Doctor, si credimus Labbeo in operibus *De Scriptoribus Ecclesiasticis Bellarminianis*, ubi de ipso parcè satis agit, quamquam paucis multa contineat, ac juxta eumdem ibidem, ac Lucam Wadingum in Bibliotheca Fratrum Minorum pag. 8. ac tom. 1. Annalium ad annum 1245. *Sanctorum Bonaventuræ*, *ac Thomæ Aquinatis in Theologicis præceptor*, dictus *Doctor irrefragabilis & fons vitæ*. Hoc *Mysterium*, seu *Magisterium* Sanctorum Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis, clamitant omnes Franciscani, negantibus protervè, immò rationabiliter etiam Dominicanis, de quibus nos postea. Agunt autem de scriptis Alexandri Halensis citati Labbeus, ac Bellarminus, quibus addere pauca Halensem commendantia non otiosum, nec forsitan injucundum fuerit. Itaque præter recensita à Bellarmino, & Labbeo scripsit *in Evangelia libros* quatuor, qui habentur mss. in Bibliotheca Ambrosiana Mediolani. Convenit Possevinus dum scribit se vidisse Romæ apud Cardinalem Sarnanum, hujus Auctoris tomos quatuor mss. *in D. Marcum*, *in Lucam*, *& in omnes Divi Pauli Epistolas*, quorum exemplar in prædicta Bibliotheca Ambrosiana.

Commentarii autem *in omnes D. Pauli Apostoli Epistolas*, extant etiam partim mss. Oxonii in Bibliotheca publica.

Scripsit etiam Commentarios *in Isaiam*, *in Jeremiam*, *in Ezechielem*, *in Danielem*, *& in duodecim Prophetas Minores*; quos adservat mss. Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensis: asservat & Gallia nostra cod. 429. clarissimæ Bibliothecæ Colbertinæ, ut constat ex illius Catalogo. Quod verò spectat ad *Destructorium vitiorum*, quod Alexandro Halensi nonnulli tribuunt: Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, verbo *Alexander Anglus*, & verbo *Alexander Halensis*, subdubitare videtur, an hujus sit illud doctum, & proficuum opus, quod *Destructorium vitiorum* nuncupatur. Et quidem Pitseus in Appendice Scriptorum Angliæ, illud attribuit Alexandro Anglo, quod ait prodiisse Venetiis anno 1582. Sed impressum pariter Norimbergæ anno 1496. in folio apud Antonium Koberger, sub cujus finem impressionis ait, opus compositum fuisse à quodam Fabri Lignarii filio, qui ob humilitatem voluerit reticere nomen suum. Unde Alexandri Halensis legitimus esse partus non videtur, neque certò scias, cui sit adscribendum. Hæc Wadingus in Bibliotheca Minorum. At meo quidem sensu Argumentum ejusmodi valdè infirmum est, quasi Alexander Halensis non potuerit esse hujus Fabri Lignarii filius; vel quotquot docti hoc tempore Franciscanam professi paupertatem, fuerint aut Nobilium, aut Principum filii? Summa ista destructoria vitiorum, alludit rectè, cum summa de virtutibus, quam dictus Halensis composuit.

Jam veniamus ad *Mysterium & Magisterium* simul

A SS. Bonaventuræ, & Thomæ Aquinatis, quod competere Alexandro Halensi scribunt Lucas Wadingus tam in suis Annalibus Ordinis Fratrum Minorum tom. 1. anno 1245. quàm in Bibliotheca Scriptorum ejusdem Ordinis pag. 8. & 9. Labbeus in opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, atque cum eis multi. Probant assertionem suam isti, vel hujus sententiæ Auctores, maximè ex Epitaphio, quod hodie legitur in Conventu Minoritarum Parisiensium ad tumulum Alexandri Halensis, ubi dicitur magister SS. Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis. Scripsit nuperrimè de hoc argumento doctam dissertationem in contrarium Natalis Alexander Ord. Fratrum Prædicatorum, editam in 8. apud Antonium Dezallier

B anno 1680. via Jacobæa sub signo Coronæ aureæ, ubi meo quidem sensu rectè probat Alexandrum Halensem mortuum anno 1245. numquam fuisse Magistrum S. Thomæ Aquinatis, qui anno circiter 1243. dabat primam operam Theologicis studiis Coloniæ Agripinæ sub Alberto Magno: atque ex ratione Chronologica evincit meram hanc fabulam à Franciscanis ad majorem Halensi conciliandum honorem gratis compositam. Longè tamen insigniorem dissertationem obtulisset Alexander, si rationi quam habet, modestiam, atque humilitatem aptasset. Vidi enim unum, & plures viros doctos & graves, Alexandro amicos, sed militarem hanc (inquiebant) scribendi rationem improbantes, appellantesque dis-

C sertationem istam *Dicterium ac perpetuam in Franciscanos ironiam*. Ita compertum, ut nullus omnibus placere possit. Quantum autem ad Epitaphium quod hodie legitur Alexandri Halensis, contendit Alexander Dominicanus *venerabile illud Antiquitatis monumentum*, anno 1628. non esse vetustius, quo à Fratre Benigno Genuensi Ordinis Fratrum Minorum Generali Ministro positum est. Ita Natalis Alexander Dissertationis suæ pag. 68. ubi multa acerba in Franciscanos projicit, quibus supersedeo referendis. Unum dicam simpliciter, & absque amplexu partium, audax esse facinus ejusmodi modernorum antiqua Epitaphia supprimentium, ut novitates suas intrudant: longeque venerabiliorem esse antiquitatem, etiam minus elo-

D quentem, quàm comptam, prurientemque auribus novitatem. Cæterùm Epitaphium vetus Leoninis versibus editum, & Alexandri Halensis tumulo statim ab ejus obitu inscriptum, non narrat Halensem Alexandrum fuisse præceptorem S. Thomæ Aquinatis. Nam prisca simplicitate conspicui Fratres Franciscani hujus sæculi, quam à Seraphico Patre Francisco hæreditario jure hauserant, ducebant religioni non ornare falsis honoribus, Doctorem veris titulis insignitum. Sic porrò habet antiquum illud à Wadingo relatum in Annales Franciscanos Epitaphium, & in suam etiam Bibliothecam Ordinis Minorum fol. 9.

Inscriptio vetusta sepulchri Alexandri Halensis.

E

Clauditur hoc saxo famam sortitus abundè
Gloria Doctorum, decus, & flos Philosophorum,
Auctor Scriptorum vir Alexander variorum;
Norma modernorum, fons veri, lux aliorum;
Inclitus Anglorum fuit Archilevita, sed horum
Scriptor Clerorum, Frater Collega Minorum
Factus Egenorum, sed Doctor primus eorum.
Et ibidem
Si quis honos meritis, si qui virtute colantur,
Hunc anima præfer; hunc venerare Patrem.
Nec sorde & culpa, pigriter per otia desis
Nancisci studio, quæ Minor iste refert.

Advertit præterea Natalis Alexander in citata dissertatione pag. 89. *Commentarium in 4. Sententiarum libros* quem Auctor Anonymus *Firmamenti trium Ordinum*,

dinum, & Lucas Wadingus in Bibliotheca *Scriptorum Ordinis Minorum* tribuunt Alexandro Halensi tamquam à *summa* diversum, esse idem omnino opus cum *summa*. Quod probant (inquit) invictè mss. duo Bibliothecæ Victorinæ Parisiensis, quorum alterum *textum Magistri sententiarum* cum *summa* Alexandri Halensis exhibet; Ad calcem verò summæ istius ms. hæc leguntur: *Tabula hic contentorum. Primus liber sententiarum, sive Summæ Theologiæ Domini Alexandri de Hales, in cujus foliis sequentibus hæc habentur, &c.* Quæstiones percenset hic index, quæ prima, & secunda parte summæ continentur. Tertia verò parte hæc leguntur: *Tertius liber sententiarum, sive Summæ Theologiæ, quem composuit Magister Alexander de Hales, in cujus libri foliis sequentibus hæc habentur &c.* Commentarios itaque in quatuor libros sententiarum, Lugduni, ut refert Possevinus *in Apparatu sacro* sub nomine Alexandri Halensis anno millesimo, quingentesimo decimo quinto excusos, alterius Auctoris fœtum esse compertum est. Non nescio Pitsæum testari ms. in 4. libros sententiarum Alexandri Halensis Commentarium in Collegio Cantabrigiensi S. Petri asservari: sed si accuratius illum inspexisset, expendissetque, Commentarium illum summam ipsam esse textui Magistri Sententiarum adjunctam, facilè animadvertisset. Hæc Natalis Alexander, digna notatu.

Obiit Alexander Halensis anno 1245. sepultus Parisiis in magno Conventu sui Ordinis in Ecclesia ex opposito Crucifixi, cui appositum est Epitaphium, de quo supra. Atque ut opinor, translatum postea sepulchrum in Capitulum Fratrum, utcumque à terra elevatum, cum Epitaphio recenti, quod anno 1628. cum lapide novo sepulchrali appositum fuit, mandante F. Benigno Genuensi Ord. Fratrum Minorum Generali. Qui plura vult, adeat citatos Possevinum *in Apparatu sacro*, Bellarminum *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1245. Wadingum *in Annalibus*, & *Bibliotheca* Ordinis Fratrum Minorum, Historiam Universitatis Parisiensis sæculo XIII. & alios.

De Hugone de Sancto Caro. 1245.

HUGO de Sancto Caro, natione Burgundus Ord. Prædicatorum, Cardinalis Sanctæ Sabinæ ab Innocentio quarto Pontifice creatus fuit anno Domini 1244. & piè, ac sanctè obiit anno 1264.

Scripsit *Commentaria* brevia *in universa Sacra Biblia*. Scripsit etiam seorsim *in Psalmos*: quamvis omninò non constet, an Commentaria illa in Psalmos sint hujus Hugonis, an Alexandri Halensis.

Idem Hugo excogitavit *concordantias Bibliorum* teste Sancto Antonio 3. part. summæ historialis tit. 19. cap. 5. §. 2. & per homines à se delectos opus laboriosissimum perfecit: cui operi (ut facile est inventis addere) posteriorum industria multa addidit.

Dissertatio Historica.

HUgo de Sancto Caro, aliàs de S. Theodorico dictus, natione Burgundus, id est, ex veteri Regno Burgundiæ, patria verò Viennensis in Allobrogibus, vel ut alii accuratius, ex Barcinoneta oppido Delphinatus, in valle quæ ad Ebrodunum vergit, oriundus, Ordinis Prædicatorum, primus ab Innocentio IV. Papa anno 1245. creatus S. R. E. Cardinalis titulo S. Sabinæ, obiit Lugduni die 14. Kal. Aprilis anni 1260. sepultus apud Prædicatores. De eo Henricus Gandavensis cap. 40. ubi asserit fuisse primum ex illo ordine, qui Cathedram ascenderit Magistralem, sive, ut alii explicant, qui Doctoratus Theologici lauream sit consecutus. Sanctus An-

A toninus Florentinus Archiepiscopus, tertia Parte Chronicorum, tit. 19. cap. 5. §. 2. quo loco agit de Concordantiis Biblicis, quarum inventio, aut amplificatio ejusdem studio, ac diligentiæ debetur, Trithemius mendosè Barcinonensem vocat, (a) atque ex eo Mariana lib. 13. cap. 2. qui infinitum illud Concordantiarum opus Herculea planè audacia primum excogitasse, & in illis concinnandis usum opera 500. sui Ordinis Fratrum affirmat. Videndi quoque qui de Cardinalibus nostra Patrumque memoria scripserunt, Antonius Senensis, quique illustres viros Ordinis Dominicani celebrarunt, ac præ cæteris R. P. Theophylus Raynaudus in Indiculo Sanctorum Lugdunensium, quem sublegit pro more, nec nominavit

B Miræus. Ejus tumulo insculptos ferunt fuisse duos illos versus:

Iste fuit, per quem patuit doctrina Sophiæ,
Præco Dei, Doctor Fidei, Citharista Mariæ.

Hugo iste ἁπλῶς, nulloque addito cognominari solitus Cardinalis, edidit inter cætera *Postillas*, hoc est Commentariola, seu malis dicere breves Glossas, juxtà quadruplicem sensum in totum corpus Veteris ac Novi Testamenti, quæ olim Basileæ excusæ sunt anno 1504. postea Parisiis 1548. apud Vidonæum, ac tandem Venetiis apud Sessas anno 1600. hoc titulo: *Hugonis opera omnia in Universum Vetus & Novum Testamentum, in septem Tomos divisa* addito octavo Tomo Novi Indicis locupletissimi, & aliàs non im-

C pressi. Antonius Senensis ex iis maximè commendat postillas in Esaiam, Psalmos, & Evangelia: alii verò in Psalmos, Lucam, & Danielem diffusius scripsisse asserunt. *Sermones de tempore & de Sanctis.* Parisiis in 4. *Speculum Sacerdotum & Ecclesiæ.* Lugduni 1554. apud G. Rovilsium. *Commentaria specialia in psalmos*, quæ ab aliis Alexandro Halensi Ordinis Minorum tribuuntur, ut observavit Bellarminus. Hujus Hugonis, inquit Simlerus, expositionem in Psalmos egregiam videmus Alexandro de Hales Venetiis nuper suppositam universis scriptis libris per Germaniam, & Galliam renitentibus. Addit Compendium Theologicæ veritatis in septem libros partiales distinctum ms. fuisse apud Dresserum.

D Notandum quoque Hugonem hunc in digerendis Bibliorum Concordantiis adhibuisse solas declinabiles dictiones, Conradum verò Halberstadium anno 1290. additis vocibus indeclinabilibus opus illud incredibili Theologorum, Concionatorumque compendio atque emolumento absolvisse, quod in Hebraicis Græcisque Bibliis postea tentatum fuit, non tamen eodem in omnibus successu, ac rei litterariæ proventu perfectum.

(a) Mendosus dicitur Sixto Senensi Barcinonensis Episcopus, quem Humbertus Viennensis Prædicatorum Fratrum quintus Generalis Magister, auditor ejus, ac discipulus, ex Academia sæcularium disciplinarum ad institutum suæ Religionis pertraxit. Idem

E mortem ejus collocat minus rectè anno 1262. additque Rabbi Isaaci Nathanis Levitæ Hebraicas Bibliorum Concordantias typis Justiniani Venetiis excusas fuisse. Græcas verò se Romæ vidisse Euthalio Rhodio Monacho auctore in antiquis membranis Græca manu descriptas.

De Humberto, quinto Generali Prædicatorum. 1245.

FRATER HUMBERTUS patria Viennensis natione Gallus, quintus Generalis Ordinis Prædicatorum, æqualis fuit Hugonis, quem etiam traxit ad Ordinem S. Dominici. Scripsit multa utilia, & valdè pia, videlicet

Expositionem Regulæ Sancti Augustini. Librum de septem

ptem gradibus contemplationis. Librum de votis essentialibus religiosorum. Librum de eruditione Concionatorum. Alium de officiis Ordinis Prædicatorum à Generali usque ad Janitorem. Alium de vitis primorum Patrum sui Ordinis.

Denique *sermones multos* valdè utiles, qui nuper, id est, anno 1603. recusi sunt Venetiis.

DISSERTATIO HISTORICA.

HUMBERTUS natus in oppido Romonensi, seu Romansensi, Diœcesis Viennensis, Hugonis à S. Caro, postea Cardinalis ἁπλῶς nuncupati, discipulus, atque Ordinis Prædicatorum quintus Prior Generalis ab anno 1254. ad 1263. obiit Lugduni anno 1276. Burgundus passim dicitur, quod olim Viennensis ditio Burgundiæ Regno fuerit adnexa, immò & ejus præcipuum caput, ut diximus in Hugone Cardinale: castigandus tamen Alphonsus Fernandez, qui in Catalogo Scriptorum Prædicatoriæ Familiæ vocat eum Fr. Umbertum Heduum de Romanis Magistrum Generalem Ordinis, quasi Burgundi, atque Hedui eadem sit significatio, cùm una dictio altera longius, latiusque extendatur, præsertim apud Auctores medii ævi. Idem quoque minus accuratè mortem ejus conjecit in annum 1274. cùm ipsemet testetur post abdicatum Generalis Magistri Officium in Comitiis Londinensibus per 13. annos superstitem fuisse. De eo Joannes Trithemius, Antonius & Sixtus Senenses, Leander Albertus, aliique Dominicani, atque ut alios omittam R. P. Theophilus Raynaudus in Indiculo SS. Lugdunensium, ex quo elogium tacito ejus nomine contexuit Miræus in Auctario Bibliothecæ Ecclesiasticæ.

Sermones de variis argumentis, Venetiis anno 1603. excusi in quarto, quibus subjecta est, quod pauci advertunt.

Epistola de tribus votis substantialibus religionis, & de quibusdam virtutibus eis adnexis, & maximè necessariis Deo servire volentibus, quam per totum Ordinem ad provincias singulas misit. Utrumque illud opus excusum fuerat in fol. anno 1508. in Imperiali Haganoæ oppido.

Institutionum spiritualium libri sex, universa, quæ ad absolutam Religionis formam spectant exactissimè comprehendentes, Lovanii 1575. Parisiis 1622. & alibi. Inscribitur quoque Speculum Religiosorum, sive de eruditione Religiosorum Opusculum. Annotat Schottus noster sex illos libros invisos antea Lovanii typis evulgatos cura Antonii Senensis O. P. Guillelmo Paraltæ falsò antea adscriptos.

Expositio Regulæ S. Augustini, seu Commentarius, cum brevi Enarratione Hugonis à S. Victore anno 1605. in octavo, & Montibus 1645. in quarto.

Idem teste Theodorico de Apoldia in Præfatione quinque librorum de Vita S. Dominici adjecit multa vitæ ejusdem Sancti à B. Jordano Generali, & Fratre Constantino exaratæ, compilavitque librum, qui Vitas Fratrum dicitur, vel certè suo jussu à Gerardo Fracheto Lemovicensi ejusdem Ordinis opus illud in quinque libros digestum, de origine ac vitis illustribus Ordinis Prædicatorum præfixa præfatione decoravit.

De Matthæo Parisiensi. 1245.

MATTHÆUS Paris, sive potius Parisiensis (sic enim vocatur in ipso ejus libro, & in indice libri) fuit Monachus Albanensis in Anglia tempore Henrici tertii Regis Anglorum. Scripsit *historiam Anglicanam à Willelmo I. usque ad annum tricesimum quintum Henrici tertii*, id est, ab anno Domini 1067. usque ad annum 1250. & hoc ipso anno habentur hæc verba, (Hìc terminatur fratris Matthæi Parisiensis Monachi S. Albani Chronica,) & ibidem insinuatur ejus mors. Continuavit autem aliquis alius usque ad obitum Henrici tertii, id est, ad annum Domini 1273.

Observatio.

Hæc historia multa habet scitu digna. Præsertim de rebus Ecclesiasticis, de Concilio Lugdunensi, de dissidio inter Ecclesiam, & Imperium. Sed quoniam edita est ab hæreticis Tigurinis, cautè legenda est: non pauca enim leguntur tum in ipso libro, tum in notis marginalibus, quæ videntur addita ab hæreticis, ad invidiam conflandam Ecclesiæ Romanæ.

DISSERTATIO HISTORICA.

MATTHÆUS Parisiensis, Parisius, aut Paris dictus natione Anglus, ac Monachus in Cænobio S. Albani O. B. Congregationis Cluniacensis ut ferunt, scripsit notam cunctis

Historiam Anglicanam, quam primùm perduxit ab annò 1066. usque ad annum 1250. ipsemet deinde continuavit usque ad annum 1259. quo vivere desiit. Appendicem verò ignotus aliquis (sunt qui Guillelmum Rishanger vocitent ejusdem Cœnobii Monachum) adtexuit ad annum 1273. quo decessit Rex Anglorum Henricus III. Joannis sine terra dicti filius. Rogeri Wendoveri Historiam usque ad annum 1235. haberi in edito Matthæo Parisio, eique falsò tribui, inquit Jacobus Waræus extrema pag. 555. lib. 2. de Scriptoribus Hiberniæ.

Editio anno 1571. opera Matthæi Cantuariensis procurata Londini in Anglia, ac deinde Tigurinorum in Helvetia typis divulgata, non tantùm in suspicionem venit Baronio ad annum 996. Possevino in Apparatu Sacro, Bell. loco indicato, aliisque Orthodoxis, sed & ipse Brianus Thwinus libro tertio de Antiquitate Accademiæ Oxoniensis non usquequaque probat, ut monuit Vossius libro 2. de Historicis Latinis, cap. 58.

De posterioribus editionibus Anglicana & Parisiensi, additoque Glossario vocum obscurarum; ac Barbararum alius erit Deo bene favente, ac commodior suo tempore dicendi locus. Eas enim indicasse modo sufficiet.

SUPPLEMENTUM.

MATTHÆUS Paris, seu Parisius ad fanum D. Albani, quod olim Verolamium dicebatur, Ordinis D. Benedicti Monachus; liberalibus studiis ab adolescentia eruditus, animum studio Historiæ perpetim apposuit, cujus judicium varia ab eo posteritati suppeditata volumina, quæ tractantur omnium manibus. Extat ejus *Historia Major* juxta exemplar Londinense anni 1571. verbatim recusa tum Londini anno 1640. tum Parisiis anno 1644. in fol. apud Viduam Guillelmi Pelè via Jacobæa sub signo Crucis Aureæ, Londini denique iterum anno 1684. in folio. His autem ultimis editionibus accesserunt primùm, *Vita duorum Offarum Merciorum Regum, cum Vitis viginti trium Abbatum S. Albani*, una *cum libro additamentorum ad majorem Historiam* per eumdem Auctorem. Florebat anno 1250. & obiit eo anno quo Chronica finiebat, anno scilicet Salvatoris nostri 1256. Henrico III. Rege, sepultus in Ecclesia S. Albani. Sunt autem additamenta, si genuina sunt, inserenda suis locis, & tem-

temporibus, ut unum idemque opus cum Historia conficiant. Agunt de Matthæo Parisiensi Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 403. pag. 262. Bellarminus & Labbeus in sua Dissertatione *de iisdem Scriptoribus*.

De Martino Polono, 1250.

MARTINUS Polonus natione, Monachus professione, Archiepiscopus dignitate, & Pœnitentiarius Innocentii quarti Pontificis, scripsit *Chronicon*, in quo breviter res gestas Pontificum, & Imperatorum persequitur usque ad sua tempora, id est, usque ad Honorium quartum, qui sedere cœpit ad annum Domini 1285. quem auctorem in hoc meo libro non posuissem, nisi citaretur ab historicis Magdeburgensibus, atque ab aliis hæreticis: fuit enim Martinus vir simplex, & fabellas pro historiis obtrudit, qualis in primis est illa de Joanne Papa femina. Quod enim Magdeburgenses dicunt, hanc narrationem de Joanne femina haberi apud Marianum Scotum, & Sigebertum, qui Martinum Polonum præcesserunt, falsum est, ut ostendi in lib. 3. de Summo Pontifice cap. 24. nam in impressis codicibus Mariani, & Sigeberti irrepsit hæc fabula ex Martini Poloni libro: sed in antiquis manuscriptis non habetur.

Dissertatio Historica.

MARTINUS non tantùm nomine, sed etiam, ut creditur, natione Polonus, patria Corsulanus ex Ordine S. Dominici (errant enim qui Monachum Ordinis Cisterciensis cum Gaspare Jongelino in Purpura S. Bernardi, Carolo Vischio in Bibliotheca, aliisque aut Benedictinum, Scotumve, aut Italum affirmant) ex Pœnitentiario non Innocentii IV. Papæ, qui obiit anno 1254. ut excidit Bellarmino, & aliis, sed Nicolai III. qui Joanni XXI. successit ann. 1277. assumptus ad Archiepiscopatum non Cosentinum, aut Beneventanum, sed Gnesnensem in Polonia ab ipsò Nicolao III. anno 1278. die 10. Kalendas Julii Viterbii, cùm diu inter electos controversia durasset. Is verò cùm se itineri accinxisset, Bononiæ eodem illo anno è vita migravit, aut, ut alii volunt, seq. 1279. (*a*) sepultus in sui Ordinis Dominicani cœnobio.

Ipse verò ortam ex diversitate mss. codicum de fine *Chronici* illius sæpius editi controversiam, an scilicet anno 1251. an 1277. an 1320. desierit quod scrupulosius expendit Ger. Jo: Vossius, apertè definivit in Præfatione sua his verbis: Ego Frater Martinus Domini Papæ Pœnitentiarius & Capellanus ex diversis Chronicis, & gestis Summorum Pontificum, & Imperatorum præsens opusculum usque ad Joannem XXI. Papam deduxi inclusivè: cui anno 1277. prædictus Nicolaus III. successit. De eo Joannes Trithemius, Onuphrius, Bar. Poss. Antonius Senensis, qui claruisse anno 1320. mendosè asseruit, persuasitque tum aliis, tum Alf. Fer. in scriptoribus Prædicatoriæ Familiæ, qui etiam citat Annales Ecclesiasticos ad annum 1278. num. 22. Simlerus qui ex uno dat tres quatuorve, Bell. cap. 24. Controv. de Romano Pontifice, aliique qui de Fabula Joanne Papissæ scripserunt, ut omittam Platinam, Bugianum, Wionem, qui Scotum fingunt, & Benedictino Ordini Affinem cum Paulo Langio in Chronico Cizitensi, & Thoma Dempstero omnium fabularum in patriæ suæ gratiam consarcinatore, qui unum in duos dissecat, & insigni ἀκυρολογίᾳ laborat, quod illi familiarissimum est. Consulenda quoque moneo Elogia, & vitas Illustrium Poloniæ Scriptorum Simonis Staravolsci Poloni, donec plura liceat, si occasio se offerat, de eo observare. Suffridus Petrus Frisius anno 1574. edidit Antuerpiæ cum Annotationibus in 8. quod jam prodierat Basileæ anno 1559. cum Mariani Scoti Chronico, & alibi. Extat quoque Gallica Dialecto expressum, excusumque in folio per Antonium Verardum.

(*a*) Blondellus in Examine quæstionis de Joanna Papissa in duobus errat. I. Quòd Martinum illum Polonum Innocentii IV. Pœnitentiarium vocet. II. Quòd circa annum 1290. vivere desiisse contendat: quæ ut cætera alicujus momenti παρανόμματα, prætermisit annotare ejus adversarius Samuel Maresius, cujus hìc palmarem, aut inscitiam, aut impudentiam placet omnibus eruditis propalare. Ea habetur pag. 35. ubi de Guillelmo Bibliothecario auctore vitæ Hadriani II. Papæ hæc habet: Imò ex Guillelmo ipso liquet hoc assumentum esse ab aliena manu, & Jesuiticæ fraudi adscribendum: Etenim observat Guillelmus quod *cum Apostolicæ memoriæ Sanctissimus Papa Nicolaus rebus excessisset humanis, & iste impræsentiarum tertiò quintum, & vigesimum annum transiret* (hoc est annum 76. ætatis attigisset, ut verba ipsa sat apertè vel infantibus manifestant) *communi omnium consensu electus fuerit*. Erat igitur (en jecur Cratetis) Adrianus tantùm 28. annorum, aut circiter cùm electus est. Cùm autem Anastasius tribuat Nicolao annos 9. menses 2. dies 20. Benedicto verò annos 2. menses 6. dies 10. oporteret Adrianum fuisse jam tum papabilem, cùm demum excesserat ex ephebis, necdum annum 17. attigerat. Hæc cùm videas Lector, non exclames Maresianos labores illos esse, qui fatigationibus immensis, nec commoditates adferant aliis, nec auctori suo vel aliquantulum famæ, sed plurimum infamiæ conferant. Sicut, & alia quamplurima ejusdem commatis παραχάραγματα portentosissima, quæ aliàs castigabuntur à nobis Deo benè adjuvante. Hæc quin obiter.

Supplementum.

MARTINUS Polonus Ordinis Fratrum Prædicatorum, Factus Pœnitentiarius, & Capellanus Summorum Pontificum Joannis XXI. & Nicolai III. qui eum promovit ad Archiepiscopatum Gnesnensem, unde oriundus erat in Polonia. Quò dum contenderet, lapsus in morbum anno 1278. vel 1279. in Urbe Bononia obiit. Scripsit *Chronicon suum* ad annum 1277. ut ipse testatur in prologo, nec ultra progressus est. Impressum id variis locis, sed purgatum nugis Protestantium, & ad fidem insignis ms. codicis Martino coætanei, cum notis Suffridi Petri Leovardiensis, Coloniæ in fol. anno 1616. procurante Fabricio, cognomento Cæsare, Ordinis Præmonstratensis Canonico, ut notat Labbeus in prologo Cœnotaphii Joannæ Papissæ, & Severinus Binius in Notis post vitam Leonis Papæ IV. tom. 8. Conciliorum pag. 153. Qui plura cupit adeat Labbeum in opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Antonium Possevinum *in Apparatu Sacro*. Aubertus autem Miræus illum prætermisit, forsitan ob fabulas quibus scatet communiter hoc Chronicon, sed quas jam constat esse immissas ab Hæreticis nefario, atque ordinario ausu. Plura, sed incerta dat Ambrosius de Altamura in Bibliotheca Dominicana ad annum 1279. pagin. 48. & in Appendice pag. 445.

De Vincentio Bellovacensi. 1250.

VINCENTIUS Bellovacensis ex Ordine Prædicatorum, vixit tempore Innocentii IV. Pontificis. Scripsit opera laboriosissima, ac præsertim *quatuor specula*, *Doctrinale*, *Historiale*, *Naturale*, & *Morale*.

Doctrinale speculum continet lib. 17. & tractat de omnibus scientiis à Grammatica usque ad Theologiam.

Historiale speculum tradit historias ab initio mundi usque ad annum Domini 1244. sed continuavit aliquis alius usque ad annum Domini 1494.

Naturalem speculum continet libros 32. & tractat de rebus omnibus, herbis, avibus, &c. & in ultimo libro de locis, & temporibus, & sua tempora dicit fuisse anno Domini 1250.

Morale speculum continet libros tres, divisos in partes, & distinctiones & tractat de passionibus animi, de legibus, de gratia, de vitiis, & virtutibus copiosissimè. Obiit autem anno Domini 1256. teste Antonio Senensi in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum, qui Vasæum testem adducit.

De speculo morali, vide infra, ubi de S. Thomæ scriptis disserimus.

Dissertatio Historica.

VINCENTIUS, natione ut plerique volunt Burgundus ex Ordine Prædicatorum Bellovacensis dictus, non ab Episcopatu illius urbis, sed à frequenti dumtaxat in eadem commoratione, vixit sæculo Christi 13. obiitque ut perhibent passim recentiores post Masæum Chronologum à Joanne Vasæo omninò diversum, Chr. Ordinis Prædic. aliosque anno 1256. Nuper tamen cum alia occasione percurrerem Catalogum Scriptorum Prædicatoriæ Familiæ Alphonsi Fernandis, qui falsò Episcopum Belvacensem vocat, hæc observavi: obiit anno 1264. ut asserit Fr. Ferdinandus Castillus 1. parte lib. 2. cap. 69. decem annis antequam moreretur S. Thomas, è cujus doctrina, & scriptis aliquot Tractatus, quos in speculo Morali scripsit exhaurire, & transcribere potuit, cùm per quindecim annos integros ante obitum Fr. Vincentii Belvacensis jam Parisiis D. Thomas primariam Cathedram regeret, atque scribendis variis quæstionibus intenderet, quas limatas, & politiores postea in lucem edidit. De eo Henricus Gandavensis cap. 42. Catalogi, qui eum Episcopum non vocavit, quod fecere recentiores plerique conferto agmine ab aliis jam merito reprehensi, Martinus Polonus, S. Antoninus, Jo: Trithemius, Jacobus Phil. Bergomas, Raphael Volaterranus, Leander Albertus, Sixtus Senensis, Possevinus; aliique deinceps, quorum lapsus non persequar scrupulosius, in uno hærebo Miræo, qui in notis ad Henricum de Gandavo tribuit illi in primis Episcopatum Bellovacensem, de quo ne verbum quidem apud Bellarminum nostrum in editione anni 1617. deinde à Possevino delusus, aut à suo Molano in Bibliotheca mss. sive Sixto Senensi, pluribusque Dominicanis asserit liberalitate Philippi Valesii Gallorum Regis adjutum ad Speculorum quatuor, aliorumque librorum compositionem animum adjecisse: quod absurdissimum est, cùm Vincentius obierit vel Miræo ipso teste anno circiter Christi 1256. Philippus autem Valesius ab anno dumtaxat 1328. ad annum 1350. Francici regni habenas fuerit moderatus. In eamdem quoque foveam lapsus est supra memoratus Alphonsus Fernandez Hispanus Placentinus. Rectius dixissent à S. Ludo-A vico IX. Francorum Rege fuisse adjutum, cùm in ejus dumtaxat tempora inciderit (nam sub Ludovico VIII. Noni parente vixdum Dominicanum fuerat ingressus ordinem Vincentius, nec Philippi III. quem Audacem vocant, regnum vidit anno 1256. aut 1264. certè ante annum 1271. defunctus) Trithemius in prædicandis Vincentii laudibus fortasse nimius, cùm ait post se nondum habuisse parem, si ejus opera, ex multis laboriosè collecta æqua lance ponderemus, testatur petente, & sumptus ministrante Rege Francorum grande, & admirabile opus Speculorum, de omni, ut ita dicere liceat, re scibili in multis voluminibus comportasse: sed quis fuerit ille Francorum Rex omnino tacuit. Pri-B mus, quod hactenus adverterim Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ Philippum Valesium esse commentus est.

De quatuor ejus speculis *Doctrinali*, *Historiali*, quod ad annum usque 1254. porrigitur ab Anonymo continuatum usque ad 1494. *Naturali* atque *Morali*, de quo ambigunt nonnulli, rectè Bellarminus & Vossius, qui Gesnerum Wiceliumque redarguit, quamquam ipse pariter corrigendus, tum quòd Joannem Vasæum loco Christiani Masæi citet in eumdem cum Bellarmino lapsus errorem, tum quòd quinquennio post annum 1244. obiisse dicat, quem laudati ab eo Auctores, aliique usque ad annum vel 1256. vel 1264. vixisse contendunt. Certè idem Bel-C larminus ex naturali speculo refert Vincentium, ubi de Temporibus agit, & locis, sua tempora designasse anno Domini 1250. non 1244. ut Vossius; qua de re seorsim agendum erit: vix enim sibimetipsi consonare videtur variis in locis Vincentius: & nisi scrupulosius omnia ponderentur, facile est incautos in errorem induci. Hoc verò moneo tres præ cæteris quatuor Speculorum illorum editiones celebrari. I. Basileensem apud Joannem Amerbachium anno 1481. II. Venetam anno 1591. apud Dominicum Nicolenum. III. Anni 1624. Duacenam apud Bellerum hoc titulo præmunitam, *Bibliotheca mundi*, accurantibus Theologis O. B. Collegii Vedastini apud Duacenses. Notandum quoque arbi-D tror aliam fuisse Collectionis illius Vincentianæ Divisionem ex verbis Henrici Gandavensis cap. 42. supracitato: Vincentius ejusdem Ordinis dicitur scripsisse quoddam opus magni ingenii, & laboris, quod prætitulatur Triplex speculum, Historiale, Allegoricum, & Morale: ipsum Historiale non solùm per Sanctarum Scripturarum seriem, sed etiam per sæcularium Historiarum ordinem usque ad sua deducens tempora, multaque hinc inde proferens studiosis Lectoribus profutura. Hæc ille, unde discimus per Allegoricum specula duo quæ ab invicem disjungi solent Naturale, & Doctrinale, à Gandavensi fuisse intellecta: cùm tamen ipse Vincentius capite decimosexto Prologi mentem suam sat aper-E tis verbis exposuisset: ipsum opus universum, inquit, in quatuor partes principales tamquam in quatuor volumina perfecta, & à se invicem separata distinxi. Quarum una continet totam Historiam Naturalem: alia verò totam seriem Doctrinalem. Tertia verò totam eruditionem Moralem. Quarta totam Historiam Temporalem. Prima siquidem prosequitur naturam, & proprietatem omnium rerum. Secunda verò materiam, & ordinem omnium artium. Tertia proprietates, & actus omnium virtutum, & vitiorum. Quarta seriem omnium temporum, &c.

Præter quatuor ista specula scripsit & nonnulla alia, ex quibus perhibent: neque enim vidi, edita fuisse Basileæ ann. 1481. *Consolatorium de Morte amici ad Sanctum Ludovicum Francorum Regem*, sive de specialibus, generalibusque consolationis præceptis,

ceptis, & potissimùm in adversitatibus, quæ in amicorum morte versantur.

De Gratia Dei, sive *de Mysterio Redemptionis humanæ*, libros quatuor ex dictis Patrum concinnatos.

De Gestis, moribus, vita, ac laudibus B. Virginis Mariæ librum unum ex Authenticis Patrum dictis collectum, & alterum *de laudibus Sancti Joannis Evangelistæ*.

De eruditione puerorum Regalium (Regularium corruptè legitur apud Simlerum, & Possevinum) ad Margaritam Reginam Franciæ Sancti Ludovici conjugem: Quomodo, & in quibus libris Christiani potissimum sint instituendi.

Expectabit hìc fortasse Lector, ut vexatam toties ab eruditis controversiam, ipse quoque pertractem, an à Vincentio Bellovacensi S. Thomas, an Viceversà à S. Thoma Vincentius Quæstiones de Moribus, quæ in prima ac secunda secundæ, & in speculo Morali agitantur mutuatus sit. Ego sanè nullus dubito, quin ex Angelici Doctoris fontibus sua hauserit Vincentius quacumque id tandem ratione perfectum sit, in quam rem ne hìc actum agere videar, plura subministrabunt Sixtus, Bellarminus, S. Thomas Observatione tertia, Theophilus cùm Hoplothecæ pag. 254. tum Erotematum pag. 168. Et qui castigatione in nonnullis indiget Joannes Paulus Nazarius, dum adversus Cardinalem Bellarminum eruditè dubitationes proponentem acerbius quàm par erat, atque insolentius stylum exacuit, ut si opus fuerit haud ægrè alias demonstrabimus. (*a*)

(*a*) Ut ordiar ab eo, quem Bellarminus indicavit loco. Is habetur cap. 101. libri XXXII. Speculi naturalis: Eo tempore claruit in Ordine Fratrum Prædicatorum vita, doctrina, & miraculis B. Petrus Mediolanensis, quem etiam Innocentius Papa prædictus anno Pontificatus sui decimo, Christi æræ 1253. canonizavit. Rex autem Ludovicus de manu Saracenorum, licèt à multis ei dissuaderetur, maluit tamen adhuc differre passagium, & morari per aliquod tempus in regno Syriæ, quàm Christi negotium desperatum relinquere. Alfonsum verò Pictaviensem, & Carolum Andegavensem Comites videlicet fratres suos, ad matrem suam consolandam duxit in Franciam remittendos. Acta sunt hæc anno Domini 1250. regni verò Ludovici 24. Tum initio capitis sequentis 102. Ecce tempora ætatis sextæ usque ad annum præsentem summatim perstringendo auxiliante Deo descripsimus, qui est annus ab Incarnatione Domini 1250. à Creatione mundi 5222. Hic est annus Pontificatus Innocentii Quarti (omisit numerum ogdoadis librarius, aut Typotheta, unde tenebræ illæ quibus involvitur Joannes Paulus Nazarius opusculo primo) vacationis Imperii Romani scilicet à depositione Friderici Quintus, Regni verò Christianissimi nostri Regis Francorum videlicet Ludovici XIV. corrige 24. ut paulò ante absque mentione expressum legitur.

Hæc Tomo I. Vincentius; quibus non in omnibus quadrare videntur, quæ continentur Tomo IV. sive Speculo Historiali: ac primùm quidem c. 1012. libri XXXI. eadem fermè habet quæ ex capite 101. libri XXXIV. speculi Naturalis, modo retulimus de S. Ludovico, ejusque fratribus anno 1250. Regni Ludovici 24. ex Oriente in Galliam reversis, & capite 103. & 104. pluribus agit de S. Petro Mediolanensi Martyre, ejusque miraculis, ac Canonizatione facta anno Innocentii IV. Pontificis Decimo, deinde cap. 105. inquinatissima hæc subjiciuntur, quibus in fraudem reducti, plerique etiam eruditissimi viri fœdissimè hallucinati sunt. Ecce tempora sextæ ætatis usque ad præsentem annum summatim perstringendo descripsi, qui est annus Christianissimi Regis nostri Ludovici 18. imperii verò Friderici 35. Pontificatus autem Innocentii IV. secundus, qui est porrò ab Incarnatione Domini 1244. à creatione verò mundi 5206. &c. quæ ostendunt per incuriam, aut amanuensium aut ipsiusmet Vincentii, è proprio loco nimirum c. 152. libri XXX. avulsa ad calcem Libri XXXI. post condemnationem Friderici Imp. in Concilio Lugdunensi, profectionem S. Ludovici in Orientem, cædem & Canonizationem S. Petri Mediolanensis, ac similia quæ post annum 1244. omnium confessione contigerunt, fuisse rejecta. Quæ sequuntur usque ad annum 1486. & 1491. ex Chronicis novis fuisse addita narrantur, initio ducto à Pontificatu Innocentii IV. & Alexandri itidem IV. usque ad electionem, & coronationem Maximiliani Cæsaris Friderici Imp. filii in Regem Romanorum factam 10. Aprilis in Aquensi Civitate, ac Conventionem Principum Germaniæ Nurembergæ peractam anno 1491. Hujus Chronologicæ Appendicis cap. 2. hæc Auctore nostro leguntur: Vincentius Gallus, patria Burgundus, Belluacensis, Historicus, & Theologus Ordinis Prædicatorum frater, per hoc ipsum tempus claruit, & innumerabiles historias multis sub voluminibus comprehendit. Quatuor enim specula edidit de omni scibili materia, Doctrinale, Morale, Naturale, & Historiale: quod usque ad annum Domini 1254. perduxit. Atque alia multa composuit, videlicet librum Gratiæ, Librum de eruditione puerorum Regalium; & Consolatorium de morte amici; & quam maximè de laudibus Divæ, ac gloriosæ Virginis Mariæ tractatum celeberrimum edidit. Hæc ibi à nobis non omittenda.

De Reinero Placentino. 1250.

SUPPLEMENTUM.

REINERUS Sacconus Placentinus, Theologus Ordinis Fratrum Prædicatorum, floruit anno 1254. ut testatur Antonius Senensis in sua Bibliotheca ejusdem Ordinis, & scripsit *librum contra Waldenses Hæreticos*, quem integrè Jacobus Gretserus ex ms. Cod. primum eruit, & cum aliis ejusdem argumenti anno 1614. Ingolstadii in 4. edidit. Scripserunt autem adversus eosdem Waldenses *Eberardus Bethuniensis* ab Henrico Gandavensi cap. 60. memoratus, *Bernardus* Abbas Fontis Calidi Ordinis Præmonstratensis, & *Hermengardus*, quos idem qui suprà Gretserus edidit, unde postea transierunt in Bibliothecam Sanctorum Patrum editionis Coloniensis anni 1618. & Lugdunensis 1677. Incertum quonam anno præcisè floruerint, aut vixerint, sed ab anno circiter 1220. ad 1260. nec mihi aliud rescire licuit.

De Jordano de Saxonia.

SUPPLEMENTUM.

JORDANUS De Saxonia secundus Generalis Præpositus Ordinis Fratrum Prædicatorum, successit Sancto Dominico anno 1221. in Regimine Ordinis, quem sanctis moribus, atque institutis illustravit. Scripsit librum *de Origine sui Ordinis* impressum Romæ anno 1587. cum Notis Antonii Maffei Salernitani. Itemque *Historiam translationis Corporis S. Dominici*, quam inseruit suis Annalibus Abraham Bzovius Dominicanus anno 1233. num. 5. Hic cautè distinguendus est ab altero Jordano de Quedelingeburg etiam Saxone, sed Augustiniano Eremita, de quo nos loquemur postea. Leander Albertus scripsit hujus Jordani vitam quam retulit Surius ad diem 13. Februarii, sed consule S. Antoninum tit. 23. Jacobum

A bum Bergomensem in supplemento Chronicorum, Ferdinandum in Historia Fratrum Prædicatorum centuria 1. Bzovium, & Spondanum in Annalibus, Gerardum Joannem Vossium de Historicis Latinis, Bollandum in probatis SS. Vitis ad diem 13. Februarii, ubi plurima ad laudem Jordani istius leguntur.

De Bernardo de Compostella. 1250.

SUPPLEMENTUM.

BERNARDUS DE COMPOSTELLA in Gallecia, Presbyter hujus Ecclesiæ & Sacrorum Custos, floruit anno circiter 1250. Charissimus Innocentio IV. Summo Pontifici, cujus Sacellanus fuit.
B Scripsit opus inscriptum, *Diplomata Summorum Pontificum & Antiquorum Hispaniæ Regum*, quod edidit Ambrosius Morales, posteà immissum in 4. volumen collectanei quod appellatur *Hispania Illustrata*. *Notabilia & casus super* 5. *libros Decretalium Magistri Bernardi Compostellani quinque libris contenta*, mss. in Bibliotheca majoris Ecclesiæ Cameracensis, sed prodierunt Argentorati anno 1498. & Norimbergæ anno 1493. Ejus verò *Lectura in* 1. *librum Decretalium* cum Apostillis Antonii de Crevant, edita in 4. Parisiis anno 1516. Plura apud Possevinum in suo Apparatu Sacro.

C

De Joanne De Deo. 1250.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES DE DEO Hispanus, Doctor in Decretis, Professor olim & Canonicus Urbis Bononiensis, scripsit anno 1247. *insigne Pœnitentiale ad usum Ecclesiæ Bononiensis, imò & totius Ecclesiæ*, quod ms. asservat apud se D. Blasius Ferronius Carnotensis Canonicus & Doctor Sorbonicus. Idem opus extat ms. Cantabrigiæ in Anglia in Bibliotheca publica cod. 118. cum *Pœnitentiali Raymundi de Pennaforti*, & altero *Roberti Grossetefte Lincolniensis Episcopi*, qui omnes eodem tempore vivebant & scribebant.

D

De Pantaleone Constantinopolitano. 1250.

SUPPLEMENTUM.

PANTALEO Diaconus Constantinopolitanus scripsit anno 1252. in gratiam Latinorum, *Tractatum contra Græcorum errores de processione Spiritus Sancti & Animabus Defunctorum, de Azymis & Fermentato, de Obedientia quæ debetur Ecclesiæ Romanæ*, editum Constantinopoli in ædibus Fratrum Prædicatorum anno 1252. ut habet ms. Codex Bibliothecæ Bavaricæ, unde versus in Latinam linguam habetur in Bibliotheca SS. Patrum novissimæ editionis
E Lugdunensis anni 1677. apud Anissonios sæculo 14. pag. 321. Habetur etiam Latinè impressus à Petro Stevartio Leodiensi anno 1616. Ingolstadii in 4. pagina 535. Auctarii seu Appendicis ad antiquas lectiones Canisii. Florebat autem eodem tempore cum Joanne Vecco seu Becco, unde idem hic mihi videtur Pantaleo Diaconus & Cartophilax Magnæ Ecclesiæ, cujus extant varii Sermones partim ab aliis editi, partim non editi. Extant hujus Diaconi, *in sancta Luvina idest de Christo Domino & Joanne Baptista & in dominicam Transfigurationem* Sermones duo, quos Græcè & Latinè produxit Franciscus Combefis ex ms. Regio, in Auctario suo ad Bibliothecam SS. Patrum, quod editum in fol. duobus tomis Parisiis anno 1648. Item *laudatio sancti Michaelis Archangeli*, cui & narratio de Miraculis ejusdem annectitur, apud Lipomanum & Surium, atque in Bibliotheca SS. PP. Concionatoria. Huic etiam lubens adscriberem Sermonem *in festum Exaltationis sanctæ Crucis* editum Græcè & Latinè à Jacobo Gretsero tom. 2. de Cruce. Quamvis enim auctor dicatur Presbyter Monasterii Bizantinorum, hoc non impedit quominus ad eumdem Pantaleonem Diaconum pertineat, qui alia atque alia Opera partim Diaconus, partim Presbyter conscripserit. Ita sentit mecum Franciscus Combefis in Apparatu seu Auctoribus recensitis ante Bibliothecam SS. Patrum Concionatoriam, verbo *Pantaleon*: Unde multùm errant Margarinus & Colonienses qui eum Pantaleonem sæculo VII. & Coccius qui anno DCCCL. assignant.

De Alexio Aristino. 1250.

SUPPLEMENTUM.

ALEXIUS ARISTINUS Græcus floruit anno 1254. & scripsit *Synopsim Canonum Ecclesiasticorum*, quam Græcè & Latinè editam habes tomo 2. Bibliothecæ Juris Canonici veteris, apud Ludovicum Billaine Parisiis in folio anno 1661. De illo plura Justellus in præfatione seu præludiis, quem adeas.

De Alberto Stadensi. 1250.

SUPPLEMENTUM.

ALBERTUS Stadensis Abbas Ordinis Divi Benedicti in Archiepiscopatu Bremensi, allaboravit anno 1234. ad inducendam in Abbatiam suam Ordinis Cisterciensis Observantiam, atque eam ob rem anno 1236. obtinuit Bullam à Gregorio IX. Summo Pontifice: quam cùm non potuisset executioni mandare, Fratribus renitentibus, transiit anno 1240. ad Ordinem Fratrum Minorum, ex voto perfectioris vitæ. Hic *Chronicon* scripsit ad annum 1256. quod ex ms. Codice Henrici Ranzovii Helmenstadiensis edidit Reinerus Reineccius anno 1587. cum notis cautissimè legendis ob justam suspicionem Auctoris. Videas Lucam Vvadingum *in Bibliotheca Ordinis Minorum*, pag. 6. cum aliis.

De Guillelmo de S. Amore. 1260.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS *de Sancto Amore* dictus, ab Oppido unde oriundus erat in Burgundia Sequana seu Comitatu Burgundiæ, Doctor Parisiensis, infensus, Mendicantium Ordinibus, dum in Ecclesia nascebantur, à quibus in odii compensationem summus audiit Hæreticus. Scripsit varia opuscula, impressa in 4. Constantiæ ad Rhenum anno 1632. sed verè quidem ex charactere impressionis impressa Parisiis, ubi prostant. Sunt autem *Commentarius in Psalmum primum*, pag. 1.

Concio de Publicano & Pharisæo, pag. 7.

De periculis novissimorum temporum adversus mendicantes Ordines, pag. 16.

Quæstio unica de quantitate Eleemosynæ, utrum liceat homini dare quidquid habet, ita quòd sibi nihil retineat & mendicet, pag. 73.

Quæstio unica de valido mendicante, utrum debeamus dare Eleemosynam valido mendicanti, si sit pauper, pag. 80.

Casus & articuli super quibus accusatus Magister Guillelmus

lelmus de sancto Amore à Fratribus Prædicatoribus, pag. 88.

Collectiones Catholicæ & canonicæ ad Clementem IV. Summum Pontificem anno 1266. delatæ, ad defensionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ & ad instructionem & præparationem simplicium Christi Fidelium, contra pericula imminentia Ecclesiæ Universali per Hyppocritas, Pseudo-Prædicatores, & penetrantes Domos, & otiosos & curiosos & gyrovagos à pag. 111. *ad* 487.

Tabula de signis, per quæ Pseudo-Prædicatores discerni possunt à veris, pag. 487.

Sermo Magistri Guillelmi de sancto Amore in die Sanctorum Apostolorum Jacobi & Philippi, pag. 491.

A Claruit anno 1260. & sequentibus ac præcedentibus, de quo qui plura cupit, inveniet plurima in B Historia Universitatis Parisiensis sæculo 13. maximè ob contestationes atroces quas habuit cum Ordinibus Mendicantibus FF. Prædicatorum & Minorum, ubi ad longum deductæ sunt.

De Matthæo Vindocinensi. 1260.

SUPPLEMENTUM.

MATTHÆUS Vindocinensis dictus eò quòd ex hoc oppido esset oriundus, Abbas erat sancti Dionysii in Francia anno 1260. mense Octobri, ut est in veteri Regesto Parlamenti. Fuit Charissimus S. Ludovico Regi, quem idcircò, uti ne- C gotiorum in Republica gravioris momenti gerendorum summopere peritum cum aliis Proceribus Moderatorem Regni constituit. Custos Regni vocatur apud Guillelmum Nangium, & Regis locum tenens cum in partibus transmarinis ageret. Præterea testamenti sui executor ab eodem sancto Ludovico declaratur Diplomate anni 1269. Scripsit inter assiduas negotiorum curas, *Historiam sancti Tobiæ carmine eleganti*, oblatam Bartholomæo Vindocinensi Archiepiscopo Turonensi, quam Joannes Heringius J. C. & Syndicus Bremensis evulgavit Bremæ anno 1642. in 8. & ante eum Basileæ Joannes Heroldus Germanus anno 1563. appellans in præfatione sua *Libellum verè aureum, cujus non solùm versus singuli, ve-* D *rùm etiam unumquodque verbum Sententia selectior, & testimonium aliquod singulare æstimandum est*. Extat mss. Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caii cod. 76. aliudque ejusdem Matthæi opusculum *de doctrina versificandi* in Collegio Domus S. Petri cod. 5. & *Æquivoca* ibidem cod. 202. Mortuus est anno 1286. die 25. Septembris, de quo plura Fratres Sammarthani tom. 4. Galliæ Christianæ pag. 336. dum de Abbatibus sancti Dionysii in Francia.

De S. Ludovico IX. Rege Francorum. 1260.

SUPPLEMENTUM.

E SANCTUS LUDOVICUS, IX. nomine Rex Francorum, floruit ab anno 1226. multis susceptis laboribus & expeditionibus ad Christianos conservandos in fide apud Orientales & Africanos. Edidit *aliquas Constitutiones* Rex sanctissimus, quæ habentur in tomis Conciliorum ultimæ Parisiensis editionis anni 1671. Item *documenta salutaria & testamentum*, quæ omnia habentur in collectaneo veterum Historiæ Gallicæ Scriptorum Andreæ Duchesnii, &c. Obiit anno 1270. die 25. Augusti propè Tunetum in Africa unde Corpus in Galliam postea relatum est, & in Ecclesia sancti Dionysii conditum.

De Guillelmo de Brocia. 1260.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS DE BROCIA, Gallicè de Brosse, tertius nomine Senonensium Archiepiscopus, Bernardo IV. Vice-Comite Brociæ, ex nobilissima Vice-Comitum Lemovicensium prosapia oriundus, cùm esset propter eximias doctrinæ & morum dotes laudatissimus, ex Canonico Senonensi, Officialis, Celerarii, Præcentoris & Decani muneribus egregiè fungitur. Postremò meritis exposcentibus, anno 1258. Archiepiscopus ab Alexandro Papa consecratur. Transmisit autem nomen suum ad posteros grandi opere mss. in Bibliotheca Colbertina voluminibus in fol. quatuor, codd. 1146. 1147. 1148. 1149. quorum titulus: *Summa de virtutibus & vitiis Guillelmi de Brocia Archiepiscopi Senonensis*. Hujus temporibus Fratres Mathurini in Castro Regio Fontis-Bellæaquæ fundantur, Institutore sancto Rege Ludovico, Metropolitano assensum præbente, ut patet ex Instrumentis desuper confectis anno 1259. Itaque cum Guillelmus longa jam ætate confectus, Episcopali functioni minus idoneus videretur, Pontificium onus Petro de Chamiaco transmisit an. 1267. & in secessu apud Brinonium, animam Domino reddidit anno 1269. die 8. Februarii, tumulatus ante Majus Altare sancti Stephani ad latus Evangelii, cum hoc monumento,

De Brocia natus est hic Guillelmus humatus,
Munere multiplici debet sua laus pia dici:
Sine sorde vili crescens ex Officiali,
Fit Celerarius, Senonis ille prius:
Paulò post idem datus est Præcentor ibidem,
Inde Decanatum tenuit, post Pontificatum,
M Sexageno nono cum C bis in anno,
Tertia dum colitur Agathæ Lux, hic sepelitur:

Ita Sammarthani Fratres in Gallia Christiana dum *de Senonensibus Archiepiscopis* tom. 1. pag. 639. quos hic ad verbum expressimus.

De Benedicto Massiliensi. 1260.

SUPPLEMENTUM.

BENEDICTUS post Petrum de Montlaur creatus Massiliensis Episcopus anno 1229. quo anno à Romano Cardinale S. Angeli, Legato Summi Pontificis, committitur arbiter 3. Kal. Februarii, controversiæ quæ intercesserat inter Massilienses & Communiam Civitatis ex una parte, Comitales ac sancti Victoris Cœnobium ex altera: cùm illi Vice-Comitum jurisdictionem penitus extinguere decrevissent, isti tuerentur partem quæ ad eos spectabat cessione Roncelini Vice-Comitis. At Massilienses cùm per vim bona Abbatiæ detinerent, à Pontifice Interdicto & Excommunicatione mulctati, tandem Benedicti prudentia cùm Ablata Cœnobio restitui curavisset, ac nihilominus Dominium jurisdictionis ad urbem transmisisset, consentiente Abbate sancti Victoris & Monachis, publicam absolutionem Massiliensibus indulsit in cimeterio Ecclesiæ Majoris, adstantibus Joanne Tolonensi, & Rostagno Rejensi Episcopis. Anno 1230. pollicitus est Joanni Episcopo Tolonensi, se non initurum pacem cum inferiori Villa Massiliensi Vice-Comitali, donec ipsi restituerent omne damnum, scripto dato Massiliæ in Castro Episcopi: cui Vuillelmus de Signa Abbas hoc Castrum vendidit, pretio 300. Solidorum Regalium, ex Ar-

ex Archivis Capituli. Porrò sese nuncupat Episcopum & Dominum Massiliæ anno 1233. 4. Kalendas Martii, in quadam Carta Carthusianorum Montis-Rivi. Arbiter quoque deligitur anno 1243. in causa Raymundi Comitis Tolosani, cum Syndicis Massiliensibus. Cùm verò Raymundus Berengarius Provinciæ Comes, in animum induxisset Massiliam suæ potestati subjicere, usus est Benedicto Episcopo ut id negotium ad exitum perduceret, à quo viginti duo mille quingentos solidos coronatos mutuatus est. Episcopus ergo simulans se velle emere Urbis Jurisdictionem, idque è re civitatis esse Consulibus cùm proposuisset: illi suæ libertatis appetentissimi, Præsulem quem antea summo honore coluerant, odio persequi cœperunt, & inde enatum bellum quod ab anno 1237. ad 1243. gestum est, fusiusque narratur in publicis Ecclesiæ & Urbis Massiliensis Tabulis. Ita Sammarthani Fratres *in Gallia Christiana* verbotenus tom. 3. pag. 661. Hujus in Biblioth. Colbertina mſ. Codex num. 1454. inscriptus: *Fratris Benedicti Episcopi Massiliensis Tractatus fidei contra diversos errores, super titulo De Summa Trinitate & fide Catholica in Decretalibus.* Pertæsus postea Benedictus Massiliensium sibi infensorum, quorum iratos animos compescere non potuit, deposito Episcopatu ingressus est Ordinem Franciscanorum, amplexatus eorum in paupertate divitias, ut tradit antiquus Codex mſ. Contigit id circa annum 1254. assumpto in successorem altero Benedicto de Alignano, quem fuisse ei & nomine & sanguine proximum suspicor, licèt destituar idoneis ad id stabiliendum instrumentis. Vixit circiter usque ad annum 1270.

De Joanne Gualensi. 1260.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES GUALENSIS seu VVALLENSIS, Anglicè Vvalleis, Philosophus ac Theologus Ordinis Fratrum Minorum, claruit anno 1260. & seqq. Scripsit multa, quorum aliqua impressa sunt, alia latitant adhuc in Bibliothecis potissimùm Anglicanis: qui in Gymnasio Parisiensi docens, Arbor vitæ appellatus est, fuitque etiam Nobilis Jurisconsultus. Antonius Augustinus Tarraconensis in Hispania Archiepiscopus collegit anno 1575. *antiquas Collectiones Epistolarum Decretalium Romanorum Pontificum* Ilerdæ impressas in folio anno 1576. & postea Parisiis anno 1609. apud Sebastianum Cramoisy, quorum prima est Bernardi Circa Papiensis, secunda *Joannis Gualensis* seu *Vvallensis*, tertia Petri Beneventani, quarta & ultima Auctoris Anonymi, ut docet Augustinus in suo Prologo. Scripsit idem *Gualensis Margaritam Doctorum* seu *Communes locos ad omnium generum argumenta*, sive Summam *de Regimine Vitæ humanæ ac de statibus omnium hominum*, quæ Lugduni in folio edita est anno 1511. Idem *Ordinarium* sive *Alphabetum Vitæ Religiosæ*, cujus prima pars *Dietarium*, secunda *Locarium*, tertia *Itinerarium*, quod primò Venetiis, deinde Lugduni anno 1511. prodiit. Item *breviloquium de Philosophiæ dignitate & ejus abusione ac de scientia Sanctorum. Breviloquium de quatuor virtutibus Cardinalibus antiquorum Philosophorum & principum. Compendiloquium de Vitis illustrium Philosophorum*, quæ omnia ibidem anno eodem emissa sunt in lucem. Atque opinor hæc opera impressa, esse omnino eadem cum mſſ. variis Anglicanis, quibus aliis utcumque titulis adscripta sunt, quæ sub nomine Joannis Gualensis habentur. Ita in Bibliotheca Balliolensi Oxonii cod. 235. & Orialensi cod. 28. *Compendiloquium atque Breviloquium*, Cantabrigiæ in

A Collegio sancti Benedicti cod. 297. *Floriloquium Philosophorum*, in Bibliotheca Penbrochiana cod. 123. & Domus sancti Petri cod. 12. & 18. *Summa Collectionum Fratris Joannis Gualensis Ordinis FF. Minorum*, & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 33. *Frater Joannes Vvallensis de Republica*, videntur mihi ad aliquod opus ex impressis citatis spectare. Sed mſ. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus S. Petri cod. 89. inscriptum *Summa Justitiæ vel Tractatus de septem vitiis Joannis Gualensis*, cujus initium *Summa Justitiæ, &c.* potest esse aliud opus à prædictis: licèt affirmare nolim, possintque experiri & conferre qui habent opera impressa Joannis Gualensis seu Vvallensis. Porrò *Summa Collationum ejus* prodiit Parisiis anno
B 1561. quæ an speciale opus ab prædictis, examinari potest. Ibidem pariter cod. 12. *Expositiones Fabularum Ovidii* per eumdem, quod opus speciale est: at illæ impressæ sunt Parisiis anno 1509. apud Judocum Badium Ascensium, inscriptæ, *moralitates in libros Metamorphoseon Ovidii*. Vide Possevinum in Apparatu Sacro, verbo *Joannes Gualensis* pag. 878. & verbo *Joannes Valeis sive Valensis* pagina 951. Lucam Vvadingum *in Bibliotheca Fratrum Minorum*, pagina 209.

De Guiberto Tornacensi. 1260.

SUPPLEMENTUM.

C GUIBERTUS Tornacensis, Ordinis Minorum, celebris suo tempore Theologus Parisiensis, florebat anno 1260. & seqq. Scripsit jussu Joannis Tornacensis Episcopi *Vitam S. Eleutherii primi Tornacensium Apostoli*, quam edidit Joannes Bollandus in probatis Sanctorum Vitis ad diem 20. Februarii. Item scripsit *opus Sermonum de tempore & de Sanctis*, quod vidi mſ. in Bibliotheca Alnensi Ordinis Cisterciensis juxta Thuvinum in Belgio, extatque etiam mſ. Cantabrigiæ in Collegio Domus sancti Petri codd. 63. & 87. ubi perperam appellatur *Gilbertus de Torreno & Guibertus de Tornadia*: sed olim sunt impressi Parisiis anno 1518. in 8. Item Tractatum
D *De officio Episcopi & Ecclesiæ Cæremoniis, &* opusculum *De pace & tranquillitate animi*, quæ habentur sæculo 13. Bibliothecæ SS. Patrum editionis Coloniensis anni 1618. & Lugdunensis anni 1677. apud Anissonios. Hujus mentionem facit Henricus Gandavensis in opere suo De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 54. affirmans eum scripsisse *Hodæporicon primæ profectionis piæ memoriæ Domini Ludovici Regis Francorum ad transmarinas partes*: quod opus intercidit vel alicubi etiamnum latet. Plura Miræus in Scholio ad dictum caput Henrici Gandavensis.

De Henrico Card. Episcopo Hostiensi. 1261.

E HENRICUS natione Gallus hortatu Alexandri Papæ quarti scripsit *in epistolas decretales* accuratam expositionem. Scripsit celebrem *summam* multa eruditione canonica plenam. Hic ab Urbano Papa quarto Card. Episcopus Hostiensis creatus, vixit usque ad annum Domini 1281.

DISSERTATIO HISTORICA.

HENRICUS, Segusinus, sive de Secusia in Subalpinis oppido ex Trithemio Archiepisc. Ebrodunensis S. R. E. Cardinalis & Hostiensis Episcopus ab Urbano Papa IV. anno 1262. creatus, vixit usque ad annum 1281. vel ut alii 1267. dumtaxat, quo die 6. Novembris Lugduni obiit, ibidem conditus,

ditus, apud Dominicanos. De eo plura Theophilus in Indiculo SS. Lugdunensium, & qui de Cardinalibus scripserunt.

Summa ejus multa eruditione referta, ab erroribus præcedentium editionum expurgata, & annotationibus illustrata, excusa est Basileæ in folio anno 1573.

Expositio in Epistolas Decretales, jussu Alexandri IV. Papæ scripta. Forsterus ait id proprium sibi sumpsisse, ut Innocentii IV. Papæ opiniones duras reprobaret.

De Guidone Papa. 1265.

GUIDO Grossus patria Narbonensis, qui postea fuit Clemens Papa quartus, dum in minoribus esset, scripsit *plurima ad Jus civile pertinentia*, cujus juris consultissimus erat. Scripsit etiam *in primum, & secundum Decretalium*. Obiit anno Domini 1268. piè, & sanctè, ut semper vixerat.

Dissertatio Historica.

GUIDO Grossus, seu Fulcodius dictus ex oppido Sancti Ægidii in Narbonensi Provincia oriundus, Pontifex Romanus assumpto Clementis IV. nomine sedit per annos tres, menses novem, & dies 2. ab anno 1265. ad 1268. quo obiit Viterbii die 29. Novembris, & sepultus ibidem in æde FF. Prædicatorum, celebri Epitaphio adscripto Leoninis versibus, quod plerique descripserunt. De eo plura, præter eos, qui Pontificum vitas scripserunt, suggeret R. P. Claudius Clemens Soc. Jesu Theologus in ejus vita Lugduni 1624. impressa, Bibliotheca Pontificia, Nomenclator Cardinalium, Frizonus, Auberius, aliique.

Extant in pluribus Bibliothecis mſ. ejus Epistolæ (*a*) ex quibus nonnullæ in continuatione Annalium Ecclesiasticorum Bzovii, Spondani, Odolrici, Wadingi, & aliis locis editæ sunt. Cætera ejus scripta arbitror adhuc delitescere in tenebris, quæque ei à Bellarmino, Miræo, aliisque supposita sunt in jus utrumque Pontificium, ac Cæsareum Commentaria, non hujus profectò sunt Guidonis Grossi, postea Clementis Papæ IV. sed alterius jurisconsulti celeberrimi, qui Guido-Papa proprio nomine vocabatur, perque mirum mihi accidit viros eruditos in tam gravi hallucinatione tamdiù hæsisse. Certè vel solæ decisiones Parlamenti Delphinatis tantò post Clementis Papæ IV. mortem erecti, & mentio laicorum Duci Sabaudiæ subditorum, ac similia non difficilè poterant tenebras omnes dispellere. Ubi verò decisiones illæ, aliaque Guidonis Papæ opera typis commissa fuerint docebit te vel Possevinus in Apparatu, vel unde caput illud transcripsit, Bibliotheca Simleri à Jacobo Frisio tertia editione plurimum locupletata. Cæterum in hoc castiganda mihi videtur, quòd asserat Clementis Papæ IV. sermonem contra Ludovicum Bavarum in folio mſ. esse in Bibliotheca Imperatoris, qui error in Pontificiam quoque proserpsit. Verùm necdum natus erat Ludovicus Bavarus cùm ad Beatam vitam Clemens IV. transiit. Imposuit amanuensis malè feriatus, qui VI. in IV. levi calami lapsu commutavit. Vix hæc scripseram cùm Bibliothecam nostram perlustranti occurrit mihi vetus codex Gothicis characteribus anno 1517. in Lugdunensi urbe excusus hoc titulo: *Lectura singularis & aurea Domini Guidonis Papæ Consulis Dalphinalis super Decretales cum repertorio Joannis Thierrii Lingonensis Jurium interpretis*. Paulò post dicitur, Consiliarius Parlamenti Dalphinalis &c. floruit verò ab an. 1427. ad 1483.

Cùm quæ supra observavimus, scripta fuissent à nobis typisque excusa incidit in manus meas Jo: Andreæ Quenstedtii Matæologi Witebergensis, ac Lutherani crassissimi Rhapsodia, seu Dialogus de Patriis virorum illustrium, in quo pag. 59. hæc obiter annotavi castigatione dignissima: Guido patria Narbonensis fuit, qui Consiliarius in Parlamento Delphinatus primùm, post Papa Romanus, Clemens IV. dictus est. Atqui certissimum est longè post Clementis IV. obitum, erectum fuisse à Regibus nostris Parlamentum Delphinatus, neque sub sancto Ludovico, sed sub Philippo Rege Catholico transiisse in jura Galliæ nobilem illum Principatum, à quo Regum nostrorum Primogeniti titulum sibi, nomenque adsciscunt.

(*a*) Una ex iis ad Guidonem Grossum Archiepiscopum Narbonensem data anno 1268. Viterbii 5. Kal. Novembr. edita apparet pag. 973. editionis Latinè Edmundi Aubertini.

De Roberto Sorbona. 1265.

ROBERTUS Sorbona tempore sancti Ludovici Regis Francorum, vir multæ doctrinæ, & pietatis, quique Collegium Sorbonæ toto orbe celeberrimum Parisiis instituisse dicitur. Scripsit *opuscula nonnulla*, ut de *Conscientia*, *De Confessione*, *De itinere ad Paradisum*, quæ extant tom. 5. Bibliothecæ sanctorum Patrum edit. 2.

Dissertatio Historica.

ROBERTUS, seu Rupertus à natali vico de Sorbona cognomen adeptus, vir sua ætate eruditus, S. Ludovico Francorum Regi IX. acceptissimus, & ut quidam volunt à sacris Confessionibus, seu pœnitentiarum Oeconomus, certè Clericus Regius, & Canonicus primùm Svessionensis, tum Beatæ Virginis Mariæ Parisiensis, prima Sorbonici Collegii fundamenta Lutetiæ jecisse dicitur circa annum 1252. quo maximè florebat. De anno mortis ejus mihi nihil compertum: vixisse usque ad annum 1271. declarat Testamentum Gerardi de Abbatis Villa Archidiaconi Ecclesiæ Ambianensis in Pontino factum die Lunæ post inventionem B. Firmini Martyris &c. primus enim inter tres Executores Testamentarios nominatur. De eo Joannes de Jovisvilla Campaniæ Senescallus in vita S. Ludovici vernaculè scripta. Joannes Tillius in Chronico, Henricus Spondanus ad annum 1253. atque ut alios in præsens omittam Margarinus Bignæus Tomo IV. Bibliothecæ Veterum Patrum, cui inserta sunt tria ejusdem Roberti opuscula quæ pietatem potius, quàm eloquentiam aut elegantiam præferant. *I. De Conscientia. II. De Confessione. III. Iter Paradisi inscriptum.*

Guillemus Duvallius refert anno 1263. S. Ludovicum Regem concessisse Roberto de Sorbona quasdam domos in vico Latomorum ad opus Congregationis pauperum Magistrorum Parisiis in Theologia studentium.

De Alberto Magno. 1265.

ALBERTUS ob sapientiam singularem cognomento Magnus, natione Svevus, professione Religiosus Ordinis sancti Dominici, dignitate Episcopus Ratisponensis, ad quam dignitatem ab Urbano IV. Pontifice assumptus fuit. Scripsit plurima opera tum Philosophica, tum Theologica, ac omissis philosophicis, extat *summa Theologiæ*, sed imperfecta. *Commentaria in libros sententiarum. Commentaria in* 12. *Prophetas minores. Commentaria in quatuor* Evan-

Evangelia. De quatuor coævis liber unus. De virtutibus liber unus. De adhærendo Deo liber unus. Compendium Theologicæ veritatis lib. 7. Enchiridion de veris, perfectisque virtutibus.

Multo plura tribuuntur Alberto à venerabili Patre F. Antonio Senensi in Bibliotheca Prædicatorum, & aliis, quæ, an extent, ignoro. Obiit autem Magnus Albertus anno Domini 1280.

Observatio.

Inscribuntur libri duo, unus de mirabilibus, & alter de secretis mulierum, Magno Alberto. Sed uterque liber indignus est, qui tanto Viro tribuatur: nam superstitiosa quædam continent, & multa vana.

DISSERTATIO HISTORICA.

ALBERTUS Magnus, Lavingæ apud Svevos ex nobilissima Dynastarum Bolstatensium familia natus in Prædicatorum ordinem adscriptus anno 1221. discipulos inter alios habuit Sanctum Thomam Aquinatem, & Thomam Cantipratensem. Dein creatus ab Urbano IV. Papa Ratisbonensis ad Danubium in Germania Episcopus (*a*) anno 1260. prioris otii studio, & litterarum amore dilectam sibi Coloniam Agrippinam rediit ubi ætatis anno 87. (qui anno 1205. non 1093. natum volunt annos dumtaxat 75. vixisse fatebuntur) Christi 1280. 15. Novembris obiit eruditione, ac pietate præstantissimus, ibidemque sepultus est. Meminerunt ejus Henricus Gandavensis, qui eodem vivebat tempore cap. 43. de Viris Illustribus. Rodulfus Noviomagensis, Joannes Trithemius (qui addit: Et non surrexit post eum vir similis ei, qui in omnibus litteris, scientiis, & rebus tam doctus, eruditus, & expertus fuerit. Quòd autem de Necromantia accusatur, injuriam patitur vir Deo dilectus) Joannes Antonius Flaminius, Antonius Senensis, Matthæus Raderus Soc. Jesu, Petrus Prussiensis (*b*) in ejus vita, ut omittam Bellarm. Possevin. Vossium, Bzovium, Spondanum, Odolricum, aliosque.

Pleraque ejus opera, quis enim omnia vel numeraverit? Lugduni anno 1651. edita sunt XXI. Tomis in folio studio, ac labore Petri Jammy S. T. D. ejusdem Ordinis Prædicatorum. Sed optandum fuerat, nec immeritò conquerimur, ut qui editioni illi præfuit, & Bibliothecas unde mss. Codices eruti sunt, & officinas, unde primùm in lucem publicam prodierunt, designasset, censuramque de veris spuriisque Alberti operibus ad majorem studiosi lectoris opportunitatem, vel in limine totius Collectionis, vel saltem in fronte cujuslibet operis non omisisset, imitatus Lucam Vadingum, qui Joannis Duns Scoti opera edidit, & accuratè recensuit.

Tomo I. continentur.

Vita B. Alberti Magni. De Prædicabilibus lib. 1. De decem Prædicamentis lib. 1. De sex Principiis lib. 1. De interpretatione lib. 2. De syllogismo simpliciter, idest Priorum Analyticorum lib. 2. De Demonstratione, idest Posteriorum Analyticorum lib. 2. Topicorum lib. 8. De Sophisticis Elenchis libri duo.

Tomo II. continentur.

De Physico auditu libri octo. De Cœlo & mundo libri 4. De Generatione, & Corruptione lib. 2. De Meteoris lib. 4. De Mineralibus lib. 5.

Bellarm. de Script. Eccl. Tom. VII.

A *Tomo III. continentur.*

De Anima libri tres. Metaphysicorum libri 13.

Tomo IV. continentur.

Ethicorum Nichomachiorum libri 10. Politicorum libri octo.

Tomo V. continentur.

B *Parva naturalia, hoc est: De sensu, & sensato lib. 1. De memoria, & reminiscentia lib. 1. De somno, & Vigilia lib. 1. De motibus Animalium lib. 2. De ætate, sive de juventute, & senectute lib. 1. De spiritu, & respiratione lib. 2. De morte, & vita lib. 1. De nutrimento, & nutribili lib. 1. De natura, & origine animæ lib. 1. De unitate intellectus contra Averroen lib. 1. De intellectu, & intelligibili libri duo. De natura locorum lib. 1. De causis proprietatum Elementorum lib. 1. De Passionibus aeris lib. 1. De Vegetabilibus & plantis lib. 7. De Principiis motus progressivi lib. 1. De Processu Universitatis à causa prima lib. 1. Speculum Astronomicum,* in quo de libris licitis, & illicitis pertractatur.

Tomo VI. continentur.

C *De animalibus lib. 16.*

Tomo VII. continentur.

Commentarii in Psalmos.

Tomo VIII. continentur.

Commentarii in Threnos Jeremiæ. Commentarii in Baruch. Commentarii in Danielem. Commentarii in XII. Prophetas Minores.

Tomo IX. continentur.

D *Commentarii in Matthæum. Commentarii in Marcum.*

Tomo X. continentur.

Commentarii in Lucam.

Tomo XI. continentur.

Commentarii in Joannem. Commentarii in Apocalysin.

Tomo XII. continentur.

E *Sermones de Tempore. Orationes super Evangelia Dominicalia totius anni. Sermones de Sanctis. Sermones XXXII. de Sacramento Eucharistiæ. Liber de muliere forti.*

Tomo XIII. continentur.

Commentarii in B. Dionysium Areopagitam. Compendium Theologicæ veritatis libris septem digestum.

Tomo XIV. continentur.

Commentarii in librum primum Magistri Sententiarum.

Tomo XV. continentur.

Commentarii in II. & III. libros Magistri Sententiarum.

Tomo XVI. continentur.

Commentarii in librum IV. Sententiarum.

Tomo XVII. continentur.

Prima pars Summæ Theologicæ.

Tomo XVIII. continentur.

Secunda pars Summæ Theologicæ.

Tomo XIX. continentur.

Summa de creaturis divisa in duas partes : quarum *Prima est de quatuor coævis. Secunda de homine.*

Tomo XX. continentur.

Mariale, seu quæstiones CCXXX. super Evang. Missus est. *De Laudibus B. Virginis libri XII.* de quibus paulò post. *Biblia Mariana*, in quibus omnia ferè, quæ in sacris libris continentur Beatissimæ Deiparæ Virgini ingeniosè ac breviter adaptantur primùm impressa Coloniæ anno 1625. studio Vincentii Justiniani Ordinis Prædicatorum Theologi ex Codice mss. Susatensi.

XXI. Atque ultimo Tomo continentur.

Miscellanea, sive *De apprehensione, & apprehensionis modis lib.* 1. *Philosophia pauperum* sive Isagoge in libros Aristotelis de Physico auditu, de Cœlo, & mundo, de generatione, & corruptione, de Meteoris, & de anima. *De Sacrificio Missæ lib.* 1. *De Sacramento Eucharistiæ lib.* 1. *Paradisus animæ*, sive *de virtutibus libellus*. *De adhærendo Deo libellus*. *De Alchimia libellus*.

Observatio.

Ut cætera omnia verè sint Alberti Magni, quod alii fortè per otium inquirent accuratius, certè libri 12. *de Laudibus B. Mariæ*, qui extant tomo 20. ab eruditis recentioribus non Alberto Magno, ut fecit Petrus Jammii Dominicanus, sed Richardo à S. Laurentio Pœnitentiario Rotomagensi, viro perinde docto, & cultui B. Virginis Dei Matris imprimis addicto tribuuntur : qua de re præter Diptycha Mariana R. P. Theophili Raynaudi Soc. Jesu Theologi, & Hippolyti Maraccii Lucensis Clerici Regularis Bibliothecam Marianam, consule librum ipsum ex antiquis exemplaribus anno 1625. Duaci primo editum in 4. apud Joannem Bogardum. (*c*)

(*a*) Sixtus Senensis non rectè vocat Archiepiscopum, additque dignitatem illam adeptum à Rodulfo Romanorum Imperatore, & Urbano IV. Pontifice quæ sunt ἀσίςατα.

(*b*) Sive de Prussia, cui jungi possunt Philippus Bergomas, Leander Albertus, Joannes Aventinus aliique. Ex vitæ illius cap. 18. constat librum de naturis rerum, ubi agitur de arte obstetricandi, non esse Alberti, sed auditoris ejus Thomæ Cantipratani. Liber quoque de secretis mulierum, & alia pleraque nomen ejus, titulumque mentiuntur.

(*c*) Antiqua enim editio Argentinensis anni 1493. apud Martinum Simum nullum præferebat nomen Auctoris. Videnda quoque Dissertatio Epistolica XI. de Immaculata Conceptione τοῦ μακαρίτου Joannis Eusebii Nierembergii è Soc. Jesu.

De Thoma Cantipratensi. 1265.

THOMAS Cantipratensis, quem alii Gulielmum alii Henricum appellarunt, fuit natione Brabantinus, professione Religiosus Sancti Dominici, dignitate Episcopus suffraganeus Archiepiscopi Cameracensis, & auditor Alberti Magni, ut ipse in opere suo testatur, libro secundo, cap. ult. num. 50. condiscipulus Sancti Thomæ Aquinatis, quem nobilem adolescentem vocat lib. 1. cap. 20. nu. 10. Scripsit utilissimum *opus de proprietatibus apum duobus libris comprehensum*, in quo sub figura apum multa scribit de officio Prælatorum, & subditorum : & miracula, atque exempla sui temporis verè fideliterque describit. Editum est hoc opus Duaci anno 1597. cum annotationibus, & vita auctoris.

Scripsit præterea idem auctor *vitam Beatæ Christinæ mirabilis*, quæ extat apud Surium, mense Junio, die vicesimo tertio, & vitam Sanctæ Ludgardis, quæ extat apud eumdem, mense eodem, die sextodecimo : & addidit unum librum ad vitam sanctæ Mariæ de Oegnies. Scripsit autem magno labore, & longo tempore *librum de natura rerum*, cujus ipse meminit in præfatione libri de proprietatibus apum. Sed hoc opus tam laboriosum non videtur extare. Dicitur denique hic idem auctor in gratiam Sancti Thomæ vertisse Aristotelem è Græco idiomate in Latinum, de qua re consulat lector vitam hujus auctoris præpositam libris de proprietatibus apum.

DISSERTATIO HISTORICA.

THOMAS natione Brabantus Leuvis Sancti Petri celebri propè Bruxellam municipio è Nobili gente ortus regularem primùm vitam inter Canonicos egit in Cantiprato propè Cameracum, unde ei Cantipratani cognomen adhæsit, deinde ad Ordinem prædicatorum transgressus Albertum Magnum Coloniæ docentem una cum S. Thoma Aquinate audivit, tum Supprior, ac Lector Fratrum sui Ordinis fuit in Conventu Lovaniensi, ac tandem consecratus in Episcopum suffraganeus extitit Cameracensis Episcopi. Vivebat adhuc post annum 1270. sub Rodulfo Imperatore, si quæ fides Joanni Trithemio libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui & hoc addit : Sunt qui scribant eum Græci sermonis habuisse peritiam, & libros Aristotelis, quorum jam usus est in scholis, transtulisse : Verum in hoc non secus, atque in præcedenti aberrasse videtur : antiquior enim fuit illa Aristotelis versio, ad quam S. Thomas commentaria scripsit, & Justus Lipsius editione altera Lovaniensis Elogii in notis ad caput 2. libri primi observavit Thomam de Cantiprato obiisse die 15. Maji anni 1263. De eodem plura dabunt Jacobus de Vitriaco in vita B. Mariæ Oigniacensis, Henricus de Gandavo cap. 51. Dionysius Carthusianus libro contra pluralitatem beneficiorum art. 7. Leander Albertus, Antonius Senensis qui in libro antiquo ms. se legisse asserit : Thomam cognomento dictum de Barbausone natione fuisse Gallicum, Episcopum Lusentinum, & Patriarcham Hierosolymitanum, Possevinus, quem in quibusdam aberrasse deprehendes non secus, atque ejus in plerisque objurgatorem Alfonsum Fernandem, qui nescio quem Guillelmum Brabantium ex Antonio Lusitano exhibet, cui eadem tribuit, quæ & ipse postea, & alii adsignant Thomæ Brabantino, nimirum ad instantiam D. Thomæ in Latinum è Græco transtulisse textum Aristotelis, composuisse librum de Proprietatibus, & naturis rerum, itemque librum unum de Apibus, Hyacinthus Choquetius in libro anno 1618. Duaci edito de Bel-

gis

gis sanctitatis opinione illustribus ex Ordine Prædicatorum, Valerius Andreas, & cæteri Belgæ in suis Bibliothecis, aliique.

Bonum universale de Apibus, omni hominum statui tam Prælatis, quàm subditis utilissimum, in quo ex mirifica Apum Republica universa vitæ benè, & Christianè instituendæ ratio traditur, & artificiosè tractatur ad F. Humbertum Priorem Generalem, seu Magistrum Ordinis Prædicatorum, opera Georgii Colvenerii Doctoris Theologi, & Universitatis Cancellarium Notis illustratum prodiit Duaci in 8. anno 1627. ut anteriores sileam editiones annorum 1597. & 1607. minus absolutus. Hic verò liber scriptus est post annum 1550. cùm meminerit expeditionis S. Ludovici lib. 2. cap. 3. §. 9.

Vita B. Christinæ, dictæ Mirabilis in Hasbania apud Surium die 23. Junii. *Vita B. Lutgardis Monialis de Aquiria*, die 16. Junii apud eumdem Surium. *Liber unus de vita B. Mariæ Oigniacensis* apud Surium 23. Junii. *Vita Margaritæ Iprensis*, quæ obiit anno 1237. edita Duaci anno 1618. ab Hyacintho Choquetio.

Scripserat, & multo labore, ut ipsemet fatetur lib. 2. de Apibus cap. ult. §. 50. lib. unum *de natura rerum* de diversis auctoribus spatio 15. annorum utilissimè compilatum: sed is periisse videtur, neque enim standum est conjecturæ Antonii Senensis, ejusque exscriptoris Alfonsi Fernandis, & quorumdam aliorum, qui existimant esse librum illum, qui *de Proprietatibus rerum* inscribitur, & Bartholomæo Anglico Ordinis Minorum supponitur. Verùm Lucas Wadingus, in Bibliotheca Franciscana V. Bartholomæus Glaunvillus, suo legitimo Auctori librum illum vindicavit, licèt eidem minus rectè adscribat Librum de Proprietatibus Apum qui non est alius à Bono Universali Thomæ de Cantiprato, cumque claruisse concludat anno 1360. nihilo tamen minus contra Laurentium Vallam scripsisse librum unum contendat. Quid verò si 1460. legendum sit unius centenarii additione? At hoc vetat Trithemius qui auctorem librorum 19. de Proprietatibus rerum sæculo Christi 14. alligat.

Alfonsus Fernandes Placentinus pluribus omissis, quæ annotare debuerat, addit: Huic D. Thomam injunxisse, ut Aristotelem è Græco in Latinum redderet, & scripsisse de miraculis sui temporis duos libros Duaci editos ann. 1597. quos tamen nemo hactenus vidit, distinctos saltem ab opere illo erudito de Apibus Mysticis, quod vocatur Bonum Universale.

De S. Thoma Aquinate. 1265.

SANCTUS THOMAS Aquinas, natione Italus, patria Neapolitanus, professione Religiosus Ordinis Prædicatorum, illustris genere, sed illustrior sanctitate, & sapientia: natus est anno Domini 1224. & obiit anno 1274. quo anno obiit etiam Sanctus Bonaventura, ejus amicissimus, sed hic mense Martio, ille mense Julio.

Ejus opera (ut Sanctus Hieronymus de Sancto Cypriano scripsit) Sole sunt clariora, ut supervacaneum videatur eorum indicem texere. Describam eorum indicem ex Romana editione, quæ jussu Pii V. Pontificis maximi confecta censetur omnium optima. Tomi sunt septemdecim.

Primus tomus continet *vitam B. Thomæ, & Commentaria in libros Perihermenias, & Posteriorum analyticorum.* Secundus tomus continet *Commentaria in libros octo Physicorum, in lib. 4. de cælo & mundo, & in lib. 2. de generatione.* Tertius tomus continet *Commentaria in lib. 4. Metheororum, in lib. de anima, & in parva naturalia.* Quartus tomus continet *Commentaria in libro 12. Metaphysicorum, Tractatum de ente, & essentia cum Commentariis Card. Cajetani, &, Expositionem in librum de causis.* Quintus tomus continet *Commentaria in libros 10. Ethicorum, & in libros 8. Politicorum.* Sextus tomus continet *Commentaria in primum & secundum sententiarum.* Septimus tomus continet *Commentaria in tertium & quartum sententiarum.* Octavus tomus continet *Quæstiones disputatas & Quodlibeta.* Nonus tomus continet *Summam contra gentiles cum Commentariis Francisci Ferrariensis.* Decimus tomus continet *Primam partem summæ Theologiæ cum Commentariis Card. Cajetani, & expositionem Sancti Dionysii de divinis nominibus.* Undecimus tomus continet *Primam secundæ, & Secundam secundæ cum Commentariis Cardinalis Cajetani.* Duodecimus tomus continet *Tertiam partem cum Commentariis Card. Cajetani.* Tertius decimus tomus continet *Commentarium in Job: in primam quinquagenam Psalmorum, in Cantica Canticorum, in Isaiam, in Hieremiam, & Threnos.* Quartus decimus tomus continet *Commentaria in Matthæum, & in Joannem.* Quintus decimus tomus continet *Auream catenam ex Patribus contextam in quatuor Evangelia.* Sextus decimus tomus continet *Commentaria in omnes epistolas S. Pauli, & sermones de tempore & de Sanctis.* Septimus decimus tomus continet *Septuaginta tria opuscula, & Scriptum secundum in quatuor libros sententiarum ad Anibaldum Cardinalem.*

Observatio prima in opera S. Thomæ.

Præter libros in editione Romana numeratos feruntur sub nomine S. Thomæ Commentaria in Genesim, & in libros Machabæorum, & in septem Epistolas canonicas. Sed Commentarium in Genesim à Sancto Antonino tertia parte summæ historialis tit. 18. cap. 10. rejicitur, ut spurium. Scribit quidem Antonius Senensis in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum à Sancto Antonino rejici Commentarium in Genesim, quod tunc extabat: non illud, quod nuper inventum, & editum est. Sed cùm ego Commentarium neutrum viderim, non possum de hac re ferre judicium. De Commentario in libros Machabæorum Lutetiæ excuso, non habeo, quod dicam, quia Commentarium illud non vidi. Commentaria verò in epistolas canonicas videntur mihi erudita, & digna ingenio S. Thomæ, præsertim cùm in iis cernatur stylus, & modus procedendi S. Thomæ. Neque obstat, quòd in editione Romana hoc opus non recenseatur. Siquidem eo tempore hoc opus nusquam inveniebatur, & primum in lucem prodiit Antuerpiæ anno 1592.

Observatio secunda.

Ex opusculis, quæ S. Thomæ tribuuntur, aliqua sunt, quæ non est certum esse germana ejus opera; quæ quia in editione Romana notata sunt diversitate characteris; de illis nihil dicam. In aliis unum est, quod inscribitur de Regimine Principum ad Regem Cypri: quod mihi multis de causis suspectum semper fuit. Primùm quia lib. 3. cap. 20. scribit auctor hujus operis suo tempore accidisse, ut Adolphus Imperator Rodulpho, & Albertus Adolpho succederet. At S. Thomas obiit ann. 1274. Adolphus autem Rodolpho successit anno 1292. & Albertus Adolpho anno 1299. posset quidem fieri, ut ista verba ex margine annotata ab aliquo posteriore in textum irrepserint: sed oratio continuata non videtur admittere istam responsionem; deinde lib. 3. cap. 10. non semel vocat iste auctor summum Pontificem Christi successorem, quod impropriè dictum esse nemo nescit, qui Christum Ponti-

ficem æternum esse novit, cui nemo succedit, sed omnes ministrant; at S. Thomas ita impropriè loqui non solet. Præterea iste auctor stylum habet à stylo S. Thomæ valdè diversum: hic enim presè, & breviter scribit, & multa paucis complectitur; ille contra verbis abundat, & pauca multis explicat. Adde quòd hic auctor non pauca levia profert, de nominibus magistratuum lib. 3. cap. 22. & lib. 4. cap. 26. quæ S. Thomæ numquam excidissent. Quæ causæ fortasè fuerunt, ut in editione Lovaniensi anni 1562. libri isti de regimine Principum inter opuscula S. Thomæ adscripta non inveniantur. Adde ultimo cum S. Thomas scripserit septem libros de eruditione Principum planè utilissimos, qui habentur inter opuscula Romæ edita, non videbatur necessarium, ut scriberet etiam de regimine Principum.

Observatio tertia.

Mirum est valdè, quòd magna pars primæ secundæ, & secundæ secundæ inveniantur iisdem verbis in primo, & tertio libro speculi moralis Vincentii Bellovacensis, & quidem non videtur Vincentius potuisse speculum suum morale conficere ex doctrina & verbis S. Thomæ, cùm ipse obierit anno Domini 1256. ut testatur Antonius Senensis ex Vasæo, in Bibliotheca Patrum Prædicatorum; & S. Thomas obierit anno Domini 1274. & in extrema ætate summam Theologiæ confecerit. Sed neque est ullo modo credibile S. Tomam summæ suæ partem secundam, eamque nobilissimam ex alio scriptore hausisse. In his angustiis nihil mihi occurrit, nisi speculum illud morale fortasè non esse Vincentii Bellovacensis, sed alicujus auctoris posterioris, qui fortasè Vincentius etiam diceretur, quique secundam partem S. Thomæ in compendium redigere voluerit. Id quod videtur posse confirmari ex eo quòd speculum morale gravius multo esse videtur, quàm sint speculum doctrinale, naturale, & historiale, quæ tria sine ullo dubio sunt Vincentii Bellovacensis.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS THOMAS, Theologorum Aquila, & verè Doctor Angelicus, vita, doctrina, ac miraculis Illustrissimus, natus è Nobili Comitum Aquinatum stirpe anno 1224. in castro Latii Aquino ingressus est Ordinem Sancti Dominici anno 1243. missusque Parisios, & Coloniam Philosophicis, Theologicisque studiis operam dedit, Magistris præstantibus usus Alexandro de Hales Anglo, & Alberto Magno Svevo. Inde ipse eadem die cum S. Bonaventura anno 1255. creatus in Facultate Parisiensi Doctor Theologus, & ibidem per plures annos easdem disciplinas professus, scriptis in Aristotilem, Scripturam sacram, ac Theologica Dogmata quamplurimis, doctissimisque voluminibus, sanctissimè obiit die 7. Martii anno Christi 1274. ætatis 50. in cœnobio Fossæ-novæ Ordinis Cisterciensis propè Amasenum Campaniæ fluvium, cùm evocatus à Gregorio X. Romano Pontifice ad Concilium Lugdunense II. iter in Gallias meditaretur. Sanctorum Catalogo adscriptus est die 18. Julii anno 1523. à Joanne Papa XXII. ejusque corpus Urbano VI. Romano Pontifice anno 1368. Tolosam delatum. Pius verò V. Romanus item Pontifex anno 1567. eumdem sanctum virum ad numerum Quatuor Ecclesiæ Doctorum adjecit, meminitque in diplomate approbationis Doctrinæ Angelicæ cum ante sacram D. N. J. C. Crucifixi Iconem S. Doctor hanc

A vocem à Christo audivit: *Benè scripsisti de me Thoma (a).* De eodem Vincentius Bellov. lib. 26. Sp. Nat. cap. 74. Thomas Cantipratensis ipsius sub Alberto Magno condiscipulus libro 1. Apum cap. 20. §. 10. & utrique coævus Henricus Gandavensis cap. 45. libri seu Appendicis de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi testatur adversus Willelmi de Sancto Amore librum in omnes Religiosos invectivum, edidisse opusculum subtilissimum, in quo ejusdem Guillelmi errorem redarguit & refutat; Ægidius Columna Archiep. Bituricensis, S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus, Joannes Capreolus, Demetrius Cydonius, Joannes Trithemius, Antonius & Sixtus Senenses, Leander Albertus, Ferdinandus
B Castillus, Hieronymus Vielmius ex Argolicensi Æmoniæ Episcopus, Nicolaus Jansenius, Hyacinthus Coquetius, Abrahamus Bzovius, Henricus Spondanus, Odolricus Raynaldus, Possevinus, Bellarminus, Alfonsus Fernandes qui post Sixtum Senensem asserit Demetrium Cydonium de vita, doctrina, & miraculis D. Thomæ Græcè disseruisse, & quatuor inter se implacabiliter pugnantia indissolubili pacis fœdere copulasse, videlicet Copiam, Brevitatem, Facilitatem, & Securitatem, quæ nulli antea litterarum Professori nec post eum contigit simul potuisse connectere, &c. Videndus quoque in Hoplotheca Theophilus, necnon Basilius Pontius Legionensis, cujus Tractatus super confirmatio-
C ne Statuti editi ac Juramenti ab Academia Salmanticensi, & sacris famulis Beatorum Dominici & Augustini præstiti, de tenenda ac docenda Sanctorum Augustini & Thomæ doctrina, ex Hispanico in Latinum translatus à Petro Parzovio Polono editus fuit Bracciani in 8. anno 1632. apud Andream Phæum Typographum Ducalem.

Operum S. Thomæ plures hactenus editiones prodierunt: Romanam anno 1570. jussu & sumptibus Pii V. Romani Pontificis sanctissimi, quam emendatissimè cusam cæteris præpono, atque ex ea Catalogum eorum Lectoribus propono, aliorum hac in re sequutus exemplum.

D *Tomo I. continentur.*

Vita ex plurimis Auctoribus collecta. *In Aristotelis libros Perihermenias & Posteriorum Analyticorum expositio*, cum Antiqua & Joannis Argyropyli translatione. Joannes Paulus Nazarius asserit Thomam de Vio Cajetanum duabus S. Thomæ Lectionibus subjunxisse quod superest Commentarii in librum secundum de interpretatione.

Tomo II. continentur.

In octo libros Physicorum Aristotelis expositio, cum antiqua & Joannis Argyropyli translatione. *In li-*
E *bros tres de Cælo & Mundo expositio*, cum iisdem versionibus textus Aristotelici, neque enim absolvit Commentaria in tertium; nec in quartum scripsit, morte, ut creditur, præventus, aut aliis negotiis implicatus: sed Frater quidam Petrus de Arvernia ejus discipulus imperfectum illud opus absolvisse perhibetur. *In libros de Generatione & corruptione expositio*, cum antiqua & Francisci Vatabli translatione.

Tomo III. continentur.

In quatuor libros Meteororum Aristotelis expositio, cum Antiqua & Francisci Vicomercati translatione. *In tres libros de Anima expositio*, cum Antiqua & Michaelis Sophiani translatione. *In tres libros Aristotelis qui dicuntur Parva naturalia*, cum veteri & Nicolai

colai Leoniceni interpretatione : nimirum in libros *de ſenſu & ſenſato*, *de Memoria & reminiſcentia*, *de ſomno & vigilia*, *de ſomnii & de Divinatione per ſomnum*: cætera enim non abſolvit : ſed idem qui ſupra Petrus de Arvernia dicitur ſcripſiſſe Commentaria ſuper Ariſtotelem de Motibus Animalium, librum de longitudine vitæ ac brevitate, librum de reſpiratione & inſpiratione, de juventute & ſenectute.

Tomo IV. continentur.

In duodecim libros Metaphyſicorum, cum Antiqua & Beſſarionis translatione. *Tractatus de Ente & eſſentia D. Thomæ*, & in eum Commentarius Thomæ de Vio Cajetani Cardinalis ſancti Xyſti. *Expoſitio D. Thomæ in librum de Cauſis.*

Tomo V. continentur.

In libros decem Ethicorum ad Nicomachum expoſitio, cum Antiqua & Joannis Argyropyli interpretatione. *In octo libros Politicorum Ariſtotelis*, cum Veteri & nova Leonardi Aretini translatione.

Tomo VI. continentur.

Commentaria in primum & ſecundum Sententiarum Magiſtri Petri Lombardi Epiſcopi Pariſienſis.

Tomo VII. continentur.

Commentaria in tertium & quartum Sententiarum Magiſtri Petri Lombardi Epiſcopi Pariſienſis.

Tomo VIII. continentur.

Quæſtiones diſputatæ *de Potentia Dei*, numero decem. Quæſtiones diſputatæ *de Malo*, num. 16. Quæſtio unica *de Spiritualibus Creaturis*. Quæſtio unica *de Anima*. Quæſtio unica *de Unione Verbi*. Quæſtio unica *de Virtutibus in communi*. Quæſtio unica *de Charitate*. Quæſtio unica *de correctione fraterna*. Quæſtio unica *de Spe*. Quæſtio unica *de Virtutibus Cardinalibus*. Quæſtiones diſputatæ *de Veritate*, num. 29.

Sequuntur *duodecim Quæſtiones Quodlibeticæ ſive Placitorum Sancti Thomæ*, quæ in quibuſdam voluminibus compinguntur cum tertia Parte Summæ Theologicæ.

Tomo IX. continetur.

Summa Catholicæ fidei contra Gentiles in libros quatuor diſtributa, cum Commentariis F. Franciſci Ferrarienſis Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri. Summam contra Gentes, Primam item ac ſecundam Partem Summæ Theologicæ à Demeterio Cydone in Græcam linguam converſus, & ante nos alii, & nos alibi docuimus.

Tomo X. continentur.

Prima Pars Summæ Theologicæ cum Commentariis Thomæ de Vio Cajetani Cardinalis ſancti Sixti. Expoſitio ejuſdem D. Thomæ in librum B. Dionyſii de Divinis nominibus.

Tomo XI. continentur.

Prima ſecunda, *& Secunda ſecundæ ſummæ Theologiæ*, cum ejuſdem Cajetani Commentariis. Refert Fernandez ex Stephano Garibayo Pampelonenſi Epiſcopo cap. 48. libri 15. Compendii Hiſtoriarum Hi-

A ſpaniæ, Paulum de ſancta Maria poſtea Brugenſem Epiſcopum cùm in lege Moyſi eſſet ſapientiſſimus, ex lectione Quæſtionum de legibus in Prima ſecundæ D. Thomæ ad Chriſtianam Religionem ex Judaica ſecta fuiſſe converſum. Vincentium Bellovacenſem ex S. Thoma profeciſſe, non viciſſim, docuimus ſupra in Vincentio.

Tomo XII. continetur.

Tertia Pars ſummæ Theologiæ, cum ejuſdem Cajetani Card. Commentariis. Continet autem Summa univerſa 512. quæſtiones & articulos 2654. de quibus hæc notanda Joannis Papæ XXII. verba: Niſi
B B. Thomas alia edidiſſet miracula, unuſquiſque articulus eorum, quos ſcripſit, habendus pro miraculo eſſet.

Tomo XIII. continentur.

In librum Beati Job expoſitio, ſeu Commentarii juxta litteram lucidiſſimi & doctiſſimi, qui teſte Sixto cæteris commentationibus ab eo in Vetus Teſtamentum editis eruditione ac germana ſinceraque Hiſtoriæ explanatione præferuntur.

In primam Quinquagenam Pſalmorum Davidis expoſitio, juxta litteralem & anagogicam intelligentiam.

In Canticum Canticorum expoſitio, quam ferunt febri
C laborantem ac propediem moriturum, flagitantibus Monachis Foſſæ novæ, ad quos ex itinere propè Terracinam diverterat, & dictata excipientibus compoſuiſſe.

In Eſaiam Prophetam expoſitio. Dubitant de illa quidam, & Thomæ Anglico tribuunt, reclamante Antonio Senenſi adverſus Sixtum Senenſem D. Thomæ hæc & alia ſuffurantem libro 4. Bibliothecæ Sanctæ: Hujus Thomæ Anglici eſſe creduntur Commentaria in Geneſim, in Iſaiam, in Jeremiam, in Epiſtolas Canonicas, in Apocalypſin, & in Boetium de Philoſophica conſolatione, adſcripta D. Thomæ, cùm magna eſſet inter Anglicum & Angelicum vocis ſimilitudo. Hæc ille.

D *In Jeremiam Prophetam expoſitio*, quam morte præventus complere non potuit, ſunt & qui Thomæ Anglico vindicent, quos refellere pluribus aggreditur laudatus Antonius Senenſis nixus præcipuè teſtimonio S. Antonini, &c.

In Lamentationes ſeu Threnos Jeremiæ expoſitio, cujus eadem videtur eſſe ratio atque præcedentium, de quorum ſtatu ſollicitè anxius acriter dimicat dictus Antonius.

Tomo XIV. continentur.

Expoſitiones in Sancta Chriſti Jeſu Evangelia ſecundùm Matthæum & Joannem. Quæ tamen in Matthæi Evan-
E gelium dicitur, ſuppoſititia eſt, & teſte Hieronymo Vielmio pertinet ad Petrum Scaligerum Dominicanum Veronenſem Epiſcopum, cujus nomine proſtabat Veronæ in Bibliotheca Cœnobii Sanctæ Anaſtaſiæ cum Vielmus ibi tyronem ageret. Sed neque cum ſtylo, ſpiritu ve, aut diligentia, quæ in ſuis ſcriptionibus B. Thomas adhibuit, conferendam monet Poſſevinus.

Tomo XV. continentur.

Catena Aurea in Matthæum, *Marcum*, *Lucam*, *& Joannem*, ex ſententiis Sanctorum Patrum miro artificio connexa, & Urbano IV. Pontifici Maximo dicata. In eam quatuor aut quinque non contemnenda ſtudioſo Lectori obſervavit Poſſevinus noſter.

Sixtus

Sixtus Senensis appellat nobilissimum opus explanationum in 4. Evangelia, quod ipse Continuum in quatuor Evangelistas inscripsit, recentiores verò vocant Catenam Auream.

Tomo XVI. continentur.

Expositio in omnes Divi Pauli Apostoli Epistolas, de qua Sixtus, Vielmius, Possevinus, & alii.

Sermones ejusdem Doctoris Angelici pro Dominicis diebus, & pro Sanctorum Solemnitatibus tunc primùm è Bibliotheca Vaticana emergentes. Iidem quoque in eadem Romana urbe anno sequenti 1571. impressi in 8. Antonius Senensis testatur vidisse se in quadam Flandriæ Abbatia propè Audenardam Volumen sermonum characteribus satis antiquis exaratum sub titulo F. Thomæ, quod non licuerit per otium evolvere.

Tomo XVII. continentur opuscula.

1. *Contra errores Græcorum*, ad Urbanum IV. Papam. 2. *Compendium Theologiæ*, ad Fratrem Reginaldum socium suum charissimum. Antonius Senensis & alii vulgò Compendium illud Theologiæ, quod incipit, Æterni Patris Verbum, &c. in duas partes divisum, quarum prima capita 246. complectitur, secunda imperfecta ac mutila, tantùm decem capita continet, post Trithemium D. Thomæ tribuunt, atque ex eo aliquid sub nomine S. Thomæ dicitur produxisse Richardus Armacanus. Henricus autem Kalteisenius in Replica ad Ulricum Hussitam quæ cum Basileensi Concilio edita est §. Restat nunc &c. non esse S. Thomæ, sed credi esse Ulrici de Argentina affirmat. Ipse quoque S. Antoninus rejicit quoddam Compendium Theologiæ falsò adscriptum S. Thomæ. Verùm Antonius Senensis id de alio quopiam accipiendum esse satagit, non de hocce nostro, quod S. Thomæ esse pro constante habetur. Quis verò Palæmon sat idoneus Tantas inter eos poterit componere lites?

3. *Declaratio quorumdam articulorum contra Græcos, Armenos, & Saracenos*, ad Cantorem Antiochenum. 4. *De duobus præceptis charitatis, & decem legis præceptis*. 5. *De articulis Fidei, & Sacramentis Ecclesiæ*, 6. *Devotissima Expositio super nuper Symbolum Apostolorum*. 7. *Expositio devotissima Orationis Devotissimæ*. 8. *Salutationis Angelicæ expositio devotissima*. 9. *De Articulis centum & octo sumptis ex opere Petri de Tarentasia, Responsio*, ad F. Joannem Vercellensem Generalem Magistrum ordinis Prædicatorum. Sunt qui de ea dubitent, ideoque minori charactere excusa. 10. *Responsio de Articulis* 42. ad eumdem Magistrum Joannem de Vercellis. 11. *Responsio de Articulis* 36. ad Lectorem Venetum. 12. *Responsio de sex articulis*, ad Lectorem Bisuntinum. 13. *De differentia Verbi Divini & Humani*. 14. *De Natura & origine verbi intellectus*. 15. *De substantiis separatis*, seu, de Angelorum natura, ad F. Reginaldum Socium suum. 16. *De unitate intellectus*, contra Averroistas dicentes unum esse intellectum omnium hominum. 17. *Opus contra pestiferam doctrinam retrahentium homines à Religionis ingressu*. 18. *De perfectione Vitæ Spiritualis*. 19. *Contra impugnantes Dei cultum & religionem*, Mendicantium Religiosorum propugnaculum turrisque validissima.

Petrus de Prussia Ordinis Prædicatorum, inquit Theophilus pag. 254. Hoplothecæ, in Magni Alberti vita cap. 7. tradit absque omni ambiguitatis scrupulo S. Thomam ab Alberto multa sumpsisse, itaut integri articuli sub eadem forma expressi apud utrumque legantur: & cap. 30. allegans Jacobum de Zuzero veterem Ordinis Prædicatorum Chrono-
A logum affirmat librum S. Thomæ contra Guillelmum de sancto Amore, qui in opere Opusculorum S. Thomæ, habetur, aliud non esse, quàm recollectionem eorum, quæ Albertus Magnus Anagniæ coram Alexandro Magno disputans adversus librum Guillelmi protulerat.

20. *De Regimine Principum libri quatuor* ad Regem Cypri: quos Bellarminus multis de causis suspectos habuit, & meritò. Vide Observationem ejus secundam. Nec satisfaciunt quæ in contrarium scripsere Jo: Paulus Nazarius, & Sebastianus Macius Durantinus libro primo de Historia Liviana.

21. *De Regimine Judæorum*, ad Ducissam Brabantiæ. 22. *De forma absolutionis*, ad Generalem Magi-
B strum sui Ordinis. 23. *Expositio prima Decretalis*, ad Archidiaconum Cudestinum. 24. *Expositio super secundam Decretalem*, ad eumdem. 25. *Tractatus de Sortibus*, ad Dominum Jacobum de Burgo. 26. *De Astrorum judiciis*, ad F. Reginaldum Socium suum. 27. *De æternitate Mundi contra murmurantes*. 28. *De Fato*. 29. *De Principio individuationis*.

30. Huic loco competit *Opusculum de Ente & Essentia*, quod Tomo IV. habetur cum Commentariis Cajetani post Expositionem in libros 12. Metaphysicorum Aristotelis.

31. *De Principiis naturæ*, ad Fratrem Sylvestrum. 32. *De natura materiæ & Dimensionibus interminatis*. Non videtur esse D. Thomæ. 33. *De mixtione Ele-
C mentorum*, ad Magistrum Philippum. 34. *De occultis operibus naturæ*, ad quemdam Militem. 35. *De Motu cordis*, ad Magistrum Philippum. 36. *De Instantibus*. 37. *De quatuor oppositis*. 38. *De Demonstratione*. Suspectum. 39. *De Fallaciis*, ad quosdam nobiles Artistas. 40. *De Propositionibus Modalibus*. *De Eruditione Principum libri septem*, tunc primùm in lucem editi ex Bibliotheca Vaticana. 41. *De natura accidentis*. Dubium. 42. *De natura generis*. Dubium. 43. *De potentiis animæ*. Dubium. 44. *De tempore*. Dubium. 45. *De pluralitate formarum*. Dubium. 46. Idem quod supra numero XXXII. 47. *De natura Syllogismorum*. Dubium. 48. *Totius Logicæ Aristotelis summa*. Dubium: sunt qui tribuunt Thomæ Anglico, de quo
D postea. *Tractatus primus de Prædicabilibus*. *Tractatus secundus de Prædicamentis*. *Tractatus tertius de Prædicamento Quantitatis*. *Tractatus quartus de Prædicamento Qualitatis*. *Tractatus quintus de Prædicamento ad aliquid*. *Tractatus sextus de sex Prædicamentis*. *Tractatus septimus, de Interpretatione*. *Tractatus octavus de Syllogismo simpliciter*. *Tractatus nonus de Syllogismo Demonstrativo*. 49. *De sensu respectu singularium, & intellectu respectu universalium*. Dubium. 50. *De Inventione medii*. Dubium. 51. *De natura luminis*. Dubium. 52. *De natura loci*. Dubium. 53. *De intellectu, & intelligibili*. Dubium. 54. *De quo est, & quod est*. Dubium. 55. De universalibus Tractatus I. Dubitatur de eo. 56. *Tractatus II. de universalibus*. Dubitatur
E de eodem. 57. *Officium de Festo Corporis Christi*, ad mandatum Urbani IV. Papæ, qui dictum festum instituit.

58. *De Venerabili Sacramento Altaris in capita 32. distributum*: sunt qui tribuant Alberto Magno auctoritate Trithemii memorantis hoc ejus initium: De Sacramento Corporis Domini, &c. Qui Prologus habetur in Alberti Sermonibus de Eucharistia, in quos illud opusculum sectum est in libro antiquo Collegii Lugdunensis. Hæc R. P. Theophylus Raynaudus, in Erotematis, cui sanè subscribere nequeo. Jo: Paulus Nazarius cùm dixisset pluries se audiisse à Magistro quodam Ordinis sui doctissimo etiam cum juramento affirmante, quòd opusculum illud sub nomine Alberti Magni vidisset impressum, subdit de hac difficultate nihil audere definire, sed sperare se impressio-

pressionem operum omnium Alberti Magni Coloniæ inchoatam post aliquot paucos annos esse complendam & ex ea propositam difficultatem esse terminandam: quod tamen votis ejus non respondit: Lugdunensis enim Alberti operum editio in plerisque manca Criticam eruditi scriptoris discussionem adhuc expectat.

59. *De Sacramento Eucharistiæ ad modum decem Prædicamentorum*, ad petitionem quorumdam Prælatorum & Baronum. Dubium. 60. *De Humanitate* JESU CHRISTI *Domini nostri*. Dubium. 61. *De dilectione Christi & proximi*. Dubium. 62. *De Divinis moribus*. Dubium. 63. *De Beatitudine*. Dubium. 64. *De modo confitendi, & de puritate conscientiæ*. Dubium. 65. *De officio Sacerdotis*. Dubium. 66. *Expositio Missæ*. Dubium.

67. *De Emptione & venditione ad tempus, seu ad terminum*, ad F. Jacobum Viterbiensem Lectorem Florentinum: quod alii affirmant absque dubio esse D. Thomæ, alii dubitant.

68. *Epistola brevis exhortatoria ad quemdam*, in qua proponit idoneum modum salubriter acquirendi scientiam sive Divinam sive humanam. De ea quidam ambigunt; ut docet vel ipsa Romana editio, in qua minoribus characteribus excusa legitur; nec rationes Jo: Pauli Nazarii quidquam certi proferre videntur, cur potiùs S. Thomæ, quàm altri Dominicano, alteriusve Ordinis viro pio adjudicari debeat. Certè non videtur major auctoritas Bartholomæi à Medina qui imprimi jussit ante expositionem suam in Tertiam Partem, quàm eorum omnium qui jussu Pii V. Romanæ impressioni præfuerunt.

69. *Expositio in librum Boethii de Hebdomadibus*. 70. *Præclaræ Quæstiones super librum de Trinitate Boethii ad Symmachum Patricium*. 71. *De vitiis & virtutibus numero quaternario procedens*. Dubium. 72. *De Concordantiis dictum, in quo concordat seipsum in passibus apparenter contrariis*. Dubium. 73. *De usuris in communi, & de usurarum contractibus*. Dubium.

Sequitur velut cujusdam Appendicis loco.

Scriptum secundum S. Thomæ in quatuor libros Sententiarum, ad Annibaldum Annibaldensem Romanum Ordin Præd. & S. R. E. Episcopum Cardinalem. Sunt tamen qui reclament: nec immeritò, quidquid dicat cùm nonnullis aliis Joannes Paulus Nazarius qui non rationibus dubitandi prolatis idoneam solutionem attulit: pluris enim esse cordatis solet auctoritas Raynaldi, S. Antonini, & Dionysii Carthusiani quàm sexcentorum recentiorum, præsertim cùm nulla sit ratio cur S. Thomas operum suorum exscriptor dici debeat. Ptolemæus Lucensis Episc. in Chronicis suis narrat alium quoque se vidisse Commentarium in primum Sententiarum ab eodem S. Thoma Romæ scriptum.

XVIII. Tomi locum obtinet.

Tabula Aurea Eximii Doctoris F. Petri de Bergomo Ordin. Prædic. qui anno 1484. Placentiæ in Longobardia obiit & sepultus est, in omnia opera Divi Thomæ Aquinatis cum Additionibus Conclusionum, Concordantiis dictorum ejus, ac Divinæ Scripturæ auctoritatibus expurgata ab innumeris vitiis, & quamplurimis propositionibus & allegationibus aucta.

Concordantiæ Dictorum & Conclusionum Divi Thomæ de Aquino ordine Alphabetico dispositæ ab eodem Petro Bergomensi. Index auctoritatum Sacræ Scripturæ, cum Repertorio omnium Dictionum principalium, &c.

A

Quæ à prædicta editione Romana absint.

Commentaria in Genesim, in libros Machabæorum, in Epistolas Canonicas, in Apocalypsim & in Boethium de consolatione Philosophiæ (nam de Expositionibus in Isaiam, Jeremiam, ac Matthæi Evangelium jam suo loco supra monuimus) quæ à quibusdam Divo Thomæ tribuuntur adscripta, non ad eum pertinent ex quorumdam etiam Dominicani Ordinis doctissimorum virorum censura; sed vel ad Thomam Anglicum patria Vallensem seu Gualensem, cognomento Jorgium, ex Ordine Prædicatorio S. R. E. Cardinalem titulo Sanctæ Sabinæ, quem Trithe-

B

mius ad annum 1400. revocat, & plures Lecturas in sacra Biblia scripsisse asserit, vel ad aliquem alium. Certè facilis fuit, ut ex Sixto Senensi jam monuimus, mutatio Thomæ Anglici in Thomam Angelicum: nec placent eruditis, quæ Antonius Senensis adversus Sixtum Senensem pro quibusdam ex iis Aquinati asserendis disputavit in Bibliotheca. Quis enim ferat citari Lyranum à D. Thoma in in illud 1. Petri cap. 2. Quasi liberi, &c. Esto sanè Commentaria illa in Canonicas Vielmio, Possevino, Bellarmino, Nazario, &c. videantur erudita & digna ingenio Divi Thomæ, atque in iis cernatur stylus & modus procedendi sancto Thomæ familiaris. Quod autem addunt primùm prodiisse An-

C

tuerpiæ anno 1592. hoc rectè refellit Theophilus ex editionibus Parisiensi anni 1550. & Lugdunensi 1556. (*b*) Neque pluris facienda Antonii Senensis exceptio adversus S. Antoninum Florentiæ Archiepiscopum, qui disertè ut spurium repudiat Commentarium in Genesim, quòd scilicet intelligendus sit de eo, quod tunc extabat, non de illo, quod excusum habemus studio ejusdem Antonii Senensis, qui se vindicatum è tenebris prælo dari curasse gloriatur. Commentarii in Boethii consolationem Sancti Thomæ sapientiam non redolent, & teste Vielmio in Cydoniensi sancti Nicolai ejusdem Ordinis Prædicatorum cœnobio alterius nomine inscripti leguntur. Commentarii denique in libros Macha-

D

bæorum sub nomine S. Thomæ Lutetiæ anno 1596. in 8. impressi procurante Stephano de Sampayo eamdem apud æquos censores cum præcedentibus, aut saltem plerisque ex iis censuram subire coguntur.

In editione Antuerpiensi anni MDCXII. procurata studio F. Cosmæ Morelles Vallentini O. P. locum Tomi XVIII. obtinent Commentarii illi in Genesim, de quibus mox diximus, cum Commentariis in Prophetam Danielem, Machabæorum libros, & Epistolas Canonicas.

(*a*) Præter ea quæ de eo diximus, plura quoque possunt edisseri de sanctissimi Doctoris laudibus ejusque operibus seu sinceris seu suppostitiis, in qui-

E

bus collocantur à Vossio pag. 308. editionis II. de Historicis Latinis libri quatuor de Regimine Principum ad Regem Cypri Bellarmino præeunte. Neque quisquam est paulò in istis intelligens qui lectis tantùm aliquot pagellis non illicò exclamet, aliter olere canes, aliter sues. Tantum enim absunt à libris septem sancti Thomæ Aquinatis de eruditione Principum quatuor illi de Regimine inscripti, quantum ab Oriente Occidens, à Septentrione Meridies. Is verò quisquis fuerit Auctor qui de Marescallis, & Senescallis, Valvasallis, aliisque adeò ridicula profert, à Gregorio V. Papa ad sua tempora numerat annos 270. aut circiter lib. 3. cap. 19. & Julii Celsi atque Aimoini meminit cap. 9. lib. 2. & c. 21. libri tertii.

(*b*) Sunt quoque qui Commentarios illos sancto

cto Thomæ Aquinati tributos in singulas Epistolas Canonicas primùm typis mandatos fuisse asserant Parisiis anno 1543. & in iis haberi locum maximè notandum in hæc verba, *nolens aliquos perire* cap. 3. II. Petri, ubi docet Deum non modo voluntate signi, sed etiam voluntate beneplaciti antecedente voluisse omnes homines salvare: quod præterea in Commentariis ad cap. 2. 1. ad Timotheum, qui in dubium non revocantur, disertis verbis professus est.

De Thoma Anglico. 1400.

Supplementum.

THOMAS ANGLICUS, patria Gualensis, cognomento *Jorgius*, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, & S. R. E. Cardinalis tituli Sanctæ Sabinæ, quem Trithemius ad annum 1400. alligat, & plures Lectiones in sacra Biblia scripsisse asserit, quæ Sancto Thomæ Aquinati & Angelico attributæ sunt. Certè facilis fuit mutatio Thomæ Anglici in Thomam Angelicum, ut ex Sixto Senensi discimus, qui sic lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ ait: *Hujus Thomæ Anglici esse creduntur Commentaria in Genesim, in Isaiam, in Jeremiam, in Epistolas Canonicas, in Apocalypsim, & in Boetium de Consolatione Philosophica, adscripta Divo Thomæ Aquinati, cùm magna esset inter Anglicum & Angelicum vocis similitudo.* Idem censet Labbeus *De Commentario in libros Machabæorum*, & *de Summa totius Logicæ Aristotelis*, quæ est Opusc. 48. Commentarius autem in Epistolas Canonicas, habet multa similia cum Commentario Nicolai Gorhami in easdem, qui impressus in folio Antuerpiæ anno 1620. apud Joannem Koerberg, imò videntur unum & idem Opus. Præter hæc, ejusdem *Opus aureum in triginta-septem Psalmos*, impressum in folio Venetiis anno 1611. apud Evangelistam Deuchinum. At ejusdem etiam multa extant in Bibliothecis Anglicis sub nomine Thomæ Vvalleys Anglici, nempe *Commentarii in Pentateuchum, Josue, librum Judicum, Ruth, & Isiam*, mss. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 90. Mertonensi cod. 200. Magdalenensi cod. 47. *Commentarii super duos Nocturnos Psalmorum*, mss. Oxonii in Bibliotheca Oxoniensi cod. 25. Cantabrigiæ in Aula Penbrochiana cod. 46. *De quatuor prædicabilibus ad omne genus humanum*, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri cod. 87. *De Theoria prædicandi*, ms. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi cod. 20. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri cod. 99. Ejusdem Thomæ Vvalleys *Opusculum de Instantibus & momentis, de videndo faciem Dei post resurrectionem:* Itemque *Articuli hæreditales contra eum cum Responsis*, mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 179. Plura dabunt de Thoma Vvalleys Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, verbo *Thomas Anglicus* tomo secundo pag. 476. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 456. pag. 266. Ambrosius de altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1311. pag. 88. & *in Appendice* ejusdem anni pag. 467. ubi appellat eum Beatum, cujus oblitus fuerat antea pagina citata 88. & alii. Porrò ut ad oculum constet quàm bellè Mendicantes confuderint utrumque Thomam Anglicum & Angelicum, sicut jam antea allegaverat Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta, hoc unico constare potest. Scripsit Thomas Anglicus *Commentarium in libros Divi Augustini de Civitate Dei*, qui extat in manuscriptis codicibus ejusdem cum Auctore temporis, in Bibliotheca Cremonensi Fratrum Eremitarum Divi Augustini, & in Anglicis Oxoniensibus Metonensi cod. 169. & Baliolensi cod. 70. at idem Opus perperam, nec enim hucusque ullus eum attribuit Thomæ Aquinati, in Bibliotheca Cameracensis Ecclesiæ Cathedralis pulpito 10. cod. 15. *Expositio seu Postilla F. Thomæ de Aquino Angelici Doctoris, Ordinis Prædicatorum super decem libris de Civitate Dei Beati Augustini, ubi sunt quatuor Tabulæ antepositæ.*

De Sancto Bonaventura. 1265.

SANCTUS BONAVENTURA natione Italus, patria Balneoregiensis, Ordinis S. Francisci Minister Generalis, ac postea Albanensis Episcopus, & Cardinalis à Gregorio decimo creatus non in feriis Pentecostes, & in Lugdunensi Concilio, ut multi scribunt, sed ante Concilium, & fortè in quatuor temporibus Decembris anni 1273. Nam in ipso Concilio Lugdunensi, quod Romæ nuper est editum, invenitur S. Bonaventura Cardinalis residere cum cæteris in prima sessione: prima autem sessio celebrata est anno 1274. die 7. Maji, triduo ante Ascensionis festum. Vir fuit sanctissimus, & doctissimus, & multa scripsit, quæ Romæ edita sunt jussu Sixti V. Pontificis, in octo tomos distributa.

Primo tomo continentur, *Principium sacræ Scripturæ, Expositio in Exameron*, id est, *sermones viginti tres in diversa loca Exameron* ex ore dicentis ab auditoribus excerpta. *Expositio* item *in Psalterium, in Ecclesiasten, in Sapientiam, in Lamentationes Hieremiæ Prophetæ.*

Secundo tomo continentur, *Expositio in caput sextum Matthæi, Expositio in Evangelium S. Lucæ, Postilla in Evangelium S. Joannis, & Collationes in eumdem.*

Tertio tomo continentur, *Sermones de tempore & de Sanctis.*

Quarto tomo continentur, *Commentaria in primum & secundum librum Magistri Sententiarum.*

Quinto tomo continentur, *Commentaria in tertium, & quartum librum Sententiarum.*

Sexto tomo continentur *prima, & secunda pars opusculorum*; videlicet *prima pars* quæ est, *De reductione artium ad Theologiam. Breviloquium. Centiloquium. Pharetra. Declaratio terminorum Theologiæ. Principium compendiosum in libros Sententiarum. Quatuor libri Sententiarum carmine digesti. De quatuor virtutibus Cardinalibus. De septem donis Spiritus Sancti. De tribus ternariis peccatorum. De resurrectione à peccato ad gratiam. Dieta Salutis. De Ecclesiastica Hierarchia.*

Secunda Pars.

Soliloquium. De meditatione vitæ Domini nostri Jesu Christi. Libellus meditationum. De septem gradibus contemplationis. De quinque festivitatibus Pueri Jesu. Officium de Passione Dominica. De sancta Cruce laudatio. Lignum Vitæ. Speculum de laudibus B. Mariæ. De Corona Beatæ Mariæ. De compassione ejusdem. Philomela passioni Domini aptata per septem horas. De septem verbis Domini in cruce. Psalterium B. Mariæ majus. Psalterium ejusdem minus. In Salutationem Angelicam. In Salve Regina.

In septimo tomo continetur *pars tertia opusculorum*, quæ est:

De institutione vitæ Christianæ. De regimine animæ. Speculum animi. De decem præceptis. De gradibus virtutum. Itinerarium mentis in Deum. De septem itineribus æternitatis. Stimulus divini amoris. Parvum bonum, sive incendium amoris. Amatorium. Exercitiorum spiritualium libellus. Fascicularius. Viginti quinque memorialia. Confessionale. De Ratione confitendi. De puritate

ritate

ritate conscientiæ. De præparatione Sacerdotis ad Missam. Expositio Missæ. De sex alis Cherubim. De sex alis Seraphim.

Octavo tomo continetur *pars quarta opusculorum*, quæ est:

De triplici statu Religiosorum. Speculum disciplinæ propter novitios. Viginti passus Novitiorum. In Regulam Novitiorum. De processu Religionis. De contemptu Sæculi. De reformatione mentis. Alphabetum parvum boni Monachi. De perfectione vitæ ad Sorores. Declaratio Regulæ Minorum. Quæstiones circa eamdem Regulam. Quare Fratres Minores prædicent, &c. De paupertate Christi. Quod Christus, & Apostoli nudis pedibus incedebant. Apologia Evangelicæ paupertatis. Contra calumniatorem Regulæ Franciscanæ. Apologeticus in eos, qui Ordini Minorum adversantur. De non frequentandis quæstionibus. Collationum libellus ad Fratres. De reformandis Fratribus ad Ministros Provinciales. Appendix continet Compendium Theologiæ. De essentia, invisibilitate, & immensitate Dei. De mystica Theologia.

Obiit vir sanctus Deo, & hominibus amabilis valdè anno Domini 1274. Mense Julio, die quintadecima, quæ erat Dominica, sub auroram, in Concilio Lugdunensi, ut in ipso Concilio legitur.

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS BONAVENTURA, à Græcis, ut quidam volunt, Euthychius, ac deinde Eustachius, dictus in Baptismo Joannes Fidauza, sive Fidautius, Balneoregii *Bagnarea* urbe Etruriæ natus, in Ordinem Minorum ingressus est adolescens, cumque in litteris plurimùm profecisset, & Philosophiam Theologiamque Parisiis & alibi summa cum laude docuisset, electus est Seraphici Ordinis Generalis Minister octavus anno 1256. Albanensis deinde Episcopus, ac S.R.E. Cardinalis à Gregorio X. Papa creatus an. 1274. (*a*) paulò ante Concilium Oecumenicum Lugdunense II. cujus primæ sessioni die 7. Maji interfuit, eoque nondum finito ad superos abiit in eadem Lugdunensi Urbe, Dominica die 15. sub Auroram, & SS. catalogo inscriptus à Sixto IV. Papa die 18. Aprilis 1482. & inter Ecclesiæ Doctores à Sixto V. annumeratus anno 1588. 14. Martii. De eo Acta Concilii Lugdunensis, quique res Ecclesiasticas tractarunt, Bzovius, Spondanus, Odolricus, Wadingus in Annalibus & Bibliotheca Minorum, Henricus Gandavensis cap. 47. Joannes Gerson, S. Antoninus, Joannes Trithemius, Volateranus, Eysengrenius, Sixtus Senensis, Possevinus, aliique. Operum ejus Romæ VIII. Tomis excusorum catalogum exhibet Bellarminus noster, ut mihi modò necesse non sit illum describere.

Superioribus annis occasione libelli de Imitatione Christi, acriter disputatum fuit de Auctore libelli *Collationum ad Fratres Tolosates*. Hinc Heriberto Rosweido, Hesero, aliisque Kempensibus; inde verò Constantino Cajetano cum Gessenistis suis in acie dimicantibus. Sunt & alia quæ meritò revocantur in dubium à viris perspicacibus, de quibus expectamus judicium Lucæ Wadingi in nova ac locupletiore, quam molitur, operum omnium S. Bonaventuræ editione, cum præfixis ad singula censuris, &c. quod in Joannis Duns Scoti operibus præstitum ab eo cernimus (*b*).

(*a*) Alii annum præcedentem ex Bellarmino & Wadingo annotant. De eo præter citatos Pisanus in Conformitatibus, Franciscus Gonzaga, Petrus Galesinius in vita operibus præfixa, Octavianus Maracrianus Sinuessanus Sanctissimi Consistorii Advocatus in relatione coram Sixto IV. habita, Arturus à Monasterio in Martyrologio Franciscano, & Joann. Bapt. Rossius noster.

(*b*) Lucam Wadingum obiisse accepimus antequam præmissam illam cùm editionem, tum censuram publicare potuerit. Utinam aliquis in ejus locum subrogetur qui utrumque munus præstet. Interim moneo Speculum Disciplinæ videri quibusdam esse Davidis Augustani ex eodem Ordine Minorum, Biblia verò Pauperum tribui Nicolao de Hanapis O. P. qui obiit 1288.

De Petro Tarantasiensi. 1265.

PETRUS Tarantasiensis Ordinis Sancti Dominici Cardinalis Hostiensis à Gregorio decimo Pontifice cum S. Bonaventura creatus, ipsi Gregorio succedens, & Innocentius quintus appellatus, quinto mense obiit, anno Domini 1276.

Scripsit *in quatuor libros Sententiarum*, dicitur etiam scripsisse *in Pentateuchum*, *in Psalmos*, *in Evangelium Lucæ*, *& in epistolas Sancti Pauli*; *& denique Compendium Theologiæ*. Non defuerunt, qui plusquam centum propositiones ejus reprehenderent: sed jussu Joannis Vercellensis Magistri Generalis Ordin. Prædicatorum à S. Thoma defensæ sunt, ut ex opusculo ejus perspicuum est.

DISSERTATIO HISTORICA.

PETRUS de Tarantasia, à quibusdam Burgundus, ab aliis Longobardus dictus, natus anno 1225. Ordinem Prædicatorum anno 1242. Parisiis ingressus, Lugdunensis Archiepiscopus electus anno 1272. tum à Gregorio X. Papa una cum Sancto Bonaventura ad Cardinalis dignitatem evectus, factusque Ostiensis Episcopus, eidem Gregorio successit in Romano Pontificatu, quem obtinuit per menses quinque & duos dies, à 21. Januarii anni 1276. ad diem 22. Junii quo obiit Romæ, sepultus in Basilica Lateranensi, ætatis 51. Extat Sancti Thomæ Aquinatis opusculum, in quo Petrus ille vindicatur à censura plus quàm centum propositionum, quas adversarii in ejus scriptis notaverant, obtulerantque Fr. Joanni Vercellensi Ordinis Prædicatorum Generali Magistro. De eo Trithemius, Bergomas, Antonius Senensis, Leander, &c.

Feruntur tres ejus Conciones in Concilio Lugdunensi II. habitæ I. die 7. Junii, II. Julii 6. III. in exequiis Beati Bonaventuræ, qui in eodem Concilio obiit.

Commentaria in quatuor libros Sententiarum, Tolosæ edita anno 1652. ex mss. Bibliothecæ Conventus S. Thomæ Aquinatis (*a*).

(*a*) Commentaria in Psalmos, Cantica Canticorum, & in Epistolas S. Pauli, ac Postillas in Pentateuchum celebrat Sixtus Senensis, sed non memini me ea typis uspiam edita observasse.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS DE TARANTASIA, à quibusdam *Burgundus*, ab aliis *Longobardus* dictus; Ordinem Prædicatorum Parisiis ingressus anno 1242. Lugdunensis Archiepiscopus electus anno 1272. tum à Gregorio X. Papa una cum Sancto Bonaventura ad Cardinalis dignitatem evectus, factusque Ostiensis Episcopus, eidem Gregorio successit in Romano Pontificatu. Feruntur tres ejus Conciones in Concilio Lugdunensi secundo habitæ: Prima die 7. Junii, secunda die 6. Julii, tertia in Exequiis B. Bonaventuræ, qui in eodem Concilio obiit. Sed *Commenta-*

mentarii ejus in quatuor libros Sententiarum editi Tolosæ anno 1652. ex manuscripto Bibliothecæ Sancti Thomæ Aquinatis, prælo & carta pessimis. Habentur etiam mss. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 54. duobus voluminibus. Idem scripsit *Commentarium in Epistolas Sancti Pauli* ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 49. & Cremonæ in celebri Bibliotheca Fratrum Augustinianorum Eremitarum. Obtinuit tantùm Pontificatum per menses quinque & duos dies, a 21. Januarii anni 1276. ad diem 22. Junii quo obiit Romæ, sepultus in Basilica Lateranensi, annum ætatis quinquagesimum primum agens. Extat Sancti Thomæ Aquinatis Opusculum, in quo Petrus ille vindicatur à Censura plusquam centum propositionum, quas Adversarii in ejus Scriptis annotaverant, obtulerantque Fratri Joanni Vercellensi Ordinis Prædicatorum Magistro Generali. De eo Trithemius, Bergomas, Antonius Senensis, Leander, Bellarminus, & Labbeus, à quo ista sunt, paucis additis quæ ipsum fugerant. Plura Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1276. pag. 42. & *in Appendice* pag. 44.

De Henrico Sterone. 1265.

HENRICUS Stero Monachus Chronicon scripsit *ab anno primo Frederici primi, usque ad Rodulphum Aspurgium*, id est, ab anno Domini 1152. usque ad annum 1273. vide Henricum Canisium tomo 1. antiquæ lectionis.

Dissertatio Historica.

HENRICUS Stero, Monachus in Altaha inferiore, seu Altaicho Cœnobio Germaniæ, Abbatis Hermanni Capellanus, contexuit *Annales ab anno primo Frederici Imp. Barbarossæ, Christi* 1152. *ad annum* 1273. quo Rodulfus ex Habspurgensi familia primus Imperator Romanorum creatus est: Extant in Tomo 1. Rerum Germanicarum Marquardi Freheri, & auctiores Tomo 1. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii. Eberardus de eadem inferiori Altaha Ratisponensis Ecclesiæ Archidiaconus ab anno 1273. ad annum 1305. perduxit.

Idem Stero Annalibus suis deinde subjecit *Historiam de rebus Rudolfi Halspurgensis, Adolfi Nassavii, & Alberti Austriaci Imp. usque ad annum* 1300. cui Appendicem usque ad annum 1335. adtexuerunt Ulricus & Conradus Wellingi fratres Monachi Cœnobii Augustani SS. Udalrici & Afræ Ord. Benedictini. Vide Tomum 1. Freherinum.

De Thoma Bokingam. 1270.

Supplementum.

THOMAS BOKINGAM Anglus, claruit anno circiter 1270. insignis in Anglia Theologus, & in Academia Oxonii Cancellarius. Scripsit Commentaria in 4. libros Sententiarum, quod opus in Londoniensi Bibliotheca extabat, sed à prælis Parisiensibus emersit anno 1505. Item hujus extant *Commentaria super Deuteronomium, Isaiam Prophetam, omnes Epistolas Sancti Pauli, & Apocalypsim S. Joannis*, mss. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi codd. 27. 28. & 199. An idem sit cum *Thoma de Dokingam* Ecclesiæ Oxoniensis Cancellario, cujus extant *Quæstiones LXXXVIII.* Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 22. affirmare non audeo, quamvis hoc valdè probabile sit. Hujus meminit Possevinus in Apparatu Sacro pag. 827. ubi tamen eum *Joannem Bokingam* appellat. Hujus honorificam facit mentionem Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum*, pag. 323. quem appellat *Tomam Dokingum*, ac Minoritam seu Franciscanum efficit, quamvis non probet. Ibi videbis accuratiorem hujus Thomæ Dokingam Operum delineationem, quam hic tibi per compendium obtuli.

De Joanne de Rupella. 1270.

Supplementum.

JOANNES DE RUPELLA Gallus, Ordinis Fratrum Minorum, Theologus Parisiensis claruit circa eumdem annum 1270. cujus etiam memoria in Historia Universitatis Parisiensis, ubi olim docuit sæculo 13. Scripsit *Summam Quæstionum* 148. *& alteram Quæstionum* 115. *de anima inscriptam*, mss. Oxonii in Bibliotheca Exoniensi cod. 6. Item *Summam inscriptam De malo*, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Penbrochiana cod. 78. cui etiam attribuuntur *Sermones Dominicales*, ibidem in Bibliotheca Domus Sancti Petri cod. 94. quamvis subdubitet qui nomen Sermonibus apposuit. Item *Sermones de Sanctis*, mss. in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum Rhegii in Italia. Vide dictam Universitatis Parisiensis Historiam, ubi de suis Doctoribus abundè loquitur: Itemque *Bibliothecam Ord. Minorum* quam instruxit Lucas Vvadingus, ubi pag. 225. alia plura mss. Opera Joannis Rupellani recenset.

De Odone Rigaldo. 1270.

Supplementum.

ODO RIGALDUS Ordinem Seraphicum Fratrum Minorum ingressus anno 1242. ubi Magister in Theologia moribus clarus, & magni nominis Concionator, dein consecratus Archiepiscopus Rothomagensis ab Innocentio IV. Summo Pontifice Lugduni mense Martio exeuntis anni 1247. Quo tempore Dominicani sub Priore Joanne de Rivieriis, tradunt mense Aprili absque ulla reclamatione, eidem Odoni & Successoribus Domum in qua habitaverant ultra Sequanam. Excipitur solemniter in Ecclesia B. Virginis ipso die Paschæ anni 1248. Anno sequenti circa festivitatem resurrectionis Domini, trajicit in Angliam, ut reditus ad Ecclesiam pertinentes Regis Henrici III. gratia impetraret: quod cum obtinuisset, facto hominio de istis redditibus qui in Anglia erant, remeavit in Normanniam teste Matthæo Paris. Scripsit *Sermones de tempore seu Regulam vivendi* apud Petrum Rodulphium in Historia Seraphica, quos habes mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 109. *Commentaria in quatuor libros Moysis*, mss. ibidem in Collegio Sancti Benedicti cod. 149. denique *Commentaria in Psalmos & in Evangelia*, mss. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi codd. 36. & 37. Obiit autem Odo Rigaldus anno 1275. sexto Nonas Julii, non 1276. die 5. Maji, ut est in Calendario Dionysiano: nam illud intelligendum est de Odone Clementis decessore, qui vita defungitur anno 1247. At verò minùs rectè is qui Ciaconii opus supplevit, Reginaldum Minoritam tradit Rothomagensem Antistitem, Lectorem Sacri Palatii & Cardinalium Collegio adscriptum à Papa Bonifacio VIII. sub annum 1303. nec idem esse potest cum Odone isto, qui jam longè antè fato cesserat. Plura in ejus Encomium acervata apud Fratres Sammarthanos in Gallia Christiana tomo 1. pag. 581. ubi *De Archiepiscopis Rothomagensibus*.

De

De Guillelmo Perald. 1270.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS PERALD, Ordinis Fratrum Prædicatorum, vir suo tempore clarissimus, floruit anno 1270. quem aliqui volunt fuisse Lugdunensem Archiepiscopum, alii tantùm fuisse Suffraganeum, seu Episcopum in partibus Infidelium, cum speciali deputatione & cura Lugdunensis Archiepiscopatus. Nullum autem indicium hujus Guillelmi in Collectaneo Episcoporum Lugdunensium, quos habent Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tom. 1. pag 286. & seqq. Quidquid istud sit, Infula si defuit Guillelmo Peraldo, doctrinam non defuisse constat ex *doctissima Summa de Virtutibus & Vitiis*. Quæ sæpiùs in 4. impressa est variis in locis, ac ultimò Parisiis anno 1629. apud Michaelem Soly via Jacobæa sub signo Phœnicis. Attribuitur eidem *Opus Sermonum de tempore & de Sanctis*, quod sæpe excusum est etiam sub nomine Guillelmi Parisiensis Episcopi, ut supra diximus *in Guillelmo Parisiensi* ad ann 1240. Plura apud Possevinum *in Apparatu sacro*, Antonium Senensem *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Prædicatorum*, Ambrosium de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1256. pag. 15. & *in Appendice* pag. 432. qui ei cæco modo attribuit quidquid potest.

De Brocardo. 1270.

SUPPLEMENTUM.

BROCARDUS natione Germanus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, floruit circa annum 1276. Scripsit *Summam Casuum conscientiæ*, quæ cum aliis multis codicibus manuscriptis Veterum Theologorum & Concionatorum, adservatur Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Augustinianorum Eremitarum. Idem ex motu devotionis ac cursitationis in Orientem, lustrata Palæstina, reliquit posteris *Descriptionem Terræ-Sanctæ*, quam habet Henricus Canisius tomo 6. Antiquarum Lectionum Ingolstadii in 4. anno 1604. Itemque Virtembergæ anno 1554. in 8. & postea Coloniæ anno 1624. in 8. Appellatus Brocardus vel Burcardus de Monte Sion, forsitan quòd ibidem aliquantam fecerit moram in Itinere suo, etsi patria Argentinensis fuerit, atque Ordinis Sancti Dominici, quem usque ad annum 1283. vixisse asserunt. De quo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, ubi eum asserit floruisse anno 1260. Ambrosius autem de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* assignat eum anno 1238. de quo loquitur pag. 15. & 431. Appendicis, ubi eum beatum facit pro more & capite suo. At tempus quo præcisè vixerit aut floruerit, definire difficile, imò impossibile est, unde ad ann. 1270. conjecimus.

De Guillelmo Tripolitano. 1270.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS TRIPOLITANUS, incola Acconensis Conventus in Terra Sancta, Ordinis eorumdem Fratrum Prædicatorum, claruit anno circiter 1270. & scripsit ad Theobaldum Placentinum, postea Gregorium X. maximum Pontificem, librum *De statu Saracenorum*, qui manuscriptus extat Oxonii in Anglia in Bibliotheca Collegii Enconensis cod. 3. inscriptus, *De statu Saracenorum & de Mahomete pseudo-Propheta eorum, & de ipsa gente, & eorum Lege & Fide*. Idem manuscriptus in Colbertina Parisiensi Bibliotheca cod. 5129. Florebat eodem

A circiter tempore *Guillelmus de Rubrock*, de quo Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti codice 72. *Itinerarium Fratris Guillelmi de Rubrock, de Ordine Fratrum Minorum, anno 1253. ad Partes Orientales*: Itemque, *Itinerarium Fratris Odolrici de Ordine Fratrum Minorum de Mirabilibus Orientalium Tartarorum*. Hæc omnia simul collegimus ex occasione Itinerum Brocardi Argentinensis & Guillelmi Tripolitani, quamvis *Odolricus Ordinis Fratrum Minorum* floruerit tantùm circa ann. 1320. cujus etiam Itinerarium ibidem ms. cod. 4. cum Itinerario Joannis de Mandeville, de quo nos postea. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* de Guillelmo Tripolitano ad ann. 1297. p. 74.

B *De Gerardo de Fracheto.* 1270.

SUPPLEMENTUM.

GERARDUS DE FRACHETO Lemovicensis, quæ Civitas in Gallia Episcopatus est, Ordinis Fratrum Prædicatorum, floruit anno 1240. qui in manibus B. Jordani Magistri Generalis professionem emisit ab an. circiter 1226. ex primis post mortem S. Dominici alumnis hujus Ordinis in Gallia. Scripsit jussu Humberti Ordinis sui Generalis Magistri, *Libros quinque de Origine ac Viris illustribus Ordinis Fratrum Prædicatorum*, quibus *Humbertus Generalis ejusdem Ordinis cognomento de Romanis*, præfationem tantùm
C addidit, impressos Duaci anno 1619. Idem scripsit *Chronicon ab initio mundi usque ad Coronationem Caroli Franci in Regem Siciliæ anno 1266.* quod vidi manuscriptum in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Rhemensis cod. 281. ita inscriptum: *Chronicon Fratris Gerardi de Fracheto, Ordinis Fratrum Prædicatorum*. Incipit: *In principio temporis ante omnem diem, Deus Pater in Verbo & per Verbum suum fecit ex nihilo rerum omnium materiam, &c.* Idem ms. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis. Obiit anno 1271. die quarta Octobris in Conventu suo Lemovicensi, ætatis 66. Professionis 46. De quo loquitur Possevinus *in Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in Auctoribus paucis ad suum Auctarium *De Scriptoribus Ecclesiasticis* additis, Bernardus
D Guidonis in Historia *De fundatione & progressu Conventus Lemovicensis* Fratrum Prædicatorum, Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad an. 1267. p. 23.

De Radulfo Bockingo. 1270.

SUPPLEMENTUM.

RADULFUS cognomento *Bockingus*, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, natione Anglus ac patria Cicestrensis, scripsit circa annum 1270. *Vitam S. Richardi Cicestriæ in Anglia Episcopi* lib. 2. quos habes prolixos apud Bollandistas ad diem 3. Aprilis. Hunc sui Ordinis Scriptorem ignoravit Ambrosius de Alta-
E mura *in Bibliotheca Dominicana*, quam conscripsit.

De Annibale de Annibaldis. 1270.

SUPPLEMENTUM.

ANNIBAL DE ANNIBALDIS, Ordinis Fratrum Prædicatorum, fuit ex illustri familia Romana oriundus, qui Theologiam Parisiis aliquandiu docuit: sed factus Magister sacri Palatii Romani sub Alexandro IV. & Urbano IV. atque ab isto ultimo factus mense Majo anni 1262. Cardinalis tituli Sanctorum duodecim Apostolorum. Missus à Clemente IV. anno 1266. ut præsens esset Coronationi Caroli Franci in Regem Neapolitanum. Scripsit *Commentarium in quatuor libros Magistri Sententiarum*, quem

quem habes impressum sub nomine & inter Opera sancti Thomæ. Obiit Orvieti anno 1272. ubi jacet cum Epitaphio in Ecclesia Fratrum Prædicatorum, de quo Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1272. pagina 27. & *Appendicis* pagina 437.

De Marco Polo, 1270.

SUPPLEMENTUM.

MARCUS POLUS Venetus, Multis itineribus susceptis cognitus, quorum descriptionem egit anno 1272. inscriptam *De Regionibus Orientis*, quæ impressa cum itineribus Joannis Mandevilli, & Ludolphi de Sucken, & aliorum, cum variis novi Orbis Scriptoribus annis 1532. & 1555. Basileæ in fol. Itemque secunda parte *Hierosolymitani Chronici*, seu *De Bello sacro*, quod anno 1585. edidit duobus tomis, in 4. Helmenstadii Reynerus Reineccius. Denique Coloniæ ad Spream in 4. anno 1671. cum Indice prolixo historico, cura Andreæ Mulleri Berolinensis Præpositi.

De Gaufrido de Bello-loco, 1270.

SUPPLEMENTUM.

GAUFRIDUS DE BELLO-LOCO, Gallicè, *de Beau-lieu*, Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologus, jussu Gregorii Papæ X. scripsit *Historiam Vitæ sancti Ludovici IX. Galliarum Regis*, cui annis viginti à sacris Confessionibus ac Consiliis fuerat, & cui anno 1270. in Castris ad Tunetum piissimè in Domino morienti, extrema Sacramenta administravit. Alterum *librum de Vita & Miraculis ejusdem Regis* adjecit GUILLELMUS CARNOTENSIS, Familiæ Dominicanæ Theologus, & sancti hujus Regis Capellanus: quorum utrumque Opus impressum legitur tomo 5. Collectanei Veterum Historiæ Francicæ Scriptorum, quos collegit Andreas Duchesnius sæpissimè à nobis allegatus. Aubertus Miræus de utroque in auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 396. ac post ipsum paucis Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1276. pag. 46.

De Joanne VVecco. 1270.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES WECCUS, seu BECCUS, Patriarcha Constantinopolitanus floruit anno 1270. venit ad Concilium Lugdunense anno 1274. multa usque ad carcerem & mortem ob doctrinam Latinorum, quam induerat, & quam publicè profitebatur, perpessus est, multaque scripsit quæ ex manuscriptis Codicibus Græcis eruta græcè & latinè immisit in Collectaneum Græciæ suæ Orthodoxæ Leo Allatius Græcorum sui temporis doctissimus. Quo autem anno Joannes VVeccus mortuus sit, mihi rescire hucusque non contigit.

De Georgio Acropolita. 1270.

SUPPLEMENTUM.

GEORGIUS ACROPOLITA, Magnus Logotheta Constantinopolitanus, floruit sub annum 1270. sæculi 13. sub Michaelis Paleologi Imperio, cujus Protovestiarius fuisse creditur. Scripsit *Historiam seu Chronicon Constantinopolitanum* ab anno

A 1203. quo Balduinus Flandriæ Comes Constantinopoli coronatus est Imperator, usque ad annum 1261. quo Michael Paleologus in Balduini secundi locum intravit. Illud manuscriptum græcè Pera in Belgium *Georgius Douza* attulit, quod frater ejus *Theodorus* latinè reddidit: extatque utraque lingua Georgius Acropolita, cum Nicephoro Gregora, & Laonico Chalcocondila, anno 1614. Lugduni Batavorum in 8. Itemque græcè & latinè in folio Parisiis anno 1651. typis Regiis, cum aliis Scriptoribus Historiæ Bizantinæ, ex versione Leonis Allatii. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 386.

B

De Guillelmo de Sanvico. 1270.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS DE SANVICO Anglus, Ordinis Carmelitarum, scripsit circa annum 1270. *Chronicon de Multiplicatione Ordinis Carmelitani per Syriam & Palæstinam, & de Vastatione Monasteriorum Terræ-Sanctæ ac adventu Carmelitarum in Europam*, Anglus natione fuit, & aliquot annis in Monte Carmelo & in Terra-Sancta permansit, atque Accone anno 1251. à Saracenis capta in Angliam rediit, unde posteà Chronicon suum scripsit, cùm in eo mentionem faciat annorum 1267. & 1269. Hoc
C Opus insertum libro 9. Philippi Riboti Catalani de rebus Carmelitanis, qui continentur in Speculo Carmelitarum, quod quatuor tomis in folio evulgavit F. Daniel à Virgine Maria Ordinis hujus Calceatus, ubi omnes ferè Auctores, saltem antiquiores, qui de rebus Carmelitanis agunt, collecti sunt. Impressum an. 1680. Antuerpiæ apud Michaelem Cnobbarum. Idem Opusculum Guillelmi de Sanvico, insertum Tractatui historico de Patriarchis Hierosolymitanis pag. 60. & seqq. quem Bollandistæ censuerunt præmittendum tomo 3. mensis Martii. De illo Aubertus Miræus in Auctario suo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 485. pag. 272. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, ubi eum ap-
D pellat *Guillelmum de Samuco*.

De Joanne Genesio. 1270.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES GENESIUS DE QUALEA, Parmensis, Ordinis Fratrum Minorum, scripsit *Tractatum de Civitate Christi*, impressum Rhegii anno 1501. apud Ugonem Rogerium, & Romæ anno 1523. apud Mazochium, plura VVadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum*.

E

De Thoma de Lentino. 1270.

SUPPLEMENTUM.

THOMAS DE LENTINO, sive LEONTINO, natione Siculus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, per decennium Prior Conventus sui Neapolitani, & tunc forsitan Provincialis Lombardiæ, circa annum 1255. profectus in Terram-Sanctam. Hic scripsit *Vitam sancti Petri Martyris Ordinis sui*, quam habes tom. 3. Aprilis apud Bollandistas ad diem 29. pag. 686. Factus posteà Episcopus Bethleemicus, tum ad Cusentinum Archiepiscopatum assumptus, denique rursum remissus in Orientem à Gregorio X. anno Christi 1272. ad Patriarchatum Hierosolymitanum cum officio Legati Apostolici administrandum, ibidem obiit anno mihi ignoto, sed juxta

Lab-

Labbeum 1277. De illo Bollandistæ in suis præludiis ad Vitam sancti Petri Martyris, de qua diximus, quos convenire poteris. Plura verba de illo Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1276. pag. 45.

De Raymundo Martini. 1270.

SUPPLEMENTUM.

RAYMUNDUS MARTINI Catalanus, Ordin. Fratrum Prædicatorum, circa annum 1278. scripsit Opus nobile & arduum inscriptum, *Pugio Fidei adversùs Mauros & Judæos*, aureum librum post quatuor sæcula è tenebris erutum, & novissimè Parisiis in folio apud Joannem Henault, via Jacobæa sub signo Angeli Custodis impressum anno 1651. cum variis & doctissimis Observationibus eximii viri Joannis Voisin Senatoris Burdegalensis. Ex illo autem Galatinus optima quæque in sua arcana transfudit, suppresso penitùs Auctoris nomine, quod homine ingenuo indignum est. Videas Ambrosium de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1283. pag. 58. & *in Appendice* pag. 449. usque ad nauseam *de Raymundo* concionantem.

De Udalrico Argentinensi. 1280.

UDALRICUS de Argentina Ordinis Prædicatorum, & Alberti Magni auditor, scripsit *in libros quatuor Magistri Sententiarum: & summam Theologiæ ac librum de anima*, claruit anno Domini 1280.

DISSERTATIO HISTORICA.

UDALRICUS sive Ulricus aut Uldaricus, natione Germanus, à patria Argentinas sive Argentoratensis dictus, Ordinis Prædicatorum, Alberti Magni discipulus, ut nuncupatur à Joanne Nider in tractatu de Reformatione Religiosorum, ubi Summæ ejus citat librum sextum, tractatum primum, & caput ultimum. Floruit circa annum 1280. sub Rudolfo Imperatore, teste Trithemio, unde Antonius Senensis, Eisingrenius, Possevinus, aliique moderni.

Commentaria ejus in quatuor libros Sententiarum Magistri Petri Lombardi, & alia si quæ sint opera, quis Typographus, quave in urbe aut anno excuderit, nemo me hactenus docuit: nec Simlerus, nec Possevinus, nec Patrologus aut Miræus exscriptores Bellarmini, aliive. Unum hoc scio: *Compendium Theologiæ* quod extat inter opuscula Sancti Thomæ à quibusdam huic Ulrico tribui, ut supra suo loco monuimus.

De Ruperto de Russia. 1280.

RUPERTUS, sive Robertus de Russia Ordinis Minorum claruit eodem tempore, & circa annum Domini 1280. scripsit *Commentaria in quatuor libros Sententiarum: Expositionem in Regulam S. Francisci, & librum de anima.*

DISSERTATIO HISTORICA.

RUPERTUS de Russia, sive quod idem est Robertus Ruthenus (Miræus aliud agens Hassium vocavit, quod mirum cùm Bellarminum dumtaxat exscripserit) Ordinis Fratrum Minorum. Trithemio dicitur claruisse anno Domini 1270. Imperio vacante: alii enim cum Bellarmino & Patrologo floruisse volunt, alii obiisse anno 1280. cum Possevino & Luca Waddingo. Ego quid certi proferam non habeo. Idem qui supra Trithemius, ex quo cæteri, celebrat *Declarationem in regulam Sancti Francisci*, ad Haymonem Anglicum Ordinis sui Ministrum Generalem virum æquè doctissimum, *libros 4. in sententias Petri Lombardi, & sermones varios*, quibus recentiores addunt *librum de Anima*: sed nemo me hactenus docuit, qua in Officina, quove anno opera illa fuerint typis impressa, nec Gesnerus, ejusque breviator Simlerus ad Trithemium quicquam addidere. Ipse quoque de eo nihil, quod hactenus adverterim, Sixtus Senensis protulit.

De Gulielmo Durante. 1280.

GULIELMUS Durantes, dictus speculator, natione Vasco, Episcopus Mimatensis, jureconsultus insignis, scripsit *Speculum in tria volumina distinctum ad Cardinalem Othobonum*, qui fuit postea Hadrianus Papa quintus. Scripsit etiam *rationale divinorum officiorum libris octo, & Repertorium juris*, & *Commentaria in Canones Concilii Lugdunensis*. Vivebat tempore Nicolai III. Pontificis anno Domini 1280.

DISSERTATIO HISTORICA.

GUILLELMUS Durantes, sive Durandus, Speculator vulgo dictus, natione Vasco, seu Provincialis potiùs è Podio Missonis ex Nuncio Pontificio in Umbria, & Decano Carnotensi, creatus anno 1286. Episcopus Mimatensis, seu Gabalitanus in Aquitania prima ejus nominis III. vixit usque ad annum 1296. quo Romæ mortuus est Kalendis Novembris, & sepultus in æde Dominicanorum supra Minervam, cum epitaphio, quod refert Ferdinandus Ughellus in Episcopis Urbaniensibus. De eodem Simon Majolus Episcopus Wltoranensis in ejus vita, Valentinus Forsterus, qui ait Patrem practicæ dictum, sed malè Provincialem Ordinis Prædicatorum cum Ant. Lusitano, Alfonso Fernandio, aliisque appellat, Jo. Fichardus in vitis Jureconsultorum, Trithemius, aliique. Simlerus errat dum anno 1236. floruisse asserit, & alii, qui juvenem adhuc obiisse volunt, & an. 30. non ita multùm egressum.

Speculum Juris in tria volumina distinctum, ad Cardinalem Sancti Hadriani Othobonum Fliscum, qui postea fuit Hadrianus V. Papa scriptum dicitur anno 1261.

Rationale Divinorum Officiorum libris octo comprehensum, quod anno 1286. variis districtus negotiis absolvit, ut ipse narrat libro 8. cap. 9.

Repertorium Juris, quod una cum prioribus libris Lugduni prodiit annis 1516. 1551. &c.

Commentarius in Canones Concilii Lugdunensis. Fani apud Jacobum Moscarenum in 4. anno 1569.

Idem qui supra Forsterus falsò scripsit mortuum fuisse juvenem vix 30. an. egressum, & de re Sacramentaria hanc illius refert sententiam: *Verbum audimus: motum sentimus: modum nescimus: præsentiam credimus.*

De Gerardo Leodiensi. 1280.

SUPPLEMENTUM.

GERARDUS Ordinis Fratrum Prædicatorum, insignis hoc tempore Theologus & Concionator, docuit Theologiam tum Parisiis, tum Leodii postea, unde nomen ei Gerardi Leodiensis adhæsit.

hæsit. De illo sic Henricus Gandavensis in Opusculo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 53. *Gerardus Ordinis Prædicatorum Lector Domus Leodiensis composuit Tractatum Religiosis valde utilem, sumpto themate ab illo loco libri Regum*, Præparate corda vestra Domino, &c. *Septem Dispositiones circa cor faciendas docens, multaque ad ædificationem pertinentia hinc & inde ex Scripturis colligens*. Opus istud inscriptum, *Speculum Concionatorum de doctrina cordis, septem libris*, impressum Neapoli in 4. anno 1607. Habetur mss. sed Anonymum Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 148. Scripsit etiam *Sermones de tempore ac de Sanctis*, quos Aubertus Miræus in Scholio ad caput 53. libri de Scriptoribus Ecclesiasticis Henrici Gandavensis, ait mss. extare apud Belgas in Valle-Viridi, & Lovanii ad sanctum Martinum. Extant mss. Cremonæ in Italia, in Bibliotheca Fratrum Augustinianorum, quos *Eremitas* appellamus. Agunt de Gerardo Leodiensi Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, Aubertus Miræus loco citato, Ambrosius de Altamura sæpe citatus *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1270. pag. 25.

De Balduino Avesnensi. 1280.

SUPPLEMENTUM.

BALDUINUS AVESNENSIS sub annum 1285. scripsit Latinè *Historiam Genealogicam Comitum Hannoniæ, & aliorum Procerum*, quæ mss. extabat olim Parisiis apud Andream Duchesnium, & Bruxellæ apud Chiffletios, nunc autem in Bibliothecæ Regiæ mss. Codicibus.

De Georgio Cyprio. 1820.

SUPPLEMENTUM.

GEORGIUS CYPRIUS anno 1283. ita volente Andronico Imperatore, factus est è laico Monachus, ex Monacho post Sacrorum Ordinum gradariam susceptionem mox consecrandus Patriarcha Constantinopolitanus, de quo plura videri possunt in Pachimeri Historia nuper vulgata per Petrum Possinum. Scripsit *Encomium S. Georgii Magni Martyris*, quod legitur Græcè & Latinè apud Bollandistas ad diem 23. Aprilis. Item extant *variæ Georgii Cyprii Epistolæ* mss. Græcè in Bibliotheca Vaticana, & Bavarica cod. *96*. Hanc porrò dignitatem Patriarchatus abdicavit paulò ante mortem, quæ contigit anno 1290. Hæc Daniel Papebrokius tom. 3. Aprilis pag. 102. ad finem capitis secundi Commentarii prævii ad acta S. Georgii.

De Theodorico de Apoldia. 1280.

SUPPLEMENTUM.

THEODORICUS DE APOLDIA, Thuringus, Patria Herefordensis, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, clarus anno circiter 1280. scripsit prolixè & ornatè *Vitam sancti Dominici Fundatoris Fratrum Prædicatorum libris VII.* de quibus Surius & Bollandistæ agent ad diem suum. Item libros 8. *De sancta Elizabetha Andreæ Regis Hungarorum filia, Ludovici Landgravii Thuringiæ Vidua*, quos ex mss. Codd. Henricus Canisius tom. 5. lectionis antiquæ primus publicavit, & Matthæus Raderus tom. 1. Bavariæ sanctæ in Compendium eleganti stylo redegit. Ipsa Marpurgi anno 1231. sanctissimè obiit, in tabulas publicas anno 1235. à Papa Gregorio Nono relata. De Theodorico Antonius Possevinus in Apparatu sacro bis, nempe verbo *Theodericus de Apoldia & Theodericus Thuringus*; Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 394. pag. 260. aliique Scriptores de Rebus Fratrum Prædicatorum; Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1288. pag. *61*.

De Engelberto Abbate. 1288.

SUPPLEMENTUM.

ENGELBERTUS Abbas Admontensis in Stiria claruit anno circiter 1280. & scripsit librum *De ortu, progressu & fine Romani Imperii*, quem habes in Bibliotheca veterum Patrum sæculo 13. Lugdunensis ultimæ editionis, & aliarum. Scripsit etiam anno 1273. *Carmine Heorico Panegirim Coronationis Rodulfi Hasburgici in Romanorum Imperatorem*, quam habes in Collectionibus Historicorum Germaniæ quos diversi ediderunt. De Engelberto Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, quem tamen rejicit ad annum 1320. quo usque vivere quidem potuit, licèt anno 1280. floruerit. Opus Engelberti Admontensis *De ortu, progressu & fine Romani Imperii*, impressum primò Basileæ in 8. anno 1553. typis Oporinis cum Odeporico Bavarico Gasparis Bruschii: qui præmisit præfationem cautè legendam, utpote hominis hæretici.

De David de Augusta. 1280.

SUPPLEMENTUM.

DAVID DE AUGUSTA Vindelicorum, Theologus, Ordinis Fratrum Minorum, claruit anno circiter 1280. & sequentibus, scripsit *Formulam Novitiorum de reformatione exterioris hominis*. Item *formulam interioris hominis & libellum de septem progressibus Religiosi*; quæ tria opuscula primùm seorsim, & postea à Coloniensibus tom. 13. Bibliothecæ Patrum edita fuerunt. Hæc etiam opuscula devota quæ S. Bonaventuræ perperam attributa, legitimo quidem auctori restituta sunt, in Bibliotheca sanctorum Patrum, editionis Lugdunensis anni 1677. sæculo 13. Vide Antonium Possevinum *in Apparatu Sacro* pag. 417. Lucam Vvadingum *De Scriptoribus Ordinis Minorum* pag. *99*.

De S. Gertrude. 1280.

SUPPLEMENTUM.

GERTRUDIS sancta Virgo & Abbatissa Monasterii Helffedani in Comitatu Mansfeldensi in Germania, claruit scientia & moribus circa annum 1280. Scripsit *libros 4. insinuationum divinæ pietatis*, qui incipiunt ab his verbis: *Abyssus increatæ Sapientiæ*: quibus præmittitur alius liber de ejus vita ab auctore Anonymo, incipiens à verbis sequentibus: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, &c. impressi primùm Coloniæ anno 1579. in 4. tum correctiùs in 8. Parisiis anno *1662*. apud Fredericum Leonard via Jacobæa sub Scuto Veneto. Opus istud devotioni muliebri aptissimum, quod in editione ultima inscribitur, *Vita & Revelationes sanctæ Gertrudis Abbatissæ Ordinis sancti Benedicti*. Obiit sancta Gertrudis in suo Monasterio anno 1290. de qua plura habet Antonius Possevinus in Apparatu Sacro verbo *Gertruda Abbatissa*.

De

De S. Mechtilde. 1280.

SUPPLEMENTUM.

SANCTA MECHTILDIS Sanctiſſima ſoror ſanctæ Gertrudis, ejuſdem Sanguinis, ejuſdem Inſtituti, ejuſdem temporis, ejuſdem gratiæ atque ingenii, ſcripſit etiam *ſimillimas Viſiones* ſeu *Revelationes*, quas inſcripſit *ſpirituales gratias lib. V.* de cujus ſcriptis & obitu loquitur ſancta Gertrudis prædicta: unde patet Mechtildem abiiſſe ad Dominum ante Divam Gertrudem. Ejuſmodi revelationes, aptum fœmineo ſexui & ingenio opus, impreſſæ ſunt Pariſiis in fol. anno 1513. charactere eleganti pro ratione temporis, ex officina Henrici Stephani è Regione Scholæ Decretorum. Eſt autem Collectaneum quoddam continens varias diverſorum revelationes, quod rectè *Collectaneum Viſionum vel Viſionarium* appellaretur. Continet fol. 1. *Hermetis Viſiones* ſeu *Paſtorem Hermetis* libris 3. fol. 17. proſaicum libellum *De Viſione Vvettini Monachi*, quem poſteà iterum edidit D. Joannes Mabillon in actis SS. Ordinis Divi Benedicti ſæculo 4. tom. 1. pag. 263. & ſequentibus. Tum fol. 19. *libri duo ſomniorum ſeu revelationum F. Roberti Ordinis Fratrum Prædicatorum*, qui an. circiter 1330. floruit; ſuaque ſomnia ſcriptis mandavit. Fol. 28. lib. 3. *Revelationum ſanctæ Hildegardis Virginis Scivias intitulati*, qui incipiunt: *Ecce quadrageſimo tertio temporalis curſus mei anno*, &c. Fol. 119. *libri V. Viſionum ſeu Revelationum ſanctæ Eliſabeth Abbatiſſæ Schonaugienſis*, alibi etiam poſteà impreſſi, ut ſuperiùs diximus. Denique fol. 150 *libri V. gratiarum ſpiritualium ſanctæ Mechtildis Virginis*, de quibus ſupra. Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro mentionem facit *ſanctæ Mechtildis*, ſed fallitur in eo quòd ait eam vixiſſe adhuc anno 1300. Cùm enim mortua ſit ſancta ſoror Gertrudis ex ipſo Poſſevino anno 1290. & hæc in Scriptis ſuis loquatur de ſorore Mechtilde tamquam mortua, non poteſt vixiſſe uſque ad annum 1300. ſed mors aſſignanda circa annum 1284. vel 1286.

De Petro Alverno. 1280.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS ALVERNUS ſeu DE ALVERNIA Gallus, vir doctus, ſancti Thomæ dum Pariſiis legeret Diſcipulus claruit anno circiter 1280. Scripſit *Appendicem ſeu Supplementum ad Summam ſancti Thomæ Magiſtri ſui*, quod ſemper impreſſum eſt ad calcem ejuſdem ſummæ. Extant ipſius Commentarii in aliquot libros Ariſtotelis, nempe *De motibus Animalium*, *de longitudine ac brevitate vitæ*, *de juventute ac ſenectute*, *de reſpiratione*, *de morte ac vita*, qui prodierunt Venetiis anno 1507. una cum ejuſdem ſancti Thomæ *Commentariis in Ariſtotelem de ſenſu & ſenſato*, *ac de memoria*. Item ejuſdem Petri Appendix Commentariorum D. Thomæ Aquinatis ad libros Ariſtotelis de Cœlo, quos D. Thomas non abſolverat: nimirum ad partem tertii & ad quartum integrum, quæ Venetiis excuſa fuerunt anno 1495. apud Scottum. Ejuſdem *Commentarii in libros Phyſicorum Ariſtotelis*, mſſ. Oxonii in Bibliotheca Balliolenſi in Anglia cod. 97. *in parva Naturalia ejuſdem*, mſſ. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus ſancti Petri cod. 54. *in Meteora* Oxonii in Collegio novo cod. 245. in Balliolenſi cod. 229. denique *in Politica Ariſtotelis*, mſſ. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus ſancti Petri cod. 40. De illo Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro*, Ambroſius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1273. pag. 28. & in Appendice pag. 437.

De Nicolao de Hanaps. 1280.

SUPPLEMENTUM.

NICOLAUS DE HANAPS natione Gallus, in Diœceſi Rhemenſi natus, ex pago ejuſdem nominis in Thieraſcia juxta Aubentonium, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, ſcripſit opuſculum intitulatum; *Exempla virtutum & vitiorum ex Univerſæ Scripturæ divinæ promptuario deſumpta*, impreſſum Pariſiis in 8. anno 1547. ſub nomine proprii auctoris, apud Joannem Foucher via Jacobæa ſub ſigno Urbis Florentiæ, ac Tubingæ in Germania anno 1533. apud Huldericum Morhart, demum Venetiis in 16. anno 1637. Vocatur vulgo *Biblia pauperum*, falsò ſancto Bonaventuræ à quibuſdam adſcriptum, atque in ejus opuſculis impreſſum, ut ex mſſ. Neapolitanis Codicibus Antonius Senenſis tradit in ſua Bibliotheca. Conſtat hoc opus capitulis 134. & incipit: *Creatio Rerum ita fuit mirabilis*. Non tantùm autem Neapoli mſ. extat ſub nomine proprii Auctoris Nicolai de Hanaps, ſed in aliis multis Bibliothecis, Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Auguſtinianorum Eremitarum, Cameraci in Biblioth. Eccleſiæ Cathedralis pulpito 6. & alibi. Videas de eo Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 448. pag. 294. Factus dicitur Hieroſolymitanus Patriarcha, & obiiſſe anno 1288.

De Guidone Archidiacono. 1283.

GUIDO Baiſius Archidiaconus Bononienſis, ſcripſit *Commentarium in decretum Gratiani*, quod *Roſarium* appellavit. Scripſit etiam *in epiſtolas Decretales*, claruit anno 1283.

DISSERTATIO HISTORICA.

GUIDO Baſius, ſeu Baiſius, aliàs de Baypho, vel Bayſio, Regienſis patria, ſed Bononienſis Archidiaconus, clariuſſe dicitur anno 1283. Trithemius ſub Adolfo Naſſavio Imp. collocat anno 1290. additque apud ſcientiæ utriuſque Juris Profeſſores, magnam uſque ad ſua tempora perſeveraſſe ejus auctoritatem.

Roſarium, ſeu, *Commentarius in Decretum Gratiani*, *& in libros quinque Decretalium Gregorii IX. Papæ*, Venetiis anno 1580. cum Nicolai Superantii, & Petri Albignani Tretii Jureconſultorum annotationibus.

De Ægidio Romano. 1290.

ÆGIDIUS Romanus ex nobili familia Columnenſium, Ordinis S. Auguſtini Prior generalis, ac poſtea Archiepiſcopus Bituricenſis, Sancti Thomæ auditor, & ejus doctrinæ defenſor acerrimus, plurima ſcripſit tum Philoſophica, tum Theologica; ſed magna ex parte non extant, niſi manuſcripta in variis Bibliothecis. Quæ extant Theologica impreſſa, hæc ſunt.

In primum & ſecundum Sententiarum Commentaria. In Exameron libri duo. In Cantica Canticorum lectiones novemdecim. In Epiſtolam ad Romanos lectiones. In cap. Firmiter, & in cap. Marthæ expoſitio. In Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam explanatio. Tractatus de corpore Chriſti, de diſtinctione articulorum Fidei & de arca Noe. Theoremata de Sacramento altaris, & de corpore Chriſti. Tractatus de renunciatione Papæ.

Libel-

Libellus scriptus occasione Clerici minus sufficienter ad Subdiaconatum promoti. Quomodo Reges possint bona Regni Ecclesiis elargiri. De Regimine Principum libri tres Quodlibeta. Tractatus contra exemptos. De divina influentia in beatos. De laudibus divinæ sapientiæ. De defectu malorum culpa. De prædestinatione, præscientia, paradiso, & inferno. De peccato originali. Castigatorium in corruptorium librorum Thomæ Aquinatis.

Extat etiam *manuscriptus liber*, quem ego vidi, *De potestate Ecclesiastica.*

Ex Philosophicis hæc habentur typis mandata,

In Metaphysicam Aristotelis expositio. In ejusdem libros de anima. In Ejusdem libros de generatione. In ejusdem libros Priores analyticos. In ejusdem libros Rhetoricorum. De materia cœli. De formatione corporis humani. Super auctorem libri de causis. De esse, & essentia. De motu Angelorum. De mensura Angelorum. De cognitione Angelorum.

Sed hi tres postremi tractatus possunt inter opera Theologica numerari. Floruit hic auctor circa annum Domini 1290.

Observatio.

Opusculum in orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, & tractatus de corpore Christi: non sunt omninò certa opera Ægidii. Solet citari liber in quartum sententiarum nomine Ægidii, ut etiam liber de intellectu possibili contra Averroem, & de gradibus formarum: sed, utrum ii libri extent, ignoro.

DISSERTATIO HISTORICA.

ÆGIDIUS, patria Romanus ex nobilissima Columnensium familia, Doctor Fundatissimus vulgò dictus, S. Thomæ Aquinatis discipulus, ejusque doctrinæ defensor acerrimus, Ordinis Eremitarum S. Augustini, renunciatus fuit Prior Generalis in Comitiis Romæ anno 1292. coactis, tum commendatione atque opera Philippi Pulchri Christianissimi Francorum Regis, cujus fuerat Præceptor anno 1296. ad Bituricensis Patriarchatus apicem evectus, interfuit Concilio Viennensi anno 1311. ac demum Avenione obiit die 22. Decembris anni 1616. Sepultus Parisiis in æde Augustinianorum ad ripam Sequanæ juxta principem Templi aram. De eo plura Jacobus de Saxonia, Josephus Pamphilus, Thomas Gratianus, Angelus Rocca, Cornelius Curtius, Philippus Elssius in Encomiastico, Possevinus, Bellarminus, Miræus, quique de S. R. E. Cardinalibus, eorumque operibus (multi enim quamquam falsò in Purpuratorum Patrum numerum cooptatum fuisse asserunt) aut de Archiepiscopis Bituricensibus scripserunt, ac præcipuè Anonymus Sansulpitianus Monachus, cujus Patriarchium Bituricense edidimus ipso initio Tomi II. Novæ Bibliothecæ mss. librorum, ut omittam Baronianorum Annalium Continuatores Bzovium, Spondanum, & Odolricum.

Opera ejus tum Philosophica tum Theologica, variis in locis edita sunt, nec unquam in unum corpus fuere redacta. Quorumdam texuit Catalogum Bellarminus, non omnium: nos investigare deinceps conabimur, quæ, quibusve in locis excusa sunt, omissis cæteris, quæ nondum lucem publicam viderunt, ni fortè satius fuerit expectare brevi prodituram R. P. Ludovici Jacobi à S. Carolo Carmelita Bibliothecam Cardinalitiam. Interim observandum moneo cum R. P. Theophilo Raynaudo in libro Erotematum de malis ac bonis libris, deque justa aut injusta eorumdem confixione, pag. 122. *Correctorium corruptorii doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis*, sub nomine Ægidii vulgatum, tribui Joanni Parisiensi Ord. Prædicatorum ejusdem Ægidii æquali (ut suo loco dicemus) tum à Joanne Pico quæstione I. Apologetica, tum à Leandro Alberto libro 4. de Viris Illustribus Prædicatorum. Verùm, ut rectè idem subjungit, cùm addat Leander Richardum quoque Clapoel Anglum scripsisse eodem argumento & titulo librum, quidni & ipse Ægidius ea de re scribere, & vindex pro magistro exurgere potuerit? Quare ad mss. codices, & coætaneorum scriptorum testimonia recurrendum. De Ægidiis Medico ac Poeta, Corboliensi altero, altero Parisiensi, erit alius, Deo dante, disputandi locus.

De Raymundo Lullo. 1290.

RAYMUNDUS Lullus ex insula Majorica, vixit tempore Philippi Pulchri Regis Francorum circa annum Domini 1290. Scripsit lingua sua vulgari, *multa opera*, quorum aliqua versa sunt in linguam Latinam, ut Ars magna, & parva. Hunc Raymundum Eimericus in directorio Inquisitorum scribit accusatum fuisse ad Gregorium XI. Papam vel potius accusata fuisse scripta ejus, quòd continerent plusquam trecentos errores, & Bernardus de Lutzemburgo Raymundum hunc ponit in Catalogo hæreticorum. Contra autem non desunt, qui eumdem Raymundum colant, ut sanctum Martyrem, & vocent Doctorem illuminatum, & scripta ejus orthodoxa esse confirment: de qua re editus est liber anno 1604. cùm hac inscriptione, Sententia definitiva in favorem Lullianæ doctrinæ juris ordine, & Apostolica auctoritate lata, & in veritatis triumphum, inque gloriosæ vindicationis memoriam, denuo impressa, & principalibus rescriptis munita. Quid in hac controversia tenendum sit, nondum videtur esse definitum ab Apostolica Sede, cùm tam directorium Eimerici, quàm liber illi oppositus, publicè, & sine prohibitione legatur.

DISSERTATIO HISTORICA.

DE hoc ingens inter Scriptores rixa: aliis eum inter Hæreticos recensentibus, aliis suspectum de fide multisque implicatum erroribus, atque histrionem, perditæque memoriæ virum infamantibus, aliis denique, non tantùm ejus absolutioni subscribentibus, sed etiam ut Martyrem Doctoremque Illuminatum deprædicantibus. Obiisse dicitur in ora Mauritaniæ lapidibus appetitus anno ætatis 80. die 26. Martii anni 1315. unde postea delatus in Balearium primariam Insulam Majoricam, ut Sanctus, & pro fide Martyr colitur ab incolis. Vitam ejus atque apologiam scripserunt Lucas Waddingus in Annalibus & Bibliotheca Ordinis Minorum, Dervicius Thadæus in Nitela Franciscanorum, Nicolaus Caussinus noster in Aula sancta, Guillelmus Colletetius inter Poetas nostræ ætatis vir eruditus, & alii, qui aspersas nomini Lulliano ab Abrahamo Bzovio in Annalibus Ecclesiasticis & quibusdam aliis hæreseos, errorumque maculas diluere moliti sunt. Videndi quoque de eo Carolus Bovillus, Spondanus, Odolricus, Vasquez in primam partem Sancti Thomæ, Franciscus Penna in Notis ad Directorium Inquisitorum Eimerici, Andreas Schottus in Bibliotheca Hispanica, Joannes Imperialis in Musæo Historico, Jo: Mariana & ex eo Miræus, Arturus à Monasterio,

sterio; Theophilus Raynaudus, &c. quorum plerique observant Raymundo Lullo Balearico, de quo agimus, posteriorem fuisse alterum Raymundum Lullum juniorem, dictum de Tarraga, sive Neophytum, qui cùm è Judæo conversus ad fidem Christianam & Ordinem Prædicatorum ingressus in plurimos errores incidisset, Gregorii XI. Papæ jussu examinatus, ac damnatus est, ejusque libri flammis addicti. Idem Wadingus libros ejusdem Lulli Majoricensis quem Tertiariis Ordinis Sancti Francisci accenset, in varias classes distinxit, quamvis non satis in omnibus accuratè mss. ab editis discreverit, & loca impressionum ac tempora adsignaverit. Sunt autem hi:

Generales Artium libri. Logicales libri. Philosophi, seu melius, *Physici. Metaphysici libri. Variarum artium libri. Medicinæ libri. Juris utriusque libri. Libri spirituales & contemplationis. Prædicabiles libri. Quodlibetici*, *seu variarum rerum libri. Disputationum variarum seu Controversiarum libri.*

Suspecti, quique sub nomine Lulli falsò circumferuntur, ut nominatim *Liber de Invocatione Dæmonum*, qui teste Eymerico in Directorio, dicitur esse Raymundi Lulli junioris sive Neophyti. Plura de Scriptore illo πολυθρυλλητοτάτῳ, ejusque opusculis sive calamo dumtaxat exaratis, sive prælo typographico hactenus commissis differenda offeret fortè nobis commodior aliqua opportunitas. Hæc interim sufficiant non ex uno fonte derivata in tuos, si voles usus.

De Richardo de Media-Villa. 1290.

RICHARDUS de Media-Villa, natione Anglus, Ordinis S. Francisci, scripsit *in libros quatuor Sententiarum* dilucida *Commentaria*, in quibus S. Thomæ doctrina imitari visus est.

Scripsit etiam *in quatuor Evangelia*, & *in Regulam Fratrum Minorum*, &, *contra Petrum Joannem librum unum*. Dicitur etiam scripsisse de Conceptione Beatæ Virginis, & in epistolas S. Pauli, & de ordine judiciorum, quod an ita sit, non mihi constat.

DISSERTATIO HISTORICA.

RICHARDUS de Media-Villa, Anglicè *Middeltonne*, natione Anglus, (sunt tamen qui Scotum statuerunt aut Gallum, dictum, si superis placet, vernacula dialecto *de Miville*) Ordinem Minorum ingressus, Doctoris solidi, Copiosi, vel Fundatissimi titulis insignitus est. Obiit Oxonii in Anglia, ubi per multos annos docuerat, circa annum 1300. aut etiam serius. De eo Joannes Trithemius, Sixtus Senensis qui ad annum 1290. revocat, Possevinus, Miræus, Henricus Willotus, Waddingus in Annalibus & Bibliotheca, Pitseus, Dempsterus, aliique præsertim Britanni aut qui de Britannis scripsere.

In IV. libros sententiarum Petri Lombardi Commentaria, *seu*, *Quæstiones subtilissimæ*, Venetiis 1509. & 1589. tum Brixiæ anno 1591. duobus tomis.

Quodlibeta varia Venetiis 1509. & in eadem Brixiensi urbe 1591.

In quatuor Evangelistas singulos libros edidit sermone scholastico, vir in divinis Scripturis, in Jure Pontificio, & in doctrinis sæcularibus apprimè eruditus, inquit Sixtus Senensis, sed ego illos impressos non vidi, nec scholia in Regulam S. Francisci, aut librum de Conceptione B. Virginis, &c. quæ quidam memorant.

A

De Henrico Gandavensi. 1290.

HENRICUS à Gandavo natione Belga Archidiaconus Tornacensis, vir doctissimus, scripsit *egregium opus Quodlibetorum*. Item *summam quæstionum ordinariarum*. Item *de Virginitate*, *& Pænitentia*. Denique etiam *Commentaria in libros Physicorum & Metaphysicorum Aristotelis*, & librum de viris Illustribus. Obiit anno Domini 1293.

DISSERTATIO HISTORICA.

B

HENRICUS, à patria Gandavensis vulgò dictus, sive Mudanus à Muda suburbio, quod modò continetur intra pomæria Gandavi, cognomento Goethalsius, sive Goedhals, hoc est, Bonicollius, εὐτράχηλος, Parisinus Doctor, Solemnis titulo celeberrimus, & Archidiaconus Tornacensis, in qua urbe obiit anno ætatis 76. Christi 1293. die 8. Septembris, in Beatæ Mariæ Virginis æde primaria sepultus, ut docet Trithemius, qui morti ejus diem festum Apostolorum Petri & Pauli assignat, cujus tamen sepulchri nullam extare memoriam testatur Valerius Andreas, quem vide cum Meyero, Marchantio, Suertio, Sandero, Vossio, &c. Errat Simlerus, qui anno 1299. floruisse testatur. Sunt qui asserant Ordinis Servorum B. Virginis Mariæ fuisse decus atque ornamentum singulare, & testem advocant Archangelum Gianinum in Annalibus ejusdem Ordinis, quos consulat per otium Lector. Fides enim sit penes Auctorem illum Transalpinum, rerum Belgicarum minùs, ut opinor, callentem.

C

Theologica Quodlibeta. Parisiis à Jacobo Badio edita anno 1518.

Summa Quæstionum Theologicarum ordinariarum, ibidem excusa anno 1520.

Liber de Viris Illustribus, sive, Continuatio Catalogorum Sancti Hieronymi, & Sigeberti Gemblacensis de Scriptoribus Ecclesiasticis, usque ad sui ævi tempora perducta, extat cum aliis ejusdem argumenti excusa à Siffredo Petro anno 1580. Coloniæ & Antuerpiæ ab Auberto Miræo anno 1639.

D

Mirum ait Ger. Jo. Vossius, in eo opere non meminisse operum S. Thomæ: meminit quidem, sed parciùs, cap. 45. cùm monet contra Villelmi de Sancto Amore invectivum librum in Ordines tam Fratrum Prædicatorum quàm Minorum edidisse opusculum subtilissimum, in quo ejus errorem redarguit, & confutat. Sed vana est ejusdem Vossii conjectura, qua suspicatur id dedisse Jo. Scoto, à quo sit ob insignem doctrinam commendatus. Certè cùm Catalogum illum scribebat Henricus, vix ullam apud homines famam sibi conciliaverat Scotus: neque ex Anglia in Franciam venit, nisi pluribus post Henrici Gandavensis obitum annis.

E

De Thoma Hybernico. 1290.

SUPPLEMENTUM.

THOMAS HYBERNICUS cognomento *Palmeranus*, Socius Sorbonicus, circa annum 1290. scripsit Alphabetico ordine opus excerptum ex Sanctis Patribus intitulatum, *Flores Doctorum* sæpius impressum, ut Parisiis anno 1556. & *Flores Bibliorum* etiam impressos: sed utrumque opus nuperrimè anno 1678. & 1679. impressum in 12. Lugduni duobus tomis apud Joannem Certum via Mercatoria sub signo Sanctæ Trinitatis, utrumque antea Parisiis in 12. anno 1662. apud Claudium le Goust & Carolum

rolum Fosset via Jacobæa sub signo Resurrectionis, Flores Doctorum Communiter in mss. Codd. inscribuntur *Manipulus Florum*, cum Prologo parvo qui incipit: *Abiit in agrum*, & habetur ms. in Bibliotheca Cameracensis Ecclesiæ pulpito 9. num. 8. Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Augustinianorum Eremitarum, apud Præmonstratenses Bucilienses in Episcopatu Laudunensi; passim in Bibliothecis Anglicis, Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus S. Petri codd. 79. & 83. cum isto lemmate: *Manipulus Florum sive extractiones originalium, edita* à M. Thoma de Hybernia *quondam Socio de Sorbona. Inchoavit Tho. Vvalleys, absolvit Tho. de Hybernia*. Item, *Manipulus Florum quem inchoavit* Joannes *Gualensis qui floruit anno* 1260. *quem ejus morte imperfectum absolvit & locupletiorem reddidit Tho. de Hybernia qui claruit anno* 1290. Item ms. Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi cod. 27. Orialensi cod. 33. Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caii cod. 169. Ex his patet quo tempore floruerit Thomas Hybernicus, quem Codd. mss. appellant Socium Sorbonicum, sed suis accenset Franciscanis Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 326. & quem ad annum circiter 1330. rejicit. Plura de illo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, ubi summa cura recenset varias editiones operum illius, in præcipuis Christiani Orbis Urbibus.

De Jacobo de Voragine. 1290.

SUPPLEMENTUM.

JACOBUS JANUENSIS seu DE VORAGINE, sic dictus (ut Joannes Trithemius refert) propter profunditatem doctrinæ, quasi voraret omnes: aliis de Varagine dictus ab Oppido quod est in Territorio Genuensium, non longè à Genua situm. Archiepiscopus postea Genuensis factus, vir fuit suo tempore clarissimus, & multifaria rerum cognitione illustris. Apud posteros autem nomen suum evulgavit multis operibus, sed quæ jam à viris eloquentibus vel gravibus hujus sæculi modicè considerantur & æstimantur, sive spectes dictionem in concionibus quas reliquit, vel fidem probam in Historiis quas retulit. *Utriusque Testamenti libros in Italicum sermonem primus omnium summa fide ac diligentia transtulit*, inquit Sixtus Senensis, in sua Bibliotheca Sancta lib. 4. Sed hoc non concedit Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, verbo *Biblia* pag. 225. & si concederet; non admitterent qui opus italicum Jacobi Genuensis nunc legerent, quamvis suo tempore talis forsitan haberetur. *Legendas Sanctorum in unum volumen compilavit*, multa illi ex Historia Ecclesiastica & tripartita conjungens. Hoc opus olim antiquis typis semel atque iterùm impressum est inscriptumque *Legenda aurea*: sed quàm meritò alii *Legendam ferream*, alii *vitream* aut *stramineam* nuncuparunt. Illic enim sunt bona mixta malis, vera fabulis; unde ex quo Laurentius Surius Labores suos nobis in simili argumento obtulit, nullatenus sudarunt typis vel *Legenda aurea Jacobi Varaginensis*, vel *Catalogus Sanctorum Petri de Natalibus*, quæ prælum nusquam meruerant. Denique *Sermones* scripsit *super Evangelia omnium Dominicarum anni, festa Sanctorum, & per totam Quadragesimam*, cum speciali opere *De laudibus B. Mariæ Virginis*, satis triviales ac simplices, impressos Venetiis annis 1575. & 1579. & alibi, sed ultimò simul omnes 4. tomis in 4. Moguntiæ anno 1616. apud Petrum Cholinum, cura & studio Rudolfi Clutii Theologi ex Ordine Fratrum Prædicatorum. Factus fuit Archiepiscopus Genuensis anno 1292. ubi mortuus est anno 1298. Vide Antonium Possevinum *in Apparatu sacro* pag. 794. & verbo *Biblia*, pag. 225. Sixtum Senensem, & alios qui loquuntur De Scriptoribus Ordinis Prædicatorum. Ambrosius de Altamura pro privilegio sibi indulto, illum exornat titulo *Beati* in Bibliotheca Dominicana ad annum 1290. pag. 61. & in Appendice pag. 458. cujus Opera impensè laudat, contra communem omnium æstimationem, quæ eum accusat simplicitatis ac fabularum plurimarum.

De Joanne Januensi. 1290.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES JANUENSIS de quo sic Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1. pag. 881. „*Joannes Januensis*, Monachus Ord. Fratrum Prædicatorum, Dictionarium prænotatum *Catholicon* anno 1280. confecit, in quo præter Quæstiones naturales ac Theologicas, præter item ea quæ ad Orthographiam, Prosodiam, Etymologiam, Syntacticam, Constructionem, Regimen & figuras, ait etiam de his ipsis, quatenus in Bibliis & à Patribus usurpantur. Opus autem hoc à Petro Ægidio auctum, & anno 1506. Lugduni excusum prodiit, cùm Venetiis antea ab Octaviano Scoto fuisset emissum anno 1495. Hæc Possevinus." Porrò hoc Dictionarium CATHOLICON nuncupatum, est unum ex primis operibus quæ unquam in Europa impressa sunt. Anno enim 1459. Joannes Faustus arte impressoria inventa, edidit primò Moguntiæ libros Guillelmi Duranti Mimatensis Episcopi *De divinis Officiis*, & anno 1460. edidit *Catholicon* in folio Moguntiæ, absque nomine loci vel Typographi, cujus unum exemplar in Bibliotheca Galliarum Regia Parisina, atque aliud nos vidimus in Bibliotheca Fuliensium Parisiensium. Extat autem manuscriptum Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri cod. primo, sed cum solo cognomine *Januensis*, atque eodem modo in multis Bibliothecis, vel cum solo titulo *Catholicon*, auctore innominato. Idem scripsit *Tabulam* seu *Syllabum in Sacram Scripturam*, ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 166. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica codd. 8. 153. & 216. & in Collegio Sancti Petri cod. 77. ubique cum solo nomine *Januensis*. Unde cum Thomas James anno 1600. edidisset Londini in 4. eclogam manuscriptorum Codicum Oxonio-Cantabrigiensem, haberetque multos mss. Codices sub simplici nomine *Januensis*, attribuit omnia illorum Opera *Antonio Januensi* quem libro 2. hujus Eclogæ collocat ad annum 1418. Consuluit absque dubio Antonium Possevinum qui *in Apparatu sacro* pag. 69. hæc habet: *Antonius Januensis, Ord. S. Augustini scripsit librum quem prænotavit*, Compendium figurarum Moralium. *Interfuit Constantiensi Concilio, Sigismundo Imperatore* anno 1418. At Codices manuscripti horum Tractatuum, tam in Bibliothecis Anglicis, quàm Gallicis & Italicis, sunt ejusmodi, ut multis annis excedant præfixum Antonio Januensi tempus, suntque certò sæculi 13. Quantùm autem ad Joannem Januensem, nihil invenio in antiquis Nomenclatoribus Scriptorum, unde quandiu mihi non constiterit aliud per testes vel instrumenta autentica, opinabor unum eumdemque Scriptorem *Januensem* successu temporis in duos esse dissectum *Jacobum & Joannem*, Ambos Januenses dictos, ejusdem temporis, ejusdem Ordinis, ab eadem litera initiali incipientes. Hos etenim opinor esse unicum auctorem, Jacobum Januensem de Voragine cognominatum, Genuensem Archiepiscopum, Ordi-

Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui & *Conciones* scripserit *De tempore ac de Sanctis* de quibus supra, & *Legendam Longobardicam*, & *Catholicon Dictionarium* & *Tabulam in Sacram Scripturam*, & eamdem *Scripturam* primus in linguam Italicam transtulerit, de qua Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1. p. 225. verbo *Biblia sacra*. Occasio dissectionis hujus unius hominis in duos, orta ex mss. Codicibus habentibus vel solum *Januensis* nomen, vel solam nominis initialem literam J. Januensis, unde aliqui legerint *Joannem*, alii *Jacobum Januensem*, atque ita duos ex uno confecerint.

De Stephano de Salagniaco. 1290.

SUPPLEMENTUM.

STEPHANUS DE SALAGNIACO Ordinis Fratrum Prædicatorum, Conventus Lemovicensis in ipsa urbe constituti, scripsit *De quatuor rebus quibus specialiter Deus Ordinem Prædicatorum insignivit, nimirum de bono & strenuo duce, de illustri & nobili prosapia, de glorioso nomine, de modo professionis*. Extat opus Mediolani inter monumenta Patrum in Conventu Gratiarum. Obiit anno 1290. de quo *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1290. pag. 64. Ambrosius de Altamura.

De Engelhardo Abbate. 1290.

SUPPLEMENTUM.

ENGELHARDUS Abbas in Lanckaim claruit circa annum 1290 & scripsit maturo stylo *Vitam Sanctæ Virginis Mechtildis* filiæ Principis Berchtoldi Comitis de Andechs, Abbatissæ in Diessen, deinde in Oetilstetten, quam vitam ex membranis Monasterii Diessensis primus Latinam inseruit tom. 5. antiquæ lectionis Ingolstadii in 4. edito anno 1604. Henricus Canisius: cum antea D. Philippus Dobereiner Decanus ad B. Virginem Monachii, ex Latino Germanica Paraphrasi traduxisset, atque emitti in publicum procurasset. Vide quæ Henricus Canisius habet præloquio ad Lectorem, ante ipsam Sanctæ Mechtildis Vitam, Antonium Possevinum in Apparatu sacro, verbo *Engelgardus* pag. 504. & verbo *Mechtildis* pag. 100. secundæ partis.

De Joanne Peckam. 1290.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES PECKAM Anglus Ordinis Fratrum Minorum, ac demum à Nicolao tertio Pontifice Maximo Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopus creatus est. Is pietate atque doctrina B. Bonaventuram sub quo Magistro didicit, imitatus ita expressit, ut in plerisque eumdem diceres. Scripturam Sacram cùm Parisiis atque Oxonii publicè esset interpretatus, inde quoque atque Londino prophanas vocum novitates à nonnullis fidei malè sanæ irrepentes coercuit, quo ex facto colluctatus cum bestiis fuisse dicebatur. Scripsit autem *Collectaneum Bibliorum* quem alii *Collectorium* vocant in quatuor libros partitum. *Collectorium Bibliorum* ut scimus, fuit excusum Coloniæ anno 1541. à Melchiore Novesiano, ac *Collectorium Sententiarum Bibliorum* Parisiis anno 1514. à Joanne Frellonio: sed unum & idem esse haud dubito, quod in certos communes locos reductum, suppeditat facilè quidquid usui potest esse Concionatorum. Extant adhuc varia ejus Opera mss. in Bibliothecis Anglicis nempe, *De perspectiva* ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri cod. 28. *De Mystica Numerorum Interpretatione in Sacra Scriptura*, ms. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi cod. 16. cujus principium, *Quia Domine*, &c. *De Trinitate sive Officium Sanctissimæ Trinitatis*, ms. privatim Cantabrigiæ in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 100. quod Officium Sanctæ Trinitatis ab eodem compositum Franciscus Titelmannus sua expositione illustravit. *Meditatio de Corpore Christi*, ms. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti cod. 393. *Collationes de omnibus Dominicis per annum*, ibidem mss. in Bibliotheca Penbrochiana cod. 175. *Disputationes Thomæ & Pecchami*, mss. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 12. Alii obiisse ferunt hunc virum anno 1290. Labbeus in Chronologia brevi Scriptorum Ecclesiasticorum anno 1292. Eisengrenius certè asserit vixisse anno 1283. ut qui Rodulphus è Tussiniano in Historia Seraphica scripsit eum obiisse anno 1209. intelligendus sit mutatis numeris anno 1290. sicut habet G. Servatius Miricanus inferioris Germaniæ ejusdem Ordinis Provincialis in Enchiridio Fratrum Minorum. Miraculis autem post mortem claruisse, iidem qui supra, ac post eos Henricus Vvillotus in libro suo quem inscripsit *Athenas Franciscanas* asseruit. Hæc nos ut plurimùm ex Antonio Possevino *in Apparatu sacro*. Plura Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 217. & seqq.

De Balduino Ninovensi. 1290.

SUPPLEMENTUM.

BALDUINUS Ninovensis in Flandria, Canonicus Ordinis Præmonstratensis, scripsit *Chronichon à Christo nato ad annum* 1294. quo vivebat, ms. asservatum in Archivis Ninovensis Abbatiæ, ut à Fratribus accepi dum illac transirem, sed quod ob absentiam Abbatis non vidi.

De Alano de Insulis. 1290.

SUPPLEMENTUM.

ALANUS DE INSULIS Principali Gallicanæ Flandriæ oppido oriundus, cum Ecclesiasticæ Scholæ Parisiis per annos plures præfuisset, sæculi pertæsus, Cistercium ad conversionem se contulit, ubi mortuus est anno 1294. die 30. Januarii. Scripsit multa, quæ diligentibus curis inquisita Carolus de Vvisch Cœnobii Dunensis in Flandria Prior, evulgavit simul collecta in fol. anno 1653. Antuerpiæ. Cui volumini addidit Appendicem ad quosdam Alani libros in mss. mutilos, sub finem suæ Bibliothecæ Scriptorum Ordinis Cisterciensis in editione secunda quæ Coloniæ Agrippinæ procurata est in 4. anno 1656. apud Joannem Busæum. Præter impressa autem à Carolo de Vvisch Alani Opera, extat insigne ejus Opus seu Summa *quot modis* appellata, sic enim in manuscripto Codice & ab Auctore vocitata est, quæ procedit secundùm Alphabeticum ordinem, deducens hoc ordine *quot modis* unaquæque res bonam vel malam in partem sumpta fuerit in Scripturis sacris, opus Concionatoribus idoneum. Habetur ms. in parvo 4. in Bibliotheca Regalis-Montis Ordinis Cisterciensis, dedicatum Hermengaldo Sancti Ægidii Abbati, cujus hoc initium. *Reverendissimo Patri ac Domino Hermengaldo Dei gratia Sancti Ægidii Abbati, Alanus dictus Magister, sic in præsenti multiplici insigniri gratia, ut in futuro præmietur in gloria. Cùm mundus diversis olim, &c.* Agunt pluribus de Alano Insulensi Carolus de

Vvisch *in sua Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cistercienfis*, Joannes Trithemius *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Henricus Gandavensis ibidem cap. 21. Aubertus Miræus in Scholio ad caput 21. Henrici Gandavensis *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 166. suæ Bibliothecæ, Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, & alii.

De Cælestino quinto, 1290.

SUPPLEMENTUM.

CÆLESTINUS quintus Summus Pontifex Romanus factus anno 1294. die 7. Julii, quam dignitatem in Ecclesia summam singulari ac summa humilitate abjecit post quinque menses & dies octo. Huic attribuuntur *multa Scripta*, quæ ex mss. Codd. prodierunt primùm Neapoli anno 1640. unde translata sunt postea in Bibliothecam SS. Patrum ultimæ editionis Lugdunensis anni 1677. Mortuus est anno 1296. die 8. Junii, ætatis 87. de quo loquuntur, qui scripserunt Historiam Romanorum Pontificum.

De Petro Joanne Olivi. 1290.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS JOANNES OLIVI, Gallus natione, professione Ordinis Fratrum Minorum, scripsit anno circiter 1294. *in Apocalypsim Commentarium* qui extabat temporibus Joannis XXII. Papæ, sed quem comburi velut hæreticum jussit. Condemnatio hujus operis legitur apud Stephanum Baluzium tom. 1. Miscellaneorum pag. 213. & sequentibus, facta à duodecim Magistris in Theologia, referentibus verba aliqua dicti commentarii ad censuræ suæ probationem. Obiit in Conventu Narbonensi ann. 1297. die 16. Martii, quem post multos annos exhumatum comburi jussit Joannes Pontifex; quod parum favet iis qui volunt multa ab ipso patrata miracula post mortem. Plura Lucas Vvadingus *in Annalibus* ad annum 1297. num. 33. & *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 284.

De Joanne Parisiensi. 1296.

JOANNES Parisiensis, Ordinis Prædicatorum claruit circa annum 1296. Scripsit *in quatuor libros Sententiarum*, & *Quodlibeta varia*: sed præcipuè *de potestate Regia*, & *Papali*, & quoniam incidit in tempora turbulenta ob discordiam inter Bonifacium VIII. Pontificem, & Philippum Pulchrum Regem Gallorum; & ipse Parisiis agebat, & docebat, videtur propensior fuisse erga Regem, quàm erga Pontificem.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES de Parisiis, Ordinis Prædicatorum, Doctor Theologus Parisiensis facultatis, floruit sub finem sæculi 13. & initio 14. Vidi qui diceret eum obiisse Romæ, cùm ad Bonifacium VIII. Papam ab eo evocatus perrexisset: ergo ante annum 1303. vivere desierit. Sunt tamen qui ad Clementis V. tempora vitam ejus prorogent. De eo Trithemius, Leander Albertus, Waldensis, Antonius Senensis, Bellarminus, Miræus, Alfonsus Fernandez, &c. Contra *Corruptorium doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis* scripsit, non secus atque Ægidius Columna Romanus, Richardus Klapoel Anglus, &
A forte alii. Spondanus ad annum 1304. num. 14. ex Joanne Brehallo ejusdem Ordinis narrat cognomine Pungentis asinum decoratum fuisse. *Tractatum* ejus *de Regia potestate & Papali* è tenebris vindicasse dicitur Pontificiæ tiaræ hostis capitalissimus Melchior Goldastus Tomo 2. Monarchiæ. Verùm ego præ manibus habeo excusum illum Parisiis anno 1506. in quarto, cum Durandi de S. Portiano, Petri Paludani, Hervei Britonis, & aliquot aliorum Dominicanorum opusculis. Cæteras ejus lucubrationes sive Philosophicas, sive Theologicas nondum formis cusas vidi.

Fuit eodem tempore & alius *Joannes*, dictus etiam *Parisiensis*, Canonicus S. Victoris, cujus *Chronicon*, seu *Memoriale Historiarum*, nondum ex mem-
B branis exiit in publicam lucem. De *Joanne Paris*, seu Parisio Anglo, ejusque Historia Universali, ac Floribus Historiarum, vide Gerardi Joannis Vossii Historicorum Latinorum librum tertium ex Thoma Jamesio in Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi. Alterum quoque *Joannem Parisiensem* O. P. recenset & Alfonsus Fernandez circa annum salutis 1294. Sed fortè alius non est ab eo, qui supra memoratus est.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES DE PARIS seu PARISIENSIS, cognomento *de Soardis*, Ordinis Fratrum Prædica-
C torum, Doctor Theologus Facultatis Parisiensis, floruit sub finem sæculi 13. & initium 14. Scripsit *Tractatum De Regia Potestate & Papali*, quem è tenebris vindicasse falsò asserere audet Melchior Goldastus tom. 2. Monarchiæ. Quippe præ manibus habemus excusum illum Parisiis anno 1506. in 4. cum Durandi de Sancto Portiano, Petri Paludani Hervei Britonis, & aliquot aliorum Dominicanorum opusculis. Contra *Corruptorium doctrinæ S. Thomæ Aquinatis* scripsit, non secus atque Ægidius Columna Romanus, Richardus Clapuel Anglus, & alii. Illud ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 10. extatque etiam impressum sub nomine Ægidii Romani Ordinis Fratrum Eremitarum Augu-
D stinianorum. Interim moneo observandum cum R. P. Theophylo Raynaudo *in libro Erotematum* de malis ac bonis libris, deque justa aut injusta eorum confixione pag. 122. *Correctorium Corruptorii doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis*, sub nomine Ægidii vulgatum, tribui Joanni Parisiensi Ordinis Prædicatorum ejusdem Ægidii æquali, tum à Joanne Pico Quæstione I. Apologetica, tum à Leandro Alberto lib. 4. De viris illustribus Prædicatorum. Verùm ut rectè idem subjungit, cùm addat Leander Richardum quoque Clapuel Anglum scripsisse de eodem argumento & titulo librum: quidni & ipse Ægidius ea de re scribere, & vindex pro Magi-
E stro exsurgere potuerit? Quare ad mss. Codd. & coetaneorum Scriptorum testimonia recurrendum est. Item mss. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Lincolniensi cod. 16. *Determinatio F. Joannis Paris vel Parisiensis de Secta Christiana per gentilium testimonia*, atque *determinatio ejusdem de Confessionibus Fratrum*. Spondanus ad annum 1304. num. 14. ex Joanne Brehaldo ejusdem Ordinis, narrat cognomine *Pungentis Asinum* appellatum fuisse, vulgariter *Jean Piquelasne*, unde suppresso cognomine Joannes Parisiensis dictus est. Volunt aliqui eum obiisse Romæ cùm ad Bonifacium VIII. ab eo evocatus perrexisset, unde ante annum 1307. mortuum volunt: sed tamen alii ad Clementis V. tempora vitam ejus prorogant. De eo Trithemius, Leander Albertus, Antonius Senensis, Bellarminus, Aubertus Miræus in Auctario suo De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 405. pag. 263.

Lab-

A Labbeus, Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1277. pag. 46. & alii.

De alio Joanne Parisiensi. 1320.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES DE SANCTO VICTORE Parisiorum, Canonicus Regularis Augustinianus hujus Abbatiæ, olim ob pietatem & doctrinam celeberrimæ, scripsit Historiam ad annum 1322. *Memoriale Historiarum* inscriptam, cujus impressum aliquod Fragmentum ab Andrea Duchesnio tom. 1. Collectionis veterum Historiæ Francicæ Scriptorum. Hanc au- B tem nondum impressam, habes mf. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, & Collegii Navarrici ibidem, itemque in Anglia Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 239. & in Collegio Sancti Benedicti cod. 20. Agunt de eo Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 403. pag. 262. Labbeus in Dissert. Historica de iisdem à Bellarmino recensitis, verbo *Joannes Parisiensis*, Joannes Launojus libro De Scholis celebrioribus per accidentem renovatis cap. 59. art. 4. pag. 202.

De Dino Mugellano. 1299.

DINUS Mugellanus scripsit *in titulum de regulis juris in sexto*. Claruit tempore Bonifacii Papæ VIII. anno 1299.

DISSERTATIO HISTORICA.

DINUS, sive Dynus, J.C. è Mugello agri Florentini oppido oriundus, Bononiensium Professorum suo tempore coryphæus, vixisse videtur etiam post annum 1300. sub Bonifacio VIII. ejusque successore.

Præter alia multa, quæ in Jus Civile scripsit, ejusdemque Commentarios *in librum sextum Decretalium* (quem primus omnium post Archidiaconum de mandato ipsius Bonifacii illustrasse dicitur) necnon *Consilia*, & cætera, quæ Trithemius in Catalogo, Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesneri, aliique fusiùs exponunt, celebratur à Bellarmino & Miræo excusus Lugduni, Coloniæ Parisiisque *Commentarius in Titulum Regulis Juris in sexto*. Forsterus narrat spe Cardinalatus quam præceperat dejectum in animi mœrorem incidisse, atque ex eo Bononiæ anno 1303. obiisse, & sepultum fuisse in Sancti Dominici Templo.

SÆCULUM XIV.

Ab anno Dom. 1300. *ad* 1400.

De Joanne Duns Scoto.

C JOANNES Duns Scotus, Ordinis Minorum, vir fuit acutissimo ingenio præditus, & cùm docuisset primùm Oxonii, deinde Parisiis, immatura morte diem extremum obiisse dicitur anno Domini 1308. Scripsit hæc.

Scriptum Oxoniense in quatuor libros Sententiarum. Scriptum Parisiense in eosdem libros. Librum quodlibetorum. Librum Collationum Parisiensium. Librum de primo principio rerum. Librum Theorematum. Librum de cognitione Dei. Tetragrammata quædam. Sermones de tempore, & de Sanctis, Commentaria in Genesim, in Evangelia, & in Epistolas, valdè obscura.

Item in Philosophicis.

D Scripsit *Quæstiones in Prophirium*. Item *in Aristotelis prædicamenta, Perihermenias, Priora, Posteriora, Elenchos, de anima Metaphysica, & Physica*.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES Duns, natione Scotus, natus in vico Duns, octo mille passibus ab Anglia distante (neque enim audiendi qui cum Cavello, Thadæo, Wadingo, Arturo, &c. Hibernum asserunt Duni in Ultonia natum (*a*), aut qui cum Cambdeno, Balæo, & aliis, Anglum fuisse contendunt ortum Dunstonæ in Parochia Emildonensi in Northumbria) Ord. Minorum, Doctor subtilis nuncupatus, obiit Coloniæ die 8. Novembris anni 1308. ibidem sepultus in medio choro Ecclesiæ Franciscanorum, cum epitaphio, ut pluribus Lucas Wadingus tum in Annalibus & Bibliotheca Minorum, tum in Vita operibus ejusdem Scoti Lugduni anno 1639. impressis præfixa: quibus in locis varias controversias de natalibus, gestis, scriptis genuinis, spuriisve, ac prematura ejus morte proponit, solvitque: nos, quod unum hìc maximè contendimus, singulos editionis illius Lugdunensis omnium perfectissimæ Tomos percurremus.

Tomo I. continentur.

Vita Doctoris Subtilis à Luca Wadingo conscripta, cum Testimoniis Clarorum Virorum, qui de Scoti operibus scripserunt. *Grammatica Speculativa Scoti*, à quibusdam falsò tributa Alberto de Saxonia Eremitæ Augustiniano, *In universam Logicam Quæstiones uberrimæ*. Mauritii à Portu Hibernici Archiep. Tuamensis expositio super quæstiones Scoti in Porphyrium.

Tomo II. continentur.

Commentaria in octo libros Physicorum, cum adnotationibus Francisci à Pitigianis Aretini. Abjudicat Scoto Wadingus in Censura præmissa, quam vide. *Quæstiones in libros de Anima imperfectæ*, cum scholiis & supplemento Hugonis Cavelli, Archiepiscopi Armacani, Hiberniæ Primatis.

Tomo III. continentur.

Tractatus de rerum principio, cum scholiis & notis Lucæ Wadingi. *Tractatus de primo principio*, cum scho-

scholiis Cavelli, & adnotationibus Mauritii. *Tractatus Theorematum* 23. cum eorumdem scholiis & adnotationibus. *Collationes trigintaquinque Physico-Theologicæ*, cum scholiis Cavelli. *Collationes, quatuor noviter additæ*, cum scholiis & notis Wadingi. *Tractatus imperfectus de cognitione Dei*, cum ejusdem notis. *Quæstiones miscellaneæ de Formalitatibus imperfectæ*, cum ejudem notis, de quibus in Censura. *Meteorologicorum libri quatuor*, de quibus meritò ambigitur, cùm in iis citetur Thomas Braduvardinus, ut alia taceam.

Tomo IV. continentur.

Expositio in Metaphysicam, cum summariis & Notis Cavelli, quem quidam falsò tribuere voluerunt Antonio Andreæ Arragonio. *Conclusiones Metaphysicæ*, cum notis ejusdem. *Quæstiones in Metaphysicam*, cum adnotationibus Mauritii, scholiis & notis Cavelli. Videnda quoque de his duplex censura Wadingi.

Tomo V. continentur.

Parte I. *Libri primi Sententiarum distinctiones septem*, cum commentariis Francisci Lycheti Ordinis Minorum Generalis, supplemento R. P. Joannis Pontii Corcagiensis ejusdem Ordinis Theologi, Scholiis & notis Cavelli, de quo suprà.

Parte II. *Reliquæ distinctiones ejusdem libri primi Sententiarum* cum eisdem commentariis, scholiis, & notis. Nec omittendum commentaria illa in libros quatuor Magistri Sententiarum dici solere, Opus Anglicum, sive Oxoniense: Parisiense verò lecturam illam contractiorem magisque frugiferam, quæ Reportata appellari consuevit.

Tomo VI. continentur.

Parte I. *Libri secundi distinctiones sex*, cum eisdem commentariis, supplemento, scholiis, & notis.

Parte II. *Reliquæ distinctiones ejusdem libri secundi*, cum eisdem comment. &c.

Tomo VII. continentur.

Parte I. *Libri tertii Sententiarum distinctiones vigintiquinque*, cum eisdem commentariis, &c.

Parte II. *Reliquæ distinctiones ejusdem libri*, cum eisdem &c. & integris commentariis R. P. Joannis Pontii à distinctione 34. usque ad finem.

Tomo VIII. continentur.

Libri quarti Sententiarum distinctiones tredecim, cum scholiis & notis Cavelli, & integris commentariis Antonii Hiquæi Tuomoniensis ejusdem Ordinis Theologi.

Tomo IX. continentur.

Ejusdem libri quarti distinctiones à 24. ad 42. cum scholiis, &c. & commentariis Hiquæi.

Tomo X. continentur.

A distinctione 43. ad finem usque ejusdem libri quarti, cum scholiis, &c. & commentariis Hiquæi.

Tomo XI. continentur.

Parte I. *Reportatorum Parisiensium libri tres*, cum scholiis & notis Cavelli & Wadingi, cujus etiam A præfixa initio, admonitio seu censura non omittenda. Parte II. *Eorumdem Reportatorum Parisiensium liber quartus*, cum eorumdem scholiis & notis.

Tomo XII. continentur.

Quæstiones Quodlibetales, 21. aut ad summum 43. cum commentariis Lycheti, & notis Cavelli, ac conciliationibus locorum ex illis Quodlibetis, cum aliis ejusdem Doctoris locis. Necnon Guidi Bartolurii Assisiatis Ord. Minorum opusculo de 243. Contradictionibus, quæ in Scoti operibus apparere videntur, quarum singulis suas adhibet solutiones.

B Trithemius docet Alexandri Alensis Anglici quondam Parisiis fuisse auditorem, quod parum verisimile facit brevior vita, atque obitus præmaturus, anno, ut volunt, ætatis 34. aut ad summum 43. additque sermones de Tempore & de Sanctis, & Commentarios in Evangelium & Apostolum. Alii Lecturam in Genesim, & Tractum de perfectione Fratrum, in quo quæritur, An status Prælatorum præferendus sit statui Regularium: quæ nondum, quod sciam, fuerunt typis commissa.

(*a*) Hæc enim mé potissimùm ratio abducit ab Hibernia: quòd non videatur probabile eo quo vixit Theologus ille subtilissimus tempore, hoc est ineunte sæculo decimo quarto & anno Christi 1300. Hiberniam in familiari sermone Scotiam, & Hiberc nos vulgò ac populariter dictos fuisse amplius, Scotos. Quidni enim potiùs Hibernus, quidni Dunensis, aut Wiltonius? Quid si modò Wadingus diceretur pro Hiberno Scotus, quis æquo ferre animo posset? Cæteras rationes aliis excutiendas permitto libens, ut moneam aberrasse etiam cum Trithemio Sixtum Senensem, aliosque quosdam, qui Alexandri Hallensis ejusdem Ordinis Theologi celeberrimi discipulum fuisse tradunt: sed omnino hallucinatum Raphaelem Maphæum Volaterranum, qui Joannis Scoti Benedictini longè antiquioris genus mortis huicce Minoritæ attribuit. De Pauli Jovii, Abrahami Bzovii, Frederici Matenesii, Latomi, & quorumdam aliorum in Scotum calumniis plura daD bunt Matthæus Ferchius Hugo Cavellus, Bonaventura Magnesius, Diermitius Thadæi, Lucas Waddingus, Ildefonsus Brizenus, Arturus à Monasterio, Matthæus Sousa, Joannes Colganus, Joannes Pontius, Minoritæ, quorum aliqui acriter pro Hibernis adversus Anglos præsertim Angelum à sancto Francisco, Franciscum à S. Clara pariter Minoritas, & Nic. Smithæum Episc. Chalcedonensem etiam nuperrimè pugnarunt: alii Dempsterum & Camerarium pro Scotis Albanensibus seu Scoto-Britannis stantes refellere conati sunt. Videndi quoque Nicolaus Vernulæus, Hugo Teisser O. Præm. & ex nostris Possevinus ac Theophilus; nec omittenE dum ingeniosum R. P. Petri Labbè Encomium operibus Scoti præmissum cura Ludovici Cavalli ejusdem Ordinis Minorum amici quondam mei, qui ut perfecta prodiret illa editio plurimùm adlaboravit.

De Berengario de Fredol. 1300.

SUPPLEMENTUM.

BERENGARIUS DE FREDOL seu FREDOLIUS, adhuc juvenis eligitur Canonicus & posteà Succentor Sancti Nazarii, deinde Abbas B. Aphrodisii Biterrensis, demùm Episcopus Biterrensis renuntiatur anno 1298. sub quo per Metropolitanum Ægidium Amelinum, Biterris duæ Synodi annis 1299. & 1302. celebratæ sunt. Fuisse inter Docto-

Doctores Juris Canonici suo tempore clarissimos, constat ex auxilio quod præstitit in condendo libro sexto Decretalium Bonifacio VIII. cujus extiterat Capellanus, adjuvantibus Ricardo de Senis Cardinale, & Guillelmo Mandagoti Ebredunensi Archiepiscopo. Jurisprudentiæ scientia clarissimus, ad Guillelmum de Mandagoto Archidiaconum Nemausensem, à quo libri De Electionis Prælatorum nuncupatione honestatus fuerat, vicissim ipse volumen inscripsit quod super Summam Ostiensis *Elucidarium per seriem Alphabeti* composuit. Hanc Elucidationem quam prænotavit *Oculum*, habes cum Summa Ostiensis impressa in folio Basileæ anno 1573. Extat hoc opus ms. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti cod. 246. inscriptum *Inventarium in Jure Canonico per Berengarium Episcopum Biterrensem;* itemque mss. in Bibliotheca Colbertina cod. 1495. In eadem Bibliotheca Sancti Benedicti cod. 290. *Summa Domini Berengarii Cardinalis, magni Pœnitentiarii Domini Papæ, de omnibus Casibus Juris in quibus quis est excommunicatus.* Et cod. 291. *Casus spectantes ad Curiam Romanam Auctore Berengario.* Itaque ob scientiæ eminentiam Clemente V. electo ad Summi Pontificatus apicem, ab eo purpura insignitur in prima creatione Lugduni 1305. tit. SS. Nerei & Achillei, postea Episcopus Tusculanus Boncamatio successit anno 1309. dictus perperam Stedelli pro Fredoli à Ciacconio. Obiit Berengarius Avenione 5. Idus Junii circa annum 1323. cujus corpus à Guillelmo Fredolio nepote & successore elatum, sepelitur in Cathedrali Capella Sancti Stephani. Qui alia cupit, adeat Antonium Possevinum in Apparatu Sacro pag. 212. verbo *Berengarius Biterrensis*, Fratres Sammarthanos in Gallia Christiana tom. 2. pag. 422. *in Episcopis Biterrensibus.*

De Guillelmo de Mandagot. 1300.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS DE MANDAGOT SEBENNAS, primùm Nemausensis & Uticensis Archidiaconus, mox Capellanus Summi Pontificis & Præpositus Ecclesiæ Tolosanæ, tandem à Bonifacio VIII. Ebredunensi Metropoli ornatus circa annum 1295. Celeberrimus fuit Juris utriusque interpres, cujus Opera, in condendo sexto Decretalium libro, usum esse eumdem Bonifacium, colligitur ex præfatione operis. Multaque alia Jurisprudentiæ scripsit monumenta, uti *Tractatum De Electionibus Prælatorum* ad Berengarium Biterrensem mss. in Anglia Oxonii in Bibliotheca Collegii novi codd. 166. & 196. & Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri codd. 151. & 158. sed impressum Coloniæ anno 1573. una cum additionibus Boerii, qui incipit, *Quia cùm Electiones.* Hic donis ingentibus Metropolim suam locupletavit, functusque est legatione Pontificia ad Regem Aragoniæ cum Carolo II. Provinciæ Comite. Creatus autem Cardinalis Prænestinus à Clemente V. anno 1312. 14. Decembris, Bonifacium egregiè propugnavit. Tandem ex hac vita decessit Avenione mense Novembri anni 1321. vel ut aliis placet, triennio post, sedente Joanne XXII. Ejus cum laude meminerunt Bernardus Guidonis, Trithemius, Abrahamus Bzovius, Ciaconius & Ughellus in Episcopis Prænestinis: quibus addito Antonium Possevinum *in Apparatu sacro*, Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 414. pag. 266. & Sammarthanos Fratres in Gallia Christiana tom. 1. pag. 280. in Archiepiscopis Ebredunensibus.

A

De Petro de Alvernia. 1300.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS DE ALVERNIA, Magister in Theologia & Canonicus B. Mariæ Parisiensis, scripsit anno 1301. *Summam Quodlibetorum*, quam habes mss. codice 963. Bibliothecæ Colbertinæ.

De Joanne le Moine. 1300.

SUPPLEMENTUM.

B JOANNES LE MOINE, communiter Joannes Monachus, Frater Andreæ Noviomensis Episcopi, aliàs cognominatus *des Cranches*, è Cressiaco Pago juxta Abbatis-Villam Diœcesis Ambianensis oriundus, qui cùm jus Pontificium apprimè nosset, Romam profectus, ibidem in Cardinalium Contubernium sub titulo Sanctorum Marcellini & Petri admissus est ante annum 1298. Edidit Commentarium in Sextum Decretalium Bonifacii VIII. quod mss. Cantabrigiæ in Collegio Aulæ sanctæ Trinitatis cod. 7. sub hoc titulo: *Apparatus sexti libri Decretalium per Joannem Monachum, tit. Sanctorum Marcellini & Petri Presbyteri Cardinalis anno Domini* 1298. Hic verò Commentarius impressus est Parisiis anno C 1535. sub nomine *Cardinalis non Monachi*, deinde Venetiis anno 1586. cum additionibus Philippi Probi Bituricensis Jurisconsulti excusus est. Hic ex Rotæ Auditore in Purpuratorum Ordinem cooptatus est à Cælestino V. an. 1294. non à Bonifacio VIII. Dicitur Consiliarius Philippi Pulchri 1303. & Episcopus Meldensis in Necrologio S. Pharonis. Condidit Lutetiæ Parisiorum anno 1302. amplissimum sui nominis Collegium, dictum Cardinalitium juxta sancti Victoris portam & suburbium, quod dotavit & statuta à Bonifacio VIII. probari obtinuit. Præterea Vice-Cancellarius Romanæ Ecclesiæ extitit, Legatus in Gallias ad Philippum Pulchrum à Bonifacio illi tum infenso, cujus acta Legationis & articulos D Regi propositos ad subscribendum, citat Spondanus in suis Annalibus. De hujus Cardinalis familia, eruditione, Scriptis ac gestis plenè edisserit auctor, qui Notis Ciaconium illustravit, cujus sequens Epitaphium videtur in Sacello Cardinalitii Collegii. *Hic jacet Dominus Joannes Monachus Ambianensis Diœcesis, tituli Sanctorum Marcellini & Petri Presbyter Cardinalis, Fundator istius Domus, qui obiit Avenione anno Domini* 1313. *die* 22. *mensis Augusti, sepultus fuit hic prima die mensis Octobris ejusdem anni.* Vide Antonium Possevinum in Apparatu sacro, Sammarthanos Fratres in Gallia Christiana tom. 3. pag. 701. ubi de Episcopis Meldensibus.

E

De Haytone Armeno. 1300.

SUPPLEMENTUM.

HAYTO ARMENUS Haytonis Armeniæ Regis consanguineus & nepos, post multas bello partas Victorias, abjecto cingulo, nomen Christianæ Militiæ datum, observantiæ etiam regulari se obtulit anno circiter 1290. in Episcopio Cypri, Præmonstratensis Instituti Cœnobio. Scripsit Historiam de rebus fortiter à se gestis aliàs inscriptam, *Itinerarium & flos Historiarum Ecclesiæ Orientalis, passagium Terræ Sanctæ, &c.* Quam Historiam ex idiomate Gallico-Latinam fecit Nicolaus Salcoin seu Salconius in Urbe Pictavensi anno Domini 1307. jussu Clementis Papæ V. Extat excusa Haganoæ anno

anno 1529. in 4. & Basileæ inter novi Orbis Scriptores annis 1532. & 1555. Helmestadii in 4. an. 1585. parte secunda Chronici Hierosolymitani, seu de bello Sacro duobus tomis à Reinero Reineccio; denique Coloniæ Brandeburgicæ in 4. anno 1671. cum aliis, studio & curis Andreæ Mulleri. Opus istud extat ms. in Anglia Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cum hoc Lemmate: *Liber Historiarum partium Orientis quem ego Nicolaus Falcon scripsi primo Gallico idiomate, & de Gallico transtuli anno* 1300. Sed fallit hæc inscriptio. Extat etiam Manuscriptum in Bibliotheca Colbertina cod. 3810. sub hoc titulo: *Flos Historiarum Terræ Orientis, quem compillavit Frater Haytonus Dominus Curchi, consanguineus Regis Armeniæ anno* 1307. *in civitate Pictavensi Regni Franciæ, è Gallico in Latinum versus à Nicolao Falconi*. Habet Haytonis mentionem Aubertus Miræus in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 413. ubi ait Præmonstratenses & Dominicanos facere illum sui Ordinis: sed solvit controversiam ipse Hayto, qui in sua Historia cap. 46. narrat amplexum se fuisse Præmonstratense Institutum. Porrò si (ut loquuntur casuistæ) eò gravius est furti peccatum, quò egentior est is cui aliquid abripitur: ne dubites Amice Lector, peccatum esse gravissimum illius, qui Scriptores aliquos Ordini nostro Præmonstratensi abripuerit, quorum ipse pauperrimus semper fuit. Peccavit igitur & quidem mortaliter (si mihi credatur) Ambrosius de Altamura qui *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1307. pag. 87. hunc Haytonem nobis suffuratus est, suis adscribens Dominicanis.

De Guillelmo de Nangiaco. 1300.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS DE NANGIACO Monachus sancti Dionysii in Francia Ordinis Divi Benedicti, magnus suo tempore Historicus, floruit sub finem sæculi 13. & initium sæculi 14. scripsitque *Chronicon ab initio mundi usque ad annum* 1301. quo florebat, quod posteà à duobus ejusdem Abbatiæ Fratribus continuatum usque ad annum 1368. Habetur impressum in Spicilegii Dacheriani tomo 11. pag. 405. & sequentibus. Scripsit pariter *Chronicon Regum Franciæ usque ad annum* 1301. itemque *Vitam sancti Ludovici IX. Francorum Regis, & filiorum ejus Philippi Audacis ac Roberti Borbonianæ familiæ capitis*: quæ omnia continentur in quinto tomo Collectionis Historicorum de rebus Francicis, quam procuravit doctissimus Andreas Duchesnius. Videantur omnes qui scripserunt de Rebus Gallicis, maximè Sammarthani Fratres qui perpetuò allegant Guillelmum de Nangiaco, in Historia sua Gallica *Domus* seu *familiæ Regiæ Francorum*.

De Matthæo VVestmonasteriensi. 1300.

SUPPLEMENTUM.

MATTHÆUS VVESTMONASTERIENSIS Monachus Ordinis D. Benedicti propè Londinum in Anglia, quem alii appellant Matthæum Florigerum, scripsit *Historiam rerum præsertim Anglicarum* quam inscripsit *flores Historiarum*, usque ad annum 1307. quo Eduardus I. Angliæ Rex mortuus est. Hoc opus impressum in folio Londini anno 1570. & in Germania in folio Francofurti anno 1601. Hujus meminerunt Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Matthæus Vvestmonasteriensis* & *Matthæus Florigerus*: Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 515. pag. 279. & novi Rerum Anglicarum Scriptores.

De Nicolao Trivetto. 1300.

SUPPLEMENTUM.

NICOLAUS TRIVETTUS, vulgò *Treveth* ac *Trivet*, Anglus pariter eodemque tempore florens, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, ad eumdem usque annum 1307. quem Eduardi Angliæ Regis 35. supputat, scripsit *insigne Chronicon*, quod ex mss. erutum habet Lucas Dacherius tom. 8. sui Spicilegii, lectuque dignissimum est. Idem habetur ms. in Anglia Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 75. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti cod. 60. Ejusdem lingua Gallica *De gestis Imperatorum, Apostolorum & Regum* ms. Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi cod. 138. *Commentarii in B. Augustinum de Civitate Dei*, mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 24. & in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 247. *Flores super Augustini Regulam*, mss. in eadem Lumleii Bibliotheca cod. 291. *Super Boetium de Consolatione Philosophiæ*, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 236. Ejusdem Nicolai Treveth Ordinis Prædicatorum *Commentarius Tragædiarum Senecæ*, ms. cod. 2780. Bibliothecæ Colbertinæ. *Tabula super Allegorias Ovidii*, ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 142. *Alia quædam Opera Nicolai Triveth*, ibidem mss. cod. 147. Annales ejus de Regibus Anglicis incipiunt ab anno 1136. ad dictum supra annum 1307. Quantùm autem ad Commentarios *super D. Augustinum de Civitate Dei*, vult Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Nicolaus Triveth*, in illis terendis eum habuisse collaborantem sui Ordinis Thomam Vvalleis dictum *Anglicum*. Sed videat ipse Possevinus quomodo hoc esse possit, cùm Nicolaus Trivetus floreret & scriberet circa annum 1307. alter circa annum 1400. nam distantes viri tanto temporis intervallo, simul uni operi collaborasse non possunt. Rectius forsan locutus fuisset Possevinus si hunc Commentarium dixisset incœptum fuisse à Nicolao Trivetho, perfectum verò successu temporis à Thoma Vallensi seu Gualensi Anglico. Extant hi Commentarii mss. Neapoli in Conventu sancti Dominici, Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Augustinianorum Eremitarum, Cameraci in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ: imò impressi sunt Venetiis anno 1489. Multa de Nicolao Triveto Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, Sixtus Senensis, & Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1361. pag. 129. & in Appendice pag. 486. ubi eum defigit eidem anno.

De Joanne de Joinvilla. 1300.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES DE JOINVILLA Dominus hujus Urbeculæ, Senescallus Campaniæ, qui sanctum Ludovicum IX. Francorum Regem in expeditionem Ægyptiacam anno 1248. secutus est, scripsit accuratam *idiomate Gallico Historiam ejusdem sancti Regis*. Hanc cum Gaufrido de Belloloco Ordinis Fratrum Prædicatorum, & cum altero Guillelmo Carnotensi ejusdem familiæ Dominicanæ Theologo & sancti Ludovici Capellano, qui ambo de rebus præclarè gestis S. Ludovici Latinè scripserunt: Claudius Menardus Consiliarius Regius & Proprætor Andegavensis anno 1617. Parisiis junctim excudendam curavit, addita *ordinatione* ut vocant *ab sancto Ludovico facta* 1228. *pro Extirpatione Hæresis Albigensium*; Addita item *Epistola quam idem Rex de captione & liberatione sua scripsit*,

psit, cum aliis monumentis huc spectantibus. Eamdem Historiam *Joannis de Joinvilla* cum doctis Annotationibus edidit in folio Parisiis apud Sebastianum Mabre-Cramoisy Typographum Regium anno 1668. Carolus du Cange Quæstor Regius Ambianensis, cui Operi addidit idem Carolus du Fresne *Vitam sanctæ Isabellæ Sororis sancti Regis Ludovici, filiæ Ludovici VIII. & Blanchæ Castellanæ*, quam simplici idiomate Gallico composuit Agnes Abbatissa Longi-Campi circa annum 1300. quam ibi legito. Vivebat adhuc valde senex Joannes de Joinvilla anno 1310. cujus mentionem faciunt Possevinus *in Apparatu sacro* quem Joannem *Jonvillium* appellat p. 903. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 396. pag. 260. Scriptores Rerum Gallicarum Præcipui.

De Jacobo de Viterbio. 1300.

SUPPLEMENTUM.

JACOBUS DE VITERBIO, Ordinis Eremitarum Divi Augustini, Lutetiæ Parisiorum Theologiam in Conventu sui Ordinis docuit, inde Neapolitanus Archiepiscopus, scripsit ad Clementem V. Summum Pontificem *De Regimine Christianitatis lib.* 2. qui mss. extant Romæ in Bibliotheca Vaticana, & Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Eremitarum Divi Augustini. *Sermones per annum*, qui mss. asservantur Romæ in Bibliotheca Canonicorum sancti Petri, & Cremonæ in dicta Augustinianorum Eremitarum Bibliotheca, *Commentarium in 4. libros Magistri Sententiarum*, cujus Commentarius in tertium, ms. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Balliolensi cod. 55. Plura Possevinus *in Apparatu sacro*, Elssius in Encomiastico Augustiniano Bruxellis in fol. anno 1654. ex Typographia Francisci Vivieni.

De Joanne de Sancto Geminiano. 1300.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES DE SANCTO GEMINIANO Ordinis Fratrum Prædicatorum vivebat anno 1310. juxta Antonium Senensem in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum, anno 1300. vel circiter juxta Labbeum in Chronologia Brevi Scriptorum Ecclesiasticorum, vel anno 1319. si credimus Eisengrenio. Summus fuit Theologus & Concionator nobilis, scripsit *Summam de Exemplis & Rerum Similitudinibus* locupletem, omnibus divini verbi Concionatoribus & aliis utilem, quæ Venetiis anno 1577. & 1582. apud Damianum Zenarium, Antuerpiæ anno 1583. in 8. & an. 1599. in ædibus Petri Belleri, Lugduni autem anno 1585. cui adjunctum est Sophologium Sapientiæ Jacobi Magni. Et quidem post aliquot editiones, ea præstare videtur quæ ab Ægidio de Rocha Ord. Eremitarum Divi Augustini emendatior prodiit, cum illa primùm prolata fuisset in lucem anno 1499. Basileæ apud Petrum Langestein. Ejusdem Summa *Universum Prædicabile* inscripta, prodiit Coloniæ in 4. an. 1670. an eadem cum Summa Exemplorum & Similitudinum, ego definire non audeo, qui utramque simul non contuli. Scripsit quoque *Orationes funebres* quæ Parisiis æditæ sunt anno 1611. in 8. itemque *Sermones Quadragesimales*, editos Venetiis an. 1584. in 8. Orationes etiam funebres editæ Lugduni anno 1510. Plura vide apud Antonium Possevinum in Apparatu sacro, verbo *Joannes è sancto Geminiano*, pag. 880. Ambrosius de Altamura, multa loquitur *in Bibliotheca Dominicana* de Joanne isto Geminianensi, cui tandem placuit collocare illum ad annum 1244. pag. 9. Bibliothecæ & in Appendice ad eumdem annum pag. 432. At inquit contra Antonium Senensem Lusitanum *in Bibliotheca* pag. 146. ubi dicitur vixisse anno 1310. contra Eisengrenium apud Antonium Possevinum tom. 2. *Apparatus sacri* fol. 183. ubi dicitur floruisse anno 1319. Nam ait Altamura pag. 432. *cùm venerit Neapolim sub Gregorio nono Summo Pontifice, argumentum est claruisse circa annum* 1235. *Gregorius nonus rexit Sedem Apostolicam ab anno* 1227. *usque ad annum* 1241. *quo obiit*. Idem in Bibliotheca pag. 9. adhuc præstantiora narrat, utinam rectè probata. Joannes de Sancto Geminiano, venit Neapolim „ cum B. Thoma Agnileontino, illuc à Gregorio „ nono ad extinguendas Hæreses per Fredericum II. „ Imperatorem disseminatas misso. Hujus sanctitate „ ac eloquentia sanctus Thomas Aquinas, cùm „ daret ibi operam Litteris, illectus sæculum abdicavit „ & nostræ Religioni voluit cooptari. S. Thomam „ qui à matre & fratribus in arce Castri sancti „ Joannis detinebatur, pluries invisens adjuvit, ei- „ que de libris atque vestibus benignissimè in carcere „ providebat. Insuper curavit obnixè ut Ordini re- „ stitueretur, illumque fœliciter Neapolim emissum, „ è dicto Castro per Fenestram, reduxit. Hæc qui- „ dem præclara Joannis de sancto Geminiano in sanctum Thomam Aquinatem beneficia, sed quæ probanda sunt ab Ambrosio Altamurano, per contemporaneos & idoneos testes: nam *quod de tam antiquis temporibus dicitur, contemnitur, nisi probetur*. Appellabimus hæc fœlicia hujus Bibliothecarii somnia, vagasque ingenii imaginationes, quamdiu non probaverit. Mirum sanè, quòd ob tam insignia in sanctum Thomam Aquinatem officia, hunc Joannem de sancto Geminiano *titulo Beati* non compensaverit. Hic solus, opinor, è Dominicano Ordine, tot tantaque comminiscitur.

De Bertrando de Trilla. 1300.

SUPPLEMENTUM.

BERTRANDUS DE TRILLA Ordinis Fratrum „ Prædicatorum scripsit *Commentaria in 4. libros Sententiarum*, „ claruit anno 1296. Hæc Antonius „ Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1. pag. 219. Hujus autem Bertrandi Commentarius sub nomine auctoris proprii ms. Bibliotheca sancti Victoris ad muros Parisienses, ut habet Joannes Launoius Doctor Theologus in Opere *De Regia in matrimonium Potestate*, impresso Parisiis in 4. anno 1674. apud Viduam Edmundi Martini via Jacobæa sub Sole Aureo. Ibi allegat Bertrandum hunc parte 1. pag. 9. quem tamen collocat inter Thomam de Argentina qui floruit anno 1350. & Joannem Capreolum qui à Trithemio vixisse dicitur anno 1415. ab Antonio Senensi anno 1424. à Bellarmino anno 1410. Quid si deceptus est unius centenarii oblivione Typographus, ponens 1296. pro 1396. quod valde probabile est? Hoc tamen definire nolim, cùm ad id non suppetant mihi idoneæ rationes, unde conjecturaliter tantùm loquor: ut nullum tempori Auctoris legitimo ex hac ejus collocatione imposterùm nascatur præjudicium, vel veritati enucleatiùs elimandæ. Ex unico duos fecit pro more suo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* pag. 217. ubi sic: *Bernardus de Trillia Diœceseos Nemausensis prope Provinciam & Avenionem, Ordinis Prædicatorum Theologus, scripsit Postillas in Ecclesiasten, in librum Sapientiæ, in Joannem usque ad 2. caput, in Apocalypsim, in Psalterium, in Canticum Canticorum. Quæstiones de differentia esse & essentiæ, de Anima, de Potentia Dei, de spiritualibus creaturis. Quodlibeta aliquot. Quæstiones super totam Astrologiam. De cognitione animæ separatæ,* quod

A *quod moriens non potuit absolvere. Vivebat anno* 1291. *Antonius Senensis Lusitanus.* Hæc Possevinus nomine *Bertrandi* mutato tantùm in *Bernardum*, ut ex uno Scriptores duos faceret.

ADMONITIO LECTORI.

Imposterùm paucos ex multis Scriptores attingam, impossibile enim est omnes ob multitudinem recensere. Præterea facillimum est plerosque videre, quid & in quibus locis floruerint, scripserint, evulgaverint, cum locis & annis impressionum, quæ designantur maximè in Bibliotheca Conradi Gesneri, & Apparatu sacro Antonii Possevini à nobis sæpe sæpiùs citato.

De Augustino Anconitano. 1301.

AUGUSTINUS Triumphus, patria Anconitanus, professione religiosus sancti Augustini, vir pius & doctus, floruit ad initium anni 1300. sed obiit anno 1328. cùm esset annorum octoginta quinque ut ex inscriptione sepulchri ipsius constat, quod habetur Neapoli in Ecclesia Fratrum Eremitarum sancti Augustini. Scripsit *egregiam summam de potestate Ecclesiastica*, quæ extat Romæ edita anno 1584. Scripsit etiam *Commentarium in Canticum Beatæ Virginis Mariæ*, quod extat Romæ excusum an. 1590. scripsit *plurima alia tum in sanctam Scripturam, tum etiam in Magistrum Sententiarum, tum etiam in Aristotelem, & Sermones, ac tractatus varios*, qui extare dicuntur in Bibliotheca Vaticana.

DISSERTATIO HISTORICA.

AUGUSTINUS Triumphus, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, à patria vulgò de Ancona, sive Anconitanus dici solitus, cùm adhuc junior Lugdunensi Concilio II. anno 1274. interfuisset, vixit Principibus tum Ecclesiasticis, tum sæcularibus, ac nominatim Roberto Regi Neapolitano charissimus, usque ad annum Domini 1328. quo grandævus Neapoli obiit die 2. Aprilis ætatis 85. Plura de eo Jo: Trithemius, Raphael Volaterranus, Josephus Pamphilus, Gratianus, Curtius, Elssius, aliique.

Summa de potestate Ecclesiastica ad Joannem Papam XXII excusa primùm Augustæ Vindelicorum anno 1473. in folio, & alibi (*a*).

Commentarius in Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Canticum B. Virginis, &c. ab Angelo Rocca ejusdem Ordinis vulgatus Romæ annis 1590. & 1592. in quarto. Sunt tamen qui Augustino Steucho Eugubino, qui ex Canonico Regulari Congregationis S. Salvatoris Episcopus Kisami, Sedis Apostolicæ Bibliothecarius, floruit anno 1540. falsò attribuant, ut monuit Maraccius.

Trithemius addit hunc Triumphum volumen insigne ex scriptis S. Augustini incepisse, quod Milleloquium Aug. prænotavit, sed morte præventum, imperfectum reliquisse, ac postea à Bartholomæo Urbinate ejusdem Ordinis fuisse perfectum.

(*a*) Sixtus ait dedicasse opus illud Joanni XXII. Papæ anno 1331. quod sanè fieri nequit, si, ut modò diximus, obiit 1328. Idem addit postillari studio scripsisse in totum novum Testamentum Commentarios cum Catenis & Explanationibus SS. Patrum in Acta, Epistolas Paulinas atque Canonicas, & in Apocalypsim S. Joannis.

De Barlaamo. 1303.

BARLAAMUS Episcopus Hieracensis, vixit circa annum Domini 1303. & scripsit *Epistolas multas ad Græcos de unione cum Ecclesia Romana*, quas edidit Henricus Canisius num. 6. antiquæ lectionis.

DISSERTATIO HISTORICA.

BARLAAMI de Seminaria (*a*) Hieracensis, seu Gyracensis in regno Neapolitano Episcopi, extant non tantùm in Tomis antiquæ lectionis Henrici Canisii, sed etiam in Bibliothecis Veterum Patrum Coloniensi & Parisiensi Morelliana,

B *Epistolæ ad Græcos de unione cum Ecclesia Romana, & processione Spiritus Sancti ex Patre ac Filio*: necnon *Ethica secundùm Stoicos*, ex pluribus eorumdem Stoicorum voluminibus composita, & in duas partes distributa.

Quod ad ætatem ejus spectat: Notandum est vixisse sæculo Christi decimo quarto duos hujus nominis Hieracenses Episcopos; alterum anno 1303. cui epistolas illas tribuere videtur Bellarminus; alterum verò juniorem anno 1342.

C Barlaamus verò Monachus, qui Græcè scripsit de Logistica sive Algebra, & cum Gregorio Palama famoso hæretico inimicitias exercuit, vixit eodem sæculo circa annum Christi 1350. de quo Joannes Bocacius de Certaldo præfatione in librum de Genealogia Deorum, Jacobus Pontanus Soc. Jesu in Notis ad capita 39. & 40. libri 2. Historiæ Joannis Cantacuzeni Græcorum Ex-Imperatoris, aliique (*b*).

(*a*) Calabri, ex Sancti Basilii, ut volunt, Monacho Hieracensis, vel, ut minus emendatè scribi solet, Gyracensis.

D (*b*) Ex his verò arguas velim tum Claudium Salmasium qui in præfatione opusculi de Primatu Papæ, quod primùm in Anglia ex versione Joannis Lhuidi apparuit, & ipse bis cudendum curavit, ad Lectorem hæc habet: De Barlaamo Monacho, quem Nilo comitem addidimus, quid dicam non habeo. Nihil enim illius legimus præter brevem Tractatum, λογιστικὴν ipsius atque ἀριθμητικήν. Doctissimum hunc fuisse liquet: stylus tritus & subactus nec prorsus ἀπελεύθερος. Vixisse autem cum Pediasimo, Cartophylace, Agathemaro, Plethone, & aliis ejusmodi, nec procul abesse ab ætate Nili nostri facilè conjicio, si quid conjecturis fidendum; tum ejus exscriptorem Melchiorem Goldastum Haiminc-feldium in Præfatione ad damnatam Monarchiam, ubi adjicit Barlaamum istum ex Salmasii verbis videri floruisse tempore Concilii Basileensis, hoc est post annum 1431. Erravit quoque Blondellus in E Tractatu de Papa fœmina, dum tractatum illum de Primatu Papæ adjudicavit Barlaamo Hieracensi Episcopo Latinorum studiosissimo, quod non omisit Maresius, qui in eadem cum Salmasio & Goldasto hallucinatione circa tempus illius versatur, cum alienis verbis concludit: Quis & unde fuerit, quando vixerit, & quid scripserit, juxta scio cum ignarissimis.

De Siffrido. 1305.

SIFFRIDUS Presbyter Misnensis eodem tempore scripsit *Epitomen historiarum libris duobus comprehensam ab anno Domini* 458. *usque ad annum Domini* 1307. Extat hoc opus impressum cum aliis historicis Germaniæ.

DIS-

DISSERTATIO HISTORICA.

SIFFRIDUS, Misnensis Ecclesiæ in Saxonia Presbyter, vixit sæculo Christi 14. circa annum 1308. & tempora Alberti primi Austriaci Imperatoris, qui illo anno Kalendis Maji interfectus est. Possevinus Ordinis Prædicatorum fuisse asserit, sed hallucinatus est duos in unum confundens: longè enim à Chronographo diversus fuit Siffridus, Episcopus Cyrenensis titulatus, Archiepiscopi Moguntini Theoderici in Pontificalibus Vicarius, cujus opera recensuit Trithemius, eumque ostendit claruisse sub Friderico III. Imperatore, & Romanis Pontificibus Pio II. & Paulo II. anno 1470. De Misnensi videsis Vossium ac Bellarminum quem dumtaxat exscripsere Miræus & Patrologus. Alfonsus verò Fernandes in eumdem cum Possevino lapsus est errorem, cum auctorem Compendii Historiarum suo Prædicatorio Ordini adscribit, distinguitque à Siffrido Theutone egregio Concionatore, quem Cirensis Ecclesiæ Præsulem obiisse asserit 17. Kal. Junii 1473.

Chronica ejus, sive, *Epitome Historiarum ab orbe condito* pro more temporum illorum inchoata, in mss. codicibus descripta habetur. Resectis porrò prioribus periochis, utpote nullius frugi ac planè inutilibus, Georgius Fabricius Chemnicensis, quæ supersunt ab anno Christi 458. usque ad annum 1307. subjecit Historiæ suæ Saxonicæ sive Annalibus Misniæ ann. 1569. Lipsiæ excusis: unde Joannes Pistorius Niddanus transtulit in Tomum 1. Rerum Germanicarum ann. 1583. Francofurti editum.

De Nicephoro Callisto. 1305.

NICEPHORUS Callistus historicus Græcus, vixit tempore Andronici Senioris Imperatoris cui dedicavit historiam suam: proinde vixit post annum Domini 1300. *Historia*, quæ nunc extat Nicephori Callisti, continetur *libris octodecim, & incipit à nativitate Christi, ac desinit in annum ejusdem* 625. Credibile autem est, multò plures ab eo libros scriptos fuisse, sed periisse.

Porrò in historia hujus auctoris, ut Græci & Schismatici, non mirum videri debet, si inveniantur errores proprii Græcorum, ut de processione Spiritus Sancti à solo Patre, in ipsa præfatione. Magis mirum est, inveniri non paucos errores in rebus historicis, ut ex Annalibus Card. Baronii constat.

DISSERTATIO HISTORICA.

NICEPHORUS, Callisti Xanthopuli filius, vixit sub Andronico seniore Palæologo, ejusque filio Michaele, ac nepote Andronico juniore (*a*), ut docet tum Historiæ illius præfatio, tum Catalogus metricus Impp. Constantinopolitanorum in Protreptico nostro Græcè editus pag. 34. ex codice ms. Collegii Parisiensis cum duobus Regiis collato, quem Langus aliique etiam adstipulantibus mss. codicibus tribuunt huicce Nicephoro, non secus ac seriem Patriarcharum Const. oratione soluta paulò fusiùs conscriptam in membranis Bibliothecæ Regiæ atque à nobis pariter vulgatam.

Historiæ Ecclesiasticæ libri 18. à nato Christo ad mortem usque Phocæ Imp. & annum æræ Dionysianæ 610. cum argumentis quinque aliorum librorum ab Heraclii exordio usque ad mortem Leonis Sapientis Imp. quæ accidit anno 911. extant Græcè & Latinè ex interpretatione Joannis Langi; recognita studio & opera R. P. Frontonis Ducæi Soc. Jesu Theologi, Parisiis duobus Tomis in fol. an. 1630. Latina Langi. versio Basileæ 1553. prodiit, & Lutetiæ 1562. de qua necnon & de erroribus Nicephori consule Possevinum, & de Synopsi totius Scripturæ Jambicis trimetris digesta, de qua præter alios Martines in Hypotypo lib. 1. cap. 7. & ad imitationem Carminum S. Gregorii Nazianzeni brevi gyro collecta, aliisque ejus opusculis Guillelmum Eisengrenium in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Certè ejus Historiam non sine delectu atque acri judicio legendam monuerunt viri eruditi, ut quæ multas fabulas quisquiliasque contineat ex incertæ dubiæquæ fidei Scriptoribus conquisitas. Neque tamen iis accedendum puto, qui fabulosissimum, vanissimum, futilissimum, nulliusque in litteris judicii, nec *συγγραφέα μύθων καὶ λήρων ῥαψῳδόν* appellitant. Illius enim pannis purpuram aliquando intextam ex auctoribus qui perierunt nemo est qui non fateri cogatur, & damnare temeritatem Casauboni, qui quidquid apud ipsum legitur, non pluris faciebat, quàm folia farfari. Prudentis enim Lectoris est pretiosum separare à vili & gemmas è sterquilinio colligere.

(*a*) Sixtus Senensis libro quarto Bibliothecæ Sanctæ meminit octodecim librorum Historiæ Ecclesiasticæ & Synopseos seu Contuitus totius Divinæ Scripturæ Jambicis dimetris digesti, in quo argumenta omnium Sacrorum voluminum breviter complexus est, sed malè asserit claruisse sub Emanuele Imperatore anno Domini millesimo centesimo. Ducentis enim annis posterior fuit Nicephorus, nec ann. 1100. imperabat Constantinopoli Emanuel, sed avus ejus Alexius Comnenus.

De Eberardo. 1305.

EBERARDUS Archidiaconus Ratisponensis scripsit *Chronicon ab anno* 1273. *usque ad annum* 1305. Vide Henricum Canisium primo tomo antiquæ lectionis.

DISSERTATIO HISTORICA.

RATISPONENSIS is fuit Archidiaconus, Auctor *Annalium*, sive, *Chronici ab anno* 1273. *ad* 1305. *de Ducibus Austriæ, Bavariæ, ac Sueviæ*. Observat autem Vossius hunc ex Henrici Steronis fontibus areolas suas irrigasse, adeò conveniunt in plerisque, seu res, seu ipsa etiam verba spectes.

De Idiota.

IDIOTA, nomine proprio ex humilitate suppresso, scripsit libros quinque contemplationum valde pios, & eruditos. Item regulas duodecim vitæ Christianæ, breves annotationes in Psalmum quintum decimum, libellum contemplationum de B. V. Maria; qui libri extant in Bibliotheca Sanctorum Patrum tomo 11. editionis secundæ. Quando floruerit ignoramus. Ego in prima editione secutus aliorum judicium posui hunc auctorem ad initium anni 900. Sed postea legens diligentius ejus scripta, animadverti illum esse multo posteriorem. Nam in proœmio libelli de B. Virgine citat verba S. Bernardi ex sermone 2. super missus est Angelus, & in libro quinto Contemplationum cap. 7. dicit suo tempore Ecclesiam fuisse redactam ferè ad Angulum Occidentalem. Et cap. 11. utitur phrasibus Scholasticorum, & in libro de B. Virgine cap. 2. & 6. disputat de conceptione immaculatæ Beatæ Virginis Mariæ, quæ quæstio post Scoti tempora maximè invaluit.

Additio. Floruit hic Idiota circa initium ſæculi decimi quarti, illique nomen erat *Raymundus Jordanus*, quod Pater Theophilus, Winand Jeſuita, ſæculi decimi ſeptimi egregius ſcriptor, adinvenit qui docet illum fuiſſe Canonicum Regularem, Uſeticenſem in Occitania, ac demum Abbatem Vulgò *de Selles* in Provincia Bituricenſi. Illius opera denuò excuſa ſunt Pariſiis anno 1654. in uno volumine in quarto, ac continent tractatus ſexdecim.

Dissertatio Historica.

IGnotus pleriſque hactenus Idiota, hoc demum ſæculo emicuit à R. P. Theophilo Raynaudo eductus clariſſimam in lucem. Is eſt Raymundus Jordanus, Canonicus Regularis Ordinis Sancti Auguſtini, primùm Uticenſis, ſive Utecienſis in Narbonenſi Gallia Præpoſitus anno 1481. deinde Cellenſis ad Carum fluvium in Biturigibus Cubis Abbas, quæ nunc Abbatia Patribus Fulienſis Congregationis, Ord. S. Bernardi attributa eſt. Quo verò anno obierit, & an exordia ſæculi à Chriſto 15. ſalutaverit necne, inquirendum aliis relinquo. Hoc tantùm urgeo, plurimum à ſcopo aberraſſe, qui eum floruiſſe ſcripſerunt ſæculo 8. vel 9. aut 10. cùm vel ex præfatione libelli de Virgine colligi potuerit S. Bernardo, cujus verba ex Tractatu ſuper Miſſus eſt, citantur ibidem, poſteriorem fuiſſe.

Omnia Idiotæ opera, quæ hactenus reperiri potuerunt, hoc ordine edita ſunt Pariſiis in quarto, anno 1654.

1. *Contemplationes de miſerabili curſu vitæ præſentis, in quinque Tractatus diſtributæ*. 2. *Contemplationes de innocentia perdita*. 3. *Contemplationes de converſione per* 12. *menſes anni ſpiritalis producentis* 12. *fructus Spiritus*. 4. *Contemplationes de conflictu aſſiduo inter animam & carnem*. 5. *Contemplationes de ſeptem donis Spiritus Sancti, contra ſeptem peccata mortalia*. 6. *Contemplationes, quòd Spiritus Sanctus eſt adiutor animæ, deque variis Spiritus Sancti erga hominem officiis*. 7. *Contemplationes de octo Beatitudinibus*. 8. *Contemplationes de Amore*. 9. *Contemplationes de vera Patientia*. 10. *Contemplationes de Morte*. 11. *Contemplationes de B. Virgine Maria*. 12. *Tractatio plena de B. Virgine*. 13. *Opus tribus libris diſtinctum de Statu Religioſo*.

14. *Opus de Oculo ſpiritali*, cum ſupplemento ejuſdem operis, de quo opere videndus quoque Lucas Wadingus in Bibliotheca Minorum V. Joannes Guallenſis.

15. *Regulæ Chriſtianam vitam complectentes*, quæ meliùs referuntur ad Joannem Picum Mirandulanum Comitem, qui obiit anno 1494.

16. *Paraphraſis in Pſalmum* 15. ejuſdem Joannis Pici.

Sequuntur priores & poſteriores cogitationes Theophili Raynaudi S. J. de Auctore horum librorum, cum ejuſdem Faculis ad Idiotæ ſubobſcura quædam loca, ſive, Judicio de quibuſdam ejus propoſitionibus, quæ nonnullis cum receptiori doctrina Theologica minus cohærere videri poſſunt.

De Guillelmo Duranti. 1310.

Supplementum.

GUillelmus Duranti, nepos alterius Senioris, ejuſdemque nominis & cognominis, quem varia Scripta illuſtrarunt, de quibus Bellarminus & Labbeus in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Sammarthani Fratres in Gallia Chriſtiana tom. 3. pag. 730. *in Epiſcopis Mimatenſibus*. Hic

A dictus nomine IV. ad diſtinctionem quamdam ab avunculo ſuo, qui 3. Guillelmus fuit in Ordine Mimatenſium Epiſcoporum. Sub illo primùm factus Mimatenſis Canonicus, ac poſtea Archidiaconus, deinde proviſus de Epiſcopatu per Bonifacium VIII. Papam Epiſtola Regeſti Vaticani, Pontificatus anno 2. Chriſti 1296. & apud Ughellum Italiæ Sacræ tomo 2. pag. 501. & quæ refert etiam Gallia Chriſtiana loc. cit. Hic autem Guillelmus an. 1297. conſentiente Capitulo, ordinavit, neminem ad Canonicatus Eccleſiæ admittendum eſſe, cujus parentela uſque ad tertiam generationem aliquo modo Eccleſiam Mimetenſem inquietaſſet. Anno 1306. hic litem admodum arduam compoſuit inter Petrum
B Ruthenenſem Epiſcopum & Bernardum Comitem, de qua in Archivis Epiſcopatus, ubi in Autographo Guillelmum IV. ſeſe appellat. Interfuit Concilio Viennenſi anno 1311. *Deque rebus in eo tractatis ſelectam relationem idem Guillelmus Mimatenſis recenſuit, cujus acta extant in Codice Vaticano*, inquiunt Fratres Sammarthani. At vix, ac ne vix quidem adduci poſſum ut credam, hanc operam à Sammarthanis illi attributam, eſſe aliud aliquid *à Tractatu de modo celebrandi generalis Concilii per Guillelmum Durantum Epiſcopum Mimatenſem, juſſu Clementis V. Summi Pontificis edito, & Concilio Viennenſi oblato*, quem habes impreſſum apud Franciſcum Clouzier Pariſiis in Aula Palatii, juxta ædes primi Præſidis,
C ad inſigne Beatæ Mariæ Virginis, in 8. anno 1671. una cum libello Nicolai Clemangis Archidiaconi Bajocenſis, Doctoris & Theologi Pariſienſis, *De corrupto Eccleſiæ ſtatu*, libello Petri de Alliaco Cardinalis Cameracenſis Epiſcopi *De Emendatione Eccleſiæ*; Concilio delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum *De emendanda Eccleſia*, Sanctiſſimo D. N. Nicolao III. exhibito, & ipſo jubente conſcripto; Oratione Gentiani Herveti *De reparanda Eccleſiaſtica diſciplina*. Qui primus hunc *Tractatum de modo generalis Concilii celebrandi* edidit, hic Philippus Probus Juriſconſultus Bituricenſis celeberrimus, qui eum Pariſiis anno 1545. decimo-quinto Kalendas Aprilis dedicavit *Sanctiſſimo D. N. Paulo divina provi-*
D *dentia Papæ III. & Reverendiſſimis ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus, Epiſcopis, Abbatibus, ac cæteris in Chriſto Fidelibus, ad univerſale Concilium in Tridentina Civitate celebrandum convocatis*. Impreſſus etiam poſtea in 4. Pariſiis anno 1635. cum iiſdem adjunctis. Deceptus tamen tam in ſua dedicatoria Epiſtola, quàm Vita præmiſſa Auctoris, Philippus Probus, qui hoc opus affixit, & opinatus eſt ſpectare ad Guillelmum Durantum Seniorem, ſeu tertium & Patruum, quem conſtat eſſe mortuum Romæ anno 1296. & numquam attigiſſe ſæculum decimumtertium ex Epitaphio ſepulchrali ejus lapidi appenſo, quod ab ipſis Fratribus Sammarthanis refertur in Gallia Chriſtiana tomo 3. pag. 730. *in Guillelmo*
E *Duranti III*. At ſpectat ratione temporis quo ſcriptus eſt, certiſſimè ad Nepotem & Guillelmum Juniorem, de quo ſilent & Bellarminus & Labbeus, in opere ſuo uterque *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Imò plerique non diſtinguentes inter duos Guillelmos Durantos, ambos ſibi in nomine & cognomine ſimiles, ambos ſibi in Epiſcopali Sede ſuccedentes, atque in eadem Juris Canonici profeſſione inclitos, poſuerunt Durantum Patruum ſeu Seniorem vixiſſe uſque ad annum 1328. quod ipſa Epitaphe tumulo appenſa falſitatis manifeſtæ arguit. Eſt itaque iſtud opus Guillelmi Duranti Junioris ſeu Nepotis, qui multis etiam inſignis fuit egregiis factis. Fundavit enim anno 1312. Collegium omnium Sanctorum, tam de bonis ſuis, quàm Guillelmi tertii dicti Speculatoris ejus patrui. Expulit

pulit Judæos à civitate Mimatensi, & in eorum Synagoga ædificavit domos istius Collegii. Adstitit quoque in Parlamento anni 1316. apud Guillelmum Budæum in lib. ultimo *De Senatoribus*; & anno sequenti delegatur à Rege Philippo Longo, pro componenda pace inter eum & Robertum Flandriæ, ac Ludovicum Niverni Comitem, ejusque filium. Scribit ei pariter Marinus Sanutus *in Historia Secretorum Crucis* anno 1326. de statu belli sacri, *Episcopum Mimatensem & Comitem Gabalitanum ac Procuratorem passagii* vocitans. De illo plura habent tabularia dicti Collegii omnium Sanctorum in Civitate Mimatensi, quæ nos ex Gallia Christiana passim in multis accepimus.

De Jacobo de Termis. 1310.

SUPPLEMENTUM.

JACOBUS DE TERMIS Abbas Caroliloci Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Silvanectensi, edidit anno 1311. tempore Concilii Generalis Viennensis *Opusculum contra impugnantes exemptionem & Privilegia Regularium*, maximè contra Ægidium Romanum Bituricensem Archiepiscopum. Habetur tomo 4. Bibliothecæ veterum Ord. Cisterciensis Scriptorum pag. 261. de qua sæpius egimus.

De Guillelmo Majori. 1310.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS cognominatus *Major*, electus est Andegavensium Episcopus communi omnium suffragio anno 1290. antea ejusdem Ecclesiæ Canonicus Pœnitentiarius, vir doctus & probus: Scripsit *gesta sua in Episcopatu ab anno* 1290. *ad* 1313. quæ ex ms. Codice edidit Lucas Dacherius tom. 10. sui Spicilegii pag. 247. Obiit verò anno 1314. die 13. Maji, de quo vide Galliam Christianam Sammarthanorum Fratrum, verbo *Andegavenses Episcopi*.

De Joanne Friburgensi. 1310.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES FRIBURGENSIS in Brisgoja, natione Teutonicus Ordinis Fratrum Prædicatorum, cui Joannes Niderus cognomentum *Runsick* tribuit, vir fuit multæ eruditionis & pietatis: unde clarescentibus ipsius meritis sanctitatis & doctrinæ, factus est Episcopus Ossunensis in Hungaria, quem postea Episcopatum Ultroneus abjecit, ut in quiete sub Claustrali Regula solitarius inter Fratres viveret. Scripsit autem *Summam Confessariorum* Reutlingæ in Germania anno 1487. editam apud Joannem Othmarum, Parisiis deinde apud Joannem Parvum, & Lugduni apud Joannem Robergerum anno 1518. Ignoro an ista summa sit opus distinctum à Glossis ejusdem Joannis de Friburgo in Summam Raymundinam *De Casibus Pœnitentialibus* seu *de Pœnitentia & Matrimonio*, excusam & in quatuor libros distinctam Romæ in 4. anno 1603. apud Joannem Tallinum, sub hoc titulo: *Summa de Pœnitentia & Matrimonio, cum Glossis Joannis de Friburgo ejusdem Ordinis Dominicani*. Mortuus est Friburgi anno 1314. multis, ut fertur, Miraculis coruscans: de quo mentionem habent Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Joannes Bossinensis* pag. 827. ubi perperam illum attribuit Ordini Fratrum Minoritarum: & verbo *Joannes Friburgensis* pag. 877. & verbo *Raymundus de Pennaforti*. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 483. pag. 272. Lucas Vuadingus in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum, Philippus Labbeus in sua Dissertatione Historica De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis tom. 2. verbo *Raymundus de Pennaforti* pag. 280. Antonius Senensis Lusitanus *in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum* fol. 131. & 134. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1314. pag. 95. & in Appendice pag. 468. ad eumdem annum.

De Victore Porcheto. 1310.

SUPPLEMENTUM.

VICTOR PORCHETUS DE SALVATICIS, Genuensis floruit anno 1315. assumptoque Carthusiani Ordinis habitu scripsit opus nobile contra Judæos, ubi probat per Scripturas Veteris Testamenti & libros Thalmudistarum atque Cabalistarum veritatem Christianæ Religionis. Inscribitur *Victoria Porcheti adversus impios Judæos*, quam Augustinus Justinianus Nebiensis Episcopus recognitam edidit anno 1520. Parisiis apud Ægidium Germontium. Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Porchetus de Selvaticis*, aliique Scriptores de rebus Carthusianorum, faciunt mentionem hujus Scriptoris.

De Petro Aureolo. 1317.

PETRUS Aureolus Ordinis Minorum, ex Provinciali Aquitaniæ Archiepiscopus Aquensis, floruit anno Domini 1317. & multa scripsisse dicitur, sed *Commentarium in primum librum sententiarum*, idque solum Romæ impressum vidi anno 1596.

Citantur multa ex Aureolo Apud Joannem Capreolum, sed ea typis mandata non extant.

DISSERTATIO HISTORICA.

PETRUS Aureolus, Vermeriæ oppido ad Isaram sive Oesiam fluvium (malè quibusdam Ælium) in Francia natus, *Pierre Oriol natif de Verberie sur Oyse*, Ordinem Minorum ingressus, Parisiis Theologiam professus, ad Archiepiscopatum Aquensem in Narbonensi II. anno 1321. & ut quidam etiam volunt, ad Romanam purpuram promotus, dictus Doctor Facundus, obiit die 27. Aprilis, sed annus non annotatur. Successor ejus in cathedra Aquensi Jacobus de Concos de Cabrairez Dominicanus die 10. Julii anni 1322. iniisse dicitur. De eo Sanctus Antoninus, Trithemius, Sixtus Senensis, Franciscus Bosquetus in Notis ad Vitas Pontificum Romanorum qui Avenione in Gallia sederunt, Willotus, Possevinus, Ederus, Lucas Wadingus, & alii.

Breviarium Bibliorum, sive Epitome universæ Sacræ Scripturæ juxta litteralem sensum. Venetiis 1571. & Parisiis 1585. cura Stephani Novelleti Theologi Parisiensis.

Commentaria in libros quatuor Sententiarum, quæ in suis in easdem sententias Commentariis sæpius excusit, exagitavitque Joannes Capreolus Dominicanus, edita sunt Romæ in folio anno 1595. & Clementi VIII. Papæ dicata à Constantio Sarnano Cardinale.

De Conceptione immaculata B. Virginis Tractatus, non fuit anno 1314. excusus Tolosæ, ut habet R. P. Hippolytus Maraccius in Bibliotheca Mariana, sed fortè tum ab auctore scriptus, at excusus anno 1514. neque enim mihi videre contigit, ut neque alia quæ memorantur à quibusdam, quorum maxi-

maximè intererat edita à non editis deperdita à superstitibus sejungere: quod quanta fieri poterit accuratione, si Deus vitam prorogaverit, deinceps præstare conabimur.

De Antonio Andrea. 1317.

ANTONIUS Andreæ, natione Aragonius, Ord. S. Francisci, Scoti discipulus, scripsit *in quatuor libros sententiarum*: quod scriptum editum est Venetiis anno 1578.

Dissertatio Historica.

ANTONIUS Andreæ, vel ut aliis dicitur, Andreas, Ordinis Franciscani, ex Provincia Aragoniæ, discipulus Joannis Duns Scoti, dicitur vivendo pervenisse usque ad annum Christi 1320. Præter Philosophica opuscula, quæ hic non investigamus,

Commentaria in quatuor libros Magistri Sententiarum extant Venetiis anno 1578. excusa opera Cardinalis Sarnani.

De Durando à Sancto Portiano. 1320.

DURANDUS à Sancto Portiano, natione Gallus Ordinis Prædicatorum, & Episcopus Meldensis, Theologus insignis, scripsit *in quatuor libros Magistri sententiarum Commentaria* satis dilucida, in quibus quamvis nonnulla scripserit, quæ à communi Doctorum sententia abhorrent, quædam etiam ab Ecclesia improbata sunt: ipse tamen in præfatione commentarii sui in Magistrum, disertis verbis asseruit ad Ecclesiam Catholicam Romanam pertinere judicium de doctrina, seque omnia sua scripta ejusdem Ecclesiæ censuræ submittere.

Scripsit etiam *librum* egregium *de origine jurisdictionum*. Floruit circa annum Domini 1320.

Dissertatio Historica.

DURANDUS, in Arvernorum Boiis proximo oppido, quod à Sancto Portiano Abbate dicitur, natus, Ordinis Prædicatorum Theologus eximius: sed in multis paulò interdum audacior, nuncupatus vulgò Doctor Resolutissimus, ad Aniciensem seu Podiensem in Vellaunis Episcopalem Cathedram primùm adsumptus fuit, deinde ad Meldensem. Obiisse dicitur die 13. Septembris an. 1333. Meldis in odeo Principis Ecclesiæ tumulatus. De eo Trithemius, Antonius Senensis, qui etiam de Durandello agit S. Thomæ Aquinatis adversus Durandum propugnatore, Possevinus, aliique. Extant sæpius edita

Commentaria in libros 4. *Sententiarum*, ubi pluribus de se ipso loquitur.

Et, *Liber de Origine Jurisdictionum* (a).

Porrò non latet eruditos longè eum fuisse diversum tum à Durando Leodiensi Episcopo, cui falsò tributa est Epistola ad Henricum I. Francorum Regem adversus Berengarii hæresim, tum à Durando Troarnensi (malè quibusdam dicitur Trojanensis) in Neustria Abbate, tum à Guillelmo Durando seu Durante Speculatore dicto, de quo sæculo 13. diximus.

(a) Sive de Jurisdictione Ecclesiastica, quem cum libello altero de legibus vidi excusum Parisiis anno 1506. Alfonsus Fernandes (qui nullam non omittit occasionem carpendi Possevini, pluribusque quàm par erat moratur in refellenda properantis ad recensendam alteram Apparatus sacri editionem senis, & unum ab altero non sat acutè discernentis ἀβλεψία) diem annumque mortis Durandi ignoravit, statuitque, quod Aniciensem Episcopatum possederit; Falsum enim est quòd ex Magisterio Sacri Palatii factus sit Episcopus Meldensis. Idem Fernandez Antonii Senensis exscriptor, ut ex utriusque operis collatione constat, Durandellum asserit fuisse Durandi consobrinum, eique tribuit volumen præscriptum, Correctorium Corruptorii Divi Thomæ, quod alii aliis vindicant.

De Durando Abb. Troarnensi.

Supplementum.

DURANDUS Monachus Fiscamnensis in Normannia, cùm circa annum 1070. virtute ac scientia plurimùm floreret, eductus è Cœnobio Fiscamnensi, datus est in primum Abbatem Ecclesiæ de Troarno, teste Roberto de Monte Sancti Michaelis, in Tractatu suo De Abbatiis & Mutatione Abbatiarum Neustriæ. Troarnum autem Sancto Martino Sacrum, Ordinis Divi Benedicti in Episcopatu Bajocensi ad Divam fluvium, tunc temporis à Rogerio de Montegomerico filio Rogerii Vice-Comitis Oximensis fundatum, in vico suo cui nomen Troarnum. Paucis multa complectitur (quoad doctrinam Durandi Abbatis Troarnensis) Ordericus Vitalis Lib. 4. Historiæ suæ, ubi sic loquitur. *Gerbertus Fontinellensis, Ainardus Divensis, ac Durandus Troarnensis, quasi tres stellæ radiantes in firmamento Cœli; sic isti tres Archimandritæ multis modis rutilabant, Religione & charitate, multiplicique peritia pollebant, studioque Divinæ laudis in Templo Dei jugiter inhiabant.* Porrò egregium scientiæ Durandi Troarnensis monumentum est *Tractatus De Corpore & Sanguine Domini contra Berengarium*, quem primus in lucem è tenebris eduxit Dominus Lucas Dacherius, ediditque ad calcem operum S. Lanfranci Cantuariensis Episcopi, Parisiis in folio anno 1647. apud Joannem Billaine. Ejusdem Durandi mortem pretiosam, sic expressit idem Ordericus lib. 7. Historiæ suæ. *Durandus siquidem Troarnensis Abbas grandævus, ab infantia Monachus, Religione & Sapientia præcipuus, Ecclesiastici Cantus & Divini Dogmatis Doctor peritissimus, sibi durus carnifex, post multos in Dei cultu labores, in lectum decubuit; & benè ut prudens & fidelis servus, ire ad Curiam Domini sui paratus, tertio Idus Februarii de sæculo migravit. Venerabiles Discipuli Glebam Religiosi Doctoris in Capitulo suo reverenter sepelierunt, & in Candido Lapide qui suppositus est, Epitaphium hoc addiderunt.*

Hac tegitur tumba, bonus ac venerabilis Abbas
Durandus, nostri norma Monasterii.
Ad Domini laudem, præsentem condidit Ædem,
Qua sibi propitium credimus esse Deum.
Luce sub undena februi, resolutus habena
Carnis, ad Angelicam dirigitur Patriam.

Videndus de illo Lucas Dacherius in Appendice sua ad Opera Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi, ubi varia præmittit lectu digna de Durando Abbate Troarnensi, antequam ejus opus evulget. Nec te fallat, Lector amice, Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, verbo *Durandus à Sancto Porciano*, quem erroneè appellat Leodiensem Episcopum, & cui attribuit Epistolam ad Henricum Galliæ Regem *de Corpore & Sanguine Domini*, & cujus vult meminisse Guitmundum lib. 1. de Corpore & Sanguine Domini. Nam Epistola ista, nec est Durandi

randi à Sancto Porciano Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui nondum natus erat tempore Henrici primi Galliarum Regis : nec Durandi etiam Leodiensis qui mortuus erat antequam Henricus primus esset Galliæ Rex : sed Deoduini Leodiensis Episcopi, scripta inter annum 1048. quo Deoduinus est factus Leodiensis Episcopus, & 1060. quo mortuus est Henricus primus Galliæ Rex, post exortam Berengarii Hæresim. Quantum autem ad Guitmundum qui Libro 1. *De Corpore & Sanguine Domini*, meminit operis Durandi de eodem argumento : non intelligendus est vel de Durando Leodiensi qui nihil scripsit, nec de Durando de Sancto Porciano, cujus nihil extat speciale de Corpore & Sanguine Domini, sed de Durando Troarnensi Abbate, de quo loquimur, & cujus opusculum de hoc argumento.

De Hervæo Natali. 1320.

HERVÆUS Natalis Brito, Ordinis Prædicatorum Magister generalis, & Durandi æqualis, ac Theologus doctissimus. Scripsit *in Epistolas S. Pauli* quod opus habetur inter opera Sancti Anselmi, ut suprà diximus.

Scripsit etiam *in quatuor libros Magistri sententiarum*. Item scripsit *tractatum de potestate Papæ*. *Alium de Sacramentis*. *Alium de Christi, & Apostolorum paupertate*. *Alium de utraque potestate Papali, & regali*. *Alium de beatitudine*. Item *scripsit Quodlibeta*. Item *librum adversus Durandum, in iis, in quibus à Sancto Thoma dissentit*. Et seorsim *librum de unitate formarum contra eumdem*. Nec non libros aliquot contra *Henricum à Gandavo*.

Et multa alia Philosophica scripsit.

De Materia cœli. *De æternitate mundi*. *De voluntate*. *De secundis intentionibus*. Denique scripsit *de Verbo*. *De motu Angeli*. *De relationibus*. Obiit anno Domini 1325.

Dissertatio Historica.

HERVÆUS Natalis, Brito Aremoricus, Ordinis Prædicatorum XIV. Magister Generalis extitit, ac S. Thomæ doctrinam acerrimè propugnavit. Obiit Narbone anno Domini 1323. teste Antonino Senensi in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum. De eodem vide Sixtum Senensem, Possevinum, Fernandem, &c.

Commentaria in quatuor libros Sententiarum, Venetiis anno 1503. & Parisiis anno 1647. cum ejusdem Tractatu de Potestate Papæ. *Quodlibeta Majora quatuor*, Venetiis 1647. *Quodlibeta Minora* 24. Venetiis 1513.

Defensorium contra impugnantes Fratres Prædicatores, quòd non vivant secundum Apostolicam vitam : Venetiis in octavo, per Lazarum de Scardis, anno 1516. Cætera omitto, ut moneam falsò Bellarminum, atque ex eo Miræum, Georgium Callixtum, Patrologum, aliosque, tribuere huicce Britoni Commentarium in Epistolas B. Pauli, qui inter S. Anselmi opera sæpiùs editus est. Ejus enim auctor fuit antiquior Hervæus, Dolensis Monachus Ord. Bened. qui vixit circa annum 1130. cujusque in mſ. codice Collegii nostri Parisiensis, & alibi, extant ingentes Commentarii in Esaiam Prophetam, ad Joannem nobilissimi Cœnobii Abbatem, quod in Dolensi vico Biturigum ad Angerem fluvium olim ab Ebbone fuerat ædificatum. Neque verò è nihilo videtur, quòd Simlerus habet tribui à multis Hervæo Britoni Summam Logicæ Aristotelis, quæ sub S. Thomæ Aquinatis nomine impressa habetur.

A

De Hervæo Burgidolensi.

Supplementum.

HERVÆUS Patria Cenomanensis Ordinis Divi Benedicti Monachus, in Monasterio Burgidolensi Diœcesis Bituricensis, pietate & doctrina insignis, floruit anno circiter 1130. de cujus laudibus & meritis extat Epistola Encyclica Monachorum Burgidolensis Abbatiæ edita tomo 2. Spicilegii Dacheriani pag. 514. Scripsit multos Commentarios in Scripturam Sacram, spectantque ad eum *Commentarii in omnes Epistolas Sancti Pauli Apostoli*, impressi hactenus
B passim cum operibus Divi Anselmi Cantuariensis, & sunt Hervæi Burgidolensis tam ex fide mſſ. Codicum, quàm ex impressione Operibus ejusdem Anselmi Parisiensi anni 1544. quæ Hervæo adjudicat. Vidi mſſ. duos Codices optimæ notæ in manibus D. Placidi Porcheron Bibliothecarii Sancti Germani Parisiensis, dictum Commentarium in Epistolas Paulinas Hervæo præfato Benedictino attribuentes. Ejusdem *Commentarii in Isaiam Prophetam amplissimi*, quos mſſ. habet Bibliotheca Longipontis Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Svessionensi, & Bibliotheca Claromontana Parisiensis Societatis Jesu. Itemque vidi ejusdem auctoris *Postillas breves in Deuteronomium* mſſ. apud Sanctum Germanum Parisiensem, cum Com-
C mentario in Isaiam de quo suprà. Vide Lucam Dacherium in præludio ad tomum 2. sui Spicilegii, & citatam Epistolam Encyclicam.

De Francisco Mayrone. 1320.

FRANCISCUS Mayronis natione Scotus, professione Religiosus Ordinis S. Francisci, Scoti discipulus, vixit tempore Joannis XXII. Papæ anno Domini 1320.

Scripsit *Commentaria in libros quatuor Magistri Sententiarum*. Item *Quodlibeta*. *Formalitates*. *De primo principio*. *De expositione divinorum nominum*. *Et de uni-*
D *vocatione*. Quæ omnia simul edita sunt Venetiis anno 1520. & 1556. Scripsit præterea *Quadragesimale*, & *Sermones de Sanctis*. Item *de paupertate Christi, & Apostolorum*. *De virtutibus, & vitiis capitalibus*. *De articulis fidei*. *De Baptismo*. *De humilitate*. *De Indulgentiis*. *De corpore Christi*. *De Angelis*. *De suffragiis defunctorum*. *De pœnitentia*. *De jejunio*. *De ultimo judicio*. *De septem donis Spiritus Sancti*. Quæ omnia jam olim impressa fuerunt Basileæ.

Dissertatio Historica.

FRANCISCUS de Mayronis, non Scotus, ut Bellarminus aliique scripserunt, sed Gallus è
E Diniensi Provinciæ oppido oriundus, discipulus Joannis Duns Scoti, Doctor Illuminatus aut Acutus dici solitus, septem post magistri sui obitum annis dicitur fuisse primus auctor in Parisiensi Academia Theologici illius, ut vocant, Actus, qui Sorbonica dicitur, ab ortu Solis ad occasum, sive à quinta aut sexta matutina, ad sextam vel septimam serotinam. Obiit Placentiæ an. 1325. tempore Joannis XXII. Papæ. De ejus scriptis vide Bibliothecam Minorum Fr. Lucæ Wadingi, Athenas Franciscanas Henrici Willoti, & Historiam Ecclesiasticam Thomæ Dempsteri.

De

De Gulielmo Ockam. 1320.

GULIELMUS Ockam natione Anglus, Ord. Minorum, Scoti discipulus, & æqualis Francisci Mayronis, vir doctus, sed fautor Ludovici Imperatoris IV. nimis ardens, ob quam causam in aliquos errores lapsus meruit, ut in Indice librorum prohibitorum ejus nomen poneretur. Scripsit *in quatuor libros Magistri sententiarum. Librum Quodlibetorum. De fautoribus hæreticorum. De Sacramento altaris. Compendium Theologiæ. De actibus hierarchicis. De ingressu scientiarum. De paupertate Apostolorum. De potestate Pontificum, & Imperatorum.*

Opus nonaginta dierum, & dialogos, quæ duo opera cum aliis contra Joannem XXII. scriptis interdicta sunt in Indice librorum prohibitorum.

Dissertatio Historica.

GUILLELMUS Ocham, sive de Villa Occam, Anglus, Scoti discipulus, ejusque deinceps assumpto sectæ Nominalium patrocinio acerrimus impugnator, dictus vulgò Venerabilis Inceptor, & Doctor singularis: in favorem Antipapæ Nicolai de Corbariis, & Ludovici Bavari Imperatoris adversus Joannem XXII. Romanum Pontificem, ejusque successores multa conscripsit. Obiisse dicitur die 10. Aprilis anni 1347. & sepultus est in Conventu Monachiensi Ordinis sui in Bavaria. De eo plura Lucas Wadingus in Annalibus & Bibliotheca Minorum, Pitseus, Spondanus, Bzovius, Raynaldus, Joannes Hervvartius ab Hohenbourg Ludovici Bavari Hyperaspistes, Jo: Trithemius, qui illud jactatum refert: O Imperator, defende me gladio, & ego defendam te verbo, Bellarm. Possevinus, & alii.

Ex variis ejus operibus, cùm Philosophicis, tum Theologicis, quæ nulla prorsus adhibita diligentia recensent supradicti scriptores, hæc ego dumtaxat vidi & observavi.

Expositio aurea, & valdè utilis super totam Artem Veterem una cum quæstionibus Alberti parvi de Saxonia, studio Marci de Benevento Cælestini Bononiæ, in fol. prodiit an. 1496. apud Benedictum Hectorem. Ea verò continet istos Tractatus, I. *Super Porphyrii Prædicabilia*, hoc initio: Quoniam omne operans. II. *In Aristotelis Prædicamento*, hoc initio: Completa expositione libri Porphyrii. III. *In libros duos περὶ ἑρμηνείας*, hoc initio. Postquam Philosophus in libro, &c.

Summa totius Logicæ, in quarto Venetiis, per Lazarum de Soardis, anno 1508. Proœmium incipit: Dudum me frater. Caput verò primum hoc initium præfert: Omnes Logicæ Tractatores intendunt adstruere.

Major summa Logicæ, Venetiis 1522. hoc initio: Dudum expletis lectionibus. *Quæstiones in libros* 8. *Physicorum*, Argentinæ annis 1491. & 1506. *Philosophia naturalis Guillelmi Ochami*, quæ incipit: Studiosissimè, sæpiusque, &c. Romæ in quarto, an. 1637.

Super quatuor libros Sententiarum Quæstiones, Lugduni 1495. in fol. apud Jo: Trechsel, cum Centiloquio Theologico.

Dialogus, in tres Partes tributus. I. In libros septem, quos Trithemius & quidam alii minus rectè inscribunt, De fautoribus hæreticorum, hoc initio: In omnibus rebus curiosis, &c. II. In Tractatus duos. III. In Tractatus novem, cum litteris F. Michaelis de Cæzena, ad Capitulum Fratrum Minorum, & ad Regem Romanorum, & Compendio errorum Joannis XXII. Lugduni 1495. apud Jo: Trechsel.

Super potestate Summi Pontificis octo quæstionum decisiones, ibidem anno 1496. *Opus nonaginta dierum, &c.* (*a*). *Quodlibeta septem*, Parisiis 1487. apud Petrum Ruberum, & Argentinæ 1491. cum Tractatu de Sacramento Altaris, quem non vidi editum Venetiis 1516. Epitoma Henrici de Zœmeren Decani Antuerpiensis, in primam partem Dialogi Guillelmi Ocham, quæ est de hæreticis, ad Bessarionem Card. Nissenum Episcopum Tusculanum, Lovanii anno 1481. in folio.

(*a*) Hoc opus cum Dialogis & scriptis omnibus adversus Joannem XXII. Papam prohibetur in Expurgatorio Indice Bernardi Sandovallii. Hæreticus tamen Melchior Goldastus Haimensfeldius, Pontificum Romanorum hostis maledicentissimus,

Queis si non aliqua nocuisset, mortuus esset,

Tomo I. damnatæ toties Monarchiæ recudenda curavit pag. 13. de potestate Prælatorum disputationem, & pag. 21. de Jurisdictione Imperatorum in causis matrimonialibus. Tomo autem altero pag. 314. Quæstiones super potestate ac dignitate Papali, pag. 398. Dialogum inter Discipulum & Magistrum. Cum Compendio errorum Joannis XXII. Badii summariis seu epitomatis CXXIV. Capitulorum operis 90. dierum, atque illo ipso opere de utili dominio rerum Ecclesiasticarum, &c.

Supplementum.

GUILLELMUS OCKAM, de quo plura loqui nihil juvat, quippe quem multis hinc atque illinc corrogatis sugillandi occasionibus, Romanos Pontifices fatigasse constat. Extant mss. sub nomine Ockami in Bibliotheca Colbertina cod. 731. *Tractatus Guillelmi Ockam quòd Benedictus Papa XII. nonnullas Hæreses Joannis Papæ XXII. amplexus est & defendit*. Item *ejusdem Epistola ad Fratres Minores in Capitulo apud Assisium congregatos anno* 1334. Plurima de Ockamo invenies in utramque partem apud Bellarminum in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*; Labbeum ibidem; Antonium Possevinum *in Apparatu Sacro*, Lucam Wadingum in Annalibus Fratrum Minorum & in Bibliotheca eorumdem pagina 155. Melchiorem Goldastum Haimensfeldium qui tomo primo *Monarchiæ suæ* collegit summa cura, quidquid Guillelmi Ockami invenit *contra Romanos Pontifices*.

De Monaldo. 1320.

MONALDUS Dalmata Ordinis Minorum, & postea Archiepiscopus Beneventi, scripsit *summam juris Canonici*, quæ *aurea* dicitur, & impressa fuit Lugduni anno Domini 1516.

Scripsit etiam *quæstiones in quatuor libros sententiarum & sermones*. Obiit anno Domini 1332. Martyrio coronatus, apud Saracenos, ut testatur Antonius Possevinus in apparatu sacro, tomo secundo.

Dissertatio Historica.

MONALDUS, Justinopolitanus Dalmata, ex Ordine Minorum assumptus, ut quidam volunt ad Archiepiscopatum Beneventanum, floruit anno 1332.

Summa Casuum conscientiæ, Aurea dicta, sive Monaldina, edita in 8. Lugduni 1516. apud Petrum Baletum & fortè alibi. Reliqua ejusdem opera an typis fuerint excusa prorsus ignoro. Possevinus atque ex eo Bellarminus, Miræus, & alii confundunt cum Monaldo Anconitano ejusdem ordinis Religioso, qui Arzengæ à Saracenis martyrio coronatus est cum duobus aliis die 2. Martii 1288. ut pluribus

Lucas

Lucas Wadingus in Annalibus Minorum, quos consule ad annos 1288. 1314. & 1332. Trithemius Monaldi meminit, eumque videtur collocare circa annum 1330. sed silet omnino de Beneventano Archiepiscopatu.

SUPPLEMENTUM.

MONALDUS Justinopolitanus, Dalmata, Ordinis Minorum, Archiepiscopus Beneventanus, vir doctus & devotus, scripsit *Summam Juris Canonici*, *Quæstiones in quatuor libros Magistri Sententiarum*, *& Sermones varios*: cujus Summa *Aurea* dicta Lugduni anno 1516. prodiit apud Petrum Baletum. Vixit anno 1332. glorioso Martyrio coronatus Artengæ quæ urbs est Saracenorum. *Summa Juris Canonici* incipiens, *Quia ignorans ignorabitur*: quam Lucas Wadingus dicit haberi manuscriptam in Vaticana Bibliotheca, eadem mihi videtur cum impressa, quæ hoc prologo caret. Videant alii per otium. De illo Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, Lucas Wadingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum*, Arturus de Montier Rothomagensis *in Martyrologio Franciscano*, quod editum in folio Parisiis anno 1638. apud Dionysium Moreau, via Jacobæa sub Salamandra. Ibi autem ad diem 15. Decembris, notat non posse esse unum & eumdem illum Monaldum Beneventanum Archiepiscopum & Monaldum Martyrem apud Saracenos, cum Monaldo Scriptore Summæ quæ *Monaldina* dicitur. Sed ex tribus Monaldis unum esse confectum & confusum, optimè docet in suis Notis ad diem Decembris undecimam, quorum primus & antiquior Monaldus Martyr mortuus est anno 1288. vel 1289. die 2. Martii, ex Sancto Antonino, Marco Ulyssiponensi, Bosio & aliis. Alius Monaldus Archiepiscopus Beneventanus mortuus die 11. Decembris, & tertius Scriptor Summæ mortuus est circa annum 1332. die nona Novembris.

De Nicolao Lirano. 1320.

NICOLAUS Liranus ex Judaismo conversus ad fidem Christianam, & Ordine Minorum assumpto, scripsit *Commentarium*, sive *postillam in universa Biblia*: quod opus notissimum est, & recognitum impressum est Lugduni anno 1590.

Scripsit præterea *librum de corpore Christi*. *Sermones de tempore*, *& de Sanctis*. *Librum contra Judæos*. *Commentaria in quatuor libros sententiarum*. *Quæstiones veteris*, *& novi Testamenti*. *Tractatum de visione Dei*. *Expositionem decem præceptorum*. *Tractatum de idoneo ministrante*, *& suscipiente Sacramentum altaris*. Obiisse dicitur anno Domini 1349.

DISSERTATIO HISTORICA.

NICOLAUS, de Lyra Normaniæ in diœcesi Ebroicensi oppido non incelebri ex parentibus Judæis oriundus (errant enim qui Flandrum, Batavum, Brabantinum, aut Anglum cominiscuntur, ac præcipuè Patrologus Jenensis, qui Natione Anglum, Liranum autem dictum eò quòd Brabantinus esset atque ex oppido Lira oriundus citatque Drusium ad cap. 15. Geneseos & Exod. 33.) circa annum Christi 1291. institutum Ordinis Minorum Sancti Francisci arripuit in proximo Vernoliensi cœnobio ad custodiam, ut vocant Normanicam pertinente: juxta versus illos ex ejus elogio delibatos:

Lyra brevis vicus Normanna in gente celebris,
Prima mihi vitæ janua, forsque fuit.
Vernolium admisit currentem ad Sacra tyronem, &c.

A Deinde studuit Parisiis, docuitque per plurimos annos in Magno Conventu Fratrum suorum, ibidemque obiit non die 14. Octob. anno 1349. ut quidam scripserunt, sed die 23. Octobris anno Christi 1340. religionis 48. sepultus in aula Capitulari cum Epitaphio. Joanna Franciæ Regina Burgundiæ Comes, &c. anno 1325. codicillis testamenti sui executores nominavit Petrum Bertrandi Episc. Æduensem, Thomam de Sabaudia, Petrum de Palude, & fratrem Nicolaum de Lira Ordin. Minorum in Burgundia Provincialem. De eo Joannes Trithemius, Henricus Willotus in Athenis Franciscanis, Guillelmus Eisengrenius, Possevinus, atque inter omnes Lucas Waddingus, tum in Bibliotheca, tum in Annalibus Minorum ad annum 1290. & sequentes, B necnon Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, qui ridiculum nescio cujus Juliani epitaphium meritò suppositititum asserit: cui tamen nimium credulus fidem habuit Georgius Callixtus, Lutheranus, cæteroquin non adeò pinguis & obesus, qui ex Itinerariis civium suorum & civitatis Parisiacæ delineatoribus, aliisque præsertim Franciscanæ Historiæ scriptoribus tumulum ejus, ac sincerum epitaphium indagare debuerat.

Postillas perpetuas, *seu brevia Commentaria in universa Biblia*, diligenter cum autographis ex Cœnobio Vernoliensi depromptis & mss. aliis codicibus collata ac castigata, post præcedentes editiones minùs C absolutas, emiserunt in lucem typis Lugdunensibus anno 1590. Franciscus Fevardentius Minorita, Joannes Dadreus Doctor Theologus, & Jacobus de Cuilly. In calce autem operis illius significat se illud perfecisse Parisiis anno 1330. Reliqua ejus opuscula leguntur apud Bellar. citatosque Auctores, sed non arbitror ulla ex iis ad hanc usque diem formis Typographicis fuisse vulgata, si fortè excipias *Tractatum de idoneo ministrante & suscipiente SS. Altaris Sacramentum*, quod in Germania impressum dicitur, à Simlero & Possevino cum Divi Thomæ Aquinatis libello de eodem argumento, & *Postillas super Epistolas & Evangelia Quadragesimalia*, quæ perhibentur excusæ Venetiis anno 1516. Ego Lyram ideo amo, D inquit impurissimus apostata Lutherus in caput secundum Geneseos, & inter optimos pono, quòd ubique diligenter retinet & prosequitur Historiam, quamquam auctoritate Patrum se vinci patitur, & nonnumquam eorum exemplo deflectit à proprietate sententiæ ad ineptas allegorias, &c. (*a*)

(*a*) Sixtus Senensis à Trithemio deceptus natione Anglum, vel ex Lyra Brabantiæ oppido ex aliorum æquè falsa opinatione asseruit; librorum 85. postillæ ejus œconomiam bellè exposuit iis additis: Scripserunt Annotationes ac Censuras in omnia ejus opera Paulus Episcopus Burgensis, Diegus Deza, & Matthæus Doringus: quorum prior Lyrani expositiones ceu Hebræis & Christianis auctoribus contrarias oppugnavit, E posterior adversùs locos aliquot, in quibus Lyranus Divo Thomæ adversatur, defensiones edidit, tertius pro Lyrano adversùs Episcopum Burgensem decertat.

De Pelagio Alvaro. 1320.

PELAGIUS Alvarus, natione Hispanus, Religiosus Ordinis Minorum, & Episcopus Sylvensis vixit tempore Joannis XXII. Pontificis, circa annum Domini 1320. cujus Pontificis defensor acerrimus fuit.

Scripsit insigne *opus de planctu Ecclesiæ*. *Apologiam contra Gullielmum Ockam*. *Speculum Regum*. *Et in libros Magistri Sententiarum*.

Dissertatio Historica.

Pelagius Alvarus, ſive, ut Simlerus, Willotus, Miræus, Waddingus, aliique paſſim appellant, Alvarus Pelagius, natione Hiſpanus, ex J. C. Bononienſi Ordinis Minorum religioſus, & Joannis Scoti Auditor, Pœnitentiarius Joannis XXII. Papæ, Coronenſis in Achaja primùm, tum etiam Silvenſis in Algarbiis Epiſcopus, obiit poſt annum Chriſti 1340. ſepultus Hiſpali in Templo S. Claræ. De eo præter citatos Sanctus Antoninus Tertia Parte Summæ tit. 24. cap. 8. §. 2. Jo. Trithemius, cui dicitur Alpharus, ſcriptis & verbis Joannis illius Papæ adverſus Guillelmum Okam defenſor, ac præ cæteris Lucas Waddingus in Annalibus & Bibliotheca.

De Planctu Eccleſiæ libri duo, ad Petrum Gomeſium Hiſpanum Ordinis Minorum Generalem & poſtea Cardinalem titulo Sanctæ Praxedis, quos ait auctor ſe correxiſſe Compoſtellæ anno 1340. prodierunt Ulmæ an. 1474. Lugduni 1517. Venetiis 1560.

Summa Eccleſiæ Ulmæ impreſſa in charta regali anno 1474. An poſtea quoque uſpiam recuſa ſit, non memini me apud alios obſervaſſe.

Supplementum.

Alvarus Pelagius, Ordinis Fratrum Minorum, natione Hiſpanus, vir valdè doctus in utroque Jure, quem Joannis Scoti Auditorem appellat Lucas Wadingus *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum*, ubi latiſſimè de Scriptis illius loquitur, poſt Bellarminum in opere ſuo *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & Labbeum ibidem ſub nomine *Pelagii Alvarii*. Hìc ſubticemus de Operibus Alvari, de quibus Bellarminus & Labbeus, addentes eumdem Auctorem ſcripſiſſe aliud Opus inſcriptum, *Collyrium Fidei adversùs Hæreſes*, de quo loquitur Vvadingus, quodque ait aſſervari manuſcriptum in Bibliotheca Vaticana; nos autem affirmamus manuſcriptum haberi etiam cod. 2071. in Bibliotheca Pariſienſi Colbertina, ex illius Catalogo. Habetur etiam teſte Vvadingo, mſ. in Bibliotheca Toletana Fratrum Minorum, littera Y num. *66.* diffuſus Sermo ab eo habitus coram Pontifice Joanne XXII. ita inſcriptus: *Sermo Fratris Alvari Hiſpani Decretorum Doctoris, Epiſcopi Coronenſis, & Pœnitentiarii Domini Papæ, factus in die Jovis Cœnæ Domini, in præſentia Domini Papæ Joannis XXII.* In eo totus adhæret Joannis opinioni circa viſionem animarum, de quo latè diſſerit idem Vvadingus in Annalibus anno 1333. num. 10. atque etiam Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis ſæculo 14. Vixit ſub annum 1340. quo ipſe ait ſe correxiſſe Compoſtellæ, Opus *De Planctu Eccleſiæ*. Fuit Epiſcopus Coronenſis in Achaja, & Silvenſis in Luſitanorum Algarbiis, de quo ſupra citatus Vvadingus in Annalibus annis 1308. 1329. 1332. 1340. Sunt qui volunt hunc prolixum Sermonem, de quo ſtatim egimus, eſſe idem Opus cum *Apologia*, quam ſcripſiſſe dicitur contra Marſilium Patavinum & Guillelmum Ockamum, quod me latet.

De Jacobo de Lauſanna. 1320.

Supplementum.

Jacobus de Lausanna Theologus Pariſienſis, Ordinis Fratrum Prædicatorum & Provincialis Franciæ, deinde Epiſcopus Lauſannæ, vir magni nominis, ut ingenii ac pietatis. Scripſit *Opus*
A *Moralitatum* in duodecim libros diſtinctum quod Concionatoribus commodum, Lemovicis quæ civitas in Gallia eſt prodiit olim, hoc eſt, anno 1528. è prælo Claudii Garneri: quod adhuc mſ. in ſui Ordinis Conventu (ut vocant) aſſervatur Inſulis, quæ eſt Belgii Civitas. Scripſit etiam opus Sermonum de tempore ac de Sanctis, qui extant mſſ. in Cœnobio SS. Joannis & Pauli quod eſt Venetiis, Rhegii in Italia in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum, Fuſniaci in Bibliotheca quæ eſt Ciſtercienſium in Epiſcopatu Laudunenſi, & alibi. At cùm quonam anno ille vixerit, non omnino certum ſit: Sixtus enim Senenſis ait eum claruiſſe anno 1390. auctor Supplementi Chronici Dominicani inquit anno 1375.
B alii verò ad annum 1362. referant. Illud majorem habet fidem, quod Antonius Senenſis Luſitanus ſcribit, ſe vidiſſe in antiquis Scripturis quæ in Barcinonenſi Dominicanorum Conventu aſſervantur, eum Pariſiis anno 1317. ad gradum Licentiatus fuiſſe promotum. Hæc nos ex Poſſevino omnia deſumpſimus in Apparatu ſacro, verbo *Jacobus Lauſanenſis* pag. 787. Ambigo tamen multùm an ille unquam fuerit Epiſcopus Lauſanenſis cujus nullum indicium in Epiſcopis Lauſanenſibus, quos Fratres Sammarthani referunt in tom. 2. Galliæ Chriſtianæ. Plura dabit Ambroſius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1334. pag. 112. & in Appendice pag. 474.

C

De Joanne Vitali à Furno. 1320.

Supplementum.

Joannes Vitalis à Furno, Vaſatenſis, Vaſco ſive Aquitanus, Ordinis Fratrum Minorum, & Cardinalis Epiſcopus Albanus à Clemente V. Summo Pontifice creatus, ſcripſit *Speculum morale totius S. Scripturæ*, quo Univerſa ferè loca Veteris & Novi Teſtamenti myſticè explanantur: impreſſum Lugduni anno 1513. apud Joannem Moylin, Venetiis autem anno 1594. apud Floravantem Pratum, & anno 1600. apud minimam Societatem. Scripſit
D & poſtillam in Apocalypſim quæ incipit: *Spiritu magno vidi ultima*, quæ extabat mſ. Bononiæ in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum: ſed poſtea ipſe auctor Sarnani Cardinalis opera, apud Baſam ac deinde Venetiis prodiit. Ejuſdem Joannis Vitalis Ordinis Fratrum Minorum *Sermo de Conceptione glorioſæ Virginis genitricis Dei*, mſ. in Bibliotheca Colbertina cod. 3971. Eiſengrenius ſcribit eum vixiſſe anno 1320. Nicolaus Bertrandus anno 1310. Labbeus in brevi Chronologia Scriptorum Eccleſiaſticorum obiiſſe Avenione anno 1327. die 16. Auguſti. Conſule Poſſevinum in Apparatu ſacro, verbo *Joannes Vitalis à Furno* tom. 1. pag. 953. & tom. 2. verbo *Vitalis è Furno* pag. 532. & Lucam Vvadingum *in Bibliotheca Minorum* fol. 330.
E ubi plura de illo habentur.

De Philippo Eiſtetenſi. 1320.

Supplementum.

Philippus Eistetensis in Germania Epiſcopus, ſcripſit circa annum 1320. *Commentarium de Patronis & Epiſcopis Eiſtetenſibus*, evulgatum cura & ſtudio Jacobi Gretſeri in 4. Ingolſtadii anno 1617. apud Angermariam, cum Aldeberto Abbate Heidenheimenſi, de quo diximus ad annum 1164.

De

De Guillelmo Nottinghamo, 1320.

Supplementum.

Guillelmus Nottinghamus natione Anglus, claruit circa annum 1320. doctus ac laboriosus Theologus, cujus etsi nihil quod sciam editum sit, multa tamen mss. latent in Bibliothecis Angliæ. Porrò ut testatur ms. cod. 31. Bibliothecæ Balliolensis Oxonii, iste Nottingham fuit primùm *Canonicus sæcularis & Præcentor Eboracensis Ecclesiæ, postea factus est Frater Ordinis sancti Francisci*. Plura de illo & ejus operibus habet Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 154. Scripsit *Quæstiones super 4. Evangelia*, mss. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi cod. 41. Magdalenensi cod. 51. Balliolensi cod. 31. Mertonensi cod. 124. Item *super textum omnium Evangeliorum totius anni quæ leguntur in Ecclesia Sarum in Dominicis diebus*, mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 166. & in Collegio sancti Benedicti cod. 214. *Quæstiones* mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Penbrochiana cod. 106. *Quæstiones de Oratione Dominica & Regulam vivendi*, ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 143. *Contra errores Pelagii*, ibidem ms. cod. 219. Paucis de illo loquitur Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, sed plura in Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi Thomæ Jamezii, quæ Londini anno 1600. impressa est in 4. apud Georgium Bishop & Joannem Norton. Obiit Guillelmus Nottinghamus Leycestriæ anno 1336. die 5. Octobris, ut habet Labbeus in brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum.

De Marino Sanuto. 1320.

Supplementum.

Marinus Sanutus, cognomento *Torcellus*, Patricius Venetus, floruit anno 1322. scripsitque *Libros de Fidelibus cruce-signatis super Terræ Sanctæ recuperatione & conservatione, cum ejusdem Terræ descriptione Geographica*: ex quibus libris duos anno 1321. Sanutus Pontifici Romano obtulit. Idem scripsit *Epistolas plures ad diversos*, in his ad Joannem Papam, Andronicum Paleologum Imperatorem Constantinopolitanum, Joannem Brabantiæ Ducem, ad varios Cardinales, aliosque Antistites. Impressum Opus Sanuti, in Collectione gestorum Dei per Francos, à Jacobo Bongarsio edita Hanoviæ in folio anno 1611. typis Vvechelianis. Vide Possevinum *in Apparatu sacro* Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 358. pag. 249. qui pluribus de eo loquitur.

De Guidone Abbate. 1320.

Supplementum.

Guido Abbas Sancti Dionysii in Francia, Ordinis Divi Benedicti, claruit anno 1310. tempore Philippi Pulchri Regis Francorum. Scripsit *Sanctilogium*, seu glossavit Martyrologium Usuardi, quod habetur ms. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis. Vixit usque ad annnm 1333. ut constat ex determinatione quadam Scholæ Theologicæ Parisiensis hoc anno factæ, cui cum aliis Doctoribus subscripsit. Hujus mentionem, sed modicam facit *in suo Apparatu* Antonius Possevinus. Qui nihil cupit, adeat Galliam Christianam Sammartha-

A norum Fratrum tom. 4. *in Abbatibus Sancti Dionysii in Francia*: Omiserunt enim hunc Abbatem in suo Catalogo, qui medius esse deberet inter Ægidium de Pontisara mortuum anno 1325. die 30. Decembris, & Gualterum de Pontisara Ægidii consanguineum.

De Joanne Beleth. 1320.

Supplementum.

Joannes Beleth Doctor Parisiensis, floruit anno circiter 1160. juxta Labbeum *in Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum*; sed meo quidem
B judicio rectiùs anno 1328. juxta Claudium Joly Parisiensem Canonicum, in opusculo quod edidit anno 1661. *De verbis ms. Usuardi in Ecclesia Parisiensi*, quoad Beatæ Mariæ Assumptionem. Ejus agendi ratio spirat sæculum 14. non 12. Scripsit autem Joannes Beleth *nobile Opus de divinis Officiis*, evulgatum post Rationale Divinorum Officiorum Guillelmi Duranti Mimatensis Episcopi, à Cornelio Laurimanno Ultrajectino, impressumque in 8. Lugduni anno 1574. & Antuerpiæ 1570. etiam in 8. & posteà sæpius in locis plurimis. De illo Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, Conradus Gesnerus *in Bibliotheca*, & alii multi.

C

De Hubertino de Casali. 1320.

Supplementum.

Hubertinus de Casali, ex Ordine Fratrum Minorum, tum postea Benedictinus & Carthusianus, floruit anno 1322. & scripsit volumen inscriptum *Arbor Vitæ Crucifixæ*, impressum olim Venetiis in 4. anno 1485. Litteris Gothicis. Item *Opus de septem Statibus Ecclesiæ*, dignum Censura, quam passus dicitur, ob nimiam suam in sanctum Franciscum devotionem, impressum etiam Venetiis in 4. anno 1516. ut legitur in Bibliothe-
D ca Bodlejana. De illo parcè Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, ampliùs Lucas Vvaddingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum*, pagina 329.

De Albertino Mussato. 1320.

Supplementum.

Albertinus Mussatus Patavinus, Poeta & Historicus, circa 1324. scripsit *Libros sexdecim De gestis Henrici VII.* Imperatoris, & alia Venetiis in folio edita anno 1636. cum Notis Lau-
E rentii Pignorii. Sunt autem alia multa simul edita cum Operibus Albertini Mussati, nempe *Chronicon Rolandini, Chronicon Anonymi Monachi Paduani, Chronicon Antonii Godii: Chronicon Nicolai Smeregi cum Supplemento Scriptoris Anonymi de rebus gestis in Lombardia & Marchia Tarvisina, Gerardi Mauritii Historia Dominorum de Romano & Marchiæ Tarvisinæ, Cortusiorum Historia de Novitatibus Paduæ & Lombardiæ ab an. 1256. ad annum 1644.* Obiit Exul Clodii anno 1329. de quo parcè Aubertus Miræus in Mantissa ad Auctarium suum *De Scriptoribus Ecclesiasticis*.

De Andronico Constantinopolitano, 1320.

SUPPLEMENTUM.

ANDRONICUS Constantinopolitanus, ex Imperatoria Comnenorum familia oriundus, scripsit *Dialogum contra Judæos*, quem Joannes Livinejus Canonicus Antuerpiensis latinè reddidit, & Petrus Stevartius Doctor Theologus Ingolstadii edendum curavit in Supplemento Antiquarum Lectionum Henrici Canisii: idemque extat tomo decimo quarto Bibliothecæ Veterum Patrum editionis à Coloniensibus anno 1618. procuratæ. Extat autem græcè ms. in Bibliotheca serenissimi Ducis Bavariæ cod. 128. opus Andronici contra Judæos, de quo loquitur Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 412. pag. 466.

De Odorico de Portunaono, 1320.

SUPPLEMENTUM.

ODORICUS DE PORTUNAONO, quod oppidum in Foro-Julii, Italus, Ord. Fratrum Minorum, claruit circa annum 1320. atque ulteriùs; cùmque per multum temporis itineratus fuisset ad longinquas regiones, reliquit posteris Opus inscriptum: *Itinerarium Fratris Odorici de Ordine Fratrum Minorum de Mirabilibus Orientalium Tartarorum*, ms. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti codd. 4. & 72. & in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 247. Item *Chronicam compendiosam à mundi exordio ad finem fermè Pontificatus Joannis XXII.* quo tempore ipse decessit. Hanc accepit ab amico manuscriptam Lucas Vvadingus, atque ex ea plura in rem suam decerpsit, ut fatetur *in Bibliotheca Ordinis Minorum*. Obiit Utini anno 1331. die 14. Januarii, de quo vide Lucam Vvadingum *in Bibliotheca sua Ordinis Fratrum Minorum* pag. 270. & *in Annalibus* ad annum 1331. numero 11.

De Bernardo Guidonis, 1320.

SUPPLEMENTUM.

BERNARDUS GUIDONIS Ord. Fratrum Prædicatorum, ob doctrinam & pietatem factus Episcopus Lodovensis anno 1324. post Joannem de Taxandria Cadurcensem Franciscanum, scripsit & dicavit Joanni Papæ XXII. *Speculum Historicum Romanorum Pontificum, Imperatorum & Regum Francorum usque ad annum* 1322. Item *Speculum Sanctorale seu Sanctorum*, quod manuscriptum asservatur in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum Avenionensium. *Chronologiam Episcoporum Tolosanorum & Lemovicensium, cum Catalogo Episcoporum Lodovensium; & librum de fundatione & progressu Conventus Lemovicensis Fratrum Prædicatorum*, quæ mss. apud Dominicanos Avenione & Lemovicibus, de quibus Labbeus excepit aliquid in nova Bibliotheca mss. librorum, quam edidit duobus tomis in folio Parisiis anno 1657. apud Sebastianum Cramoisy. Item *Vitam Sancti Fulchranni Episcopi Lodovensis*, apud Bollandum die 13. Februarii. *Speculum* verò *Historicum* Bernardi Guidonis, *continens Summos Pontifices, Imperatores & Francorum Reges*, extat etiam ms. in Bibliotheca Colbertina ex codicibus Tuaneis, in folio & in 8. cum *libro ejusdem de Conciliis*.

Porrò multi Codices manuscripti in Bibliotheca Colbertina Operum Guidonis, quorum præcipuus

A 735. in quo hujus Bernardi, *Catalogus Romanorum Pontificum*.

Ejusdem *Catalogus Imperatorum Romanorum, & Regum Francorum*.

Ejusdem *Tractatus brevis de temporibus & annis generalium & particularium Conciliorum*, qui etiam habetur in aliis ejusdem Bibliothecæ codicibus, Puta 1521. & 1858.

Ejusdem *Tractatus de Officio Missæ*. Itemque *De Casibus qui contingere possunt in celebrando*.

Ejusdem *De Præceptis Decalogi*.

Item *Nomina Apostolorum*, & *nomina LXXII. Discipulorum*.

Ejusdem *Catalogus Episcoporum Lemovicensium*.

B Ejusdem *Nomina Sanctorum Diœcesis Lemovicensis*.

Ejusdem *Catalogus Episcoporum Tolosanorum*.

Ejusdem *Liber de Fundatione Ordinis Grandimontensis*.

Ejusdem *Descriptio Galliarum*.

Ejusdem *Dicta Sanctorum Patrum atque Doctorum Ecclesiæ, loquentium de Peccato Originali*.

Ejusdem *Libellus de Articulis Fidei & Sacramentis Ecclesiæ*, ms. cod. 2901.

Obiit anno 1331. die 13. Novembris, ætatis 70. cujus corpus illatum est in Ecclesiam Dominicanorum Lemovicensium, ut testamento suo injunxerat.

C

De Henrico De Carreto, 1320.

SUPPLEMENTUM.

HENRICUS DE CARRETO, ex Ordine Fratrum Minorum, floruit anno 1320. ad 1330. vel circiter, de quo sic loquitur Ferdinandus Ughellus tomo 1. Italiæ sacræ pag. 881. in Episcopis Lucanis: 68. *Frater Henricus ex Ordine Minorum subrogatus est anno* 1300. *Kalendis Augusti à Bonifacio VIII. cassata electione Raynerii de Monte-Magno Canonici Lucano à Capitulo celebrata, tamquam vitiosè habita, ex Regesto Vaticano Epistola* 211. *fol.* 316. *anno citato. Hic relicta Sede Luca excessit, Ludovico Bavaro infe*D*ctante, quod Anti-Papæ noxiosissimas partes sequi noluisset. Hic erat Petrus Corbarius, qui nescio quem Rochigianum Tadolinum in hanc sedem intrusit, ex Ordine Dominicano assumptum, qui anno* 1327. *hanc tyrannicè administrabat Ecclesiam. Excessit autem Henricus circa annum Domini* 1330. *cujus Vvadingus meminit ex Vaticano Regesto.* Juxta Lucam Vvadingum *in Bibliotheca Fratrum Minorum* pag. 163. *hic Henricus de Carreto* Lucanus Episcopus scripsit *super visionem Rotarum* „ *Ezechielis Prophetæ volumen mediocre*, quod habe„tur membranis exaratum & figuris perpulchris „ ornatum, nulla sui parte vitiatum Tolosæ in Bi„bliotheca Collegii Fuxensis, scriptum anno 1316. „ Hæc Vvadingus aliena fide. At manuscriptus Co-E dex Collegii Fuxensis successu temporum allatus in Colbertinam Bibliothecam, quem vidimus nu. 781. cujus inscriptio: *Logica & modus atque resolutio Sacræ Scripturæ in Ezechielem Prophetam*, &c. *edita à Fratre Henrico de Carreto, de Ordine Minorum, Lucano Episcopo*. Incipit: *Sanctissimo in Christo Patri & Domino suo Domino Papæ Joanni Romano & universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Frater Henricus Lucanus Episcopus, licèt indignus, seipsum ad pedes*, &c. *Quoniam secundùm Apostolum oportet Episcopum irreprehensibilem*, &c. Opus autem incipit, *Cùm Opera omnia Dei perfecta sint*, &c. Opus non est, ut ait Vvadingus, mediocre, sed prolixum satis, & quas appellat figuras perpulchras, vidimus Myrmidonem quemdam Franciscanulum, offerentem opus suum Joanni Pontifici: nec aliæ comparent in codice manu-

manuscripto, quem doctissimus atque humanissimus Baluzius nobis obtulit visendum.

De Petro Bertrando. 1330.

PETRUS Bertrandus Episcopus Eduensis, postea Cardinalis vir doctissimus disputavit de libertate Ecclesiæ contra Petrum de Cuneriis coram Philippo Rege Francorum anno 1329. & ea disputatio habetur tomo 4. Bibliothecæ Sanctorum Patrum. Scripsit etiam *responsa multa* & *librum* sive *tractatum de origine & usu jurisdictionum*, sive *de spirituali & temporali potestate*: qui liber extat tum in eodem tom. 4. Bibliothecæ, tum etiam seorsim impressus cum aliis tractatibus

Dissertatio Historica.

PETRUS Bertrandus, filius Matthæi Bertrandi, Annonæensis oppidi in Vivariensi tractu civis, frater Guillelmi Noviomensis Episcopi, ex Decano Aniciensis Ecclesiæ, & Jurium Pontificii ac Cæsarei Doctore, & in pluribus Academiis Professore, Joannæ Reginæ Francorum & Burgundionum Comitis Cancellario, primùm Ep. Nivernensis, tum anno 1325. Ædevensis sive Augustodunensis, ac tandem S. R. E. Cardinalis à Joanne XXII. Papa die 20. Decembris anni 1331. creatus, postquam anno 1329. die 15. Decembris & sequentibus, cum Guillelmo de Brossia ex Bituricensi Senonensium electo Archiepiscopo (errant qui Petrum Senonensem electum hoc loco comminiscuntur) aliisque Prælatis coram Philippo Valesio, hujus nominis sexto Francorum Rege, totiusque Regni præcipuis Baronibus, pro immunitate Ecclesiastica adversùs Regiæ advocationis principem strenuè decertasset, Collegium Augustodunense anno 1341. ære suo excitavit, obiitque anno 1349. die 24. Junii Avenione, & sepultus est in Prioratu B. Virginis de Monte alto. De eo Robertus Gaguinus, Paulus Æmilius, Henricus Spondanus, Frizonius, Breullius, Auberius, aliique qui de Cardinalibus scripserunt, aut res Francicas posteris commendarunt; ne singulos hic appellando Lectoribus nauseam fastidiumque creare videar. Hic verò Senior dici solet ad discrimen sui ex sorore nepotis Petri Bertrandi de Columbario cognominati, qui vivente avunculo in purpuratorum Patrum collegium ascitus, Episcopus Ostiensis fuit, & Carolum IV. Imperatorem Romæ anno 1356. coronavit in die Paschæ, cujus iter descriptum habetur Tomo 1. Novæ Bibliothecæ mss. Librorum pag. 354.

Libellus contra Petrum de Cuneriis super facto Prælatorum [Ecclesiæ Gallicanæ pro ejusdem Ecclesiæ libertate, tum seorsim editus, tum in Bibliothecis Veterum Patrum Parisiensibus & Coloniensi unà cum Tractatu ejusdem *de Origine & usu Jurisdictionum*, sive, de spirituali & temporali potestate in quatuor breves quæstiones distributo. Videndus quoque Tomus 12. Tractatuum Juris utriusque Venetiis anno 1583. editorum.

De Guillelmo de Brocia.

Supplementum.

GUILLELMUS DE BROCIA, Gallicè de Brosse, tertius nomine Senonensium Archiepiscopus, Bernardo IV. Vice-Comite Brociæ, ex nobilissima Vice-Comitum Lemovicensium prosapia oriundus, cùm esset propter eximias doctrinæ & morum dotes laudatissimus, ex Canonico Senonen-

A si, Officialis, Cellerarii, Præcentoris, & Decani muneribus egregiè fungitur. Postremò meritis exposcentibus, anno 1258. Archiepiscopus ab Alexandro Papa consecratur. Transmisit autem nomen suum ad posteros grandi opere ms. in Bibliotheca Colbertina voluminibus in fol. quatuor, codd. 1146. 1147. 1148. 1149. quorum titulus: *Summa de virtutibus & vitiis Guillelmi de Brocia Archiepiscopi Senonensis.* Hujus temporibus Fratres Mathurini in Castro Regio Fontis-Bellæaquæ fundantur, Institutore Sancto Rege Ludovico, Metropolitano assensum præbente, ut patet ex Instrumentis desuper confectis anno 1259. Itaque cùm Guillelmus longa jam ætate confectus, Episcopali functioni minus idoneus

B videretur, Pontificium onus Petro de Chamiaco transmisit anno 1267. & in secessu apud Brinonium, animam Domino reddidit anno 1269. die 8. Februarii, tumulatus ante Majus Altare Sancti Stephani ad Latus Evangelii, cum hoc monumento:

De Brocia natus est hic Guillelmus humatus,
Munere multiplici debet sua laus pia dici:
Sine sorde vili crescens ex Officiali,
Fit Celerarius, Senonis ille prius:
Paulò post idem datus est Præcentor ibidem,
Inde Decanatum tenuit, post Pontificatum,
M Sexageno nono cum C bis in anno,
Tertia dum colitur Agathæ Lux, hic sepelitur.

C Ita Sammarthani Fratres in Gallia Christiana dum *de Senonensibus Archiepiscopis* tom. 1. pag. 639. quos hìc ad verbum expressimus.

De Nicephoro Gregora. 1330.

NICEPHORUS Gregoras, historicus Græcus, vivebat anno Domini 1344. ut ex fine operis illius intelligi potest.

Scripsit *libros undecim de rebus Imperii Orientalis* ab eo tempore, quo Imperium Orientale devenit in potestatem Latinorum, & produxit historiam usque ad obitum Andronici junioris, id est, ab an-

D no Domini 1200. usque ad annum Dom. 1344.

Dissertatio Historica.

VIXIT sub Andronico Seniore Palæologo ejusque ex Michaele filio nepote Andronico juniore, videturque pervenisse usque ad tempora Joannis Cantacuzeni, & annum Christi circiter 1345. De se, suisque rebus, multa interseruit libris 7. 8. & 9. Historiæ suæ, ac de eo non pauca Joannes Cantacuzenus libro 4. capp. 24. & 25. ubi levem & mendaciorum manifestum appellat, quod inde profectum quidam putant, quòd avo adversùs nepotem faverit, Georgius Franzes, & ex recentiori-

E bus Wolfius, Lipsius, Possevinus, Vossius, atque ex eo, ut solet, Miræus.

Historiarum libri 11. ab anno 1204. quo Balduinus aliique Franci Venetis juncti ceperunt Constantinopolim usque ad annum 1341. quo Andronicus junior obiit, Basileæ Græcè & Latinè anno 1562. interprete Hieronymo Wolfio Oetingensi, ac deinde Genevæ anno 1615.

R. P. Dionysius Petavius post Nicephori Patr. Const. Breviarium Historicum anno 1616. primus protulit quædam Gregoræ fragmenta sibi à R. P. Frontone Ducæo liberaliter communicata.

Joannes Meursius anno 1618. post falso tributum Theodoro Metochitæ Romanæ Historiæ à Julio Cæsare ad Constantinum Magnum Librum, ut vocat, singularem, adjecit Nicephori Gregoræ G. L. Orationem

tionem funebrem in mortem Magni illius Logothetæ Theodori Metochitæ : quam & nos post nostros in Michaelem Glycam Annales recudendam curavimus (a).

Librum Synesii de Insomniis interpretatus est Gregoras quod Hypomnema Græcè edidit anno 1553. cum Synesii operibus Hadrianus Turnebus Græcè verò & Latinè ex versione Antonii Pichonii extat in collectione operum Synesii anni 1632. & 1613. à P. Petavio publicata, ut suo loco observavimus.

(a) Lege, quam & nos post nostras in Michaelis Glycæ Annales Annotationes recudendam curavimus.

S U P P L E M E N T U M.

NICEPHORUS GREGORAS vixit sub Andronico Seniore Paleologo, ejusque ex Michaele filio nepote Andronico Juniore, qui videtur pervenisse usque ad tempora Joannis Cantacuseni & annum Christi circiter 1345. Multa interseruit de se suisque rebus, libris 7. 8. & 9. suæ Historiæ, ac de eo non pauca Joannes Cantacusenus lib. 4. capp. 24. & 25. ubi levem & mendaciorum plenum appellat. Georgius Phranzes, & ex recentioribus Wolfius, Lipsius, Possevinus, Vossius, atque ex eo ut assolet Aubertus Miræus. *Historia libris* 11. ab anno 1204. quo Balduinus aliique Franci Venetis juncti Constantinopolim ceperunt usque ad annum 1341. quo Andronicus Junior obiit, Basileæ Græcè & Latinè anno 1562. interprete Hieronymo Wolfio Oetingensi, ac deinde Genevæ in fol. anno 1615. apud Guiljelmum Roverium, cum Nicolao Chalcondila & Georgio Logotheta. Præterea Gregoras *librum Synesii de insomniis* interpretatus est, quod Hypomnema Græcè edidit an. 1553. cum Synesii operibus Adrianus Turnebus : Græcè verò & Latinè ex versione Antonii Pichonii extat in Collectione operum Synesii anni 1632. & 1613. à Dionysio Petavio publicata, ut suo loco observatum est. Hæc Philippus Labbeus de Nicephoro Gregora in Dissertatione Historica de Scriptoribus à Bellarmino recensitis, cui addo extare longè plura Græcè mss. in Biblioth. Vaticana, Nempe *Expositio Sapientissimi Gregoræ, de Divinis*. Ejusdem *ad quemdam amicum de iis qui conviciabantur Astronomiam*. Ejusdem *Lepentrino in Cyprum Magno Logothetæ*. Ejusdem *Epistolæ*, *Acclamationes*, *& Sermones*. Ejusdem *Monodia in mortem Regis Andronici Paleologi*. Altera Monodia *in magnum Logothetam Theodorum Metochitam*.

Alia denique multa, quæ recensentur ab Antonio Possevino ad calcem Apparatus Sacri, dum agit de variis Bibliothecis pag. 13. verbo *Bibliotheca Vaticana* littera N. Item in eadem Vaticana Bibliotheca ex Codice Heidelbergensi 299. *Nicephori Gregoræ Orationes 8. quarum prima continet Dialogum Theotimi atque Agathangeli*, *ultima est responsio ad Imperatoris Concionem de fortuna & fato*. Item *Narratio Colloquii, quod cum Palama coram Joanne Paleologo Imperatore Constantinopolitano habuit*, *divisa in tres libros*, quorum ultimus imperfectus. Porrò Joannes Meursius an. 1618. post (falsò ut putat Labbeus) tributum Theodoro Metochitæ, Romanæ Historiæ à Julio Cæsare ad Constantinum Magnum, librum ut vocat singularem ; adjecit Græco-Latinam Nicephori Gregoræ Orationem funebrem in mortem magni illius Logothetæ Theodori Metochitæ : quam idem Labbeus post suos in Michaelis Glycæ Annales Commentarios recudendam typis Lupareis curavit, Parisiis anno 1648. & sequentibus, cum aliis Historiæ Byzantinæ Scriptoribus. Denique in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis cod. 212. extant mss. Græcè

A Nicephori Gregoræ Orationes & Encomia in varios, &c.

De Petro Paludano. 1330.

PETRUS Puludanus natione Burgundus, Ord. Sancti Dominici, Patriarcha Hierosolymitanus, vir pius & doctus, claruisse dicitur anno Domini 1330. tametsi alii eum posteriorem faciant : sed nulli eum collocant ante annum Domini 1300. nec post annum 1400.

B Scripsit *in quatuor libros Magistri sententiarum*, sed non extant, quod sciam, Commentaria ejus, nisi in tertium, & quartum librum. Scripsit etiam *tractatum* egregium *de causa immediata Ecclesiasticæ potestatis*. Scripsit quoque *sermones de tempore* qui editi sunt Antuerpiæ anno 1572. multa alia scripsisse fertur, quæ non extant typis excusa.

DISSERTATIO HISTORICA.

PETRUS à Palude, natione Burgundus filius Girardi Varembonii Toparchæ in Bressia, ex ordine Prædicatorum Patriarcha Hierosolymitanus (sunt qui Constantinopolitanum dicere malint sed falsò) obiisse dicitur in regno Cypri, ubi tamquam Beatum habitum fuisse ex aliquorum relatu accepisse se testatur Antonius Senensis in Bibliotheca Fratrum Ordi-
C nis Prædicatorii. Eum credo cum Petro Bertrando Æduensi Ep. Nicolao de Lyra, & Thoma de Sabaudia anno 1325. codicillis Joannæ Franciæ Reginæ & Burgundiæ Comitis unum ex testamenti sui executoribus fuisse nominatum. Quo anno obierit constat ex ejus epitaphio quod legitur Parisiis in Ecclesia Dominicanorum ante Altare B. Virginis de Pietate dictæ in hunc modum : Hic jacet Petrus de Palude O. P. Doctor in Theologia, quondam Patriarcha Jerusalem cujus anima per misericordiam Dei requiescat in pace : obiit autem anno 1341. ultima die Januarii, hoc est, ut modò putamus, Romano more 1342. Unde meritò arguas eos, qui in Cypro defunctum fuisse scripserunt. Rectiùs verò
D scripsisse mihi videtur Sixtus Senensis qui claruisse asserit an. 1330. quàm Albertus Venetus qui an. 1262. Eisingrenius qui 1258. aut alii qui anno 1300. illigarunt : præsertim cùm idem Antonius Senensis asserat se anno 1577. Barcinone legisse in antiquissimo libro qui asservatur penes Provinciales Aragoniæ, Paludanum promotum fuisse ad Licentiarum gradus anno Domini 1314. Adde iis, extare in Bibliotheca Imperatoria Viennæ ad Danubium descriptum in membrana ejusdem Paludani judicium adversùs Magistrum Joannem de Poliaco super quibusdam articulis contra auctoritatem Papæ. De eo præter citatos vide Trithemium, Possevinum, Alphonsum Fernandem in Concertatione Prædicatorum pro Ecclesia, ubi pec-
E cat in pluribus, præsertim in anno & loco mortis, aliosq; sed præcipuè fusiùs de eo agentem V. C. Samuelem Guichenonium in Historia Sebusianorum sive Bressianorum & Bugyensium, qui observat eumdem an. 1341. interfuisse consecrationi Capellæ Collegii Augustodunensis in Academia Parisiensi factæ à Petro Bertrando Episcopo Atrebatensi. Quod verò Lugdunensis à Symphoriano Champerio dictus est, aut Burgundus à Possevino, Bellarmino, & aliis, reprehensione vacat, quòd & ad diœcesim Lugdunensem pertineat Bressia, & ad Burgundiam, saltem in ea appellatione, quæ ante nonnulla sæcula increbuerat, ut etiam Delphinates ac Sabaudi aliique ad vetus Burgundiæ regnum spectantes Burgundi dicerentur.

Commentaria in 3. & 4. Magistri Sententiarum, Parisiis

risiis in folio 1530. duobus Tomis, cùm in eadem urbe anno 1518. in quartum dumtaxat prodiisset. Vincentius Harlemius Belga quædam ex mss. codicibus quæ deerant supplevit; additæque Summæ Sancti Thomæ Aquinatis Concordantiæ, quibus uterque Auctor conferri invicem commodè posset Salmanticæ anno 1552. An verò Damianus, Zenadius Typographus Venetus consilium de edendis in 1. & 2. ejusdem Paludani Commentariis, quod Possevino nostro significaverat, executioni mandaverit, fidemque suam liberaverit, prorsus ignoro.

Sermones de Tempore per totum annum, Antuerpiæ anno 1572. & Coloniæ 1608. in 8.

Tractatus de causa immediata Ecclesiasticæ, potestatis, Parisiis anno 1506. in sex Partes seu libros distinctus. I. De potestate S. Petri. II. De potestate Apostolorum. III. De potestate discipulorum. IV. de potestate Papæ. V. De potestate Episcoporum. VI. De potestate Curatorum, cum decisione articuli cujusdam circa materiam Confessionum (*a*).

(*a*) Reperi in Codice 874. Biblioth. Sancti Victoris Parisiensis libellum hujus, ni fallor, Petri Paludani: qui sic incipit: Quoniam sicut dicit Isidorus in libro de Summo bono ad conversionem & correctionem mortalium multùm prosunt exempla Sanctorum: idcirco ego, qui sum de Ordine Fratrum Prædicatorum, cogitavi ordinare ad utilitatem peccatorum, & consolationem Prædicatorum unam Tabulam per alphabetum super Legendas Sanctorum compilatas à Fratre Jacobo de Voragine Januensi de Ordine Prædicatorum, ita quòd prædicatores suis Prædicationibus exempla magis convenientia citiùs & leviùs inveniant, &c. tum in fine. Explicit legenda dicta Tabula super legendas Sanctorum, edita à Domino Patriarcha Hierosolymitano de Ordine Prædicatorum: Amen.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS DE PALUDE seu *Paludanus*, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Patriarcha Hierosolymitanus, de quo sufficienter Bellarminus atque Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quibus subjungimus. *Tractatus Fratris Petri de Palude de paupertate Christi & Apostolorum contra Michaelem de Cæsena*, ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 506. Addit Labbeus *in Addendis* reperisse in cod. 874. Bibliothecæ Sancti Victoris Parisiensis, Libellum hujus Paludani, qui sic incipit. *Quoniam sicut dicit Isidorus in libro* &c. (*ut supra*). Multa Labbeus habet de Petro Paludano, itemque Possevinus *in Apparatu Sacro*: sed farraginem inconditam Ambrosius de Altamura Dominicanus *in Bibliotheca Dominicana*, de eodem Paludano habet, ad annum 1333. pag. 110. & in Appendice ad dictam Bibliothecam ibidem pag. 472. quam fermè omnem desumpsit ex Labbeo & Possevino. Impressum Opus Altamuri Romæ in fol. anno 1677. apud Nicolaum Angelum Tinassium, quod commodavit Stephanus Baluzius.

De Joanne Villano. 1330.

JOANNES Villanus historicus Florentinus, vixit tempore Joannis XXII. Pontificis, & successiorum ejus Benedicti XII. & Clementis VI. & obiit anno 1348.

Scripsit *historiam universalem temporis sui* satis accuratè, quamvis etiam leviter attigerit priora tempora ab erectione turris Babyloniæ usque ad sua tempora. Scripsit autem idiomate Italico, & totam historiam libris duodecim comprehensam perduxit ad annum Domini 1348.

A Quamvis autem propositum ejus fuerit scribere historiam civitatis Florentiæ: tamen multa commemorat utilia de rebus Ecclesiasticis, quæ ab aliis minùs fideliter narrata fuisse inveniuntur.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES VILLANIUS, Florentinus libris 12. Historiam Italicè scripsit à primis Nembrothi temporibus ad annum 1348. quo obiisse dicitur. De eo ut de fratre ejus Matthæo, qui continuavit usque ad annum 1364. plura, iisque longè uberiora expectamus à V. C. Raphaele Triquetio Freseneo, in Tractatu de Historicis Italiæ.

B

De Cidone Carmelita. 1330.

GUIDO natione Catalanus, Prior generalis Ordinis Carmelitani, ac postea Episcopus Majoricensis, scripsit *ingens volumen de omnibus hæresibus*: quod extat impressum Parisiis. Multa alia scripsisse fertur, quæ ad manus meas non pervenerunt. Claruit anno 1330.

DISSERTATIO HISTORICA.

GUIDO, de Perpiniano dictus, oriundus è Ruscinonensi Comitatu Catalaniæ adjuncto, ex
C Priore Generali XII. Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, & Inquisitore Generali Fidei, Majoricensis in Insulis Balearibus Episcopus, ac deinde Elnensis, claruit an. 1330. sub Joanne Papa XXII. obiitque die 21. Augusti, Avenione sepultus. Vide Trithemium Abbatem, Fasciculum temporum, Antonium Sabellicum, Lucium Carmelitam, aliosque.

De Hæresibus, ad Gaucellinum Cardinalem Albanensem Parisiis apud Jodocum Ascensium Badium, anno 1528.

SUPPLEMENTUM.

GUIDO cognomento *Terreni*, è Perpiniano
D oriundus Ordinis Fratrum de Monte Carmelo, Doctor & Lector Theologus Parisiensis, claruit circa an. 1330. ut constat ex quibusdam publicis Instrumentis, quibus subscripsit. De illo Bellarminus & Labbeus, quibus addo eumdem Guidonem Carmelitam scripsisse ad Gauzelinum Episcopum Albanensem & S.R.E. Cardinalem, Commentarium in Opus Decretorum Gratiani, quod ms. anno 1672. allatum est in Bibliothecam Regiam Gallicam, ut tradit Stephanus Baluzius Notis suis in Gratianum pag. 642. Item Summa illius de Hæresibus & earum Confutationibus impressa est anno 1631. Coloniæ Agrippinæ, ad cujus calcem *adjecta Concordia quatuor Evangelistarum cum perpetuis Commentariis*, Opus ejusdem Guidonis: de
E quo silverunt Bellarminus & Labbeus, apud quos plura vide de ipso. Denique scripsit *Tractatum de perfectione vitæ*, quem edidit idem Frater Guido cùm esset Episcopus Majoricensis, manuscriptum autem habes in Bibliotheca Colbertina cod. 506. cum aliis Tractatibus multis tempore Joannis XXII. Papæ confectis, occasione contentionum in Ordine Minorum excitatarum. Vide Lezanam in Historia Carmelitarum, qui plura dabit verba *de Guidone*, quem communiter vocant de Perpiniano.

De Astesano Astensi. 1330.

ASTESANUS Astensis scripsit *summam Casuum conscientiæ libris octo*, quæ typis mandata fuit Venetiis. Vivebat anno Domini 1330.

DIS-

DISSERTATIO HISTORICA.

ASTESANUS, Ordinis Minorum Sancti Francisci Theologus, ab Asta Subalpinorum urbe sic dictus, hortante Theodoro Cajetano Cardinale scripsit anno 1317. *Summam de Casibus conscientiæ*, dictam vulgò Astesanam, libris octo distinctam. Post Trithemium, Bellarminus, atque ex eo Miræus vitam illius producunt usque ad annum 1330. Plura Waddingus in Bibliotheca Franciscana.

De Adamo Goddam. 1330.

ADAMUS Goddamus Anglus, scripsit *Commentaria in quatuor libros sententiarum*, quæ edita fuerunt Parisiis an. 1512. Vivebat auctor anno 1330.

DISSERTATIO HISTORICA.

ADAMUS GODDAM, seu Woddheam, qui nonnumquam ἁπλῶς à patria appellatur Adam Anglicus (*a*), ex ordine Seraphico, claruisse dicitur ann. redemptionis humanæ 1320. vel 1330. De ejus obitu nihil certi proferunt Willotus, Pitseus, Wadingus, aliique recentiores.

Commentaria in 4. libros Petri Lombardi Magistri Sententiarum Parisiensis Episcopi, extant impressa Parisiis anno 1512. apud Gappium.

(*a*) Hibernum potius quàm Anglum fuisse quidam volunt. Vide Waræum libro de Scriptoribus Hibernicis. Doctor quoque Oxoniensis fuisse dicitur. Sixtus Senensis, qui eum Guillelmi Okami discipulum vocat, additque scripsisse Commentarios in Canticum Canticorum, & Postillam in Ecclesiasticum, atque anno 1358. obiisse. Videtur tamen opponi posse, quòd eum citare videatur Gregorius Ariminensis O. A. qui anno 1344. scribebat in Magistrum Sententiarum. Verùm hæc ac similia non magni momenti præterire potiùs juvat, quàm scrupulosiùs expendere.

De Landulpho Carthusiano. 1330.

LANDULPHUS, sive Ludolphus natione Saxo, professione Carthusianus, vir valdè pius, scripsit *historiam vitæ Domini nostri Jesu Christi ex Evangeliis depromptam*. Scripsit etiam *Commentaria in Psalmos*, juxta sensum præcipuè spiritualem. Claruit circa annum Domini 1330.

DISSERTATIO HISTORICA.

LUDOLFHUS, quem minùs emendatè quidam cum Bellarmino nostro Landulfum scribunt, natione Saxo, professione Carthusianus, quem Ordinem ingressus fuisse dicitur postquàm jam 26. aut 30. annos in Ordine Prædicatorum posuisset, Prior Carthusiæ Argentoratensis, claruisse dicitur anno Christi 1330. Quo anno Moguntiæ obierit ignoro, perque mirum accidit Petrejum in Bibliotheca Carthusiana ne verbum quidem de ejus ætate protulisse. De eo Hartmanus Schedelius Nurimbergensis in Chronico, Joannes Trithemius, Sixtus Senensis, Possevinus, Borstius, Alfonsus Fernandes, aliique.

Vita D. N. J. C. ex quatuor Evangeliis, aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis conflata, cum commentariis; precibusque ad singula capita insertis, sæpiùs excusa, Parisiis, atque Venetiis, ut ex Possevino & Petrejo disces.

Commentaria in Psalmos Davidicos ex Hieronymi, A *Augustini*, *Cassiodori*, *& Petri Lombardi sententiis accurata*, ad cujusque finem adjecta precatiuncula, Parisiis annis 1506. & 1528. Lugduni anno 1540.

De Lupoldo Bambergensi. 1330.

LUPOLDUS Bambergensis, vir eruditus, æqualis Landulphi Carthusiani, scripsit *librum de juribus Imperii*, in quo multa admiscet ad historiam Ecclesiasticam utilia.

DISSERTATIO HISTORICA.

LUPOLDUS, Possevino & Vossio Ludolphus seu Liutolfus, Babenbergius, Jurius utriusque B Professor, ac Joannis Andreæ Bononiensis, ut fertur, auditor, ab Eisengrenio apud Possevinum vixisse dicitur circa annum 1225. Quid si legendum sit 1325. nam Bellarminus anno 1330. illigat, & æqualem Ludolphi Carthusiani statuit, Trithemius verò, qui Bambergensem Episcopum, falsò, ni fallor, indigetat, vitam ejus prorogat usque ad annum 1340.

Præter librum illum *de Juribus regni atque imperii ad Balduinum Trevirensem Archiepiscopum*, cujus meminit Bellarminus, extat quoque alius ejusdem liber ad Rudolfum Saxoniæ Ducem mole quidem exiguus, sed pietate grandis, *De zelo veterum Regum Galliæ & Germaniæ Principum*, C quo constantem eorum in amplificandis Religionis Christianæ finibus industriam multis in medium prolatis Historiis, ac Juris utriusque testimoniis comprobat. Utrumque edidit Simon Schardius J. C. Basileæ apud Joannem Oporinum anno 1566. cum aliis Scriptoribus, qui de potestate Imperiali atque Ecclesiastica disseverunt. Parisienses editiones annorum 1540. & 1564. refert Possevinus, & Simlerus Basileensem an. 1497. apud Joan. Bergman de Olpe. Mihi præ manibus est Argentoratensis anni 1609. in qua quamplurima reperiuntur à Schismaticis ac temerariis Scriptoribus adversùs Jurisdictionem & auctoritatem Ecclesiasticam dicta.

D

De Joanne Andræa. 1330.

JOANNES Andræas Bononiensis Jureconsultus doctissimus floruit tempore Joannis XXII. Papæ, sed obiit anno 1348. Scripsit *in quinque libros decretalium*, quod opus *Novellas* appellavit. Scripsit etiam *Glossas in sextum*, *& Clementinas*: addidit quoque ad speculum Gulielmi Durantis.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES Andræas, Bononiensis J. C. moritur ex peste in eadem urbe, die 7. Julii anno 1348. E Indictione prima ex Trithemio, qui plura ejus scripta recenset, vocatque Jurisconsultum omnium admiratione celeberrimum, fontem Canonum, dubiorum cautissimum interpretem, &c.

Novellæ seu Commentaria in libros quinque Decretalium, in quibus veterum scripta collegit, & ordine digessit, Venetiis 1581. *Glossa in sextum & Clementinas*, ibidem. *Additiones ad speculum Guillelmi Durandi Episcopo Mimatensis*, quas scripsisse dicitur anno 1347.

Sunt & qui adjungant *librum de laudibus S. Hieronymi*. Graviter errant qui Azonis Bononiensis auditorem fuisse volunt, cujus Præceptor fuit Joannes Basianus, qui obiit an. 1197. Forsterus testatur Joannem Andreæ patrem ejus civem, tum Præsbyterum Mugellanum fuisse, à quo perceptis literarum elementis,

mentis, necnon à Bonifacio Pergamensi Bononiam venerit, ibique Juri Pontificio sedulam operam posuerit, ut in ea facultate facile princeps haberetur. Addit docuisse Bononiæ annos 45. & sepultum fuisse in templo Sancti Dominici, cum epitaphio, in quo dicitur, Rabbi Doctorum, lux, censor, normaque morum. A' Baldo quoque dictum fuisse fontem ac tubam Canonici Juris, necnon insignem furem alienorum librorum, quod ex consiliis Oldradi Laudensis auctore dissimulato multa sibi adscripserit. Nec omittendum filium habuisse Boniconttum nomine, cujus extant Tractatus de Appellationibus & Accusationibus, & filiam Bitinam, quam collocavit in matrimonium Joanni de Sancto Georgio, celebri tum apud Bononienses Juris Professoris. Eadem fermè, ut in cæteris, Joannes Fichardus Francofurtensis in Vitis recentiorum Jurisconsultorum, & alii posteriores.

De Guillelmo de Montibus. 1330.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS DE MONTIBUS, natione Anglus, Canonicus Lincolniensis, claruit circa annum 1330. & multa scripsit, quæ manuscripta extant in Anglicanis Bibliothecis, sub titulis sequentibus.

Numerale, ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 198. Mertonensi cod. 176. Cantabrigiæ in Bibliotheca Sancti Benedicti codd. 250. & 311. Domus Sancti Petri cod. 88. & in Archivis Collegii Caii cod. 244.

Similitudinarium, ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 198. Mertonensi cod. 176. & Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri cod. 88.

De Tropis, ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 196.

Collecta super Psalterium cum Scholiis ejusdem, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana cod. 149.

Speculum Pœnitentiæ, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana cod. 170.

Summa seu Tractatus qui bene præsunt, ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi codd. 153. & 171. Cantabrigiæ in Bibliotheca S. Benedicti cod. 119.

Distinctiones Theologicæ, mss. Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caii cod. 244.

Sermones, manuscripti Cantabrigiæ in Bibliotheca publica codice 128.

Constat autem ex quibusdam Operum ipsius titulis, fuisse eum Cancellarium Ecclesiæ vel Collegii Lincolniensis.

De Andronico Sebasto. 1330.

SUPPLEMENTUM.

ANDRONICUS SEBASTUS floruit eodem tempore, scripsitque *Dialogum Imperatoris & Cardinalis de Processione Spiritus Sancti*, *Disputationem Imperatoris cum Doctore Armeniorum Petro*, *De duabus in Christo Naturis*, & *aliis Capitibus*. Denique confecit *Scriptum contra Joannem Veccum*: quæ omnia manuscripta græcè extant in Bibliotheca serenissimi Bavariæ Ducis cod. 120. Hic Auctor infensus Latinis fuit, quos acerrimè impugnare cum aliis multis aggressus est.

De Thoma de la Moor. 1330.

SUPPLEMENTUM.

THOMAS DE LA MOOR Anglus, Eques Nobilis, scripsit *Opus de Vita & Morte Eduardi secundi Angliæ Regis*, quod habetur in Collectaneo rerum Anglicarum Guillelmo Cambdeno procurante, quod editum in fol. Francofurti in Germania anno 1603. typis Vvechelianis, cum Operibus Asseri Menevensis, Thomæ Vvalsinghami, & Silvestri Geraldi Cambrensis, de quo nos ad annum 1440. *in Thoma Vvalsinghamo* postea. Cùm autem Eduardus II. mortuus sit an. 1327. floruit scripsitque Thomas circa annum 1330. vel paulò serius.

De Alexandro de Sancto Elpidio. 1330.

SUPPLEMENTUM.

ALEXANDER DE SANCTO ELPIDIO, quod oppidum est in Umbria ditione Romanæ Ecclesiæ, quem puto errore Amanuensium scriptum esse *De Sancto Clipidio*. Generalis Magister Ordinis Eremitarum Divi Augustini, claruit anno 1330. factusque fuit Amalphitanus tandem Archiepiscopus. Extat *Opus ejus de Ecclesiæ potestate, unitate, paupertate ad Summum Pontificem*, ms. Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Augustinianorum Eremitarum. Impressus est autem *Alexandri à Sancto Elpidio olim Ordinis Augustinianorum Generalis, Tractatus de Ecclesiastica potestate*, Arimini an. 1624. cura & studio Angeli Vantii Ariminensis, sacræ Theologiæ Doctoris, Ordinis Eremitarum Divi Augustini. Item *Tractatus de Jurisdictione Imperii & auctoritate Summi Pontificis, per Fratrem Alexandrum de Elpidio*, ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Emanuelis cod. 1. Plura de illo agunt absque dubio Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano, & alii rerum Augustinianarum Scriptores.

De Philippo de monte Calerio. 1330.

SUPPLEMENTUM.

PHILIPPUS DE MONTE CALERIO, Ordin. Fratrum Minorum, Lector Conventus Sacri loci Paduæ, scripsit anno 1330. Postillam super Evangelia totius anni: quæ manuscripta extat Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi cod. 32. sub hoc titulo: *Postilla super Evangelia Dominicalia, edita à Fratre Philippo de Janua, aliàs de Monte Calerio, Ordinis Fratrum Minorum, tunc Lectore Conventus Sacri loci Paduæ anno* 1330. Eadem Cantabrigiæ ms. in Bibliotheca publica cod. 48. & Pembrochiana codd. 51. & 52. Ipse autem professus Ordinem Fratrum Minorum apud Tolosates, cujus *Conciones per totius anni Dominicos dies*, quæ in Epitomen redactæ à Janselmo Canova Custode Cumano, & ipso Franciscani Ordinis, impressæ fuerunt Lugduni anno 1510. apud Balthasarem è Gobiano, & apud Jacobum Myth anno 1515. sicuti & *Quadragesimale ejusdem Philippi*. Vide Antonium Possevinum *in Apparatu sacro*, verbo *Philippus è Monte Calerio*, Lucam Vvadingum *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum*, pag. 294. De ejus ætate dubitat Philippus Labbeus, qui aliquando eum anno 1344. cum Possevino alligat, aliquando rejicit in annum 1390. quousque tandem senex valde pervenire potuit.

De Dominico Grenier. 1330.

SUPPLEMENTUM.

DOMINICUS GRENIER, seu *Grenerius*, natione Gallus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, de Conventu Tolosano, Doctor Parisiensis. Post diversas in sua Provincia obitas Præfecturas, Apostolicus Pœnitentiarius instituitur, ac anno 1326. mense Januario Magister sacri Palatii à Joanne XXII. renunciatur, cui muneri duobus tantùm præfuit mensibus. Nam ab eodem Summo Pontifice die 13. Martii ejusdem anni 1326. evectus est ad Ecclesiam Appamiensem in Gallia, post mortem Jacobi de Furno, ut constat ex manuscripto codice Regesti Vaticani. Nicolaus Bertrandus in Commentario *De gestis Tolosanorum*, cap. *De Doctoribus* Monasterii Tolosani sancti Dominici, ait fuisse Magistrum & Doctorem in Theologia valde nobilem, deinde Magistrum sacri Palatii, postea Episcopum Appamiensem, scientia & virtute magnum, fecisse Postillas multùm utiles & solemnes super Pentateuchum, & super omnes libros historiales Bibliæ. Has habes, Lector, manuscriptas quinque voluminibus in fol. in Bibliotheca Colbertina codd. 114. 115. 116. 117. 118. inscriptas, *Lectura litteralis super Sacram Scripturam Fratris Dominici Grenier, vulgò Tolosani, Ord. Fratrum Prædicatorum*. Extant in Conventu Prædicatorum Tolosano Litteræ Joannis XXII. anno 1330. & Benedicti XII. anno 1335. ad eumdem datæ. Idem Nicolaus Bertrandus loco citato ait, fecisse construi Cameram in majori Claustro Conventus Tolosani Dominicanorum, in qua Fratres illius Conventus sepelirentur, ad honorem sancti Antonini Martyris: necnon cameras hospitum & infirmorum prædicti Conventus. Fuit autem consummata prædicta Capella, ut legitur in ejus inscriptione, an. 1341. die 7. Novembris, ipso adhuc superstite, cum his Versibus.

Frater Dominicus, Domini Cultor benedictus,
Doctor mirificus, & Episcopus Appamiensis,
Sumptibus immensis Opus hoc fabrefecit amicus,
Inde Deo gratus, regnat sine fine beatus.

Invenitur & in Instrumento confirmationis privilegiorum civitatis Appamiensis anno 1342. in festo sancti Barnabæ Apostoli, unà cum Gastone Fuxi Comite, Condomino prædictæ Civitatis. Hæc nos ex Gallia Christiana Fratrum Sammarthanorum tom. 2. pag. 164. *in Episcopis Appamiensibus*, qui annum mortis ejus præcisè non designant, utpote sibi ignotum. At Audacior fuit Ambrosius de Altamura Dominicanus *in Bibliotheca Dominicana* ad annum Christi 1347. pagina 119. ubi ait: *Viginti annis huic Ecclesiæ præfuit optimus Pastor, quievitque in Domino* 1347. Fingit quidem & annum mortis & tempus Prælaturæ, sed hoc ei probandum erat quod supponit, & quod Sammarthani diligentiores, non noverunt. Legendus Joannes Michael Pius part. 2. lib. 2. de viris illustribus Ordinis Prædicatorum.

De Theodoro Metochita. 1330.

SUPPLEMENTUM.

THEODORUS METOCHITA magnus Logotheta Constantinopolitanus, florebat anno 1332. quo juxta quosdam obiisse dicitur. Scripsit *Paraphrases in octo libros Physicorum & parva naturalia Aristotelis*, quas à Gentiano Herveto è Græco in

A Latinum habes, impressas Basileæ anno 1559. in 4. Ejusdem *Historia Romana à Julio Cæsare ad Constantinum Magnum* Græco-Latina à Joanne Meursio cum Notis, Lugduni Batavorum anno 1618. in 4. Ejusdem *De processione Spiritus Sancti & alia opuscula*, quæ Græco-Latina in Græcia Orthodoxa Leonis Allatii. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 428.

De Guidone de Monte-Rocheri. 1330.

SUPPLEMENTUM.

B GUIDO DE MONTE-ROCHERI, Theologiæ Professor natione Gallus, scripsit anno 1333. opus prænotatum *Manipulus Curatorum ad Raymundum Valentiæ Episcopum opusculum* (ut verbis ejus utar) *de instructione Neophytorum Curatorum, rudi quidem stylo sed utili, non curans de verborum ornatu, sed de animarum commodo & profectu*. Impressus est autem Venetiis anno 1491. apud Maximum Butricium Papiensem seu Ticinensem, emendatus verò à Troino Zane Sacerdote, ac Professore Decretorum. Scripsit præterea *Ritum celebrandi Officium Missæ pro instructione novitiorum Sacerdotum*, quod Venetiis & Antuerpiæ prodiit anno 1570. Hæc ex Apparatu sacro Antonii Possevini tom. 1. pag. 695. verbo *Guido de Monte Rocheri*.

C

De Guillelmo de Rubione. 1330.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS DE RUBIONE, Theologus Ordinis Minorum, Minister quondam Provincialis Aragoniæ, floruit an. 1333. scribens *Commentaria in 4. libros Sententiarum*, quæ prodierunt Parisiis in folio duobus voluminibus an. 1518. apud Judocum Badium Ascensium. De illo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, Lucas Wadingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum* pagina 156.

D

De Simone Boraston. 1330.

SUPPLEMENTUM.

SIMON BORASTON Anglus claruit anno 1336. & scripsit *Alphabetum de vocabulis prædicabilibus*, mſ. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 161. *Compilationem de Ordine Judiciario circa crimina corrigenda*, mſ. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi cod. 16. & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 140. *Distinctiones*, mſſ. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 190. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 82. Penbrochiana cod. 102. & in Archivis Collegii Caii cod. 220. *De mutabilitate mundi*, mſ. Oxonii
E in Bibliotheca Lincolniensi cod. 16. & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 140. *De Unitate & Ordine Ecclesiæ*, mſ. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi cod. 16. Antonius Possevinus in Apparatu sacro appellat *Simonem Bruneston*.

De Henrico de Urimaria. 1330.

SUPPLEMENTUM.

HENRICUS DE URIMARIA Germanus, Ordinis Eremitarum Divi Augustini, sanctitate & doctrina insignis fuit; de quo Jordanus hæc refert. *Ab omni procul otio verborumque vanitate, numquam à studio Sacrarum Litterarum & oratione cessabat, nisi fuisset*

set aliqua in re utiliter occupatus: illudque in ore frequenter habebat, quod quando orabat, ipse Deo loquebatur; quando studebat Deus sibi loquebatur: cum verò consilium aut doctrinam impendebat, aut negotia aliqua disponebat, ipse de Deo & propter Deum loquebatur. Scripsit *Additiones ad libros Sententiarum*, quæ cum Ægidii Romani in eosdem Commentariis prodierunt Coloniæ an. 1513. *De quadruplici instinctu librum* qui incipit *semen aliud cecidit in terram bonam*, olim Venetiis impressum anno 1498. cum libro *De Deliciis Paradisi* Batholomæi Rimbertini Episcopi Coronensis, sed sub titulo alterius Henrici Ordinis Fratrum Prædicatorum. Denique ejus *Sermones de passione Domini, de Sanctis & de quadruplici instinctu*, impressi sunt Haganoæ anno 1513. Parisiis anno 1514. & alibi. Sunt qui Henrico Urimariensi etiam attribuunt *Præceptorum* nomine Nicolai Lyrani editum. Floruit anno circiter 1330. valde senex, de quo qui plura cupit, præter Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 433. pag. 261. legat abundanter loquentem de illo Antonium Possevinum *in Apparatu sacro* tom. 1. pag. 733. Philippum Elssium *in Encomiastico Augustiniano*.

De Daniele de Tarvisio. 1330.

SUPPLEMENTUM.

DANIEL DE TARVISIO Ordinis Fratrum Minorum post multas peregrinationes & mansionem aliquantam in Regno Armeniæ, missus à Leone Rege Armenorum Romam tempore Benedicti XII. circa annum 1338. scripsit in Armenorum justificationem, opus inscriptum: *Responsio Fratris Danielis de Tarvisio Ordinis Minorum & Legati Leonis Regis Armenorum ad errores impositos Armenis, tempore Benedicti XII.* ms. cod. 1653. Bibliothecæ Colbertinæ.

De Rudolfo de Frameinberg. 1330.

SUPPLEMENTUM.

RUDOLFUS DE FRAMEINBERG Pastor in Sucken anno 1336. arripuit iter in Terram Sanctam, quam per annos quinque lustravit, unde reversus composuit illius *Descriptionem oblatam Balduino Comiti Steinfordensi, Episcopo Paderbornensi.* Habes hanc operam editam cum itineribus Marci Poli Veneti & Joannis de Montevilla, & tom. 6. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii, cum Descriptione Terræ Sanctæ ab Anselmo Ordinis Fratrum Minorum, qui anno 1505. floruit. Item tomo 5. earumdem Lectionum *Hodeporicon Guillelmi de Baldenzeel ad Terram Sanctam*, quod anno 1337. suscepisse dicitur, quæ omnia congruè hic in unum congeruntur.

De Bernardo Cardinali. 1330.

SUPPLEMENTUM.

BERNARDUS Abbas Montis-Cassini & postea S. R. Ecclesiæ Cardinalis claruit anno circiter 1330. scribens *Speculum Monachorum Ordinis Divi Benedicti*. Item scripsit *Commentarium in Regulam ejusdem sancti Institutoris*, qui Commentarius extat ms. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 196. & in Collegio S. Benedicti codd. 86. & 252. & in Bibliotheca Montis-Cassini. Impressum autem est *Speculum Monachorum* Parisiis anno 1507. in 24. cum aliis opusculis. Vult Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* eum floruisse anno 1347. post Guillelmum Eisengrenium, Labbeus anno 1340. *in Chronologia Brevi Scriptorum Ecclesiasticorum.*

De Bartholomæo Pisano. 1335.

BARTHOLOMÆUS Pisanus Ordinis Prædicatorum edidit *summam*, quæ dicitur *Pisanella* quam imitatus est Angelus de Clavasio.

DISSERTATIO HISTORICA.

BARTHOLOMÆUS Pisanus, à S. Concordio, Ordinis Prædicatorum, obiisse dicitur an. 1347. Præter Sermones Quadragesimales, extat *Summa casuum conscientiæ, Pisanella, seu Magistruccia dicta*, quam, ut ipse testatur, inquit Trithemius, perfecit anno Christi 1338.

Cave autem cum Jacobo Frisio aut Simlero ei tribuas *Librum Conformitatum* Mediolani in folio anno 1510. excusum. Hujus enim Auctor fuit Bartholomæus Albicius, patria similiter Pisanus, ex Rivano in Tuscia oriundus, Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci, qui die 4. Novembris obiit in Conventu Pisano, circa annum 1380. cujus etiam extant *de Vita & Laudibus B. Mariæ Virginis libri sex*, Venetiis anno 1596. à Petro Rusenello excusi. Eum à Bellarmino ac Miræo omissum celebrant Antonius Possevinus, Henricus Willot, Lucas Vvadingus, Hippolitus Maraccius, & alii.

De Bartholomæo Albicio Pisano. 1380.

SUPPLEMENTUM.

BARTHOLOMÆUS Albicius Pisanus Ordinis Fratrum Minorum florebat, teste Vvadingo in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum, an. 1380. Scipsit Opus celebre inscriptum *Conformitates Sancti Francisci cum Domino nostro Jesu Christo*, impressum in fol. Mediolani an. 1510. apud Gothardum Ponticum. Item *De Vita & laudibus B. Mariæ Virginis lib. sex*, quos alii appellant *Conformitates B. Mariæ Virginis cum Domino nostro Jesu Christo*, Venetiis anno 1596. in folio impressos. Ejusdem *Sermones quadragesimales de contemptu mundi*, sive *de triplici mundo*, scripti anno 1397. impressi Mediolani per Uldericum Scuzenzeherd anno 1488. in 4. Quos etiam imprimi curavit Venetiis F. Joannes Mapelellus Mediolanensis anno 1503. Ejusdem *Sermones alii quadragesimales*, qui continent multarum quæstionum, & casuum conscientiæ resolutiones, editi Lugduni per Romanum Morin anno 1519. in 8. Vide Antonium Possevinum in Apparatu Sacro, Lucam Vvadingum in Bibliotheca Scriptorum Ordinis T. F. Minorum, pag. 48.

De Joanne Calderino. 1340.

JOANNES Calderinus Bononiensis filius adoptivus Joannis Andreæ, scripsit *in libros decretalium*. Item *Concilia, & Decisiones*.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES Calderinus, patria Bononiensis, à Joanne Andrea in filium Boniconto mortuo adoptatus, vixisse dicitur circa annum 1360. sepultus Bononiæ apud S. Dominicum.

Præter *Commentaria in libros Decretalium*, Decisiones,

nes, Concilia, & alia, de quibus Simlerus in Epitome, extat ejus *Tabula continens auctoritates & sententias Bibliorum*, prout in compilationibus Decretorum & Decretalium inducuntur secundùm ordinem Alphabeti emendata à Thoma Dumbergio Memmingo Spirensis civitatis Consule, excusa à Petro Drach anno 1481.

De Joanne de Baccone. 1340.

JOANNES de Baccone Anglus, & Ordinis Carmelitarum Prior Provincialis, Theologus, & Philosophus doctissimus, floruit tempore Clementis VI. Pontificis, & obiisse dicitur anno 1346. Scripsit *Commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum*; *Compendium legis Christi*; & *Quodlibeta*: quæ typis excusa extant. Alia permulta scripsisse dicitur, quæ non vidi.

Dissertatio Historica.

JOANNES Baco, seu, de Baccone, aut Bacondorpius, à villa quadam in agro Nortfoldensi in Anglia, Doctor Parisiensis, Ordinis Carmelitarum, Provincialis Prior, obiisse dicitur anno 1346. (cùm tamen in ejus elogio Trithemius asserat claruisse anno 1350.) sepultus Londini. De eo Jacobus Bergomas, Auctor Fasciculi temporum, Joannes de Plebe, Lucius, Balæus, Pitseus, Vossius, &c.

Commentaria in libros 4. Magistri Sententiarum, multis locis excusa Parisiis, Venetiis, Mediolani, &c.

Compendium Legis Christi, & Quodlibeta, Venetiis.

Tractatus de Regula Ordinis Carmelitici.

Compendium Historiarum & Jurium, pro defensione Ordinis.

De Alberico. 1341.

ALBERICUS Roxiatus Bergomensis, scripsit *in sextum Decretalium.*

Dissertatio Historica.

ALBERICUS de Rosate, seu Roxiati, à patria vulgò dictus Bergomensis, Juris Pontificii Doctor egregius (*a*), properante ad medium sæculo Christi XIV. conscripsisse perhibetur,

Commentaria in librum sextum Decretalium, & alia, quæ extant, nec ad res Sacras pertinent, sæpius typis excusa, & nota Jurisperitis.

(*a*) Floruit anno 1350. coævus Bartoli, cui superstes fuisse videtur. Forsterus ait, Huic plusquàm alteri Doctori deferre Advocatos Mediolanenses, ac scripsisse in Pandectas & Codicem, de statutis, Dictionarium in Jure civili, & Commentarium ad Comœdias Dantis Aligherii. Quantum autem à recta veritatis linea aberraverit Samuel Maresius ὁ Παπιςομανὰν qui hunc Albericum J. C. cum Alberico O. C. Trium-Fontium Monacho Chronici ms. à plerisque eruditis hominibus hac ætate laudati auctore, & Radulphum Flaviacensem Monachum O. B. cum Radulfo Rivensi Tungrorum Decano turpissimè confudit, dum Blondellum clausis oculis Andabatarum more exagitat: videsis Lector veritatis studiose sæculo decimo in Radulfo Flaviacensi.

De Alberico Mon. Trium-Fontium.

Supplementum.

ALBERICUS Monachus Ordinis Cisterciensis in Cœnobio Trium-Fontium, scripsit *Chronicon* quod in gestis anni 1241. desinit, quod brevi edendum sperabat Aubertus Miræus in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 403. pag. 262. ab Andrea Duchesnio, cum Historia Episcoporum Virdunensium & Abbatum Sancti Vitoni conscripta à Laurentio Monacho, & aliis id genus monumentis antiquis. Fefellit spem Auberti Miræi series temporum, nam Historia Laurentii Monachi de Virdunensibus Episcopis impressa in Spicilegio Lucæ Dacherii tom. 12. remansit hucusque in tenebris & pulveribus Bibliothecarum Chronicon Alberici, quod tamen extat ms. in Bibliotheca Parisiensi Regia cod. 5162. incipiens ab his, *Anni 1646. qui sunt à creatione Adæ usque &c.* in Colbertina, & Claromontana Soc. Jesu, ubi Philippus Labbeus habebat illud editioni paratum.

De Simone de Cassia. 1340.

SIMON de Cassia, natione Hernicus, Religiosus Ordinis S. Augustini, admodum pius, vixit eodem tempore quo Joannes de Baccone, & obiit Florentiæ anno Domini 1348.

Scripsit *libros quindecim de rebus gestis Domini Salvatoris*. Scripsit etiam *librum de speculo Crucis*. *Librum epistolarum ad diversos*. Scripsit quoque lingua Italica *libros duos de vita Christiana*, & *expositionem Symboli Apostolici*.

Dissertatio Historica.

SIMEON, seu Simon Fidatus, à Cassia natali in Hernicis vico cognominari solitus, Ordinis Eremitarum S. Augustini Concionator egregius, Florentiæ multos vitæ annos consumpsit, ædificatumque anno 1330. cœnobium nobilissimis matronis virginibusque repletum, rexit usque ad obitum, qui contigit die 2. Februarii anni 1348. De eo præter Trithemium qui spiritu Prophetiæ illustratum perhibet, Sabellicus, Volaterranus, Pamphilus, Sixtus Senensis, Simlerus, Possevinus, Elssius, &c.

I. *De Beata Virgine*, Basileæ apud Adamum Petrum 1517.

II. *Libri quindecim de gestis Domini Salvatoris*, Coloniæ 1533. & 1540. apud Cervicorum.

Laudatus antè Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ Sanctæ vocat opus insigne, in quo universam quatuor Evangelistarum Historiam sub unius narrationis ordine dispositam juxta historicam & mysticam intelligentiam luculenter exposuit. Ejus initium est, A bono & super bono. Claruit anno Domini 1340. Hæc ille. Plura verò Possevinus de libris ab eodem Italico idiomate conscriptis, quæ tu per otium consules.

De Henrico Susone.

HENRICUS Suso natione Germanus, Ordinis S. Dominici, vir fuit piissimus, & devotissimus.

Scripsit *horologium Sapientiæ*. *Librum de novem rupibus*. *Meditationes de passione Domini*, & *alia*. Vivebat anno 1340.

Dissertatio Historica.

HENRICUS Suso, quibusdam Amandus Sisus, natione Svevus, Ord. Præd. Sanctitate & miraculis conspicuus, obiisse dicitur 8. Kal. Februarii anni 1365. Vide Antonium Senensem, qui monet opuscula ejus ex Germanica lingua fuisse in Latinam conversa à Laurentio Surio Carthusiano, & Co-

& Coloniæ edita, Alfonsum Fernandem in Concertatione Prædicatorum, & R. P. Joannem Bollandum ad dictam Januarii diem.

Centum Meditationes Passionis Domini, cum totidem petitionibus.

Liber de novem rupibus.

Horologium Sapientiæ, in quo ponitur colloquium inter Æternam Sapientiam & discipulum. Aliàs quoque fuerat Latinè redditus, & prælo datus Venetiis anno 1492.

Officium quotidianum de Æterna Sapientia, valdè devotum, ac sæpè commissum typis, variisque in locis.

De Roberto Holkoth. 1349.

ROBERTUS Holkoth, natione Anglus professione Dominicanus, Scripsit *in librum sapientiæ lectiones* 213. Item *lecturam in Cantica Canticorum: & in septem priora capita Ecclesiastici*. Scripsit etiam *Commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum*, & *alia quædam*. Floruit circa annum Domini 1349.

DISSERTATIO HISTORICA.

ROBERTUS, seu Rupertus, Holkoth Nordthamptoniæ in Anglia natus, Doctor Theologus Ordinis Prædicatorum, fuit & Professor in Universitate Oxoniensi. De ejus obitu non consentiunt scriptores qui de eo scripserunt: Leander Albertus annum adsignat 1314. minùs exactè. Joannes Trithemius, cui Antonius Senensis, Simlerus, Alfonsus Fernandez, & plures alii subscribunt, docet mortuum fuisse ex peste anno 1349. Indictione secunda, postquam lecturam, ut vocat, super librum Ecclesiastici inchoasset, sub Carolo IV. Imp. & Clemente Papa 6. Maraccius ex Alfonso Fernandez in Concertatione Prædicatorum abiisse è vivis tradit anno 1342. verùm ut modò observavimus in Catalogo scriptorum Concertationi Prædicatoriæ subjecto annum disertè adscribit 1349. arguitque Leandrum Albertum. Alii verò differunt in annum 1397. sed minus probabiliter, cùm Historia Ordin. Dominicani eum anno 1349. obiisse lue epidemica correptum fateatur: unde etiam corrigas Sixtum Senensem, apud quem pro anno Domini 1300. subrogandum arbitror an. 1350.

Lectiones 213. *in librum Sapientiæ*, Reuthlingæ 1489. Venetiis 1509. & 1586. cum Moralibus explicationibus. Valerius Andreas Desselius in Bibliotheca Belgica hæc habet pag. 788. Reginaldus de Alna Ord. Cistercienſis in Alnensi cœnobio apud Tudinium ditionis Leodiensis oppidum, in multis codicibus manu exaratis Commentarium scripsisse fertur in Sapientiam Salomonis: qui vulgò nomine Roberti Holkoth circumfertur.

Lectura in Cantica Canticorum, & in septem priora Ecclesiastici capita, quam morte præventus non potuit absolvere; Venetiis 1509. & alibi, ni fallor, aliisque in urbibus; Sixtus Senensis observat novissimè composuisse in septem priora Ecclesiastici capita Lecturam Scholasticam in 88. Lectiones divisam copiosa & subtili eruditione refertam, quam imperfectam reliquerit oppressus repentina morte ex acri illa pestilentia quæ fuit sub Carolo IV. Imperatore: incipit Opus, Magister & Dominus Gundisalvus.

Commentaria in 4. libros Magistri Sententiarum, Lugduni 1497. apud Joannem Trechel, necnon 1518. in eadem urbe, teste Antonio Senensi, qui addit opus insigne pro Christi verbum Evangelizantibus moralizatum cum Tabula aurea Divi Thomæ super Evangelia & Epistolas totius anni, qua Quæstio & articulus designantur, fuisse impressum Parisiis in 8. anno 1510. Sunt & alia quæ scrutabuntur alii scrupulosiùs, præsertim si quis Bibliothecam Dominicanam adornare moliatur instar Franciscanæ, quæ tota ad Jesuiticæ RR. PP. Ribadeneiræ & Alegambii exquisitissimam methodum ac normam fuit exacta à R. P. Vvaddingo.

De Georgio Pachymere. 1340.

SUPPLEMENTUM.

GEORGIUS PACHYMERES Constantinopoli oriundus sed Niceæ ortus, educatus atque in Sacerdotum numerum cooptatus, floruit circa annum 1340. Vivebat juvenis sub finem sæculi 13. circa annum 1280. sub Michaele Paleologo, à cujus temporibus Historiam suam orditur. Opus hoc sed mutilum, asservatur Græcè mſ. in Bibliotheca Augustana cod. 82. apud Vindelicos, ex quo Hieronymus Vvolfius quædam excerpsit, ac Nicephoro Gregoræ subtexuit: ac partem illorum quæ in Augustano codice desiderabantur, cum Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Breviario Dionysius Petavius Parisiis evulgavit. Tandem Historia hæc ex mſ. Cod. Barberino evulgata est Romæ Græcè & Latinè 2. voluminibus in fol. anno 1661. quam Petrus Possinus Soc. Jesu interpretatus est. Idem Pachymeres edidit *Commentaria seu Scholia in Opera D. Dionysii Areopagitæ*, quæ Græcè & Latinè iterum ac tertiò impressa, cum operibus ejusdem Sancti Dionysii. Item *opusculum de Processione Spiritus Sancti*, quod editum à Leone Allatio tom. 1. Græciæ Orthodoxæ quam consule. Ejusdem *Epitomæ Logicæ Aristotelis* Græcè Parisiis anno 1548. apud Vascosanum: sed versa è Græco in Latinum à Philippo Bechio prodiit in fol. Basileæ anno 1560. apud Frobenium. Consule Leonem Allatium in Diatriba de Georgiis, & Petrum Possinum in præfatione sua ad Historiam dicti Pachymeris, post Aubertum Miræum in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 426. Antonium Possevinum in Apparatu Sacro.

De Joanne Ridevald. 1340.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES RIDEVALD, Anglus Ordinis Fratrum Minorum, floruit ab anno 1330. ad 1340. & ulteriùs. Extant sub ejus nomine mſſ. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 113. *Commentarius super Fulgentium continens picturas virtutum & vitiorum, sub imaginibus Deorum & Dearum quos colebat nova superstitio paganorum, Auctore Fratre Joanne de Ridevall de Ordine Fratrum Minorum. Ejusdem Fabulæ CCXVIII. Ovidii, Moraliter exposita.* De his vide Possevinum in Apparatu Sacro, verbo *Joannes de Ridevall*, ubi improbat istum laborem; Lucam Vvadingum *De Scriptoribus Ordinis Minorum* pag. 223.

De Richardo de Hampoole. 1340.

SUPPLEMENTUM.

RICHARDUS DE HAMPOOLE ex Eboracensi Anglorum Comitatu oriundus, quem non dubito esse illum eumdem quem Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ *Pampolitanum* cognomine, *Anglo-Saxonem* natione facit. Scripsit multa quorum plurima latent mſſ. in Anglicis Bibliothecis & Gallicis, aliqua edita sunt in fol. Coloniæ anno 1536. ex Officina Melchioris Novesiani sub hoc titulo: *D. Richardi Pam-*

Pampolitani Anglo-Saxonis Eremitæ, viri in divinis Scripturis ac veteri illa solidaque Theologia eruditissimi, in Psalterium Davidicum, atque alia quædam sacræ Scripturæ monumenta, compendiosa juxtaque pia enarratio. Scripsit autem *Commentarium in Psalmos universos*, ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 24. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti cod. 313. impressum Coloniæ loco indicato pag. 1. & seqq.

A

In Cantica Veteris Testamenti quæ leguntur in Ecclesia cum Psalmis, impressum pag. 84.

Commentaria in aliquot versus Cantici Conticorum, ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 201. & impressa fol. 142. nempe *encomium nominis Jesu*, ad illud Canticorum, *Oleum effusum nomen tuum*: & opusculum *De Amore Summo eodemque singulari* fol. 144. ad illud Canticorum, *Adolescentulæ dilexerunt te nimis*.

B

Ejusdem *Commentarius specialis in Psalmum CXX.* Domine in virtute tua lætabitur Rex, impressus fol. 130. cum Commentariis *in aliquot Capita Job*, *in Threnos Jeremiæ*, *in Orationem Dominicam*, *Symbolum Apostolicum & Symbolum Athanasii*; quæ omnia impressa sunt Coloniæ, ut supra diximus.

Commentarius in Lectiones novem quæ leguntur in exequiis Mortuorum, ms. Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi cod. 58. Cantabrigiæ in publica cod. 137. Domus sancti Petri cod. 78. in Sorbonica Parisiensi cod. 1065. Impressus autem loco citato *duplex Commentarius in novem Lectiones Job* à dicto Richardo pag. 89. & alter pag. 113. ex puris Divi Gregorii Papæ verbis conflatus.

C

Tractatus De emendatione peccatoris, seu *regula vivendi* vel *de emendatione vitæ*, ms. in Bibliotheca Sorbonica cod. 1065. incipit *non tardes converti ad Dominum*, impressus loco dicto fol. 135. ms. etiam Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 135. Balliolensi cod. 201. Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caii cod. 40. & privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 124.

Stimulus Conscientiæ, ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 143. & Cantabrigiæ in Archivis Collegii Caii cod. 195.

De reparatione lapsi, ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 242.

Tractatus, *Judica me Domine*, ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 201.

D

Scala mundi, ms. Cantabrigiæ in Collegio D. Benedicti cod. 50.

Incendium amoris: incipit, *admirabar amplius quàm enuntio*, ms. in Bibliotheca Sorbonica cod. 1065. & integrum, cùm in impressis Coloniensibus pag. 144. habeatur tantùm breve ejus operis compendiolum.

Commendatio Castitatis: cùm enim secundùm B. Hieronymum, &c. cum opusculo *De contemptu mundi*: Quoniam mundanorum insania, &c. habentur in eodem Codice Sorbonico.

Item *Cursus seu horæ breves de æterna Sapientia, & formula componendi Sermonem*, mss. habentur in privata Cantabrigiæ Bibliotheca Baronis Lumleii codd. 124. & 281.

E

Vult Eisengrenius eum vixisse circa annum 1420. quem secutus est Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo *Richardus Hampoole* tom. 2. pag. 324. at ms. Codex Sorbonicus de quo supra, ad finem opusculi de emendatione peccatoris, hæc habet verba; *explicit Libellus sancti Richardi Heremitæ de emendatione peccatoris, qui obiit anno* MCCCXLIX. *apud Sanctimoniales de Hampoole juxta Dancastis in Comitatu Eboracensi.* Et sane mss. Codd. operum Richardi Hampoolitani excedunt antiquitate annum 1420. quem rectè ad annum 1340. collocavimus.

De Petro Rogerio. 1340.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS ROGERIUS patria Lemovicensis, variis honoribus & Sacerdotiis amplissimis auctus fuit. Primùm enim post professionem Regularem emissam in Abbatia Casæ-Dei in Arvernis, Ordinis Divi Benedicti, Parisiis posteà studia Philosophiæ ac Theologiæ cum omnium admiratione peregit. Inde Petri Cardinalis de Mortuomari qui ipsum unicè diligebat, Epistolis ad Romanam Curiam vocatus, Joanni XXII. Papæ innotuit. A quo factus sancti Baudelii Nemausensis Prior, inde Abbas Fiscannensis & Casæ-Dei, tum Episcopus Attrebatensis, ac posteà ad Senonensem Archiepiscopatum atque ab isto ad Rothomagensem anno 1330. denique ad Cardinalatum à Benedicto XII. promotus anno 1337. decimo-quinto Kalendas Januarii sub titulo Sanctorum Nerei & Achillei: atque eo Nonis Maji 1342. mortuo, Summum Pontificatus culmen ascendit, sumpto nomine Clementis VI. Extant mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Aulæ Penbrochianæ cod. 89. *Propositiones Petri Rothomagensis Archiepiscopi factæ in præsentia Domini Papæ & Cardinalium in publico Consistorio*. Sublatus è vivis est Avenione VIII. idus Decemb. an. 1352. Vide Galliam Christianam Sammarthanorum tom. 1. pag. 592. *in Archiepiscopis Rothomagensibus*, ubi laudes ejus latè explicantur, Franciscum Bosquet in Vitis Summorum Pontificum qui Avenione sederunt, & alios omnes qui scripserunt Vitas Summorum Pontificum.

De Roberto Covvton. 1340.

SUPPLEMENTUM.

ROBERTUS COVVTON natione Anglus, ex Ordine Fratrum Minorum, claruit anno 1340. scribens *insignem Commentarium in 4. libros Magistri Sententiarum*, ms. in multis Angliæ Bibliothecis; Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 181. Mertonensi codd. 11. & 48. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus sancti Petri cod. 75. & in Aula Penbrochiana cod. 107. Hujus etiam *Compendium* seu *Abbreviationes super easdem Sententias*, mss. Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi cod. 34. & Magdalenensi cod. 146. Hujus meminit Possevinus *in Apparatu sacro*, nec opinor esse omissum ab Luca Vvadingo in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum: ubi de illo loquitur, & quidem pluribus pag. 308.

De Ptolomæo Lucensi. 1340.

SUPPLEMENTUM.

PTOLOMÆUS LUCENSIS, natione Italus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, unde postea assumptus est ad Episcopatum Torcellensem, claruit anno circiter 1340. Scripsit *Annales continentes gesta ab anno 1060. usque ad 1303.* impressos Lugduni anno 1619. inde translatos in magnam SS. Patrum Bibliothecam editionis Lugdunensis anni 1677. Item scripsit *Historiam Ecclesiasticam* lib. 24. quam continuat usque ad creationem Clementis Papæ sexti an. 1342. ms. in Bibliotheca Vaticana cod. 3766. Eamdem Historiam in 24. libros distributam habet ms. Bibliotheca Collegii Navarrici Parisiensis, sed quæ desinens in morte Bonifacii VIII. non progreditur ultra annum 1303. Imò ultra annum 1301. Annales non procedunt, quamvis libros 24. integros mss. contineat: unde deceptos opinor illos qui volunt ms. Vaticanum extendi

extendi usque ad annum 1342. seu usque ad creationem Clementis Papæ sexti, nisi fortè additio aliqua ab alio facta fuerit. Ms. enim Navarricum non procedit usque ad annum 1342. ut de Vaticano dicitur, sed ad 1302. unde error vel Cisri vel Typographi esse potest: nec procedit usque ad creationem Clementis Papæ sexti, sed circiter usque ad creationem Clementis Papæ quinti. Atque hæc forsitan est vera ætas Ptolomæi Lucensis, licèt ob auctoritatem aliorum, ad hunc annum 1340. prorogatus fuerit. Eadem Historia ms. legitur in Bibliotheca Colbertina codd. 2810. & 527. cum Appendice (alterius forsitan auctoris) usque ad annum 1313. Sunt etiam ejusdem Excerpta quædam super genealogia & posteritate Caroli Siciliæ Regis, continuata ab aliis usque ad annum 1370. quam habes in Collectaneo veterum Historiæ Francicæ Scriptorum tom. 5. pag. 893. Agunt de Ptolomæo Lucensi Blondus lib. 13. Volaterranus lib. 22. Joannes Gerardus Vossius *De Historicis Latinis*, Possevinus *in Apparatu sacro*.

De Joanne de Becka. 1340.

Supplementum.

Joannes de Becka Canonicus Ultrajectensis Ecclesiæ conscripsit *Chronicon Episcoporum Ultrajectensium & Comitum Hollandiæ*, à temporibus Sancti Willibrordi usque ad annum 1342. quod continuavit Guillelmus Hedam Harlemensis Decanus, ac post Guillelmum ad sæculi hujus initium Suffridus Petrus deduxit. Impressum utrumque Opus Joannis Beckani & Guillelmi Hedani, Franekeræ in Frisia anno 1612. apud Robertum Doyema, quod prostat Lugduni Batavorum apud Elzevirios Officinæ Lugdunensis detentores: & iteratum caractere omnino eleganti Ultrajecti anno 1643. in folio parvo. Aubertus Miræus in Auctario De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 436. Vossius de Historicis Latinis, Joannes Chapeaville in Collectaneo Historiarum Leodiensium.

De Ægidio Muisio. 1340.

Supplementum.

Ægidius Muisius Abbas S. Martini Tornacensis, Ord. Divi Benedicti, scripsit *Chronicon de rebus gestis Comitum Flandrensium* ab anno 972. ad annum 1343. quod ms. ibidem adservatur.

De Clemente Florentino. 1340.

Supplementum.

Clemens Florentinus, Ordinis Servorum, Theologus Parisiensis floruit anno 1340. Composuit *Catenam auream in omnes Sancti Pauli Apostoli Epistolas*, cujus ms. extat in Medicea Bibliotheca apud Sancti Laurentii Ædem. Item *Concordantias ad Annibaldum Cardinalem sui Ordinis Protectorem*, quæ mss. asservantur in Bibliotheca Servorum Florentiæ. Perfunctus probè variis Ordinis sui muneribus obiit anno ætatis suæ 78. qui in eadem Florentina Urbe, in Ecclesia Divæ Virginis Annuntiatæ cum cæteris patribus sepultus est. Hæc nos habuimus ex fide Antonii Possevini in Apparatu sacro, verbo *Clemens Florentinus* pag. 363.

De Richardo Chichestensi. 1340.

Supplementum.

Richardus Chichestensis seu Cestrensis Anglus, Monachus Westmonasterii Ord. Divi Benedicti, qui etiam Robertus in mss. codd. aliquando legitur, scripsit *Polycraticon seu Chronicon Anglo-saxonum*, quod exemplaria mss. adducunt ad annum 1348. quo floruit. Habetur in Bibliotheca Cantabrigiæ publica cod. 248. & in Collegio sancti Benedicti cod. 6. Prioris Codicis hic titulus est: *Richardus Chichester, Monachus Vvestmonasterii, Chronographus, incœpit ab Hengisto Saxone anno Christi 449. cujus primus liber incipit*: Post primum insulæ Britanniæ Regem, *& hanc partem vocavit Speculum Historiæ, & continet quatuor libros. Secunda pars vocatur* Anglo-Saxonum Chronicon, *& est continuatio Prioris ad annum Domini* 1348. *id est ad annum Edvvardi III.* 22. Epitome ejusdem Chronici, ms. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti codd. 66. & 342.

De Jacobo Tolosano. 1340.

Supplementum.

Jacobus Folquerii Ordinis Eremitarum Divi Augustini, Doctor Tolosanus atque ibi Lector in Theologia, scripsit ad Clementem Papam sextum, opus inscriptum *Viridarium Gregorianum*, seu *Allegorias in omnes libros Sacræ Scripturæ*, desumptas ex puris verbis Sancti Gregorii Papæ, oblatas ei, ut auctor indicat, anno Domini 1345. in mense Aprili. Floruit Jacobus Folquerii anno 1348. & sequentibus, cujus opus ms. in Bibliotheca Eremitarum Augustinianorum Parisiensium, Majoris ut vocant Conventus.

De Durando de Campania. 1340.

Supplementum.

Durandus Campanus seu de Campania, Gallus, dictus de Campania quòd in hac Galliæ Provincia ortus esset, Ordinis FF. Minorum atque à Confessionibus Reginæ Galliæ & Navarræ, floruit teste Wadingo *in Bibliotheca Ord. Fratrum Minorum*, sub annum 1340. Scripsit Summam Confessariorum quæ inscribitur, *Summa Confessionum*, vel *Directorium in quatuor partes distinctum*, quod habetur manuscriptum cod. 451. in celebri Bibliotheca Colbertina. Item teste eodem Wadingo *in quatuor libros Sententiarum*, opus insigne, quod extat ms. in Bibliotheca Fratrum Franciscanorum Bononiæ: sed videndum, an non sit idem opus quod est impressum sub nomine Durandi de Sancto Porciano Ord. Fratrum Prædicatorum, quod sæpè manuscriptum etiam in Bibliothecis Franciscanorum legitur. De Durando Minorita, Wadingus in Bibliotheca Ordinis Minorum pag. 104.

De Joanne Hocsemio. 1340.

Supplementum.

Joannes Hocsemius Canonicus S. Lamberti Leodiensis, *Chronicon Episcoporum ab Ægidio Aureæ-Vallis Monacho deductum ad annum* 1251. *continuavit ad annum* 1348. quo scribebat. Utrumque editum est in lucem Leodii anno 1613. cura & studio

dio Joannis Chapeavilli Canonici & Vicarii Generalis in spiritualibus Episcopalibus.

De Gregorio Palamate. 1340.

SUPPLEMENTUM.

GREGORIUS PALAMAS Thessalonicensis Archiepiscopus, circa annum 1347. sparsit diversos errores ex proprio cerebro productos, quibus multis Græcis Antistitibus notissimus fuit, ac malè laudatus in Concilio, de quo pleniùs loqui, nostrum non patitur institutum. Doctus hic fuit, ac multa scripsit, quæ ex Orientis partibus deportata, latent mss. in Europæ Latinis Bibliothecis. Extant in Bibliotheca Bavarica Serenissimi Ducis cod. 125. *Gregorii Palamæ Consideratio plenior in Transfigurationem Domini, Palamæ & Acindyni Epistolæ, Expositio Hæresum Palamæ & Acindyni, variæ Apologiæ contra Palamam & Acindynum*. Extat in Bibliotheca Augustana cod. 73. *Prosopopeja corporis & animæ*, continens nimirum *Orationes duas judiciales mentis Corpus accusantis, & totidem Corporis contra, se desfendentis: itemque Judicum Sententiam*. Hæc inserta est Latinè Bibliothecæ Sanctorum Patrum tom. 9. secundæ editionis, Adrianus autem Turnebus Græcè anno 1553. Parisiis evulgavit. Ejusdem *in aliqua Evangelii loca*, ms. Græcè in Bibliotheca Sfortiana cod. 68. Ejusdem *liber contra Joannem Veccum Patriarcham Constantinopolitanum de Processione Spiritus Sancti*, cum refutatione Cardinalis Bessarionis, ms. in Bibliotheca Bavarica cod. 115. Nec mihi dubium, quin alia adhuc in aliis Bibliothecis lateant. Vide Antonium Possevinum in suo Apparatu sacro, & Leonem Allatium in Opere *De Georgiis & Gregoriis*.

De Theophane Nicææ Archiep. 1340.

SUPPLEMENTUM.

THEOPHANES Nicææ Archiepiscopus scripsit circa annum 1347. *grande opus adversùs Judæos*, quod extat ms. Græcè Romæ inter libros Francisci Turriani quos reliquit Societati Jesu, quando illam hic ingressus est. Analysim summa cura exhibet Antonius Possevinus in Apparatu sacro tom. 2. verbo *Theophanes Nicææ Episcopus* pag. 470. Extant ejusdem in Vaticana Bibliotheca Libelli duo, vel Epistolæ, prima *quidem doctrinalis ad Sacerdotes & alios Clericos suæ Diœceseos, ostendens quodnam sit negotium Sacerdotii, & qualem oporteat esse, eo factum dignum*. Altera item *ad Nicænos, qualem deceat esse Christianum, ubi etiam docet fugiendam esse omnem consuetudinem eorum qui sentiunt cum Acindyno, non minùs quàm Judæorum*. Aliqua Theophanis Archiepiscopi Nicæni Opera Græco-Latina edita sunt Romæ anno 1590. in 8. cura & studio Gonsalvi Poncii Legionensis. Plura vide apud allegatum Possevinum loco citato.

De Gregorio Acindyno. 1340.

SUPPLEMENTUM.

GREGORIUS ACINDYNUS, Græcus Theologus, scripsit circa annum 1348. *Opusculum de Essentia & operatione Dei libris 2. adversùs imperitiam Gregorii Palamæ & aliorum Græcorum*, quod extat græcè manuscriptum in Bibliotheca serenissimi Bavariæ Ducis. Impressum autem postea græcè & latinè in 4. Ingolstadii per Jacobum Gretserum, cum Epistolis decem variorum Pontificum, ad Petrum

A Cnapheum Eutychianum, græco-latinis apud Angermariam anno 1616. in 4. evulgatis. Hæc non potuit scribere *in Apparatu Sacro* Possevinus, dum loquitur de Gregorio Acindyno, nondum enim illud typis fuerat mandatum.

De Guillelmo de Monte-Lauduno. 1340.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS DE MONTE-LAUDUNO, Professor Juris Canonici in Academia Tolosana, vir sua ætate ob peritiam Juris celeberrimus,
B claruit circa annum 1346. Hujus Opera frequenter laudarunt Richardus Armachanus Archiepiscopus in Tractatu ms. *De Audientia Confessionum*, Bernardus Lauretus Præses Tolosanus in Tractatu *De potestate sæculari in Ecclesiasticos*, Arnulfus Rusæus in Tractatu *Juris Regaliæ*, itemque Philippus Probus in Tractatu *Juris Regaliæ*, Glossator libri sexti Decretalium, & alii. Quoniam verò nullus hactenus, quod sciam, Opera hujus viri recensuit: utar hac occasione, & ea promam quæ Stephano Baluzio, à quo hæc accepi, comperta sunt. Scripsit itaque Guillelmus de Monte-Lauduno Lecturam *in librum sextum Decretalium*, quam laudant Rusæus & Probus, ad quam Apostillas vel Additiones scripsit Bla-
C sius Aurioli Doctor Tolosanus. Extat ms. in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Cameracensis, cum Apparatu Hostiensis in Decretales. Scripsit præterea *Apparatum Constitutionum Clementis V.* qui frequenter item laudatur à Rusæo & Aufrerio in Repetitionibus ad Clementinas. Hujus autem Apparatus tria manuscripta Exemplaria extant in Bibliotheca Sancti Sergii Andegavensis, itemque aliud in Bibliotheca Sancti Albini Andegavensis. In eodem codice Sancti Albini ms. *Apparatus ejusdem Guillelmi super extravagantes Joannis Papæ XXII.* qui laudatur etiam ab iisdem Rusæo & Probo. Item scripsit *Librum de Sacramentis*, qui extat manuscriptus in Bibliotheca Ecclesiæ Helenensis, & ejusdem libri extant duo
D manuscripti codices in Bibliotheca Monasterii Rivipullensis apud Catalanos. Item alius quoque in Archivo Ecclesiæ Narbonensis. Horum nihil est editum, quod sciam. Hæc Baluzius additione ad caput 4. libri 6. *De Concordia Sacerdotii & Imperii* pagina 76. Ego vidi aliud manuscriptum exemplum *Tractatus de Sacramentis*, in Bibliotheca Bellæ-Vallis Ordinis Præmonstratensis in Episcopatu Rhemensi.

De Nilo Metropolita. 1340.

SUPPLEMENTUM.

NILUS Metropolita Rhodius, hostis Latino-
E rum, Gregorii Palamæ Thessalonicensis Archiepiscopi Hæresibus adhærens, floruit anno 1340. & seqq. quem cum aliis Nilis recenset Leo Allatius in Dissertatione sua speciali de hoc argumento cap. 16. Scripsit *insignem Orationem in sanctam Matronam ex insula Chio oriundam*, quam græcè & latinè edidit idem Allatius. Item *enarrationem Synopsicam de novem Synodis*, computans pro nona legitima, eam quæ sub Joanne Paleologo Andronici Filio, errores Palamæ tuita est. Habetur istud Opus tomo 2. Juris Canonici Veteris pag. 1161. Ejusdem *De Versibus Anacreonticis* Opus manuscriptum in Bibliotheca Regia codicibus 901. & 1727. Vixit usque ad annum 1330.

De Nilo Cabasila. 1340.

SUPPLEMENTUM.

NILUS CABASILAS Thessalonicensis Archiepiscopus, Auctor ejusdem temporis est, magnus Latinorum hostis Pontificum, ut ex ejus Operibus constat. Scripsit *volumen de Primatu Papæ & Orationem, qua docet totum utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ dissidium pendere ex eo, quòd Episcopus Romanus solus arbiter omnium controversiarum esse velit.* Hoc primùm editum græcè & latinè Basileæ anno 1544. in 4. cum Flatio contra Brunum typis Oporinis, tum per Matthiam Flaccum Illyricum græcè & latinè Francofurti 1555. in 8. Idem græcolatinè per Claudium Salmasium, cum aliis ejusdem Nili, Hanoviæ 1598. in 8. idemque cum Salmasio *De Primatu Papæ*, Lugduni Batavorum 1645. in 4. cum Claudii Salmasii & Bonaventuræ Vulcanii nonnullis Notis. Addit Leo Allatius in sua Dissertatione de Nilis cap. 14. pag. 49. Plurima alia ejusdem Nili manuscripta Opera, omnia contra Latinam Ecclesiam.

De Bartholomæo Urbinate. 1340.

SUPPLEMENTUM.

BARTHOLOMÆUS URBINAS, Ordinis Eremitarum Divi Augustini, Discipulus Augustini Triumphi, quem vocant *De Ancona*, cùm Lutetiæ Parisiorum atque Bononiæ studiis Disciplinarum & Theologiæ operam dedisset, factus est Urbis suæ Urbini Episcopus. Scripsit varia Opuscula, de quibus latè Possevinus *in Apparatu Sacro*, pag. 176. & Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano*, quorum nonnulla, cæteris mss. restantibus, evulgata sunt. Nempe *Milleloquium Ambrosii*, Lugduni impressum anno 1556. in fol. juxta veritatem manuscripti codicis; ibidemque *Milleloquium D. Augustini dedicatum Clementi Papæ sexto*, Lugduni in fol. an. 1555. sub Salamandra apud Senetonios Fratres. Mortuus dicitur sub initium anni 1350. de quo Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano*.

De Thoma Argentinensi. 1350.

THOMAS de Argentina, natione Germanus, Ordinis S. Augustini Prior Generalis, vixit tempore Clementis VI. & Innocentii VI. & obiit Viennæ anno 1357.

Scripsit *Commentaria in Magistri sententiarum libros.* Scripsit etiam *quæstionum è sacris Scripturis solutiones. Sermones, & Epistolas, & librum Meditationum.*

DISSERTATIO HISTORICA.

THOMAS natione Germanus, patria Argentoratensis unde illi cognomen de Argentina adhæsit, Ordinis S. Augustini Prior Generalis electus est Parisiis die 11. Julii anni 1345. cùmque eum per annos 12. rexisset obiit Viennæ ad Danubium in Austria anno 1357. ubi etiam anno sequenti obiit ejus in Generalis dignitate successor Gregorius Ariminensis in eodem sepulchro tumulatus. De eo Trithemius memoria lapsus dum Gregorio Ariminensi in Generalatu postponit, Pamphilus, Stellartius, Possevinus, Elssius, & alii.

Commentaria in 4. libros Magistri Sententiarum, Ticini, Argentinæ, Venetiis edita sunt. Ego verò

A usus sum editione Genuensi anni 1585. apud Antonium Orerium.

Fuit & alius Thomas de Argentina Ordinis Prædicatorum, qui teste Simlero, (neque enim ejus meminit Antonius Senensis) claruit anno 1495. & scripsit sermones, qui à Trithemio dicuntur reliquis omnibus hujus generis scriptis præferri, librum unum Meditationum, Epistolas & Quæstiones: quæ quidem non satis diligenter adverterunt Possevinus, Bellarminus, ejusque exscriptores Miræus & Patrologus, ac post eos omnes Elssius, qui ista omnia assignant uni Augustiniano; cui tamen Trithemius, præter Commentaria Theologica, sui ordinis Constitutiones dumtaxat tribuisse noscitur, cum
B quibusdam aliis, quæ nominatim non expressit. Quidquid sit Lectorem monuisse sufficiat, ut si quando de iis ex professo tractandum sit, majorem in veritate indaganda curam atque industriam adhibeat.

De Nicolao Cabasila. 1350.

NICOLAUS Cabasilas Græcus, vixit tempore Joan. Cantacuzeni Imperatoris, vel potius Tyranni. Fuit vir valdè doctus, & Archiepiscopus Tessalonicensis, sed schismaticus. Scripsit *tomos sex de vita in Christo*, qui latinè impressi sunt Ingolstadii. Extant etiam *libri de tribus Sacramentis,*
C *Baptismo, Unctione, & Eucharistia* impressi ibidem, Extat *explicatio Liturgiæ* apud Bignæum in Bibliotheca Patrum tomo 6. edit. 2. ex qua caput 29. & 30. omninò expungenda essent, vel cautissimè legenda.

Denique præter alia multa scripsit *de processione Spiritus Sancti contra Latinos*, ubi se hostem Ecclesiæ apertè demonstrat. Sed hunc librum impressum non vidi.

DISSERTATIO HISTORICA.

NICOLAUS Cabasilas, Schismaticus Græcus, Romanæque Ecclesiæ hostis, primùm Sacel-
D li curator, tum Archiepiscopus Thessalonicensis, vixit sæculo Christi XIV. circa annum 1350. ejusque meminit Joannes Cantacuzenus Imperator libro 3. Historiæ capp. 73. & 99. De eo plura Hervetus, Gretserus, Pontanus, Possevinus, Joannes Maria Magister Sacri Palatii, aliique.

Compendiosa interpretatio in Divinum Officium, sive, *Liturgiæ expositio*, Gentiano Herveto interprete, Latinè tantùm excusa est Venetiis anno 1545. apud Alexandrum Bruciolum. Græcus verò textus ex Bibliothecæ Regiæ codicibus primùm prodiit in Auctario Bibliothecæ Veterum Patrum anno 1624. cura R. P. Frontonis Ducæi Soc. Jesu, unde postea transiit in Tomum 12. Bibliothecæ Morellianæ.

E *De Vita in Christo libri sex, in quibus præcipuè agitur de Baptismo, Sacra unctione, & Eucharistia*, Latinè tantùm prodierunt anno 1604. Ingolstadii in 4. cum Philippi Solitarii Dioptra sive Regula rei Christianæ ad Callinicum Monachum, Joannis Carpathii documentis Spiritualibus, & aliis opusculis, interprete R. P. Jacobo Pontano Soc. Jesu, qui etiam adjecit ejusdem Cabasilæ

Orationem contra fœneratores: quæ omnia postea translata sunt in Bibliothecam Veterum Patrum Coloniensem, & Morellianæ Appendicem.

Oratio in tres Theologos Basilium, Gregorium, & Joannem Chrysostomum, non est hujus Cabasilæ fœtus, sed Philothei Patr. Const. de quo nihil observavit noster Bellarminus (*a*).

(*a*) Sixtus Senensis O. P. vir doctissimus libro 4. Biblio-

Bibliothecæ Sanctæ tradit Cabasilam scripsisse anno Domini 1300. (fortè dicere voluit 1350.) observationum in visionem quatuor animalium Ezechielis Prophetæ librum unum, in quo inter cætera de Throno & specie hominis desuper apparente, qui Græcè in Vaticano servaretur. Nondum prodiisse arbitror.

SUPPLEMENTUM.

NICOLAUS CABASILAS Archiepiscop. Thessalonicensis, Nili Cabasilæ nepos, floruit circa annum 1350. Fuit autem Schismaticus, & Ecclesiæ Romanæ apertus hostis, ideoque Opera ejus omnia cautissimè legenda sunt, ut Bellarminus in Catalogo monuit. Hujus *libri sex de vita in Christo*, in quibus præcipuè agitur *De Baptismo*, *Sacra Unctione*, *& Eucharistia*, latinè tantùm prodierunt anno 1604. in 4. Ingolstadii, Jacobo Pontano Soc. Jesu interprete, cum *Philippi Solitarii Dioptra seu Regula Fidei Christianæ ad Callinicum Monachum*, qui etiam adjecit ejusdem Cabasilæ Orationem contra fœneratores, latinè tantùm. Sed utrumque Opus tam *libri sex de vita in Christo*, quàm *Oratio contra fœneratores*, extant msſ. græcè in Bibliotheca Bavarica græcè cum Oratione Sancti Epiphanii in sepulturam Corporis Jesu Christi, per Stanislaum Phœnicium anno 1604. Samoscii in 4. Idem Cabasilas scripsit *Expositionem in Sanctam Lyturgiam seu Missam*, quam Gentianus Hervetus latinè vertit, quæ cum libris sex de vita in Christo, extat tom. seu sæculo 14. magnæ Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Coloniensis anni 1618. At Expositio Liturgiæ seu Sacrificii Divini, manuscripta extat tum in Bibliotheca Vaticana ex multis codicibus, tum ex Heidelbergensi cod. 362. itemque in Regia Gallica, & in Bavarica codd. 59. 107. 112. 113. 128. In Bibliotheca Imperatoria Vindobonensi idem Opus Cabasilæ *De Divino Mysterio*, cum ejusdem *variis Orationibus*. Ejusdem *Encomium Sanctæ Theodoræ Viduæ*, editum græcè & latinè ad diem 5. Aprilis à Bollandistis, ex manuscripto codice Bibliothecæ Cæsareæ Viennensis : nec dubium, quin ex codicibus, de quibus statim loquebamur. Ejusdem *Commentarius in librum tertium magnæ Constructionis Ptolomæi*, impressus in folio Basileæ anno 1530. Plura de Nicolao Cabasila habent Antonius Possevinus *in suo Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus in auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 439. pag. 262. Philippus Labbeus in Dissertatione de Scriptoribus quos Bellarminus recensuit. At plenissimè omnium Leo Allatius, qui ejusdem Cabasilæ narrat alia plurima msſ. in Dissertatione sua de Nilis, pag. 55. dictæ Dissertationis.

PHILOTHEUS primùm Monachus, postea Patriarcha Constantinopolitanus, claruit anno circiter 1330. & seqq. Cujus pauca quidem restant impressa ; multa manuscripta in Bibliothecis : atque ut à celebrioribus ejus Operibus, quæ nondum prodierunt, incipiamus, extant msſ. *Philothei Patriarchæ Constantinopolitani Homiliæ in Evangelia & Dominicas totius anni, & alia ex Sancto Joanne Chrysostomo potissimùm desumpta*, in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis codd. 83. & 94. & in Bibliotheca Regis Catholici Hispaniarum. Ejusdem *Philothei Patriarchæ Constantinopolitani libri quindecim, contra Nicephorum Gregoram de Divina Substantia, Operatione, Potentia, de lumine in monte Thabor, & id genus aliis*, msſ. in eadem Bibliotheca cod. 111. qui etiam græcè msſ. habentur in Vaticana, ut ex ejus Catalogo apud Possevinum constat, in Appendice ad Apparatum Sacrum. Item *Philothei Patriarchæ Anathematismorum*

A *sub Constantino Porphyrogeneta, & duobus aliis Imperatoribus latorum, eversio seu confutatio*, msſ. in Bibliotheca Vaticana ex cod. Heidelbergensi 256. Hujus *Philothei Patriarchæ Sermo encomiasticus* in tres Hierarchas Basilium, Gregorium Theologum, & Joannem Chrysostomum, latinè & græcè editus à Jacobo Pontano Soc. Jesu, cum Dioptra Philippi Solitarii, Ingolstadii anno 1604. in 4. sed msſ. græcè in Bibliotheca Vaticana, & in Bavarica codd. 39. & 117. Ejusdem *in omnes Sanctos*, in quo codice extat etiam *Compendium de œconomia hominis Christi*, ejusdemque *encomium in magnum Christi Martyrem Demetrium*, msſ. in eadem Vaticana. Denique scripsit *Homiliam de Cruce*, quàm græcè & latinè
B edidit Jacobus Gretserus tom. 2. Operis De Cruce, quod sæpè allegavimus. Sunt & alia forsitan in aliis Bibliothecis, spectantia ad hunc Philotheum Patriarcham. Atque de Phitotheo ipso pleraque honorificè scripta invenies libro 4. Historiæ Joannis Cantacuzeni, quamvis ubi se scripserit Oecumenicum Patriarcham, hæc vox *Oecumenicus* eradenda sit. Hanc enim superbè & schismaticè sibi usurparunt Patriarchæ Constantinopolitani, quemadmodum D. Gregorius Magnus Joanni Patriarchæ exprobravit. Hæc & alia Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, verbo Philotheus Patriarcha Constantinopolitanus, quem adeas.

C
De Gregorio Ariminensi. 1350.

GREGORIUS Ariminensis, æqualis fuit Thomæ Argentinensis, & ejusdem Ordinis Sancti Augustini Prior Generalis.

Scripsit *Commentarium in primum & secundum librum Magistri sententiarum*. Scripsit etiam *in epistolas Sancti Pauli, & in epistolam Sancti Jacobi*.

DISSERTATIO HISTORICA.

GREGORIUS de Arimino, Scholasticorum sui temporis subtilissimus, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Prior Generalis post Thomam de
D Argentina anni 1357. mense Majo electus, decessit anno sequenti Viennæ in Austria, non expleto regiminis sui anno integro, & in eodem tumulo cum prædicto Thoma sepeliri voluit. De eo Jo: Trithemius, Sabellicus, Sixtus Senensis, Thomas Gratianus, Elssius, aliique maximè, qui de Augustinianis scripserunt.

Ex Commentariis in quatuor libros Sententiarum, editi sunt dumtaxat in I. & II. Valentiæ & Venetiis. *Commentaria in Epistolas Sancti Pauli, & Sancti Jacobi Canonicam, librum de Usuris*, qui Arimini anni 1522. excusus dicitur, & *Sermones de Tempore & Sanctis*, nondum vidi.

E
De Richardo Armachano. 1350.

RICHARDUS Radulphus, Archiepiscopus Armachanus vixit tempore Innocentii VI. Pontificis, & obiit anno 1359.

Scripsit *libros novendecim adversus errores Armenorum*. Scripsit etiam *librum adversus Religiosos Mendicantes pro Parochis* : dicitur etiam scripsisse *in libros quatuor sententiarum* : nec non *libros de paupertate, & de intentionibus Judæorum, & sermones aliquot*.

Observatio.

Hic auctor cautè valdè legendus est, præsertim lib. 10. contra Armenos cap. 4. & cap. 23. & 24. & lib. 11. cap. 4. & sermone primo, & 4. in quibus

bus locis multos errores habet de potestate Presbyterorum de paupertate Christi, & de statu Religiosorum Mendicantium: consulat lector Thomam Valdensem, qui errores Armachani, & Jo: Wiclefi, qui ab Armachano aliqua accepit, diligenter refutat: consulat etiam, si placet, quæ nos scripsimus libro de Monachis cap. 45. & 46.

DISSERTATIO HISTORICA.

RICHARDUS Radulfus, Oxoniensis Academiæ in Anglia Cancellarius, ab Archiepiscopatu Hibernico dictus vulgò Armachanus, obiit an. 1359. cujus libri cautè legendi, in pluribus enim peccavit, multosque, ut plerique scripserunt, errores ab eo Joannes Wiclefus, quique eum sequuti sunt Joannes Hus, & Hieronymus Pragensis in Concilio Constantiensi damnati, hauserunt. De eo Thomas Waldensis Carmelita, Trithemius, Bell. hìc & in Controversiis, Ant. Possevinus, Jo: Pitseus, Lucas Wadingus, Henricus Spondanus, aliique Historiæ Ecclesiasticæ Tractatores, &c.

Sermones quatuor facti ante Crucem Londonensem anno 1356. & alii præterea ut quidam addunt, neque enim vidi, *De laudibus B. Mariæ Virginis* Parisiis apud Joannem Parvum anno 1511.

Summa seu libri undeviginti adversus errores Armenorum Parisiis eodem anno editi, ibidemque cum quatuor illis sermonibus de quibus mox dictum est, opera Joannis Sudoris Caletibeccensis Doctoris Theologi.

Defensio Curatorum adversus Mendicantes, quam refutavit Rogerius de Chonnoe Ordinis Minorum, opera ejusdem Joannis Sudoris Theologi ex eodem prælo Parisiensi Joannis Parvi anno 1633. excusa est ex codice S. Victoris ea oratio quam habuit coram Papa & Card. Comparuisse tam Archiep. quàm Fratres Mendicantes Avenione coram Papa Innocentio VI. & Cardinalibus anno Domini 1357. octava mensis Novembris narrat post alios Trithemius, qui in hoc lapsus videtur, quod vitam ejus protrahere videatur usque ad annum 1370.

Jacobus Wareus libro 1. de Scriptoribus Hiberniæ plura de Richardo hoc observavit, quem vocat Fits Raph sive filium Radulphi Dundalkæ in agro Louthiano natum, consecratum Exoniæ 8. Julii 1347. mortuum 17. Kal. Dec. Avenione an. 1360. ejusque ossa an. 1370. in patriam translata, ubi tantis miraculis claruerit, ut ea Bonifacius IX. Romanus Pontifex diplomate examinanda jusserit. Subjungit deinde Catalogum Scriptorum ejus, & ad Martyrologium Franciscanum Arturi à Monasterio Lectorem ablegat.

De Francisco Petrarcha. 1350.

FRANCISCUS Petrarcha, patria Florentinus, Archidiaconus Parmensis, & Canonicus Patavinus, lusit aliquando elegantissimis versibus Italicis amores suos erga Lauram, seu veros, seu confictos ut haberet materiam exercendæ Musæ; sed pœnitentia ductus, & tempus in cantiunculis illis consumptum deflevit, & in solitudine positus vitam Christiano, & pio homine dignam egit, & multa opera gravia, atque utilia scripsit, ac tandem piè, sanctèque obiit anno Domini 1374. ætatis suæ 70.

Ejus opera quatuor tomis continentur.

In primo tomo hæc habentur.

De remediis utriusque fortunæ, lib. 2. *De vita solitaria* 2. *De Otio Religiosorum* 2. *De vera sapientia dialogi* 2. *De contemptu mundi dialogi* 3. *Septem Psalmi pœnitentiales ad imitationem Davidis. De Rep. optimè administranda lib.* 1. *De officio, & virtutibus Imperatoris, lib.* 1. *Rerum memorabilium, lib.* 4. *Epitome vitarum virorum Illustrium. De pacificanda Italia Exhortatio. Ad veteres Rom. Reip. defensores Oratio. De libertate capessenda hortatoria Oratio ad Nicolaum Laurentium. De obedientia, & fide uxoria. De Avaritia vitanda. Itinerarium Syriacum.*

In tomo secundo hæc sunt.

Epistolarum familiarium, lib. 8. *Epistolarum ad quosdam ex veteribus illustriores* 1. *Epistolarum sine titulo,* 1. *Epistolarum de rebus senilibus* 16. *Epistolarum variarum,* 1. *De sui ipsius, & multorum ignorantia,* 1. *Galli anonymi in Petrarcham invectiva. Apologia Petrarchæ contra Gallum. In Medicum quemdam invectivarum, lib.* 4.

In tertio tomo sunt.

Epistola octo de Laurea sumenda. Privilegium receptæ Laureæ. Egloga duodecim. Africa, sive de bello punico carminum, lib. 9. *Epistolarum carmine scriptarum,* 3. *Testamentum Petrarchæ.*

In quarto tomo sunt *carmina Italica.*

DISSERTATIO HISTORICA.

FRANCISCUS Petrarcha, Aretii in Tuscia ex Florentinis parentibus, vel ut alii quidam cum Ger. Jo: Vossio, circa Ancisam Florentini agri vicum majorum suorum sedem, patre Florentino exule natus die 20. Julii, feria secunda anno 1304. ingenio, eloquentia, Latinæ patriæque linguæ cultu, ac Poetica etiam utraque facultate sui sæculi Princeps, litteras à multo ævo sepultas, primus à Gothicis tenebris excitavit, Parmensis Archidiaconus, tum Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ Canonicus, obiit ac sepultus est in Arquada agri Patavini pago. De eo plura Poggius, Trithemius, Jovius, Volaterranus, Bergomensis, Giraldus, Scaliger, Leander, Poccianius, Massonus, Vossius, & præ cæteris Jacobus Philippus Thomasinus Episcopus Æmoniensis in Petrarcha redivivo altera editione impresso Patavii anno 1650.

SUPPLEMENTUM.

FRANCISCUS Petrarcha, Aretii in Tuscia ex Florentinis parentibus, vel ut alii quidam cum Gerardo Joanne Vossio, circa Ancisam Florentini agri vicum Majorum suorum sedem, Patre Florentino exule natus die 20. Julii feria secunda anno 1304. claruit circa & ultra annum 1340. Hic (ut inquit Labbeus) ingenio, eloquentia, Latinæ patriæque linguæ cultu, ac Poetica etiam utraque facultate sui sæculi princeps, Litteras à multo ævo sepultas, primus è Gothicis tenebris excitavit. Archidiaconus Parmensis, tum Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ Canonicus, obiit ac sepultus est in Arquada Agri Patavini Pago. Agunt de illo Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, & Labbeus, qui tamen ejus opera non recenset, Possevinus *in Apparatu Sacro*. Cùm ergo & ipse Ecclesiasticus fuerit, Canonicus nempe Ecclesiæ Patavinæ & Parmensis Archidiaconus: ratio *Supplementi de Scriptoribus vel Scriptis Ecclesiasticis à Bellarmino ad annum* 1460. *omissis* exigit, ut de Petrarcha non taceam, si quid vel jam editum atque à Bellarmino omissum, vel tantùm manuscriptum inveniatur. Hujus autem *Petrarchæ liber de Casibus virorum illustrium* ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 840. Item ibidem ejusdem *Rerum familiarium Epistolarum libri vigintiquatuor mss.* cod. 842. quorum novem tantùm sunt

sunt impressi. De eo plura Poggius, Trithemius, Paulus Jovius, Raphael Volaterranus, Philippus Bergomensis, Lilius Giraldus, Leander Albertus, Gerardus Joannes Vossius, & præ cæteris Jacobus Philippus Thomasinus Episcopus Æmoniensis *in Petrarcha redivivo*, qui altera editione impressus est Patavii anno 1650.

De Nicolao Gorram. 1350.

NICOLAUS de Gorram natione Gallus, Ordinis Prædicatorum vivebat anno Dom. 1350. Scripsit *Commentaria in Pentateuchum. In Psalmos. In Cantica. In Ecclesiasten. In Ecclesiasticum.* Item *in Hieremiam. In Evangelia. In Epistolas sancti Pauli. In Epistolas Canonicas. In Apocalypsim.* Denique etiam *in libros Sententiarum Magistri.*

Dissertatio Historica.

NICOLAUS de Gorram seu Gorranus, quem Pitseus Anglum, alii cum Possevino Gallum fuisse volunt, Ordinis Prædicatorum, dicitur fuisse Philippi Regis Galliæ Sacerdos à Confessionibus, sed non exprimitur Pulchrine, an Longi, an potiùs Valesii. Antonius Senensis quem sequitur Alfonsus Fernandez, anno 1304. Bellarminus 1350. Eisengrenius 1390. Simlerus, Pitseus, & alii 1400. affigunt. Ego quid eligam, nondum scio. Trithemius de ejus ætate nihil definit, eumque inter Joannem Grossum Carmelitam anno 1400. & Jacobum de Teramo Aversanum Archidiaconum an. 1390. florentes collocat. Multi multa referunt ejus opera: sed, quod insigne est omnium fermè quotquot hactenus in meas venerunt manus Bibliothecariorum peccatum, ab ineditis hactenus aut deperditis, quæ typis commissa sunt, non distinguunt, Trithemium, ut plurimum, aut Sixtum Senensem, describere contenti, quod sexcentis exemplis probari posset.

Commentaria in 4. Evangelistas, Coloniæ, an. 1537.
Commentaria in Epistolas S. Pauli, Parisiis &c.

Lucas Vvadingus in Bibliotheca Minorum alterius Nicolai Gorrhami meminit, quem dicit fuisse Ministrum Provincialem in Francia, sed tempus ejus non adscribit. Verùm (*a*) Dominicani suum etiam Nicolaum Gorramum Provincialem Franciæ prædicant in Scholasticis quæstionibus tractandis acutum, in Sanctorum Lectione exercitatissimum, &c.

(*a*) Sixtus Senensis, qui anno salutis nostræ 1390. collocat, Alfonsus Fernandez similesque Dominicani, &c. Idem Sixtus ex brevibus ejus in universa Biblia scholastico & aperto sermone scriptis Commentariis ac Sacrorum voluminum studiosis valdè proficuis se vidisse Venetiis in Bibliotheca Divorum Joannis & Pauli, *in Pentateuchum, in Psalterium, in Ecclesiasten, in Ecclesiasticum, in Threnos, in Cantica Canticorum, in Matthæum, in Marcum, in Lucam & Joannem, & in omnes Epistolas Pauli.* Trithemius in sententias, & alia plura addit.

Supplementum.

NICOLAUS GORRHAM seu GORHAMUS, quem Pitseus Anglum, alii cum Possevino Gallum fuisse volunt, Ordinis Fratrum Prædicatorum. Hunc Bellarminus anno 1350. Eisengrenius 1390. Simlerus, Pitseus, & alii 1400. affigunt. Trithemius de ejus ætate nihil definit, eumque inter Jacobum de Teramo Aversanum Archidiaconum anno 1390. & Joannem Grossum Carmelitam anno 1400. florentes collocavit. Scripsit *Commentaria in quatuor Evangelistas*, impressa Coloniæ anno 1537. in folio.

A Item *Commentarium in omnes Epistolas Sancti Pauli, in Acta Apostolorum, in septem Epistolas Canonicas, in Apocalypsim, Summam Sermonum de tempore ac Sanctis*, quæ omnia tomis duobus in fol. edidit Antuerpiæ Joannes Keeberg annis 1617. & 1620. Qui plura cupit, adeat Labbeum in Dissertatione *De Scriptoribus Ecclesiasticis* à Bellarmino recensitis, Possevinum *in Apparatu Sacro*, Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 432. pagina 260. qui omnes aliqua ejus Opera edita, sed non omnia recensent. Ambrosius de Altamura antiquitatem amans, *in Bibliotheca Dominicana* eum collocat ad annum 1296. pag. 70. & *in Appendice* pagina 461.

B

De Alphonso Vargas. 1359.

ALPHONSUS Vargas Hispanus, Archiepiscopus Hispalensis, obiit anno 1359. Scripsit *in primum Sententiarum*, & *in libros de Anima*: quæ impressa sunt Venetiis anno 1566.

Dissertatio Historica.

ALFONSUS Vargas, Toletanus, ex Ordine Eremitarum Sancti Augustini, relictis Ussamensi & Pacensi Episcopatibus, tandem Archiepiscopus Hispalensis, obiit Hispali die 26. Decembris anni C 1366. ut docent Philippus Elssius, aliique qui de Augustinianis scripserunt pietate, doctrina, ac dignitate insignibus.

Commentaria in librum I. Magistri Sententiarum, dictata discipulis Lutetiæ Parisiorum anno 1345.
Commentaria in libros tres Aristotelis de Anima, &c. quæ huc spectare non videntur.

De Joanne Taulero. 1350.

JOANNES Taulerus, natione Germanus, Ordinis S. Dominici, concionator insignis, & piissimus scripsit *Sermones de perfectione vitæ interioris. Tractatus de virtutibus. Epistolas ad diversos. Cantica* D *spiritualia. De novem gradibus Christianæ perfectionis. Speculum, & exemplar Domini nostri Jesu Christi. Exercitia de vita & passione Christi.* Vixit circa annos Domini 1350. Hujus opera adhuc brevi recusa sunt Coloniæ per D. Quentelium.

Porrò hunc virum, ut suspectum circa fidem contempsit Joannes Eckius; sed egregiè eum defendit Ludovicus Blosius.

Dissertatio Historica.

JOANNES Taulerus, natione Germanus, Ordinis Prædicatorum Conventus Coloniensis, quem adversus criminationes Joannis Eckii defenderunt Lu- E dovicus Blosius, Laurentius Surius, aliique, claruisse dicitur anno 1350. De eo Balthazar Werlinus Colmariensis Continuator Catalogi Trithemii, Antonius & Sixtus Senenses, Possevinus, qui multa de librorum ejus editionibus variis congessit, Alfonsus Fernandez, & alii.

Laurentius Surius, Lubecensis, Carthusiæ Coloniensis alumnus, præcipua Tauleri opera ex Germanico idiomate in Latinum transfusa edidit Coloniæ anno 1548. apud Joan. Quentelium, hoc ordine:

Historia vitæ & Conversionis Joannis Tauler, in qua pariter institutiones optimas, & sermones non contemnendos Lector reperiet.

Conciones de Tempore. Conciones de Sanctis. De veris Virtutibus, Institutionibusque divinis. Epistolæ devotionem, divinumque amorem spirantes. Prophetia de pla-

gis

gis nostri temporis. *Cantica quædam spiritalia animæ Deum impendio amantis. De novem Rupibus, sive Gradibus Christianæ perfectionis. Speculum lucidissimum & exemplar Domini Nostri J. C. Convivium M. Eckardi jucundum & pium. Colloquium Theologi & Mendici. Oratio fidelis præparatoria ad mortem. Præparationes quatuor notabiles ad mortem felicem. Notabilis alia ad mortem felicem præparatio. De decem cæcitatibus, & quatuordecim divini amoris radicibus libellus.*

Notandum verò quod monuit Surius, Instructionem de Virtutibus, & quæ sequuntur, ex diversis Tauleri scriptis collecta esse quibusdam aliunde ex Illustrium Virorum lucubrationibus admixtis, quæ legisse juvabit.

De Bartholomæo Anglico. 1350.

Supplementum.

BARTHOLOMÆUS Anglicus, ex Ordine Fratrum Minorum, cognominatur *de Glannville*, scripsit circa annum 1350. *Libros novemdecim de proprietatibus rerum*, quos vidi manuscriptos in variis Bibliothecis. Sunt autem mss. Cameraci in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ, Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Eremitarum D. Augustini, Rhegii in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum, Oxonii in Anglia in Bibliotheca Balliolensi cod. 238. & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 107. Excusi fuerunt, ut placet Antonio Possevino *in Apparatu sacro*, Argentorati anno 1488. & juxta Rodulfum Tossinianum in Historia Seraphica anno 1491. sed uterque errat, nisi semel atque iterum impressi fuerint; vidi enim ac tenui impressionem hujus Operis factam Argentorati in 4. anno 1505. Plura dabit Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 49. & 50. quæ publici juris est Romæ in folio an. 1650. ex Typographia Francisci Alberti Tani.

De Petro de Paternis. 1350.

Supplementum.

PETRUS DE PATERNIS, Ordinis Eremitarum Divi Augustini, claruit circa annum 1350. scripsitque inscriptum Opus *De necessitate & sufficientia vitæ humanæ*, quod extat ms. cod. 1517. Bibliothecæ Colbertinæ. Opus de quo mentionem debuit facere Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano*, quod volvi potest.

De Thoma de Bradvardina. 1350.

Supplementum.

THOMAS DE BRADVARDINA Anglus, ex Ordine Fratrum Minorum, clarus ob doctrinam anno 1350. & sequentibus, scripsit *nobile Opus de causa Dei contra Pelagium, & de veritate Causarum*, varia sacræ ac prophanæ antiquæ ac novæ Philosophiæ ac Theologiæ doctrina locuples atque ornatum, quod manuscriptum asservabatur in Bibliotheca Vaticana, cujus etiam manuscriptum codicem habuit olim in Germania Matthias Flaccus Illyricus. Impressum est ex manuscriptis Anglicanis, cura & studio doctissimi viri Henrici Savillii, anno 1618. Londini in fol. ex officina Northoniana, de quo abundè Ludovicus Cellot in Historia Gottescalci Prædestinatiani lib. 5. cap. 19. pag. 390. Ejusdem *Opus de Geometria speculativa & Arithmetica*, impressum Parisiis anno 1512. *Tractatus proportionum*, editus Venetiis anno 1505. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* mentionem illius habet, sed (quod mirum) de eo nihil habet Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum*. Opus autem *De causa Dei contra Pelagium, & de Virtute causarum*, ms. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Collegii novi cod. 22. in Orialensi cod. 55. Mertonensi cod. 203. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti cod. 146. Domus S. Petri cod. 276. & privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 267. Appellatur in nonnullis manuscriptis codicibus Cancellarius Londoniensis, quod an conveniat rectè Franciscano, seu Conventuali Ordinis Minorum, mihi valdè suspectum est. Porrò quem omisit in suis Scriptoribus Bradvardinum diligens Vvadingus, avidè atque injustè arripuit, & suis Dominicanis adscripsit, griseis vestibus in albas mutatis, Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1372. pag. 133. & *in Appendice* pag. 489. citans Antonium Senensem Lusitanum *in Bibliotheca* folio 248. Magna Charitas, ut quem Franciscani non admiserunt, Dominicani amplectantur, suumque faciant.

De Ranulfo Hidgen. 1350.

Supplementum.

RANULPHUS HIDGEN, quem codices mss. inscribunt *Hikeden*, natione Anglus, conditione Monachus Cestrensis, scripsit circa annum 1360. *Polychronicon libris 7.* ubi potissimùm agit de Rebus gestis Anglicis, cujus hic titulus in manuscripto codice Cantabrigiæ in Bibliotheca publica codd. 188. *Chronica Ranulphi Hikden libris 7. erat is Monachus Cestrensis, qui obiit in senectute bona anno Domini 1363.* Quanti sit meriti hoc Opus, judicent Lectores ex multitudine manuscriptorum codicum in Anglia, qui ad viginti assurgunt. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 113. in Balliolensi codd. 236. & 237. Lincolniensi cod. 44. Mertonensi codd. 42. & 60. Magdalenensi cod. 140. in Bibliotheca Ædis Christi cod. 3. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica codd. 188. 221. 238. in Collegio sancti Benedicti codd. 6. 45. 81. & 341. Domus sancti Petri cod. 232. Collegii Caii cod. 19. & 25. privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 247. & Gualteri Copi cod. 180. Idem scripsit *Speculum Curatorum*, mss. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 69. Plura Vossius in Historicis Latinis lib. 3. cap. 2.

De Petro Monacho Claraevallensi. 1350.

Supplementum.

PETRUS quidam Monachus Clarævallensis, claruit circa annum 1350. homo valde devotus qui sub ementitis nominibus scripsit aliqua Opuscula tendentia ad morum correctionem, & Ecclesiæ in moribus emendationem. Extat in Bibliotheca Colbertina codex manuscriptus num. 1502. ubi sequentia sunt: *Epistola Jesu Christi ad Innocentium sextum anno 1353. divisa in capita centum, Auctore Petro Monacho Clarævallensi.*

Epistola Luciferi ad mundanos, scripta anno 1351.

Ejusdem Petri Clarævallensis Tractatus de potestate Summi Pontificis.

Claruit iis temporibus quibus scripsit, de quo videre potes Carolum de Vvisch in Bibliotheca Cisterciensis Ordinis, ubi nullum vel paucos omisit.

De

De Thoma Stubs. 1359.

SUPPLEMENTUM.

Thomas Stubs, five Stobæus interdum dictus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, natione Anglus, in suum ævum deduxit usque ad Eduardum tertium vel circiter, annumque quasi 1360. *Successionem & actus Archiepiscoporum Eboracensium*. Opus impressum est inter decem Scriptores Anglicanos Historicos, quos in fol. Londini edidit Joannes Seldenus anno 1652. pag. 1685. & sequentibus. De illo Antonius Senensis Lusitanus *in Bibliotheca Prædicatorum* fol. 247. Ambrosius de Altamura ibidem ad annum 1352. pag. 125.

De Petro Berchorio. 1360.

SUPPLEMENTUM.

Petrus Berchorius, Pictaviensis, Gallus, Ordinis Divi Benedicti, & Prior Sancti Eligii Parisiensis, floruit anno 1360. & sequentibus ob Opera quæ in lucem emissa sunt, notissimus Concionatoribus Christianis, quos suis Scriptis multùm adjuvat. Varia igitur in Sanctam Scripturam scripsit Opera Concionatoribus maximè utilia, nempe *Dictionarium morale Biblicum*, per literas Alphabeti digestum, quòd dictiones ferè præcipuas Scripturæ ad instar locorum communium complectitur, earumque significationes moribus accommodat. *Reductorium morale utriusque Testamenti* in quatuordecim libros divisum, in quo prætermisso Historiæ sensu, breviter universa capita Scripturæ tropologicè exposuit, intermixtis interdum allegoriis. Tertium Opus, quod *Inductorium morale* inscribitur, in tres partitum libros incipit: *Videte quoniam non solùm*, &c. Hæc superiori sæculo impressa vidimus tribus voluminibus in folio Venetiis anno 1589. & Coloniæ anno 1620. tomis totidem in fol. Transtulit etiam idem Petrus Berchorius, gallicè *Bercheur*, Historiam Titi-Livii in Linguam Gallicam, Regi Galliarum Joanni dicatam, quam pulcherrimis ornatam figuris atque picturis, duobus comprehensam magnæ molis voluminibus, asservat manuscriptam, Bibliotheca Sorbonica. Obiit anno 1362. in Prioratu suo Sancti Eligii Parisiensis, ubi sepultus jacet. Prima autem Operum Petri Berchorii editio quatuor voluminibus in fol. facta est Parisiis anno 1521. apud Claudium Chevalon, via Jacobæa sub Sole aureo, quæ pulcherrima & castigatissima est, cujus unum exemplum vidimus in Bibliotheca Sancti Germani de Pratis, & aliud apud Mirvaldum Ordinis nostri.

De Levvoldo de Northovv. 1360.

SUPPLEMENTUM.

Levvoldus de Northovv, seu Northof, circa annum 1360. scripsit *Origines Markanas*, sive *Chronicon Comitum de Marka & Altena*, editum in fol. Hanoviæ anno 1613. cum Notis Henrici Meibomii. Hæc Chronica Markensis ab anno 1000. ad 1358. cujus Supplementum usque ad annum 1391. editum ab eodem Henrico Meibomio, cum rebus Germanicis ejusdem Meibomii. Vide Vitam Levvoldi Northovii ex Chronico Markensi ab anno 1278. ad 1358. per Henricum Meibomium cum rebus Germanicis Pistorii.

A

De Matthæo Blastare. 1360.

SUPPLEMENTUM.

Matthæus Blastares seu Blastaras, Jurisperitus Græcus, floruit circa annum 1360. & scripsit *Syntagma seu Synopsim alphabeticam rerum quæ in sacris Canonibus comprehenduntur*, quæ græcè & latinè prodiit Oxonii anno 1672. Extat autem ms. in Bibl. Regis Catholici Scorialensi, in Regia Gallica, Colbertina ex illis codicibus, quos nuper emptione sibi comparavit Colbertus, ex Bibliotheca doctissimi Jacobi Augusti Thuani. Ejusdem est *Opusculum de Causis seu Quæstionibus Matrimonii*, quod græcè & latinè legitur tom. 1. Juris Græco-Romani pag. 478. quod in fol. edidit Joannes Leunclavius Francofurti anno 1596. apud Fischerum.

B

De Joanne Cantacuseno. 1360.

SUPPLEMENTUM.

Joannes Cantacusenus primùm Joannis Paleologi Tutor ab Andronico Juniore an. 1341. institutus, deinde anno 1345. coronatus Imperator, abdicavit anno 1355. & Monachi vestem indutus, assumpto Josaphati Christoduli nomine: multa scripsit atque inter hæc, *Historiam libris quatuor de rebus ab Imperatore Andronico & à seipso gestis*, impressam nuperrimè in fol. Parisiis apud Sebastianum Cramoisy anno 1645. inter alios Historiæ Byzantinæ Scriptores ex prælo Regio. Extat ms. græcè in Biblioth. Vatic. & in Bavarica cod. 184. Extant mss. in eadem Vaticana *Apologiæ quatuor seu Contradictiones pro Christiana Religione contra Mahumetem*, itemque *Contradictiones adversùs Prochorum Sidonium*: ac primæ quatuor *Contradictiones contra Mahumetem* sunt etiam manuscriptæ græcè in Bibliotheca Bavarica codice 189. Vixit usque ad annum 1374. quo agnovit Primatum Romani Pontificis, uti discimus ex Epistolis Gregorii XI. Papæ, atque ex Annalibus Vvadingi, Bzovii, Spondani & Raynaldi, quos curiosi volvant. Porrò *Joannis Cantacuseni Imperatoris contra Saracenos Apologiæ quatuor, & contra Mahumetem Orationes tres* græco-latinè sunt editæ à Rodolfo Gualtero in fol. Basileæ anno 1543. typis Oporinis. De illo Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1. pag. 881. verbo *Joannes Cantacusenus*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 430. pag. 269. nec suarum ipse fuit parcus laudum Cantacusenus in Historia quam conscripsit.

C

D

De Joanne Cyparissiota. 1360.

SUPPLEMENTUM.

Joannes Cyparissiota Græcus pariter Scriptor floruit, non anno 1150. qui ei malè assignatur à Philippo Labbeo in Chronologia brevi Scriptorum Ecclesiasticorum, sed circa annum 1364. Hujus Opera sunt: *Expositio materiaria eorum quæ de Deo à Theologis dicuntur, partita in decem Decades*: quam Franciscus Turrianus latinam à se redditam Antonio Augustino Tarraconensi Archiepiscopo dicavit, additis Maximi & Georgii Pachymeri Scholiis, quæ extat sæculo 11. Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Coloniensis anni 1618. Habetur autem græcè ms. in Bibliotheca Regis Catholici Hispaniarum, unde forsitan transtulit in Latinum Franciscus Turrianus. Ejusdem *Sermones duo Palamicarum Transgressionum*, Joannem Cyparissiotam arguunt Auctorem anni circiter 1364. qui Palamam impugnaverit hæreticum;

E

cum: quos habes in Auctario ultimo Bibliothecæ veterum Patrum, quod edidit Franciscus Combefis anno 1672. Aureliæ apud Guillelmum Hotot. Mentionem facit Joannis Cyparissiotæ Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 333. pag. 242.

De Philippo Mazerio. 1370.

SUPPLEMENTUM.

PHILIPPUS MAZERIUS seu DE MAZERIIS, Nobilis Venetus, aliis Siculus, Regni autem Cypri Cancellarius summus, Sancto Petro Thomæ Archiepiscopo Cretensi socius aliquandiu & contemporaneus, scripsit *Vitam Sancti Thomæ Cretensis Archiepiscopi seu Petri Thomasii*, quam Socii Bollandistæ ediderunt ad diem 29. Januarii tomo 2. pagina 995. & seqq. præmissis pag. 990. Commentariis. Cùm autem obierit Petrus Thomæ seu Thomasius anno 1366. die sexta Januarii, licèt ejus festum celebretur die vigesima-nona ejusdem mensis: hæc scriptio Philippi Mazerii vix referri potest ante annum 1370. quo floruit Cancellarius in Cypro, imò vix credi potest tam citò post obitum Petri, scriptam esse illius Vitam. De Philippo Mazerio Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2. pagina 279. Bollandus ad diem 29. Januarii mensis.

De Gallo Abb. Cisterciensi. 1370.

SUPPLEMENTUM.

GALLUS Abbas Aulæ-Regiæ in Bohemia, Ordinis Cisterciensis, clarus circa annum 1370. scripsit *Malogranatum*, cujus initium: *Fili accedens ad servitutem Dei*, &c. Est autem scriptum per formam Dialogi, cujus titulus, *Dialogus dictus Malogranatum in tribus libris distinctus interlocutoribus Patre & Filio*. Agit autem libro 1. *De statu incipientium*, libro 2. *De statu proficientium*, & lib. 3. *De statu perfectorum*. Impressus autem in 4. in Germania anno 1481. loco & nomine Typographi suppressis. De Gallo Auctore hujus Operis, Conradus Gesnerus *in Bibliotheca*, Possevinus *in Apparatu sacro*.

De Joanne Schadland. 1370.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES SCHADLAND, natione Germanus, Ord. FF. Prædicatorum, ex Conventu Coloniæ Agrippinæ, Magister in Theologia celeberrimus, olim Inquisitor hæreticæ pravitatis in Alemannia, quo munere per annos aliquot cum Christianæ Fidei incremento functus est. Variis etiam pro Apostolica Fide Legationibus ac Commissionibus honoratus, claruit anno circiter 1360. & sequentibus, scripsitque Opus *De statu Cardinalium*, quod manuscriptum extat cod. 2089. Bibliothecæ Colbertinæ. Factus est primùm Episcopus Culmensis, tum postea Hildesheimensis sub Metropoli Coloniensi: denique ex manuscripto codice alii volunt factum ab Urbano V. Episcopum etiam Vormaciensem anno Domini 1370. 15. Calendas Februarii, ibique præfuisse annos septem, & fato functum esse an. 1377. in Conventu Fratrum Prædicatorum Confluentiæ, ubi corpus ejus sepultum in Ecclesia ad majoris Altaris dextram. Plura de ipso Leander lib. 3. capite penultimo *De Viris illustribus Fratrum Prædicatorum*, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2. pagina 248. ubi vult eum floruisse anno 1365. cum Eisengrenio & aliis, in quo convenimus. Antonius Senensis *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Prædicatorum* pag. 154. Ambrosius de Altamura ibidem ad annum 1377. pag. 135. & *in Appendice* pag. 460. quos consulere poteris.

De Philippo Cabassolo. 1370.

SUPPLEMENTUM.

PHILIPPUS CABASSOLUS Cavellicensis Episcopus & Cancellarius Joannæ Reginæ Neapolitanæ, de quo Raynaldus ad annum 1344. §. 30. Anno 1344. 4. Calendas Maji à Clemente Sexto delegatus est, ut inducias inter Massilienses & alias Provinciæ & Comitatus Folkarquerii Urbes adversus ipsos fœderatas promulgaret. Idem ad annum 1349. §. 10. per eas tempestates scripsit libros suos *De Vita & Miraculis Beatæ Mariæ Magdalenæ*, dicatos Henrico de Villares Archiepiscopo Lugdunensi Galliarum Primati, in quibus multùm exagitat Vezeliacenses, quòd auderent dicere corpus ejusdem Magdalenæ existere apud Vezeliacum. Extat hoc Philippi Opus ms. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis. Factus Apostolicæ Sedis Nuntius anno 1359. unde colligitur de illo intelligenda esse, quæ de Episcopo Cavellicensi Sedis Apostolicæ Legato habet Nicolaus Serarius in libro quinto rerum Moguntinarum pag. 858. Fuit postea Philippus Patriarcha Hierosolymitanus & Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Petri & Marcellini, ac demùm Episcopus Sabinensis; obiitque anno 1372. cujus testamentum editum est à clarissimo viro Francisco Duchesnio in Historia Cardinalium Francorum. Vide Sammarthanos in Catalogo Episcoporum Cavellicensium.

De Jordano de Saxonia. 1370.

SUPPLEMENTUM.

JORDANUS DE SAXONIA, cognomento *de Quedelinberg*, vel *Quedelinburg*, natione Germanus, professione Eremita Augustinianus, vir doctus & sanctus, de cujus laudibus multa paucis complectuntur inter cæteros Josephus Pamphilus Signinus Episcopus, in Chronicis Augustiniani Ordinis Eremitarum, Ambrosius Coranus hujus Ordinis Generalis Præpositus, in Chronico Ordinis parte 2. & Elssius in Encomiastico Augustiniano, verbo *Jordanus*. Claruit ab an. circiter 1327. ad an. 1380. quo mortuum eum volunt. Scripsit *Summam Sermonum per totum annum de Dominicis*, impressam Argentorati in fol. an. 1483. quæ incipit, *Jordanis Ripas Alvei*, alludens haud dubiè ad nomen suum *Jordani*. Item *Tractatum de Passione Domini*, cujus initium, *Inspice & fac secundùm exemplar*, &c. injectum inter Sermones de tempore, ad feriam sextam Parasceves. *Opus Sermonum de Sanctis*, incipiens, *Dan Catulus Leonis*, impressum Parisiis anno 1521. in 4. apud Damianum Hickman. Ibidem insigne Opus *De quadruplici Communione, seu de quatuor Communionibus quæ sunt necessariæ profitentibus Vitam Monasticam*. Incipit, *Multitudinis credentium erat cor unum*, &c. Opus olim inscriptum *Vitas Fratrum*, sed meo quidem sensu malè, cùm parcè agat admodum in hoc Opere de Fratribus sui Ordinis: plenè autem ac semper de moribus componendis & regulariter instituendis. Item scripsit Collectaneum quoddam ad suos Fratres Augustinianos Eremitas Parisienses, ms. in Bibliotheca dictorum Augustinianorum majoris Conventus ad Pontem novum,

quod

quod rectè *Collectaneum seu Speculum Augustinianorum appellaretur*. Incipit, *Quia juxta dictum Sapientis, ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant: hinc est quòd ego Frater Joannes de Saxonia, dictus de Quodelingberg, inter Scholares Parisienses minimus*, &c. Continet post Jordani præludium, Sermones Divi Augustini 22. ad Fratres in Eremo, Ordine parum diverso ab editis sub eodem titulo: Sermones 4. ad Presbyteros Hypponenses, Sermones 6. ad populum, omnes ex variis D. Augustini locis desumptos. Hos sequuntur tres Regulæ Divo Augustino passim attributæ, dein vita Sancti Augustini, cum duabus reliquiarum ejus translationibus & supputatione temporum, cum præconiis de eo variorum Scriptorum; Vita denique Sanctæ Monicæ ex Scriptis Divi Augustini, qualem exhibent Bollandistæ ad diem 4. Maji. Creditur ejusdem esse Magistri Jordani *Chronica qualiter Romanum Imperium translatum fuit ad Germanos*, impressa Basileæ anno 1559. in 8. apud Oporinum, cum Æneæ Silvii *Tractatu De ortu & auctoritate Romani Imperii* ad Fredericum Romanorum Regem. Obiit Jordanus Viennæ Austriæ anno 1380. de quo Possevinus *in Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 471. pag. 269. & alii de quibus suprà.

De Arnaldo Terreni. 1370.

SUPPLEMENTUM.

ARNALDUS TERRENI natione Ruscinonensis, atque ut credimus, vel nepos Guidonis Terreni Magistri ac Scriptoris Ordinis Carmelitarum, de quo diximus ad annum 1330. vel saltem consanguineus, utpote ejusdem patriæ & cognominis. Claruit anno 1370. & ultra, Doctor Decretorum ut inscribitur in mss. codd. & Sacrista Ecclesiæ Elnensis, apud Ruscinones. Scripsit an. 1373. Avenione *Tractatum de Mysterio Missæ & horis Canonicis*, quem habes ms. in Bibliotheca Colbertina cod. 3037. Item ibidem fecit Summam inscriptam, *Quæstiones Magistri Arnaldi Terreni Doctoris Decretorum, Avenione factæ & compilatæ*, ms. ibidem cod. 6192. Nec vidi quemquam de hoc Scriptore agentem.

De Manuele Caleca. 1375.

MANUEL Caleca Græcus, vir doctus scripsit *librum contra errores Græcorum pro Latinis*, quem vertit in Latinum idioma Ambrosius Camaldulensis, jussu Martini V. Pontificis: & eum in libros quatuor partitus est. Vixisse videtur hic auctor post schisma Urbani VI. & Clementis VII. & ante schisma Eugenii IV. & Felicis V. nam libro 4. sui operis scribit, Romanam Ecclesiam suo tempore gubernatam fuisse à duobus Pontificibus. Ubi videtur loqui de schismate illo diuturno Urbani VI. & Clementis VII. siquidem in eodem libro meminit Concilii Lugdunensis sub Gregorio X. à tempore autem illius Concilii non fuit schisma celebre, nisi schisma Urbani, & Clementis: quod enim excitavit Ludovicus Imper. inter Joannem XXI. & Nicolaum V. brevissimum fuit. Itaque falsum est, quod quidam dicunt interfuisse Calecam in Concilio sub Gregorio X.

A DISSERTATIO HISTORICA.

MANUEL Calecas natione Græcus, ut colligitur ex epilogo libri quarti, Ordinis Prædicatorum, vixisse creditur Bellarmino post annum Christi 1378. quo conflatum est schisma inter Urbanum VI. Romæ & Clementem VII. Avenione sedentes. Verùm longè probabilius est vixisse eum sæculo Christi XIII. Petrus Galesinius Protonotarius Apostolicus in vita S. Bonaventuræ testatur interfuisse Concilio Lugdunensi II. cum Michaele Palæologo Imp. Joseph. Patr. Const. aliisque Græcis
B Meminit quidem idem ille Auctor Concilii Lugdunensis libri tertii cap. sexto: ex ejus tamen verbis colligi nequit Concilio Lugdunensi præsentem adfuisse. Vide Petavium Tomo II. Theologicorum Dogmatum.

Extant ejus *Libri quatuor adversus Græcorum errores de processione Spiritus Sancti*, &c. è Græco sermone Latinè redditi ab Ambrosio Camaldulensi Monacho jussu Martini V. Romani Pontificis qui obiit anno 1431. & Latinè tantùm publicati anno 1616. Ingolstadii in 4. à Petro Stevartio Leodiensi, & recusi Tomo XIV. Bibliothecæ Coloniensis.

Quidam censent ejusdem quoque Calecæ videri illud opus quod in Auctario ad Antiquas Lectiones Henrici Canisii ab eodem Petro Stevartio vulgatum est pag. 535. (*a*) diciturque, *Tractatus Anonymi contra Græcorum errores de Processione Spiritus Sancti, & animabus defunctorum, de azymis & fermentato, de obedientia Romanæ Ecclesiæ*, editus Const. in ædibus FF. Prædicatorum anno 1252. ex ms. codice Bibliothecæ Bavaricæ.
C

Possevinus hoc tantùm habet extare ms. Græcè in Bibl. Bavarica Manuelis Calecæ de elementis Catholicæ fidei secundùm Traditionem Sacræ Scripturæ & Catholicorum Doctorum. Nos pag. 36. speciminis Novæ Bibliothecæ mss. librorum monuimus penes nos reperiri, *Manuelis hujusce de Principiis fidei Christianæ secundùm doctrinam Sacræ Scripturæ Magistrorumque Ecclesiæ Catholicæ libros duos*, à R.
D P. Jacobo Pontano Soc. Jesu Presbytero Latinè redditos, quos cùm se dederit commoda occasio, publici juris faciemus.

(*a*) Ex ms. codice Bibliothecæ Bavaricæ, diciturque, &c. sic enim constabunt, quæ à Typothetis disjuncta, sensum minus commodum Lectoribus ingenerare poterant.

SUPPLEMENTUM.

MANUEL CALECAS, quem volunt fuisse ex Ordine Fratrum Prædicatorum, claruit circa annum, non ut quidam scribunt, 1250. sed anno circiter 1360. de quo Bellarminus & Labbeus
E in Dissertatione historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis*: ubi perperam vult eum vixisse anno 1250. seu vixisse sæculo decimo tertio. Extant ejus *Libri quatuor adversus Græcorum errores de processione Spiritus Sancti*, è Græco latinè redditi ab Ambrosio Camaldulensi Monacho, jussu Martini V. Romani Pontificis, qui obiit anno 1431. & publicati tantùm anno 1616. Ingolstadii in 4. à Petro Stevartio Leodiensi, & inde immissi in Bibliothecam Sanctorum Patrum editionis Coloniensis anni 1618. & nuperrimæ Lugdunensis anni 1677. Item scripsit *Librum adversus Palamitas illorumque Pseudo-Synodum, sub Imperatore Joanne Cantacuseno*. Item Librum unum *De principiis Fidei*, de Deo scilicet uno, aliisque ad Fidem spectantibus, quæ duo Opera impressa sunt tom. 2. ultimi Auctarii Bibliothecæ Sanctorum Patrum,

trum, à Francisco Combefis editi Parisiis an. 1672. in fol. Si plura cupis, vide Labbeum, Antonium Possevinum *in Apparatu Sacro*, Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 406. pagina 263. Franciscum Combefis in Apparatu ad Bibliothecam Concionatoriam, atque in Notis ad citata Manuelis Calecæ Opera, in dicto Auctario suo ultimo.

De Roberto Episc. Senecensi. 1375.

SUPPLEMENTUM.

ROBERTUS Ordinis Fratrum Prædicatorum claruit anno 1376. & sequentibus, promotusque ad Episcopatum Senecensem, in cujus Archivis habentur multa de ipso documenta. Scripsit *Tractatum de Schismate* quem habes manuscriptum in Bibliotheca Colbertina cod. 2761. Loquitur de illo sed paucissimis Gallia Christiana tom. 3. pag. 1013. *in Episcopis Senecensibus*.

De Joanne de Mondeville. 1375.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES DE MONDEVILLE vel MANDEVILLE, Anglus nobilis ac Medicinæ Professor, circa annum 1332. vel circiter ex Anglia egressus, per annos 34. Asiam & Africam excussit inquisitionibus & itineribus variis, quorum relationes Scriptis tradidit, narrans quid mirabilius viderat in Ægypto, Arabia, Persia, aliisque regionibus, in opere quod Francicè, Anglicè, Latinèque evulgatum Nomenclatores dicunt, de quo diximus in Marco Polo ad annum 1272. De illo sic Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 423. pag. 268. *Joannes Mandevillius Anglus, vir Nobilis, professione Medicus scripsit* suum vigintitrium annorum itinerarium, *quod variis linguis excusum in omnium est manibus. Obiit Leodii anno* 1372. *conditus apud Guillelmitas*. Die 17. Novembris, ut constat ex ejus Epitaphio quod Baleus, Pitseus, Vossius & alii referunt. Ego post multam inquisitionem hoc opus impressum invenire non potui, licèt & multos curiosos viros hoc de libro interrogaverim: unde dicam tantùm inveniri ms. in Anglia in Collegio S. Benedicti Cantabrigiensis codd. 4. & 192. & privatim in Bibliotheca Baronis Lumleii cod. 174. Hoc itinerarium prodiit Zvoll anno 1483. in 4. ut jam mihi constat.

De Birgitta Sveca. 1375.

SUPPLEMENTUM.

BIRGITTA SVECIÆ Principissa, Uxor Vulfonis Nericiæ Principis, quo mortuo transiit ex motu pietatis in Italiam & Palestinam visitatura Regiones à Christo Jesu Domino nostro & Apostolis sanctificatas. Instituit Ordinem Regularem, quem sancti Salvatoris appellavit, cujus alumnis *Regulam triginta & uno Capitibus* constantem composuit. *Octo etiam libros revelationum*, opus, quod quamvis pium, nullam tamen apud Graves viros, aut saltem modicam hucusque obtinuit fidem: licèt inde devoti magnam sumant Meditationum suarum materiam, devotionis alimoniam. *Hæ Revelationes & Regula* impressæ in folio Antuerpiæ anno 1611. Romæ anno 1628. in folio ex ms. Codice apud Ludovicum Grignanum, itemque in folio Coloniæ eodem anno 1628. & Monachii anno 1680. Obiit Birgitta Romæ anno 1373. die 23. Julii, quam Bonifacius Papa Nonus in Sanctarum album retulit an. 1391. Canonizatione confirmata anno 1415. à Concilio Constantiensi.

De Matthia de Cracovia. 1375.

SUPPLEMENTUM.

MATTHIAS DE CRACOVIA S. Theologiæ Doctor & familiaris S. Birgittæ, floruit per id tempus & scripsit opus inscriptum, *Conflictus rationis & conscientiæ de sumendo vel abstinendo à Corpore Christi*. Principium *multorum querela est*, &c. extat ms. in Anglia Cantabrigiæ in Bibliotheca & Archivis Collegii Caii, cod. 40. impressum Memmingæ an. 1494. in 4. est.

De Nicolao Oresmio. 1375.

SUPPLEMENTUM.

NICOLAUS ORESMIUS natione Gallus, Patria Normannus, Scriptorum Collegii Navarrici Parisiensis familiam ducit, qui primus illi intulit scientiarum penè omnium splendorem, quem ætate suppares Petrus Alliacus & Joannes Gersonus auxerunt, æternitatique consecrarunt. Virtus ac eruditio Oresmii parta, non modò in Navarrico Collegio, sed etiam in aliis Acadamiæ locis, fuerunt in causa, cur Joannes Galliæ Rex Magnanimus juxta ac litterarum amans, illum in præceptorem dederit filio suo, qui Caroli V. Sapientis nomen jure obtinuit. Adepta pridem Theologi Doctoris Laurea, regendum Navarræ Gymnasium anno 1356. suscepit 4. Nonas Octobres. Tunc partim ex Officio Theologiam docuit, partim ex Caroli jussu *Sacra Biblia* Gallicum in sermonem convertit, quæ passim in variis Galliæ Bibliothecis curiosè asservantur. Contra Gallicam hanc Oresmii versionem Bibliorum nullus insurrexisse legitur, unde factum ab omnibus silentium, & multiplex Gallicorum Bibliorum descriptio, aperta mihi videntur monumenta, quibus Oresmii versio comprobata est. Interea anno 1361. creatus Regiæ Palatii Capellæ Thesaurarius & Rothomagensis Decanus, Navarrico Magistratu abiit. Varia de Philosophicis, de Mathematicis & de Theologicis opuscula composuit; sed duo præ cæteris magnum illi nomen pepererunt. Unum est *De mutatione monetæ*, ubi succenset Regibus nummos ponderis nequaquam justi expendi jubentibus, quod difficillimis Franciæ temporibus factum conqueritur: impressum tom. 9. Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis secundæ Parisiensis anni 1589. Alterum *Oratio*, quam Avenione coram Urbano V. & Cardinalibus habuit anno 1363. ubi Theologus Aulicæ Assentationis expers, quæ sint clericorum vitia differit, & ab iis exterminanda, per Ecclesiam proponit. Hic *Sermo* coram Urbano V. & Cardinalibus habitus, ab Illyrico Centuriatore in Catalogum testium veritatis relatus est. Ad annum 1370. cùm esset Decanus Rothomagensis, præcepit ei Carolus V. ut libros plures in linguam Gallicam converteret. Huic obtemperans convertit imprimis *Ethica Aristotelis* cum Glossematibus Gallicè versa, impressa Parisiis in folio anno 1488. apud Antonium Verardum, cum pluribus libris Ciceronis & aliorum Auctorum Gallicè versis. Deinde anno 1377. vertit in eamdem linguam *Politicá ejusdem* cum Glossematibus, impressa ibidem anno 1486. apud eumdem. Vertit etiam Gallicè Francisci Petrarchæ *librum de Remediis utriusque fortunæ*, impressum Parisiis anno 1534. & *Tractatum de Sphæra* Gallicè versum quinquaginta capita continen-

tinentem, impressum Parisiis anno 1546. apud Simonem Lignanum. Præter ea quæ impressa sunt, extant multa manuscripta opera quæ multis enumerat Joannes Launojus Doctor Theologus in sua *Historia Regii Navarræ Gymnasii Parisiensis* part. 2. p. 455. ad 462. quæ impressa in 4. Parisiis anno 1677. apud Viduam Edmundi Martini via Jacobæa sub Sole Aureo. Sunt autem quæ recenset hic diligentissimus Scriptor, *Conciones in unum volumen redactæ*, numero centum & quindecim, mss. in Bibliotheca Magnorum Augustinianorum ad Pontem Novum.

Tractatus *De Communicatione Idiomatum*, ms. in Bibliotheca Vaticana, Navarrica, & alibi.

Tractatus *De dicto de omni in divinis*, ms. in Bibliotheca S. Victoris, de quibus duobus Tractatibus meminit Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, verbo *Nicolaus Oresmius* tom. 2. pag. 154.

Tractatus *contra Judiciarios Astronomos*, ms. ibidem, cujus meminit Thomas Lexoviensis & Joannes Picus Mirandulanus.

Tractatus *De positionibus Propositionum*, seu *de proportionibus Propositionum*, ms. ibidem, cujus meminit Joannes Picus Mirandulanus.

Tractatus *De latitudine formarum*, ms. ibidem, & in Bibliotheca Navarrica.

Tractatus *De Arte Prædicandi*, ms. in Bibliotheca sancti Victoris.

Tractatus *utrum res futuræ possint præsciri per Astrologiam*, ms. ibidem.

Sermo cujus Thema, *Juxta est salus*, &c. ms. ibidem, sed editus ab illyrico Centuriatore, ut jam notavi.

Tractatus *De Antichristo, ejus Ministris, adventu, signis propinquis & remotis, ex sacra Scriptura*, ms. ibidem.

Tractatus *De malis venturis super Ecclesiam*, ms. ibidem.

Rationes & causæ plurium mirabilium in natura, ms. ibidem.

Plura Quodlibeta & diversæ Quæstiones, mss. ibid.

Tractatus *De configuratione qualitatum*, ms. ibid.

Scriptum contra mendicationem, ms. ibid.

Tractatus *De uniformitate & difformitate intentionum*, ms. ibid.

Tractatus *De Divinationibus contra Judiciarios Astronomos, & Principes in talibus se occupantes*, ms. ibid.

Decisio Quæstionis, *utrum oporteat in omni casu judicem judicare secundùm allegata & probata*, ms. ibid.

Tractatus *De proportione velocitatum in motibus*, ms. in Bibliotheca Collegii Navarrici & Augustinianorum Parisiensium ad Pontem Novum.

Tractatus *De instantibus*, ms. ibid.

Factus autem anno 1377. Lexoviensis Episcopus, cùm annos septem commissam sibi Ecclesiam magna cum laude rexisset, humanis rebus eximitur an. 1384. sepultus in Ecclesia Cathedrali ante portam Chori sinistram. Hæc nos ex Joanne Launojo locis citatis, ubi longè plura leguntur. Parcè autem admodum loquuntur de Oresmio Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2. pag. 154. Fratres Sammarthani tom. 2. Galliæ Christianæ *in Episcopis Lexoviensibus*.

De Henrico Rebdorfiensi. 1375.

SUPPLEMENTUM.

HENRICUS Rebdorfiensis Monachus sæculo 14. clarus, scripsit *Annales continentes Historiam Imperatorum Adolfi, Alberti, Frederici III. Ludovici Bavari, & Caroli IV.* ab anno 1295. ad annum 1372. quos Marquardus Freherus edidit primus in

A Collectaneo Historicorum Germaniæ, tom. 1. edito Francofurti in folio anno 1600. & sequentibus, typis Vvechelianis.

De Hugolino Malabranca. 1370.

SUPPLEMENTUM.

HUGOLINUS MALABRANCA ex Urbe veteri, Ordinis Fratrum Eremitarum Divi Augustini, sanctæ Theologiæ Parisiensis Doctor, successit in regenda Cathedra Gregorio Ariminensi, fuitque ob intellectum nitidum & perspicuum ac subtile ingenium Parisiis in magno pretio habitus.
B Anno 1368. die 28. Maji Avenione eligitur totius Ordinis Augustinianorum Eremitarum Præpositus generalis, quem rexit ferè tribus annis. Factus anno 1370. ab Urbano V. Episcopus Ariminensis & Patriarcha Constantinopolitanus Titularis, reliquit varia ingenii sui monumenta: *nempe, Commentarios in 4. libros Sententiarum, Tractatum de Deo trino, & alium de Communicatione idiomatum in Christo*, quorum nihil quod sciam, impressum est. Sed extant mss. Cremonæ in Bibliotheca Fratrum Eremitarum Divi Augustini, Bononiæ & Parisiis, apud eosdem Fratres. Vivebat adhuc anno 1372. cujus corpus transvectum est apud Urbem veterem, & in Divi Augustini templo conditum. Agunt de illo Josephus Pam-
C philus *in Chronico Ordinis Eremitarum Augustinianorum*, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, Philippus Elssius *in Encomiastico suo Augustiniano*, & alii.

De Alberto Argentinensi. 1375.

SUPPLEMENTUM.

ALBERTUS ARGENTINENSIS perduxit *Chronicon ab anno 1270. usque ad mortem Caroli IV. Imperatoris & primordia Venceslai Ignavi ejus filii*, quæ spectant ad annum 1378. Hoc opus Christianus Urstitius inseruit tom. 2. pag. 74. Collectanei sui Histo-
D ricorum Germaniæ, impresso Francofurti in folio anno 1585. Item scripsit *Commentarium de rebus gestis Bertoldi Argentinensis Episcopi*, ibidem pag. 97. Eadem impressa Basileæ annis 1553. & 1566. cum notis ad finem operum.

De Henrico de Arena. 1375.

SUPPLEMENTUM.

HENRICUS DE ARENA Canonicus Cameracensis Ecclesiæ & Domini Papæ Clementis VII. Secretarius, anno 1379. scripsit *Epistolarium*
E seu *Formularium scribendarum Epistolarum*, quod ms. in Bibliotheca hujus Cameracensis Ecclesiæ pulpito 14. dextræ partis cod. 9. Successu temporum reversus in Angliam, unde oriundus erat, amplexus est Ordinem Fratrum Carmelitarum, de quo hæc Antonius Possevinus in Apparatu sacro pag. 722. *Henricus de Arena aliis Harena, Anglus, patria Nordvolcas, Carmelita, scripsit Ordinationes (ut vocant) Conventuum sive locorum sui Ordinis, Conciones aliquot, formulas scribendarum Epistolarum. Obiit Stanfordiæ anno 1399. ut extat in indice Jacobi de Plebe Pisani Ord. Servorum, & apud Petrum Lucium.*

De S. Catharina Senensi. 1375.

SUPPLEMENTUM.

SANCTA CATHARINA SENENSIS, Ordinis Divi Dominici, vita & miraculis clara extitit circa annum 1374. mortua anno 1380. die 29. Aprilis. Scripsit Latinè vel sub ejus nomine Raymundus de Vineis, Capuanus, Ordine Dominicanus, & ejus Confessarius, opus inscriptum: *Divina doctrina data per Personam æterni Patris intellectui loquentis, &c.* divisum in plures Tractatus cum Orationibus, impressum in folio Coloniæ anno 1553. apud Gasparum Gennep. *Cum Vita amplissima dictæ Catharinæ* quam conscripsit præfatus *Raymundus Capuanus* ejusdem Ordinis devotus Theologus, quam habent Bollandistæ ad diem 29. Aprilis, opus amplissimum pro subjecto. Extantque hæc opera mss. apud Patres Cœlestinos Parisienses. Scripsit eadem Catharina Italicè *Epistolas plures*, quas habes editas in folio Venetiis anno 1506. apud Aldum Manutium, & has numero 364. graves & plenas pietatis & doctrinæ, lingua vernacula *ad varios Summos Pontifices, Cardinales, Reges, Principes, & ad cujuscumque generis personas.* Item ex ms. Italico originali translatas in Gallicam linguam, J. Balesdens edidit Parisiis in 4. anno 1644. apud Sebastianum Hure via Jacobæa sub signo Cordis Boni. Impulit hæc Virgo Gregorium XI. Papam Litteris suis frequentibus ut Romam reverteretur, Sedem ibi fixurus Apostolicam. Ipsa in Schismate ferventibus studiis amplexata fuit partes Urbani sexti, ad eam usque intentionem quam non omnes probant. Ejus *Dialogi sex Tractatibus comprehensi*, impressi etiam Ingolstadii anno 1583. & Coloniæ 1601. Agunt de ea Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 466. pag. 268. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* pag. 343. & omnes Scriptores Ordinis Dominicanorum, cum Bollandistis ad diem 29. Aprilis. CATHARINA ETIAM DE BONONIA, scripsit librum *de sibi revelatis à Domino*, qui propria ejus manu scriptus extat apud Sanctimoniales Corporis Christi, quæ sunt in eadem urbe, ubi Abbatissa fuit. Prodiit verò in lucem ibidem an. 1511. apud Platonem Benedictum, deinde ab hæredibus Hieronymi Benedicti anno 1536. denique Venetiis multò post, hoc est, anno 1583. Hæc ex occasione Catharinæ Senensis, ut utramque simul Catharinam complecteremur, utriusque revelationes jungeremus: at hæc ultima obiit Bononiæ anno 1463. die 9. Martii, Soror Ordinis sanctæ Claræ. Hic unum observatione dignum censeo, quidquid scriptum reperitur à fœmineo sexu, illud omne appellari, *Divina revelatio* seu *divinitùs revelatum*, uti factum in evulgatis operibus sub nomine *harum duarum Catharinarum*, ac sub nominibus *Sanctarum Hildegardis, Elisabeth, Gertrudis, Mechtildis, Birgittæ, &c.* quasi verò sanctæ ejusmodi mulieres non incubuerint studiis divinarum Scripturarum, atque ex acquisitis per lectionem, scribere hæc humanitus tamquam doctæ non potuerint. Hæc absque præjudicio sanctitatis ipsarum dicta sint.

De Henrico de Hassia. 1380.

HENRICUS de Hassia Carthusianus scripsit: *In Magistrum sententiarum. In Genesim. In Exodum. In Proverbia Salomonis. In Apocalypsim S. Joannis. Dialogum inter Episcopum & presbyterum. Sermones varios. Regulas ad discernendum peccatum lethale à veniali.*

A De obitu ejus variant scriptores. Alii volunt obiisse anno 1317. alii 1397. alii 1428.

DISSERTATIO HISTORICA.

HENRICUS, natione Germanus, ex Hassia, S. Theologiæ Licentiatus, Ordinis Carthusiani, & Prior Domus Monachorum B. Mariæ in Geldria, propè Arenachum, sive Arnhemium, obiit Sigismundo Imperante an. 1428. De eo Trithemius, Petrus Sutor, Sixtus Senensis, Possevinus, Theodorus Petrejus, &c.

Regulæ ad discernendum mortale peccatum à veniali, excusæ fuerunt anno 1483. cum Sancti Antonini B Florentiæ Archiepiscopi Confessionali, sive, libro de eruditione Confessorum.

Liber de Contractibus & ordine censuum. In appendice ad opera Joannis Gersonis.

Secreta Secretorum, Daventriæ anno 1501. & alia fortè alibi.

De Joanne Rusbrochio. 1380.

JOANNES Rusbrochius, natione Belga, Prior Monasterii Vallis Viridis, vir divinæ contemplationi addictissimus, scripsit *lingua sua patria*, *varia opera*, quæ in Latinam linguam conversa edita sunt C Coloniæ anno Domini 1552. Et recusa non ita prid. per D. Quentelium.

Sunt autem hæc.

Summa totius vitæ spiritualis. Speculum salutis æternæ. Commentaria in tabernaculum Moysis. Tractatus de præcipuis virtutibus. Liber de fide, & Judicio. De quatuor tentationibus. De septem custodiis. De septem gradibus amoris. De nuptiis spiritualibus, lib. 3.

Vivebat hic auctor anno Domini 1390.

Hunc etiam Doctorem carpsit Jo: Gerson, & de- D fendit Dionysius Chartusianus. Id enim accidere solet iis, qui scribunt de mystica Theologia, ut eorum dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES Ruysbroek, à pago cognomine ad Senam fluvium inter Bruxellam & Hallas in Belgio, sic appellatus, ex Vicario & Presbytero Ecclesiæ S. Gudulæ in urbe Bruxellensi, primus Prior sub Francone Præposito Cœnobii Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in Viridi-valle sita in silva Sonia ad secundum ab eadem urbe lapidem, dictus Doctor Divinus, & excellentissimus Contem- E plator, obiit anno 1381. ætatis 88. die secunda Decembris. De eo Henricus à Pomerio, ejusdem instituti ac loci Religiosus, in vita, quæ Rusbrochii operibus præmitti solet, Dionysius Carthusianus lib. 2. de donis Spiritus Sancti art. 3. & lib. 3. de Contemplatione, cap. ult. & in Commentariis in Areopagitam, Jo: Trithemius in Catalogo, qui malè ait floruisse anno 1390. sub Bonifacio IX. & Wenceslao, unde in errorem plerique inducti, Marcus Mastellinus in Necrologio Viridis-vallis, Thomas à Jesu Carmelita Excalceatus, Valerius Andreas, Miræus, Suvertius, aliique Belgæ, ut omittam Simlerum, qui unum in tres videtur secuisse.

Ejus omnia opera sæpè edita sunt Coloniæ ex versione Latina Laurentii Surii Carthusiani. Editio-

nem anni 1609. in quarto, quæ mihi præ manibus modò est, repræsentabo Lectoribus.

Summa totius vitæ Spiritualis. Speculum salutis æternæ. Commentaria in Tabernaculum Mosis, & *ad id pertinentia*, ubi multa etiam Exodi, Levitici, ac Numerorum Mysteria explicantur. *Tractatus de præcipuis quibusdam virtutibus. De Fide & Judicio libellus. De quatuor Tentationibus. De septem custodiis scholæ spiritualis opusculum piissimum. De septem gradibus Amoris, sive scalis. De Nuptiis spiritualibus libri tres.* Joannes Gerson scripsit adversus librum de ornatu spiritualium Nuptiarum, cujus patrocinium suscipit Joannes de Schoonhovia, & post eum Dionysius Carthusianus, Surius, Possevinus, aliique.

De calculo, sive, perfectione filiorum Dei. Regnum amantium Deum. De vera contemplatione opus præclarum. Epistolæ septem utilissimæ, Cantiones duæ admodum spiritales.

Samuel, sive, *de alta contemplatione*, Apologia de unione dilecti cum dilecto, & quorumdam Sancti hujus viri dictorum sublimium.

Oratio brevis, cum eleganti paradigmate adscripto Nuptiis spiritualibus, in ms. Confluentino.

De Guillelmo Thorne. 1380.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS THORNE Monachus Cœnobii sancti Augustini Cantuariensis Benedictinus, laudatus ab Lelando ms. Baleo Centuria 6. Scriptore 63. Pitseo ætate 14. Script. 660. Vossio de Historicis Latinis lib. 2. capit. 61. & lib. 3. cap. 3. scripsit *Chronica de rebus gestis Abbatum sancti Augustini* Cantuariensis, edita Londini in folio anno 1652. cum decem Scriptoribus Anglicanis pagina 1757. cui adde *incerti Auctoris Evidentiam Ecclesiæ Christi Cantuariæ* pag. 2207. & Chronologiam S. Augustini Cantuariensis pag. 2229. claruit anno 1380.

De Philippo Riboto. 1380.

SUPPLEMENTUM.

PHILIPPUS RIBOTUS Ordinis Fratrum Carmelitarum, Provincialis in Catalaunia, clarus circa annum 1380. scripsit *Speculum Carmelitarum* 10. libris, ubi de origine & progressu sui Ordinis, impressum in fol. Venetiis an. 1507. cum Joannis Grossi Tolosani *Viridario lib. tribus*, & Tractatu ejusdem Joannis Grossi *De viris illustribus sui Ordinis*, ibidem impressis. Eadem utriusque auctoris opera, edita in folio Antuerpiæ an. 1680. *in Armamentario* seu *Speculo Carmelitarum*, apud Michaelem Cnobbarum. Obiit anno 1391. de quo Possevinus *in Apparatu Sacro* tomo 2. pag. 280. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 463. pagina 267. Petrus Lucius in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Carmelitarum.

De Petro Quesnel. 1380.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS QUESNEL Anglus, ex Ordine Fratrum Minorum, Conventus Norvicensis Alumnus, floruit circa annum 1388. & ultra. Jurisconsultus & Theologus insignis, erudite scripsit: *Directorium Juris in foro conscientiæ & judiciali*, quod opus in quatuor libros distinxit: scilicet,

De Summa Trinitate & Fide Catholica & de septem Sacramentis lib. 1.

A *De iisdem Sacramentis ministrandis & accipiendis liber* 1.

De criminibus quæ à Sacramentis impediunt, & *de pœnis iisdem injungendis lib.* 1.

De iis quæ ad jus & judicium spectant, *ordinatè dirigendis lib.* 1.

Quæ omnia olim asservata sunt mss. in Bibliotheca Franciscanorum Norvicensi. Extat adhuc opus istud ms. in Bibliotheca Vaticana, & in Minorum Toletana, litera X num. 81. cum hoc titulo: *Summa quæ vocatur directorium Juris in foro conscientiæ & judiciali, composita à Fratre Petro Quesnel de Ordine Fratrum Minorum, ex Juribus Doctorum, & Summis diversorum.* Volumen est ingens, & stylus præter Juristarum B consuetudinem elegans. Hæc Vvadingus in Bibliotheca Ordinis Minorum folio 288. ferè ad verbum, cui addo operis hujus elegantis extare duo mss. exemplaria codd. 328. & 2302. Bibliothecæ Parisiensis Colbertinæ, ut indicavit Stephanus Baluzius Bibliothecæ Præfectus, qui censet opus esse elegans atque optimum.

De Matthæo Ebroicensi. 1380.

SUPPLEMENTUM.

MATTHÆUS EBROICENSIS in Normannia, Gallus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, C charissimus ob eximiam religionem & eruditionem Carolo sexto Galliarum Regi, floruit anno 1380. & sequentibus. Hic igitur vitæ probitate, æqualique doctrina conspicuus, subtilis sanctorum Voluminum perscrutator, scripsit *Commentaria in Genesim*, *Exodum*, *Numeros*, *Leviticum & Deuteronomium*. Insuper *Postillam in Isaiam & super alios multos libros Sacrorum Bibliorum*, quæ mss. asservantur in Bibliotheca Dominicanorum Ebroicensium. De illo Sixtus Senensis *lib.* 4. *Bibliothecæ Sanctæ*, Antonius Senensis Lusitanus *in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum* pagina 172. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1298. pag. 75. & in appendice ad eumdem annum pagina 463. Miror, nec possum parcere Ambrosio Altamurano insignem quam hic admittit D hallucinationem, omnino indignam Bibliothecario scribente intra sæculum oculatissimum. Opinabar primùm illam esse erratum Typographiæ, sed re maturiùs expensa, Parachronismum auctoris certò esse cognovi. Vult igitur insignis Chronologus fuisse charissimum Matthæum Ebroicensem Carolo VI. Galliarum Regi, cujus temporibus floruit, & verè; quippe Regnum adeptus est anno 1380. & sequentibus ad 1422. Attamen in Bibliotheca non tantùm semel collocat hunc Matthæum Ebroicensem, ad annum 1298. annis ferè centum ante Regnum Caroli sexti, sed idem repetit ad eumdem Appendicis annum pag. 463. ut nullum dubium hujus supinitatis lectori re- E linqueret:

Pictoribus atque Poetis,
Cuncta licent.

De Guillelmo VVodfordo. 1380.

SUPPLEMENTUM.

GUILLELMUS VVODFORDUS aliis VVODEFORDENSIS, Anglus, Sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, vir pietate & doctrina celebris, Catholicæ unitatis amantissimus, Sectarum & hæresum hostis infensissimus, quem Thomas Valdensis in tom. 2. De Sacramentis cap. 50. suum vocat Magistrum, de quo prolixè Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 158. quem videas. Floruit autem

A autem anno 1380. & sequentibus, scribens multa ad Ecclesiæ defensionem contra Vvicleffum, ejusque Sectarios, pessimos hæreticos. Scripsit itaque *insigne opus contra 18. Articulos Joannis Vvicleffi*, dedicatum Thomæ Arundelio Cantuariensi Archiepiscopo, quod impressum est in fol. Coloniæ Agrippinæ anno 1535. pag. 94. & sequentibus operis inscripti: *Fasciculus Rerum expetendarum ac fugiendarum*, ubi varia ad Concilium Basileense spectantia habentur. Alia autem & plurima Guillelmi Vvodfordensis Ordinis Minorum, Opera mss. inveniuntur in Oxonii & Cantabrigiæ mss. Bibliothecis, quæ recensentur in Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi impressa in 4. Londini, quam sæpe allegavimus apud Joannem Norton anno 1600. Ibi in Syllabis Guillemus Vvodfor-
B dus, in indice Theologorum, cum designatione Bibliothecarum & numero codicum, in quibus opera ejus manuscripta inveniuntur. Ejus *Determinatio contra Hæreses Joannis Vvicleffi*, ms. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 87. Mertonensi cod. 222. & privatim in Bibliotheca Lumleii cod. 297. *Super causis condemnationis Articulorum Joannis Vvicleffi*, ms. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 210. Item *contra Articulos Vvicleffi condemnatos*, ms. privatim Cantabrigiæ in Bibliotheca Lumleii cod. 253. *Defensorium contra Armachanum in libello de paupertate Christi*, ms. Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi cod. 62. *Extractio Errorum Armachani*, ms. Oxonii in Collegio novo cod. 168. *De Sacramento Altaris*,
C ms. Oxonii in Collegio Exoniensi cod. 11. Nec omisit illa Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ord. Minorum* pag. 158. ubi agit cum laude ac prolixitate de Scriptis hujus Guillelmi, cujus pariter honorificam habet mentionem in suis *Annalibus Minorum* tomo 1. Annalium anno 1240. num. 25. & tom. 4. anno 1395. numer. 2. Mortuus est Guillelmus de Vvodefors Clocestriæ anno 1393. ibique in Conventu Minorum sepulturam accepit.

De Henrico de Balma. 1380.

Supplementum.

D HENRICUS DE BALMA quem DE PALMA alii appellant, fuit vir magnæ perfectionis & virtutis, atque Confessarius Sanctæ Coletæ Virginis Ordinis S. Francisci, teste Wadingo tom. 4. Annalium anno 1380. num. 25. Scripsit *librum Mysticæ Theologiæ*, qui incipit: *Viæ Syon lugent*, &c. attributum hucusque Sancto Bonaventuræ & cum ejus opusculis impressum. De illo Lucas Wadingus in Annalibus Minorum anno citato, & in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum, verbo *Joannes Genesius de Qualea* pag. 208. Joannes Bona S. R. E. Cardinalis in Auctoribus recensitis ante libros suos de Liturgia sacra. Sunt multi qui opinantur esse
E unum atque eumdem cum *Joanne de Parma*, quam aliter Joannem Genesium, vel Joannem de Qualea vel Parmensem appellant, Ordinis Minorum: qui scripsit *librum de civitate Christi* quem Hugo Rogerius Rhegii edidit anno 1501. & Romæ Jacobus Mazochius anno 1523. excudit. Hujus operis initium: *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*, &c. de quo Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbis, *Joannes Genesius* pag. 880. & *Joannes Parmensis* & *Joannes Paulinus* pag. 927.

De Bartholomæo Albicio. 1380.

Supplementum.

Bartholomæum Albicium Pisanum vide superius hoc sæculo, in Bartholomæo Pisano.

De Raymundo Jordani. 1380.

Supplementum.

RAYMUNDUS JORDANI, Ordinis Canonicorum Regularium D. Augustini, primùm Uticensis in Gallia Præpositus, deinde Abbas Cellensis in Episcopatu Bituricensi ejusdem Ordinis, floruit anno 1381. multaque scripsit opera quæ hucusque sub nomine Idiotæ evulgata sunt. Hæc autem omnia invictis argumentis Anonymo ablata, atque Auctori suo restituta edidit Theophylus Raynaudus Soc. Jesu Theologus, impressa Parisiis anno 1654. in 4. apud Jacobum Quesnel via Jacobæa sub signo Cocleæ & Columbarum.

De Petro de Natalibus. 1380.

Supplementum.

PETRUS DE NATALIBUS ex Pastore seu Plebano Sanctorum Apostolorum Diœcesis Castellanensis, factus Episcopus Equilinus in Gradensi Provincia, perduxit ad exitum Catalogum Sanctorum anno 1382. die 26. Maji, quem ut simplicem nimiùm multi contemnunt. Impressus est Argentorati anno 1502. & alibi, ut habet Auberti Miræi Auctarium *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 511. pagina 278.

De Petro de Herentals. 1380.

Supplementum.

PETRUS DE HERENTALS Brabantiæ oppido, unde ei nomen Herentalii adhæsit, Canonicus & Prior Abbatiæ Floreffiensis Ordin. Præmonstratensis in Comitatu Namurcensi, scripsit *Commentarium* prolixum in 4. Evangelia circa annum 1380. ms. duobus voluminibus in Bibliotheca Floreffiensi, ubi ea tenui ac volvi. Hujus prologus incipit: *Multifariè Sancti quatuor Evangelistæ quorum doctrina Evangelica*, &c. Commentarius autem incipit: *Summa bonitas bonum suum aliis communicare volens*, &c. Item Commentarium in Psalmos ms. in Bibliotheca Tongerloensi in Brabantia, & in Anglia Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 24. & Mertonensi cod. 131. cujus prologus incipit: *Patri Reverendo Dominoque meo charissimo Domino Joanni de Arkel dudum Trajectensi, nunc verò Leodiensi Episcopo, Frater Petrus Prior Ecclesiæ Floreffiensis indignus, Ordinis Præmonstratensis, interpretationem sui nominis cum Sanctis Patribus fœliciter obtinere*. Incipit Commentarius, *Beatus vir*, &c. *Psalterium est quasi magna Domus*, &c. Impressus autem est an. 1487. Coloniæ Agrippinæ apud Joannem Koelhoff in folio. Denique scripsit Chronicon quod porrigitur ad annum 1385. cujus prologus incipit: *Sapientis consilium docens in tempore otii scribere sapientiam*, &c. Chronicon autem, *Deus est substantia*, &c. Ms. in Bibliotheca Floreffiensi; & in Colbertina cod. 751. Porrò præter editionem Commentarii in *Psalmos* præfatam, est editus etiam Coloniæ anno 1554. Rutlingæ anno 1498.

atque Rothomagi anno 1504. in 4. de quo Joannes le Page *in sua Bibliotheca Præmonstratensi* Parisiis in folio edita.

De Augustino Asculano. 1380.

SUPPLEMENTUM.

AUGUSTINUS ASCULANUS, quem nominant DE ESCULO, Ordinis Fratrum Eremitarum Divi Augustini, claruit circa annum 1395. doctus ac nobilis Concionator, & scripsit *Sermones de Evangeliis Dominicalibus* ad Discipulos suos in Gymnasio Patavino degentes, qui manuscripti asservantur Bononiæ & Patavii in Bibliothecis hujus Ordinis, itemque Cremonæ apud eosdem Augustinianos Eremitas. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*; & Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano illius mentionem fecerunt.

De Philippo de Leidis. 1380.

SUPPLEMENTUM.

PHILIPPUS DE LEIDIS in Hollandia, unde oriundus erat, Doctor utriusque Juris apud Aureliam Galliæ urbem, & Parisiis Juris ejusdem Professor, Ultrajecti postea Canonicus & Vicarius, Episcopo suo charissimus fuit, & Summo Pontifici Gregorio XI. Scripsit *Tractatum de Reipublicæ cura & sorte principantis*: quem Joannes Severinus anno millesimo quingentesimo decimosexto edidit in folio Leydis. Obiit Trajecti anno millesimo trecentesimo octogesimo-sexto die octava Junii.

De Michaele Angriano. 1380.

SUPPLEMENTUM.

MICHAEL ANGRIANUS, seu *Aiguanus*, Ordinis Fratrum Carmelitarum, Conventus Bononiensis in Italia, claruit anno 1381. factus (ut volunt) Præpositus Generalis sui Ordinis, in Capitulo Veronam congregato. Scripsit nobilem *Commentarium in Psalmos*, sæpiùs impressum sub nomine *Incogniti in Psalmos*, nempe Compluti anno 1524. Lugduni an. 1588. & ibidem in fol. an. 1603. apud Petrum Landry: & nostris temporibus sub proprii nomine Auctoris impressum ibidem annis 1652. & 1673. opus nobile, doctum, ab omnibus laudatum quos viderim. Obiit Bononiæ anno 1396. Kalendis Decembribus in suo Conventu.

De Joanne Grosso. 1380.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES GROSSUS natione Gallus, patria Tolosanus, Generalis Præpositus Ordinis Fratrum Carmelitarum, floruit eodem tempore, scribens *Viridarium Ordinis Carmelitarum libris tribus*, & alterum librum *De Viris illustribus sui Ordinis*: quæ cum Speculo Philippi Riboti impressa sunt in fol. Venetiis anno 1507. procurante editionem Baptista Cataneo Veneto, ejusdem Ordinis Doctore Theologo. Præterea novissimis temporibus hæc Opera Joannis Grossi, immissa in Collectaneum Danielis à Virgine Maria Carmelitæ Calceati, inscriptum *Speculum Carmelitarum*, quod quatuor in folio tomis editum Antuerpiæ an. 1680. apud Michaelem Cnobbarum. Agunt de Joanne Grosso Petrus Lucius *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Carmelitarum*, Possevi-

A nus *in Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 486. pagina 273. Factus est Generalis Præpositus Carmelitarum Ultramontanorum circa annum 1389. atque in hac qualitate seu nomine, adfuit Concilio Pisano anno 1409. ejusque nomen in Catalogo Patrum qui huic interfuerunt Concilio.

De Joanne Bromiard. 1380.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES BROMIARD Ordinis Fratrum Prædicatorum, claruit anno 1390. Theologus & juris Doctor clarissimus. Scripsit *Summam Prædicatorum*, in qua ordine Alphabetico præcipuos Disciplinæ Ecclesiasticæ locos & sensus explicat. Hæc
B
msf. Oxonii in Anglia in Bibliotheca Collegii Orialensis cod. 33. & Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri codd. 247. & 260. impressa autem est Venetiis anno 1586. apud Dominicum Nicolinum. Addendi huic Operi impresso, *Tractatus Juris Civilis & Canonici ad moralem applicati, secundùm ordinem alphabeti Fratris Joannis de Broomyard de Ordine Fratrum Prædicatorum*, msf. Cantabrigiæ in Bibliotheca Aulæ Penbrochianæ cod. 122. & Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 140. Ejusdem *Dicta de Celebratione Missarum*, msf. Oxonii in Biblioth.
C Collegii Mertonensis cod. 210. *Exhortationes*, msf. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica cod. 208. Vitam produxit Joannes Broomyard usque ad annum 1419. ut censet Eisengrenius, de quo loquitur etiam Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, Ambrosius de Altamura qui *in Bibliotheca Dominicana* refert illum perperam ad annum millesimum ducentesimum nonagesimum, pag. 63. & *in Appendice* pag. 459.

De Jacobo Guisio. 1380.

SUPPLEMENTUM.

D JACOBUS GUISIUS Montensis Hanno, Ordinis Fratrum Minorum, Doctor Theologus, Mathematicus ac Philosophus, patriæ Antiquitatis Historiarumque studiosus, scripsit *Annales sive Chronica Comitatus Hannoniæ*, quæ tribus tomis manuscriptis extabant apud Minores Montium Hannoniæ, ex quibus Joannes Leslabeus Compendium hausit, & Lutetiæ evulgavit gallicè sub hoc titulo: *Extrait des Chroniques de Jacques de Guise*. Extractum istud latinè inscriptum, *Genealogia ex Chronicis Hainoniensibus recollectis per Magistrum Balduinum de Avennis*, habetur in Spicilegio Lucæ Dacherii tom. 7. pag. 584. & seqq. Decessit Valencenis anno 1398. apud suos sepultus ante Odeum, sub lapide marmoreo.
E Vide Aubertum Miræum in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 436. pag. 261. Lucam Vvadingum *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum*. Extat idem Chronicon msf. apud Patres Societatis Jesu Antuerpiæ, ut affirmant Bollandistæ variis locis.

De Simone de Cremona. 1380.

SUPPLEMENTUM.

SIMON DE CREMONA seu CREMONENSIS, Ordinis Eremitarum Divi Augustini, floruit anno circiter 1394. qui cùm diu Venetiis concionando cum magno fructu operam dedisset, reliquit posteris varia ingenii sui Opera, ac Scripta. Hæc sunt *Commentarii in quatuor libros Sententiarum*, *Tra-*

ctatus

ctatus de Indulgentia Assisii, *Sermones super Epistolas & Evangelia Dominicarum totius anni*, *triplex Quadragesimale Sermonum*, *& Sermones de Sanctis*. Hæc omnia asservantur manuscripta Romæ, Patavii & Cremonæ, in Bibliothecis Augustinianorum Eremitarum. Postilla autem Simonis Cremonensis *super Evangelia Dominicalia*, excusa in folio anno 1484. Reutlingæ. Obiit Patavii, ubi & sepultus est anno 1400. vel circiter, de quo agunt Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro* tom. 2. pag. 407. verbo *Simon Cremonensis*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 433. pag. 260. Philippus Elssius in Encomiastico suo Augustiniano, ubi plenè de Scriptoribus hujus Ordinis.

De Guidone Ebroicensi. 1380.

Supplementum.

Guido Ebroicensis in Normannia, Ordinis Fratrum Prædicatorum, vivebat sub Carolo VI. Francorum Rege, clarus ob doctrinam & Sermones circa annum 1390. de quo loquitur Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta lib. 4. Scripsit *Opus Sermonum de tempore & de Sanctis*, quod manuscriptum in variis locis, nempe Neapoli ac Rhegii in Bibliothecis Fratrum Prædicatorum, in Abbatia Bellævallis Ordinis Præmonstratensis in Episcopatu Rhemensi, in Anglia Oxonii in Bibliotheca Lincolniensi cod. 50. & Cantabrigiæ in Bibliotheca Aulæ Penbrochianæ cod. 182. Item in eadem Bibliotheca cod. 16. *Regula Mercatorum Auctore Fratre Guidone de Ordine Fratrum Prædicatorum*, ad eumdem pertinet, de quo loquitur Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro* tom. 1. pag. 695.

De Marsilio ab Ingen. 1390.

Marsilius ab Ingen obiit anno Domini 1396. Sepultus in templo Suburbano Sancti Petri Heidelbergæ. Scripsit autem *commentaria in quatuor libros sententiarum* non inutilia, & in Academia Heidelbergensi Doctor & Rector fuit an. 1387.

Dissertatio Historica.

Marsilius Ingenus seu Inghenius, natione Germanus, quem Canon & Thesaurarium Ecclesiæ S. Andreæ Colon. fuisse scribit Wimphelingius, & post eum Miræus, Heidelbergensis Gymnasii fundator, primus Doctor ac Rector, anno 1394. obiit 13. Kal. Septembris sub Wenceslao Imp. & Bonifacio Papa IX. Heidelbergæ sepultus in Ecclesia S. Petri. Trithemius de Gymnasio Parisiensi Hyldebergam fuisse evocatum docet pro Universitatis initio, quam Rupertus Dux Bavariæ & Comes Palatinus Rheni magnificè dotaverat, & Urbanus VI. Papa instar Parisiensis confirmarat, additque natione Anglicum fuisse, licet liberum concedat judicium iis, qui Germanum fuisse contendunt.

Commentaria in quatuor libros Magistri Sententiarum, vidimus Argentorati impressa anno 1501.

Ineptissimus ille Bellarmini Simius Joannes Gerhardus in Academia Jenensi Professor publicus & Matæologiæ Lutheranicæ Doctor, cujus extat opusculum postumum inscriptum Patrologia, Jenæ anno 1653. editum Marsilium hunc æqualem Gabrielis Biel asserit, & docuisse Heidelbergæ circa annum 1490. quæ sanè Trithemio qui anno 1494. in vicinia scribebat implacabiliter adversantur. Emendandus quoque Apparatus Possevini, (ex quo, non verò ex Bellarmino error in Bibliothecam Marianam Hippolyti Ma-

A raccii propagatus est) ubi vixisse dicitur anno 1494. tum cùm unius labii, hoc est, Catholica universa esset Germania, vel ipsis quoque fatentibus Heterodoxis. Maledictus ergo Lutherus errantium Dux ac novus Nembroth, qui confusione inducta eversaque Religione pristinam Filiorum Dei linguam pessumdedit, & linguas, quas ignorabant patres eorum, sectatoribus suis varias in sectas dissectis dissecandisque distribuit.

De Baldo. 1390.

Baldus Ubaldus, natione Italus patria Perusinus, celeberrimus Jureconsultus, ac Bartoli quondam auditor. B

Scripsit præter ea, quæ ad jus civile pertinent. *Commentaria in libros Decretalium*. Obiit anno Domini 1420.

Dissertatio Historica.

Baldus Ubaldus, J. C. celeberrimus, patria Perusinus, Bartoli à Saxoferrato discipulus, obiisse dicitur à quibusdam anno 1400. die 28. Aprilis, & Ticini sepultus. Extant varia ejus in utrumque Jus Canonicum & Civile commentaria, de quibus Joannes Fichardus, Guidus Pancirolus, Lucas Wadingus in Bibliotheca Ord. Minorum, & alii. Joan- C nes Trithemius mortuum esse tradit temporibus Sigismundi Imperatoris, anno Domini 1423. Indictione prima, & Papiæ in Conventu Fratrum Minorum Sancti Francisci, mense Julio cum honore sepultum. Addit idem Auctor obiisse eodem anno fratrem Baldi Angelum Perusinum, studiorum ejus comitem & socium, multisque scriptis de Jure libris nobilem.

De Joanne de Tambaco. 1390.

Supplementum.

Joannes de Tambaco in Alsatia, Diœcesis Argentinensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, D floruit anno circiter 1390. qui & primus Regens seu Lector Gymnasii Pragensis ejusdem Ordinis in provincia Bohemiæ, scripsit Opus mediocre quoad molem & stylo suo simplex, partitum in quindecim libros, quod inscriptum, *Consolatio Theologiæ*, ab aliis *Speculum Sapientiæ*, anno 1386. absolutum. Extat impressum Parisiis 1493. Coloniæ 1502. Norimbergæ 1509. Idem scripsit *Opus* inscriptum *De Culpa & Gratia*, cujus optimæ notæ codicem manuscriptum testatur habere apud se in Bibliotheca majoris Conventus Dominicanorum Parisiensium, Natalis Alexander ex eodem Ordine & Collegio seu Conventu. Atque id *in selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, sæculo 13. parte 2. articulo 8. pag. 819. ubi ex auctori- E tate Joannis de Tambaco, asserit Summam Sancto Thomæ hucusque communiter attributam, contra Joannem Launojum negantem. Licèt meo quidem judicio Alexander velit perperam floruisse Joannem Tambacensem anno 1320. quem omnes collocant ad annum 1390. vel 1400. unde Argumentum Natalis Alexandri non concludit quoad hoc punctum, in suscepto sibi negotio, contra Joannem Launojum. Agunt de illo Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 448. pag. 264.

De Henrico de Kington, 1390.

SUPPLEMENTUM.

HENRICUS DE KINGTON Canonicus Regularis Abbatiæ Leiceſtrenſis, claruiſſe dicitur ſub tempore Richardi II. Angliæ Regis, in cujus ferè exitum *Hiſtoriam ſuam* ab Willelmo primo incœptam, præmiſſo libri primi Compendio de rebus aliquot Saxonicis & Nortmannicis, deduxit uſque in annum 1395. cujus Hiſtoriæ Exemplaria duo manuſcripta habentur in Bibliotheca Cottoniana. At jam impreſſ. hæc *Chronica de Eventibus Angliæ* pag. 2311. Ejuſdem *Hiſtoria Depoſitionis Regis Richardi II.* pag. 2743. inter decem Hiſtoricos *de Rebus Anglicis*, quos evulgavit Londini in folio an. 1652. Joannes Seldenus, vir eruditiſſimus ac Litterarum fautor eximius.

De Gerardo de Zutphen, & Gerardo Magno. 1390.

SUPPLEMENTUM.

GERARDUS DE ZUTPHEN, unus è primis Clericis Regularibus ſeu Fratribus Vitæ Communis, cujus Vitam ac devotam converſationem deſcripſit Thomas à Kempis, reliquit Opera duo Aſcetica, valdè ſpiritualia ac religioſa, unum inſcriptum *De reformatione virium animæ*, aliud *De Spiritualibus Aſcenſionibus*, impreſſa Pariſiis & Coloniæ anno 1539. imò ſæpè cum Operibus Thomæ à Kempis, deinde immiſſa in magnam Sanctorum Patrum Bibliothecam. Obiit anno 1398. die 4. Decembris, ætatis anno 31. de quo Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro*, verbo *Gerardus Zutphanienſis* pag. 636. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 481. pag. 272.

Alius fuit GERARDUS cognomento MAGNUS, à quo hic primus diſtinguendus eſt, de quo Miræus *in Auctario da Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 444. pag. 263. his verbis: GERARDUS MAGNUS Daventriæ ad Iſalam fluvium in Germania noſtra inferiore natus, adoleſcens Lutetiæ in Sorbona ſacris Litteris ac pietate inſtructus, æqualibus vitæ & doctrinæ exemplum mirificum dedit. Ad ſuos reverſus, Ultrajectenſem & Aquiſgranenſem Canonicatus, ut vocant, obtinuit. His optimis Beneficiis Eccleſiaſticis demùm abdicatis, *Clericos*, ſeu *Fratres Vitæ Communis* Daventriæ in patria inſtituit, qui Scholas Latinas Juventuti aperirent, & non bonis tantùm Litteris, ſed & benè vivendi moribus Diſcipulos inſtituerent. Quod inſtitutum poſtea per Germaniam inferiorem latiſſimè propagatum fuit. Scripſit *Proteſtationem de Veridica prædicatione; concluſa & propoſita*; itemque *De Studio ſacrorum librorum*; quæ tria Opuſcula leguntur typis edita cum Operibus Thomæ à Kempis. Reliqua ejus Opera extant manuſcripta in Bibliothecis variorum apud Belgas Cœnobiorum, videlicet: *De Contractibus & Uſuris, de inſtitutione Novitiorum, de Locatione curæ Paſtoralis, de Incommoditatibus Matrimonii, de Focariis, contra Turrim Trajectenſem, de Paupertate, de quatuor generibus meditabilium, de vitio detractionis. Sermones de Nativitate Chriſti, de die Palmarum, & alii. Epiſtola de Schiſmate, & aliæ de diverſis: de Simonia, de Beneficiis curatis, de cohabitatione & exercitiis devotorum. Concordia Evangeliſtarum de Paſſione Domini, Commentarius in Lectiones Officii Eccleſiaſtici de Defunctis, de compunctione & eruditione Scholarium*, & alia. Ex his non pauca extant Lovanii ad Sanctum Martinum, & in Cœnobiis Rubeæ & Viridis-Vallis propè Bruxellam, Hui apud Crucigeros, Coloniæ & Lierdæ apud Carthuſianos, & alibi. Idem Gerardus *Joannis Rusbrochii Ornatum ſpiritualis deſponſationis, & librum de duodecim Virtutibus*, aliaque ejuſdem Scripta ex Teutonico in Latinum tranſtulit: quæ Verſiones in Viridi-Valle & Namurci apud Crucigeros manuſcriptæ leguntur. Ad meliorem vitam anno 1384. die vigeſima Auguſti, ætatis ſuæ 44. tranſiit, à Thoma Kempenſi, Joanne Buſchio, Jodoco Badio Aſcenſio, aliiſque eximiè laudatus. De illo Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro*, tom. 1. pag. 634.

De Henrico Boich. 1390.

SUPPLEMENTUM.

HENRICUS BOICH Juris utriuſque Doctor clariſſimus; floruit circa annum 1390. Brito genere, ex Diœceſi Leonenſi, ſcripſit *Commentarios doctiſſimos in libros quinque Decretalium, in Sextum, & in Clementinas*; qui mſſ. in Bibliotheca Cathedralis Eccleſiæ Cameracenſis, & impreſſi variis locis; ſed poſterior editio Commentariorum in quinque libros Decretalium, & emaculatior, quæ olim prodiit Venetiis an. 1576. Poſſevinus *in Apparatu ſacro* pag. 723.

De Nicolao Eymerico. 1390.

SUPPLEMENTUM.

NICOLAUS EYMERICUS Gerundæ natus, quæ Cataloniæ in Hiſpania Civitas eſt, Ordinem Fratrum Prædicatorum profeſſus, floruit ſub Urbano V. & Gregorio XI. Romanis Pontificibus, & Petro IV. Rege Aragoniæ. Is Theologus & ſacrarum Legum peritus, Generalis Inquiſitor creatus anno Domini 1358. poſtea Avenionem, ubi tum Apoſtolica Sedes erat, ad Summum Pontificem Gregorium XI. profectus; de ſummis rebus Judex & Capellanus (ut ipſemet loquitur) illius conſtituitur, ab eoque pro varietate negotiorum & cauſarum, multa ſæpè obtinuit ſanctæ Inquiſitionis Officio adminiſtrando neceſſaria. Scripſit *Volumen magnum Chriſtianæ Reipublicæ utile*, nempe *Directorium Inquiſitionum*, quo regulas tradidit quibus Inquiſitores ad pernoſcendas & evellendas Hæreſes, ſecluſa omni perſonarum acceptione, optimè inſtituuntur. Impreſſum primò Opus Barcinonæ anno 1503. cujus omnia exemplaria locis innumeris depravata ita erant, ut cùm ſub Gregorio XIII. Pontifice Maximo hic liber Romæ eſſet recudendus, Franciſcus Penna Theologus & utriuſque Juriſconſultus, ampliùs bis mille loca ſuæ reſtituit integritati, & Scholiis perdoctis ipſum librum illuſtravit. Habetur igitur iterùm expreſſus Romæ in fol. anno 1578. & ibidem anno 1587. ex officina Populi Romani. Scripſit etiam *Multitudinem magnam diverſorum Opuſculorum*, mſ. in duobus voluminibus Bibliothecæ Colbertinæ. Hujus igitur Bibliothecæ cod. 2846. habentur Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum.

Epiſtola *ad Cardinales adversùs electionem Urbani VI.*

Ejuſdem *Epiſtola ad Regem, ut videtur, Francorum pro Clemente VII.*

Ejuſdem *Metra ſuper Schiſmate.*

Ejuſdem *Tractatus an tres Perſonæ Trinitatis ſint in Sacramento Euchariſtiæ.*

Ejuſdem *Tractatus adversùs Opera Raymundi Lulli, Clementi VII. oblatus ab eodem Nicolao.*

Ejuſdem

A

Ejusdem *Dialogus contra Lullistas.*
Ejusdem *Tractatus intitulatus, Fascinatio Lullistarum.*
Ejusdem *Tractatus contra Dæmonum Invocatores.*
Sequenti verò cod. 2847. ejusdem *Tractatus contra calumniantes praeminentiam Christi & Virginis ejus Matris.*
Ejusdem *Confessio Fidei Christianæ.*
Ejusdem *Tractatus contra emissum in Conclavi per Papam & Cardinales, præmissorium Juramentum post mortem Clementis VII. Papæ, & contra Epistolam Parisiensium Magistrorum.*
Ejusdem *Tractatus contra Alchymistas.*
Ejusdem *Correctorium correptorii.*
Ejusdem *Tractatus contra præfigentes certum terminum fini mundi.*

B

Ejusdem *Tractatus contra Astrologos atque contra Nigromanticos, de occultis perperam judicantes.*
Ejusdem *Elucidarius Elucidarii.*
Ejusdem *Tractatus contra hæreticaliter asserentes Beatum Joannem Evangelistam fuisse Virginis Mariæ filium naturalem.*
Ejusdem *Tractatus de admiranda sanctificatione Dei & Hominis Genitricis.*
Ejusdem *Incantatio studii Ilerdensis, super viginti Articulis per quemdam Antonium Riera studentem Valentinum, ut defertur, ibi seminatis.*
Ejusdem *Tractatus super declaratione* XXII. *articulorum Magistri Sententiarum, in quibus à multis communiter non tenetur.*

Migravit ex hac vita, ut dicitur, anno 1393. de quo plura apud Antonium Possevinum *in Apparatu sacro*, verbo *Nicolaus Eymericus* tomo 2. pagina 149. ubi pluribus exponit quid contineat Opus illius inscriptum atque impressum sub nomine *Directorii Inquisitorum*. Qui plura voluerit, adeat *Bibliothecam Dominicanam* Ambrosii de Altamura ad annum 1392. pag. 142. & *Appendicem* pag. 492. Antonium Senensem Lusitanum *in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum*.

De Jacobo de Teramo. 1390.

SUPPLEMENTUM.

JACOBUS DE TERAMO, vel TARAMO, Canonicus Aprutinus in Italia, doctus Juris utriusque Interpres, Presbyter & Archidiaconus Aversanus, floruit circa annum 1390. ac scripsit Dialogum quem prænotavit *Consolatio peccatorum*, ms. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti codice 60. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 192. Balliolensi cod. 141. Ejusdem autem *Commentarius in Sententias M. Petri Lombardi* ms. Oxonii in Bibliotheca Sanctæ Trinitatis cod. 26. qui postea impressus est Augustæ Vindelicorum anno 1472. per Joannem Schusler. De illo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, tomo 1. pagina 793.

SÆCULUM XV.

Ab anno Dom. 1400. *ad* 1500.

C

De Radulfo de Rivo. 1400.

SUPPLEMENTUM.

HUNC *Radulfum vide sæculo decimo in Radulfo Flaviacensi.*

De Joanne Froissarto. 1400.

SUPPLEMENTUM.

D

JOANNES FROISSARTUS Hanno-Flander, Thesaurarius & Canonicus Chimacensis & Insulensis, scripsit libris quatuor *Chronicon* sive *Historiam* (ut inquit) *memorabilem continentem: bella inter Galliam & Angliam ab anno* 1324. *ad annum usque* 1400. quam excusam & correctam ad manuscriptos codices, & juxta Auctores Authenticos iterato edendam procuravit Dionysius Sauvage, Henrici secundi Galliarum Regis Historiographus, in folio Parisiis an. 1574. apud Michaelem Sonnium. Agunt de Joanne Froissardo Antonius Possevinus *in Apparatu Sacro* tom. 1. p. 878. Aubertus Miræus in suo Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 452. pag. 265. Andreas Duchesnius in Catalogo speciali Scriptorum *De rebus Gallicis*. Floruit anno 1400. & ultra.

De Henrico de Langestein. 1400.

SUPPLEMENTUM.

HENRICUS DE LANGESTEIN, dictus *de Hassia*, Germanus, Ordinis Eremitarum Divi Augustini: sed (ut ex ejus Epistola colligitur) anteà Canonicus Ecclesiæ Vormiacensis, claruit primùm in Academia Parisiensi, ubi Lauream Doctoratus promeruit: deinde ob decus novæ (ut vocant) Universitatis Viennensis in Austria, illuc se contulit, ubi docendo & scribendo celebris fuit, &c. Scripsit autem *Commentarium in libros quatuor Sententiarum*, qui asservatur Mediolani in Bibliotheca Augustinianorum Eremitarum Sancti Marci, ut tradit Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, tom. 1. pag. 730. Vivebat anno 1400. de quo mentionem faciunt Joannes Trithemius *De Viris illustribus Germaniæ*, Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano*.

De Francisco Ximenio. 1400.

SUPPLEMENTUM.

FRANCISCUS XIMENIUS ex Urbe Gerunda Catalanus, non Valentinus (ut aliqui autumant) Episcopus Elnensis, nunc Perpinianensis & Patriarcha Hierosolymitanus, scripsit *insignem librum de Vita Angelica* editum Compluti anno millesimo quingentesimo vigesimo septimo.
De Scala cœli, editum Barcinone anno 1501.
Pro Instructione Episcoporum & Superiorum scripsit librum

brum *Pastorale* nuncupatum, editum Barcinone in fol. anno 1495.

Dicitur scripsisse alia multa Opera lingua patria Lemosina, quæ reperiuntur in Bibliotheca Cœnobii sanctæ Mariæ de Jesu propè civitatem Barcinonensem, aliisque multis in locis Principatus Catalauniæ. Citatur ab Abulensi in Opusculo *contra Clericos concubinarios*, Opus ejus *De Vita Christiana*, quod quidem doctissimè scriptum, & in quatuor partes distinctum, prodiit Valentiæ anno 1484. & Granatæ anno 1496. Petrus Salazar in Chronicis Provinciæ Castellæ lib. 2. cap. 23. refert ultra librum *De Vita Angelica*, scripsisse de Vitis Sanctorum copiosè sub titulo, *Flos Sanctorum*. Multos & valde eruditos libros composuisse, ait Esculanus, & floruisse narrat circa annum 1400. sed in eo errat quòd *Patriarcham* appellat *Alexandrinum*. Hic Franciscus Ximenius cautè est distinguendus ab aliis duobus eorumdem nominum atque cognominum, quorum unus etiam Hispanus, Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus, Archicancellarius, Inquisitor, & Gubernator Hispaniarum, qui tanto sumptu, incredibilibusque sudoribus procuravit impressionem Bibliorum Complutensium sub Summo Pontifice Leone X. Alter seu tertius *Fr. Ximenius*, unus è duodecim Fratribus Franciscanis, qui primi Indis Evangelii lucem intulerunt, ex Provincia Sancti Gabrielis, Juris Pontificii studiosissimus, qui Episcopatum Tavasci Indorum à Carolo V. oblatum recusavit, ut sub simplici Minorum habitu viveret, multaque scripsit. Loquitur de his duobus ultimis Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 1. pag. 598. & 599. verbo *Franciscus Ximenius*: sed de omnibus, seu de his tribus doctè atque distinctim Lucas Vvadingus *in Scriptoribus Ordinis Minorum* paginis 139. 140. 141. à quo verbatim hæc accepimus, sicut ipse verbatim acceperat de aliis duobus Ximeniis, ab Antonio Possevino.

De Joanne de Hisdinio. 1400.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES DE HISDINIO in Artesia, ex Ordine Fratrum Hospitalium sancti Joannis Hierosolymitani, quem nonnulli in suis Catalogis scribentes, ajunt scripsisse tantùm *in Epistolas Divi Pauli*, ac Librum *De Annuntiatione Domini*: non cohærent cum Sixto Senensi, qui diligentior indagator in Bibliotheca sancta, sic de eo scriptum reliquit: „*Joannes de Hisdinio Ordinis Fratrum Hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, Theologus non ignobilis, de Scripturis sanctis benè meritus, & in Academia Parisiensi publicus Lector, elaboravit scholastica phrasi in Job librum unum*, cujus initium est: *Usque in tempus sustinebit*. *Item in Marcum librum unum*, cujus initium est: *Similis factus est leoni*. *In omnes Epistolas sancti Pauli ad Philippum Rothomagensem Archiepiscopum lib.* 14. Vixit anno 1390. Scripsit autem primò *Opus Sermonum de tempore & de Sanctis*, quod obtulit clarissimo Philippo de Alensonio Archiepiscopo Rothomagensi & S. R. E. Cardinali, & Episcopo Ostiensi, qui obiit anno 1397. die 15. Augusti. Impressum, opinor, Opus istud ab Antiquo, sed vidi manuscriptum in Bibliotheca Fusniacensi Cisterciensis Ordinis in Episcopatu Laudunensi, his incipiens verbis: *Reverendissimo & illustrissimo in Christo Patri ac D. Domino Philippo ab Alensonio divina patientia Rothomagensi Archiepiscopo dignissimo, Frater Joannes de Hisdinio, sanctæ Domus Hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani Ordinem professus, vester humilis Capellanus & devotus Orator, vitam ducere fœlicem, &c.* Ejusdem *Commentarius in Evangelium Marci & in Epistolam ad Titum*, ms. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 173. *Commentarius in Epistolas 14. sancti Pauli, & Apostilla in Apocalypsim* Fratris Joannis de Hisdinio Ordinis Hierosolymitani, ms. in Bibliotheca Regis Catholici Hispaniarum. Claruit Joannes de Hisdinio ab anno 1390. ad 1400. & ultra, de quo Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta, & Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*.

De Thoma Anglico. 1400.

SUPPLEMENTUM.

Thomam Anglicum vide sæculo decimotertio in Divo Thoma Aquinate.

De Joanne Rocheford. 1400.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES ROCHEFORD Anglus nobilis, quos antiquæ Cartæ Milites vocant, floruit anno 1400. vel circiter, ac scripsit Opus intitulatum, *Flores Historiarum* ad sua usque tempora, quod extat ms. Oxonii in Collegio omnium Animarum codice 4. sub titulo, *Flores Historiarum cum Tabula facta per Joannem Rocheford Militem*. Hoc ex Ecloga mss. Oxonio-Cantabrigiensi Thomæ James edita in 4. Londini an. 1620. apud Joannem Norton.

De Nicolao de Biart. 1400.

SUPPLEMENTUM.

NICOLAUS DE BIART, floruit anno circiter 1400. de quo sic Antonius Possevinus in Apparatu sacro tom. 2. pag. 145. *Nicolaus de Briarto Ordinis Prædicatorum, fertur scripsisse Sermones utiles, Distinctiones morales, Summam de Abstinentia. Antonius Senensis ex pluribus Monasteriis Ordinis, sed tacet quoto vixerit anno*. Ita Possevinus. Hujus autem *Distinctiones Byardi cum Tabula, Tractatus perutilis Concionatoribus*, habentur mss. Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 239. Mertonensi cod. 134. & 195. Magdalenensi cod. 149. Cantabrigiæ in Biblioth. Pembrochiana cod. 105. Porrò quem Possevinus facit ex Ord. Prædicatorum, ibidem eodem folio aliquanto antè facit ex Ord. FF. Minorum, immemor sui in hoc casu atque in multis aliis. Sic enim scribit, *Nicolaus è Biarto, Ordinis Minorum scripsit Distinctiones in quatuor libros*: certum enim est quòd de Scriptore eodem loquatur. Idem quoque est cum *Nicolao de Broido qui scripsit Distinctiones in quatuor libros Sententiarum*, teste Vvadingo *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pagina 263. Hoc annotasse non infructuosum, ut pateat quàm frequens sit apud Nomenclatores Scriptorum, in suis Apparatibus & Bibliothecis, ex uno duos aut tres facere Auctores, ut fecit citatus Possevinus, qui etiam pagina præcedenti 144. sui Apparatus, *tertiò* scripsit: *Nicolaus Bayard Anglus scripsit librum Distinctionum Theologicarum, Sermones de tempore & de Sanctis, Placita Theologica. Vixisse fertur anno* 1410. Dicitur autem in manuscriptis codicibus aliquando *Nicolaus Byart*, aliquando *Bayart*.

De Joanne de Ligniano. 1400.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES DE LIGNIANO Jurisconsultus Mediolanensis, scripsit *librum super Clementinas*: sub cujus nomine citantur etiam super secundo Decretalium.

tiuni: Ejusdem *De Amicitia*, *de Bello & Duello*, *de Pluralitate Beneficiorum*, *de Censura Ecclesiastica*, *de Horis Canonicis*, *de Interdicto Ecclesiastico*, *de Repressaliis*, *de Secreto*, *de Permutatione*. Itemque *Lectura in primum*, *secundum*, *& tertium Decretalium*. Extant autem plerique horum Tractatuum, intra compilationem Tractatuum Juris: Venetiis anno 1584. editam in fol. variis tomis, tomo 4. fol. 335. tomo 12. fol. 227. & 281. tom. 14. fol. 307. tom. 15. part. 1. fol. 558. & parte 2. fol. 281. Floruit anno 1400. de quo loquitur Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, unde ista accepimus.

De Thoma Abbate Vercellensi. 1400.

SUPPLEMENTUM.

THOMAS, Abbas sancti Andreæ Vercellensis floruit circa annum 1400. scribens breves & planos *Commentarios in Opera Divi Dionysii Areopagitæ de cœlesti & ecclesiastica Hierarchia*, *de Mystica Theologia*, *de divinis Nominibus*, qui mss. extant in variis Bibliothecis Anglicis, Oxonii in Bibliotheca Mertonensi cod. 193. Balliolensi codice 20. Collegii Corporis Christi cod. 42. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti cod. 40. Item *Commentarium super Cantica Canticorum hyerarchicè exponens hæc Cantica*, ms. in dicto codice 40. Collegii S. Benedicti. Sanè verò fuit Abbas Vercellensis, ac sine controversia Thomas appellatus, Ordinis Divi Benedicti. Sic enim habet Vercellis ad sancti Andreæ, cujus Cœnobii fuit Abbas, antiquum Epitaphium, ejus tumulo & Imagini affixum, cujus Imago præfert D. Benedicti Cucullam: ejus autem *Commentarius in libros Divi Dionysii* juxta Possevinum in Apparatu sacro, verbo *Joannes alter Scotus* tom. 1. pag. 939. fuit impressus Coloniæ anno 1526. cum Dionysii Carthusiani Operibus (forsitan cum ejusdem Commentariis in libros ejusdem Dionysii Areopagitæ.)

De Hermanno de Lerbeck. 1400.

SUPPLEMENTUM.

HERMANNUS DE LERBECK, ex Ord. FF. Prædicatorum, apud Mindenses in Conventu S. Pauli, circa annum 1400. clarus, scripsit *Chronicon Comitum Schavvemburgensium*, ab Adolfo I. sive ab anno 1030. ad annum usque 1404. Illud primùm Notis illustratum, evulgavit Henricus Meibomius Francofurti anno millesimo sexcentesimo vigesimo, apud Rulandios in quarto.

De Petro Ancharano. 1410.

PETRUS de Ancharano Bononiensis Baldi auditor floruit anno 1410. Scripsit *in libros Decretales*, & *in Clementinas*, & *Concilia*.

DISSERTATIO HISTORICA.

PETRUS de Ancharano, Patria Bononiensis, professione J. C. Baldi Perusini auditor, anno 1410. floruisse dicitur à Bellarmino ejusque exscriptoribus Miræo & Patrologo, post Trithemium, qui compatrem fuisse Francisci de Zabarellis asserit, & licèt uxoris vinculo fuerit colligatus, ac re familiari occupatus, semper tamen in litterarum studio versantem multa in utroque Jure opuscula edidisse, quibus nomen suum cum gloria transmisit ad posteros. Mortuus est Bononiæ & in S. Dominici templo sepultus cum epitaphio, in quo Juris Canonici speculum, & Civilis anchora dicitur. Videndi Forsterus, Fichardus, similesque.

Commentaria in Decretales & Clementinas, Lugduni 1533. in folio, & Bononiæ, &c.

Consilia varia, Venetiis 1568. 1589. & 1599. & ni fallor etiam aliis in Urbibus.

Bellarm de Script. Eccles. Tom. VII.

De Antonio de Butrio. 1410.

ANTONIUS de Butrio Bononiensis, æqualis Petro de Ancharano. Scripsit *in Decretales*, & *Clementinas*, & *Repertorium Juris Canonici*.

DISSERTATIO HISTORICA.

ANTONIUS Butrius, patria Bononiensis J. C. vivebat anno 1408. inquit Josias Simlerus, quem vide præter Joannem Trithemium, qui claruisse asserit anno 1417. temporibus Concilii Constantiensis, & Sigismundi Imperatoris, eumque non minùs honesta conversatione, quàm doctrina venerabilem fuisse narrat, (a) Præter

Repertorium Juris Canonici ac Civilis, edita sunt & alia ejus opera, nominatim Consilia, &

Commentaria in Decretales & Clementinas.

(a) Forsterus & ex eo Fichardus ajunt eum obiisse anno 1408. Bononiæ Nonis Octobris, sepultumque ibidem in Ecclesia S. Michaelis in Nemore seu Monte in Monachorum claustro. Discipulos habuisse dicitur Joannem de Imola, & Geminianum.

De Joanne Capreolo. 1410.

JOANNES Capreolus, Tolosanus Ordinis Prædicatorum, S. Thomæ doctrinæ defensor egregius. Scripsit *Commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum*, in quibus S. Thomæ doctrinam ex ipso Sancto Thoma explicat, & objectiones eorum, qui illam oppugnarunt optimè dissolvit. Vivebat anno Domini 1410.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES Capreoli, ex oppido Ratinensi diœcesis Tolosanæ, Ord. Præd. doctrinæ D. Thomæ propugnator acerrimus, à Trithemio vixisse dicitur anno 1415. ab Antonio Senensi 1424. à Bellarmino 1410.

Commentaria in quatuor libros Magistri Sententiarum, Venetiis, & alibi edita, in quibus S. Thomam defendit adversus Jo: Scotum, Petrum Aureolum, Nominales, aliosque ejus impugnatores.

De sancto Vincentio. 1410.

SANCTUS VINCENTIUS Ferrerius Valentinus Ordinis Prædicatorum, vir Apostolicus, obiit anno Domini 1418. prædicavit multis in locis verbum Dei cum summa utilitate populorum, Deo cooperante, & sermones ejus confirmante sequentibus signis. Extant sub ejus nomine tres tomi utilissimarum concionum: quæ etsi fortè ab ejus discipulis scriptæ sint: tamen doctrinam ejus continent.

Scripsit ipse *tractatum de vita spirituali*, brevem sed plenum optima institutione. Scripsit etiam *epistolas varias*.

In Catalogum Sanctorum relatus est à Callisto tertio summo Pontifice.

Dissertatio Historica.

SANCTUS VINCENTIUS Ferrerius, ſive Ferrarius, natione Hiſpanus, patria Valentinus, Ordinis Prædicatorum, Apoſtolica Sanctitate, atque doctrina, miraculiſque innumeris clariſſimus, ac veluti alter Paulus ad Judæos Mauroſque ad Chriſti fidem convertendos & Chriſtianos omnium ordinum ad meliorem frugem revocandos à Deo Opt. Max. miſſus interfuit Concilio Conſtantienſi anno 1418. & anni ſequentis die 5. Aprilis in Veneteníe Urbe apud Armoricos Britones obiit annos natus 70. Bellarminus, Poſſevinus, ac plures alii poſt Antonium Senenſem mortem ejus minus rectè aſſignant anno 1418. cùm non ſoleant ipſi Gallicanam veterem ſupputationem ſequi, quæ à Paſchate dumtaxat annum inchoabat, ſed Romanam, hoc tempore etiam Gallis omnibus communem, quæ à Kalendis Januariis annum exorditur. Sixtus quoque Senenſis peccavit lib. 4. Bibl. Sanctæ cùm mortem ejus ſanctiſſimam anno Domini 1420. adſignat. In numerum Sanctorum à Calliſto III. Papa adſcriptus eſt anno 1455. Indictione tertia. De eo S. Antoninus, Joannes Trithemius, Petrus Rauſanus, Franciſcus de Caſtillo, Bzovius, Spondanus, cæteriſque omiſſis, Vincentius Juſtinianus Antiſtius qui opera ejus collegit, ſcholiiſque explicata edidit Valentiæ apud Petrum Patricium anno 1591. ex qua multa deſcripſere Poſſevinus ac recentiores alii, hoc ordine.

Tractatus de Vita ſpirituali, ſive, *de interiori homine*, ſæpius una editus cum Meditationibus SS. Auguſtini & Bernardi, & cum ſpeculo Religioſorum Humberti ejuſdem Ordinis Prædicatorum Generalis, & alibi.

Tractatus conſolatorius in fidei mutationibus. Epiſtola ad Benedictum XIII. Papam ſive Antipapam, cujus meminit Sanctus Antoninus. *Epiſtola ad Joannem de Podio nucis Ord. Præd. Generalem. Fragmentum epiſtolæ ad Bonifacium Chartuſianorum Generalem. Fragmentum epiſtolæ ad Joannem Gerſonem. Epiſtolæ duæ ad Infantem Martinum Petri quarti Aragonum Regis filium, tunc Ducem Segobricenſem poſtea Regem*, ex Lemovicenſi idiomate quod à tempore Jacobi primi Regis in regno Valentino erat in uſu in Latinam linguam converſæ. *Epiſtolæ ad Ferdinandum primum Aragoniæ Regem olim Caſtillæ infantem.*

Addit idem Antiſtius B. Vincentium pollicitum quidem fuiſſe Infanti Martino ſe conciones ſuas in unum corpus redactas ipſi cum Epiſtola dedicatoria conſecraturum: verùm neſcire ſe an id poſtea præſtare quiverit. *Conciones* enim *de Tempore & Sanctis* quæ tribus voluminibus comprehenſæ circumferuntur ſæpiùs Lugd. Antuerpiæ, ac Ven. excuſæ ſub ejus nomine, doctrinam quidem illius continent, ab ejus diſcipulis curſim exceptæ videntur, unde & in eis ipſemet interdum citatur. Nec omittenda ejuſdem Antiſtii clauſula, qua Lectorem obſecrat, ne contemptibili ſermone offenſus perſuaſibilia humanæ ſapientiæ verba à Pauli diſcipulo flagitet; ſed ſi Divino cupiat amore caleſcere, aut potius uri, ſpiritum & virtutem perpendat, atque in iis meditandis diligenter incumbat.

Liber de Fine mundi, Neapoli in 4. impreſſus: in quo teſte Antonio Senenſi continentur, 1. de caſu ſeu ruina vitæ ſpiritualis, 2. de ruina Eccleſiaſticæ dignitatis, 3. de ruina fidei Catholicæ, cum prædictione multarum calamitatum, 4. de duplici Antichriſti adventu, ſcilicet puro & mixto. Eo reſpicere videtur Joannes Jacobus Friſius Tigurinus in additamentis ad Bibliothecæ Geſneri Simlerianam Epitomen: Vincentii Ordinis Prædicatorum res terribiles

A Prophetiæ Danielis Prophetæ, nempe de defectione vitæ ſpiritualis; de diminutione Eccleſiaſticæ dignitatis, de interitu Catholicæ fidei: de adventu Antichriſti; deque fine Mundi. Germanicè in 4. anno 1582. ſed locum impreſſionis non deſignavit, neque interpretem. Quod verò præmittitur, *Compilationem de interiori homine*, impreſſam Magdeburgi an. 1493. id intelligendum arbitror de libello ſeu Tractatu *de Vita ſpirituali*. Expectandum tamen moneo eorum qui αὐτόπται fuerunt judicium, iis enim ut in cæteris conjecturas omnes meas ſubjiciam libens.

De Franciſco Zabarella. 1410.

B FRANCISCUS Zabarella, patria Patavinus Archiepiſcopus Florentiæ, & Cardinalis creatus à Joanne XXIII. Papa. Obiit anno 1417.

Scripſit *in Decretales*, & *in Clementinas*. Scripſit etiam *Concilia*, & *repetitiones varias*. Necnon *de horis Canonicis*.

Sed occaſione longiſſimi ſchiſmatis, ſcripſit etiam librum de ſchiſmate, in quo ſunt aliqua corrigenda: quare in Indice librorum prohibitorum liber ejus de ſchiſmate cum præfationibus, Argentinæ impreſſus ab hæreticis, prohibitus eſt, donec corrigatur.

Dissertatio Historica.

C PATRIA Patavinus, Jo. de Lignano, Baldi ac Saliceti auditor, ex Archiepiſcopo Florentino S.R.E. Cardinalis à Joanne XXIII. Papa creatus, obiit Conſtantiæ tempore Concilii, anno Chriſti 1417. ætatis 78. funebri oratione à Poggio Florentino laudatus, Patavii verò in Cathedrali Eccleſia cum Epitaphio ſepultus eſt. De eo Sanctus Antoninus, Spondanus, Scardeonius, Portenarius, quique de Cardinalibus hac ætate ſcripſere. Corrigendus Simlerus, qui claruiſſe anno 1418. ſcripſit poſt Trithemium, cùm certum ſit præcedenti anno ex hac vita migraſſe. Corrigendus quoque Forſterus, qui in patria obiiſſe aſſerit. *De Comm. in Decretales & Clementinas, Tractatu de Horis Canonicis & Re-*

D *petitionibus variis*, alii plura (*a*).

(*a*) In Sandovalliano indice Expurgatorio prohibetur Tractatus *de ſchiſmate*, atque ejuſdem libri Præfationes Argentinæ impreſſæ. Item XV. Conſilia Hieronymi Schurpſt Auctoris damnati, quæ apponuntur ad finem Conciliorum ejuſdem Franciſci Zabarellæ, donec prodeat emendatio. In Romano quoque anni 1564. inter Certorum Authorum libros prohibitos occurrit pag. 39. Franciſci Zabarellæ liber de ſchiſmate atque ejuſdem libri præfationes Argentinæ impreſſæ, quamdiu non prodierit expurgatus.

E

De Petro ab Alliaco. 1410.

PETRUS ab Alliaco Archiepiſcopus Cameracenſis & Cardinalis, creatus à Joanne XXIII. anno 1411. Obiit ſub Martino V. anno 1426.

Scripſit *in quatuor libros Sententiarum*. Item *de laude Scripturæ*, & *Eccleſiæ ſtabilitate*. *Quæſtiones in Exameron. Paraphraſim in Pſalmos. Meditationes in Pſalmum 30. & 41. In principium Evangelii ſecundùm Marcum. In Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam. In Cantica B. Mariæ, & Zachariæ, & Simeonis. Speculum conſiderationis. Compendium contemplationis. De ſpirituali ſcala. De Sacramentis. De legibus, & ſectis. De electione ſummi Pontificis. De exercitio ſpirituali. De Concilio Generali. De duodecim honoribus ſancti Joſeph. Sermones, & epiſtolas. De concordia Theologiæ, cum Aſtrologia & hiſtoria. De anima, & accidentibus ejus.*

Quæ-

Quæstiones in sphæram Jo: de Sacrobosco. *Tractatum in libros Meteororum*.

Scripsit quoque *vitam sancti Petri Cælestini*, breviter, & piè, & renunciationem Pontificatus ab ipso factam laudat, & defendit contra detractores. Neque verum est, quod aliqui dicunt, hanc vitam non esse scriptam à Petro de Alliaco Archiepiscopo, & Cardinali, sed à quodam alio Petro de Alliaco Gymnasii Navarrici Archididascalo. Hoc, inquam, non esse verum, perspicuè constat ex præfatione ad ipsam vitam, ubi se auctor Episcopum nominat. Unum est, in quo reprehenditur hic auctor, quòd videlicet sensisse videatur, Christi Nativitatem prænosci potuisse ex genethliacis observationibus, atque ad hoc adduxerit apparitionem stellæ, quæ apparuit Magis, de qua re vide Sixtum Senensem lib. 5. Bibliothecæ sanctæ, annotatione 15. & 81. & lib. 6. annot. 10.

Dissertatio Historica.

Petrus de Alliaco, Compendii ad Isaram ex tenuissimæ fortunæ parentibus ortus, Doctor Collegii Navarrici in studio Parisiensi, ejusque Archididascalus (sunt qui Academiæ Parisiensis Cancellarium, S. Capellæ in eadem urbe Thesaurarium & Magnum Franciæ Eleemosynarium præterea vocitent) Joannis Gersonis præceptor, Cameracensem anno 1398. post Vellavensem, sive Aniciensem adeptus Episcopatum, anno 1411. die 6. Junii creatus est S.R.E. Cardinalis titulo S. Chrisogoni à Joanne Papa XXIII. tum deinde obiit vel in Germania anno 1416. vel ut alii plures scribunt, anno 1425. Avenione die 8. Augusti, tum Legatus Apostolicus per Galliam, dictus Aquila Galliæ, & aberrantium à veritate malleus indefessus; relatumque est corpus ejus Cameracum, & in Ecclesia Cathedrali sepultum cum Epitaphio. Bibliothecam suam Collegio Navarrico legasse dicitur. De eo Froissartes, Juvenalis de Ursinis, Monstreletus, Trithemius, Spondanus, Sixtus Senensis, Possevinus, Vossius, Valerius Andreas, Frizonius, Auberius, Nomenclator, aliique, qui de Cardinalibus scripsere. Multa opera scripsit, ex quibus supersunt typis impressa quæ sequuntur, nemo enim hactenus unum in corpus redegit, & cum iis quæ in Bibliothecarum forulis cum tineis certant, publici juris fecit.

1. *Commentarii super libros* 4. *Sententiarum una cum laudibus Theologiæ & Quæstionibus de potestate Ecclesiæ*, anno 1500. in 4. & Parte 1. operum Gersonis Tractatus ejusdem Petri occurrit *de Ecclesiæ & Cardinalium auctoritate*. Extat quoque *Responsio contra Fr. Matthæi conclusiones pro secta Flagellantium*.

2. *Libellus de emendatione Ecclesiæ*, Coloniæ in folio editus cum Concilio Basileensi.

3. *Meditationes in septem Psalmos Pœnitentiales*, quæ tribuuntur à quibusdam Joanni Gersoni, inter Orthodoxographa pag. 1330.

4. *Vita S. Petri de Morono Romani Pontificis, dicti Cælestini V.* apud Surium die 19. Maji, & seorsim Parisiis an. 1539. apud Franciscum Stephanum: nec falsi sunt, qui dixerunt cum Possevino (qui tamen unum in duos divisit) scriptam eam fuisse à Petro de Alliaco Gymnasii Navarrici Archididascalo, qui postea creatus Episcopus Cameracensis potuit hæc præmittere: Præsumo scribere Petrus de Petro, Episcopus de Episcopo, &c. Nec in eo fuerat Bellarmino & Vossio (qui eum κατὰ πρόληψιν utique non tolerandam in accurato scriptore appellavit Archiepiscopum, quod & in aliis quoque sed minùs accuratis jampridem observavimus) ullatenus laborandum. Major autem mihi suboritur difficultas, qui fieri possit, ut idem fuerit Regis Francorum Caroli V. Cælestinorum Parisiensium Fundatoris, qui obiit anno 1380. Confessarius.

5. *Sermones varii*, Argentorati 1490.

6. Varii Tractatus simul excusi in folio non expressis loco, tempore, & Typographi nomine. 1. *De imagine Mundi*. 2. *Epilogus Mappæ-Mundi*. 3. *De legibus & sectis*. 4. *De Correctione Kalendarii*. 5. *De vero Cyclo Lunari*. 6. 7. *Cosmographiæ Tractatus duo*. 8. *Vigintiloquium de concordantia Astronomicæ veritatis cum Theologia*. 9. *De Concordia Astronomicæ veritatis & narrationis Historicæ*. 10. *Tractatus Elucidarius Astronomicæ concordiæ cum Theologia & cum Historica narratione*. 11. *Apologetica defensio Astronomicæ veritatis*. 12. *Apologetica defensio secunda*. 13. *Tractatus de concordia discordantium Astronomorum*.

8. Theologicos aliquot Tractatus edidit an. 1634. Leander à Sancto Martino Duaci, Theologiæ Doctor & Hebraicæ linguæ Professor, hoc ordine. 1. *Speculum Considerationis*. 2. *Compendium Contemplationis*. 3. *De Scalæ spiritualis gradibus*. 4. *Epitome quadruplicis exercitus Spiritualis*. 5. *De oratione Dominica*. 6. *Orationis Dominicæ expositio Anagogica*. 7. *Salutationis Angelicæ expositio devota*. 8. *Verbum abbreviatum super libro Psalmorum*. 9. *Meditatio in Psalmum Trigesimum*: In te Domine speravi. 10. *Meditatio altera in eumdem Psalmum*. 11. *Meditatio in Psalmum*: Judica me Deus. 12. *Meditationes in septem Psalmos Pœnitentiales*. 13. *Meditatio in Canticum*, Magnificat. 14. *Meditatio in Canticum*, Benedictus. 15. *Meditatio in Canticum*, Nunc dimittis. 16. *Expositio* in Cantica Canticorum Salomonis. 17. *Duodecim honores Sancto Joseph sponsi Virginis*.

9. *Liber de Concordia Astrologiæ & Theologiæ* extat quoque in Appendice operum Joannis Gerson.

10. *Quæstiones in sphæram Mundi Joannis de Sacrobosco* cum Petri Ciruelli Commentariis Daronensis Hispani, Parisiis anno 1498.

11. *Tractatus super libros Meteororum Aristotelis de impressionibus aeris, & de iis quæ in* 1. 2. & 3. *regionibus aeris fiunt*, &c. Viennæ ad Danubium in Austria anno 1509.

Si quæ verò diligentiam nostram effugerint, & propria aliorumve indagatione postea innotescant, ea in Appendice cum nonnullis aliis recensebuntur.

Supplementum.

Petrus de Alliaco Compendii ad Isaram natus anno 1350. ex parentibus ignobilibus quidem, sed probis & liberalibus, magnum familiæ suæ honorem acquisivit ob doctrinam simul & pietatem. Multa de illo habent Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, longè plura Philippus Labbeus in eodem libro. At plenissimè omnium Joannes Launojus in Opere seu *Historia Regii Navarræ Collegii*, de qua jam nos alibi, parte 3. lib. 1. cap. 4. pag. 467. & sequentibus, ubi omnes vitæ illius Epochas diligentissimè annotat, omnes libros impressos, quos etiam accuratè satis inquisierat & annotaverat Labbeus loco citato, adhuc accuratiùs inquisivit & recensuit usque ad scrupulum, itaut hujus utriusque diligentiæ nihil addi possit. Ratio tamen nostri *Supplementi* ad Auctores vel Opera Auctorum omissa à Bellarmino & Labbeo, exposcit ut hìc subjungamus alia quædam Opera manuscripta tantùm, mutuata ab eodem Launojo loco citato, pag. 479. *Sequuntur Opuscula Petri Alliacensis Manuscripta, quæ in Bibliotheca Collegii Navarrici asservantur*.

Quæstio determinata in Scholis Navarræ, *Utrum Hæreticum sit dicere, quòd liceat pro docendi licentia pecuniam dare vel recipere*.

Propo-

A Propositio facta coram Papa *adversùs Cancellarium Parisiensem*, quæ incipit : *Domine, vim patior*.

Quæstio de reprehensione Petri à Paulo facta, *Quærit à me Charitas vestra*.

Responsio in Sorbona; *Utrum esse tria Supposita unius Naturæ, sit perfectio*.

Quæstio de qua respondit in Sorbona, *Utrum Creaturæ Rationalis conscientia erronea, ejus actum excusare possit*.

Responsio in Aula Episcopi, *Utrum Christi dono gerens potestatem, justè damnetur?*

Altera Quæstio, *Utrum libertas creaturæ rationalis ante & post lapsum sit intrinsecè æqualis*.

Invectiva Ezechielis contra pseudo-Prædicatores: *Ezechiel Propheta*.

B Sermo in Capitulo Navarræ : *Veritas de terra orta est*.

Sermo de S. Bernardo : *Dedit ei cor ad præcepta*.

Sermo in Capitulo Navarræ : *Ipsorum est Regnum Cælorum*.

Sermo in Synodo Ambianensi factus, dum erat Subdiaconus : *Sacerdotes tui induantur justitia*.

Sermo in Synodo Ecclesiæ Parisiensis : *Hic jam quæritur*.

Tractatus utilis & amplus super Boetium de Consolatione Philosophiæ, cum eleganti præfatione, quæ incipit : *Reverendissimi Patres, Magistri ac Domini charissimi, mihi ardua scandere volenti*.

C Tractatus de falsis Prophetis, *Attendite à falsis Prophetis. Quia ad observantiam Divinæ Legis*.

Alter Tractatus de falsis Prophetis, *Attendite, &c. quia sic dici solet* : ubi de Hypocrisi, de bonorum & malorum Angelorum cognitione & locutione, Prophetia & divinatione per Astra disputatur.

Descriptio imaginariæ Visionis de Horto Sacræ Scripturæ, quam fecit in principio suo super Cantica anno 1374. *Veni in hortum meum*, cum longa & eleganti præfatione, quæ omnia desiderantur in Expositione super Cantica Canticorum edita Argentinæ anno 1490.

Propositio facta coram Papa contra Fratrem Joannem de Montesono, quæ incipit : *Pater Sancte, in nomine tuo serva eos*.

D Altera propositio facta in Consistorio, quæ incipit : *Veritatem meditabitur guttur meum*.

Tractatus ex parte Universitatis studii Parisiensis pro causa Fidei, contra eumdem Fratrem, cujus excerptum habetur ad calcem Magistri Sententiarum. Hunc Tractatum Wesellus Groningensis libro de potestate Papæ cap. 9. laudat, eique tribuit nomen *Rotæ de errore quatuordecim Conclusionum Fratris Joannis de Montesono*.

Hæc Joannes Launojus loco citato, cui nos addimus, pleraque ex his iisdem operibus inveniri etiam mss. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Emanuelis codice primo, quæ nempe sequuntur.

E Tractatus editus per Magistrum Petrum de Alliaco, postea Cardinalem Cameracensem contra Fratrem Joannem de Montesono, & propositio contra eumdem.

Item propositio Magistri Petri de Alliaco coram Papa, contra Fratrem Joannem de Montesono. Propositio ejusdem contra eumdem dicta in Consistorio. Propositio ejusdem coram Papa contra Cancellarium Parisiensem. Sermo ejusdem *De Sancto Bernardo*. Sermo *De Sancto Ludovico*. Sermo *in Synodo Ambiani*. Sermo *in Synodo in Ecclesia Parisiensi*, de quibus omnibus suprà. Qui plura cupit, adeat locis citatis Bellarminum, Labbeum, & Launojum, sæculum 7. Universitatis Sorbonicæ, ubi multa pariter de ipso.

De Raynerio Pisano. 1410.

Supplementum.

RAYNERIUS natione Italus, patria Pisanus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, teste Sancto Antonino 3. parte Summæ Historicæ tit. 23. capite 11. paragrapho 2. Summam edidit, quæ *Pantheologia* inscribitur, in duas partes tributam, *procedentem in materiis secundùm ordinem Alphabeti, qua non solùm tractat de Casibus conscientiæ, sed etiam de omni materia prædicabili, & per modum prædicabilem* : Scribebat autem juxta Natalem Alexandrum in selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus sæculo 14. cap. 5. pag. 576. anno 1333. juxta Labbeum anno 1414. *in Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum*. Hoc opus nuperrimè tantis accessionibus auctum prodiit Parisiis in fol. tribus tomis, cura & studio Joannis Nicolai Ordinis Fratrum Prædicatorum, ut primævus Raynerii labor cognosci non possit. At Jacobus Florentinus Professor Ordin. FF. Minorum qui edidit olim in fol. Nurembergæ in Germania anno 1474. *Pauca substraxit, multa addidit quæ deficere videbantur, reducendo etiam aliquas materias subtiles ad stylum faciliorem & clariorem : ut tam à legentibus quàm audientibus dulciùs gustarentur & medullitus imprimerentur*. Hæc ille in prologo, unde purum qui vult Raynerium, recurrat necesse est ad manuscriptos codices, quorum nonnulli in Anglia reperiuntur. Eadem Pantheologia impressa etiam alibi, sed juxta primam impressionem, ut Venetiis anno 1486. & Lugduni anno 1519. in folio Brixiæ demum duobus voluminibus in 4. anno 1580. apud Thomam Buzzolam. Egisset meliùs Joannes Nicolai, si purum Raynerii Opus nobis obtulisset, licèt mole minus.

De Theoderico de Niem. 1410.

Supplementum.

THEODERICUS DE NIEM seu NIEMUS Litterarum Apostolicarum Scriptor & Abbreviator, claruit anno 1410. & sequentibus, calamitosissimis temporibus luctuosi Schismatis, quo Ecclesia Occidentalis omnimodè lacerata est. Hic oculatus multarum Rerum testis, scripsit nobile opus *De Schismate inter Urbanum VI. & Clementem Antipapam III. libris*, quorum liber quartus inscribitur, *Nemus unionis*. Itemque & *Vitam Joannis XXIII.* Summi Pontificis qui electus anno 1410. coactus est cedere anno 1415. quamvis ab illustribus viris haberetur & agnosceretur Papa verus. Impressum, uti multum utile opus ad notitiam istorum temporum, Norimbergæ anno 1592. & Basileæ an. 1566. denique Argentorati in 8. an. 1608. sumptibus Lazari Zetneri. Ejusdem *Privilegia & Jura Imperii circa investituras Episcopatuum & Abbatiarum, restituta à Papis, Imperatoribus Romanis* : impressa Basileæ anno 1557. cum aliis pag. 783. & Argentorati annis 1609. & 1618. cum aliis pag. 248. Ejusdem *Excerpta de Potestate Imperiali & Papali*, impressa cum aliis Francofurti annis 1614. & 1621. pag. 1381. & 1476. Nec istos Tractatus (opinor) oblitus est Melchior Goldastus in *Monarchia* sua. Hunc sæpius allegat Ludovicus Maimbourg Soc. Jesu *in Historia Magni Schismatis Occidentis* impressa in 4. Parisiis anno 1678. apud Sebastianum Mabre-Cramoisy via Jacobæa sub Ciconiis. Labbeus *in brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1410. recenset.

De Joanne Brevis-Coxa. 1410.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES BREVIS-COXA Gallicè *Courte-Cuisse* in Agro Cenomannorum natus est. Habuit ortum in Pago, nomine *Halena*, vel certè in altero huic contermino, ut ipsemet significat in actu Vesperiarum Radulfi Portæ, quem Helenæ natum gentilem ac popularem suum appellat. Itaque Jacobus Meyerus Rerum Flandricarum lib. 15. & ex ejus commentariis sapiens ad annum 1408. Abrahamus Bzovius falluntur, dum illum, & cognomento Cortohosam, & natione Normannum fuisse scribunt. Igitur circa annum Christi 1367. adolescens in Regium Navarræ Gymnasium veniens, & continenti serie trium illius sodalitiorum particeps effectus, primùm Grammaticam, deinde Philosophiam, postremò Theologiam didicit, eamque postea sub Petro Alliacensi Collegii moderatore docuit. Extat in Bibliotheca Sancti Victoris mss. Tractatus *De Ecclesia & generalis Concilii Auctoritate* eximius, quem cùm Bibliorum cursum pro more absolveret, exaravit. Et quamvis tunc esset Baccalaureus tantùm in Theologia, rationum tamen pondere accedit ad Magistros, & ingenii acumine nemini cedit. Anno circiter 1388. Doctoris consecutus insignia, tum ad sedandum Ecclesiæ Schisma, tum ad habendas conciones animum penitus apposuit. Cùm autem Carolus VI. Rex Francorum anno 1394. congregasset Antistitum & Theologorum Cœtum, in quo quid ad faciendam Romanæ Ecclesiæ pacem, quæ Schismate turbabatur, agendum esset, deliberatum fuit: Joannes Brevis-Coxa inter alios aderat, qui suam Conventui & cum primis Regi eruditionem, præstantiam & in tractandis rebus sapientiam mirificè probavit. Ex quo fœliciter contigit, ut Rex biennio post statuerit, illum ad Benedictum XIII. & Bonifacium IX. mittere, qui utrumque ad dandam afflictæ Ecclesiæ pacem hortaretur. Sic ad annum 1396. tradit Anonymus Latinæ Caroli VI. Historiæ Scriptor: *Joannes Brevis-Coxa, in Sacra Pagina excellentissimus Doctor & Professor, Nuncius Regis Franciæ ad Benedictum & Bonifacium propter pacem.* Anno 1407. Ludovicus Aurelianorum Dux, Regis Frater, 10. Kalendas Decembres occisus Burgundionis factione est, cujus exequias funebri oratione prosecuti sunt duo Theologi, Gersonus & Brevis-Coxa: Prior in Navarræ Collegio, quod Ludovicus Carum semper habuerat; posterior in Monasterio Cœlestinorum Parisiensium, ubi conditus erat. Rem istam præclarè describit Monstrelletus in Historia Caroli VI. cap. 133. *Circa hoc ipsum tempus Parisiensis Academia, cum pertinaci duorum Pontificum dissidio lacerari doleret Romanam Ecclesiam, neutrum agnoscendum esse Regi persuasit. Pro hac sententia, cùm alii, tum Brevis-Coxa in primis acerrimè pugnavit. Destitutus à Francis Benedictus, Regnum Ecclesiastico interdicto supposuit.* Anno 1408. factus est Brevis-Coxa Dispensator Regiarum Largitionum quem nos *Eleemosinarcham* dicimus, quo munere perfunctus est usque ad annum 1418. Idem per aliquod tempus absente Gersono, Cancellarii Parisiensis officium exercuit, quo se anno 1418. ad Nonas Quintiles abdicavit. Interea multa scripsit *Joannes Brevis-Coxa* quæ mss. extant partim in Bibliotheca Cœnobii Sancti Victoris, partim in Bibliotheca Regia, partim denique in Bibliotheca Majoris Ecclesiæ Parisiensis. Sunt autem ista, præter *Tractatum de Potestate Ecclesiæ & Concilii* mss. in Bibliotheca Sancti Victoris, de quo supra locuti sumus.

A *Variæ Quæstiones Theologicæ* quas in particulari enumerat Joannes Launojus in Historia Collegii Navarrici.

Aliæ Quæstiones morales, quas idem citato loco accuratè recenset.

Commendationes duæ sacræ Scripturæ, quæ incipiunt, *Olivam uberem*, &c. *Super omnem terram*, &c.

Quatuor principia super Lecturam Bibliorum, quæ incipiunt, *Tota pulchra est*, &c. *Ædificavit turrim*, &c.

Collationes quatuor super commendatione sacræ Scripturæ, quæ omnes incipiunt, *Regina Austri*, &c.

Commentarius seu Lectiones in Evangelium Joannis, In principio erat verbum, &c.

B Hæc autem sufficiunt, ut appareat, nullas unquam fuisse præstantissimi Doctoris partes, quas non susceperit. Ad hæc, cùm Ecclesia Parisiensis vacaret, Clerus, Senatus & Academia elegerunt Brevi-Coxam, qui Episcopo mortuo sufficeretur, quod an. 1420. sexto Kalendas Januarias, ut moris erat, factum est. Sed quia Regi Angliæ, qui tunc Lutetiæ dominabatur, gratus non erat, in Episcopio manere non potuit. Annum unum & eo ampliùs mansit, aut potiùs latuit in Monasterio Sancti Germani ad Urbem. Sic memoriæ proditum est in Diario quodam Manuscripto, quod ab anno 1409. incœptum definit in annum 1449. Hic Libellus in Bibliotheca Minimorum Parisiensium asservatur. Verùm anno 1422. ad Gebennensem Ecclesiam translatus est, quia Anglis & Burgundionibus Parisiis latè dominantibus subesse nec potuit, nec voluit. Sic vir probus deseruit & Regnum & Regni Sedem, cui & Regni & Sedis illius vastatio mirum in modum displicuit. Mœrore confectus brevi demigravit ab hominibus, sed quo anno non comperi, quod ut incompertum in medium relinquo. Hæc verbo tenus Joannes Launojus *in Historia Regii Navarræ Collegii* par. 3. lib. 1. cap. 3. pag. 462. & sequentibus, quæ impressa in 4. Parisiis anno 1677. apud Viduam Edmundi Martini via Jacobæa sub Sole Aureo. Pauca *de Joanne Brevi-Coxa* Fratres Sammarthani tom. 2. Galliæ Christianæ *in Episcopis Gebennensibus*.

De Joanne Parvi. 1410.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES PARVI, Doctor Theologus nationis Normannicæ, Minorita, anno 1400. Licentiatus in Theologia, vir eloquentissimus & certè magnæ famæ, eruditionis ac doctrinæ, sed conductitiæ & vænalis; qui cum duobus aliis Doctoribus sustinuit anno 1407. in Atrio Basilicæ B. Mariæ Parisiensis, cædem Ludovici Aurelianorum Ducis à Burgundione jure perpetratam fuisse; idque conatus est persuadere multis rationibus, nullum enim scelus tam fœdum quod non habeat suos Patronos. Inter quas hanc proferre ausus est, quod ejusdem Burgundionis sumptibus in Scholis educatus fuisset, ejusdemque stipendiis etiam nunc militaret: verùm paulò post, prævalente Aurelianensium factione, Hæreseos apud Universitatem factus reus, exulare cogitur, & Nosocomio & largis pensionibus stipendiisque à Burgundione dotatus, apud Hisdinium an. 1411. fato functus est, & in æde Minoritarum sepultus. Audio *Tractatum* ejusmodi mss. Oxonii Biblioth. Collegii novi cod. 269. quem tamen legi fuisse combustum Parisiis atque proscriptum. Ejusdem *Joannis Parvi Tractatus de Schismate, & aliæ plures propositiones*, mss. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis codicibus P 11. & P 14. Porrò ne quid hac in parte Franciscanis Dominicani exprobrarent.

De

De Martino Porrao. 1410.

SUPPLEMENTUM.

MARTINUS PORRÆUS Dominicanus Theologiæ Doctor, Joannis Principis Burgundiæ Confessarius, crimen idem jure perpetratum esse defendit, ob cujus perversæ doctrinæ compensationem factus est anno 1408. instante Principe, Atrebatensis Episcopus. Nec mercedi seu Beneficio defuit gratitudo, nam in suæ promotionis gratiarum actionem, scripsit Porræus *Tractatum hujusce cædis justificativum*, quem habet in Anglia Bibliotheca Collegii Novi cod. 269. hoc titulo: *Tractatus compositus per Episcopum Atrebatensem pro parte Ducis Burgundiæ, quòd licitè fecit occidi Ducem Aurelianensem*. Ibidem autem præsenti veneno remedium, nempe *Materia Responsionis ad Tractatum Atrebatensis super interfectione Ducis Aurelianensis*. Adstitit Porræus Legatus Ducis Burgundionum Concilio Constantiensi an. 1415. Sessionibus 2. 11. & 30. missusque posteà in Angliam cum Præposito Sancti Donatiani Brugensis. Obiit 6. Septembris 1426. conditus autem in sua Ecclesia tumulo cupreo, ubi spectantur insignia cum subjecta Epigraphe. *Hic jacet Martinus Porrè de Conventu Senonensi, Ordinis Fratrum Prædicatorum, olim Confessor illustrissimi Principis Joannis Ducis Burgundiæ, Flandriæ, Artesiæ, & Burgundiæ Comitis, & deinde Atrebatensis Episcopus, obiit anno Domini 1426. die sexta Septembris*. De Porræo Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tom. 2. pag. 218. *in Episcopis Atrebatensibus*, Cæsar Egassius du Boulay *in Historia Universitatis Parisiensis*, sæculo 7. tomo 5. pag. 284. ad annum 1415. impresso in folio Parisiis anno 1670. apud Petrum de Breche.

De Hieronymo de Sancta Fide. 1410.

SUPPLEMENTUM.

HIERONYMUS DE SANCTA FIDE à Judaismo ad sanctam Christi Fidem conversus, ac deinceps insignis Medicus Benedicti XIII Antipapæ, seu juxta alios Pontificis Maximi, scripsit *Tractatum* maximè efficacem *refellendis Judæorum erroribus*; Itemque *alium adversùs Thalmudicas Quisquilias*, quos ambos habes impressos in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Parisiensis annorum 1575. & 1589. apud Michaelem Sonnium, & in editione ultima ejusdem Bibliothecæ maximæ Lugdunensi apud Anissonios sæculo 15. Claruit ab anno 1410. ad 1424. vel circiter, de quo mentionem habet Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1. pagina 741. & iterum pag. 746. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 450. pag. 264. ubi etiam ait haberi hos libros tom. 14. Bibliothecæ Sanctorum Patrum Coloniensis editionis anni 1624. apud Antonium Hieratum.

De Jacobo Toletano. 1410.

SUPPLEMENTUM.

JACOBUS cognomento *Magnus*, dictus Toletanus, Ordinis Eremitarum Divi Augustini, in veterum Theologorum lectione plurimùm versatus, cùm universam fermè (ut tradunt Joannes Trithemius, Ambrosius Coranus & Jacobus Bergomas) Scripturam sacram Annotationibus explicasset, edidit quoque *De Inquisitione divinæ Sapientiæ* prænotatum *Sophologium*, quod & caracteribus antiquis ex-

A cusum fuit, & cum aliis Lugduni in fol. anno 1585. pag. 262. cum opere Joannis de Sancto Geminiano, quod inscribitur *De Similitudinibus & Exemplis*, de quo ad annum 1300. *in Joanne Geminianensi*. Habetur autem ms. distinctum quatuor libris, Oxonii in Bibliotheca Collegii novi cod. 21. Ejusdem *plura Opera moralia* mss. in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis. Reliqua è Bibliotheca Bononiensi sui Ordinis, fuisse sublata scribit Josephus Pamphilus, qui & meminit *Quæstionum in libros Aristotelis de Anima*, quas Patavii Jacobus ipse ediderat, dum ibi publicè profiteretur. Scripsit & *utriusque Philosophiæ Compendium* Michaeli Episcopo Antissiodorensi dicatum, quo ea quæ spectant ad naturalium rerum cogni-
B tionem facilè percipi possunt. Vivebat anno 1415. Hic autem cùm esset à secretis Confessionibus Caroli VII. Galliæ Regis, electus Archiepiscopus Burdegalensis, Archiepiscopatum recusavit. Obiit Parisiis in Ecclesia Fratrum Eremitarum Sancti Augustini sepultus. Hæc ferè ad verbum nos ex Possevino *in Apparatu sacro* tom. 1. pag. 788. de quo plura absque dubio dabit Philippus Elssius *in suo Encomiastico Augustiniano*, Bruxellis in folio edito, de quo nos sæpè loquimur.

De Nicolao Dinckespuel. 1410.

SUPPLEMENTUM.

C NICOLAUS DINCKESPUEL, Svevus, Viennensis in Austria Academiæ Rector, floruit anno 1420. ad 1430. & ultra, adfuit enim Constantiensi Concilio, scripsitque *De Præceptis Decalogi, Oratione Dominica, octo Beatitudinibus*. Item *Confessionale*, & alia quæ anno 1516. Argentorati edita sunt. Vixit anno 1420. *cujus Sermones hodie* (ut Æneas Silvius loquitur) avidè à doctis leguntur. Hæc Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 471. pag. 269. Plura Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2. pag. 147.

De Petro de Rosenheim. 1410.

D

SUPPLEMENTUM.

PETRUS DE ROSENHEIM, quem alii *Rosenheimensem*, alii *Rosenhemium* vocant, Germanus, Ordinis Divi Benedicti, Monachus Monasterii Mellicensis in Austria, Poeta (ut habet Sixtus Senensis) Scholasticus, quem Joannes Trithemius scribit claruisse anno 1427. Scripsit ad Brandam Castilionem Tituli Sancti Clementis Cardinalem, Legatum Apostolicum in Austria positum, pressum ac succinctum opus Disticis Elegis, quod inscripsit, *Roseum Memoriale Divinorum*, quo utriusque Testamenti capita perstringit. Incipit autem, *Astripotens*
E *Cælum*, &c. idque prodiit Argentorati anno 1544. apud Baltasarem Bechz. Item dicitur scripsisse *Summam Theologiæ*, quæ extat Romæ in Basilica Lateranensi, & *Rationarium Evangelistarum*, omnia Evangelia prosa, versu, Imaginibusque continens. Hæc Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2. pag. 266.

De Petro de Duisburg. 1410.

SUPPLEMENTUM.

PETRUS DE DUISBURG, seu DUISBURGO, natione Germanus, scripsit *Chronicon Prussiæ*, in quo Ordinis Teutonici origo & res gestæ exponuntur ab anno 1226. ad annum 1425. quo floruit dictus Petrus. Accesserunt huic Chronico Dissertationes

tiones novemdecim, Antiquitates Prussicas complectentes, Auctore Christophoro Skarkio, quæ omnia impressa Jenæ in 4. anno 1680. studio ejusdem Skarkii.

De Gerardo Macheto. 1410.

SUPPLEMENTUM.

GERARDUS MACHETUS studuit Theologiæ in Collegio Parisiensi Navarrico, & an. 1411. Magister effectus est, qui posteà Aulæ Regiæ, quàm vulgo notior fuit, & à Carolo tunc Regente, tum etiam Rege Francorum nominis VII. vix unquam recessit: Unde Parisiensis Canonici locum implevit. Concilio quod ad damnandos Joannis Parvi Errores coactum est, Lutetiæ interfuit, & Sententiam dixit gravissimam. Sub annum 1414. Joannes Gerso Machetum suum instituit in Academia Parisiensi Procancellarium, cùm esset ad Constantiense Concilium profecturus. Hunc Carolus Delphinus, qui laborante Carolo Patre, Galliam procuravit, elegit Machetum cui Christiano ritu confiteretur. Hinc Carolus VII. Machetum anno 1422. in Carnotensium Canonicorum numerum retulit. Sed cùm suum Pœnitentiæ Administrum Delphinus & Rex mutare nollet, eum in Aula ferè semper retinuit, & ad obeunda quæque pietatis & Religionis officia adhibuit. Omnium instar unum refero, quod Æneas Silvius seu Pius II. attingit lib. 6. Commentariorum: *Castrensi Episcopo Confessori suo inter Theologos apprimè docto puellam examinandam committit.* Reliqua quod spectat, Machetum moribus fuisse modestis & gravibus, & qui ab sæculi vitiis abhorrerent, vir antiquæ probitatis Clamengius in Epistolis 116. & 119. confirmat. Valuit facilitate conscribendarum Epistolarum; id ostendit codex ms. *complurium illius Epistolarum*, imò plusquam *quadringentarum*, quas ad diversos perscripsit, asservatus in Bibliotheca Sancti Martini Turonensis. Harum plurimarum synopsim affert Jo; Launojus *in Historia Regii Navarræ Gymnasii* par. 3. pag. 534. & sequentibus, quæ multùm juvare possunt ad Historiam istorum temporum. Factus tandem Gerardus Machetus Episcopus Castrensis anno 1444 obiit anno 1448. die 17. Julii. Multa de eo Joannes Launojus loco citato, à quo hæc habuimus, pauca Fratres Sammarthani *in Gallia Christiana* tom. 2. pagina 500. *in Episcopis Castrensibus*.

De Antonio Rampelogo. 1410.

SUPPLEMENTUM.

ANTONIUS RAMPELOGUS Doctor Theologus, Ordinis Eremitarum Augustinianorum, edidit librum, quem *Bibliæ Figuras* inscripsit, quemque ut incautè plerique Adolescentiores Concionatores versarunt. Sic (inquit Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1. pagina 104.) mirum videri potest doctos alioquin & eruditos Theologos, non ante obviam ivisse ei malo quod inde prodire poterat, dum minimè emendatus in manus omnium veniret: & eum quidem Sixtus Senensis rude vocat Opusculum, quod Auctor scripsit ad Ordinis sui Scholasticos in Neapolitano Cœnobio: at in quonam ruditas illa se proderet, non attigit. Quin addidit in eo pene omnes sacras Historias trito eloquio moraliter exponi, singulasque ad singulas morales Virtutes accommodari. Initium Operis est: *Religiosis viris in Christo*, &c. Cæterùm ut aliquam Rampelogus in Concilio Constantiensi operam na-

A vavit adversùs Hussitas, Sigismundo Imperatore anno Domini 1418. sic minùs culto illo ævo, nec tam ab Hæreticis qui postea exorti sunt oppugnato, Errores à quibus periculum imminebat, attentiùs non sunt observati. Quare *Rampelogi* lapsus reservati in hæc tempora, ut liber ille, nisi expurgatus, prohibitus sit à Clemente VIII. Pontifice Maximo, *in Indice ultimo Romano librorum prohibitorum*. Quod autem modò generatim de eo dicendum est, haud dubium quin multi errores graves ab Ecclesia proscripti, in eo comperiantur. Tollenda verò sunt nonnulla desumpta ex Magistro Historiæ Ecclesiasticæ, absurda illa quidem, ac potiùs Fabulas quàm Historias sapientia. Plura item quæ aliter in Bibliis
B habentur, quàm quomodo *Rampelogus* posuit. Quin & Divina Scriptura parum sincerè, nonnumquam autem malè citata, & sine annotatione locorum ipsius; Apocripha quoque, qualia afferebantur è tertio libro Esdræ, atque ex Epistolis Cyrilli Hierosolymitani ad Divum Augustinum de Monte Sancti Hieronymi. Quæ omnia, quæ certè sunt plurima, aut emendanda vel expungenda sunt, ne quis tyro Concionator, posthæc ampliùs tamquam certa & explorata populo proponat. Atqui & Sententiæ Doctorum ex Patribus allatæ, conferendæ sunt cum ipsorum Exemplaribus sive Operibus, quamvis neque omnes quas ille citat, inveniantur. De Solæcismis ac Barbarismis plurimis, pluribusque ob-
C scœnis quæ in eo sunt, nihil dicerem, nisi hæc etiam materiam sacram haud decerent. Quòd si hisce mendis expurgatus fit, non mediocre commodum, ex ejusmodi Opusculo existeret. Quamvis (ut dicam quod sentiam) fortasse præstaret alterum de novo condere, quàm tot cicatricibus obsitum illud recudere. *Grandem certè censuram* Antonii Possevini *hujus modici Operis*, quod Parisiis impressum fuit anno 1511. in 4. à Badio Ascensio, Argentorati anno 1516. Lugduni annis 1558. & 1570. atque alibi etiam. Hæc conveniret etiam multis aliis aliorum temporum Scriptis & Concionibus. Agunt de Antonio Rampelogo præter Censorem rigidum Possevinum, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptori-*
D *bus Ecclesiasticis* capite 483. pag. 272. Philippus Elssius *in Encomiastico Augustiniano*.

De Lupo de Oliveto. 1410.

SUPPLEMENTUM.

LUPUS DE OLIVETO, Hispanus, Ordinis Eremitarum sub nomine Divi Hieronymi Prior Generalis, frater autem Sancti Vincentii Ferrerii Valentini, Ordinis FF. Prædicatorum, utpote primus Eremitarum Hieronymitanorum Promotor, *Regulam sui Ordinis* condidit, *Sermonesque* (ut ajunt)
E *de tempore & de Sanctis*. Habetur hæc Regula deflorata ex variis Operum D. Hieronymi fragmentis, tom. 9. Operum Divi Hieronymi editionum ferè omnium, nempe Coloniensis anni 1618. Parisiensis 1623. & Romanæ à Mariano Victorio Amorettæ Reatino, Episcopo Amerino procuratæ & recognitæ. Vivebat autem anno 1420. sepultus est autem Romæ ante majus Altare Sanctorum Bonifacii & Alexii, ac in Epitaphio *Præpositus* nominatur. Plura de illo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2. pag. 45.

De Nicolao Nicolai. 1410.

SUPPLEMENTUM.

NICOLAUS NICOLAI, *de Clamengis* dictus, à Catalaunensi pago, cui nomen est *Clemenge*, celebre per orbem totum nomen obtinuit, ut & Petrus Clamengius Doctor Medicus, quem Nicolaus Epistola 27. matris suæ fratrem & avunculum appellat. Clarere cœpit in Gymnasio Parisiensi Navarrico ab anno circiter 1393. quo illud incoluit. Editi de variis Theologicarum Rerum monumentis libri & Epistolæ, tum suscepti pro sancienda Ecclesiæ pace labores innumeri effecerunt, ut eum posteri *Doctorem Theologum* nuncuparent: quo nomine nec se unquam dum sese obtulit occasio, nec Tablinum Navarricum, nec Scriptores æquales insignierunt. Plus operæ ac diligentiæ adhibuit in politoribus Litteris, quibus se mirum in modum delectatum esse Epistola quarta fatetur: & certè in iis quæ Eloquentiam ac Poesim attinent, ita profecerat, ut exteri crederent eum non Parisiis, sed Bononiæ oratoriam ac Poeticam artem didicisse. Numquam ex humilitate lauream doctoralem licèt doctissimus, habere voluit. Cùm posset ob nominis famam ac doctrinæ & facundiæ celebritatem assurgere ad dignitates Ecclesiasticas, utpote Regibus ac Magnatibus notissimus, nihil tale ambivit, ut totus sibi & Ecclesiæ viveret, scribendo ad pacem illius ac morum depravatorum correctionem. Circa annum 1415. Benedictus XIII. Clamengium qui olim anno 1407. in Curia Romana manserat, ad se revocare tentavit: atque ut voti compos fieret, ad eam rem adhibuit Nicolaum Bayam, quo viro Clamengius utebatur familiariter. Sed in Curiam redire noluit, eique Tugurium in quo tunc apud fontem latebat, præferendum esse censuit, cujus negotii Historiam ipse tradit in Epistola 104. ad Nicolaum Bayam. Vacans igitur sibi toto isto tempore, quo & Ecclesia miserrimo Schismate & Gallia corruptissimis moribus afflictabantur, scripsit multa, quæ partim edita, partim manuscripta in Bibliothecis Gallicis extant usque hodie, de quibus nos modò.

Opera Nicolai Clamengii edita in 4. anno 1613. Lugduni Batavorum, ordine sequenti.

De corrupto Ecclesiæ Statu lib. I.

Deploratio calamitatis Ecclesiasticæ per Schisma nefandissimum, cum exhortatione Pontificum ad ejus exstirpationem, heroicis versibus descripta.

De lapsu & reparatione Justitiæ ad Philippum Burgundiæ Ducem lib. I.

Disputatio habita super materia Generalis Concilii cum quodam Parisiensi Scholastico.

Collatio duplex ad eumdem Scholasticum super eadem materia.

Apostrophe & Responsio data per Nationem Gallicanam Cardinalibus, &c. *appellantibus ab ejus conclusione, voto, deliberatione ac declaratione Constantiæ captis, & factis solemniter per eamdem, quod vacantiæ & minuta servitia nullo jure sint debita.* Liber inscriptus, *De Annatis non solvendis*, cui afficitur *Constitutio Concilii Basileensis super Annatis, & Senatusconsultum Parisiense*, aliaque nonnulla de eadem materia: quæ omnia Clamengium nihil attinent, ut ex corruptioris orationis stylo constat, inquit Launojus. At hic liber *De Annatis non solvendis*, cum *disputatione habita super materia generalis Concilii cum quodam Scholastico Parisiensi, & duabus collationibus ad eumdem Scholasticum super eadem materia*, desumpta sunt ex *fasciculo rerum fugiendarum & expetendarum* pag. 189. & se-

A quentibus, ubi plurima ad Constantiense Concilium spectantia, mixta malis bona. Hic fasciculus impressus in Germania in fol. anno 1535. loco & nomine Typographi non expressis.

Item *Tractatus in parabolam de Filio Prodigo.*

De fructu Eremi lib. I. qui vel unicus evincit quantùm Clamengius refugeret dignitates Ecclesiasticas, atque sæcularium rerum strepitus & turbas.

De fructu seu prosperitate rerum adversarum lib. I.

De novis Festivitatibus non instituendis liber unus.

De Præsulibus Simoniacis lib. I.

Variarum & doctissimarum Epistolarum lib. I. Hæc in editione memorata. Ejusdem Nicolai Clamengii unus liber *De studio Theologiæ* editus est tom. 7. Spi-
B cilegii Domni Lucæ Dacherii, de quo jam suprà locuti sumus.

Jam de manuscriptis Operibus, de quibus agit diligentissimè Joannes Launojus, assiduus istorum indagator, *in Historia Regii Navarræ Gymnasii*, parte 3. lib. 2. capite 3. pag. 578. Extat insignis *Commentarius* Nicolai de Clamengis *in Isaiam Prophetam* usque ad caput sexagesimum, ms. in Bibliotheca Collegii Navarrici. Item in dicta Bibliotheca, & apud Raymundum Formentinum Parisiensem Theologum, Aurelianensis Ecclesiæ Canonicum & Subdecanum, quem mirifica (inquit Launojus) & sciendi & comparandi libros quoscumque cupiditas exercet, ejusdem Clamengii *Descriptio rei cujusdam mira-*
C *bilis quæ in Galliis accidisse ferebatur*. Incipit: *Rem recenti (ut accipio) eventu gestam*. *Epistolæ novem sub nomine Universitatis editæ circa materiam Ecclesiasticæ Unitatis*, quæ prima sunt Clamengii Opuscula, quarum singularum initia recenset loco citato Launojus. *Sermo de Sanctis Innocentibus*, incipit: *Nota est Tyranni Herodis*. *Orationes decem devotæ* Nicolai Clamengii, *præambulæ ad Deum ante Canonicas Horas persolvendas*, quarum etiam initia refert idem Launojus. Addit denique & Aureliæ apud Patronum Regium Givesium seniorem, virum & doctrina & probitate insignem, extare manuscriptum codicem Operum Nicolai de Clamengis, in quo reperiuntur, *Descriptio Vitæ rusticæ cum laude & commendatione*, inci-
D pit: *Fronde super viridi locus est*, &c. quod Poema 63. Versuum est. *Descriptio & laus Urbis Januæ*. Incipit, *Janua quam perhibent*: quod Poema 98. Versuum est. *Epistolæ duodecim ad diversos*, nempe ad Simonem de Bergeriis, Joannem Præpositum Insulensem Regium Secretarium, Gontherum Colli Regium Secretarium, quarum ibidem singularum initia refert Launojus. *Exhortatio denique ad resistendum contra Mahometanos*, quæ incipit: *Cogunt me, ò Principes inclyti & viri militares*. Addo denique extare in Bibliotheca Galliarum Regia manuscriptum codicem Epistolarum Nicolai Clamengii, ubi nullus dubito, quin sint aliæ atque aliæ ejusdem Epistolæ nondum impressæ: quod mihi retulit amicus noster
E Placidus Porcheron Sancti Germani Parisiensis Bibliothecarius, qui jam ab anno 1684. cum aliis suis Fratribus instituit Catalogum manuscriptorum Latinorum, hujus famosissimæ Bibliothecæ juxta ordinem alphabeticum, maximis curis, ad publicam utilitatem. Cæterùm magnæ vir eruditionis, & ut ea tulit ætas, eloquentiæ ac totius virtutis exemplar, vitam deposuit circa annum 1440. & sepultus est in Sacello Navarrici Collegii sub lampade, quæ coram magno Altari de tholo pendet. Hujus sepulchro ab hominibus illius perinde ac rerum ab eo gestarum scientissimis, insculptum est Elogium breve, quod multa complectitur.

Qui Lampas fuit Ecclesiæ, sub lampade jacet.

Elogio tam illustri adjectum Epitaphium istud:

Belga

Belga fui, Catalaunus eram, Clamengius ortu:
Hic humus ossa tenet, spiritus astra petit.

Hæc nos ex Launojo per Compendium, quod utcumque prolixum est, vix tamen breviùs fieri potuit. Qui plura cupit, adeat fontem unde ista hausimus, multis Vitam Clamengii narrantem. Pauca Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2. pagina 146.

De Joanne Gersone. 1420.

JOANNES Gerson Gallus, Monachus Cælestinus, Cancellarius Parisiensis, vir doctus, & pius, obiit anno Domini 1429. *multa opera* scripsit, quæ tribus tomis edita sunt Argentorati anno 1488. quibus addita est quarta pars. Sed quia, ut plurimum, opuscula sunt parva, & in maximo numero, piguit ea describere. Tribui solet huic auctori præclarissimum opusculum de imitatione Christi, quatuor libris distinctum. Sed quia non numeratur inter opera Gersonis, nec in Catalogo quem scripsit frater ipsius Gersonis, nec in tomis editis Argentorati; merito dubitatum est, an illud sit Gersonis. Imò communiter jam illud opus adscribitur Thomæ de Kempis, viro admodum pio. Sed nec inter hujus opera numeratur, ut paulò post videbimus. Itaque valde probabile est auctorem illius opusculi esse Joannem quemdam Abbatem de Gersen, sive de Gessen, ut habet inscriptio vetustissima hujus libri, in codice manuscripto qui asservatur in Monasterio Aronensi, quod olim fuit Monachorum Sancti Benedicti, & nunc est domus Novitiorum Societatis Jesu. Et hinc apparet, hoc opus tributum fuisse Joanni Gersoni propter similitudinem nominis; quia verus auctor erat Joannes de Gersen: & tamen quia non inveniebatur hoc opus inter opera Joannis Gersonis Cancellarii Parisiensis, tributum fuisse Thomæ de Kempis ob similitudinem aliquam styli, quamvis neque inter opuscula ejusdem Thomæ inveniretur. His accedit quòd Sanctus Bonaventura, qui fuit ducentis circiter annis antiquior Joanne Gersone & Thoma de Kempis, citat ex hoc auctore partem capitis ultimi libri primi ad verbum, & dicit illa esse verba devoti cujusdam libelli de imitatione Christi. Vide in tomo secundo opusculorum Sancti Bonaventuræ Collationis septimæ ex lib. collationum habitarum in conventu Tolosano. Sed cujuscumque sit, opusculum est utilissimum, & jure in tota Ecclesia summo omnium consensu receptum & frequentatum, & in omnes linguas conversum. Ego certè ab adolescentia, & usque in senectam hoc opusculum sæpissimè volvi, & revolvi, & semper mihi novum apparuit, & nunc etiam mirificè cordi meo sapit.

Posteaquam hæc scripseram, incidit in manus meas præfatio Henrici Sommalii in libros de imitatione Christi editos Romæ, anno 1610. in qua præfatione affirmat idem Henricus invenisse se hos libros, manu ipsius Thomæ de Kempis conscriptos in Bibliotheca Canonicorum regularium S. Martini apud Lovanium. Et quoniam magni facio testimonium Henrici Sommalii, qui & Ordinis mei est notæ probitatis & doctrinæ, nec tamen audeo superiorem conjecturam prorsus rejicere: idcircò rem in medio pono, & lectori judicium relinquo.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES Charlierius, vulgò cognominatus de Gerson, à vico natali diœcesis Rhemensis in

Bellarm de Script. Eccles. Tom. VII.

A Campania haud procul Regiaste, seu Rethelio oppido ad Axonam, ubi natus die 14. Decembris anni 1363. Petri de Alliaco discipulus, Sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis, Sancti Joannis in Gravia Parochus, & Ecclesiæ Cathedralis atque Universitatis Cancellarius, interfuit cum aliis pluribus Gallis Episcopis ac Doctoribus Concilio Constantiensi, quod finitum est anno 1418. & senex plenusque dierum, natus annos 66. Lugduni die 12. Julii anni 1429. in æde Cælestinorum, cui præerat ejus frater, ex hac vita recessit, sepultus in æde Sancti Laurentii propè Templum Sancti Pauli, in quo catechismum docere, & pueros rudesque erudire solebat. De eo ejusque scriptis frater illius
B Joannes Prior Lugdunensium Cælestinorum in Epist. ad Anselmum ejusdem Ord. Monachum an. 1423. Petrus Schottus Argentoratensis, Jacobus Wimphelingius, Trithemius, Poss. Bell. Miræus ex Theophili Raynaudi Indiculo Sanctorum Lugdunensium, aliique. Errat post Possevinum Maraccius in Bibliotheca Mariana, qui Joannem hunc Monachum Ordinis Cælestinorum, eorumdemque deinceps Lugdunensis Monasterii Priorem asserit. Idem quoque ex Patrologo eradendum, multisque aliis recentiorum scriptis, qui parum cauti in foveas ab aliis paratas delabuntur. Certum quidem est tres ejus fratres Monachos, ac duos ex iis minimùm Cælestinos, Nicolaum & Joannem.

C Operum Gersonis editionem Argentoratensem anni 1488. admodum imperfectam viderat dumtaxat Bellarminus. Nos Parisiensem anno 1606. adornatam, & in quatuor partes distributam pro more repræsentabimus.

Parte I. continentur.

Post Vitam, Elogia, &c. *De laude scriptorum*, ad Fratres Cælestinos & Carthusienses, Utrum liceat diebus festis scribere libros devotionis gratis.

Monotessaron, sive, *Harmonia ex quatuor Evangeliis. De potestate Ecclesiastica*, sive, *de origine juris & legum.*
D *Sermo factus pro viagio Regis Romanorum ad Petrum de Luna Antipapam. De auferibilitate Papæ ab Ecclesia. De modo se habendi tempore schismatis. De statu Ecclesiæ in veteri & novo Testamento, & quot schismata fuerint in Ecclesia. De unitate Ecclesiastica. De statibus Ecclesiasticis. De modo vivendi omnium fidelium. De signis ruinæ Ecclesiæ. De virorum Ecclesiasticorum defectu. De schismate. De eodem alius Tractatus. De Concilio generali unius obedientiæ. Decretum Concilii Constantiensis super frequenti celebratione Conciliorum Universalium. Sermo in die Circumcisionis, cum quatuor considerationibus de Prælatorum officio coram Benedicto XIII. Quatuor Considerationes de Pace & Unitate Ecclesiæ coram eodem Bened. XIII. Epistola ad Ducem Aurelianensem pro Ecclesiæ unione. Epistola ad*
E *Dominum Cameracensem. Sermo factus in die Ascensionis coram Alexandro V. Papa. Sermo habitus coram Benedicto XIII. pro pace & unione Ecclesiæ. Propositio facta Parisiis ex parte Universitatis Parisiensis coram Anglis euntibus ad Concilium Pisanum. Trilogus in materia schismatis. Epistola Christianissimi Regis justificativa subtractionis Gallicarum à Petro de Luna. Sermo coram Concilio Constantiensi:* Nuptiæ factæ sunt in Cana. *Tractatus de nuptiis Christi & Ecclesiæ:* in quo solvit quæstiones motas in præcedenti sermone. *Errores circa præceptum*, Non occides. *Sermo in festo Purificationis*, de ordinaria potestate Episcoporum. *Sermo in Concilio Constantiensi:* postquam Joannes XXIII. recessit à Concilio. *Propositio facta ex parte Regis Franciæ*, contra propositionem, quam Episcopus Atrebatensis ex parte Ducis Burgundiæ fecit, *pro condemnatione conclusionum*

Magistri Joannis Parvi, Sermo de erroribus contra fidem, & contra præceptum, Non occides. *Alius sermo contra assertiones Magistri Joannis Parvi circa præceptum,* Non occides. Assertiones Mag. Jo. Parvi, & forma condemnationis earumdem per Episcopum Parisiensem. *Declaratio veritatum, quæ credendæ sunt de necessitate salutis. Propositiones corollariæ de eadem materia. Protestationes faciendæ ab hæreticis, circa materiam fidei, pro hæreseon abjuratione. Duodecim considerationes & signa, quibus aliquis solet notari, vel convinci de hæresi. Quomodo, & an liceat in causis fidei à Summo Pontifice appellare, seu ejus judicium declinare. Duo libelli articulorum Theologicorum, & scholasticè compositorum, contra errores Petri de Luna. Discussio illius assertionis,* Sententia Pastoris, etiam injusta, tenenda est. *Epistola de susceptione allegorica humanitatis Christi. Gersonii epistola contra librum de ornatu spiritualium nuptiarum. Defensio ejusdem libri per Joannem de Schoenhavia. Refutatio ejusdem defensionis per Joannem Gersonium. Duæ lectiones in Evangelium sancti Marci. Propositiones de sensu litterali sacræ Scripturæ. Contra hæresim de communione laicorum sub utraque specie. De probatione spirituum. De examinatione doctrinarum. Epistola laudans mellifluam & igneam S. Bonaventuræ doctrinam. Epistola ad Osvvaldum Carthusiensem. Epistola ad studentes Collegii Navarræ,* ut posthabitis recentioribus, antiquiores legant, & quid, & qualiter studere debeat novus Theologus. *Ad eosdem,* de regenda disciplina, & de Dominicanis in gratiam Academiæ recipiendis. *Utrum licitum foret Carthusiano pro studio & exercitio spirituali conventum & prolixitatem Divini officii deserere. Qui libri legendi sunt Religioso in servitio & officio Divino occupato. Quomodo cautè legendi sunt libri quorumdam, propter errores occultos. De distinctione verarum visionum à falsis. Trilogium Astrologiæ moralizatæ,* ad Delphinum Regis filium. *Contra superstitiosam dierum observationem. De sculptura & fabricatione idololatrica imaginum Astrologicarum, contra Medicum Monspeliensem. De superstitiosa dierum observatione,* contra eumdem Medicum Monspeliensem. *De erroribus circa artem magicam.* Decretum Facultatis Parisiensis circa eamdem materiam. *Propositiones factæ in Concilio Constantiensi,* contra assertiones Fratris Matthæi Grabon Dominicani, de statu perfectionis Religionis Christianæ & Religiosorum. *Contra sectam Flagellantium,* & Quòd Deus nos salvare voluit per misericordiam suam, & gratiam Sacramentorum. *Epistola de eadem secta Flagellantium,* ad Magistrum Vincentium Dominicanum. *Tractatus contra proprietarios Regulæ Augustini,* Gersonio adscriptus. Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, de Ecclesiæ & Cardinalium auctoritate. Jacobi Almain quæstio resumptiva de dominio naturali, civili, & Ecclesiastico. Ejusdem de auctoritate Ecclesiæ. Ejusdem de potestate Ecclesiastica & Laica. Joannis Majoris disputatio de Ecclesiæ Monarchia, Episcoporum & Parochorum auctoritate. Ejusdem disputatio de Ecclesiæ & Concilii auctoritate.

Cæterùm de hoc argumento certiora & uberiora Lector curiosus repetet ex duobus S.R.E. doctissimis Cardinalibus Thoma de Vio Cajetano, Ord. Præd. & Roberto Bellarmino Soc. Jesu, duobusque nobilissimis Sorbonæ Doctoribus, Michaele Nauclero, & Andrea Duvallio, ut cæteros omittam, cum iis vix ac ne vix quidem comparandos.

Secunda Parte continentur.

Regulæ morales. Compendium Theologiæ, Gersonio adscriptum. *Opusculum tripartitum, de præceptis Decalogi, de Confessione, & arte moriendi;* primùm à Gersonio Gallicè conscriptum, & dehinc ab aliquo barbarè omninò translatum. *De arte audiendi confessiones. De confessione mollitiei. Remedium contra recidivum peccati. Responsio de confessione Religiosorum, & de peccatorum reservatione. Advisamentum super eadem materia. De modo excommunicationum & irregularitatum, & absolvendi ab iisdem. Notabile de forma absolvendi à peccatis. Opusculum de absolutione Sacramentali. De forma absolvendi defunctos,* Carthusianis usitata. *De potestate absolvendi, & peccatorum reservatione. Epistola ad quemdam Episcopum de eadem re. Dialogus de potestate ligandi & solvendi. Octo propositiones de eadem materia. Resolutio super casu irregularitatis. Resolutio quinam censeantur falsarii litterarum Apostolicarum. Resolutio circa materiam excommunicationum, & irregularitatum. De cordis induratione. De Indulgentiis. De suffragiis quæ fiunt pro vivis & defunctis. An malè loqui de absentibus semper sit mortale. De ficta confessione. De confessione imperfecta. De iis qui celebrant in Altaribus fractis, & cum cingulis non benedictis. Variæ quæstiones & responsiones circa diversos casus. De duplici peccato veniali. De correptione proximi. De parvulis trahendis ad Christum,* unde dignoscitur quo zelo salutem scholasticorum procuravit Gersonius. *De contractibus venditione & emptione. De simonia.* XII. Propositiones de eadem re. *Tractatus de intentione dantis & accipientis temporalia pro suffragiis & officiis Ecclesiasticis,* ubi multa de fine & intentione orationis disputantur. *XII. Considerationes necessariæ volenti condere testamentum. Epistola Gersonii super testamento librorum suorum. Epistola, qua postulat à Carthusianis, ut suffragia, quæ illi pollicebantur post obitum, sic anticipent, quatenus à Deo impetret, ut in gratia Dei moriatur. Gersonius Anniversarium sibi fieri procurat in æde B. Pauli Lugdunensis. Testamentum Gersonii per formam orationis quotidianæ. Poemata varia,* super nativitate, patria, vita, studiis, & testamento Gersonii. *Epistola consolatoria super morte fratris Nicolai Monachi Ordinis Cælestinorum. De præparatione ad Missam, & pollutione nocturna. De pollutione diurna. Dialogus de cœlibatu, & castitate Ecclesiasticorum. Carmen de pulchritudine corporis, quæ multis fuit occasio ruinæ.*

Contra impugnantes Ordinem Carthusiensium, quòd pauca in eis reperiantur miracula, & quòd eorum Ordo non sit confirmatus. Verùm ut rectè monuit Theophilus in Erotematis, & in opere de sancto Brunone Stylita mystico, Gersoni suppositus fuit iste Tractatus, eo solùm nomine, quòd aliæ exstarent ejus lucubrationes spectantes ad Carthusianos. Testibus enim Trithemio & Theodoro Petrejo, Bonifacius Ferrerius Carthusianus, frater S. Vincentii Ferrerii Ordinis Prædicatorum scripsit: Cur in Ordine Carthusiano pauci sint Sancti canonizati, & cur pauca referantur miracula Carthusianorum, & de Ordinis Carthusianorum approbatione.

De indispensabili carnis abstinentia Carthusianorum. An liceat gravatum debitis admittere ad vovendam Religionem. De temperantia in cibo, potu, & vestibus Prælatorum. Sermo de vita & habitu Clericorum. Carmen contra superbiam. Sermo de pœnitentia in Cœna Domini. Sermo de dominio Evangelico, in Cœna Domini. Carmen de voluntaria paupertate. Sermo pro eruditione Ecclesiasticorum, ne Judæ perfidiam imitentur. Sermo de Christi Resurrectione in die Paschæ. Sermo de officio Pastorum in Concilio Rhemensi. De visitatione Prælatorum, & cura Curatorum. Sermo de quatuor domibus, Civili, Ecclesiastica, Conscientiæ, & Vitæ æternæ. *Sermo alius de domo conscientiæ & gloriæ. Sermones quatuor de Omnibus Sanctis. Sermo in die Nativitatis Domini. Sermo Dominica in Septuagesima. Sermo de Conceptione B.V. Mariæ,* Gersonio adscriptus. *Sermo de Sancto Bernardo. Sermo de sancto Ludovico,* factus coram Rectore & Academia congregata. *Carmen ut crescant Lilia Galliæ. Sermo de oratione habitus in Concilio Constantiensi. Sermo de Spiritu San-*

Sancto, in eodem Concilio. Sermo de iis qui vocantur à Christo, & sunt ei præsentes. De onere & difficultate Officii Cancellarii, & causis cur eo se voluerit abdicare. Recommendatio Licentiandorum in Decretis. De Nobilitate. De Principis officio variæ considerationes ad Confessorem Caroli VII. Regis Francorum. *Dialogus inter Francum & Anglum*, de bello injusto Galliæ illato ab Anglis. *Opusculum de Virgine Aurelianensi*, Gersonio adscriptum.

Tertia Parte continentur.

De Consolatione Theologiæ libri quatuor, metro & prosa ad imitationem Boethii. *Dialogus Apologeticus pro condemnatione propositionum M. Joannis Parvi.* Varia Poemata. *Josephina*, sive Vita B. Joseph conjugis Beatæ Mariæ. *Sermo de Nativitate Virginis Mariæ. Poematia aliquot de Diva Virgine. Prosa in Circumcisione Domini. Centilogium de conceptibus. Liber de vita spirituali animæ*, ad Episcopum Cameracensem. *De mystica Theologia. Carmen de purificatione sensuum. De Religionis perfectione. De consiliis Evangelicis, & statu perfectionis. De perfectione cordis. De meditatione cordis. De simplificatione & mundificatione cordis. De directione, seu rectitudine cordis. De illuminatione cordis. De oculo, ejus objecto, & actione. De remediis contra pusillanimitatem & scrupulositatem. De diversis diaboli tentationibus. Contra Professum inobedientem. De zelo & fervore Novitiatus. Instructio pro devotis simplicibus*, qualiter se in suis exercitiis & officio gerere debeant. *Documentum notabile de Sacramento Altaris. Octo Epistolæ Gersonii ad diversos*, super diversis argumentis. *De passionibus animæ. Carmen, Vitam esse somnium*, ad Petrum de Alliaco Cardinalem. *De monte contemplationis. Epistolæ tres*, quibus se aliquandiu ægrotasse significat. *De mendicitate spirituali, partes duæ. Epistola ad sorores*, qua ratione singulos dies septimanæ orando & meditando exigeret. *Appellatio peccatoris à divina justitia ad divinam misericordiam. Tractatus de oratione, & ejus valore. Expositio Orationis Dominicæ. Tractatus de triplici Cantico, sensuali, morali, & rationali. Varia Poematia. Collectorium super* Magnificat. *Carmen*, in quo Fratres Gersonii introducuntur loquentes. *Duodecim Tractatus super* Magnificat. *Varia carmina super* Magnificat. *Anagogicum de verbo & hymno*, Gloria in excelsis Deo, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. *Epithalamium mysticum Theologi & Theologiæ. Tractatus super Cantica Canticorum. Alphabetum Divini Amoris*, Joanni Gersonio adscriptum. *Expositio & meditatio super septem Psalmos Pœnitentiales. Donatus moralizatus.*

Quarta Parte continentur.

Sermo de Angelis. Sermo de Circumcisione. Collatio in festo B. Ludovici. De S. Nicolao. Collatio pro Licentiandis in Facultate Decretorum. Alia Collatio pro Facultate Decretorum. Sermo de Cœna Domini. Consilium, ut posthabitis recentioribus Auctores antiqui legantur. Epistolæ duæ consolatoriæ ad Petrum Ep. Cameracensem. Epistola Facultatis Theologicæ ad eumdem Ep. Cameracensem. Adnotatio Doctorum aliquorum, qui de contemplatione locuti sunt. Supplementum cujusdam Sermonis, A Deo exivi, &c. *De Officio Prælatorum, præsertim durante subtractione.* Conclusiones Doctorum Italiæ pro exterminatione schismatis. *Aliquot propositiones Gersonis utiles pro exterminatione schismatis. Arbor originis juris & legum.* Epistola Petri Episc. Cameracensis ad D. N. Papam. *Sermo elegantissimus de B. Ludovico. Epistola ad Canonicum Rhemensem*, de distinctione & probatione visionum factarum cuidam piæ mulieri. *Explicatio quorumdam terminorum ad Sacram Scripturam & Theologiam intelligendam necessariorum. De peccatorum distinctione*, ex Alberto. *Supplementum cujusdam opusculi de schismate*, quod habetur prima Parte. *Epistola ad Abbatem S. Dionysii. Acta super diuturnitate schismatis. Duæ lectiones super illud Marci*, Pœnitemini, & credite Evangelio. *Tractatus, an liceat Christiano initia rerum observare ex cœlestium siderum consideratione. Sermo in Cœna Domini. Sermo de S. Ludovico. Epist. ad Præcentorem Carnotensem*, de festo P. Joseph sponsi Beatæ Virginis celebrando. *Alia epist. de eadem re. Officium sacrum in festivitate beati Joseph dicendum. Supplementum Sermonis de Purificatione beatæ Virginis*, cujus initium habetur prima Parte. *De illuminatione cordis. Propositiones aliquot super esu carnium Religiosorum S. Benedicti. Opusculum contra eos qui dicunt*, quo die quis Missam audivit, non subitanea morte periturum. *De officio Pædagogi Domini Delphini Franciæ. Sermo factus in sancta Synodo Lugdunensi. Opusculum contra quemdam docentem puerulos etiam non baptizatos, ante rationis usum innocentes esse. De signis bonis & malis peccatorum. Sermo de Nativitate B. Mariæ. Contra eos, qui beatitudinibus & actibus hierarchicis privatorum devotorum orationes præferunt. Sermo in secunda feria Pentecostes de Sancto Spiritu. De regimine cujusdam Reclusi in Monte Valeriani. Protestatio Gersonii facta in comitiis Facultatis Theologicæ contra schismata. Epistola, quæ deflet statum Ecclesiæ, tempore schismatis. Propositiones aliquot pro reformatione disciplinæ Facultatis Theologiæ. Epist. ad Provincialem Ordinis Cælestinorum*, explicans quid, & quot modis Crux Christi feratur. *Centilogium de causa finali. De modis significandi propositiones. De concordia Metaphysicæ cum Logica. Sermo contra Gulam, Dominica prima Adventus. Sermones contra Luxuriam, Dominicis II. III. & IV. Adventus. De Castitate, Dominica prima post Natalem Domini. De modo vivendi conjugatorum, Dominica infra Octavas Epiphaniæ. Contra Avaritiam, Dominica I. post Octavas Epiphaniæ. Contra Acediam, Dominica Septuagesimæ. Contra iram, Dominica Sexagesimæ. Contra Invidiam, Dominica Quinquagesimæ. Contra Superbiam, Dominica prima Quadragesimæ. Contra idem vitium alius, Dominica II. Quadragesimæ. Sermo de quærendo Domino. De tentatione, Dominica prima Quadragesimæ. Sermo ad populum Parisiensem, super facto Bullæ Mendicantium anno* 1409. *Sermo Dominicæ III. Quadragesimæ, de desolatione regni in se divisi. Dominica IV. Quadrages. Misereor turbæ. Sermo de cæco nato. Sermo Dominicæ in Passione. Dominica in Ramis Palmarum. Alius sermo in Ramis Palmarum. Sermo in festo Paschæ. Sermo Dominicæ, Misericordia Domini. Sermo in festis Paschalibus. Sermones duo de S. Spiritu. Duo sermones de S. Trinitate. Sermo de Eucharistia. Duo sermones de Concept. B. Virginis. Sermo pro Pace Ecclesiæ & unione Græcorum, habitus coram Rege Franciæ. Brevis instructio ad senem*, quomodo se ad mortem præparare debeat. *Duo sermones de Nativitate Christi. Sermo in die Epiphaniæ. Tres sermones de S. Antonio. In die Purificationis B. Virginis sermo. De Annunciatione Virginis sermo. De Sanctis Petro & Paulo. De Sancto Michaele. De omnibus Sanctis. Tres sermones de Defunctis. Tractatus de consolatione in morte amicorum. Tractatus de consolatione in morte parentum. Sermo factus coram Carolo VI. Rege Galliæ*, Vivat Rex, *de vita naturali, politica & spirituali Principis*, ubi præclara tradit documenta pro Principis institutione. *De adulatoribus Principum, decem considerationes. Sermo coram Rege anno* 1408. *pro Pace. Sermo coram eodem Rege pro justitia. Expositio in Passionem Domini. Tractatus contra Romantium dictum, De Rosa. Quinque conclusiones super ludo stultorum communiter fieri solito. Exhortatio ad Ducem Bituricæ Joannem anno* 1413. ut solemnizaretur festum B. Joseph sponsi B. Mariæ Virginis. *Meditationes aliquot circa Ascensionem Domini. Ratio qua quis potest spiritaliter peregrinari Romam in anno Jubilæi. De lingua refrænanda.*

da. Quomodo puer JESUS *concipi, nasci, & educari possit in unoquoque nostrum, Speculum bonæ vitæ. Sermo coram Rege Franciæ Carolo,* in commendationem Domus Dei, seu Hospitalis Parisiensis. *Sex considerationes contra peccatum blasphemiæ. Querela defunctorum in igne purgatorio detentorum. Moralis admonitio pro Sanctimonialibus. Quindecim perfectiones necessariæ volenti Deo servire. Dialogus sex Magistrorum de tribulatione. Opusculum contra nimis strictam & scrupulosam conscientiam. Duodecim considerationes, ut homo exaudiatur à Deo. Tractatus contra fœdam tentationem, aut spiritum blasphemiæ. Colloquium quinque sensuum & conscientiæ.*

Hæc, ut vides, temerè, nulloque ordine ab editoribus Germanis ac Parisiensibus instar foliorum Sibyllæ confusa atque dissipata, longè sanè convenientiùs additis quibusdam, quæ adhuc delitescunt in tenebris, possent in sex partes dividi omnia Gersonis opuscula, *Hierarchica* scilicet, *Moralia*, *Mystica*, *Dogmatica*, *Concionalia*, *& Miscellanea*, ac prælo subjici, additis singulorum censuris, ut quæ genuina sunt, quæ spuria ac supposititia, primo aspectu præclusis ambagibus imposterum dignoscere valeant curiosi Lectores.

Cæterùm occasione Joannis Gersonis Parisiensis Cancellarii, cui à quibusdam jam olim, sed falsò, tributus est libellus *de Imitatione Christi*, meminit hoc loco Bellarminus noster nescio cujus Joannis de Gersen, sive Gessen Abbatis Itali, ad illud tempus omnibus incogniti, quem recentiores nonnulli ejusdem libelli auctorem prædicarunt, longè pluribus post Sommalium, Rosvveidum, Bollandum, Heserum, Petavium, Theophilum pagina 146. Erotematum, aliosque è Societate nostra doctissimos viros, illum Thomæ Hemercheno de Kempis, Canonico Regulari S. Augustini vindicantibus. Quam serram reciprocare pluribus non placet. Longè enim mihi satiùs videtur ingenuè profiteri, verum germanumque illius opusculi quadripertiti Auctorem adhuc reverà ignorari, quàm ad rixas & decantata toties καὶ κατημαξουμένα in utramque partem jurgia iterum descendere; præsertim cùm, mea quidem sententia, nihil adhuc ab oppositarum partium defensoribus in medium allatum sit, quod uni cuipiam certo auctori palmam victoriamque ἀναμφισβητήτως adjudicet, quin multa adhuc devoranda supersint ἄτοπα ἢ ἀσόγκλωςα plurimique evellendi scrupuli altiùs eruditorum animis defixi ἀλλὰ ταῦτα ὡς ἐν παρέργῳ.

De Thoma Valdensi. 1420.

THOMAS Valdensis, Anglus, Ordinis Carmelitarum Prior Provincialis, floruit tempore Martini V. Pontificis, cui opus suum dedicavit, & obiit Rothomagi in Gallia, anno 1430.

Scripsit *opus* egregium, quod inscripsit *Doctrinale fidei antiquæ*, tribus tomis distinctum.

In primo tomo disputatur contra hæreticos Wiclefistas & Hussitas de Deo, de Christo, de Petro, de Ecclesia, de Religiosis. *In secundo* de Sacramentis, contra eosdem. *In tertio* de Sacramentalibus, contra eosdem.

Dicitur etiam scripsisse *in multos libros divinæ Scripturæ*, & *in Magistrum sententiarum Commentaria*, & *varios tractatus*: sed ego non vidi, nisi tomos illos tres doctrinales fidei antiquæ, nec scio an alia extent typis excusa.

Dissertatio Historica.

THOMAS à Walden, natione Anglus, patria Londinensis, Ordinis Carmelitarum in Anglia Prior Provincialis, & ut ferunt, Henrici V. Regis Anglorum à confessionibus, & secretis, Theologiæ eximium decus, obiit Rothomagi in Normannia die 3. Novembris anni 1430. in suo Conventu honorificè tumulatus. De eo Trithemius, Petrus Lucius Bruxellensis, Joannes Coclæus, Stanislaus Hosius, Jacobus de Plebe, Joannes Pitseus, Possevinus, aliique. Cætera ejus opera latent adhuc in tenebris: Unicum

Doctrinale antiquitatum Fidei Ecclesiæ Catholicæ, in tres Tomos digestum & Martino V. Romano Pontifici dicatum, in quibus adversus Wiclefistas, Hussitas, eorumque recentiores asseclas exactissimè dissèritur, excusum fuit elegantibus typis in alma Venetiarum urbe apud Vincentium Valgrisium an. 1571. recognitum à Joanne Baptista Rubeo, ut taceam præcedentes editiones minus exultas: Tomo III. ubi agit de Sacramentalibus refertur Breve Apostolicum Martini V. Papæ in commendationem operis, & in oratione habita paulò post ejus obitum in Concilio Basileensi meminit ejus Joannes de Ragusa O. P. Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ testatur scripsisse in Pentateuchum scholasticam Postillam; sed eam videre mihi nondum contigit, ut neque ea quorum Catalogum Possevinus contexuit ex Anglicis haud dubiè Racematoribus collectum. Idem sub finem Catalogorum mss. in Judicio & cautione de Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi Thomæ Jamesii hæc habet: Quamobrem per viscera misericordiæ Christi obsecro Anglos, qui specie aliqua decepti sunt hactenus, ut ipsius Thomæ Waldensis (Angli viri doctissimi) opus perlegant, quod prænotatum est: Doctrinale Antiquitatum Fidei & Ecclesiæ Catholicæ in tres partes distributum. In quorum primo agitur de Deo, Christo, Petro, Ecclesia, Religiosis. In secundo, de Sacramentis. In tertio, de Sacramentalibus adversus Wiclefistas, Hussitas, eorumque recentiores asseclas. Perlegant item ejusdem Commentaria in plerosque Divinæ Scripturæ Codices: librum inscriptum, Fasciculus Zizaniorum Viclefi, sermones ad Clerum Oxoniensem, libros varios de religione perfectorum, de Veritate Evangelica, de Corpore Christi Domini, de Divinatione, de Præscientia, & prædestinatione, de Fide, Librum quoque ad Constantiense Concilium, Defensorium Pacis, de Indulgentiis, de Sacramentis, de Paupertate, ne quid dicam de Commentariis in quatuor libros Magistri Sententiarum, & ut omittam quæ in Aristotelem scripsit. Hæc ille.

De Augustino de Roma. 1430.

AUGUSTINUS de Roma, Episcopus Nazarenus, Ordinis sancti Augustini, scripsit: *In primum librum sententiarum.* Item *in omnes epistolas sancti Pauli. In epistolas canonicas. In Apocalypsim.* Scripsit etiam *de peccato originali. De libero arbitrio. De potestate Papæ. De Sacramento divinitatis Jesu Christi, & Ecclesiæ. De Christo capite, & ejus inclyto principatu. De Charitate Christi circa electos, & de ejus infinito amore.*

Sed hæc tria opera prohibita inveniuntur in Indice librorum prohibitorum, donec expurgentur. Obiit anno Domini 1445.

Dissertatio Historica.

AUGUSTINUS de Favaronibus, Patria Romanus, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Prior Generalis creatus an. 1419. deinde Episcopus Cæsenas, ac demùm Nazarenus in regno Neapolitano Archiepiscopus, obiit anno 1443. & in oppido Pratensi in Tuscia in sui Ordinis Conventu quie-

quiescit. Ejus scripta repetesis à Joanne Trithemio, Bellarmino, Elssio, aliisque. (*a*)

(*a*) In Expurgatoriis indicibus Romano, Belgico, & Hispanico Sandovalli prohibentur donec prodeat Expurgatio Tractatuum: De Sacramento Divinitatis Jesu Christi & Ecclesiæ: De Christo capite & ejus inclyto principatu: De Charitate Christi circa electos & de ejus infinito amore.

De Joanne de Imola. 1430.

JOANNES de Imola Jureconsultus celebris, scripsit *super tres libros Decretalium*: *super sextum*, & *Clementinas*. Obiit anno Domini 1436.

Dissertatio Historica.

DE Scriptis ejus plura Trithemius, Forsterus, & Jos. Simlerus: patria Bononiensis, Baldi senis auditor fuit, diciturque ibidem obiisse die 18. Februarii anno 1436. Indictione 14. temporibus Eugenii IV. Papæ, & Sigismundi Imperatoris, sepultus apud S. Dominicum in chori parte orientali, cum epitaphio.

De Paulo Burgensi. 1430.

PAULUS de sancta Maria, relicta Judaica secta, in qua natus erat, Episcopus Burgensis creatus, scripsit *additiones ad Postillam Nicolai Lyrani* quæ extant in ipso Lyrano. Scripsit etiam *scrutinium scripturarum libris duobus*. Vivebat anno 1430.

Dissertatio Historica.

PAULUS Carthagena, cognomento de Sancta Maria, postquam ex Judæo ad fidem Christianam lectione operum S. Thomæ Aquinatis conversus est, ex Trevigensi Archidiacono ad Carthaginensem primùm, ac deinde Burgensem Episcopatum promotus, ac scrinio Regio Præfectus, Regnorum Castellæ ac Legionis Archicancellarium alii vocant, tum postremò Patriarcha Aquilejæ, obiisse dicitur 29. Augusti anni 1435. in oppido Fossa sancti Clementis nuncupato quinque milliaribus distante à civitate Burgensi, in qua sepultus est. De eo ejusque tribus filiis, quos ante conversionem ad fidem susceperat, Alfonso, Gonsalvo, & Alvaro Garsia, vide Joannem Marianam libro 19. cap. 8. Historiæ Hispanicæ, & ex eo Aubertum Miræum in Auctario, Ludovicum Carvajalum de restituta Theologia, Martinum Navarrum in Conciliis, Antonium Possevinum, Christophorum Sanctorisium O. A. aliosque (*a*).

Additiones notabiles ad Postillas Nicolai de Lyra in totam Scripturam extant cum Postillis Lyrani Lugduni anno præsertim 1590. & alibi sæpiùs editæ. In præfatione ad filium majorem natu Alfonsum Decanum Compostellanum ac legum Doctorem multa de se ac vita sua perscribit.

Scrutinium Scripturarum in duos libros divisum, quod, ut observat Trithemius, complevit sub Sigismundo Imperatore & Eugenio Papa quarto, anno Domini 1434. Indictione 12. ætatis suæ 81. Illius editionem optimam censeo quæ Burgis prodiit in folio apud Philippum Juntam anno 1591. opera ejusdem Sanctorisii, qui & vitam Pauli præmisit & opusculum de vera Hæreticorum origine agnoscenda.

(*a*) Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ tradit in gratiam filii sui disseruisse ex singulis Divinæ Scripturæ libris loca quamplurima adversus Nicolai Lyrani commentarios, quibus has decertationes suas adjecit, conatumque in his esse omnes Lyrani explana-

A tiones vel tamquam reprehensione dignas corrigere, vel tamquam inabsolutas deficientesque supplere. Vide supra v. Nicolaus de Lyra. Idem asserit natione Hispanum fuisse, ex oppido S. Mariæ, Levitici generis, &c.

De Joanne Archidiacono. 1430.

JOANNES de Anania, Archidiaconus Bononiensis, scripsit *Commentaria in Decretales*. Scripsit etiam *volumen Conciliorum*. Obiit anno Domini 1455.

Dissertatio Historica.

B JOANNES de Anania Bononiensis, in patria sua Archidiaconus, & Juris Pont. Professor, ibidem obiisse anno 1455. perhibetur. Forsterus meminit Commentariorum in Decretales, & Voluminis Conciliorum, subjungitque eruditioni vitæ Sanctimoniam & pietatem addidisse.

De Raymundo Sebundo. 1430.

Supplementum.

RAYMUNDUS SEBUNDUS, Hispanus, vir magni & solidi ingenii, scripsit opus prænotatum *Theologia Naturalis*, quam alii tamquam Elogio exornantes nominarunt, *Thesaurum Divinarum Considerationum*, editum Venetiis apud Franciscum Zilettum anno 1581. cùm Parisiis jampridem editus fuisset anno 1509. apud Joannem Parvum, & alibi. Prologus tamen in eamdem Theologiam Naturalem, est prohibitus in Romano Indice Clementis VIII. Summi Pontificis. Scripsit item Dialogum prænotatum *Viola animæ*: qua cum Dominico Seminiverbio, agit de Natura hominis ad seipsum, ad Deum, ad hominem proximum, & ad omne debitum solvendum, quo Deo obligatur & Proximo. Impressus *Dialogus de Natura hominis*, an. 1501. Coloniæ apud Henricum Quentelium, & an. 1568. Lugduni apud
D Theobaldum Zaganum. Dicitur etiam scripsisse *Quodlibeta & Quæstiones disputatas*, quæ non comparent. Vivebat anno 1430. Hæc Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2. pag. 316.

(C)

De Antonio Raudensi. 1430.

Supplementum.

ANTONIUS RAUDENSIS seu RAUDINUS, humili loco Falmentæ in Insubria natus, cui propterea Opusculum misit Albertus Sartianus, à nobis inter ejus Opera recensitum, videlicet: *Quòd nihil nocet ad virtutem humili loco nasci*. Hic sacræ Theologiæ
E Magister, in omni studiorum genere insignis, Lactantii Firmiani assidua delectatus lectione, ut emendatior & purior prodiret, effecit. Alia etiam opera scripsit, quæ perierunt. Floruit circa annum 1420. Hæc Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Fratrum Minorum* fol. 37. Itaque Antonius Raudensis Italus, Ordinis Fratrum Minorum, circa annum 1430. aut 1440. *Opera Lactantii* emendavit ad mss. codd. diligenti collatione facta, & præfixa locorum notatione, qui minùs quadrare veritati noscebantur. Impressa hoc modo postmodum prodiere Venetiis an. 1497. apud Bevilaquam, & Lugduni apud Gryphium, & Basileæ apud Cratandrum anno 1532. & Coloniæ anno 1544. apud Petrum Quentelium. Pauca *de Antonio Raudensi* habet Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1. pag. 104.

De Joanne Nider. 1430.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES NIDER natione Germanus, patria Svevus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, insignis Theologus, claruit anno 1430. & sequentibus, tempore Concilii Constantiensis. Scripsit multa, quorum maxima pars impressa est, nempe *Præceptorium seu Tractatus de decem Præceptis*, impressus in 4. Parisiis anno 1515. per Jacobum Pouchin 13. Kalendas Januarii, itemque in 4. Parisiis anno 1507. per Andream Bocard sexto Idus Maji: denique anno 1612. Duaci in 8. apud Balthasarem Bellerum. *Myrmecia Bonorum*, seu *Formicarium ad exemplum sapientiæ de formicis*, impressum Duaci in 8. anno 1602. apud Balthasarem Bellerum sub Circino aureo, cum Notis Georgii Colvenerii: itemque in 4. Parisiis anno 1516. apud Joannem Engellerium de Marnefoi: ejusdem *De Maleficiis & Præstigiis* ex Formicario per Joannem Sprengherum *in Malleo Maleficorum* Joannis Sprengheri, Lugduni excuso anno 1620. pagina 469. *Consolatorium timoratæ conscientiæ*, editum in 18. Parisiis anno 1494. per Magistrum Petrum le Dru, cum libro *de modo bene vivendi* sub nomine Divi Bernardi ad Sororem: Itemque recusum Romæ anno 1604. in 8. apud Stephanum Paulinum. *De reformatione Religiosorum lib.* 3. impressi in 8. Antuerpiæ anno 1611. apud Bellerum citatum. *De contractibus Mercatorum*, Opus editum Venetiis anno 1584. in compilatione Tractatuum Juris, ibidem in fol. multis tomis, tomo sexto pagina 279. & seqq. & Lugduni cum aliis Operibus anno 1593. impressis, pagina 615. Impressi etiam antiquo caractere olim ejus *Sermones totius anni de tempore, & de Sanctis cum Quadragesimali* in 8. ut habetur in Bibliotheca publica Oxoniensi, verbo *Nider*, &c. Vivebat anno 1436. & ultra; de quo Possevinus *in Apparatu Sacro* tom. 1. pag. 925. Altamura *in Bibliotheca Dominicana*, cum aliis.

De Alberto de Sartiano. 1430.

SUPPLEMENTUM.

ALBERTUS DE SARTIANO, Etruriæ oppido, (etsi Mediolanensem dixerit Vvillotus) vir insignis, in Græcis & Latinis, Divinis & humanis Litteris eruditus, Eugenio IV. & Nicolao V. Charus, totius Fratrum Minorum Ordinis aliquamdiu Vicarius Generalis; in Concilio Florentino Græci Idiomatis interpres, ad quod etiam Jacobitas ex remotissima Ægypti regione adduxit, egregius Ecclesiastes, & dissolutæ disciplinæ reformator. Eo tempore Guarinum Veronensem habuit Magistrum, quo Latina Eloquentia in Italia cœpit suo nitori restitui. Nitidè & doctè multa scripsit Opuscula, quæ penes se habuit mss. in ipso ejus Autographo Vvadingus: ea porrò sunt *Tractatus de Pœnitentia*, scriptus anno 1433. Incipit, *A plerisque, & multis in locis*.

Tractatus de Eucharistiæ Sacramento, scriptus anno 1432. *Credo vos, Patres Charissimi*.

De conditione Amicitiæ & de malitia Invidentiæ. Incipit, *Non secus illo pacto*.

Quòd nihil nocet ad virtutem humili loco nasci: Incipit, *Ne falsò forsitan arbitreris*.

De Insolentibus corripiendis, anno 1446. *Cùm Apostolus Paulus*.

Contra Martyrum vituperatores ad Eugenium IV. Pontificem Maximum; *Cùm adversùs amplissimæ gloriæ*.

Sermo habitus in Comitiis generalibus Ordinis Patavii celebratis anno 1443. *Quamquam nos omnes*.

A *Epistolas plerasque ad prædictum Eugenium Pontificem, ad varios Antistites, maximè verò ad Christophorum Episcopum Ariminensem, Eugenio ab intimis Consiliis*. Multa ex hujus præclari viri Operibus sparsim exscripsit idem in tomo 4. suorum Annalium, quæ, si Deo placuisset, aliquando publici juris fecisset universa. Obiit autem Albertus Mediolani anno 1450. postquam strenuè adlaboravit viris sanctissimis Bernardino Senensi, Joanni Capistrano, & Jacobo Piceno, pro restituenda Ordinis Disciplina. Hæc Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum pag.* 6.

De Joanne Ragusæo. 1438.

B JOANNES Ragusæus Ord. Prædicatorum in Basileensi Concilio *orationem* habuit doctissimam per octo dies *de communione sub utraque specie contra Hussitas*, quæ extat apud Henricum Canisium tomo tertio antiquæ lectionis, ubi etiam multa habentur alia de hæresibus Bohemorum.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES de Ragusio, seu Ragusa Ordinis Fratrum Prædicatorum, natione Dalmata, cùm interfuisset anno 1433. & seqq. Concilio Basileensi, tandem à quibusdam creatus dicitur Cardinalis, de quo tamen silent diligentissimi Purpuræ Romanæ Il-
C lustratores. De eo plura Trithemius, Antonius Senensis, Possevinus, Alfonsus Fernandez, & alii.

Oratio de communione sub utraque specie non concedenda Laicis, adversus Hussitas, sive Bohemos, quorum mores, vita, ac vitia, hæresesque aliæ describuntur, per dies octo in Concilio habita, extat apud eumdem Henricum Canisium.

De Henrico Kalteisen.

HENRICUS Kalteisen Ordinis S. Dominici, in eodem Concilio Basileensi disputavit *contra Hussitas de libera prædicatione Verbi Dei*, per tres dies: & disputatio, sive oratio extat apud Henricum Ca-
D nisium tom. 4. part. 2. antiquæ lectionis.

DISSERTATIO HISTORICA.

HENRICUS de Kalteisen, seu Kaltiissen, aliis Caltæsemius, patria Confluentinus in Germania, Ordinis Sancti Dominici, Theologiæ Professor, Fidei apud Colonienses Inquisitor, Palatii Apostolici Magister, ac deinde Ecclesiarum Nydrosiensis & Cæsariensis Archiepiscopus, obiit Kalendis Octobr. anni 1465. si qua fides Jo: Trithemio, Antonio Senensi in Bibliotheca Fratrum Ordinis Prædicatorum, & Alfonso Fernandez in Concertatione Prædicatorum. Unde aliisque præterea indiciis arguas
E Simlerum, qui floruisse asserit an. 1495. nisi sit Typographicum Σφάλμα. Sepultus fuit in Conventu suo Confluentino.

Anno 1433. per tres dies in Concilio Basileensi Dissertationem suscepit, *De libera prædicatione Verbi Dei*, adversus Bohemos Hussiticæ hæreseos fautores, quam evulgavit Henricus Canisius Tomo IV. Antiquæ Lectionis. Alia ejus opera quæ ex Trithemio recensent recentiores, non videntur prodiisse in lucem (*a*).

Sixtus Senensis memorat in Canticum Beatæ Virginis Mariæ librum unum. Alii addunt sermones in Deiparæ Virginis festivitatibus. Vide Hippolyti Maraccii Bibliothecæ Marianæ Partem primam ex Alfonso Fernande in Concertatione Prædicatorum.

De

De Sancto Bernardino Senensi. 1438.

SANCTUS BERNARDINUS patria Senensis, professione Franciscanus, vir doctrina, & miraculis clarus universam Italiam sacris Concionibus illustravit.

Obiit Aquilæ, ubi corpus ejus integrum invisitur, anno Domini 1443. & à Nicolao V. summo Pontifice in sanctos relatus est anno 1450.

Scripsit *sermones de tempore. Sermones de Sanctis. Sermones contra Judæos.* Scripsit etiam *in Apocalypsim. De Evangelio æterno. De Christiana Religione. De Conceptione B. Mariæ Virginis. De passione Domini. De virtutibus & vitiis. De fructibus Eleemosynæ. De triplici statu animæ. De triplici amore Magorum. De sacrificio Abraham. De veritate. De amore Dei, & animæ. De Spiritu Sancto. De casibus proprietatis. Officium nominis Jesu. De mundana prosperitate. De Pastorali gubernatione. De Sancto Joseph Sponso Virginis. De circumstantiis nationum. De divino amore. De triplici Christi nativitate. De tribus tormentis peccatorum. De obedientia. Defensorium veritatis.*

DISSERTATIO HISTORICA.

SANCTUS BERNARDINUS Ordinis Minorum clarissimum sidus, patre Senensi in Massanensi Etruriæ oppido natus, & à frequenti Senarum incolatu Senensis dictus, obiit Aquilæ in Vestinis anno 1440. die 20. Maji, ætatis 63. & à Nicolao V. Romano Pontifice inter Sanctos adscriptus anno 1450. Ejus vitam & elogia cum operibus leges, vel in Analibus Minorum, & Bibliotheca Lucæ Wadingi, ac Appendicibus ad Baronianos Annales, vel apud Marcum Ulissipon. aliosque Franciscanæ Historiæ concinnatores. Nec omittendus Sanctus Antoninus Florentinus Archiep. qui cum eo familiariter vixit.

Opera Venetiis apud Juntas in 4. edita sunt anno 1591. à F. Petro Rodulfio Episcopo Seno Galliæ restituta, & apostillis, ut vocat, illustrata, hoc servato Tomorum Ordine

Tomo I. post vitam à B. Joanne Capistrano scriptam Quadragesimale de Christiana Religione, in quo uberrimi de Restitutionibus, & de Passione Domini Tractatus.

Tomo II. *Quadragesimale de Evangelio æterno*, ubi copiosissimus de Usuris, & Contractibus Tractatus.

Tomo III. *Sermonum opus*, in quo præ aliis de Spiritu Sancto, de Beata Virgine, de octo Beatitudinibus, deque obedientia Evangelica Tractatus. Item *Sermones septem, & Quadragesimale parvum*, quod *Pugna spiritualis* nuncupatur.

Tomo IV. Post *Quadragesimale*, vulgò dictum, *Seraphim*, ex iis concionibus, quas Patavii habuit, à Daniele de Purziliis J. C. Patavino collectum, reperiuntur *Sermones Extraordinarii*, ejusdem S. Bernardini, numero 25.

R. P. Joannes de la Haye Parisinus, ejusdem Seraphici Ordinis Concionator Regius, Terræ Sanctæ Commissarius Generalis, & Provinciæ Franciæ Parisiensis Visitator Generalis & Apostolicus, an. 1636. Parisiis eadem opera quinque partibus distincta, synopsibus ornata, postillis illustrata, necnon variis Tractatibus locupletata, recudenda curavit in folio, hoc ordine.

Tomo I. continentur.

Vita B. Bernardini Senensis in capita 69. distincta.

Ejusdem Vita per B. Joannem à Capistrano conscripta.

A Ex libello mſ. Pii II. Papæ de Viris Illustribus, qui servatur in Bibliotheca Vaticana.

Canonizatio S. Bernardini cum Bullis Nicolai V. & aliorum Romanorum Pontificum.

De capsa argentea à Rege Francorum Ludovico XI. missa ad conservandum sanctissimum ejus corpus.

Elogia à variis viris eruditis, & Oratio Augustini Dathi de laudibus ejus.

Quadragesimale S. Bernardini de Religione Christiana, quæ eruditissimè cum omnibus suis encomiis celebratur, cujusque necessitas, dignitas, veritas, unitas, nobilitas, virtus, triumphus, &c. dignè commendantur.

B *Tomo II. continentur.*

Quadragesimale de Evangelio æterno, continens Charitatis, & aliarum virtutum encomia, necnon eruditissimum Tractatum de Usura.

Tomo III. continentur.

Duo Adventalia; Unum, *de Vita Christiana*, in quo doctè disseritur de octo Beatitudinibus: Secundum *de Inspirationibus*.

Duplex Quadragesimale; Unum, *de Pugna spirituali*. Secundum, Seraphim nuncupatum, idest de

C Amore.

Sermones *de Quatuor novissimis*, & alii sermones dicti *Extraordinarii*, numero 25. cum Tractatibus sequentibus.

De Confessione. De Speculo peccatorum. De Præceptis Regulæ Minorum. De Præceptis Religiosi. Epistola ad Fratres Familiæ Ultramontanæ. De Aspirationibus quotidianis ad Deum. Dialogus de Obedientia.

Tomo IV. continentur.

Sermones eximii *de Christo Domino, Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, Deipara Virgine, de Tempore, de Sanctis.*

D *Tomo V. continentur.*

Commentarii in Apocalypsim B. Joannis Evangelistæ. Possevinus, Bell. Willotus, Wadingus, & alii, nonnulla præterea opuscula recensent, atque inter cætera meminerunt *Sermonis*, seu libri *de Conceptione B. Virginis*, quem Bernardinus de Bustis sermone 4. de eadem B. Mariæ Conceptione testatur se vidisse Senis, propria ipsius Sancti manu exaratum; & *de Festivitatibus gloriosæ Virginis per annum, librum unum*, quem anno 1493. apud Fridericum Kreusner Norimbergæ impressum docent Simlerus, Maraccius, & Wadingus.

E

De Joanne de Polemar. 1438.

JOANNES de Polemar Archidiaconus Barchinonensis, in eodem Concilio Basileensi oravit per tres dies *contra Hussitas de civili dominio Clericorum*: oratio extat apud Henricum Canisium tom. 4. par. 2. antiquæ lectionis.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES Polemarius, Barchinonensis Archidiaconus, interfuit Concilio Basileensi anno 1433. ibique orationem habuit contra tertium articulum Bohemorum, sive Hussitarum, *de Civili Dominio Clericorum*, quam primus in lucem dedit Henricus Canisius.

De B. Joanne Capistrano. 1440.

BEATUS JOANNES de Capistrano, natione Italus Ordin. Minorum Sancti Bernardini amicissimus, laboribus maximis pro Ecclesia perfunctus obiit anno Domini 1456.

Scripsit *de dignitate Ecclesiastica ad Nicolaum V. Papam. De illustranda conscientia. De censuris. De pœnis Inferni, & Purgatorii. De pœnis injungendis. De restitutione, & contractibus. De Matrimonio. De Conceptione Beatæ Virginis. De Judicio universali, & Antichristo. De potestate Papæ, & Concilii. De auctoritate concilii, sive Ecclesiæ. Speculum Clericorum. De cupiditate. De Passione Domini. Contra Hussitas. Adversus Joannem Rochesanum, hæreticum Hussitam.* Scripsit denique *Epistolas ad varios.*

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES à Capistrano Aprutii in Italia oppido, urbis Marsorum Aquilæ vicino dictus, ideoque errant qui cum Wadingo Brutiorum oppidum afferunt, ex nobili familia Chiolorum natus anno 1385. Ordinem Minorum ingressus, B. Bernardini Senensis discipulus, eique amicissimus fuit, bis Generalis Vicarius Reformationis Observantium, Inquisitor Fidei, & Legatus Sedis Apostolicæ in Germaniam missus, Hussitarum signiferum, Joannem Rochesanam Pragensem Pseudo-Episcopum repressit, & adversus Turcas Albam Regalem in Hungaria obsidentes exercitum Crucesignatorum duxit, eosque debellavit. Obiit Wilare anno 1456. in diœcesi Quinqueecclesiensi annos natus 71. die 3. Octobris. Ejus vita Viennæ in 4. edita est anno 1523. De eo Pius II. Papa, Blondus, Cusanus, Trithemius, Continuatores Baronii, Henricus Sedulius, Willotus, Gonzaga, Simlerus, Possevinus, Bellarminus, Wadingus, Artrurus à Monasterio, alii, & Gregorius XV. Papa in diplomate, quo eum inter Beatos accensuit. Extant inter Tractatus Juris editos Venetiis 1584. & alibi etiam seorsim;

De auctoritate Papæ & Concilii. De Matrimonio. De Excommunicatione. De Canone Pœnitentiali. Speculum conscientiæ editum anno 1441. *Speculum Clericorum, Defensorium Tertii Ordinis à S. Francisco instituti,* & alia, quæ fusiùs exponit Bibliotheca Minorum.

De Alphonso Tostato. 1440.

ALPHONSUS Tostatus natione Hispanus Episcopus Abulensis, vir sanctitate, & doctrina celeberrimus: vixit tempore Eugenii quarti Pontificis, circa annum Domini millesimum quadringentesimum quadragesimum.

Scripsit *Commentaria* copiosissima *in Pentateuchum, in Josue, Judices & Ruth*: necnon *in libros Regum, & Paralipomenon,* & *in Evangelium Sancti Matthæi,* in quibus Commentariis dissolvit quæstiones innumerabiles, ut merito de eo scriptum sit, Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne; & quod magis est admirandum, tanta scripsit brevissimo tempore, cùm non vixerit nisi annos quadraginta. Neque solùm Commentaria illa scripsit, sed etiam opuscula plurima, è quibus extant:

Defensorium trium conclusionum. Liber de sancta Trinitate. Liber contra Sacerdotes concubinarios. Paradoxa. Explicatio verborum Isaiæ, Ecce Virgo concipiet. Liber de statu animarum post mortem. Liber de optima politia.

Hujus opera omnia demùm Coloniæ apud D. D. Antonium Hierat, & Joannem Gymnicum sunt excusa 1612. Observandum est defensorium esse cautè legendum in secunda parte capite 30. & cap. 60. & 69. & sequentibus multis, ubi de summo Pontifice disputatur.

DISSERTATIO HISTORICA.

ALFONSUS Tostatus Hispanus in oppido Madrigali natus, floruit sæculo Ecclesiæ XV. atque ex Doctore & Presbytero Salmanticensi Abulensis in eadem Hispania Episcopus, & Consiliarius Regius, Majorque, ut vocant, Referendarius, obiisse dicitur anno Christi 1454. annos tantùm 40. natus. Concilio Basileensi interfuerat cum Joanne Capreolo, pluribusque aliis viris doctis. Plura de eo disces ex Joanne Mariana libro 24. Historiæ Hispanicæ, Alfonso Garcia Matamoro, Possevino, aliisque recentioribus. Extant ejus opera 27. Tomis distincta ex editione Veneta apud Sessas anni 1596. qua modò utor, & in sequentem ordinem distribuo ad majorem Lectorum opportunitatem.

1. *Commentariorum in Genesim liber unus*; quem scribebat anno 1436. præmissis Commentariis in Epistolam Sancti Hieronymi ad Paulinum, & in Præfationem ejusdem Sancti Hieronymi in Pentateuchum. 2. & 3. *Super Exodum* libri duo, seu Partes duæ. 4. *Super Leviticum* liber unus. 5. & 6. *Super librum Numerorum* libri seu Partes 2. 7. *Super Deuteronomium* liber 1. 8. & 9. *Super Josue* libri seu Partes 2. 10. *Super Judicum & Ruth* liber 1. 11. & 12. *Super primum librum Regum* libri seu Partes 2. 13. *Super secundum librum Regum* liber 1. 14. *Super tertium Regum* liber 1. 15. *Super quartum Regum* liber 1. quem composuit anno 1440. 16. & 17. *Super libros Paralipomenon* Partes 2.

18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Commentariorum super Evangelium Sancti Matthæi* libri, seu, Partes septem, quarum sextam an. 1446. composuit, septimam verò anno 1449.

25. *Opuscula*, quæ hactenus sunt inventa complectitur; sunt autem: *Defensorium trium Conclusionum*, quod emisit anno 1445. *Liber de Quinque figuratis Paradoxis. Libellus de Sanctissima Trinitate. Libellus super*, Ecce Virgo concipiet, &c. *Libellus contra Sacerdotes publicos concubinarios. Libellus de statu Animarum post mortem. Libellus de optima Politia.*

26. & 27. Index in omnes præcedentes Tomos amplissimum, auctore Francisco Fontano Sacræ Theologiæ Magistro per R. D. Rainerium Bonosium restitutus & auctus, in duas Partes distributus.

De Blondo Historico. 1440.

FLAVIUS Blondus patria Foroliviensis, à secretis fuit Eugenio quarto Summo Pontifici; & scripsit *historiam Romanam*, in qua multa Ecclesiastica continentur, *ab inclinatione Imperii usque ad sua tempora*, id est, *ab anno Domini* 407. *usque ad annum* 1400.

DISSERTATIO HISTORICA.

FLAVIUS Blondus, patria Foroliviensis, Eugenio IV. & quibusdam aliis Romanis Pontificibus à secretis & epistolis, Romæ pauper, ut Philosophum decuit, die 4. Junii obiit anno 1463. natus annos 75. & in Capitolio juxta Templum Deiparæ sepultus. Ejus opera Pius II. in compendium redegisse dicitur. Plura repete à Gobellino, Volaterrano, Georgio Merula, Trithemio, Jovio, aliisque. Extant, *Romæ Triumphantis libri decem Pio II. Papæ dicati. Romæ instauratæ libri tres Eugenio IV. oblati. Italiæ illustratæ libri octo.*

Historiarum Romanarum Decades tres, ab anno circiter

ter 400. Arcadio, Honorioque Romanum orbem diviso inter se Imperio administrantibus, atque ægrè adversus Barbaros undique erumpentes protegentibus, usque ad ætatem suam, hoc est, annum Christi 1440. meminit enim Felicis V. Antipapæ adversus Eugenium IV. in Concilio Basileensi creati, atque in Subalpinis dominantis. Additur præterea Tractatus *De origine & gestis Venetorum*.

A

De Nicolao Panormitano. 1440.

NICOLAUS Tedescus, natione Siculus, patria Catanensis, Ord. Sancti Benedicti, Abbas, & postea Archiepiscopus Panormitanus; ac demum S. R. E. Cardinalis creatus, sed in schismate à Felice quinto Antipapa. Vir fuit Juris Canonici peritissimus, & plurima scripsit, quæ tomis octo comprehenduntur in editione Veneta anni 1592.

B

In primo, & secundo tomo habentur *Commentaria in primum librum Decretalium. In tertio, quarto, & quinto tomo* habentur *Commentaria in secundum librum Decretalium. In sexto tomo* habentur *Commentaria in tertium Decretalium. In septimo tomo* habentur *Commentaria in quartum, & quintum Decretalium*: & *in epistolas Clementinas. In octavo tomo* habentur *Concilia 226. quæstiones septem.* Item *Relectio in cap. Per tuas, de Arbitris.* Item *Practica ejusdem.*

Dicitur etiam scripsisse *Commentarium inchoatum in Decretum*: sed nescio, an extet. Dicitur etiam scripsisse *librum pro Concilio Basileensi*, sed hunc librum ut in mala causa scriptum, & proinde erroneum, credibile est ex ejus operibus abrasum fuisse. Ego certè inter ejus opera variarum editionum eum nusquam reperi. Quamvis autem hic auctor sederit in Concilio Basileensi, etiam quo tempore Concilium acephalum, & schismaticum erat: tamen in eo benè se gessit, quod introducentibus in Concilium multitudinem Presbyterorum, ob defectum Episcoporum, liberrimè contradixit; ut testatur Æneas Sylvius qui præsens aderat, in historia Concilii Basileensis. Sciebat enim, & docebat, in Conciliis, præsertim generalibus, locum non esse simplicibus Presbyteris, quo ad votum decisivum, nisi locum tenerent absentium Episcoporum. Obiit Nicolaus, Abbas Panormitanus anno 1445.

C

D

Dissertatio Historica.

NICOLAUS Tudeschus, seu de Tudeschis, ex Catana Siciliæ urbe non ignobili oriundus, primùm Abbas S. Agatæ Ordinis S. Benedicti, dein Archiep. Panormitanus, ac tandem S.R.E. Cardinalis à Felice V. Antipapa creatus, Francisci Zabarellæ Cardinalis, & Antonii de Butrio discipulus fuit, & ob eximiam Juris utriusque scientiam Lucerna Juris vulgò dictus, obiit anno 1443. De eo Trithemius, qui eum Nicolaum Siculum vocat Abbatem Monacensem, S. Antoninus Archiep. Florentinus, Ant. Possevinus, Henricus Spondanus, Ciacconius, aliique.

E

Ex omnibus ejus editionibus, quas apud Simlerum, Possevinum, Draudium, similesque reperies, perfectissima mihi videtur Veneta anno 1617. apud Juntas, quam hic tibi repræsentabo.

Tomo I. continentur.

Commentaria in sex priores Titulos libri Primi Decretalium Gregorii IX. Papæ.

Tomo secundo.

Commentaria in reliquos Titulos libri I. *Decretalium.*

Tomo tertio.

Commentaria in Titulos libri II. Decretalium à primo usque ad XVIII. de Confessis.

Tomo quarto.

Commentaria in librum II. Decretalium à Titulo XIX. de Probationibus usque ad XXIV. de jurejurando.

Tomo quinto.

Commentaria in librum II. Decretalium à titulo XXV. de Exceptionibus, usque ad XXX. qui est ultimus.

Tomo sexto.

Commentaria in librum III. Decretalium.

Tomo septimo.

Commentaria in libros IV. & V. Decretalium.
Ad Clementinas & earum Glossas commentaria.

Tomo octavo.

Consilia numero CXVIII.
Quæstiones subtilissimæ VII.
Repetitio in cap. Per tuas, de Arbitris.
Practica in omnibus ferè Curiis observari solita.

Tomo nono.

Thesaurus singularium in Jure Canonico decisivorum, conscriptus in Concilio Basileensi, & secundùm ordinem Alphabeticum pro faciliori usu dispositus.

Additiones Jacobi Anelli de Bottis ad Comm. Consilia & Quæstiones Abbatis Panormitani.

Repertorium rerum & sententiarum selectiorum, cum brevi Tractatu Differentiarum Legum & Canonum Domini Gualvarii Bononiensis.

Forsterus ait extare ejus librum de potestate Pontificis, Imperatoris, & Concilii, quem non vidi; & præterea singulari libro defendisse Concilium Basileense.

De Sancto Antonino Florentino. 1445.

SANCTUS ANTONINUS, patria Florentinus, Ord. Prædicatorum, ac postea Florentiæ Archiepiscopus, vir doctissimus, & sanctissimus, obiit anno Domini 1459. ætatis 70. quem in sanctorum Catalogum retulit Adrianus VI. Pontifex.

Scripsit *summam historialem in tres partes divisam. Summam Theologicam, in quatuor partes divisam. Librum de eruditione Confessorum*, qui dicitur, defecerunt, quia incipit, Defecerunt scrutinio.

Dicitur etiam scripsisse *Trialogum de Christo, & duobus discipulis euntibus in Emmaus*, in quo explicantur omnia, quæ de vita, morte, & resurrectione Domini prædicta sunt.

Dissertatio Historica.

SANCTUS ANTONINUS, civis & Archiepiscopus Florentiæ, ex Ordine Prædicatorum assum-

ptus, obiit die 2. Maji anno 1459. ætatis 70. & in Ecclesia Sancti Marci sepultus est. Eum an. 1523. die 30. Maji cœlestium catalogo adscripsit Hadrianus VI. Papa, cùm de eo adhuc vivente Nicolaus V. tam in numerum cœlitum reponendum sibi videri, quàm Bernardinum Senensem mortuum miraculorum gloria ubique fulgentem. Vide ejus encomia apud Gobellinum, Jo: Trithemium, Sixtum, Antoniumque Senenses, Bzovium, Spondanum, Vossium, aliosque.

Duæ illius *Summæ*, *Historialis*, in tres partes distincta, quæ in annum 1458. desinit, & *Theologica*, in quatuor partes tributa, cum libro *de Eruditione Confessorum*, sunt in omnium manibus.

De Ænea Sylvio. 1450.

ÆNEAS SYLVIUS, patria Senensis, vir doctus, prudens, & magni animi, ac primum à secretis Imperatoris, deinde Episcopus Senensis, tum Cardinalis, denique summus Pontifex Pius secundus, dum expeditionem magnam adversus Turcas Christiani nominis hostes moliretur, obiit anno Domini 1464.

Scripsit *de rebus Ecclesiasticis contra Taboritas librum unum*. *Ad Nicolaum de Cusa, lib. 1. De fide ad Imperatorem Turcarum. De historia Bohemorum. De clade Constantinopolitana. De clade universalis Ecclesiæ. De conventu Mantuantino, Orationem 1. Ad Calistum Papam, Oratio 1. Ad Cardinales, Oratio 1. Decadum Blondi Epitomen. Epistolas multas. De Concilio Basileensi, libros duos. Retractationem. Commentaria de rebus à se gestis. Responsionem ad Martinum Mejer pro Ecclesia Romana.* Scripsit præterea *multa ad humanitatem, ad poesim, ad Corographiam pertinentia.*

Observatio prima.

Quæ scripsit Æneas pro Concilio Basileensi, cùm juvenis esset, retractavit senex, & Pontifex Maximus, & quamvis libri illi de Concilio Basileensi merito prohibiti sint ab Ecclesia Catholica: tamen hæretici Basileenses, qui nuper eosdem libros recuderunt, non tam Ecclesiæ Catholicæ, quàm causæ suæ detrimentum attulerunt. Siquidem ex historia illa Æneæ Sylvii de Concilio Basileensi, apparet illud Concilium initio fuisse legitimum: sed ubi verum Pontificem Eugenium quartum deponere aggressi sunt Patres illi, jam non habuisse formam veri Concilii, non solùm quòd acephalum esset, sed etiam quòd contra formam omnium veterum Conciliorum plures essent in eo Conventu Presbyteri cum voce decisiva, quàm Episcopi: notissimum enim est, Concilia generalia, ut etiam provincialia, Episcoporum esse, non minorum Sacerdotum: sic enim legimus in Concilio Calcedonensi actione prima, Mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est. Vide, si placet, quæ scripsimus libro 3. de Ecclesia cap. 16.

Observatio secunda.

Extant Commentaria de rebus gestis Pii secundi sub nomine Joannis Gobellini, sed dubium est, an illud opus sit ipsius Pii Pontificis, an verò ejus sub cujus nomine prodiit: extant enim manuscripta commentaria eadem sub nomine Pii secundi, & stylus videtur esse idem in hoc opere, & in aliis ejusdem auctoris, sed res non est magni momenti.

Dissertatio Historica.

ÆNEAS SYLVIUS, è Picolomineorum nobili familia, Senis in Etruria natus anno 1405. primùm Brevium, ut vocant, Auditor, ut Clericus cæremoniarum interfuit Concilii Basileensis singulis conventionibus seu sessionibus, tum Friderici III. Imperat. à secretis in Germania diu versatus, unde in Italiam reversus ad Episcopatum patriæ urbis Senensis promotus, ac deinde Cardinalis, tandemque Summus Pontifex post Calistum III. anno 1458. die 19. Augusti creatus, Pius II. cognominari voluit, totique Ecclesiæ magna cum laude præfuit annis 5. mensibus 11. & diebus 27. usque ad diem 15. Augusti anni 1464. quo natus annos 59. Anconæ obiit, cùm expeditionem adversus Turcas urgeret. Sepultus in Basilica S. Petri cum epitaphio. Qui annos ejus vitæ tribuunt 63. natum fuisse anno 1401. aut sequenti affirmare debent. De eo præter Platinam, aliosque, qui de Vitis Romanorum Pontificum ex professo scripserunt, videndi Joannes Gobellinus Persona ejus Secretarius, Joannes Antonius Campensis, Joannes Aretinus, Jac. Phil. Bergomas, Joannes Trithemius, Floridus Sabinus, Joannes Stella Sacerdos Venetus, Bzovius, Spondanus, Possevinus, Vossius, aliique passim. Vide & Concilia Biniana an. 1606. & 1618. Coloniæ edita.

Omnia ejus opera edita sunt Basileæ anno 1571. ex Officina Henricpetrina, quorum hic elenchus post vitam à pluribus descriptam & Indicem.

Bulla Retractationum omnium dudum per eum in minoribus adhuc agentem pro Concilio Basileensi & contra Eugenium IV. Summum Pontificem scriptorum, data Romæ apud S. Petrum 6. Kal. Majas anno 1463.

Commentariorum de Gestis Concilii Basileensis libri duo.

De Coronatione Felicis Quinti Pontificis Maximi, ad Joannem de Segovia ejusdem ad Diætam Bituricensem Oratorem.

Duæ Epistolæ, quas Julianus Cardin. S. Angeli Legatus in Germania scripsit ad Eugenium Papam conantem dissolvere Concilium Basileense.

De ortu, regione, ac gestis Bohemorum, sive, Historia Bohemica ad Alfonsum Regem Aragonum.

Abbreviationum Flavii Blondi Forolivienses, ab inclinatione imperii usque ad tempora Joannis XXIII. Papæ libri 20.

Cosmographia, sive, liber Historiarum de mundo universo.

Europa, in qua sui temporis varias Historias complectitur.

In Antonii Panormitæ Poetæ de dictis ac factis memorabilibus Alfonsi Aragonum Regis libros quatuor, Commentaria.

In triumphum Alfonsi Regis.

In Alfonsum Aragoniæ Regem oratio.

Epistolarum liber unus, continens Epistolas numero 414.

In CIII. est Epistola *Triplicis problematis resolutio*. In CVIII. *somnium de fortuna*. In CXI. *Poesim laudat & Juris scientiæ præfert*. In CXIV. *Historia de Euryalo & Lucretia se amantibus*. In CXXX. Dialogus contra Taboritas & Bohemos de Sacra communione sub una specie anno 1451. In CXXXI. *Oratio de Constantinopolitana clade & bello contra Turcas suscipiendo*. In CLXII. *de clade Universalis Ecclesiæ orthodoxæ, de situ & fertilitate Ungariæ, & de adversis Pruthenorum contra Cruciferos Ordinis Teutonicorum*. In CLXV. *Descriptio Urbis Viennensis*. In CLXVI. *De Curialium miseriis*. In CLXXXVII. *de rebus à se gestis, sive, quomodo ab imis ad altiora conscenderit*. In CCLXXXVIII. *De*

Papæ

Papæ officio & ejus Officialibus, five, *contra negantes auctoritatem Summi Pontificis à Christo institutam esse*. In CCCLXIX. *Excusatio contra murmur gravaminis Germanicæ nationis*. In CCCXCV. *Pœnitet composuisse olim Tractatum de duobus se amantibus*. In CCCXCVI. *De fide Christianorum ad Mahometem Regem Turcarum, & de vanitate sectæ Mahometicæ*. In CCCXCVII. *Oratio Pii Papæ II. in Conventu Mantuano sexto Kalendas Octobris anno Domini* 1459. In CCCXCVII. *Bulla de profectione in Turcas & de prærogativis ejusdem passagii*. In CCCXCVIII. *Oratio Æneæ Sylvii ad Callistum Papam offerendo obedientiam Imperatoris*. In CCCXCIX. *Oratio ejusdem coram Sanctissimo Senatu Cardinalium jam coronato à Pontifice Imperatore Federico, ad eum inducendum ad bellum contra Turcas*. In CCCCX. *De crudeli amoris exitu Guisgardi & Sigismundæ Tancredi Principis Salernitanorum filiæ Tractatus ex vulgari in Latinam linguam versus*. In CCCCXI. *de Vindicta illata violentiæ, quam de se extorsit Lucretia speculum Romanæ pudicitiæ*.

In Salvatoris nostri JESU CHRISTI *Passionem Carmen Saphicum.*

De liberorum educatione ad Ladislaum Ungariæ & Bohemiæ Regem, & de Grammatica ad eumdem.

De Arte Rhetorica, & Epistolarum partibus, ad Marchionem Badensem Archiepiscopum Trevirensem.

Descriptio de ritu, situ, moribus, & conditione Germaniæ, ad Antonium S. Chrysogoni Cardinalem.

Addita est in fine Gnomologia ex omnibus Pii Papæ II. operibus collecta per Conradum Lycosthenem Rubeaquensem.

Scripsit præterea Dialogum adversus falsam donationem Constantini Imper. cujus meminisse volunt Hieronymum Occalum Catalanum, Joannem Felinum ad cap. solitæ rit. de Majoritate & obedientia, & Balbum Ep. libro de Coronatione.

Scripsisse quoque creditur *Historiam de rebus à se gestis* quæ sub nomine Joannis Gobelini Personæ prodiit à Francisco Picolomineo Senensi Archiepiscopo ex vetusto exemplari recognita Romæ 1584. in 4. & 1589. & Francofurti 1614. typis Aubrianis.

Nonnulla ejusdem opuscula seorsim edita reperies, ut *de Adventu Capitis S. Andreæ* ac similia, de quibus aliàs se offeret commodior dicendi locus, & de his, quæ in Francicam aliasque linguas vernaculas conversa fuere, interim consule Bibliothecam Pontificiam R. P. Ludovici Jacob à S. Carolo Carmelitæ, ac Recentiores Vitarum Gestorumque Romanæ Ecclesiæ Præsulum Illustratores.

De Andrea Barbatio. 1460.

ANDREAS Barbatius Siculus, floruit anno 1460. Scripsit *in Decretales*. Scripsit etiam *de Cardinalium præstantia*. Scripsit quoque *varia consilia*.

Dissertatio Historica.

QUI Bellarmino ejusque in plerisque exscriptori Aub. Miræo Barbatius, is Simlero aliisque passim dicitur Barbatias Juris utriusque consultissimus, cujus plura recensentur in Jus Canonicum Commentaria Parisiis & alibi non semel excusa. Ego cùm hæc scriberem, præsto habebam ad manum,

Andreæ Siculi Barbatiæ legum Monarchæ Canonumque patris famigeratissimi, & utriusque Juris illuminatoris lecturam in Clementinarum compilationem labore Ægidii Daurigny Bellovaci in Legibus Licentiati, à mendis non paucis expurgatam, & Parisiis editam anno 1517. apud Reginaldum Chaudiere, ad intersignium Hominis Silvestri. (*a*)

A (*a*) Nimio disputandi studio, inquit Forsterus, communem receptamque opinionem convellere semper & evertere conatus est. Verùm pro ingenii acumine, deliri senis nomen sibi attraxit. Cùm aliàs Joannem de Imola audivisset, senex Bononiæ jura profiteri cœpit, sepultusque est ibidem apud S. Petronium cum Epitaphio.

De Laonico Chalcondyla. 1460.

LAONICUS Chalcondyla Atheniensis, scripsit *historiam libris decem de origine, & rebus gestis Turcarum usque ad sua tempora*, idest, *ad annum Domini* 1462. cui historiæ adjecta est appendix qua continuatur B historia usque ad annum Domini 1565. hunc auctorem ponimus inter Ecclesiasticos, quoniam ejus historia plurima continet ad res Christianas pertinentia.

Quia tamen hic auctor ab hæretico homine latinitate donatus est, & annotationibus in margine positis auctus in Indice librorum prohibitorum, ejus lectio interdicta invenitur. Ipse etiam Laonicus non caret narrationibus falsis, quas temerè credidit rerum nostrarum ignarus.

Dissertatio Historica.

LAONICUS Chalcondyla, (sunt etiam qui Ni-C colaum pro Laonico appellent, cùm idem sit apud Græcos Νικόλαος καὶ λαόνικος λεόνικος καὶ Νικόλεως) Atheniensis vixisse perhibetur circa annum 1464. aut 1470. ut alii volunt. Vidi quoque, qui affirmaret vitam prorogasse usque ad 1490. De eo Bellarm. Vossius, atque ex iis pro more Miræus.

Historiam de origine & rebus gestis Turcarum decem libris comprehensam, ab anno 1300. usque ad annum 1463. ab Othomane Orthogulis filio ad Mahometis II. Turcarum Imperatoris tempora perduxit, quam latinè reddidit Conradus Clauserus (*a*) Tigurinus, additis in margine quibusdam annotationibus, quæ meritò à Censoribus Romanis damnatæ sunt. Sequitur brevis Appendix usque ad annum D 1565. Utraque Græcè & Latinè inter Historiæ Byzantinæ Scriptores excusa est anno 1650. in Typographia Regia, cum Annalibus Sultanorum ex interpretatione Joannis Leunclavii ejusdem supplemento & Pandecte Historiæ Turcicæ ac Glossario V. C. Caroli Annibalis Fabroti Juris utriusque Doctoris celeberrimi, qui operam studiumque suum contulit.

(*a*) Hunc excusat Gretserus noster pag. 26. Variarum Lectionum his verbis: Extant in Bibliotheca Bavarica tria mss. Laonici exemplaria, in quibus reperiuntur ea Græcè, quæ Clauseri editio repræsentat Latinè: Nec credibile est à Clausero, & quæ sequuntur.

E

De Joanne Bassolio. 1460.

JOANNES Bassolius Ord. Minorum, scripsit *in quatuor libros sententiarum* non contemnenda *Commentaria*. Vivebat anno Domini 1466.

Dissertatio Historica.

JOANNES Bassolis, Ord. Minorum, Jo: Scoti, ut ferunt, auditor, eique præ cæteris dilectus, vulgò Doctor Ordinatissimus nuncupatus, sive, ut minùs emendatè apud Vvadingum in Bibliotheca Minorum legitur, ornatissimus, floruisse dicitur circa annum 1322. quo fit ut rejicienda sit Chronologia Bellarmini, ejusque exscriptoris Patrologi Jenensis,

qui

qui vixisse dicunt anno 1466. Hippolyti quoque Maraccii, qui scripsit exivisse à vita circa annum Domini 1469. De eo Wadingus, atque ex Crabio & Molano Miræus.

Commentaria, sive Lectura in quatuor libros Sententiarum, Parisiis anno 1517. dedicata Dominico Grimano Card. Patr. Aquilejensi, cura & studio Orontii Finei Delphinatis.

Miscellanea Philosophica & Medica, Parisiis.

De B. Laurentio Justiniano. 1440.

BEATUS LAURENTIUS Justinianus, patria Venetus, ac primum Canonicus Regularis, deinde Episcopus Venetiarum, postremò primus ejusdem Urbis Patriarcha, floruit doctrina, sanctitate, & miraculis temporibus Eugenii quarti, & Nicolai quinti. Pontificum Romanorum, circa annum Domini 1440. Obiit anno 1445.

Scripsit *volumina quindecim*, quorum hi sunt tituli: *Lignum vitæ. De disciplina Monastica. De connubio Verbi, & Animæ. De humilitate. De spirituali interitu animæ. De triumphali agone Christi. De interiori conflictu. De complanctu Ecclesiæ. De corpore, & sanguine Christi. De vita solitaria. De contemptu mundi. De sermone Domini in cœna. De officio Pastorali. De obedientia. De gradibus perfectionis.*

Scripsit præterea *sermones quadraginta*. Obiit anno ætatis 74. Episcopatus vicesimo quarto, sed quinque annis ultimis fuit etiam Patriarcha.

Dissertatio Historica.

LAURENTIUS Justinianus, Patricius Venetus, Bernardo Justiniano patre, matre Quirina natus, ex ordine Canonicorum Regularium S. Augustini (*a*) Congregationis S. Georgii in Alga, ut vocant, (non verò Ordinis Cælestinorum, ut habet Possevinus) ab anno 1431. Venetiarum Episcopus, tum primus ejusdem civitatis ab anno 1450. dictus Patriarcha, vir sanctitate ac doctrina eximius, ad Deum migravit die 8. Januarii anno ætatis 74. Christi 1455. ut testatur, tum subscriptio imaginis ejusdem Beati viri ad vivum expressæ atque arcæ marmoreæ impositæ Venetiis in Templo Beati Petri Castelli, tum qui ejus vitam ad Monachos Carthusienses scripsit capitibus 12. distinctam, Bernardus Justinianus fratris filius, quæ ejus operibus præfixa est in folio excusis Lugduni anno 1568. hoc ordine.

Lignum vitæ, scriptum anno 1419. *De Disciplina & spirituali perfectione*, anno 1420. *De casto connubio Verbi & animæ*, an. 1425. *Fasciculus amoris*, an. 1426. *De triumphali agone Christi*, an. eodem. *De interiori conflictu*, an. 1429. *De complanctu Christianæ perfectionis*, an. eodem. *Sermones de Festis Christi, Deiparæ & Sanctorum*, num. 39. aut 40. an. 1431. *De vita solitaria opus*, an. eodem. *De contemptu mundi*, an. 1432.

Opera ab ipso jam sene in Episcopatu scripta.

De spirituali interitu animæ liber unus. De ejusdem resurrectione spirituali quæ per mediatorem Dei & hominum Christum Jesum fit gratia ipsius multipliciter operante, liber 2. De regimine & institutione Prælatorum. De obedientia. De humilitate. De gradibus perfectionis. Epistolæ ejus ad diversos, & diversorum ad eum.

In Catalogum Sanctorum relatus est anno 1524. à Clemente Papa VII. ne quid omisisse videar (*b*).

(*a*) Unus è primis Fundatoribus Congregationis S. Georgii in Alga, ut vocant, (non verò Cælestinorum, ut habent Sixtus & Possevinus) ab an. 1431. aut 1432. die 11. Maji ætatis 51. Castellanensis primùm Episcopus, tum extinctis Pontificia auctoritate Gradensi Patriarchatu & Castellanensi Episcopatu primus Venetiarum ab 8. Idus Octobris anni 1451. dictus Patriarcha.

(*b*) Plura de eo Ferdinandus Ughellus Tomo V. Italiæ sacræ in Venetiarum Patriarchis, Jacobus Philippus Thomassinus Æmoniæ Episcopus in Annalibus Congregationis Sæcularium Canonicorum Sancti Georgii in Alga, Paulus Zacchias Romanus Medicinæ Doctor in quæstionibus Medico-legalibus, Bollandus & Henschenius fusè ad diem VIII. Januarii: ut omittam Sabellicum, Volaterranum, Blondum, Trithemium, similesque paulò vetustiores.

De Joanne de Turrecremata. 1440.

JOANNES de Turrecremata, natione Hispanus Ord. Prædicatorum Cardinalis presbyter S. Sixti ab Eugenio quarto creatus postea Episcopus Cardinalis Sabinus Theologus, & Jureconsultus eximius, obiit anno Domini 1468. ætatis 80. major.

Scripsit *Summam de Ecclesia, quatuor libris. Apparatum super Decretum Eugenii quarti de unione Græcorum cum Latinis. Commentaria in Decretum Gratiani. In Psalterium. In Evangelia Dominicalia. In Evangelia de Sanctis. De corpore Christi contra Bohemos. De salute animæ. De aqua benedicta. De Conceptione B. Virginis. In Regulam sancti Benedicti. Meditationes de vita Christi.*

Dissertatio Historica.

JOANNES de Turrecremata, Hispanus, ab oppido natali *Torquemada*, vulgari idiomate appellato, diœcesis Palentinæ in Castellæ regno, ex Ordine Prædicatorum & Magistro Sacri Palatii, ab Eugenio IV. in numerum Cardinalium anno 1439. cooptatus, tituli S. Xysti, & deinde creatus Episcopus Sabinensis, à Pio II. dictus Fidei defensor ac protector, obiit anno 1468. ætatis 80. die 6. Kal. Octobris. De eo Joannes Trithemius, Flavius Blondus, Onuphrius, Mariana, Antonius Senensis, Ciaconius, Alfonsus Fernandez, Franciscus Swertius, & alii, qui de Cardinalibus scripserunt.

In Decretum Gratiani Commentariorum Tomi quinque, cum notis ac summis Nicolai Boerii Præsidis Burdegalensis, Lugduni apud Claudium Servanium anno 1555. Iidem Venetiis impressi anno 1578. apud Hæredes Hieronymi Scoti. I. in Distinctiones. II. in Causas, à prima ad 12. III. in Causas à 13. ad 36. IV. Dist. de Consecratione. V. in Distinctiones septem de Pœnitentia.

Summa de Ecclesia, & ejus auctoritate quatuor libris, Venetiis anno 1561. apud Michaelem Tramezinum.

De Pontificis Maximi Conciliique Generalis auctoritate ad Basileensem Oratorem responsio, coram Eugenio Papa IV. & Cardinalibus in Concilio Florentino viva voce exhibita, atque edita opera Camilli Campegii Venetiis 1563. in quarto, apud Jordanem Ziletum.

In Psalterium Davidis, Venetiis anno 1513. apud Lazarum Soardum. In nostra Bibliotheca duo exemplaria habemus longè vetustiora absque loco & anno editionis in ipsis Artis Typographicæ incunabulis excusa.

Sermones de Tempore, & de Sanctis, Lugduni 1509. apud Stephanum Gueyvardum.

De aqua benedicta, Romæ 1559. apud Antonium Bladum.

De veritate Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ Tractatus in 13. partes divisus, ex mandato Patrum Con-

Concilii Basileensis scriptus, & impressus Romæ apud eumdem 1547. in 4.

Commentaria in Regulam S. Benedicti, cum Smaragdo, & aliis edita Coloniæ apud Gervinum Calevium, & hæredes Quentellii anno 1575.

De Matthæo Palmerio. 1440.

MATTHÆUS Palmerius Florentinus, vixit tempore Concilii Florentini, ut ipse testatur in Chronico. Scripsit, sive continuavit *Chronicon ab anno 449. ubi desiit sanctus Prosper, usque ad annum* 1449. Scribit quidem Jo: Trithemius, hunc Matthæum postea de hæresi convictum, & damnatum fuisse, sed in Chronico ipsius nullum ego erroris inveni vestigium.

De Matthia Palmerio. 1440.

MATTHIAS Palmerius Pisanus, vixit eodem sæculo, & continuavit *Chronicon Matthæi ab anno* 1450. *usque ad* 1481.

Dissertatio Historica.

MATTHÆUS Palmerius Florentinus, Chronici auctor quod ab anno 444. incipit ubi desinunt aliquæ editiones Prosperiani Chronici mille additis annis perduxit usque ad annum 1449. De eo Phil. Bergomas, Joannes Trithemius, qui ut hæreticum combustum asserit aliis id pernegantibus, Raphael Volaterranus, Paulus Jovius, Ugolinus Verinus, cæterique, excepto Possevino, qui, ut arbitror, tamquam hæreticum abjecit: qua de accusatione plura Vossius. Mirum verò est Miræum tam cæcis oculis descripsisse Bellarminum, ut non animadverterit Prosperi Chronicon non desinere in annum 449. cùm enim duæ minimùm fuerint Chronici illius editiones, altera in annum 444. altera verò in annum 455. exporrigitur, ut ex adscriptis Consulum paribus exploratum Chronographo esse debuit.

Matthias Palmerius patria Pisanus Florentini Chronicon continuavit ab anno 1450. ad 1481.

De Bessarione Cardinali. 1440.

BESSARION natione Græcus, patria Trapezuntinus dignitate Episcopus Nicænus, postea Cardinalis S.R.E. ab Eugenio quarto Pontifice creatus multis legationibus perfunctus, multisque aliis piis laboribus fatigatus, obiit anno Domini 1472. Sixto quarto sedente.

Scripsit *Orationem pro unione*, prolixam, & doctissimam, quæ extat Græcè, & Latinè sess. 25. Concilii Florentini.

Scripsit quoque *aliam* breviorem, quæ pariter extat *Græcè*, & *Latinè*, sess. 1. ejusdem Concilii.

Scripsit etiam *librum adversus Marcum Ephesium pro defensione Ecclesiæ Romanæ*.

Scripsit quoque *de verbis consecrationis adversus eumdem Marcum*.

Scripsit *de illo Joannis 21. Sic eum volo manere, donec veniam*.

Scripsit denique multa *Philosophica in defensionem Platonis: & Metaphysicam Aristotelis latinitate donavit: & libros tres consolatorios ad Imperatorem Græcorum* misisse dicitur.

A

Dissertatio Historica.

BESSARION, patria Trapezuntinus, ex Monacho S. Basilii Archiepiscopus Nicænus, tum Patriarcha Const. & S. R. E. Cardinalis creatus ab Eugenio IV. Papa post absolutam anno 1439. Synodum Florentinam. Reversus ex Gallicana legatione, obiit Ravennæ anno 1472. ætatis 77. & Romæ sepultus in Basilica SS. Apostolorum. De eo multa multi. Ex operibus quæ à Trithemio & aliis recensentur, in Bibliotheca Magna Parisiensi editus est dumtaxat Tomo VI. col. 467.

Liber de Sacramento Eucharistiæ, & quibus verbis Cor-
B *pus Christi conficiatur*.

Sunt & quædam alia tum Philosophica, tum Theologica typis excusa cum Orationibus & Epistolis, quorum catalogum integrum, quod sciam, hactenus nemo exhibuit.

De Georgio Scholario. 1440.

GEORGIUS Scholarius vir inter Græcos sapientissimus.

Scripsit *Orationes quatuor de pace inter Græcos, & Latinos ineunda*, quæ habentur *Græcè*, & *Latinè* post Concilium Florentinum: hic idem censetur esse ille Gennadius (quippè qui mutaverit nomen assumptus
C ad Patriarchatum Constantinopolitanum) qui scripsit *quinque Orationes de quinque articulis controversis pro veritate Catholica. De processione Spiritus sancti. De Primatu Papæ. De Azymo. De Purgatorio. De visione Dei ante resurrectionem corporum*.

Dissertatio Historica.

NE actum agam: de eo plura disces à V. C. Leone Allatio in laudata de Georgii Diatriba, quæ typis Regiis edita est anno 1651. post Georgii Acropolitæ ab eodem Latinè redditum Chronicon, & in Syntagmate de utriusque Ecclesiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua consensione. Hoc tantùm:
D Interfuit Concilio Florentino an. 1438. deinde factus an. 1453. ex Laico Patriarcha Const. assumpto Gennadii nomine, in tam sublimi throno annos quinque & menses aliquot egit, quibus elapsis, Patriarchico munere abdicato, in Monasterium se contulit, ibique mortuus est. Sunt qui vixisse velint usque ad annum 1460. Ego nihil comperti habeo. Hæc autem ejus scripta hactenus edita reperiuntur.

I. *Orationes quatuor ad Synodum Florentinam* Romæ cum Concilio Florentino Græcè & Latinè, interprete Joanne Matthæo Caryophilo Iconiensi Episcopo, & ibidem Tomo IV. Conciliorum Generalium tum Coloniæ & Parisiis in collectione Biniana ac Regia, & Tomo IV. Magnæ Bibliothecæ Parisiensis
E Veterum Patrum.

II. *Confessio, seu sermocinatio habita cum Sultano Mahomete II.* de recta & inculpata Christianorum fide, quæ translata fuisse dicitur in Turca-rabicam linguam ab Achmeto Berrhœæ Prætore, qui Mahometis Zelebi Commentariensis fuit parens, Tomo IV. ejusdem Magnæ Bibliothecæ columna 949. extat Latinè tantùm ex Turco-Græca Martini Crusii Basileæ edita Græcè & Latinè.

III. *Libellus de articulis fidei ad eumdem Mahometum*, qui inscribitur, Via salutis hominum interrogante Turca & Patriarcha respondente. Latinè tantùm ejusdem Tomi col. 956. Græcè verò & Latinè in Hæreseologia, interprete Gregorio Hermonymo Spartano Basileæ 1556. & Helmstadii 1611.

IV. *Expositio, seu Apologia pro Sancta & œcumenica Synodo*

Synodo Florentina, & Defensio quinque capitum, A quæ in ejus decreto continentur ad Græcos. Tomo IV. ejusdem Bibliothecæ Latinè tantùm excusa est col. 959. ex interpretatione Fabrii Benevolentii Senensis: Græcè verò extat Romæ cum Concilio Florentino edita. Eam anno 1628. in vernaculum Græcum sermonem conversam à Joanne Matthæo Caryophilo excudit Typographia Congregationis de Fide propaganda, cum Bessarionis epistola ad Clerum & Laicos, aliosque Sedi Const. subjectos.

V. *De Prædestinatione Tractatus*, ad Josephum Monachum Thessalonicensem Græcè editus Augustæ Vindelicorum 1593. in quarto, opera Davidis Hœschelii. Græcè verò simul ac Latinè, quod ab aliis observatum non est, Federico Morello interprete post B Appendicem operum S. Basilii Cæsariensis Archiepiscopi, cum cæteris ejus operibus Parisiis anno 1618. impressam.

VI. *Oratio in unum in natura, & trinum in personis Deum.* Latinè Tomo IV. ejusdem Magnæ Bibliothecæ col. 1056. Græcè verò & Latinè Venetiis apud Aldum, cum Damasceni, Cosmæ, & aliorum Hymnis.

VII. *Expositio literarum in sepulchro Magni Constantini excusarum de excidio Urbis Const. & Turcarum imperio*, Græcè extat in fine Chronici Dorothei Monembasiæ Metropolitæ Venetiis 1637. editi, & post novam Variarum Historiarum synopsim à Matthæo Cigala Cyprio in eadem urbe eodemque anno vulgatam. C

Vixit eodem tempore & alter Georgius Scholarius, qui factus Monachus, Gennadii quoque nomen sumpsit hostis Latinorum infensissimus, de quo idem Allatius plura adversus Caryophilum & Arcudium, aliosque, qui cum Gennadio Patriarcha Const. temerè confuderunt.

Ejus nomine extat à Londinensibus, ut par est credere, hæreticis editus in lucem libellus inscriptus, ὀρθοδόξȣ καταφύγιον adversus Florentinam Synodum petulanter & inconditè scriptus, indignusque omninò, qui legatur à cordatis viris.

Ex his quæ hactenus à me prolata sunt, facillimum erit in Examine Heterodoxorum Criticorum convincere impudentiam Andreæ Riveti, qui de Cyrillo Alexandrino verba faciens, nostrum Gennadium D Florentinæ Synodi Defensorem egregium ac Primatus Papæ Romani vindicem ἀνίκητον, personatum Patriarcham vocare, eaque, quæ sub ejus nomine inter Latinos prodierunt, è Græcis transfugis à Pontifice conductis conficta, & ex S. Thomæ Aquinatis opusculis adversus Græcos magna ex parte desumpta, effutire ausus est. Verùm quid aliud expectare par fuit ab homine ad insaniam usque ac rabiem Romanis Pontificibus & Ecclesiæ Catholicæ, à qua tamquam putidum ἔκτρωμα cum primis suis doctoribus ejectus fuit, infensissimo.

De Josepho Methonensi. 1440. E

JOSEPH Episcopus Methonensis eodem tempore scripsit *librum responsionis pro Concilio Florentino ad librum Marci Ephesii calumniatoris ejusdem Concilii*. Extat autem hæc responsio Græcè & Latinè post idem Concilium.

Dissertatio Historica.

RESPONDIT Marci Ephesii calumniis circa ann. 1440. Extat ejus liber Græcè & Latinè post Concilium Florentinum: de eo nec Simlerus, nec Possevinus; Miræus verò eumdem Gregorio Protosyncello jungit, cui tribuit Responsionem pro Concilio Florentino, quæ verè est Gennadii.

De Gregorio Protosincello. 1440.

GREGORIUS Magnus Protosincellus, ac postea Patriarcha, scripsit *responsionem aliam contra Epistolam Marci Ephesii*: quæ responsio impressa est *Græcè & Latinè* post Concilium Florentinum. Dicitur autem iste Gregorius Romæ sepultus fuisse & miraculis coruscasse.

Dissertatio Historica.

HUNC volunt ex Confessario Joannis Palæologi Imp. Græcorum, & Vicario Patriarchæ Alexandrini in Concilio Florentino tandem evectum fuisse ad Patriarchatum Const. Quod verò addunt extitisse auctorem Defensionis quinque capitum Concilii Florentini, quæ extat Græcè & Latinè edita post Concilium Florentinum editionis Romanæ G. L. anni 1608. & Coloniensis 1618. insigniter falluntur, ut adversus Jo: Matthæum Caryophilum, & Jo: Arcudium probavit Leo Allatius Tractatu de Georgiis, ubi de Georgio Scholario, sive Gennadio P. Const. qui verus est auctor illius Defensionis, ut suprà suo loco monuimus.

De Nicolao de Cusa.

NICOLAUS de Cusa natione Germanus Decanus sancti Florini, deinde Episcopus Brixinensis, denique Cardinalis sancti Petri ad Vincula à Nicolao V. Pontifice creatus, vir fuit æquè pius ac doctus. Obiit anno Domini 1464. ætatis 63.

Scripsit *de Visione Dei. De docta ignorantia. De reparatione Kalendarii. De cribratione Alcorani. De venatione sapientiæ. De ludo globi mysticè. Adversus Bohemos. Conjecturam de novissimis diebus. De dato Patris luminum. De quærendo Deo. Directorium speculantis. De filiatione Dei. Dialogum de Genesi. De concordantia Catholica. Sermones per annum, & epistolas ad diversos.* Scripsit *de Mathematica perfectione. De Berillo. De apice theorica. De quadratura circuli & de fortuna.* Atque hæc in primo tomo.

In secundo tomo habetur.

Dialogus de Deo abscondito. De annunciatione Dominica. Excitationum libri decem. Epistolæ septem. Correctio tabularum Alfonsi. De perfectione mathematica. De Arithmeticæ complementis. De transmutationibus Geometricis. Complementum Theologicum.

Observatio.

Nicolaus de Cusa Concordantiam Catholicam scripsit Juvenis inchoante videlicet Concilio Basileensi; & quia magna tunc erat fama Concilii Basileensis, cœpit & ipse cum multis aliis exaltare potestatem Concilii, & deprimere auctoritatem Apostolicæ sedis: sed postea ubi vidit pertinaciam eorum, qui Concilio adhærebant, ut etiam auderent schisma facere, & adversus legitimum Pontificem idolum erigere; cœpit & gravissimis epistolis eos detestari, & pro extinctione schismatis plurimum laborare. In qua re imitatus est Julianum sancti Angeli Cardinalem præstantissimum, & Æneam Sylvium, postea Pium II. Pontificem, qui initio Concilium Basileense contra Eugenium Pontificem defenderunt: postea verò pro Eugenio Pontifice contra Concilium depugnarunt. Vide retractationem Pii II. in iis, quæ spectant ad Julianum Cardinalem: & epistolam Nicolai

colai de Cusa ad Rodericum, in iis, quæ ad ipsius Nicolai sententiam, & judicium pertinent.

Dissertatio Historica.

Nicolaus, à vico, ubi in lucem editus est in diœcesi Trevirensi ad ripam Mosellæ è regione Ursicastri, Cusanus vulgò, sive de Cusa dictus, ex Decano S. Florini Constantiensis & Archidiacono Leodiensi Brixinensis in Comitatu Tirolensi Episcopus, & S.R.E. Cardinalis titulo S. Petri ad Vincula à Nicolao V. Papa creatus 20. Decembris anno 1448. obiit Tuderti in Umbria anno 1464. die 11. Augusti natus annos 63. Romæ sepultus. Mirum verò est ab Onufrio Pennoto Hippolyto Maraccio in Bibliotheca Mariana Canonicis Regularibus annumerari, & ab Antonio Senensi Dominicanis in Bibliotheca Patrum Prædicatorum, quam idemtidem ἀβασανίςως exscribit Alfonsus Fernandez in Catalogo Scriptorum Prædicatoriæ Familiæ. De eo Joannes Trithemius, qui de Hospitali in honorem S. Nicolai Episcopi ab eo circa Cusam constructo, & de ejusdem corde ibidem in medio Chori sub marmore sepulto, plura habet; Jacobus Faber Stapulensis, Jo: Aventinus, Onuphrius, Platina, Sixtus Senensis, Cochlæus, Possevinus, Spondanus, & alii. Bellarminus quædam ejus opera recenset ex editione minus absoluta, nos Basileensem omnium ejus operum anni 1565. ex officina Henrico-petrina exhibebimus.

Tomo I. continentur.

De docta ignorantia libri tres. Apologia doctæ ignorantiæ. De conjecturis libri duo. De filiatione Dei. De Genesi. (*a*) *Idiota libri quatuor. De visione Dei. De ludo globi libri duo. De fortuna. Compendium, directio unitatis.*

De Possest, sive de Principio rerum omnium Trialogus, de quo Trithemius, quem minus bene percepit Possevinus.

De Beryllo. De dato Patris Luminum. De quærendo Deum. De venatione sapientiæ. De apice Theoriæ. De Deo abscondito.

Tomo II. continentur.

De Annunciatione. Excitationum libri decem. De æqualitate. De Catholica concordantia. Epistolarum liber. De pace fidei. Cribrationum Althorani. De novissimo die.

Tomo III. continentur.

De Geometricis transmutationibus. De Arithmeticis complementis. De Mathematicis complementis. De Quadratura circuli. De finibus & chordis. De una recti curvique mensura. Complementum Theologicum. De Mathematica perfectione. Reparatio Kalendarii. Correctio Tabularum Alfonsi.

Alia quædam ex Guarico in Cusam adjecta, quæ tamen non vidi in exemplari quo usus sum.

(*a*) Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ ait virum illum supra quam cuique credibile est eruditissimum, cui docta quædam tam in verbis quàm in sententiis amica fuit obscuritas, edidisse in principium Geneseos brevem Dialogum tantæ obscuritatis, ut vix à doctissimis viris possit intelligi. Item in illud Jacobi cap. primi, Omne datum optimum ad Gerhardum Episcopum Solonensem de dato Patris luminum librum unum. Item sermones encyclicos per anni circulum & quadragesimam: quorum longitudinem ipse pertæsus collegit ex his veluti ex uberrimis campis flores elegantiores & in libros 10. Exercitationum (in editis vulgò Excitationes dicuntur) spiritualium prænotatos digessit. Horum initium est, Tu quis es?

De Francisco de Platea. 1440.

Supplementum.

Franciscus de Platea, Bononiensis, celeberrimus in Jure Canonico, vivebat an. 1442. & ultra. Scripsit *Summam* inscriptam, *Mysteriorum Christianæ Fidei*, in qua Tractatus complectitur varios secundùm Theologorum morem, nempe *De Restitutionibus*, *de Usuris*, *de Actu Matrimoniali*, *de Censuris Ecclesiasticis*. *De Excommunicatione* autem extat quoque inter dictos Tractatus, Tract. 14. fol. 357. Hæc omnia olim impressa fuerunt anno 1473. in 4. Patavii. Agunt de illo Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1. pag. 590. Lucas Vvadingus *in Bibliotheca Ordinis Minorum* pag. 132. ubi ait habere apud se manuscriptos aliquos ex his Tractatibus impressis.

De Joanne Felton. 1440.

Supplementum.

Joannes Felton Anglus, Vicarius Ecclesiæ Magdalenæ Oxonii extra muros, scripsit anno 1440. *Sermones pro Dominicis diebus anni*, quos habes manuscriptos Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti cod. 307. atque etiam Oxonii in Bibliotheca Magdalenensi cod. 151. & Orialensi codice 33. ubi dicuntur collecti *ex Sermonibus Odonis*, *Parisiensis*, *& aliorum*, per Vicarium Magdalenæ Oxoniæ Joannem Felton, quorum initium, *Penuria*, &c.

De Leonardo Bruno. 1440.

Supplementum.

Leonardus Brunus Aretinus, vir græcè & latinè eruditus, apud Innocentium VII. Magister Epistolarum, ita officio suo functus est, ut succedentibus tribus Summis Pontificibus, amplificata dignitate, eamdem operam exinde præstiterit. Ad suos in Etruriam reversus, Reipublicæ Florentinæ Cancellarius extitit, & *Historiam de gestis Florentinorum* scripsit, & *Libros quatuor de bello Italico adversùs Gothos*, Parisiis anno 1534. excusos. Itemque scripsit *Dialogum de Moribus*, *& Epistolarum libros octo*, impressos Basileæ anno 1535. Nec omittam Leonardi beneficio *Morales Aristotelis Libros* ex Græco in Latinum optima fide traductos. Obiit senex Florentiæ, divitiis & gloria plenus, anno Domini 1443. ætatis 74. Sepulchrum marmoreum in Æde sanctæ Crucis spectatur, cum inscriptione: *Postquam Leonardus è vita migravit, Historia luget, Eloquentia muta est: ferturque Musas cùm Græcas tum Latinas, lachrymas tenere non potuisse.* Franciscus Aretinus alius à Leonardo, nomen à patria Aretio Etruriæ Urbe, mutuatus videtur. Vir fuit infinitæ lectionis, magnique judicii, Joanni Antonio Campano familiaris. Præter *Diogenis Cynici & Phalaridis Epistolas* latinè redditas, insuper vertit *Chrysostomi in Joannem Commentarios*, itemque viginti Homilias, & alia. Ejusdem liber *De Balneis Puteolanis*. Vixit & superiore sæculo apud Venetos Petrus Aretinus, homo Atheus & maledicentissimus, & qui calamum in omnes ferè sui temporis

poris Principes stringere ausus fuerit, inde *Flagellum Principum* vulgò appellatus. In hunc Joachimus Perionius disertam scripsit Orationem. Hæc *De Aretinis* occasione Leonardi Aretini, mutuata verbo tenus ab Auberto Miræo, in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 465. fol. 268.

De Joanne Stabulensi. 1440.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES STABULENSIS, eo quòd ortus in Diœcesi Leodiensi apud oppidum de Stavelo, ad Sanctum Laurentium Leodii Monachus, scripsit *gesta Episcoporum Leodiensium usque ad annum* 1449. quo & obiit. Joannem Stabulensem, seu Stabularium excepit *Joannes Lossensis* ejusdem loci Monachus, quæ manuscripta extant in Abbatia Sancti Laurentii Leodiensis, Ordinis Divi Benedicti. De Stabulensi Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 501. pag. 276. Joannes Chapeaville tomo tertio Rerum Leodiensium, ubi sæpissimè citat Joannem Stabulensem.

De Leonardo de Vtino. 1440.

SUPPLEMENTUM.

LEONARDUS DE UTINO, Ordinis Fratrum Prædicatorum, dudum Bononiæ in Italia Studii Dominicani Regens seu Professor fuit, clarus in Philosophicis ac Theologicis materiis. Complura commentatus est *in Logicam & Physicam Aristotelis*, atque alia, quæ in ejus Conventu Bononiensi asservari scripsit Antonius Lusitanus *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Dominicani*. Scripsit sat grande volumen *De Legibus*, quod anno 1473. Venetiis excusum est. Item *Tractatum ad locos communes Concionatorum*, qui Ulmæ in Suevia anno 1478. prodiit ex Typographia Joannis Zeiner. Denique *Sermones floridi de Dominicis & quibusdam Festis, Fratris Leonardi de Utino, sacræ Theologiæ Doctoris, Ordinis Prædicatorum, quos prædicavit Florentiæ anno* 1435. impressi in 4. duobus tomis anno 1516. Lugduni apud Jodocum Badium Ascensium. Horum ad calcem „ hæc leguntur. Habes itaque, Lector optime, „ Sermones floridos quos composuit ac prædicavit „ Reverendus Magister Leonardus de Utino, sacræ „ Theologiæ Doctor excellentissimus, ac sacri Or„ dinis Prædicatorum Professor observantissimus: „ quorum plurimos prædicavit Florentiæ coram to„ ta Curia Romana ibidem tunc temporis residen„ te, tempore sanctissimi Domini Eugenii Papæ IV. „ nonnullos autem Venetiis, ut ipse alibi profite„ tur. Neque verò uno, sed diversis annis eos de„ clamavit, sed ne quis gravetur in inquirendis de „ uno tempore in diversis locis Sermonibus; qui„ cumque circa idem tempus sunt, contigui im„ pressi sunt. Iidem antea Lugduni fuerunt impressi anno 1495. apud Joannem Treschel. Florebat anno 1445. Hunc hominem in duos partitus est Antonius Possevinus, pro more suo, *in Apparatu Sacro* tom. 2. quem pagina 20. appellat *Leonardum Bellunensem*, & pag. 21. *Leonardum Uticensem*. Plura habes apud Antonium Lusitanum & Ambrosium de Altamura, utrumque *in Bibliotheca Scriptorum Dominicana*, quos consulas.

A

De Ægidio Carlerio. 1440.

SUPPLEMENTUM.

ÆGIDIUS CARLERIUS Cameraco oriundus, in Regio Navarræ Collegio, cujus illustris socius fuit, ad famam docendo pervenit. Hic magna cum laude Sententias Magistri legit, illustravit Commentariis, quibus anno Christi 1414. finem imposuit 5. Kalendas Julii. His autem Joannes Brehaldus Parisiensis Theologus æqualis, præclarum dedit judicii sui testimonium in libro, quem *De libera Confessiones audiendi auctoritate composuit. Porrò*,
B inquit cap. 4. *Ægidius Carlerii in Lectura super Sententias, quæ nunc satis vulgata est, & commendata Parisiis, in loco frequentissimè allegato dicit.* Exinde Magisterium adeptus, varias de rebus piis ad populum Conciones habuit, donec tandem anno 1431. quinto Idus Octobris creatus fit Cameracensis Ecclesiæ Decanus. Ad eum extant plures Gerardi Macheti Castrensis Episcopi Litteræ, in quibus nunc *vir multis laudibus efferendus, & sanctissimorum dogmatum Professor*; nunc *abundantis sapientiæ & exemplaris virtutis vir, sacræ Theologiæ Professor*; nunc *profundæ sapientiæ & canonicæ virtutis vir, sacratissimorum Eloquiorum Professor clarissimus* vocatur. Joannes Cochleus in libro 6. de Historia Hussitarum, Carlerium *insignem*
C *Theologum* appellat. Carlerius in munere Decani strenuè & laudabiliter se gessit, & multa pro Ecclesiæ utilitatibus gessit. Hinc in Concilio Basileensi cùm esset, suscepta Legatione Pragam perrexit, ut Hussi Discipulos ad Communionem Ecclesiæ revocaret, aut certè in Concilium adduceret. Inde in eodem Concilio ad secundum illorum Articulum per totos quatuor dies respondit. Sed vir Ecclesiasticæ pacis amantissimus paratam in Concilio secessionem cùm vidit, redeundum esse sibi suam in Ecclesiam putavit, ubi & multa scripsit adversùs hæreticos, & propositas identidem cùm ab Episcopis, tum ab aliis illustribus viris, quæstiones fœliciter diluit ac solvit. Jam centesimus quadragesi-
D mus & ultra annus est, postquam Jacobus Almainus Parisiensis Theologus, laudavit Carlerii Tractatum, quem contra Bohemos ediderat: de quo sic libro de potestate Ecclesiastica cap. 8 propositione 3. *Tenet*, inquit, *Carlerius quondam Collegii Navarræ Socius meritissimus in quodam Tractatu, quem contra Bohemos edidit, quòd Ecclesiasticæ Personæ sunt ex jure divino exemptæ.* Quoad Scripta, Valerius Andreas *in Bibliotheca Belgica* scribit, Bruxellis vidisse se volumina duo, quibus Ægidii Carlerii Consultationes comprehenderentur, eaque edita esse anno 1478. in folio. Sed in duobus istis voluminibus pauciora sunt Opuscula, quàm in eo uno quod legitur, & in Bibliotheca Navarrici Gymnasii habe-
E tur. In iis tamen quædam notantur, quæ in Navarrico codice non comparent. Intereà præstat describere, quæ Valerius ea de re tradit: *Scripsit*, inquit, *diversas Casuum, ut vocant, consultationes, duobus voluminibus comprehensas: priori titulum dedit Sportæ fragmentorum, posterius Sportulam fragmentorum inscripsit. Vidi Opus utrumque Bruxellis editum anno 1478. in folio. Atque in Sporta quidem hæc continentur de multis.*

De conservatione Bonorum Ecclesiæ.
Defensorium Ecclesiæ.
De perpetua Virginitate Beatæ Mariæ.
Contra Iconomachos.
Pro Cœlibatu, præsertim Ecclesiasticorum.

In Sportulam verò retulit Tractatus sequentes.

De electione Judæ proditoris.
De Hierarchia Ecclesiastica.

De

De Redditibus ad vitam.
De Decimis.
De Imaginibus.
De Integritate Confessionis.
De non Esu carnium apud Carthusianos.
Contra consummati sæculi Calculatores.
De Clausura Religiosarum Ordinis S. Dominici.

Inter ea etiam multa quæ lucubravit, & pauca quæ publici juris facta sunt, extat *Oratio de punitione peccatorum publicorum*, quæ habetur cùm in Basileensi Concilio sess. 15. tum in tom. 3. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii.

Quantum autem ad Opera manuscripta Ægidii Carlerii: *Vide*, inquit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, *ab eodem Carlerio scriptum Veritatis scutum, Lovanii in Valle Martiniana, Canonicorum Regularium Cœnobio*. Agit non quidem de hoc opere Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2. pag. 11. verbo *Ægidius Carlerius*, sed Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 464. folio 268.

Ejusdem *Commentarii in quatuor libros Sententiarum*, mss. duobus voluminibus in Bibliotheca Collegii Navarrici.

Sermones & Collationes mss. in fol. in eadem Bibliotheca, quæ recensentur singillatim à Joanne Launojo *in Historia Regii Navarræ Gymnasii* parte 3. lib. 2. capite 4. pag. 584. ob prolixitatem à nobis omissæ. At in eadem Regii Navarræ Collegii Bibliotheca, aliud ms. volumen papyraceum, in quo sequentia Opuscula Carlerii continentur. Cùm autem aliqua illorum jam impressa sint in folio Bruxellis an. 1478. *in Sporta ac Sportella fragmentorum*, Syllabus sequens non impressa caractere Italico, impressa jam altero ad majorem distinctionem repræsentabit.

In Manuscripto Codice papyraceo Bibliothecæ Collegii Navarrici leguntur sequentia Opuscula Ægidii Carlerii.

De Conservatione Bonorum Ecclesiæ Dei, ex occasione quorumdam illa detinentium.

Defensorium Ecclesiæ pro eadem causa.

Tractatus de Communione non consecrantium sub unica specie, scilicet panis, ad instantiam Magistrorum Jacobi de Hatten, & Theobaldi de Campis, Regentium in Facultate Artium Parisiensi.

Tractatus contra certas propositiones & additiones malè sonantes, in materia auctoritatis Ecclesiæ, Jurisdictionis & Clavium, ad instantiam Reverendissimi Domini Archiepiscopi Bisuntinensis.

Tractatus de Redditibus ad vitam, ad instantiam Prioris Carthusiæ de Capella de Augia, super Emptione ad vitam.

Tractatus super diversis Erroribus in materiis de sanctitate Beatæ Virginis.

De Visione Christi in Eucharistia.

De Indulgentiis ad instantiam Vicariorum Cameracensis Episcopi.

Tractatus ad Requestam Reverendi in Christo Patris Domini Cameracensis Episcopi, contra quemdam adversùs Prælatos, Rectores & Sacerdotes, Dei blasphemias in Fide malè sonantes, in quadam Appellatione proferentem.

Tractatus contra Iconomachos, ad instantiam aliquorum Fidelium, contra quemdam Invocatorem; super Imagines ab eo consecratas in Civitate Tornacensi, hoc quoque postulante ejusdem Civitatis Officiali.

Articuli per quemdam delirantem asserti contra Sacramentum Eucharistiæ, & alia multa. Horum Articulorum censura & reprobatio.

Tractatus contra fictores adventus malorum spirituum, ad instantiam Dominorum Decani Capituli Laudunensis Ecclesiæ.

A *Resolutio Quæstionis, Utrum fœmina rem cum homine sibi per sortilegia procurans, sit suspecta in fide, an in sortilegio, ad instantiam aliquorum Fidelium, præsertim Dominorum Vicariorum Domini Cameracensis Episcopi.*

Tractatus contra quemdam, qui per figmenta prohibita speravit reperire thesauros absconditos, ad instantiam eorumdem.

Interrogationes faciendæ Dæmonibus, aut Spiritibus humanis apparentibus.

Articuli impositi cuidam Fratri Minori per Dominos Vicarios Tornacenses, quos prædicasse Gandavi fertur anno 1448. & confutatio eorum.

Tractatus contra quemdam Fratrem de Ordine Minorum, qui cùm prædicare deberet Gandavi, omissa forma
B *prædicandi dixit, quòd sic se res habebat, quòd veritas dici non poterat: & hoc probavit per fabulas de Leone, de Lupo & de Vulpe, & de tribus citatis, & in his dictis finem imposuit, ad instantiam Dominorum Vicariorum Tornacensis Episcopi.*

Tractatus contra Detrectatores Sancti Mannæ in Ecclesia Atrebatensi existentis, ad instantiam Decani & Capituli Atrebatensis.

Tractatus pro Minutis Decimis, ad instantiam Decani & Capituli Antuerpiensis.

Epistola super non Esu carnium à Carthusiensibus, directa Domino Joanni Kimmer, Novitio in eodem Ordine apud Herynnes propè Augiam.

Tractatus pro Cœlibatu, præsertim Ecclesiasti-
C corum.

Tractatus pro clausula certæ Religionis Canonicorum Regularium.

Tractatus de pluralitate Baptismorum, ad instantiam aliquorum Civium Cameracensium.

Tractatus pro Matrimonio inter virum solutum & quamdam viduam, quam tamen memoratus solutus, vivente viro illius, licèt agente in remotis, per adulterium polluerat.

Tractatus pro justificatione Captionis duarum sororum Hospitalis Sanctæ Genovefæ Laudunensis, ad instantiam Decani & Pincernæ Laudunensis Ecclesiæ.

Decisio quæstionis, Utrum Diaconus audiens in Confes-
D *sione Presbyterum, qui tenebatur illo die celebrare nec habebat copiam Sacerdotis, & faciebat sibi conscientiam de peccato mortali, sit hæreticus, & pro tali censendus.*

Responsio ad certas quæstiones factas per Dominum Abbatem Aquiscinctensem.

Consultatio super certo contractu Emptionis redditus vitalis à quodam Monasterio.

Consultatio in quadam causa beneficiali. Hæc in dicto codice Bibliothecæ Collegii Parisiensis Navarrici.

Cæterùm Ægidius Carlerius vixit ad extremam senectutem, non solùm Ecclesiæ Cameracensis, sed etiam Parisiensium Theologorum Decanus, & tandem obiit anno Domini 1472 die vigesima-tertia Novembris, pluribus in Ecclesia sua relictis viri pii monumentis.

E Agunt de illo & Scriptis ejus Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1. pagina 11. & Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 464. pagina 268. Ampliùs Valerius Andreas in sua Bibliotheca manuscripta Belgica, & sæculum 7. Universitatis Parisiensis editum in folio Parisiis anno 1670. apud Petrum de Breche in Syllabo Doctorum Parisiensium: sed plenissimè à quo hoc Compendium accepimus, Joannes Launojus in Historia Regii Navarræ Gymnasii parte 3. lib. 2. capite 4. pag. 580. & sequentibus, quam habes impressam in 4. Parisiis anno 1677. apud Viduam Edmundi Martini via Jacobæa sub Sole aureo.

De Thoma VValsingham. 1440.

SUPPLEMENTUM.

THOMAS WALSINGHAM patria Nordovolgus, sed ad Albani-fanum Ord. Benedictinorum Monachus, ac Præcentor ejusdem Cœnobii, homo in Historiis colligendis studiosus atque diligens erat. *Duas Historias*, unam brevem, alteram quidem longiorem posteritati tradidit. Primam inchoavit ab anno Christi 1273. & in annum illius 1422. finivit, quæ continet centum quinquaginta annos, uno excepto. Alteram incœpit ab irruptione Normannorum (quæ vocatur ab Auctore *Hypodigma Neustriæ*) usque ad annum sextum Regni Henrici V. Anglorum Regis, cui Opus illud dedicavit, habetque rarissimas Historias, & à nullo alio scriptas. Claruit anno 1440. sub Henrico VI. in Collectione inscripta, *Anglica*, *Normannica*, *Hybernica*, *Cambrica à Veteribus scripta*, quæ prodiit in folio Francofurti anno 1603. impensis Claudii Marnii & Hæredum Joannis Aubrii, post *Asserum Menevensem de Rebus Elfredi Regis*, folio 2. & seqq. habetur hæc *duplex Historia Thomæ Vvalsingham* pag. 43. & 408. ad 592. tum in Collectaneo eodem sequitur *Vita & mors Edvvardi II. Angliæ Regis*, conscripta à Thoma de la Moor Equite Aurato, & ejusdem Regis famulo, pag. 593. tum *Guillelmus Gemmeticensis de Ducum Normannorum gestis* pag. 604. denique Silvestri Giraldi Cambrensis *Topographia Hiberniæ* seu *De mirabilibus Hiberniæ* pag. 692. Hybernia expugnata libris duobus pag. 755. *Itinerarium Cambriæ* pag. 816. *Descriptio Cambriæ* pag. 879. Redeamus ad Thomam Vvalsingamum, de quo mentionem faciunt Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2. pag. 473. ubi ait eum etiam scripsisse alium librum prænotatum *Auctarium Polychronici*, & alium qui complectitur *Acta Regis Henrici sexti*. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, capite 515. pag. 279.

De Dionysio Carthusiano. 1450.

DIONYSIUS Carthusianus, natione Belga, vir fuit sanctissimus, & doctissimus, vixit in ordine Carthusiano annos 48. obiit anno ætatis suæ 69. qui erat annus salutis 1471.

Scripsit *in omnes libros Scripturæ divinæ*.

Scripsit *in quatuor libros Magistri sententiarum*.

Scripsit *plurima*, quorum Catalogum, una cum vita ipsius, invenies post finem Commentarii in librum quartum sententiarum.

In libello de quatuor novissimis cautè legendus est circa statum animarum in Purgatorio degentium.

DISSERTATIO HISTORICA.

DIONYSIUS à Lieuvis, patria Rickelius, Carthusianus πολυγραφώτατος, Doctor Extaticus vulgò nuncupatus, obiit in Carthusia Ruræmundæ urbis ad Mosam in Gelria celeberrimæ, anno ætatis 69. susceptæ Religionis 48. salutis per Christum reparatæ 1471. die 12. Martii, in festo Sancti Gregorii Magni.

Expectatur in dies è prælis Lugdunensibus, ut audio, omnium ejus operum cumulatissima editio, quorum indicem ediderunt Joannes Trithemius, Theodericus Loerius Carthusianus Coloniensis, Josias Simlerus, Ant. Possevinus, Petrus Dorlandus, Valerius Andreas, Theodorus Petrejus in Bibliotheca Carthusiana anno 1611. Coloniæ excusa, & post cæteros, V. C. Henricus de l'Espy, SS. Lupi & Ægydii A Lutetiæ Parisiorum Pastor, Illustrissimi ac Reverendissimi D. Andreæ Saussayi Tullensis Episcopi ex sorore nepos.

De Maphæo Vegio. 1450.

SUPPLEMENTUM.

MAPHÆUS VEGIUS Laudensis, Italus, Martini quinti Summi Pontificis Datarius, quem Sixtus Senensis ait in ultima sua senectute, Versu Elegiaco *in septem Psalmos Davidis*, quos Pœnitentiales vocant, scripsisse elegantem & verè cigneam Paraphrasim. Hic floruit an. 1430. & ple-
B raque alia edidit, nimirum *Libros septem de perseverantia Religionis*, *libros sex de educatione puerorum & claris eorum moribus*, *Dialogum prænotatum Philaletes*, hoc est, *de amore veritatis*: qui Basileæ fuerunt impressi apud Robertum Vvinter anno 1541. unà cum L. Vitruvii Roscii, & aliorum ejusdem argumenti opusculis. Scripsit etiam *Vitam sancti Antonii Anachoretæ*, *libris quatuor Antoniados*, versu scriptis: qui anno 1550. Antuerpiæ prodierunt. Extat item ejusdem *Liber de significatione verborum in Jure Civili*, excusus Vicentiæ anno 1477. præterquam quòd *Æneidi Virgilianæ* librum tertium decimum addidit, quo ingenii sui specimen præbuit. Factus autem post modum Primariæ Ædis in Urbe Canonicus, ossa san-
C ctæ Monicæ ex Ostiis Tiberinis Romam transferenda curavit, & Romæ anno 1458. primo Pii II. Pontificis obiit, conditus ibidem apud Eremitas Augustinianos in sacello sanctæ Monicæ, cujus & *Officium Ecclesiasticum* composuit. Agunt de Maphæo Vegio Sixtus Senensis *in Bibliotheca sancta* lib. 4. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2. pag. 43. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 473. pag. 270. cum aliis.

De Alfonso à Spina. 1450.

SUPPLEMENTUM.

D ALFONSUS A SPINA Hispanus, ex Judæo Christianus, doctus Minorita, qui diu Salmanticæ rexit Minorum Academiam, demum assumptus ad Episcopatum Orinopolitanum, scripsit anno 1458. *Sermones de excellentia Nominis Jesu*, librum doctum, quem inscripsit *Fortalitium Fidei*, suo nomine suppresso. Joannes Mariana lib. 22. de rebus Hispanicis cap. 46. *Opus* vocat *eruditum*, *splendido titulo*, *voce barbara*, *& divinarum rerum cognitione præstans*. In eo (inquit Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1. pag. 573. verbo *Fortalitium Fidei*, cui Auctoris nomen erat ignotum) agitur de armandis Fidelibus, ac de sex armorum spiritualium generibus, quin & quibus armis muniendi sint veri Concio-
E natores: ubi plura de bello contra Hæreticos, Saracenos, Judæos, & eorum ac Dæmonum armis adversum nos. Impressus est Lugduni anno 1511. studio Guillelmi Totani Ordinis Prædicatorum in sacra Pagina Professoris. Quisquis Auctor hujus *Fortalitii Fidei*, asserit libro 2. hæresi quinta, se scripsisse librum illum Vallisoleti in Hispania anno 1458. quem alii Guillelmo Totano, qui fuit dumtaxat emaculator, alii Thomæ Patriarchæ Barbariensi tribuunt. Alphonsum Spinam sibi illud per summam impudentiam vindicasse affirmantes, qua de re nihil definio. Vide *Bibliothecam Ordinis Minorum* Lucæ Vvadingi pag. 14. ubi de isto Alfonso, & Labbeum *in brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1458.

De

De Nicolao Orbello. 1450.

Supplementum.

NICOLAUS ORBELLUS, sive DE ORBELLIS, Gallus Andegavensis, Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Turonensis, claruit tempore Calixti III. Romani Pontificis circa annum 1456. vir in sacris Litteris eruditissimus, & in Philosophia scholastica nulli secundus, qui in Gymnasio Pictaviensi, tum in disputando, tum docendo & scribendo magnam eruditionis suæ laudem assecutus est. Multa scripsit:

Nempe, *De scientia Mathematica librum unum*, impressum Bononiæ anno 1483.

In libros Physicorum Aristotelis libros 8. *De Cœlo & Mundo* lib. 2. *In lib. de Generatione & Corruptione* lib. 2. *In libros Meteororum* lib. 3. *In libros Metaphysices* lib. 12. *In libros Ethicorum* lib. 10. Ejus liber de scientia Mathematica, & Commentaria in Ethica Aristotelis, cum aliis intermediis libris excusi sunt Basileæ anno 1503. *Commentarius ejusdem in libros de Anima*, editus ibidem anno 1542. apud Gregorium de Gregoriis. Item scripsit *Commentarios in quatuor libros Sententiarum*, qui prodierunt Parisiis anno 1511. apud Joannem Parvum. Denique *Super Formula Petri Hispani libros septem*, impressos in 4. Venetiis an. 1516. apud Lazarum de Soardis. Hæc nos ex Luca Vvadingo *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Fratrum Minorum* fol. 268. De quo etiam Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 2. pagina 153. Bosius *De Signis Ecclesiæ* lib. 6. cap. 4. post alios.

De Joanne Buschio. 1450.

Supplementum.

JOANNES BUSCHIUS, quem Trithemius Arnoldum appellat, Canonicus Regularis in Cœnobio Vvindesemensi, propè Svollam Transisalanæ Provinciæ oppidum, floruit anno 1460. vel circiter. Scripsit Opusculum *De origine & progressu Cœnobii & Capituli seu Congregationis Vvindesemensis*. Illud Opus Buschii inscriptum, *De Viris illustribus Cœnobii Vvindesemensis*, ubi describuntur Vitæ eorum, quos ipse plerosque aut novit aut vidit, manuscriptum habetur Lovanii ad sanctum Martinum. At hoc ipsum Opus est editum Antverpiæ anno 1622. in 8. apud Belleros, cura & studio Heriberti Rosvveidi Ultrajectini, Theologi doctissimi Soc. Jesu. Hujus Scriptoris mentionem facit Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tom. 1. pag. 119. verbo *Arnoldus de Busco, Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini*: quibus in paucis verbis mendum est duplex. 1. Dum appellat *Arnoldum*, qui Joannes fuit. 2. Dum adscribit *Ordini Fratrum Eremitarum sancti Augustini*, qui fuit ex Canonicis Regularibus Vvindesemensibus, sub Regula Divi Augustini militantibus. Rectiùs de eo locutus Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* capit. 487. pagina mihi 273. Bibliothecæ suæ Ecclesiasticæ, Philippus Alegambus Bruxellensis, uterque ejusdem ditionis atque Idiomatis cum Joanne Buschio. Hic autem postremus in Bibliotheca Societatis Jesu, verbo *Heribertus Rosvveidus* pag. 179. editionis anni 1643.

De Thoma de Kempis. 1460.

THOMAS de Kempis, natione Belga, professione Canonicus regularis, vir magnæ pietatis, obiit anno Domini 1471. ætatis 91. ut in vita ejus quæ præfixa est operibus ipsius legitur.

Scripsit multorum opinione, *quatuor libros de imitatione Christi*: de quo opere locuti sumus, cùm de Joannis Gersonis operibus ageremus.

Scripsit *sermones ad novitios. Sermones ad Fratres. Dialogos novitiorum. De vita solitaria. De tribus tabernaculis. De vera compunctione. Hortulum rosarum. Vallem liliorum. Alphabetum Monachi. Consolatorium pauperum. Epitaphium Monachi. Qualis debeat esse Monachus. Manuale parvulorum. Doctrinale Juvenum. De contemptu mundi. Epistolas ad diversos.*

Dissertatio Historica.

DE THOMA patria Kempensi, sive à Campis modico in diœcesi Coloniensi oppido ad Rhenum, cognomento Hemerchin, hoc est Malleolo, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis Windesemensis Religioso in Monte Divæ Martyris & Virginis Agnetis propè Zuollas in diœcesi Ultrajectensi, vita & conversatione devoto & B. semper Virginis Mariæ amatore præcipuo, qui obiit ætatis anno 91. Christi Domini 1471. die 8. Kal. Augusti, tam multa in utramque partem occasione librorum quatuor *de Imitatione Christi* hisce proximis annis scripta sunt, ut non necesse sit diutius in ejus pangendo elogio immorari. Trithemius qui ei tribuit libros 4. de Contemptu Mundi minus rectè claruisse asserit temporibus Ruperti Regis Romanorum & Gregorii Papæ XII. anno Domini 1410. cùm annos postea vixerit 61. Possevinus elogium ejus ex Centuria Belgicorum Scriptorum Auberti Miræi mutuatus est. De eodem Valerius Andreas in Bibliotheca, &c.

Variæ fuerunt hactenus omnium operum Thomæ Campensis editiones in folio 4. & 8. è quibus ego seligo illam quæ Duaci anno 1635. ex officina Baltassaris Belleri prodiit in 8. vel quæ in 4. emissa fuit Antuerpiæ 1607. apud Nutium opera & studio R. P. Henrici Sommalii è Societate Jesu, hoc ordine.

Post vitam auctoribus Jodoco, Badio, Ascensio, & Francisco Tolensi Canonico Regulari, ac Testimonia ex variis deprompta in favorem Thomæ Kempensis,

Tomo I. continentur.

30. *Sermones ad Novitios Regulares*, in tres partes divisi. 9. *Sermones ad Fratres*. 36. *Utilissimæ Conciones & Meditationes seu orationes de Passione Domini.*

I. Parte Tomi II. continentur.

1. *Libri quatuor de Imitatione Christi*. 2. *Soliloquia animæ*. 3. *Hortulus Rosarum*. 4. *Vallis liliorum*. 5. *De tribus Tabernaculis*. 6. *De Disciplina Claustralium*. 7. *De fideli Dispensatore*. 8. *Hospitale pauperum*. 9. *Dialogus Novitiorum*. 10. *Spiritualia Exercitia Religiosorum duplicia*. 11. *Doctrina Juvenum*. 12. *De vera cordis compunctione*. 13. *De solitudine & silentio.*

II. Parte Tomi II. continentur.

1. *De recognitione propriæ fragilitatis*. 2. *Epitaphium seu Enchiridion Monachorum*. 3. *Manuale parvulorum*. 4. *De elevatione mentis ad inquirendum summum bonum*. 5. *Alphabetum parvum Monachi in schola Christi*. 6. *Consolatio pauperum & infirmorum*. 7. *Orationes plurimæ admodum piæ atque devotæ*. 8. *De Mortificatione sui ipsius*. 9. *De Humilitate*. 10. *De vita bona & pacifica*. 11. *Vita boni Monachi Rhythmicè*. 12. *Hymni & Cantica spiritualia valdè pia num.* 20.

Tomo

Tomo III. continentur.

1. *De Vita Christi ac de Beneficiis ejus Meditationes in 4. Partes distincta.*
2. *Vita sanctæ Lidvvinæ seu Lidevvigis Virginis.*
3. Vitæ Ven. Mag. *Gerardi Magni & D. Florentii*, qui fuerunt parentes & auctores Religiosorum qui Fratres nuncupantur.
4. *Vitæ Discipulorum utriusque:* scilicet, D. Joannis Gronde, D. Joannis Brincherincke, D. Luberti Berneri, D. Henrici Brune, D. Gerardi Suthaniensis, D. Aurelii Burensis, D. Jacobi de Viana, Joannis Cacabi vulgo Ketelcoci pientissimi, & Arnoldi Schoonhove.
5. *Epistolæ sex admodum utiles & religiosæ.*

De Catharina Bononiensi. 1460.

SUPPLEMENTUM.

CATHARINA Bononiensis, quæ obiit an. 1463. die 9. Martii, de qua diximus ad annum 1340. *in Catharina Senensi.*

De Enguerrano de Monstrelet. 1460.

SUPPLEMENTUM.

ENGUERRANUS DE MONSTRELET, nobilis, è Cameracesio oriundus, continuavit anno circiter 1460. Historiam rerum notabilium inter Anglos præsertim & Gallos & Belgas, ab anno quo Joannes Froissartus desiit 1400. ad annum 1467. distinctum tribus voluminibus, quam habes impressam Parisiis in folio caractere insigni, anno 1572. apud Guillelmum Chaudiere, via Jacobæa sub signo Hominis silvestris. De illo Aubertus Miræus in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 452. pag. 265. Bibliothecæ Ecclesiasticæ.

De Joanne Gobelino. 1460.

SUPPLEMENTUM.

JOANNES GOBELINUS Secretarius fuit Pii II. Romani Pontificis, qui post mortem Calixti III. anno 1458. die 19. Augusti factus Pontifex Summus, tenuit Romanam Sedem usque ad annum 1464. quo cessit humanis die 15. Augusti, post annos quinque, menses undecim, dies vigintiseptem Regiminis. Cùm igitur esset Joannes Gobellinus Papæ Domesticus, atque ab Epistolis & Secretis, scripsit oculatus plurimorum testis *Commentarios de rebus gestis Pii II. Summi Pontificis*; seu *Rerum memorabilium ipsius tempore gestarum Historiam*, quæ prodiit curis Francisci Picolominei Senensis Archiepiscopi, ex vetusto exemplari recognita Romæ anno 1584. in 4. & 1589. & Francofurti in Germania in folio anno 1614. in officina Aubriana. In hoc etiam opere extat Pii II. (cùm Cardinalis esset) Apologia seu Responsio ad Martinum Mayer pro defensione Romanæ Ecclesiæ ibi pag. 662. itemque cum *Commentariis* luculentissimis *Jacobi Picolominei Cardinalis Papiensis*, qui Pio Pontifici coævus & familiaris fuit. *Rerum gestarum sui temporis*. Agunt de Joanne Gobelino Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 474. pag. 270. Labbæus hic supra *in Pio II. Pontifice Romano*, & alii.

A

Epilogus.

HÆC pauca de multis sufficiant: scimus enim multò plures à nobis intactos omitti, quàm enunciari, mss. Authores potissimùm. Hìc autem annum 1460. attingentes, finem Opusculo imponimus, quoniam hoc anno, vel præcedenti 1459. cùm Ars Impressoria Moguntiæ à Joanne Fausto executioni mandata sit per editionem Operum duorum videlicet, *Rationalis Divinorum Officiorum* Guillelmi Duranti Mimatensis Episcopi, & *Dictionarii*, quod *Catholicon* dictum est: imposterum quidquid fermè à Doctioribus lucubratum est in quacumque materia Scriptoribus, vel ipsis per vitam sollicitantibus, vel post illorum mortem aliis accurantibus, editum variis in locis, facillimè inveniri potest in Bibliotheca Conradi Gesnerii, aut in Apparatu Antonii Possevini, vel denique in aliis multis impressis apud quasque Nationes Scriptorum Nomenclatoribus.

B

De Henrico Harphio. 1464.

HENRICUS Harphius, natione Belga, patria Mechliniensis, professione Franciscanus, vixit tempore Pauli secundi Pontificis.

C

Scripsit *de decem præceptis*, quod opus, *speculum aureum* nominavit.

Item *de tribus partibus pœnitentiæ*. *Tractatum de effusione cordis*. *Directorium aureum contemplativorum*. *Collationes tres*. *Sermones per Quadragesimam*. Denique *de mystica Theologia libros tres*.

Quod est præcipuum inter opera Harphii. Sed hoc opus interdictum fuit in Indice librorum prohibitorum, nisi repurgatum esset ad exemplum ejus quod repurgatum prodiit Romæ anno 1585.

DISSERTATIO HISTORICA.

D

HENRICUS Harphius, sive de Herph, Citharœdus, vel à Cithara, Ordinis Minorum Religiosus, obiit Guardianus Conventus Mechliniensis anno 1478. ibique sepultus in medio Chori. De eo Valerius Andreas, Wadingus, Possevinus, &c.

Theologia mystica, *cùm speculativa*, *tum affectiva*, *tribus libris*, Coloniæ ex officina Novesiana, anno 1538. (*a*) tum deinde jussu Pontificum Romanorum, à Petro Paulo Philippio Ord. Præd. recognita Romæ 1586. & Brixiæ 1601. in quarto. Gallicè reddidit Joannes Baptista Machaldus Dominus de Motha Romanicurtis, consiliarius Regius, ediditque Parisiis 1617. in quarto, apud. Car. Castellanum.

Speculum aureum in decem præcepta Decalogi, Basileæ 1496. & Argentinæ 1520.

E

Speculum perfectionis, Venetiis 1524.

Collationes tres de perfectione vitæ, Coloniæ 1536.

Sermones de Tempore, *& de Sanctis*, *& de tribus Pœnitentiæ partibus*, *& de triplici adventu Christi*, Haganoæ 1509. in folio. Cætera enucleatius repræsentat Val. Dessélius in Belgica Bibliotheca.

(*a*) Ex Teutonico idiomate latinè reddita à Petro Blomerenna Leydensi Carthusiani Ordinis professore, tum deinde, &c. Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ Sanctæ virum contemplativum & undecumque non minus doctum, quàm illuminatum, eumque in Theologia sua mystica, quæ non tam lectione juvatur, quàm exercitio puritatis & amoris obtinetur, abrupto ordine varias Cantici Canticorum sententias piis affectibus & flammigeris verbis luculentissimè exposuisse.

De

De Alexandro Imolensi. 1470.

ALEXANDER Tartagnus de Imola, scripsit *in sextum*, & *Clementinas*; præter *multa Consilia*, & *alia*, quæ scripsit *in Codicem* & *Digestum*.

Dissertatio Historica.

ALEXANDER Tartagnus, patria Imolensis, sive Forocorneliensis, obiisse dicitur Bononiæ anno Christi 1477. (*a*). De eo pauca Bell. atque ex eo pro more Aubertus Miræus, & Patrologus Jenensis, Joannes Gerhardius.

Commentaria in Digestum, *Codicem*, *Sextum Decretalium & Clementinas cum novis Consiliis* extant, de quibus consule Simlerum & Jurisperitos.

(*a*) Auditor fuit Joannis de Imola & Joannis Ananiensis, sepultus Bononiæ ad S. Dominicum in tumulo marmoreo cum inscriptione anno ætatis, ut quidam scribunt, 53. quod stare non potest, si quod ait Jo: Fichardus professus est annis circiter 50. Felinus ejus interpretationem ita adhibendam Juri censuit tamquam lucernam quamdam ardentem. Neque omittendum videtur in Indice Sandovallino Vitam ejus Consiliorum editioni præmissam auctore Nicolao Antonio Gravatio prohiberi, nisi repurgetur in uno dumtaxat capite.

De Baptista Platina. 1472.

BAPTISTA Platina, patria Cremonensis, vixit tempore Sixti Papæ quarti, cui dedicavit librum de vitis Pontificum Romanorum, & obiit anno Domini 1481.

Scripsit librum *de vitis Pontificum à sancto Petro, usque ad Paulum secundum*, cui libro addidit Onuphrius Panvinius notas non contemnendas; & præterea vitas sequentium Pontificum usque ad Pium V. quam tamen solùm inhoavit.

Omnia hæc aliquoties impressa extant Coloniæ in officina Choliniana.

Scripsit præterea *librum de naturis rerum*, *& libros decem de honesta voluptate*, *& valetudine*, *& epistolas ad diversos*.

Dissertatio Historica.

BAPTISTA Platina (quidam post Trithemium Bartholomæum vocant, assentiente Vossio) patria Cremonensis, (*a*) obiit Romæ peste sublatus cum pluribus aliis anno 1481. Dedicarat Sixto IV. Papæ

Vitas Romanorum Pontificum, quas notis illustravit, & continuavit usque ad sua tempora Onuphrius Panvinius Veronensis Augustinianus. De eo aliisque ejus scriptis plura dabunt idem Trithemius, Bergomas, Leander, Volaterranus, Floridus, Erasmus, Gesnerus, Vossius, &c. Prima illius editio Norembergæ peracta est 3. Idus Augusti anni salutis Christianæ 1481. ab Antonio Koburgero.

(*a*) Baptistam Bellarminus dixit, nos Bartholomæum ex certissimis indiciis appellandum novimus.

De Ambrosio Camaldulensi. 1480.

AMBROSIUS Camaldulensis, Florentinus, Abbas Generalis Ordinis sui, vir fuit doctus & prudens: obiit anno millesimo quadragentesimo nonagesimo.

Scripsit *Tractatum de Spiritu sancto*. Item *de Sa-*A *cramento Corporis Christi*. Item *Orationes*, quarum unam Græco idiomate habuit Ferrariæ coram Imperatore Græco, & Episcopis Græcis.

Scripsit etiam *Epistolas multas*. *Et vitas sanctæ Eugeniæ Virginis*, *& Martyris*. Necnon *Prothi*, & *Jacinthi Martyrum*. Vertit autem *ex lingua Græca in Latinam librum sancti Basilii de Virginitate*. *Vitam S. Joannis Chrysostomi*. *Et Homilias ejusdem in Matthæum*. Item *libros S. Dionysii Areopagitæ*. *Et alia non pauca*.

Dissertatio Historica.

AMBROSIUS, patria Florentinus, vel, ut scripsit Raphael Volaterranus, è Porticu Flami-
B niæ oppidulo non procul Florentia oriundus, Camaldulensis Ordinis Monachus, ac subinde Generalis Abbas, floruit sæculo Christi XV. Ferrariæ orationem Græcè habuit coram Joanne Palæologo Orientis Imperatore, & Præsulibus Græcis an. 1437. diuque postea superstes vixit usque ad annum 1490. quo Constantiæ dicitur obiisse. De eo Philelphus in Epistolis, Paulus Langius in Citizensi Chronico, Paulus Jovius, Jo: Trithemius, Jacobus Phil. Bergomas, Poggius, aliique: sed præcipuè PoccIantius in Catalogo Florentinorum Scriptorum, & Historia Camaldulensium, cap. 38. primæ Partis, atque omnium fusissimè Augustinus Florentinus Monachus Camaldulensis, qui tribus libris vitam ejus eleganter
C descripsit.

Varia ejus opuscula extant & versiones Græcorum Scriptorum in Latinam linguam, quas hìc sigillatim recensere non vacat. Vide supra VV. Joannes Moschus, Manuel Caleca, &c.

De Pacifico. 1480.

PACIFICUS Ordinis Minorum, vixit circa annum 1480. Scripsit *summam casuum conscientiæ*, quæ *Pacifica* nominatur: ea summa ex Latino idiomate in Italicum conversa edita fuit Venetiis anno 1574. & 1580.

D

Dissertatio Historica.

FRATREM illum Pacificum, Novariensem vocat Possevinus in Apparatu sacro & Lucas Wadingus in Bibliotheca Ordinis Minorum, *Summamque* dictam ab eo *Pacificam*, & à Francisco Tarvisino Carmelita Italicè redditam testantur prodiisse Venetiis annis 1574. & 1580. An uspiam prodierit Latinè, prorsus ignoro. Quod ad auctoris ætatem à Wadingo intactam attinet, vixerit circa annum 1470. si verè scripsit Possevinus centum annis antequam Italicè reddita typis mandaretur scriptam fuisse Latinè à Pacifico Franciscano.

E

De Angelo Clavasio. 1480.

ANGELUS à Clavasio, Ligur, Ordinis Minorum scripsit *summam Casuum Conscientiæ*, quæ *Angelica* dicitur. Vixit circa annum Domini 1480.

Dissertatio Historica.

ANGELUS vir eruditus ex Ordine Minorum, à patria Clavasio Liguriæ oppido nuncupari solitus, Sixto II. Papæ aliisque Romanis Pontificibus charissimus, obiit Cunii in Cœnobio Sanctæ Mariæ de Angelis anno 1495. ut pluribus Lucas Wadingus tum in Annalibus, tum in Bibliotheca Ordinis Minorum. Complevit, inquit Trithemius, Summam

sub

sub Frederico Imp. III. & summo Pontifice Sixto IV. & audio eum adhuc esse superstitem Maximiliano Regum Romanorum & Germanorum Gubernatore anno quo hæc scribimus 1494. Indict. 12.

Summa casuum conscientiæ, vulgò dicta Angelica, sæpiùs prælum experta.

Tractatus de Restitutionibus,

Tractatus inscriptus, *Arca fidei*, &c.

De Baptista Trovamala. 1483.

BAPTISTA Trovamala Ordinis Minorum eodem tempore scripsit Lovanii *summam Casuum Conscientiæ*, quæ dicitur *Rosella*.

Dissertatio Historica.

ORDINIS Minorum regularis observantiæ, natione Italus, patria Ligur, ut volunt, floruisse dicitur Lovanii anno 1483. parum notus Wadingo, qui Trovamalium vocat.

Summa casuum conscientiæ, quæ dicitur vulgò, *Rosella*, vel *Baptistiana*, Argentinæ in folio anno 1516. & alibi excusa est.

De VVernero Vestphalo. 1484.

VVERNERUS Vestphalus spripsit *Fasciculum temporum ab initio mundi usque ad annum* 1484. Continuavit hoc opus Joannes Linturius usque ad annum 1514.

Dissertatio Historica.

VVERNERUS Rolevinck de Laer seu Larius, patria Vestfalus ex diœcesi Monasteriensi, professione Carthusianus in domo sanctæ Barbaræ Coloniæ Ubiorum, floruit exeunte sæculo Christi XV. obiitque anno 1502. Plura de eo Arnoldus Bostius cap. ultimo libri de Viris Illustribus Carthusianis, Jacobus Phil. Bergomensis, Joannes, Trithemius qui vixisse adhuc eo quo Catalogum scriptorum Ecclesiasticorum absolvebat anno 1494. testatur provectæ ætatis hominem varia conscribentem, seque vidisse in ejus cellula plures tractatus parvos quidem, sed utiles, præter eos, quos enumerat. Idem in libro de Viris Illustribus Germaniæ longum texit indicem eorum opusculorum quem ab eo acceperat annum agente ætatis suæ 70. conversionis 48. anno Domini 1495. Indictione 13. sexto Idus Maji, Antonius Possev. in Apparatu sacro, Sixtus Senensis parte 4. Bibliothecæ sanctæ, ubi mendosè Vernerus Lorevinch dicitur, Theodorus Petrejus ejusdem apud Ubios familiæ professus in Bibliotheca sua Carthusiana, Vossius qui multa de variis Fasciculi editionibus, aliique. Extant typis excusa,

Fasciculus temporum omnes Antiquorum Chronicas complectens per sex ætates digestus à primo nascentis Mundi exordio usque ad annum Christi 1484. aut potius 1490. vel 1480. quo Hydruntum à Turcis captum describitur pro fide Christi occisis Archiepiscopo ac fermè omnibus civibus. Appendix ad Fasciculum Temporum incipit ab anno 1475. & perducitur usque ad annum 1514. auctore Joanne Linturio Hostensi in Voitlandia Pastore. Utrumque opus sæpè typis commissum est cum figuris, ac fine illis certis quibusdam orbibus distinctum, habeturque Tomo II. Rerum Germanicarum Joannis Pistorii Niddani post Pantheon Gotefridi Viterbiensis.

Ejusdem Vverneri Paradisus Conscientiæ & Quæstiones duodecim pro sanctæ Theologiæ studiosis, dicuntur à Petrejo impressæ Coloniæ Agrippinæ in 4. anno 1475. apud Arnoldum Theroernem.

Sermo longus de Sancto Benedicto, dudum impressus, inquit Trithemius, sed ubi & quo anno non aperit.

De Sacramento Eucharistiæ & fructu Missarum, Coloniæ apud Gasparem Genepæum anno 1535.

De laudibus Vvestfaliæ liber correctus & emendatus ab Ortuino Gratio editus fuisse dicitur an. 1514.

De Gabriele Biel. 1490.

GABRIEL Biel, natione Germanus, qui Tubingæ diu docuit, floruit circa annum Domini 1490.

Scripsit *Commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum*. Item *expositionem Canonis Missæ*, & *Sermones varios*.

Dissertatio Historica.

GABRIEL Biel, vel ut quidam scribunt, Byel, quem alii Helvetium patria fuisse pugnant, alii Spirensem, ex Ordine Clericorum in commune viventium primùm à Gerardo Magno apud Daventriam institutorum, sacræ Theologiæ Licentiatus, & publicus in Universitate Tubingensi à Duce Wittembergensi anno 1477. fundata Professor, de quo Jo: Trithemius, qui eodem vivebat tempore, obiisse à nonnullis dicitur anno 1495. aliis vitam ejus usque ad annum 1520. producentibus minùs appositè, cùm anno 1494. jam esset senex provectæque ætatis.

Præter laudatos à Bellarmino & aliis *Commentarios in libros IV. Magistri Sententiarum Expositionem Canonis Missæ*, quam, ut ipse in operis calce profitetur, ab Eggelingo Brunsvvicensi maximam partem mutuatus est, &. *Sermones de Tempore, de Deipara, ac Sanctis*, extat libellus *De Monetarum potestate simul & utilitate*, editus Norimbergæ anno 1542. Coloniæ 1574. ac denique Lugduni anno 1605. cum libris duobus de re Monetaria Marquardi Freheri, & Nicolai Oresmii Episcopi Lexoviensis Tractatu de mutuationibus Monetarum.

De Jacobo de Valentia. 1490.

JACOBUS de Valentia Episcopus Christopolitanus, vixit circa annum 1490. ut colligitur ex proœmio Fini Hadriani.

Scripsit *Commentaria in Palmos*, & *in Cantica Salomonis*.

Scripsit etiam *in Cantica Zachariæ*, *B. Virginis & Simeonis*, & *in Hymnum*, *Te Deum laudamus*, & *contra Judæos de Christo reparatore generis humani*.

Dissertatio Historica.

JACOBUS PEREZ, patria Ajorensis in regno Valentino, unde cognomen ipsi de Valentia adhæsit, ex Ordine Eremitarum sancti Augustini, creatus anno 1468. Kalendis Octobris Episcopus Christopolitanus & Suffraganeus Roderici Borgiæ Card. Valentini, Episcopi Portuensis, ac S.R.E. Vicecancellarii, obiit anno 1491. sepultus in Templo S. Augustini. Plura Thomas de Herrera, Elssius, Simlerus, aliique.

Commentaria in Psalmos, & *Cantica Salomonis*, *Zachariæ*, *B. Virginis*, & *Simeonis*, ad eumdem Rodericum Borgiam Cardinalem, qui deinde ab an. 1492. ad 1503. fuit Romanus Pontifex Alexandex VI.

Libel-

Libellus contra Judæos de Christo reparatore generis humani.

Quæstionis finalis discussio, utrum solus Christus sit metrum & mensura, & largitor omnium bonorum, & reparator naturæ humanæ.

De Cypriano Beneto. 1490.

CYPRIANUS Benetus Aragonensis Ordinis Prædicatorum, scripsit *quatuor Tractatus*, qui extant unum *de prima Orbis sede*: alterum *de Concilio*: tertium *de potestate Ecclesiastica*: quartum *de Pontificis maximi potestate*.

Dissertatio Historica.

QUATUOR Tractatus à Bellarmino citati, Julio II. & Leoni X. Romanis Pontificibus dicati annis 1512. & 1513. Romæ fuerunt excusi. Addit Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesneri Tractatum de non mutando Paschate Cypriani Veneti impressum esse, eumdemque fortè esse cum Cypriano Beneto.

De Fino Hadriano. 1490.

FINUS Hadrianus Ferrariensis, vivebat senèx anno 1503. ut ipse testatur in proœmio sui operis, scripsit in ultima sua ætate *volumen* magnum & egregium, *libris novem distinctum*, quod inscripsit *Flagellum in Judæos*. Extat excusum Venetiis anno Domini 1538.

Dissertatio Historica.

SIVE, ut Josiæ Simlero scribitur Adrianus Finus, vivebat senex anno 1503. ut testatur in Proœmio *Flagelli adversus Judæos*, in libros 9. distincti, & anno 1538. Venetiis in quarto impressi.

De Joanne Pico. 1490.

JOANNES Picus Mirandulæ Comes, vir ingenio & doctrina (pro ætate) maximus. Vixit annos solùm triginta tres, & obiit anno Domini 1494. scripsit tamen, *In primum caput Genesis, & de opere sex dierum expositionem* multiplicem *libris septem* comprehensam. Item *explicationem Orationis Dominicæ*. Item *conclusiones nongentas*, quas disputandas publicè proposuit. Item *Apologiam adversus eos, qui aliquot ejus conclusiones carpebant*. Item *de ente, & uno*. Item *de hominis dignitate*. Item *regulas Christianæ vitæ, ad vincendas tentationes, & mundum*, perutiles. *In Psalmum* 15. *Conserva me Domine explicationem*. *De Christi Regno*, & *Mundi vanitate*. *De Astrologia*, sive potius *contra Astrologiam judiciariam lib.* 12. Item *in convivium Platonis libros tres*. Denique *elegias*, & *epistolas varias*. Quid si hoc ingenium aliis triginta annis excoli potuisset? Omninò enim nihil ei defuit nisi maturitas.

Dissertatio Historica.

JOANNES Picus, Mirandulæ Dominus, & Concordiæ Comes ac Princeps, ingeniorum sui sæculi Phœnix meritò ab eruditis nuncupatus, natus anno 1463. obiit magno omnium mœrore Florentiæ, die 15. Kalend. Decembris anni 1494. quo die Carolus VIII. Francorum Rex eamdem urbem ingressus est. Ætas ejus 32. dumtaxat annorum fuit. De eo plura Joannes Franciscus Picus ejus ex fratre nepos, in Vita, quæ operibus ejusdem præmittitur, Joannes Trithemius, qui ejus adhuc viventis anno 1494. texebat elogium, cùm de ejus morte nondum fuisset nunciatum, Paulus Jovius, Philippus Beroaldus, Angelus Politianus, Joannes Jovianus Pontanus, Marsilius Ficinus, Lucas Guaricus, Leander Albertus Poss. Spondanus, qui anno 1487. de damnata ab Innocentio VIII. Papa nongentarum Conclusionum farragine pluribus agit, aliique recentiores. Sed fides nullatenus adhibenda est Hier. Cardano, num. 65. centum Geniturarum (*a*).

Omnia Joannis Pici opera Basileæ edita sunt in folio annis 1573. & 1601. in Officina Henricpetriana, hoc ordine:

Heptalus, idest, de Dei Creatoris sex dierum opere libri septem, ad caput primum Geneseos (*b*).

Conclusiones nongentæ, Romæ publicè ad disputandum propositæ, cùm annos dumtaxat 24. natus esset, præcipuos Theologiæ locos, & pleraque, in quibus Philosophorum omnis labor & studium cernitur, continentes.

Apologia adversus eos, qui aliquot ejus propositiones Theologicas carpebant. *De ente & uno opus*, in quo plurimi loci in Moyse, Platone, & Aristotele explicantur. De Hominis dignitate.

Regulæ XII. sive præcepta, ad Christianæ vitæ institutionem, & spiritualis pugnæ arma XII. quibus adjutus homo possit vincere mundum & tentationes.

Commentarius in Psalmum XV. Conserva me Domine, &c. *De Christi regno, & vanitate hujus Mundi*. *In Orationem Dominicam Expositio*.

Epistolarum aurearum & familiarium liber unus, in quibus eminent, quæ primo loco ponuntur ad Franciscum nepotem scriptæ.

In Apologiam Disputationum libri 12. In Platonis Convivium libri tres. Elegia ad Florentiam, in laudem Hieronymi Benivenii, &c.

(*a*) Hunc Picum Jo. Foxus Anglus primæ notæ hæreticus Eccles. Catholicæ desertoribus inseruit, adeoque meritissimè arguitur à Guillelmo Alano, &c.

(*b*) De quo pluribus Sixtus Senensis libro quarto Bibliothecæ quem consule.

De Marsilio Ficino. 1490.

MARSILIUS Ficinus, Florentiæ natus est, ut ipse testatur in quadam epistola, anno Domini 1433. Obiit verò anno 1499. Vir fuit peritus non vulgariter, tum sacræ Theologiæ, tum etiam Platonicæ philosophiæ.

Opera ejus duobus tomis excusa sunt Basileæ anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo.

In primo tomo.

De Christiana religione, lib. 1. *De immortalitate animarum, lib.* 18. *In epistolas Beati Pauli, ascensus usque ad cælum ad Paulum intelligendum.* Sed non explicat nisi epistolam ad Romanos. *Prædicationes habitæ ad Fratres. De sanitate tuenda studiosorum, lib.* 1. *De vita producenda, lib.* 1. *De vita cælitus comparanda,* 1. *Apologia, in qua, de Medicina, Astrologia, vita Mundi, & de tribus Magis agitur. Antidotus Epidemiarum. Epistolarum lib.* 12. *De sole, liber allegoricus, & anagogicus. De lumine liber. De voluptate liber.*

In secundo tomo sunt.

Aut *versiones librorum*, aut *opera Platonica*.

Dissertatio Historica.

MARSILIUS Ficinus, patria Florentinus, natus anno 1433. Philosophiæ Platonicæ sua ætate instaurator plurimis Tractatibus tum Theologicis, tum Philosophicis publicam in lucem editis, versisque è Græca dialecto Platone, aliisque Philosophis, nomen suum posteritati commendavit. Obiit anno 1499. in patria (*a*). De eo Dominicus Mellinus, qui vitam ejus scripsit, Guiccardinus, aliique Florentini scriptores, Joannes Trithemius, Ludovicus Vives, Michael Medina, Jo: Bapt. Crispus libro de Philosophis cautè legendis, Paulus Jovius, Gesnerus, ejusque epitomator Simlerus, Possevinus, aliique. Operum ejus Basileæ annis 1561. & 1576. excusorum apud Henricum Petri,

Tomo I. continentur.

De Religione Christiana & fidei pietate liber, ad Laurentium Medicem patriæ Servatorem.

De immortalitate animorum ac æterna felicitate libri 18. *Theologiæ Platonicæ*, ad eumdem.

In Epistolas S. Pauli Apostoli Commentarius & ascensus in tertium cœlum ad Paulum intelligendum. Rectè tamen monet Bellarm. explicari tantùm ab eo epistolam ad Romanos, *Conciones habitæ ad Fratres*.

De vita libri tres: quorum, I. de studiosorum sanitate tuenda, sive eorum qui litteris operam navant, II. de vita producenda. III. de vita cœlitus comparanda ad Pannoniæ Regem.

Apologia, in qua de Medicina, Astrologia, Vita Mundi, & Magis Christum salutantibus agitur.

Quòd necessarium sit ad vitam securitas tranquillitasque animi.

Epidemiarum antidotus tutelam bonæ valetudinis continens, ex idiomate Italico Latinitate donata.

Epistolarum libri duodecim: ex quibus inter cætera selecti sunt sequentes aliquot Tractatus usque ad libros de sole, lumine, & voluptate.

Dialogus inter Deum & animam. De divino furore. De Felicitate. Oratio ad Deum Theologica. Quæstiones quinque de Mente. Compendium Platonicæ Theologiæ. Dialogus inter Paulum & Animam, quòd ad Deum non ascendatur sine Deo. Exhortatio ad bellum contra Barbaros. De officiis. Oratio de laudibus Philosophiæ. Oratio de laudibus Medicinæ. De Philosophia Platonica. De Vita Platonis Philosophi. Apologia de moribus Platonis. Disputatio contra judicia Astrologorum. De institutione Principis. Oratio Christiani gregis ad Pastorem Sixtum IV. Pontificem. Oraculum Alfonsi Regis ad Ferdinandum Regem. Orphica comparatio Solis ad Deum atque declaratio idearum. Philosophica Principis institutio. De Christianæ legis divinitate. De Platonicorum contemplationibus. Oratio de Charitate habita ad populum. De adoratione Divinæ virtutis. Apologia de voluptate. Excerpta ex Proclo in Rempublicam Platonis. Apologia in librum suum de sole & lumine. Oratio ad Carolum Gallorum Regem. De Providentia, Vaticiniis, remediisque malorum. De Sole, liber allegoricus & anagogicus. De lumine liber. De voluptate liber.

Tomo II. continentur.

Dionysii Areopagitæ translatio, unà cum argumentis.

In Platonem Epitome seu argumenta, Commentaria, Collectanea, & Annotationes.

In Plotini Philosophi Platonici libros 54. *in sex Enneadas distributos argumenta*, quibus tota ejus Philosophia brevissimè comprehenditur.

A *Expositio Prisciani Lydi & Marsilii Ficini in Theophrastum de sensu ac phantasia & intellectu.*

Mercurii Trismegisti Pymander, de potestate ac sapientia Dei: item Asclepius de voluntate Dei.

Athenagoræ Atheniensis de Resurrectione excerpta. Jamblicus de Mysteriis Ægyptiorum, Chaldæorum, atque Assyriorum. Procli in Alcibiadem Platonicum de anima ac dæmone excerpta. Proclus de sacrificio & magia. Porphyrius de Occasionibus, sive, causis ad intelligibilia nos ducentibus. Ex Porphyrii libris 4. *de Abstinentia. Ex Psello de Dæmonibus. Alcinous de doctrina Platonis cap.* 24. *Speusippus de definitionibus Platonis. Xenocratis de morte*, libri 11. sive Dialogus qui inscribitur Axiochus. *Synesius de somniis. Pythagoræ aurea verba & Symbola.*

B Latinos fecerat Orphei, Homeri, & Procli Hymnos ac Theogoniam Hesiodi, sed ut ipse in Epistolis scripsit Vulcano has versiones donavit: qua de re vide Possevini Poeticam.

(*a*) Nec te fallat epitaphium ejus, quod visitur in templo S. Mariæ Reparatæ Florentiæ, neque enim annum mortis ejus designat.

En Hospes hic est Marsilius sophiæ pater,
Platonicum qui dogma culpa temporum
Situ obscurum illustrans, & Atticum decus
Servans Latio dedit, fores primus sacras
Divino aperiens mentis actus numine
Vixit beatus ante Cosmi munere
C *Laurique Medices, nunc revixit publico.*

S. P. Q. F. Anno MDXXI.

De Jacobo Philippo Bergomensi. 1494.

JACOBUS Philippus Bergomensis, Ordinis sancti Augustini vivebat anno Domini 1494.

Scripsit *historiam ab initio mundi usque ad annum Domini* 1436. *Libris quindecim*, quod opus inscripsit *supplementum Chronicorum.*

Scripsit etiam *de claris mulieribus Christianis.*

D

Dissertatio Historica.

JACOBUS Philippus Forestus, à patria Bergomas passim dictus, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Innocentio VIII. Papæ summè dilectus, vixit usque ad annum 1518. quo annos natus 75. vel ut alii rectiùs, 85. obiit in patria. De eo Joannes Trithemius, M. Antonius Sabellicus, qui eum Philippum Eremitanum vocat, Thomas Gratianus, Elssius, Vossius, aliique.

Supplementum Chronicorum, quod etiam dictum reperitur, Supplementum supplementi libris 16. distinctum, ab orbe condito ad annum usque 1503. qui erat ætatis ipsius Jacobi Philippi, 69. vel 70. Parisiis E editum fuit cum accessione brevi historiarum ab anno 1503. usque ad annum 1535.

Liber de præclaris mulieribus Christianis, anno 1497. primùm editus ad Beatricem Aragoniam Hungarorum, & Bohemorum Reginam.

Confessionale, sive interrogatorium excusum anno 1508. in octavo.

De Antonio Bonfinio. 1500.

ANTONIUS Bonfinius vivebat anno 1500. scripsit *historiam Hungaricam*: & *Commentarium de pudicitia*. Sed hoc in Indice Romano prohibitum est.

DISSERTATIO HISTORICA.

ANTONIUS Bonfinius, civis Asculanus & Recinetensis, circa annum Christi 1495. ad Ladislaum Hungariæ Regem misit *Rerum Hungaricarum* libros 45. hortatu Matthiæ Corvini Regis, ut in Præfatione insinuat, scriptos, atque in Decadas quatuor cum dimidia distributos. De quibus, earumque appendicibus, variisque editionibus, consule Simlerum, & Vossium, qui etiam meminere,

Symposii Beatricis, sive, *Dialogorum trium de pudicitia conjugali & virginitate*, ex Bibliotheca Joannis Sambuci anno 1572. Basileæ excusorum.

Inde quoque disces ab eodem Latinitate donatos Philostrati Lemnii libros de Vitis Sophistarum, & Hermogenis de Arte Rhetorica libros, cum Præexercitamentis Aphthonii Sophistæ, & quasdam in Horatium commentationes, quæ omnia aliò pertinent.

De Roberto Gaguino. 1500.

ROBERTUS Gaguinus Gallus, Ord. sanctæ Trinitatis Generalis, vivebat anno Domini 1500. Scripsit *pro Conceptione B. Virginis tam carmine quàm soluta Oratione libros duos. De miseria humana, lib.* 1. *Orationes, & epistolas.*

Denique *de origine, & Regibus Francorum, libros duodecim, usque ad Carolum VIII.* Quæ est historia annorum mille, & ducentorum.

DISSERTATIO HISTORICA.

ROBERTUS, seu, quod idem est, Rupertus Gaguinus, natione Belga, non Duaci natus, sed in vico Callina, qui est in Artesiæ finibus ad Lisam fluvium, Ordinis sanctissimæ Trinitatis de Redemptione captivorum Monachus, ac deinde Minister Generalis, Juris Pontificii Doctor, multis pro Carolo VIII. & Ludovico XII. Franciæ Regibus cum summa laude perfunctus Legationibus, obiit anno 1501. XI. Kalendas Junias Lutetiæ sepultus in Conventu Mathurinorum, ut vocant, ejusdem Ordinis ante aram Templi principem cum Epitaphio. De eo adhuc vivente Joannes Trithemius scribebat anno 1494. & post ejus mortem Erasmus, Jovius, Chytræus, Vossius, quique de Belgicis Scriptoribus non parcè solent elogia texere, Antonius Sanderus, Franciscus Swertius, Valerius Andreas, Aubertus Miræus, Ferreolus Locrius, Guillelmus Gazetus, aliique in dies penè singulos.

Annales rerum Gallicarum libris undecim descripti usque ad Carolum VIII. soli sæpè cusi, & cum supplemento Huberti Vellerii usque ad an. 1520. Francofurti an. 1580. apud Wechelum.

Ejusdem quoque nonnullas *Orationes & Epistolas*, necnon *Carmina* quædam legi typis excusa: sed nondum venere in manus meas libri duo, alter carmine scriptus ad Arnoldum Bostium Carmelitam Gandavi morantem *contra Vincentium de Castronovo Ordinis Prædicatorum*; alter soluta oratione, *de immaculata B. Virginis Mariæ Conceptione.*

De Marco Antonio Coccio Sabellico. 1500.

MARCUS Antonius Coccius Sabellicus vir valdè eruditus vivebat anno Domini 1500. Ejus opera quatuor tomis Basileæ excusa fuerunt anno 1560.

In primo tomo continetur *historia ab Orbe condito, per enneades quinque*, idest, *libros quadraginta quinque.*

In secundo continetur *continuatio historiæ per enneades sex*, idest, *libros quadraginta septem*: nam enneadis ultima non habet nisi libros duos. In eodem tomo continetur *historia Veneta per decades tres*, & *quarta libros tres.*

In tertio continentur *supplementi per alios additi libri viginti novem.*

In quarto, *exemplorum libri decem. De Aquilejæ antiquitate, lib.* 6. *De Venetæ Urbis situ.* 4. *De Venetis Magistratibus.* 1. *De Prætoris officio.* 1. *De officio scribæ dialogus. De Latinæ linguæ reparatione dialogus. Epistolarum, lib.* 12. *Orationes.* 12. *Poemata varia.*

DISSERTATIO HISTORICA.

MARCUS Antonius Sabellicus Fabri ferrarii filius, Æquicolas ortu suo nobilitavit, Domitii Veronensis & Pomponii Læti discipulus, vitam docendo litteras apud Venetos exegit, obiitque 14. Kal. Majas anni 1506. De eo Floridus Sabinus, Philippus Bergomas, Bapt. Egnatius, Bembus, Jovius, Pierius, Vives, Erasmus, Leander Albertus, Petrus Georgius Chalcedorius, aliique apud Vossium ac recentiores.

De ejusdem scriptis IV. Tomis Basileæ editis anno 1560. nihil modò occurrit addendum iis quæ Bellarm. & Simlerus præmiserunt; neque verò multum confert Theologo res sacras tractanti.

De Paulo Middelburgio. 1500.

PAULUS Middelburgius Episcopus Forosempronii, vivebat an. 1500. & scripsit *ad Leonem decimum libros de tempore Paschali*, & *ad Maximilianum Imperatorem libros de die passionis Domini*, qui notissimi sunt.

DISSERTATIO HISTORICA.

PAULUS, Middelburgi, seu Mittelburgi primaria Zelandicarum Insularum urbe natus, profectus in Italiam, Urbini commoratus est, factusque Episcopus Forosemproniensis, interfuit Concilio Lateranensi sub Pontificibus Julio II. & Leone X. anno Christi 1513. dein provecta admodum ætate natus annos 89. obiit anno Christi 1534. decimo nono Kalendas Januarii, Romæ sepultus ad S. Mariam de Anima, cum epitaphio. Julius Scaliger Exercitatione in Cardanum 266. Vossius, Ughellus, Valerius Andreas, aliique de eo consulendi per otium.

De Paschali observatione libri XIV. ad Leonem X. Romanum Pontificem, impressi Forosempronii anno 1513. quod opus Paulina de Paschate dici solet.

De die Passionis Dominicæ libri undeviginti, ad Maximilianum Imperatorem Romanorum, ibidem eodemque anno.

Prognosticon ostendens anno Domini 1524. *nullum neque Universale neque Particulare Diluvium futurum*, Forosempronii anno Christi 1523.

Aliud quoque *Prognosticon* memoratur ad Maximilianum Austriacum Lovanii impressum apud Joannem Westfalum, cum ejus *Defensione* contra Joannem Barbum Urbini edita anno 1484. dum adhuc esset Ducis Urbinatium Medicus.

De Joanne Nauclero. 1550.

JOANNES Nauclerus Præpositus Tubingensis vivebat anno 1500. Scripsit ingens *Chronicon continens res memorabiles ab initio mundi usque ad annum Domini* 1500. Opus distinguitur in duo volumina, & primum quidem continet generationes 63. ab Adam usque ad Christum: alterum continet generationes quinquaginta, & unam.

Dissertatio Historica.

JOANNES, nobilis Svevus, Germanicè dictus Vergehaus, Latinè Nauta, Græcè Nauclerus, Præpositus Tubingensis, & in illius urbis Universitate ab Everardo Comite, ac post aliquot annos primo Duce Wittebergensi Hierosolymis reverso anno 1477. fundata, Juris Canonici Professor, primusque illius Rector, floruit extremo sæculo XV. & initio decimisexti, neque enim mihi compertus est illius obitus annus

Chronicon succinctè comprehendens res memorabiles sæculorum omnium ac gentium ab initio Mundi usque ad annum Christi nati 1500. cum Auctario *Nicolai Baselii* Hirsaugiensis Monachi ab anno Domini 1501. ad annum 1514. & Appendice nova cursim memorante res interim gestas ab an. 1515. ad annum 1544. studio *Conradi Tigermanni*, & *Bartholomæi Laurentis*, excusum fuit Coloniæ an. 1544. apud Petrum Quentelium. Si quæ verò fides Joachimo Camerario, priusquam Chronicon illud exiret in lucem, à Philippo Melanchthone Brettano dispositum, auctumque fuit, ac perpolitum.

Eidem Chronologiæ Paralipomena adjecit Dominus *Laurentius Surius*, Carthusianus Monachus, quem cane pejus & angue oderunt Novatores. Vide Præfationem Gasparis Peuceri, qui prædicti Philippi Melanchthonis gener fuit, ad librum quintum Chronicorum, similesque Heterodoxos sive Calvini, sive Lutheri asseclas, quos unico vocabulo quidam non absurdè Acatholicos appellant, quòd in eam dumtaxat rem ac fermè unicam conspirent omnes, ut Catholicæ Ecclesiæ à Christo Apostolisque fundatæ nullis non conatibus quasi ex condicto adversentur, eamque subruere machinis omnibus annitantur sparsis in ejus Defensores ac verè filios calumniis mendaciisque impudentissimi. Cæterùm Commentarius ille brevis Surianus rerum in orbe gestarum ab an. 1500. usque ad annum 1574. sæpiùs editus est Coloniæ in folio & octavo apud Calenium & Quentelios.

De Alberto Krantzio. 1500.

ALBERTUS Krantzius Bambergensis, vir admodum diligens in historiis conscribendis, vivebat anno Domini 1500.

Sripsit *Metropolim, quæ continet historiam Ecclesiasticam*. Item *historiam Saxonicam*, & *Vandalicam*, & *Chronicon aliarum septemtrionalium regionum*. Sed impiæ notæ ad marginem additæ ab hæreticis, fecerunt, ut libri hujus auctoris prohiberentur in Indice Romano, donec purgarentur.

Dissertatio Historica.

ALBERTUS Krantzius, Collegii Canonicorum Hamburgi ad Albim Decanus, obiisse dicitur die 7. Decembris anni 1517.

Saxoniam, *Vandaliam*, *Daniam*, *Gothiamque* variis libris, qui passim in Bibliothecis visuntur, illustravit, perduxitque narrationem Historicam usque ad

A annum 1504. De eo ejusque scriptis plura collegit Vossius libro III. de Historicis Latinis ex Jacobo Meyero, Gerardo Noviomago, Georgio Fabritio, Pantaleone, & aliis. Observavit quoque Miræus *libellum de Officio Missæ*, eodem Auctore scriptum prodiisse Rostochii anno 1505. nec pigebit consuluisse Josiam Simlerum, in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ (*a*).

(*a*) In Sandovalliano indice Expurgatorio inter Auctores secundæ Classis revocantur Alberti Krantzii Saxonia, Wandalia, Regnorum Aquilonarium Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ Chronica cum Metropoli, nisi expurgentur à fœdis Hæreticorum editorum aut Typographorum Præfationibus, scholiis, similibus-
B que additamentis.

De Felino. 1500.

FELINUS Sandeus Ferrariensis Jurisconsultus celeberrimus vivebat anno Domini 1500.

Scripsit *in libros decretalium*. Item *Tractatus de jurepatronatus*. *Sermones de Indulgentia plenaria*, & *alia*.

Dissertatio Historica.

FERRARIENSIS hujus J.C. ex nobilissima Sandeorum familia, plura opera recenset Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesneri ex Continuato-
C re Joannis Trithemii, qui floruisse asserit sub Innocentio octavo, à quo Romam accitus Rotæ collegio præpositus est, & Alexandro sexto. Quo anno obierit, nondum comperi. Forsterus addit demum Episcopum Lucensem factum fuisse, quod ab aliis omissum quidem, sed non à Catelliano Cotta, quem exscripsit in pluribus, aut vicissim.

De Joanne Trithemio. 1500.

JOANNES Trithemius natione Germanus, Abbas Spanehemensis, Ordinis sancti Benedicti, vivebat anno 1500. & obiit an. 1519. ætatis suæ 57.

Scripsit *opera plurima*, sed notiora sunt historica,
D quæ simul edita sunt Francofurti anno 1600.

Scripsit igitur: *De Illustribus viris Germanis*. *De Illustribus viris Ord. sancti Benedicti*. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. *Chronicon Monasterii Hirsaugiensis*. *Chronicon Monasterii Spanchemensis*. *De origine Francorum*. *De successione Ducum Bavariæ*, & *Comitum Palatinorum*.

Scripsit etiam *Epistolas*, *Sermones*, & *varia opera spiritualia*.

Denique scripsit *de septem secundis intelligentiis orbem moventibus* & opus inscriptum *Steganographiam*, idest, occultam scriptionem, quod opus prohibitum meritò est, cùm sit plenum perniciosis dogmatibus ad Magiam pertinentibus, quod & ipse agnovit, & confessus est.

E

Dissertatio Historica.

JOANNES, à vico natali ad Mosellam fluvium in Trevirensi Diœcesi sito, dictus de Tritenhem, sive Trithemius, natus anno 1462. monasticum habitum Ord. S. Benedicti induit anno 1482. in Spanheimensi cœnobio diœcesis Moguntinæ, propè Cruzenacum, ubi etiam præfuit Abbas anno sequenti communibus Monachorum suffragiis electus, unde postea ad regendum Sancti Jacobi Majoris apud Herbipolim seu Wirziburgum in suburbano constructum Monasterium ejusdem Ordinis de observantia, ut vocant, Burzfeldensi, transiit, in eoque vivere desiit die 13. Decembris anni 1516. Præter ea quæ de se ipso scripsit epistola 51. ad Rogerium Sicambrum,

brum, & in fine Catalogi Scriptorum Ecclesiasticorum, consulenda sunt epistola de libris ejus à Joanne Duraclusio discipulo anno 1515. conscripta, ad Nicolaum Hamelrium Emelanum, Chronicon Citizense Pauli Langii anno 1515. Andreæ Treveti elogia, in quibus malè obitus ejus collocatur an. 1499. quæque ex variis hinc inde collegere Busæus & Possevinus. Nos typis excusa sectamur, ac primò præponimus Historica, quæ an. 1601. Francofurti typis Wechelianis prodierunt ex Bibliotheca Marquardi Freheri J. C.

Prima Parte continentur.

Chronologia Mystica de secundis, sive Intelligentiis orbes post Deum moventibus, ad Maximilianum Romanorum Imp. Aug.

Compendium, sive, *Breviarium primi Voluminis Chronicorum de Origine gentis & Regum Francorum per annos* 1189. *à Marcomiro usque ad Pipinum Regem*, ad Laurentium Episcopum Wirtzpurgensem, Orientalis Franciæ Ducem. Verùm hæc fermè omnia falsa sunt, & ex mendacibus nugis Scriptorum nullius bonæ frugis collecta.

De origine gentis Francorum, ex ὑποβολιμαίῳ Hunibaldo decerptum: in quo etiam Præsulum Wirtzpurgentium enumeratio.

Chronicon successionis Ducum Bavariæ & Comitum Palatinorum, ad Philippum Palatinum Comitem Principem Electorem.

Catalogus illustrium virorum Germaniam suis ingeniis & lucubrationibus omnifariam exornantium, ad Jacobum Wimphelingium Slestadium Theologum, cum ejusdem prosthesi, sive additamento.

Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum, ad Jo: Dalbergium Episc. Wormatiensem, an. 1494. scriptus, eodemque excusus Moguntiæ apud Petrum Fridbertum, deinde Parisiis anno 1512. apud Bertoldum Reubolt & Joan. Parvum, cum quibusdam Scriptoribus ad calcem editis ab Anonymo, ac postea cum accessione longè uberiori studio Balthazaris Werlini Colmariensis, annis 1531. & 1546. Coloniæ ex officina Petri Quentel. Quæ verò in postrema illa Coloniensi editione textui inserta sunt, facilè discernuntur apposito † signo. Atque, ut id obiter observem, Freherus in collectione sua videtur sequutus dumtaxat editionem Parisiensem, non autem Coloniensem. Sed de his satis.

In secunda Parte continentur.

Chronicon Cœnobii Hirsaugiensis diœcesis Spirensis, ab anno Christi Domini 830. usque ad annum 1370. emendatum, & auctum collatione ms. archetypi ipsius auctoris. Illos verò Annales postea copiosè auxisse dicitur anno 1514. ex quibus tamen nihil hactenus editum fuit præter vitam Friderici Comitis Palatini Victoriosi dicti, quam idem Marquardus Freherus anno 1602. publicavit.

Chronicon Monasterii Spanheimensis S. Martino Episcopo consecrati in diœcesi Moguntina, ab anno Christi 1124. usque ad annum 1511. tunc primùm è tenebris erutum, & in lucem editum.

Epistolæ Trithemii familiares, ab excessu ejus de Spanheimensi Monasterio ad Principes, Clarosque Viros scriptæ, atque historiis ejus ævi refertæ. Liber primus Epistolas continet 79. secundus tantùm 61.

Opuscula Pia ejusdem Trithemii.

R. P. Joannis Busæus Soc. Jesu Theologus, spiritualia Trithemii opera, quotquot reperiri potuerunt, A uno inclusit volumine anno 1604. Moguntiæ apud Joannem Albinum, hoc ordine:

Chronicon Monasterii S. Jacobi Majoris in suburbio Herbipolitano, ex codice manu ipsius Trithemii exarato, tunc primùm editum.

De Viris Illustribus Ordinis Sancti Benedicti libri quatuor. Prodierunt Coloniæ impressi in quarto apud Gervinum Calevium anno 1575. cum expositionibus Turrecrematæ, & Smaragdi Abbatis in Regulam S. Benedicti.

Commentariorum in regulam S. Benedicti liber I. nam II. desideratur.

Sermonum, vel Exhortationum ad Monachos libri duo. Habeo præ manibus excusos in quarto Florentiæ B anno 1577. in Officina Georgii Marescotti cum libro Penthico.

De triplici regione Claustralium. Modus & forma quotidiani exercitii Monachorum. Compendium spiritualis exercitii. De Religiosorum tentationibus libri duo. De vitio proprietatis Monachorum, liber unus. De laude Scriptorum manualium. De vitæ Sacerdotalis institutione. De vanitate & miseria humanæ vitæ. Liber Penthicus, seu lugubris, de statu & ruina Ordinis S. Benedicti. Orationes in annuo Abbatum Burßfeldensis Congregationis conventu habitæ. Epistolarum ad familiares liber unus. De visitatione Monachorum liber unus. Modus & forma celebrandi Capitulum Provinciale in Provincia Moguntina. Constitutiones Provincialium Capitulorum per provinciam C *Moguntinam, & diœcesim Bambergensem celebratorum. De miraculis B. Mariæ Virginis in Ecclesia nova propè Dittelbach Franciæ Orientalis oppidum factis libri duo. De miraculis in Urticeto juxta Heilbrunam Wirtzburgensis diœcesis oppidum ad invocationem Beatiss. Virg. Mariæ factis libri tres.*

In Paralipomenis anno 1605. in eadem urbe Moguntina excusis in octavo studio ejusdem Joannis Busæi.

Post Petri Blesensis quædam opuscula, & ante Hincmari Epistolas duas ejusdem Joannis Trithemii repræsentantur

I. Antipalus maleficiorum quatuor libris com- D prehensus.

II. *Liber octo Quæstionum*, quas illi dissolvendas proposuit Maximilianus I. Cæsar.

III. *De laudibus Ordinis Fratrum Carmelitarum, sive de ortu ejus atque progressu liber primus*. Secundus enim Catalogum Virorum Illustrium ejusdem Ordinis repræsentat.

IV. *De laudibus S. Annæ Matris B. Mariæ Virginis*, cum variorum Auctorum Carminibus de ejusdem S. Annæ laudibus.

V. *Cursus Horarum, Officiique Divini, pro festo S. Annæ, & S. Joachim.* Deinde variæ Orationes & Sequentiæ in honorem Christi & Sanctorum.

VI. *Catalogus Græcorum Codicum in Bibliotheca Tri-* E *themiana Spanheimensi.*

Præter enumerata opera à Frehero ac Busæo nostro edita, extant ejusdem quoque Trithemii lucubrationes aliæ typis commissæ.

Vita S. Maximini Archiepiscopi Trevirensis, die 16. Novembris apud Laur. Surium. Ejusdem vita Lupo auctore ad diem 29. Maji legitur.

Polygraphiæ libri sex, ad Maximilianum Cæsarem, in quibus plures scribendi modos aperit, excusi sunt in folio anno 1518. à Joanne Haselbergo de Aja diœcesis Constantiensis, qui etiam excudit Clavem expositionis ejusdem Polygraphiæ.

Steganographia, sive de ratione occultè scribendi: Adversus illam, & pro illa multi hactenus scripserunt, aliis Magiæ prohibitæ nomine damnantibus, aliis benignius interpretantibus, & ab omni labe purgantibus (a)

(a) Ex-

(*a*) Extant Gustavi cujusdam Seleni Cryptomenytices & Cryptographiæ libri novem, in quibus & planissima Steganographiæ à Joanne Trithemio Abbate Spanheimensi & Herbipolensi admirandi ingenii viro magicè & ænigmaticè olim conscriptæ enodatio traditur inspersis ubique Authoris ac aliorum non contemnendis inventis, anno 1624. in folio dicati Ferdinando II. Imperatori Augusto.

De Jacobo VVimphelingio. 1500.

JACOBUS Wimphelingius Presbyter Ecclesiæ Spirensis Orator, Poeta, & Historicus non contemnendus, vivebat anno Domini 1500. Scripsit prætereà alia: *Epitomen rerum gestarum per Germaniam.*

B

Dissertatio Historica.

JACOBUS Wimphelingius, Sletstatensis, Presbyter Ecclesiæ Spirensis, & Professor Gymnasii Heidelbergensis, floruit apud Nemetes anno 4494. ut habet ex Trithemio Simlerus, qui quamplurima ejus opuscula recensuit in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ, quam per otium consulat Lector. Vixisse ultra annum 1500. certissimum. De eo Trithemius in Catalogo, ubi asserit pridem se ad hunc librum de Luminaribus sive de Illustribus viris Germaniæ dedisse, Paulus Langius in Chronico Citizensi ad annum 1493. ubi ejus cynicam facundiam reprehendit, Lilius Giraldus Dialogo secundo de Poetis sui temporis, Jo: Gerardus Vossius, aliique.

C

De Baptista Mantuano. 1500.

BAPTISTA Mantuanus, Ord. Carmelitarum Prior generalis, Poeta fuit doctus, & pius: & *multa carmina* scripsit *in Laudes Sanctorum*. Vivebat anno Domini 1500.

Dissertatio Historica.

BAPTISTA Spagnolus, à patria Galliæ Cisalpinæ urbe notissima, in qua lucem vidit die 17. Aprilis anni 1448. dictus Mantuanus, Ordinis B. Virginis de Monte Carmelo Prior Generalis circiter annum 1513. obiit Mantuæ anno 1516. die 20. Martii, in festo Cœnæ Dominicæ, natus annos 68.

D

Poemata ejus, aliaque opera in quatuor Tomos distincta, pluribus explicabit R. P. Ludovicus Jacob à sancto Carolo in Bibliotheca Carmelitica. Interim consule Joannem Trithemium, ex cujus encomio hæc dubio procul omni obliteranda: qui metro Virgilium, Ciceronem prosa æquat, ne dicam superat: sunt enim falsissima iis qui gustum aliquem Latinitatis habent, licèt ingenium ejus copiosum, & mira in pangendis carminibus facilitas, aliæque dotes satis commendari nequeant, Joannem Picum Mirandulanum, Joannem Jovianum Pontanum, & Philippum Beroaldum in epistolis, Paulum Jovium cujus in maledicendo libertas non omnibus placuit, Lilium Giraldum, Lucium Carmelitam, Vossium, aliosque; nec omitte Paradisum Carmelitici decoris.

E

De Thoma Cajetano. 1500.

THOMAS de Vio, patria Cajetanus, Ordinis Prædicatorum Prior generalis, ac postea Cardinalis presbyter à Leone decimo creatus, vir fuit summi ingenii, nec minoris pietatis. Vivebat anno Domini 1500. & obiit anno Domini 1534. ætatis 66.

Scripsit *Commentaria in omnem sacram Scripturam, præterquam in Prophetas, & in Apocalypsim.*

A

Scripsit etiam *Commentaria in totam Summam sancti Thomæ.*

Denique *opuscula permulta*, & *librum Jentaculorum*, & *Summam Casuum conscientiæ*, quæ notissima sunt.

Dissertatio Historica.

THOMAS de Vio, à patria dictus vulgò Cajetanus, ex Ordinis Prædicatorum Generali Magistro Episcopus Cajetæ & Cardinalis S.R.E. tit. sancti Xysti à Leone X. creatus vixit usque annum Christi 1534. ætatis 66. quo obiit 4. Idus Aug. & conditus est ad ostium templi Beatæ Mariæ super Minervam. De eo plura Flavius Aquitanus, ejus à Secretis ac familiaris, Leander Albertus, Sixtus Senensis, Antonius à Fonseca, Antonius Senensis, Possevinus, Alfonsus Fernandez, aliique, ut nihil dicam de ejus acerrimo censore Ambrosio Catarino qui Annotationum sive Invectivarum in illum sex libros edidit. Index Expurgatorius Sandovallii duo habet non omittenda. I. ex Indice seu Catalogo Hæreticorum præmisso Tractatui Alfonsi de Castro adversus Hæreses, expungendum esse quod irrepserat nomen Thomæ de Vio Cajetani. II. ex Commentariis ejusdem in 2.2. D. Thomæ Antuerpiæ excusis 1567. apud viduam & hæredes Joannis Stelsii quæst. 122. art. 4. post deferre crucem & hujusmodi delenda se se, sed hæc sunt pars mali cultus, quæ verba fraude hæreticorum irrepsere, quemadmodum & sequentia post illud, & ad Missam & ad Vesperas delenda: Et hæc quoque proculdubio sunt omnino illicita & impia. Cavendum quoque monet, ne in eadem editione Hæretici alia hujusmodi supposuerint.

Gabriel quoque Prateolus Marcosianus vir eruditus, in Elencho de Vitis, sectis, & dogmatibus omnium Hæreticorum & hæresum Indice ex titulis libri 18. tum in sequenti Indice successionis Hæreticorum Centuria XIV. inter cæteros Thomam de Vio Cajetanum recensuit, ideoque arguitur in Appendice 1. ad Indicem librorum expurgandorum Bernardi de Sandoval Card. Archiepiscopi Toletani. Quæ etiam observat ex Commentario in Epistolam ad Romanos, ad illud capitis primi, in salutem omni credenti, delendum esse errorem ab hæreticis suppositum his verbis: sola fides exigitur ad salutem. Editionem Lugdunensem Commentariorum in Ep. Pauli & Canonicas designat anni 1558. apud Gasparem à Portonariis, adjungitque alias etiam reperiri editiones, quæ eumdem errorem contineant.

Opera ejus ad tres classes revocari possunt, *Philosophica, Theologica, & in Sacram Scripturam Exegetica*, de quibus plura recentiores: nos enim in istis utpote minus necessariis ac pervulgatis non immoramur: hoc tantùm monemus, Fernandem erraffe qui mortem ejus an. 1533. affigit, quod omisissem, nisi ipse qua data porta & vel minima occasione oblata in Possevinum irrueret.

De Dominico Jacobatio.

DOMINICUS Jacobatius Romanus, Rotæ auditor, & postea Cardinalis à Leone X. Creatus anno 1517. Scripsit insigne *opus de Conciliis*.

Dissertatio Historica.

DOMINICUS de Jacobatiis, patria Romanus, ex Auditore Rotæ, & Episcopo Lucerino, S. R. E. Cardinalis à Leone X. creatus anno 1517. Kalendis Julii, ætatis 74. vixit usque ad annum 1528. quo obiit Romæ mense Julio, vel ut alii, Decembri, sepultusque in æde S. Eustachii. Ejus scripta recenset Nomenclator Cardinalium hoc ordine:

De

De Concilio. De loco Concilii. Ad quem spectet congregare Concilium. Quando sit congregandum Concilium. Quales debent esse interfuturi Concilio. An Papa habeat auctoritatem à Conciliis Generalibus, & an Concilium possit restringere auctoritatem Papæ. An Cardinales qui discesserunt à Papa, possint aggregare Concilium. An Papa possit accusari de hæresi. Ex quibus causis, & quomodo possit Papa deponi. De appellatione à Papa ad Concilium.

De Jacobo Sannazario. 1500.

JACOBUS Sannazarius eodem tempore scripsit egregium *Carmen de partu Virginis.*

Dissertatio Historica.

JACOBUS à Sancto Nazario, Neapolitanus, assumpto Actii Synceri Sannazarii Parthenopæi nomine, inter Poetas sui temporis celeberrimus, natus sacro S. Nazarii die 1458. obiit Neapoli anno vel 1532. ut plerique scripserunt, vel quemadmodum insculptum fuisse sepulchro ejus dicitur 1530. ætatis 73. sepultusque in Mergillinensi Sacello. De eo plura dabunt Paulus Jovius, Lilius Gyraldus, Julius Scaliger, Vossius, aliique: sed præcipuè Jo: Bapt. Crispus Gallipolitanus, qui ejus vitam Italicè scripsit an. 1593. dicavitque Aldo Manutio Romæ in 12.

De Francisco Ferrariensi. 1500.

FRANCISCUS Ferrariensis, Ordinis Prædicatorum Prior Generalis, vivebat anno Domini 1500. & obiit anno 1528.

Scripsit egregia *Commentaria in Summam S. Thomæ contra gentes*: scripsit etiam *de vita B. Osannæ Mantuanæ libros sex, & multa Philosophica.*

Dissertatio Historica.

DICTUS à patria Ferraria, Ordinis Dominicanorum Prior Generalis quadragesimus, obiit an. 1528. ut pluribus Leander Albertus lib. 4. de Viris Illustribus Ordinis sui, Antonius Senensis, &c.

De Joanne Francisco Pico. 1500.

JOANNES Franciscus Picus Joannis Pici nepos, vir doctus, & pius, vivebat anno Domini 1500.

Scripsit *de rerum prænotione libros novem adversus vanitatem Astrologorum.*

Scripsit etiam *pro veritate religionis Christianæ contra superstitiones gentilium*: & *opera alia permulta tum prosa, tum versu*, quæ satis nota sunt.

Dissertatio Historica.

JOANNES Franciscus Picus, Mirandulæ Dominus & Concordiæ Comes ac Princeps, Joannis Pici ex fratre Galeotto filius, à Galeotto fratris sui Ludovici filio capta nocturnis insidiis arce interfectus est, cùm ad imaginem Christi cruci affixi provolutus, ejus opem inclamaret die.... mensis Octobris anni 1533. cum Alberto filio. De eo Jovius, Giraldus, Possevinus, aliique.

Ejus omnia opera in unum collecta volumen cum ejus patrui operibus Basileæ excusa sunt in eadem Henricpetrorum officina anno 1573. & 1601.

De studio divinæ & humanæ Philosophiæ, libri duo. De morte Christi & propria cogitanda, libri tres. Defensio de Uno & Ente. De Imaginatione, id est, de ea animæ vi, quam Græci φαντασίαν appellant. *Physici libri duo*, alter de Appetitu materiæ primæ: alter de Elementis. *De imitatione ad Petrum Bembum*, ejusdemque Bembi responsum. *Theoremata num.* 25. *de Fide & ordine credendi.*

Declaratio Capitis, In Christo Pater, & Christus in nobis, *quod ex octavo de Trinitate libro Sancti Hilarii sumptum est, & positum à Gratiano in Decretis de Consecratione, distinct.* 2.

Justini Philosophi & Martyris, *Admonitorius Gentium liber*, à Joanne Francisco Pico latinè redditus. Heroicum Carmen, *de mysteriis Dominicæ Crucis jamdudum in Germania delapsis*, ad Maximilianum Augustum Romanorum Regem scriptum, & Staurostichon inscriptum. *De rerum Prænotione libri novem.*

Examen vanitatis doctrinæ Gentium, & veritatis Christianæ disciplinæ, distinctum in libros sex: quorum tres omnem Philosophorum sectam universim: Reliqui Aristoteleam armis Aristoteleis particulatim impugnant: ubicumque autem asseritur & celebratur Christiana disciplina. *Epistolarum libri quatuor.*

De reformandis moribus, ad Leonem Pontificem & Concilium Lateranense habita anno 1517. *Oratio* (*a*)

(*a*) Tomo II. damnatæ Melchioris Goldasti Monarchiæ p. 1635. habetur Joannis Francisci Pici Mirandulani Apologia pro Hieronymo Savanarola Florentiæ necato ex Italica lingua in Latinam translata.

De Joanne Tabiensi. 1500.

JOANNES Tabiensis natione Ligur, Ordinis Prædicatorum Theologus, & Canonista, scripsit *summam Casuum conscientiæ* quæ *Tabiena* dicitur, quam Thomæ Cajetano dicavit.

Dissertatio Historica.

JOANNES *Cagnatius*, natione Ligur à Tabia oppido natali diœcesis Albinganensis generosis vinis claro, Tabiensis dictus, Ordinis Prædicatorum Theologus, claruit anno 1524. teste Antonio Senensi, quem solet exscribere Alfonsus Fernandez, ac Thomæ de Vio Cardinali Cajetano dicavit,

Summam de Casibus conscientiæ, quæ vulgò Tabiena dicitur, vel Summa Summarum. Venetiis prodiit in 4. apud Sessas anno 1569. recognita, & argumentis in singulos titulos aucta. Alias editiones non moror, ut ad alia magis utilia properem.

De Hectore Boethio. 1500.

HECTOR Boethius Scotus, scripsit *libros* 17. *historiæ Scoticæ.*

Scripsit etiam *descriptionem Regni Scotiæ, & Regum Scotorum.*

Dissertatio Historica.

HECTOR Boethius, Deidonanus, sive Anglus ex Vossio, sive Scotus potiùs dicendus ex Simlero, Dempstero, aliisque, Aberdonensi Academiæ Præpositus, florebat adhuc anno 1526. quando obierit nondum se reperisse fatetur Dempsterus, qui elogia ejus ex Erasmo, Alexandro, Leone, Guillelmo, Gordonio, Paulo Jovio Nucerino Ep. Balæo, aliisque collegit, & Humfridi Lhuidi Wallensis calumnias diluit. De eodem Buchananus, Lelandus, Vossius, Miræus, &c.

Historiarum Scotiæ à prima gentis origine cum aliarum & rerum & gentium illustratione non vulgari, libri 19. quibus accessit ejusdem Scotorum Historiæ continuatio per Joannem Ferrerium Pedemontanum, ad Ja-

ad Jacobum Betonum Archiepiscopum Glascuensem, & Reginæ Scotorum ad Regem Galliarum Oratorem Parisiis anno 1580. apud Jacobum Dupuys: nam prima editio apud Jod. Ascensium Badium anni 1526. illam Appendicem non habet.

De Episcopis Aberdonensibus, & alia, quæ ad rem nostram non pertinent.

De Jacobo Almaino. 1500.

JACOBUS Almainus, Doctor Parisiensis vivebat anno Domini millesimo quingentesimo, & scripsit *in tertium, & quartum sententiarum*. Item *moralia*. Item *opuscula varia*.

Dissertatio Historica.

JACOBUS Almain, Senonensis, quem falsò Gesnerus ejusque breviator Simlerus Monachum fuisse, quidam alii Franciscanum asserunt, Theologiæ in Regio Collegio Navarrico Parisiis Professor, doctrinæ Joannis Scoti, Guillelmi Ocham, & Gabrielis Biel addictissimus, jam obierat anno 1518. quo ejus opera edita Lutetiæ vidi apud Claudium Chevallonium.

Moralia, omnibus, & potissimùm Theologis apprimè utilia, cum additionibus M. David Cranston, Scoti, Doctoris Theologi.

Lectura in III. Magistri Sententiarum completa, quam prosequendo Gabrielem Parisiis in Regali Navarræ Collegio dictavit anno 1512.

Lectura in IV. Sententiarum imperfecta, sive, de Pœnitentia & Matrimonio, à distinctione XIV. ad XXXVII.

De Potestate Ecclesiastica, sive Expositio circa quæstionum decisiones M. Guillelmi de Ocham, super potestate Summi Pontificis, & de suprema potestate Laica. Videndus quoque Operum Joannis Gerson Tomus I.

De auctoritate Ecclesiæ, seu Sacrorum Conciliorum eam repræsentantium, contra Thomam de Vio Cajetanum, ad Tristandum de Salazar, Archiepiscopum Senonensem.

Quæstio in Vesperiis habita, *de Dominio naturali*.

Dictata super sententias M. Roberti Holkot, apprimè utilia.

De Joanne Majore. 1500.

JOANNES Major, natione Scotus vivebat anno Domini 1500.

Scripsit *in quatuor libros sententiarum*; Item *Commentarium in Matthæum*, *historiam majoris Britanniæ*.

Dissertatio Historica.

JOANNES Major, vernacula lingua Mayr Hadintonensis, seu Hadyngtonanus Scotus, in Parisiensi Universitate Doctor Theologus (Thomas Dempsterus libro 12. Historiæ Ecclesiasticæ Scotorum, vocat eum Socium Sorbonicum & Socium etiam Navarræum, quæ duo sunt ἀσύγκλωστα.) Reversus in patriam dicitur obiisse Andreopoli Theologiæ Professor anno 1520. Verùm hi errant, cùm certum sit anno 1528. adhuc superstitem vixisse Parisiis exeunte Augusto, ut paulò post docebimus. De eo Pitseus, Buchananus, Dempsterus, Vossius, & ex eo Miræus.

Historia Majoris Britanniæ, hoc est tam Scotiæ, quàm Angliæ, *libris sex*, in Collegio Montisacuti Lutetiæ Parisiorum composita, in eadem urbe apud Jodocum Badium Ascensium excusa est an. 1521. in

A quarto, & Jacobo Regi V. Scotorum dicata, ex veterum monimentis, ut præfert titulus, concinnata. Verùm in ea multa erronea, quædam ridicula, nonnulla manca, omnia denique negligenter scripta notantur. Desinit in nuptiis Henrici VIII. cum Catharina filia Ferdinandi Aragoniæ & Castellæ Regis, quæ primùm fuerat conjux fratris ejus Arturi, unde illæ postea lachrymæ, & totius Angliæ, adeoque Scotiæ atque Hiberniæ pernicies, Catholica Religione pulsa, hæresibus subinductis.

Commentaria, seu *Quæstiones & Decisiones in libros quatuor Magistri Sententiarum*, Parisiis 1519. 1521. & sequentibus annis. Unde typographicus error ex epistolis libris 2. & 3. præfixis delendus esset, ubi an-
B nus 1528. pro 1518. aut aliquo alio simili occurrit, nisi mihi jam compertum foret graviter errasse qui eum anno 1520. in patria mortuum scribunt. Deinde in epistola libro quarto præmissa an. 1516. scripta in Collegio Montisacuti ad Gavvinum Douglas Episcopum Dunkeldensem, & Robertum Cokburn Episcopum Rosensem testatur se natum in Glegornia viculo quinquies mille passuum intervallo Hadingtona dissito. Ex omnibus verò ejus lucubrationibus, præsertim ex ep. ad Natalem Bedam, & Petrum Tempestam Collegii Scholasticorum Montisacuti litteris & moribus decorati, Primarios, discimus, eum ibidem, non in Navarrico Sorbonicove Collegiis habitasse. Quia verò ex hac quo-
C que evidentissimè colligitur anno 1528. superstitem extitisse, fragmentum delibasse placet. Duobus fermè sæculis jam transactis Theologiam tractantes quæstiones merè Physicas, Metaphysicas, & nonnumquam Mathematicas, suis scriptis ingerere haud sunt veriti: quorum vestigiis, tametsi invitus, illorum tamen exemplo innixus, similia in disputationibus nostris pertractare non erubui. Verùm, ab hinc decem plus minusve annis, magna pestilentium hæreticorum cohors, cortice sacrorum fulta, quamquam abominabilia deliria invenit, hoc tamen boni suos inter errores intulit, ut sacris litteris, & illarum illustrationi, Theologiæ Professores sincerius insudarent, & aliena studia rejicerent, &c.

D Ad calcem Partis Primæ operum Joannis Gersonis extant *Disputationes Joannis Majoris de Ecclesiæ Monarchia, Episcoporum & Parochorum, necnon Concilii auctoritate*, decerptæ ex ejusdem *Commentariis in Matthæum*, cap. 18. folio 68. columna tertia editionis Joan. Granjon Bibliopolæ Parisiensis apud Clausum Brunellum anno 1518. Monet pariter Gersonianorum operum editor ejusdem Joannis Majoris *Commentarios in quatuor Evangelia* excusos fuisse an. 1529. sed nec locum editionis notat, nec Typographi nomen. Simlerus quoque asserit scripsisse Sophisticalia Parisiensia, Placita Theologica, Commentarios in Matthæum, sed nec annum, nec locum, nec excusorem designat.

E

De Adriano VI. 1500.

ADRIANUS SEXTUS Pontifex natione Trajectensis in Belgio, vivebat anno Domini 1500. & obiit an. 1523. Vir fuit optimus, & doctissimus, & meritò doctrinæ, & pietatis ex humili loco, & pauperrima domo ascendit ad magnas opes, & majores honores. Scripsit *disputationes in quartum sententiarum* & *epistolas* insignes, quarum una valdè prolixa, & docta ad Saxoniæ Ducem, extat in tomis Conciliorum.

Dissertatio Historica.

ADRIANUS Florentius, patria Ultrajectanus in Batavia, Theologiam Lovanii professus, Sancti

Sancti Petri Decanus, & Academiæ Cancellarius, Præceptor Caroli V. Episcopus Dertusanus, S.R.E. Cardinalis, ac tandem post Leonem X. Summus Pontifex anno uno, mensibus octo, diebus sex, ab anno 1522. ad diem 14. Septembris anni 1523. qua obiit, sepultus in æde Sanctæ Mariæ de Anima, cum brevi hoc Epitaphio super tumbam; Adr. VI. hìc situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quàm quòd imperaret, duxit. De eo Possevinus, Bellarminus, Valerius Andreas, Swertius, Nomenclator Cardinalium, Onuphrius, Ciacconius, &c.

Quæstiones Quodlibeticæ numero 12. Lovanii 1515. & 1518. Parisiis 1516. 1531. &c.

Disputationes in librum quartum Magistri Sententiarum, quibus dubia circa Sacramenta Christianæ legis explicantur, Parisiis 1512. 1516. Romæ 1522. ipso jam Pontificatum tenente Adriano ex officina Marcelli cum sermone parænetico in computum hominis Christiani agonizantis, & sermone de pertuso sacculo, sive de superbia ex bonis, &c. tum 1526. 1528. 1546. &c.

Epistolæ aliquot ad Germanos pro Concordia, ac præcipuè Diploma Apostolicum ad Fridericum Saxoniæ Ducem, ad Senatum Bambergensem, &c. cum Instructione ad Franciscum Cherecanum Episcopum Interamnensem, de iis quæ cunctis Romani Imperii Principibus proponenda erant.

De Francisco Lycheto. 1500.

FRANCISCUS Lychetus, Ord. Min. Minister generalis, vivebat an. 1500. edidit *Commentaria in tres primos libros sententiarum, juxta doctrinam Scoti.*

Dissertatio Historica.

PATRIA Brixiensis, electus fuit Lugduni die 10. Julii anni 1518. Minister Generalis Ordinis Minorum. De obitu nihil comperti habeo. De ejus scriptis consule Wadingum, Willotum, &c.

De Sylvestro Prierate. 1500.

SYLVESTER Prieras, natione pedemontanus, Ordin. Prædicat. Magister sacri Palatii, ac postea Prior generalis vivebat an. Dom. 1506. & primus omnium scripsisse dicitur adversus Martinum Lutherum.

Scripsit etiam *in quatuor libros sententiarum*. Item *Summam Casuum conscientiæ*. *Librum super Evangelia* inscriptum, *Aurea Rosa*. *Librum de strigibus* conflatum ex operibus Sancti Thomæ, quatuor voluminibus comprehensum & *alia nonnulla*.

Dissertatio Historica.

SYLVESTER Mozolinus vulgò cognominatus Prieras à vico feudi Astensis Prierio dicto in Subalpinis, ideoque rectè à Sixto Senensi, Poss. Bell. Miræo, aliisque patria Pedemontanus vocatus, non verò Bononiensis, ut in Epitome Simleriana scriptum legi & in calce additionum ad Trithemii Catalogum, Ord. Prædicat. Magister sacri Palatii Apostolici, ac tandem totius Ordinis sui Prior Generalis. Antonius Senensis multa de ejus laudibus scriptisque, atque ex eo Possevinus, aliique, sed parum ordinatè, adeoque negligenter, ut nec diem mortis ejus aut annum annotarint, monuisse contenti circa an. 1520. illum floruisse. Alii obiisse asserunt Rhedonibus in urbe Minoris Britanniæ primaria die 20. Octobris illius an. 1520. sepultumque fuisse in conventu Dominicanorum. Quod ex Onuphrii Chronico Ecclesiastico quidam volunt primùm adversus Martini Lutheri hæreses scripsisse Sylvestrum, & velut signum extulisse ad novitia dogmata oppugnanda & debellanda, vereor ut id Lovanienses & quidam alii concedant. Liber ejus hoc titulo: Errata & argumenta Lutheri detecta & repulsa, Leoni X. supremo Pontifici dicatus editus fuisse Romæ dicitur an. 1520. Quidquid sit, de ejus scriptis meliori quàm antea ordine digerendis cogitandum censeo. Sixtus hoc unum docet collegisse ex Commentariis D. Thomæ scholasticam Postillam in Lectiones Evangelicas totius anni, quam Auream Rosam prænotavit additis quæstionibus non contemnendis. Alfonsus Fernandez Placentinus Hispanus in Catalogo scriptorum Prædicatoriæ Familiæ post Concertationem ejusdem pro Ecclesia Catholica contra Hæreticos, Gentiles, Judæos, & Mahometanos, an. 1617. edito Salmanticæ, in iisdem quoque tenebris versatur, nec Lectoribus facit satis, quamquam Latina opera ab Italicis sejunxerit: nec de ejus obitu quidquam exploratum refert, dum claruisse asserit circa an. 1520. cæteris omissis, quæ suscepti muneris ratio postulabat. Plura dabit noster Possevinus qui varias editiones annotavit.

De Joanne Eckio.

JOANNES Eckius, natione Suevus, vivebat an. 1500. & ex primis fuit, qui hæresiarchæ Luthero, & coram disputando, & scriptis libris strenuè se opposuit.

Scripsit *Enchiridion, in quo controversias ferè omnes* breviter & dilucidè *comprehendit*.

Scripsit etiam seorsim *de sacrificio Missæ libros duos*. Et deinde iterum *alios tres*. Item *de primatu S. Petri*. *De pœnitentia, & virtutibus pœnitentiæ annexis*. Item *postillas*, sive *homilias de tempore, & de Sanctis*. Scripsit quoque *multa Philosophica in libros 8. Physicorum*. *In libros de cælo*. *In libros de generatione*. *In Metheora*. *In libros de Anima, & alia*.

Dissertatio Historica.

JOANNES Eckius, sive Eccius, aut Echius, natione Suevus, natus 13. Novembris, an. 1486. alter Lutheri, Melanchthonis, Pomerani, similiumque ex ejus apostasia suppullulantium ministrorum cum Jo: Cochleo malleus ac domitor, in Universitate Ingolstadiana, sacræ Theologiæ Doctor ac Professor, ubi multis pro Catholica fide propugnanda perfunctus laboribus, anno 1543. decessit die 10. Febr. ætatis 57. immortali memoria dignissimus. De quo plura Surius, Spondanus, Bell. Simlerus, quique sæpè Orthodoxis iniquior est Sleidanus. Bucholzerus appellat virum acutissimi ingenii.

De Conrado Koellin. 1500.

CONRADUS Koellin Germanus, Ord. Prædicat. vivebat an. 1500. & obiit senex an. 1536.

Scripsit egregiè *in primam secundæ S. Thomæ*. Scripsit etiam *Quodlibeta multa*: & præterea *opus* inscriptum *Eversio Lutherani Epitalamii 4. libris* comprehensum.

Dissertatio Historica.

PATRIA Ulmensis fuisse dicitur, & Prior Dominicanorum Coloniæ, post nonnullos in Lutherum scriptos libros, obiit an. 1536. Vide Antonium Senensem, Possevinum, Bell. Simlerum, Miræum, similesque: sed præcipuè Auctorem Appendicis ad Jo: Trithemii librum de Scriptoribus Ecclesiasticis.

De Francisco Titelmanno. 1500.

FRANCISCUS Titelmannus, Belga, Ordinis Minorum, vir sanctus, & doctus, cujus omnia

scripta, etiam Philosophica miram pietatem spirant; vivebat anno 1500. & scripsit *Apologeticum pro editione vulgata scripturæ*: & simul *collationem super epistolam ad Romanos contra Jacobum Fabrum, & Desiderium Erasmum* adhuc viventes, quæ excusa sunt Antuerpiæ anno 1529. Scripsit *in Psalmos, in Cantica, in prima cap. Job, & alia*, quæ notissima sunt.

Dissertatio Historica.

NATUS Hassaleti, seu Hasleti, in ditione Leodiensi, suscepto Lovanii Minorum instituto, postea ad Congregationem Capucinorum Romæ anno 1535. transiit, obiitque biennio post die 12. Septembris Anticoli in pago Romano, natus annos 46. Miræus tamen mortem ejus differt in annum 1553. De eo ejusque scriptis plura Henricus Willotus, Franciscus Swertius, Valerius Andreas, & nuper Lucas Wadingus in Bibliotheca Franciscana, ac Zacharias Boverius in Annalibus Capucinorum.

De Joanne Roffense. 1500.

JOANNES Fischerus, natione Anglus, Episcopus Roffensis, ac postea S. R. E. Cardinalis, &, quod longè gloriosius est, Martyr Christi occisus Henrici VIII. Regis Anglorum jussu anno Domini 1535. jam senex, & multis perfunctus laboribus: proinde florebat anno Domini 1500.

Scripsit *adversus articulos Lutheri*, quos Leo decimus Papa damnaverat.

Scripsit etiam *contra librum ejusdem Lutheri*, qui inscribitur *de captivitate Babylonica*. Et *de Christiano Sacerdotio contra eumdem*.

Scripsit item *de Eucharistia contra OEcolampadium*. Item *de unica Magdalena contra Jacobum Fabrum*. Item *in septem Psalmos*. Ejusdem esse creditur *assertio septem Sacramentorum*, quæ nomine Regis Henrici VIII. prodiit.

Porrò *liber de fiducia, & misericordia Dei*, qui in Indice Romano prohibetur, aut est alterius Joannis Fischeri, aut falsò nostro attributus fuit.

Dissertatio Historica.

JOANNES Fischerus, Anglus, ex diœcesi Eboracensi, Roffensis Episcopus, ac deinde creatus à Paulo III. Romano Pontifice S. R. E. Cardinalis, jussu Henrici VIII. Anglorum Regis, cujus Præceptor fuerat, capite plexus fuit die 5. Julii anni 1535. De eo Sanderus, Ribadeneira, & cæteri, qui de schismate Anglicano egerunt, Balæus, Pitseus, Possevinus, aliique quamplurimi.

Omnia ejus opera simul edita fuerunt Wirceburgi in folio, anno 1557. hoc ordine, post brevem de captivitate Auctoris, ejusque martyrio, Historiam ab incerto quodam conscriptam.

Assertio septem Sacramentorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, adversus Martinum Lutherum, ab Henrico VIII. Angliæ Rege, Roffensis tamen hortatu ac studio edita.

Ejusdem assertionis defensio, seu Regis Henrici ad Martini Lutheri Epistolam Responsum. *Contra Captivitatem Babylonicam ejusdem Lutheri capita* 12. *Assertionis Lutheranæ confutatio*. *De Eucharistia contra Joannem OEcolampadium libri quinque*. *Sacri Sacerdotii defensio contra Lutherum*. *Convulsio calumniarum Ulrichi Veleni Minhoniensis*, quibus Petrum Apostolum numquam Romæ fuisse cavillatur. *Concio Londini habita vernaculè*, *quando Martini Lutheri scripta publicè igni tradebantur*, à Richardo Pacæo Latinè reddita. *De unica Magdalena libri tres*, adversus Jacobum Fabrum Stapulensem. *Commentarii in* 7. *Psalmos Pœnitentiales*, interprete Jo: Fen à Monte acuto. *Conciones duæ*, una de Passione

A Domini, altera de Justitia Pharisæorum & Christianorum, cum Præfatione ad Elizabetham sororem suam. *Methodus perveniendi ad summam Christianæ Religionis perfectionem*, quam è carcere arcis Londinensis ad sororem scripsit. *Epistola de Charitate Christiana*, ad Hermannum Lætmatium Goudanum, & Decanum Ecclesiæ B. Virginis apud Trajectum inferius. *De necessitate orandi*. *Psalmi & precationes selectæ ex Davide & Novo Testamento*.

De Thoma Moro. 1500.

THOMAS Morus æqualis fuit Joannis Fischeri, eique amicissimus, & eodem anno 1535.
B nobilis collega Martyrii. Fuit autem vir doctrina varia excultus, & ingenii amœnissimi: quippè Theologus, Philosophus, Orator, Poeta, Historicus, linguæ Græcæ, & Latinæ peritus.

Scripsit, ut Theologus, insignem *responsionem ad epistolam Martini Lutheri*: nec non *explicationem passionis Dominicæ*. Item *libellum, Quòd pro fide Christi mors fugienda non sit*.

Ut Philosophus *libros duos de optimo statu Reip.* quos *Utopiam* inscripsit.

Ut Orator, *Declamationem Lucianicæ respondentem*.

Ut Poeta *Epigrammata plurima*.

Ut Historicus, *Res gestas Richardi III. Angliæ Regis*.

Ut linguæ utriusque peritus, *Dialogos Luciani è Græ-*
C *ca lingua in Latinam* convertit.

Dissertatio Historica.

THOMAS Morus natione Anglus, patria Londinensis, vir eruditionis pariter ac summæ virtutis nomine clarissimus, & Henrico VIII. Anglorum Regi, cujus summum Cancellarium per plures annos egit, charissimus: cùm impiis ejusdem Regis adversus Romanum Pontificem & Ecclesiasticas sanctiones edictis parere nollet ac subscribere, in carcerem conjectus ac deinde securi percussus est propè Turrim Londinensem secundo Nonas Julii anni 1535. Henrici Regni 27. De eo Thomas Stapletonus in libro de Tribus
D Thomis, quique de schismate Anglicano atque infelici Catharinæ Reginæ divortio ex professo scripserunt. Atque ut alios sileam Erasmus, Scaliger, Gregorius Giraldus, Scævola Sammarthanus, Balæus, Pitseus, Possevinus, Vossius, aliique cum Bell. qui eum ut Theologum, Philosophum, Oratorem, Poetam, Historicum, linguæ Græcæ & Latinæ peritum prædicat.

Omnia ejus opera uno volumine in folio comprehensa Lovanii apud Joannem Bogardum edita sunt anno 1566. hoc ordine.

Epitaphium Thomæ Mori ab ipsomet scriptum. *Utopiæ libri duo*, sive sermo quem Raphael Hythlodæus vir eximius de optimo Reipublicæ statu habuit. *Epigrammata varia*. *Ex Luciano quædam conversa Latinè*. *De-*
E *clamatio Thomæ Mori Lucianicæ respondens*. *Historia Richardi III. Regis Angliæ imperfecta*. *Responsio ad convicia Martini Lutheri congesta in Henricum VIII. Angliæ Regem*. *Expositio Dominicæ Passionis imperfecta*. *Quòd pro fide mors fugienda non est*. *Precatio ex Psalmis*.

Esse quoque dicitur & aliud volumen in quo ejus Anglicana opuscula inveniuntur ac nominatim Richardi III. Regis vita.

Epistola in qua respondetur litteris Jo: Pomerani hæretici Lutherani, Lovanii in 8. anno 1568. vel sequenti.

Dissertatio Epistolica de aliquot sui temporis Theologastrorum ineptiis, deque correctione Translationis vulgatæ novi Testamenti dicitur prodiisse in 12. Lugduni Batavorum an. 1625. sed nondum vidi.

Possevinus addit scripsisse pro sancto Sacrificio Missæ Dialogum: pro Purgatorio item, & pro Ecclesia; sed

ed an edita sint illa opera, & ubi, quove anno non indicat.

De Joanne Fabro. 1500.

JOANNES Faber Episcopus Viennensis, vivebat anno 1500. & unus fuit ex præcipuis Doctoribus, qui Luthero, & Lutheranis restitit.

Scripsit *Malleum hæreticorum libris sex. Orthodoxæ fidei Catholicæ defensionem adversus Balthasarem Pacimontanum. Librum de potestate summi Pontificis contra Lutherum. Homiliarum de Sanctissima Eucharistia, & aliorum argumentorum ingentem numerum*, & *alia*, quæ notissima sunt.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES Faber, Leukirchensis Algovius, ex Canonico Constantiensi ad Rhenum Viennensis ad Danubium creatus Episcopus, vixit usque ad diem 21. Maji, quo natus annos 63. Viennæ obiit anno 1541. adversus Lutheranam impietatem strenuè decertans, successorem nactus in Episcopatu Federicum Nauseam, in reportandis de hæresi victoriis non inferiorem. De utriusque scriptis Simlerus, Callidius, Possevinus, Bellarminus, Miræus, &c.

Malleus hæreticorum, Hadriano VI. Papæ oblatus Coloniæ 1524. & Romæ 1569. excusus est.

De Joanne Cochlæo. 1500.

JOANNES Cochlæus Norimbergensis, vir doctissimus, & Fidei Catholicæ propugnator eximius vivebat anno 1500. sed obiit 1552.

Scripsit *Opuscula plurima contra Lutherum, Melanchthonem & alios Sectarios.*

Scripsit *librum de Actis, & scriptis Lutheri, valdè utilem ad Lutheranos confundendos.*

Scripsit *Septicipitem Lutherum*, ut ostenderet Lutheri contradictiones, & inconstantiam.

Scripsit *historiam Hussitarum libris duodecim.*

Denique non solùm scriptis plurimis Lutheranos exagitavit, sed obtulit se ad disputandum cum quovis Lutherano sub pœna capitis, si in probationibus defecisset: cujus rei testis est Surius in historia anni 31. & ipse etiam Cochlæus in libro de actis, & scriptis Lutheri.

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES Cochlæus, Norimbergensis, devictis sæpè Luthero, Bullingero, Osiandro, Musculo, Melanchthone, Veleno, Pomerano, Bucero, tum Calvino, similibusque prodeuntium ex orcohæreseon portentis nobilissimus Theologus, Catholicæ fidei ab Apostolis traditæ, & à majoribus ad nos usque propagatæ defensor acerrimus, Vratislaviæ ad Viadrum in Silesia, ubi Canonicum agebat, beato fine quievit anno 1552. die 10. Januarii, ætatis 73. De eo Laurentius Surius in Historia, Cornelius Callidius, Josias Simlerus, qui varia ejus opera exhibuit in Bibliothecæ Gesneri Epitome, Possevinus in Apparatu Sacro, Bellarminus & alii, quos consule. Janus Jacobus Boissardus in Iconibus ejus scripta recenset, docetque fuisse Decanum B. V. Mariæ Francofurti ad Mænum, ac Catholicorum partes strenuè defendisse.

De Francisco Victoria. 1500.

FRANCISCUS Victoria, natione Hispanus, Ord. Prædic. vivebat an. 1500. & obiit 1546. vir fuit egregiè doctus, & scripsit Relationes valde eruditas.

Bellarm. de Script. Eccles. Tom. VII.

A *De potestate Ecclesiæ. De potestate civili. De potestate Concilii. De Indis. De Matrimonio. De argumento Charitatis. De eo ad quod tenetur perveniens ad usum rationis.*

Extat sub ejus nomine *summa de Sacramentis*: Sed eam non ipse, sed Discipuli ejus ex scriptis ipsius collegerunt.

DISSERTATIO HISTORICA.

FRANCISCUS, ab oppido Navarræi regni Victoria dictus, Ord. Prædicat. posito in Parisiensi Academia Theologiæ tyrocinio, eam per plures annos Salmanticæ in Hispania professus est usque ad an. 1546. quo obiit. Vide Antonium Senensem, &
B alios Dominicani Ordinis illustratores.

De Dominico Soto. 1500.

DOMINICUS Sotus, patria Segobiensis, Ordinis Prædicatorum, vir doctissimus, & pius valdè, qui Carolo V. Imperatori à sacris Confessionibus fuit, & Concilio Tridentino interfuit an. 1545. & obiit anno 1560.

Scripsit opera, quorum ipse Catalogum texit in recognitione operum suorum, quam posuit in extremo libro suo in quartum sententiarum.

Scripsit igitur *Commentarium in epistolam ad Romanos. De natura & gratia libros tres. De ratione tegendi,*
C *& detegendi secretum, libros tres. De Justitia, & jure libros decem. Commentaria in quatuor libros sententiarum in duobus tomis divisa.*

Ad hæc, *in Dialecticam, & Philosophiam Aristotelis Commentaria, & opuscula minutiora de juramento, in Causa pauperum, & alia* id genus. Hæc ille: qui postea scripsit etiam *Apologiam adversus Ambrosium Catharinum*, qui de certitudine gratiæ cum eo contendere cœperat: quæ Apologia habetur adjuncta libris de natura & gratia.

DISSERTATIO HISTORICA.

DOMINICUS Sotus, Segobiensis, Ordinis Prædicatorum, Francisci à Victoria Auditor, &
D in Cathedra Salmanticensi successor, dein Carolo V. Imperatori à sacris confessionibus, interfuit Concilio Tridentino, reversusque Salmanticam, Aulicæ, ut ferunt, vitæ pertæsus, obiit die 15. Novembris anni 1560. De ejus scriptis consule (a) Antonium Senensem, Simlerum, Possevinum, Bellarminum, & Bibliothecam Hispanicam.

(a) Sixtum & Antonium Senenses, Alfonsum Fernandem, &c. Vidi quoque qui mortem ejus die 13. Octobris ejusdem anni 1560. illigaret, cùm paulò antè Segobiensem Episcopatum sibi oblatum magna animi constantia repudiasset.

E

De Ambrosio Catharino. 1500.

AMBROSIUS Catharinus, patria Senensis Ord. Prædicat. Archiepiscopus Compsæ, vivebat an. Domini 1500. & obiit senex an. 1552. Multa scripsit, quæ extant, sed aliqua judicio Ecclesiæ improbata, ut de verbis, quibus Christus confecit Sacramentum Eucharistiæ, communiter à Doctoribus refelluntur, ut de certitudine gratiæ, de Prædestinatione, de loco decedentium cum peccato originali, & alia.

Quare opera ejus cautè legenda sunt.

Scripsit *in quinque priora capita Genesis.* Et *in Epistolas Sancti Pauli.* Et *in Epistolas Canonicas.*

Scripsit *adversus Martinum Lutherum*, opus impressum anno 1521. & *alia*, quæ nota sunt.

DISSERTATIO HISTORICA.

AMBROSIUS Catharinus Politus, patria Senensis, ex publico Juris Cæsarei ac Pontificii professore, Dominicanus primùm, tum Minorensis Episcopus, ac deinde Campsanus in Regno Neapolitano Archiepiscopus, obiit Neapoli senex anno 1552.

Extant omnia ejus opera Venetiis unà excusa, de quibus consulesis Sixtum & Antonium Senenses, aliosque Dominicanos, tum Possevinum, Bellarminum, cæterosque recentiores, ac præsertim Theologos Scholasticos, qui, ut ipse Thomæ Cajetani, sic varios ejus errores notaverunt.

De Jacobo Latomo. 1500.

JACOBUS Latomus, Belga, Professor Sacræ Theologiæ Lovanii, vivebat an. 1500. Et scripsit *Responsionem ad articulos Lutheri. De Primatu Pontificis. De fide & operibus, & notis monasticis. De Confessionis secreto. De quæstionum generibus, quibus Ecclesia certat intus & foris. De Oratione pro defunctis. De intercessione Sanctorum. De sacris imaginibus honorandis. De ciborum delectu, & jejuniis. De causa.*

DISSERTATIO HISTORICA.

JACOBUS Latomus, Camberone in Hannonia oriundus, Academiæ Lovaniensis Doctor, & S. Petri Canonicus, Martini Lutheri ab anno 1519. aliorumque hæreticorum oppugnator acerrimus usque ad annum 1544. quo obiit. Omnia ejus opera in unum volumen redacta an. 1550. vulgavit in eadem Lovaniensi urbe apud Bartholomæum Gravium Jacobus Latomus junior illius ex fratre nepos, qui an. 1596. diem clausit extremum. De utroque Valerius Andreas, Swvertius, Miræus, &c.

De Joanne Driedone. 1500.

JOANNES Driedo Belga à Thurnholt, vir doctissimus, vivebat anno 1500. & scripsit præclara opera, quæ sunt edita Lovanii anno 1556. *De scripturis, & dogmatibus Ecclesiasticis, lib. 4. De libertate Christiana, lib. 3. De gratia & libero arbitrio, lib. 2. De concordia liberi arbitrii, & prædestinationis, lib. 1. De captivitate, & de redemptione generis humani, lib. 1.*

DISSERTATIO HISTORICA.

JOANNES Driedo, Thurnholti in Brabantia natus, Sacræ Theologiæ Lovanii Doctor, obiit an. 1535. ad S. Jacobum, ubi Parochus erat, sepultus. De eo plura Valerius Andreas, Swvertius, Miræus, &c. Ex quibus corrigendus, qui an. 1555. die 4. Augusti, sub Paulo IV. Papa mortuum docuit. Opera ejus omnia semel iterumque à Gravio fuere Lovanii edita in folio, & in quarto.

De Martino Navarro.

MARTINUS Aspilcueta Navarrus vir doctissimus & piissimus, vivebat anno millesimo quingentesimo. Quippè, qui natus est anno millesimo quadragentesimo nonagesimo tertio, & pervenit ad annum millesimum quingentesimum octogesimum sextum, ætatis suæ 94. ut est in epitaphio ipsius: & colligitur ex verbis ejus, qui octogenarium se fuisse scripsit, cùm Manuale dedicavit Gregorio XIII. Pontifici anno ejus primo.

A Scripsit *multa opera*, quæ sex tomis continentur edita Venetiis 1602.

In primo tomo sunt.

Vita ejus. Manuale. De usuris. De cambiis. De simonia mentali. De furto notabili. De necessitate defendendi proximum. De homicidio casuali.

In secundo tomo sunt.

De silentio in divinis officiis. In cap. Inter Verba. *Sexta Conclusio perfecta. De fama, & infamia. De Regularibus. De alienatione rerum Ecclesiasticarum. De spoliis Clericorum. De redditibus Ecclesiasticis. Propugnaculum pro libro superiore. In cap.* Humanæ aures. *De incompatibilitate beneficiorum.* B *De finibus humanorum actuum.*

In tertio tomo sunt.

Commentaria in septem distinctiones de pœnitentia. De Indulgentiis, sive de Jubilæo. De Eleemosyna. De datis, & promissis pro justitia, vel gratia obtinenda. De lege pœnali.

In quarto tomo sunt.

Libri de horis Canonicis, & Oratione. Miscellanea de Oratione. In cap. Si quando, *& in cap.* cùm contingat, *de rescriptis. In rubricam de Judiciis. Relectio in cap.* Novit, *de Judiciis. Relectio in cap.* Accepta, *de restitut. spoliat: In cap.* Ita quorumdam, *de Judæis.*

In quinto, & sexto tomo sunt *Consilia, & Responsiones.*

C Atque hic finis sit libri de Scriptoribus Ecclesiasticis. Cæteri enim Scriptores, qui post annum millesimum quingentesimum nati sunt, omnem penè numerum excedunt, & plurimi eorum adhuc vivunt, ut æquum non sit de eorum operibus judicare.

DISSERTATIO HISTORICA.

MARTINUS Aspilcueta, J. C. celeberrimus, à patria dici solitus Navarrus, Ordinis S. Augustini Religiosus fuit, quod mirum omissum fuisse à Bellarmino, cùm ejus vitæ scriptores, quæ operibus præfixa legitur, Simon Magnus Ramlotæus Belga & Julius Roscius Hortinus aliique post eos monuerint in sacri Ord. Roncevallis militiam Canonicorum Regularium cooptatum fuisse, ejusque Ordinis insigne & D habitum perpetuò prætulisse. Romæ obiit annos natus 94. die 11. Kal. Julii anni Christianæ æræ 1586. vir non minus pietatis quàm Juris utriusque scientia commendatissimus, de quo plura recentiores.

Operum ejus sex Tomis Venetiis anno 1602. apud Jo: Guerilium editorum Catalogum accuratè recensent Poss. & Bellarm. qui in eum finem fecit commentandi de Scriptoribus Ecclesiasticis.

In editione Lugdunensi anni 1597. sumptibus Joannis Bapt. Buysson post Vitam adscribitur Epitaphium in Æde D. Antonii de Padua in Campo Martio nationis Lusitanæ, sed castigatum hoc modo.

E D. O. M.

Martinus ab Aspilcueta Navarrus H. S. E. Divini humanique Jurisconsultiss. * *Qui Salmanticæ primùm, deinde Conimbricæ, faventibus Portugalliæ Regibus Jus Pont. docuit, Romam profectus Pio V. Greg. XIII. Sixto V. PP. MM. charus, omnibus nationibus gratus, huic Xenodochio beneficus, obiit XI. Kal. Julias 1586. ætatis anno 94. m. 6. d. 8. multis doctrinæ suæ pervulgatis monumentis Martinus Zuria avunculo B. M. Pos.* * Dicendum erat: *Qui Caturci primùm, deinde Tolosæ jus utrumque, & postea Salmanticæ, &c.* Gallia enim est quæ Navarrum virum fecit, ut ipse ait, ex qua ille veram Jurisprudentiam in Hispaniam, & postea in Lusitaniam invexit; quamque sub vitæ exitum in Italiam illatam Romæ suspexerunt Summi Ecclesiæ Antistites.

R. P.

R. P.

PHILIPPI LABBE DIATRIBA

De Aimoino Historiæ Francicæ Auctore, Ejusque Continuatore & Interpolatore Monacho Sancti Germani Parisiensis.

AIMOINUM Cœnobii Floriacensis Monachum, qui anno MIV. florebat, verum esse librorum quatuor Historiæ Francicæ auctorem, nec plura de hoc argumento extare ab eo scripta, quàm quæ ab eruditissimis Andrea Franciscoque Duchesniis anno 1641. III. Tomo Coætaneorum Franciæ Historicorum excusa sunt; tam mihi certum atque exploratum fuit semper, quàm quod in rebus Historicis potest esse certissimum. Quod ut aliis quoque planum faciam, Varias primùm operis illius editiones percurram, tum allatis pro Aimoino Floriacensi rationibus, lustratisque per singula ac sedulò deprehensis quæ à Monacho S. Germani partim adjecta sunt, partim interpolata, quamplurimos recentiorum, qui à nobis discrepare videntur, errores referam, refellamque.

§. I.

Quæ fuerint hactenus Aimoiniana Historiæ editiones.

PRIMUS ignotam antea eruditis viris Aimoini Historiam Parisiis in folio publicavit an. Christi 1514. Jodocus Badius Ascensius, eamque Regiæ Confessionis auditori Guillelmo Parvo Ord. Prædicatorum Theologo dicavit hocce titulo insignitam: *Annonii Monachi Benedictini diserti & veridici, quorumdamque aliorum venerabilium ejusdem Professionis Patrum de Regum Procerumque Francorum Origine gestisque clarissimis usque ad Philippum Augustum Libri quinque.* Idem editor, quòd tum codice ms. Cœnobii Sancti Germani usus fuisset, ad calcem operis adscripsit Annonium illum fuisse Divi Germani in suburbio Parisiensi Monachum. Illius porrò editionis folio LXIX. verso hæc leguntur post caput 41. Libri IV. *Huc usque protenditur Liber Monasterii S. Benedicti super Ligerim:* quibus idem qui supra Typographus, aut qui editionis curator vulgò creditur, Guillelmus Parvus, ista quoque subjecit: *Verisimile autem est sequentia esse alterius Auctoris: nam & mortem & sepulturam Dagoberti repetit, & alia multa inculcat stylo minus eleganti.* Neque enim ista reperiri memini in codice ms. S. Germani, sed post extrema verba capitis illius 41. intervallum illius columnæ vacuum occurrit, & quæ sequuntur alterius quaternionis frontem occupant.

Elapsis quinquaginta circiter annis V. C. Joannes Nicotius Supplicum Libellorum in Regia Magister emendatos à se ad codicem ms. (Pithœus observavit fuisse ejusdem Cœnobii S. Germani) libros Historiæ Francicæ, expunctoque Annonii nomine, vero auctori Aimoino restitutos tradidit Andreæ Wechelo, qui Parisiis excudit in 8. anno 1587. Is plura, quàm quæ supra annotavimus, inseruit verba post caput 42. lib. IV. pagina 378. in hunc modum: *Hactenus liber Floriacensis Monasterii S. Benedicti*

A *supra Ligerim gesta Francorum recitat. Quæ verò sequuntur, non Aimoini, verùm alterius cujusdam Historiographi sunt: nec unius quidem tantùm, verùm duorum. Nam & obitus sepulturaque Dagoberti Regis, & alia pleraque præciso nimirùm rudique stylo repetuntur. Et cùm ad Caroli Martelli gesta ventum est, politiori magisque Latina oratione, tum illius, tum cæterorum gesta res explicantur.* In ipso verò, qui tum primùm apparuit locupletissimo Indice, hæc quoque leguntur. *Aimoinus usque ad Pipinum Caroli Magni patrem scripsit: quæ tamen à HLudovici Dagoberti filii regno interjecta sunt, imperiti cujusdam diaria sunt, Theoderico Dagoberti Junioris filio regnante confecta. Reliqua autem Aulici cujusdam Annales sunt Carolo Rege Magno & HLudovico*
B *Caroli Magni filio rege conscripti. Quod autem Historiam præcedentem se ex Adhemari Commentariis retulisse ait pag. 541. nisi de intertextura Diariorum illorum accipias, suspicionem injicit: ni fortè malis Aimoinum postea Pipinum Caroli Magni patrem excessisse, eumdemque Monachum atque Aulicum. Auget suspicionem quod hæc librorum series ac textura non admodum cum Aimoini distributione conveniat.* Eadem quoque Freherus, etsi parum veritati in plerisque consentanea, ab editione sua abesse passus non est, neglexerat Breulius.

Totidem fermè evolutis à Wecheliana editione annis, in eadem Parisiorum urbe apud Ambrosium & Hieronymum Drovartos emisit anno 1603. in folio Libros V. de Gestis Francorum, additis quam-
C plurimis aliis, Domnus Jacobus Breulius, Monachus S. Germani à Pratis septuagenario major. Is Aimoino ejusdem quondam Cœnobii Monacho (cujus extant de Translatione reliquiarum S. Vincentii Levitæ ac Martyris à Valentia Hispaniarum urbe ad Castrum Monasterium Albigensis tum Diœcesis libri duo cum aliquot versibus, & de Miraculis S. Germani Parisiensis Episcopi ab anno 845. ad 863. libri totidem) vindicare constituit in sua ad Lectorem Præfatione, in qua iis se libenter assentiri pronuntiat, qui licèt totum illius Historiæ librum quintum non esse Aimoini, sed alterius aut plurium appendicem afferant; fatentur tamen Aimoinum inchoasse librum illum quintum,
D & ad aliquot usque capita perduxisse. Quod autem subjungit Floriacenses Cœnobitas habuisse codicem ms. Aimoini, qui caput 41. libri quarti non excederet, illud ultro omnes admittimus. Verùm pernegamus in eo sex, Cœnobii S. Germani à Pratis Abbates, qui præcesserant, Autharium videlicet, Droctoveum, Scubilionem, Desiderium, Gauscionem atque Germanum. Abnuimus quoque ibidem extitisse diplomata ac privilegia, quæ tum ipse postea, tum ante eum Anonymus anno 1165. inseruit. Delusum sanè fuisse oportet atque in fraudem inductum observatione, quam ad calcem capitis illius 41. in editione sua adscripsit Badius, amplificavit in Wecheliana Nicotius. In Floriacensibus quippo membranis teste Pithœo, aliisque, de Abbatibus Privi-

Privilegiisque S. Germani ne γρῦ quidem unquam extitit: sed in codice dumtaxat San-Germaniensi, in quo Historiam Aimoinianam à Floriacensibus mutuatam interpolavit, & usque ad suam ætatem perduxit Anonymus Monachus Ludovico septimo coævus, Antiquitatum sui Monasterii pro laudabili temporum illorum more studiosus indagator. Falsissimum verò arbitror, quod Terentiani Menedemi verbis in medium præter rem allatis idem Breulius audacter affirmat, Aimoinum Cœnobii Floriacensis nusquam meminisse, cùm in omnibus quas hactenus legi, editionibus, Ascensiana, Wecheliana, Freheriana ac Duchesniana, ipsaque adeò Breuliana, quam sui parum memor senilibus oculis lustraverat, paginæ 63. ipso ferè initio hæc legantur sub finem c. 22. libri II. *Sed & Odo venerabilis Abbas* HUJUS FLORIACENSIS MONASTERII, IN QUO SÆPE NOMINANDUS CORPORE REQUIESCIT PATER BENEDICTUS, *ipsius memoriam in quodam sermone mirificis extollit laudibus*. Quæ auctoris verba, si vel sola proferantur, apud æquos quosvis Judices, palmam Floriacensi Aimoino adjudicabunt.

Anno 1613. Marquardus Freherus J. C. Palatinæ Aulæ Consiliarius typis Wechelianis apud Hæredes Jo: Aubrii Hanoviæ in folio vulgavit Corpus Francicæ Historiæ Veteris ac sinceræ: nec in eo celebrem Aimoini nostri prætermisit Historiam, alio tamen, quàm hactenus prodiisset, schemate ornatam, nonnullisque partibus quas paulò antea edendas curaverat, decurtatam. Postquam enim ad finem cap. 41. libri IV. accessit, eamdemque de fine Floriacensis codicis observatiunculam, cujus supra meminimus, ex Wecheliana editione attexuit, resectis omnibus capitibus à 42. libri IV. ad 57. quòd è Gestis Francorum ad verbum expressa essent, Annales Francorum Regum Pipini, Caroli Magni & Ludovici Pii per annos continuos 87. orditur ab initio capitis 58. eosque Adelmo Benedictino, vel secundùm alios Adhemaro Monacho attribuit ab anno 741. usque ad annum 828. hoc est ad finem capitis 117. atque ultimi libri IV. Inserta deinde Caroli Magni Imperatoris Vita per Eginarthum seu Einhardum ejus Notarium scripta, subjungit Vitam HLudovici Pii Imperatoris ejusdem Caroli filii, incerto quidem auctore, sed coetaneo, & Astronomiæ perito exaratam, quam Anonymus Aimoinianæ Historiæ Continuator ferè integram, suoque more interpolatam in prioribus libri V. capitibus à primo ad 19. usque exhibuit, singulasque paginas Collectionis Francicorum Pithœi ad oram annotavit; Tandem restituto singulis penè paginis Aimoini titulo, non satis accuratè, quæ ad finem usque operis, hoc est libri V. caput 56. & postremum pertingunt, distinxit ab invicem, suisque auctoribus adjudicavit. Finis enim cap. 19. ab illis verbis: *Obiit autem anno Domini* DCCCXL. & quæ toto cap. 20. habentur ad interpolatorem pertinent, caput verò 21. & sequentia Annalibus Bertinianis, Hugoni Floriacensi, Sugerio, aliisque deinceps Scriptoribus debentur. Idem post Gregorii Arch. Turonensis Vitæ Breviarium adjecit Jacobi Breulii de Aimoino judicium, & Guillelmi Banchini de eodem observationem, cui propriam postea subtexere voluit, ut consilii pariter sui rationem redderet.

Prodiit denique anno 1641. Historicorum Franciæ coætaneorum Tomus III. ab Andrea Duchesnio ante obitum digestus & correctus, atque ab ejus filio Francisco vulgatus, in quo Aimoini Floriacensis Historia ad mss. codices Floriacensem, Falcetianum, Pithœanum, aliosque diligenter emendata, expunctisque, quæ Germanensis Monachus inculcarat adjeceratque, purgata primùm emicuit à primis

A Monarchiæ Francorum temporibus usque ad annum Christianæ æræ circiter DCLX. Nonnulla quoque, tum prosa, tum versa oratione eodem auctore Aimoino composita, de Fundatione Floriacensis cœnobii & Translatione corporis S. Benedicti in Gallias à Germanensi Anonymo omissa tunc primùm ex codicibus mss. vulgavit, quod caput, ut in margine observatum est, Aimoinum Floriacensem fuisse Monachum convincit; sic enim incipit: *Res postulare videtur, ut quia aliorum mentionem fecimus locorum, qualiter, vel à quibus fuerint personis fundati,* NOSTRI *non prætermittamus* FUNDATIONEM COENOBII. *In quo & venerabilis ac virtutum præconio insignis* BENEDICTUS *Pater corpore quiescit humatus,*
B *&* NOS *ab ipsis, ut ita dictum sit, enutriti cunabulis, quidquid in nobis boni vel utile extat, si quid tamen est, ipsius patroni intercedentibus meritis à Deo percepimus. Igitur gloriosa, &c. Deinde in fine Carminis Heroici: Explicit Historia Francorum Aimoini Monachi Floriacensis.*

Nec plures ego hactenus vidi excusos typis Aimoini Commentarios. Scio Josiam Simlerum in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ Lugdunensem commemorare editionem, sed eam nondum deprehendere potui: & quod ad alteram Hanovianam sive Francofordiensem in 8. attinet, ea quantum recordari valeo, à Wecheliana Parisiensi nullatenus differt. Restat ergo, ut de codicibus mss. breviter
C agamus.

Andreas Duchesnius in serie Scriptorum Historiæ Francicæ anno 1635. publicata promiserat se Tomo XIII. in lucem editurum Aimoini Floriacensis & aliorum S. Germani de Pratis Monachorum Historiæ Francorum libros V. ex vulgatis editionibus quas contulerat cum tribus codicibus mss. optimæ notæ quorum duo extabant in Bibliotheca V. C. Alexandri Petavii, Tertius in Bibliotheca Monasterii Sancti Germani de Pratis: Qui, si quid in istis intelligo, idem ipse est, qui ibidem aliàs visebatur, cùm Ascensiana primùm, tum Wecheliana studio Joannis Nicotii emendatior, ac Breuliana denique ipso prodiit. Claudius Falcetus Consiliarius Regius
D & Monetalis Præses libri 4. Antiquitatum Francicarum cap. 6. fatetur penes se extitisse codicem calamo ante tria quatuorve sæcula exaratum, qui ultra caput illud 41. libri IV. non procederet. Viderat alios quoque è Monasteriis Floriacensi & San-Dionysiano depromptos V. C. nec unquam satis ob diligentiam singularem commendandus Petrus Pithœus, ut didicimus & Wechelianæ impressionis exemplari ab eo cum membranis variis collato, quod mihi pro summa humanitate ac juvandæ rei litterariæ studio charissimus Dominus Emericus Bigotius communicavit, ac per plures menses utendum præbuit. Si qui præterea alicubi delitescant,
E nescio. Observatum est à viro diligentissimo Pa- risiis extare veterem codicem ms. quem Petrus Pithœus annotarit, adscripseritque verba hæc, *Aimoinus purus putus*. Non novi in qua Bibliotheca reperiatur.

§. II.

Quis sit Auctor, cùm Historiæ, quæ Aimoini dicitur, tum ejus ex variis centonibus compactæ Continuationis, eorumque omnium, quæ utrique identidem sunt inserta ad cœnobium Sancti Germani Parisiensis spectantia.

CUM in Farragine Historica, quæ Aimoini quidem nomen præfert, & in V. libros distincta passim occurrit, tria meritò distingui debeant. I. Historia

storia Aimoini dicta, de cujus fine atque auctore ambigitur. II. Continuatio illius Historiæ usque ad annum 1165. ex variis coagmentata præcedentium Scriptorum fragmentis. III. Historiæ ipsius, ejusque Continuationis interpolatio, insertis subinde Cœnobii Sancti Germani Pratensis Abbatum rebus gestis, Chartis, privilegiisque; ego sic existimo, Tribus omninò Pronuntiatis controversiam omnem nitidè atque apertè sic posse decidi.

Ac primò, unus idemque mihi videtur cœnobii S. Germani Parisiensis alumnus Historiam Franc. ab Aimoino inchoatam deduxisse ad sua tempora ex variis Annalium Historiæque nostratis monumentis collectam, eique chartas ac privilegia cum suis Abbatibus, ut res se commodè offerebat, intexuisse. Labentibus enim Ecclesiæ sæculis præsertim XI. XII. ac XIII. duo videntur plerisque Monachis fuisse curæ, ut cùm Historiæ corpus aliquod, sive Chronicon, aut ab Orbe condito, aut à Christi Domini natalibus, aut à Monarchiæ Francicæ primordiis contexerent ipsi, vel ab aliis jam concinnatum mutuarentur; tum omnia, quæ ad Monasterii, in quo degebant, Historiam, Abbatum seriem ac gesta, diplomata donationum, ac privilegia pertinent, diligenter insererent, ut ex Flaviniacensi, Benigniano, Bezuensi, Sammaxentino seu Malleacensi, Turonensi, San-dionysiano, aliisque innumeris colligi potest. Quare, cùm nihil vetet ab uno utcumque antiquitatis Gallicæ perito, at rerum domesticarum probè callenti, duo hæc perfici potuisse, incassum duos in illius operis consortium adjungas, præsertim cùm vix ulli dubium esse videam, quin is, qui Continuationi Historicæ coronidem imposuit, fuerit Monachus S. Germani, Matutinæ Sinaxi præsens, quàndo cum Collegis suis faustum de nativitate Philippi Augusti nuntium accepit mense Augusto anni 1165.

Nomen illius Monachi nemini notum esse arbitror, illudque cum pluribus aliis denegarunt posteris Tempus edax rerum, atque invidiosa vetustas: quæ nihil non destruunt, & dentibus ævi vitiata paulatim lenta consumunt omnia mortem. Quod autem ad dignitatem officiumque pertinet, simile verò est Compilatorem illum fuisse Notatium sive Amanuensem cœnobii (quem Jacobus Breulius scribam Capituli vocatum fuisse testatur) cui non solùm libri omnes, quotquot erant in armariis, paterent, sed & scrinia omnia essent aperta, in quibus chartæ ac privilegia continerentur; ut ex iis utcumque digestis, & per varia Historiæ loca ac Principum nostrorum tempora collocatis, Antiquitates & Jura Monasterii sui è situ tenebrisque erueret, sequentiumque sæculorum memoriæ commendaret. Quamobrem non omninò assentior V. C. Petro Pithœo, qui scripsit: Quæ de Sanctis Genovefa, & Germano, aliisque ad ejus Pratense cœnobium spectantibus occurrunt, adjecta fuisse à Germanensibus Monachis, ex quorum exemplari hic liber primùm in lucem editus est. Ego enim unum ea omnia præstitisse, neque multorum ope atque industria indiguisse existimo. Idem verò observat in veteri libro ms. non esse distinctos hos libros per Capitula, suspicaturque, vel à Jodoco Badio, vel à Guillelmo Parvo O. P. Theologo inscriptionem capitum esse. Qua de re nemo certiùs pronunciaverit, quàm qui membranas veteres excusserit anno 1514. antiquiores. In laudato supra cœnobii S. Germani Pratensis codice ms. nec capita librorum, nec lemmata capitum occurrunt. De aliis, quos non vidi, nihil certi possum affirmare.

Age nunc scriptæ ab Aimoino, cujas tandem ille fuerit, Francicæ Historiæ finem indagemus. Id

A verò vel sola operis illius lectione cognosci potest. Quæ enim ab initio libri primi ad caput usque 41. libri IV. continentur, eodem tenore decurrunt, æqualemque stylum, floridum, nitidum, nec inelegantem, atque Historico melioris ævi non indignum referunt. Cætera verò, quæ sequuntur, à capite 42. libri quarti, ac toto libro quinto usque ad finem, partim barbara sunt, inculta, scabra, ridicula, partim paulò quidem interdum accuratiora & ab Annalium pedestri plebejoque sermone ad Historicæ gravitatis majestatem ac cultum assurgentia, sed ab Aimoini Oratione, atque à sua invicem dictione toto, quod ajunt, cœlo distantia: quod palmare est argumentum. Quis enim amabo, eidem adscribat

B scriptori, quæ ex Gestis Francorum, Fredegario, Eginharto, seu Adhelmo aut Adhemaro ut vocant, Astronomo Vitæ Ludovici Pii auctore, Annalibus Bertinianis, Hugone Floriacensi, Sugerio, aliisque fortè pluribus ad verbum descripta esse luce meridiana clarius demonstrabitur à nobis §. III. Taceo, quòd Floriacense, Falcetianum, aliaque Manuscripta exemplaria ultra designatum libri quarti caput non processerint, aut si quid postea adscriptum sit ex antiquis Annalibus, illud intervallo certo à præcedentibus disjunctum fuerit. Unum tamen opponi potest ex nuncupatoriæ ad Abbonem Ep. verbis istis: *Ab egressu quoque Francorum è Troja, usque ad id temporis, quo Pipinus Magni Caroli*

C *pater regnare cœpit, cunctam rerum gestarum seriem in quatuor* DECREVI *libros partiri. Quos ea contexui ratione, ut sequens semper priorem quantitate sui & numero Regum transcenderet: verbi gratia, primo continente quinque Regum actus; secundus contineret sex: tertius septem: quartus verò octo, & eo amplius.* Verùm huic aliàs difficultati memini me fecisse satis cùm dicerem, Aimoinum, cùm ad fundationem Cœnobii sui Floriacensis pervenisset, vel suscepto in Vasconiam itinere, aliave de causa, abrupisse filum Historiæ, scripta jam ad Abbatem suum epistola dedicatoria, nec postea ad decretam sibi ab initio metam sublato amantissimo patre atque exactore suo Abbone voluisse reverti. Sunt etiam qui-

D bus arrideat, Aimoinum quidem integram usque ad Pipini inaugurationem pertexuisse Historiam, sed incuria Monachorum Floriacensium non fuisse descripta in omnibus saltem exemplaribus, quæ fundationem Cœnobii sequerentur: unumque ex decurtatis illis codicibus è Floriacensi delatum Abbatia venisse in manus Anonymi Pratensis Monachi, quem interpolasse multis subinde insertis & ad Ludovicum VII. continuasse Aimoini Historiam ostendimus. Quòd verò data opera atque ex consilio Aimoinus ipse scabram illam ex Gestis Francorum & Fredegario barbariem attexere operi suo voluerit tamquam purpuræ viles panniculos, & more mali Poetæ extremum fabulæ actum corrumpere,

E nondum à me impetrare potui ut crederem. Neque enim difficilius erat inglorios illos Reges quàm cæteros eorum majores familiari sibi politioris latinitatis colore utcumque vestire.

His discussis, placet Controversiæ caput aggredi, ac pluribus argumentis ostendere Historiæ illius Francicæ, quæ extat capite 41. libri quarti definita, cuique Duchesnius caput 42. cum aliquot versibus adjecit, Auctorem non alium uspiam quærendum fuisse ab Aimoino Floriacensis cœnobii celeberrimo alumno, multisque aliis nominibus de sua ætate ac de omni retro posteritate optimè merito.

Primam aciem occupabit Sigebertus Gemblacensis Monachus, ætate proximus scriptor, qui anno Christi 1113. è vita migravit. Is capite 101. libri de Scriptoribus Ecclesiasticis tam clarè litem decidit omnem,

omnem, ut nihil clarius excogitari poſſit. *Aumonius*, ita habet Colonienſis editio Suffridi Petri, vel, ut emendatius in Bibliotheca Eccleſiaſtica Auberti Miræi legitur, *Aimoinus Monachus Floriacenſis Hiſtoriam Miraculorum S. Benedicti ab Andrevaldo initiatam perfecit, perducens eam à tempore Odonis Regis uſque ad tempus Roberti Regis Francorum*. SCRIPSIT *etiam* HISTORIAM FRANCORUM ET SITUM GALLIARUM DISTINXIT. Huic validiſſimo nodo cuneum adhibere voluit Voſſius, ſed prorſus imbellem. Quid ita? Trithemius hoc ultimum præterit: nec proinde in ſuo Sigeberti codice reperit. Ergo nec Sigebertus ipſe ſcripſit, ſed videtur adjectum ab altero, qui confunderet Aumonium cum Aimoino. Quæ verò, malum! argumentandi ratio? An Trithemius, omnia expreſſit, quæ in ſuo Sigeberti codice reperit? ſi quædam conſultò omiſit, eaque non pauca, quid inde concludes? At id conferenti cuilibet exploratum eſt multos Scriptores omiſiſſe Trithemium, nec omnia eorum, quæ Sigebertus refert, opuſcula annumeraſſe. Quòd ſi tamquam fidelis actuarius omnia, quæ in Sigeberto ſuo reperit, tranſcripſit, codicem illum Sigebertinum peſſimæ notæ à ridiculo librario deſcriptum fuiſſe oportuit, mutilum, decurtatum, imperfectum. Deinde quæ vis argumenti? Apud Trithemium vel ex incuria vel ex ignorantia, aliave ex cauſa, puta quòd exciderit dormitanti librario, aut eraſa fuerit ſituve putruerit ultima hæc lineola, in editis hactenus deſideratur: ergo eam non ſcripſit Sigebertus, cùm tamen in omnibus editionibus ac mſſ. codicibus Sigeberti mihi ſaltem cognitis inveniatur abſque ulla ſuſpicione fraudis non ſecus ac præcedentia. Denique quàm inepta Aimoini ab Aumonio diſtinctio? ut Aumonius fuerit Monachus Floriacenſis ſive Sancti Benedicti ad Ligerim, vixeritque Othonis tertii tempore; Aimoinus verò ſæculo ampliùs antiquior fuerit Monachus S. Germani à Pratis. Nollem tam puerili ac joculari hallucinatione corruptæ vocis abuſum fuiſſe Virum magnum ad rem ſeriam. Adde quod negligentiæ liceat accuſare Trithemium qui ex multis opuſculis tam metro quàm proſa ſcriptis ab Aimoino unicum tantùm in medium proferat illudque corrumpat: *Scripſit poſt ad Renaldum Monachum volumen unum. De miraculis S. Benedicti lib. unum*: cùm nemo neſciat ſcipſiſſe duos qui extant. Quid ergo certi ex eo homine colligas, qui ne quidem Aumonium vocitet, ſed Ammonium?

II. Succedant Sigeberto noſtræ ac ſuperioris ætatis doctiſſimi viri, & in dijudicandis veterum Scriptorum monumentis oculatiſſimi: atque ut prætercam Joſiam Simlerum in Epitome Bibliothecæ Geſnerianæ, qui Monachum fuiſſe Floriacenſis cœnobii, & ſcripſiſſe de Miraculis S. Benedicti librum, item de rebus Francorum ſive de eorum geſtis & origine excuſum Pariſiis & Lugduni, tum emendatiùs à Wechelo anno 1567. omnium inſtar unus eſſe poſſet Petrus Pithœus, de quo ejuſque notis plura dicemus ſequenti §. Huic tamquam ſuffragatores licebit adjungere Nicolaum Vignerium in Bibliotheca Hiſtorica ad annos *661*. & 741. Claudium Falcetum capite *6*. libri IV. Antiquitatum Francicarum, Jacobum Sirmondum ex quo id multi ſæpe audierunt, Andream Ducheſnium in editione perpurgata, quam bono publico vulgavit ejus filius, ac tandem cæteris, ne tædium afferam Lectoribus, prætermiſſis, duos clariſſimos ætatis noſtræ Scriptores; qui poſtquam hæc de Scriptoribus Eccleſiaſticis volumina parata fuerant à nobis, & maximam in partem typis excuſa, libros ſuos publicarunt, Hadrianum Valeſium J. C. dico, ac Joannem Launojum Theologum. Ille Tomo II. Rerum Franci-
A carum pag. 442. cùm docuiſſet Aimoinum Floriacenſis Cœnobii, vulgò Monaſterii S. Benedicti ad Ligerim vocati, Monachum fuiſſe, res Francicas quatuor libris expoſuiſſe, opus ſuum Abboni Abbati ſuo Rotberti Regis æquali nuncupaſſe, ſubjecit quoſdam, ut Aimoinum Monaſterii S. Germani Monachum probarent fuiſſe, non ſolùm Abbatum Cœnobii S. Vincentii Beatique Germani nomina, litteraſque Childeberti ſenioris ac Germani Pariſiorum Epiſcopi ad idem Cœnobium pertinentes fraude ac dolo malo inſeruiſſe operi ejus, ſed etiam quartum ejuſdem librum uſque ad Ludovici Pii quintum decimum imperii annum deduxiſſe, Annalibus Eginharti pro germano auctoris opere adjectis ac intruſis. Hic
B verò in Aſſertione Inquiſitionis in Chartam immunitatis, quam Beatus Germanus Pariſiorum Epiſcopus ſuburbano Monaſterio dediſſe fertur, cap. 15. Partis quartæ, adverſus Jacobum Brullium contendit, Aimoini Hiſtoriæ ſcriptoris locum, non Sangermanenſe, ſed Floriacenſe Monaſterium fuiſſe, tempus verò non idem ac Caroli Magni, ſed idem ac Hugonis Capeti & Roberti filii; idque tum publica ipſius Aimoini profeſſione, tum Pithœi, & Ducheſnii fide, aliiſque argumentis evincit. Idem de mſſ. Hiſt. illius, tum ſinceræ, tum ab Anonymo interpolatæ plura commemorat pag. 468. & ſequenti tradit Pariſiis extare veterem Hiſtoriæ hujus codicem mſ. quem Petrus Pithœus annotarit, adſcripſeritque
C verba hæc, *Aimoinus purus putus*. Certè in Bigotiano exemplari ſi bene memini ex V. C. Pithœi manu adſcriptum eſt: *Incipit Prologus Hiſtoriæ Francorum Aimoini Monachi Floriacenſis cœnobii*.

III. Argumentum ſuppeditat Epiſtola Nuncupatoria ad Abbonem Abbatem in hæc verba: DOMINO *Venerabili & in Chriſti dilectione fundato* ABBONI *Abbati*, TOTIUS GRÆGIS ILLI A' DEO COMMISSI MINIMUS AIMOINUS, *perpetuæ ſervitutis munus. Præceptis beatitudinis tuæ parui, Beatiſſime Pater, quibus præceperas, ut ingeniolum exercendo meum, quod tribuente Chriſto per tuæ ſollicitudinis tuorumque Diſcipulorum laborem ad meliora profeciſſe arbitrabaris, res geſtas Francorum ſive Regum quæ & ſub
D diverſos ſparſæ libros & inculto erant ſermone deſcriptæ, in unius redigerem corpus opuſculi ac ad emendatiorem Latinitatis revocarem formam, &c.* Quis enim alius Abbo Abbas hîc intelligi queat, præter S. Abbonem, Martyrem vulgò dictum, virum per ea tempora eruditiſſimum, qui & diſcipulos plures doctrina præſtantes habuiſſe memoratur, & ſingulari amore Aimoinum, adhuc ætate quidem juniorem, ſed feliciori cæteris ingenio præditum proſecutus eſt. Lege vitam Abbonis, aliaque ab eodem Aimoino ſcripta, quæ Joannes à Boſco in Bibliotheca Floriacenſi publici juris fecit. Quæ verò ad hanc Epiſtolam reponit Brullius, frigida ſunt atque imbellia. Quis enim toto ſæculo nono in Cœnobio S. Germani vixit Ab-
E bo Abbas? aut ſi alteri Monaſterio præpoſitus fuerit Abbo, ad quod tempeſtate bellorum, aliave de cauſa jactatus diverterit Aimoinus Pratenſis, præterquam quòd leve effugium, quæſitamque è nubibus machinam nemo non videt, quomodo GREGIS, à Deo ABBATI *illi commiſſi minimus* fuerit Aimoinus, qui San-Germanenſi Abbati, cujus præceptis pareret, erat obnoxius? Quo pacto Aimoinus Pratenſis, aliorum magiſter, ad quem hæc Abbo poetaſter, *Sume botros, tibi quos tua fert Vitis adhuc virides, rubeant imbre tuo, radiiſque tuis. Continuò foris atque fodis, Tu celebrande, putas & eam, &c.*) ut ingeniolum exerceat ſuum, ad Hiſtoriæ ſcriptionem adigitur? Qui verò ſunt Diſcipuli Abbonis illius fictitii, quorum ſollicitudine ac labore ad meliora profecerit Aimoinus Pariſienſis? At hæc omnia mi-

rum quàm aptè conveniant Aimoino Floriacensi; qui ætate juvenis, qui discipulus atque unus è grege Abboni commisso, qui ingeniosior ac cultioris quàm ea ferrent tempora Latinitatis studiosus, qui peculiari amoris prærogativa dilectus, qui in eo collegio educatus, ad quod omnes ex dissitis etiam regionibus atque insulis toto orbe semotis, tamquam ad bonarum litterarum florentissimum emporium, virtutisque arduæ nobilissimum gymnasium concurrerent.

IV. Summus accedit Aimoini erga Sanctum Benedictum patrem patronumque suum amor ac cultus non vulgaris. In Epistola ad Abbonem mox citata: *Id præcipuè conservare curavi, ut in omnibus his libris mentio fieret* BENEDICTI PATRIS *certis ex causis: cui ego meum scire, meum posse, meumque vivere post Deum acceptum fero.* Cap. XVI. Libri II. *His diebus beatissimus* BENEDICTUS PATER *& prius* (sic enim legendum, non prior) *in loco qui Sublacus dicitur, & postea in castro Cassino, &c.* Capite 22. ejusdem libri: *Hujus Principis* (Theodeberti) *temporibus, &c. Magna porrò nobis, si dissimulare nolumus, indicta est probitatis necessitas, quibus donatum est tantum ac talem* IN PRÆSENTIARUM *habere* PATRONUM, &c. QUORUM, *in contemplatione totius orbis, creditur* ELEGISSE DOMICILIA, &c. *Sed &* ODO *venerabilis* ABBAS (qui Cæsaroduni Turonum anno 942. sancto fine decessit & in Sancti Juliani Ecclesia sepultus est) HUJUS FLORIACENSIS MONASTERII, IN QUO SÆPE NOMINANDUS CORPORE REQUIESCIT PATER BENEDICTUS, *ipsius memoriam in quodam sermone mirificis extollit laudibus. Nos verò pro amore* TANTI PATRONI NOSTRI *his prælibatis ad Historiam recurramus.* Quòd si quis, & duos de miraculis Sancti Benedicti libros, & sermonem de Festivitatibus ejusdem Sancti Benedicti, ab Aimoino Floriacensi scriptos, ac præcipuè caput 42. libri quarti opera Andreæ Duchesnii ex manuscriptis optimæ notæ exemplaribus primùm anno 1641. publicatum ac fortè non absque consilio aliàs suppressum, suoque loco minimè ut par erat descriptum, subnectere voluerit, is dubio procul omni obstinatissimos quosque adversarios, si qui tamen posthac futuri sint, convincet. Certè si reviviscerent Baronius, Bellar. similesque veritatis amantes, non ambigo, quin perpensis rationibus supradictis, in nostras illicò partes velis remisque contenderent.

V. Agmen claudet observatio styli paulò floridioris quàm ea ferrent tempora inscitiæ tenebris immersa; sive, ut ejus verbis utar, Emendatior Latinitatis forma, quæ in omnibus Aimoino Floriacensi tributis opusculis eadem perseverat, cùm diversa omninò scribendi ratio reperiatur in iis, quæ de Translatione S. Vincetii ex Hispania Tarraconensi in Aquitaniam primam, ac de Miraculis Sancti Germani Parisiensis alter composuit, ut conferenti patebit, neque enim vacat in singulis diutiùs immorari.

§. III.

Recensentur quinque libri Aimoino tributi ex Pithœi marginalibus notis, nostrisque conjecturis; & quid ab Interpolatore insutum, quidve, & ex quibus in Appendice adjectum sit, exponitur.

EXEMPLUM V. C. Pithœi sequuti Nicotianum exemplar adhibemus ex Wecheliana editione anni 1567. ad nostrum hoc examen adhibebimus. Ac 1. quidem ex pagina 16. ferè sub medium capitis 6. Præfationis non vulgare mendum auferemus: *Si quis aut privatus aut populus eorum* (*Druidum*) *decreto non steterit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima, quibus ita interdictum, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur, ab his omnes discedunt, aditum sermonemque diffugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, &c.* In omnibus editionibus, etiam Duchesniana, legitur, *his omnes decedunt, & ne quid ex cogitatione incommodi:* tum cap. 9. ultimo versu pag. 20. *quorum eos è vestigio pœnitere necesse est, cum incertis rumoribus serviant*, mendosè *moribus*. Emendatio ex lectione præcedentium pendet ac sequentium.

A

Cap. 1. libri 1. pag. 24. *à palude perturbant* corr. *proturbant*. Pag. seq. cap. 3. *Sicambriam egressi ripas Rheni fluminis occupaverunt*: alii fortè meliùs *ingressi*. Paulò post: *Cùm majores sibi copias, junctis sibi Heraclio ac Joviniano Romanæ militiæ principibus, ad se ivissent:* corrige *adscivissent*.

B

Cap. 4. pag. 27. Faramundus dicitur *ter denis annis regio honore functus*, & pag. 28. cap. 7. *Meroveo autem rege Francorum 16. anno hac luce casso*, Pag. 39. *ex sua levitate* leg. *lenitate alios existimantem*. Pag. 47. *Editus*, seu *Editius* scrib. *Ecdicius*. Verùm hæc dicis causa: longior enim sim, si singula minutatim expendere aggrediar.

Cap. 24. pag. 71. Quæ de S. Genovefa & utroque Germano Autissiodorensi ac Parisiensi Episcopis habentur ab Interpolatore S. Germani Pratensis Monacho inserta sunt, ut observavit Pithœus, & absunt ab editione Duchesniana ad mss. codices recensita.

C

Cap. 25. pag. 73. intrusum quoque Magnis illis viris dicitur Clodovei tumulo Epitaphium à Sancto Remigio, ut ferebatur, descriptum. Expungenda quoque de Clodovei morte verba ista: *obiit verò anno Dominicæ Incarnationis quingentesimo*, ut habent editiones Badiana, Wechelliana, & Freheriana, nam Breullius ad Sigeberti Baroniique calculos conversus edidit DXIV. cùm tamen in ms. Sancti Germani legatur duntaxat D, cum brevi spatio characteribus vacuo: quos ipse pro libito finxit 14. ego, si fas esset, reponerem DXI. quo anno ad superos evolavit Clodoveus.

D

Cap. 6. libri 11. pag. 87. *Rex autem Childemerus cùm duodecim tantùm Wandalis fuga periculo exemptus*, lege *Gilemerus & prælio*, tum cap. 16. pag. 110. dicitur *Theodorus*, qui fuit *Theodahatus*.

Pag. 113. pro *Aurelianensi* sive *Aureliano*, aliàs legitur *Aureliensi* sive *Aureliacensi*. Seq. pag. deest in mss. Beati Germani visio, ejusque ad Episcopatum Parisiensem promotio: ideoque è titulo capitis 18. extrema pars fuerat etiam à Duchesnio resecanda.

Pag. 116. ex cap. 19. nemo non videt delendum esse glossema illud nuperum, *ut beatissimus Germanus, Parisiacæ nostræ videlicet urbis Episcopus, nobis sæpissimè retulit.* Quo enim tempore in Hispaniam profectus est Childebertus, & à Cæsaraugustanis Sancti Vincentii Levitæ ac Martyris stolam (delendum quoque alterum glossema, *idest tunicam*) impetravit, nondum Germanus Cathedram Parisiensem insederat.

E

Cap. 20. Pagina eadem pro *Theodorus*, rescribe *Theudus* aut *Theudis*: & paulò post, dele adventitiam illam sententiam *secundùm beatissimi Germani dispositionem*. Paginis verò 117. & 118. occurrit Pragmaticum Childeberti, cum brevi prooemio, ab hisce verbis: *Quam Ecclesiam quomodo, &c.* In editione Duchesniana & mss. post *contulit munera*, nihil legitur. An verò Childeberti Regis ætate Pragmaticum illud conscriptum sit, non disputo. Maneant sua cuique jura velim illibata. Hoc tantùm contendo, Aimoini Floriacensis Historiæ à Pratensi Anonymo

nymo illud cum aliis ad Monasterium Abbatesque suos (quorum primus mox nominatur Autharius à Rege constitutus vir magnæ nobilitatis) spectantibus fuisse intermixtum circa annum 1165.

Cap. 25. p. 126. post verba : *B. Genovefa humata quiescit*, desunt in mss. *Tunc temporis*, & quæ sequuntur, usque ad *dictus fuisset ab Angelo*. In uno verò è Pithœanis, post, *successitque ei Theodebaldus filius ejus*, adscriptum erat, *à Faramundo successione octavus*.

Pag. 132. cap. 29. cæteris omissis, quæ vulgatæ editionis præferunt, in Duchesniana ad mss. codices exacta hæc tantùm habentur : *Idem Rex* (Childebertus) *post diutinam Regni functionem febre vexatus moritur ac Parisiis in Ecclesia Sancti Vincentii, quam ipse fabricarat, sepelitur. Ejus Regnum vel thesauri ad Clotarium lege redierunt.*

Pag. 143. ad calcem capitis 36. desunt, quæ de *Auctario & Droctoveo* referuntur, & quæ cap. 2. libri 3. pag. 148. dicuntur de Præcepto immunitatis vel libertatis à Sancto Germano concesso : quod in prioribus Badiana & Wecheliana desideratum exhibuit in sua editione Jacobus Brulius pag. 75. notisque non secus ac Pragmaticum illustravit.

Cap. 9. pag. 158. Absunt omnia, quæ de B. Germani Hierosolymitano itinere, & de reliquiis à Justiniano datis narrantur.

Cap. 16. pag. 171. *ferè octogenarius* dicuntur abesse cum Epitaphio aliisque, ab his verbis *Ingrediente autem*, usque ad, *Scubilio Abbas ei successit in regimine*.

Cap. 42. pag. 211. addita sunt Agricolæ Ep. Cabilonensi, *qui utique in vita beati Germani Parisiorum præsulis memoratur*, non secus ac pag. 233. cap. 57. inserta videntur, *quam ipse immunem*, *&c.* usque ad *ibi contulerat*.

Pag. 285. cap. 87. pro *Marciacensi* legendum arbitror *Arciacensem Campaniam*.

Capite 92. extrema pagina 293. Monachus Germanensis adtexuit : *His diebus defuncto Scubilione cœnobii Sancti Vincentii Abbate, Desiderius ei successit in regimine*.

Capitis 97. principium etiam in Duchesniana editione fœdatur *Veneticorum* corrupta voce : sic enim legendum autumo : *His diebus Alemanni Aventicorum fines ingressi Ultrajuranos, Cambeleno & Erpino Ducibus, sibi obsistere conatos acie superant.*

Libri quarti ipso initio minus rectè dicitur à Francorum Regibus (Clotarii Majoris filiis nepotibusque) per quinquaginta fermè & unum annos fuisse regnatum, 53. rectiùs quadrant usque ad Clotarii junioris Monarchiam. Eidem capiti primo & aliud incubat mendum : *Theodoricus denique tuis credulus persuasionibus quod Theodebertus ejus non esset germanus, effusor extitit fraterni sanguinis : cùm jampridem Merovei ex se* (legendum est, ex me) *geniti cruore pollutas gereret manus.* Confer caput 91. libri præcedentis. Eximendus quoque perhibetur ex fine ejusdem capitis *Lupus Archiepiscopus Senonensis*, quem mss. codices Aimoini non agnoscunt.

Cap. 8. pag. 323. *Hac etiam tempestate Desiderio Abbate Monasterii Germani diem obeunte, Gauscio successit in regimen.*

Capiti 17. ex Gestis Dagoberti Regis, sive ex Chronico Sancti Dionysii, multa sunt inserta. Pro *Longolaria silva* occurrit alicubi *Langanatia* cap. 18. Cæterùm ad paginam 334. hæc Petri Pithœi manu adscripta sunt : ab hoc loco vetus codex Aimoini, qui est Ecclesiæ Beati Dionysii, nonnihil diversus est ab hoc Germanico. Incipit : *Anno igitur 45. regni sui Clotarius Magnus Rex moritur*, usque ad illa, quæ sunt infra pagina 378. *Accepit autem ipse Ludovicus uxorem de genere Saxonum*, *&c.*

A Pag. 358. *Hujus exemplar*, usque ad *intulit* pagina 360. initio, monet Pithœus ex Germanensi exemplari intexta cap. 30. & addita ad calcem 31. *His diebus vita decedente Gauscione Sancti Germani Abbate, Germanus regiminis locum suscepit.*

Pag. 378. post, Deo servientium Monachorum statuit : adscripsit Pithœus extremo capiti 41. *Hactenus Aimoinus Floriacensis*. Ad marginem verò notavit : Hæc minoribus seu mutatis literis describi debuerant, nimirum, *Hactenus liber Floriacensis Monasterii Sancti Benedicti supra Ligerim gesta Francorum recitat. Quæ verò sequuntur, non Aimoini, verùm alterius cujusdam Historiographi sunt*, *&c.* Addit idem V. C. Et hìc quoque in veteri libro Floriacensi
B spatium est. Tum subjicit : Quæ sequuntur (nimirum cap. 42.) *Posthac igitur Rex*, *&c.* sunt & in vetustis exemplaribus Aimoini puri puti, sed disjuncta à præcedentibus usque ad coronationem Caroli. Pag. 462. *Imperator & Augustus appellatus.* Et verò sunt ex Gestis Francorum veteribus ad verbum transcripta usque ad illum locum cap. 52. pagina 390. *Qui nunc anno sexto in regno subsistit*. Ad quem hæc adnotata leguntur : *Huc usque ex Veteribus Francorum Gestis : cætera ex Gregorii Appendice usque ad finem capitis 57.*

Pag. 980. & seqq. ab Interpolatore Monacho qui anno 1165. vivebat, intexta sunt Gestis Francorum aliisque deinceps quos consarcinavit Scripto-
C ribus, non secus ac præcedenti Aimoini Floriacensis Historiæ, quæ sequuntur de Abbatibus Cœnobii Sancti Germani : *Cujus temporibus Sigo Abbas Cœnobio Beati Germani Parisiensis nobiliter præfuit.* Scitè autem & ad rem nostram omnino accommodatè observat Pithœus, hæc & similia reperiri quidem in veteri codice Germanico, at non in Dionysiano.

Pag. 384. *Decedente quoque Sigofrido Abbate Cœn. S. Germ. Par. Babo in regimine substituitur.* Et pag. 385. *Babone quoque C. S. G. Abbate obeunte, Childeramus ei subrogatur in pastorali procuratione. Childerano autem diem obeunte, Hunfridus curam Monasterii S. Germani accepit.*

D Pag. 386. *Hunfrido Abbate hominem exeunte, Gundremarus vir strenuus regimen Ecclesiæ sancti Germani est sortitus.* Tum, *Defuncto his diebus piæ memoriæ Gundremaro, Tedelmarus pastorale sumpsit officium.*

Pag. 390. *Tedelmaro autem Abbate Monasterii S. G. defuncto, Lanfredus ei in regimine subrogatur*. Quæ præcedunt verba : *Franci verò Theodericum Kala Monasterio enutritum filium Dagoberti junioris Regem super se statuunt : qui* NUNC ANNO SEXTO IN REGNO SUBSISTIT, ea in Gestis Regum Francorum ab Auctore coætaneo conscriptis, & à Duchesnio editis Tomo 1. agmen claudunt, evincuntque, nec Aimoinum Parisiensem, nec Floriacensem, parentem habere posse.

E Pag. 391. *Per idem tempus rebellantibus Saxonibus*, &c. Hæc ex Appendice Gregoriana, seu Fredegarii Scholastici Chronico fuere delibata. Vide pagina 770. Tomi 1. Collectionis Duchesnianæ num. seu Sectione 108. & observa verba ista ex cap. 54. pag. 393. edit. Wechelianæ : *à passione Domini usque ad* ISTUM ANNUM PRÆSENTEM, *qui est XIX. Principis Caroli, sunt anni* 735. neutri Aimoino convenire posse.

Pag. 394. *Eo tempore gens impia Wandalorum*, &c. usque ad finem capitis 55. desunt apud Fredegarium, & videntur deprompta ex aliquo Senonensium Historico, fortè Odoranno aut Hugone, &c.

Pag. 397. *Urbes famosissimas*, &c. quæ in Dionysiano exemplari teste Pithœo sic concipiebantur : *Ucetium, Nemausum, Altimurium, Substantionem quæ*

modò

modò mutato loco Monspessulanus dicitur, *Agathen*, *ac Biterris*. Paulò post Fredegarianæ narrationi inserit Pratensis Anonymus: *Tunc memoratus Princeps venerabilem Lanfredum Abbatem Sancti Germani Legationis causa in Aquitaniam dirigit*. Pag. 398. pauca quædam habentur paulùm inflexa ab Appendice Gregoriana: in qua *Primò Abbas Corbensis Monasterii*, cùm editio Wecheliana *Corbonensem* appellet. Quodnam verò sit Corbonense Monasterium, quisve & ubi situs Corbonisus pagus ex Capitularibus Regum nostrorum atque aliunde nobis non ignotus, alterius est operæ pleniùs explicare.

Pag. 399. post verba ultima cap. 57. *in basilica Sancti Dionysii Martyris*, Pithœus hæc adscripsit: Huc usque Appendix ad Gregorium Turonensem. Cætera alterius sunt Auctoris. Quæ sequuntur usque ad finem libri quarti sunt magna ex parte ex Annalibus Pipini, Caroli & Ludovici impressis Coloniæ in 16. & aliis nondum editis. Eos tibi Annales suppeditabunt secundus & tertius Tomus Collectionis Duchesnianæ ab Eginartho aliisque conscriptos.

Pag. 400. Interpolator de suo nonnulla addidit initio cap. 59. *Hoc igitur* usque ad *detinetur*: ac medio, *Pace itaque peracta*, usque ad, *& igni vastavit*. Tum multa cap. 62. pag. 405. *sequenti anno venerabilis Lanfredus*, &c. usque ad capitis finem. Pagina 409. *His diebus Lanfredo decedente*, *Guichardus Ecclesiæ Sancti Germani Abbas præficitur*. Pag. verò 404. post illa verba in fine capitis 61. *ad susceptionem regni*. Hucusque se scripturum pollicitus fuerat Aimoinus in Præfatione.

Pag. 429. ad calcem cap. 63. *His diebus defuncto Guiscardo Abbate C. S. G. Robertus in regimine substituitur*.

Pag. 471. cap. 95. macula parva nigra in medio solis centro conspecta dicitur ab ipsomet Annalium scriptore Astronomiæ non imperito, qui superstes non potuit esse usque ad annum 892.

Pag. 487. sub finem capitis 100. *Robertus Abbas Sancti Germani m. vita decessit*, *Irmino quoque prudentissimus vir loco ejus successit*.

Pag. 490. c. 102. ad illa verba: *Cujus rei nuntium cùm Ludovicus filius ejus*, &c. notavit Pithœus. Huc usque gesta. Sequitur Eginarthus in veteri exemplari. Sed quæ hìc sequuntur, sunt ex Annalibus Ludovici Imperatoris, in quibus & hæc per annos disposita sunt.

Pag. 532. *Ipse autem ven. Abbas præfatus Hilduinus*, & quæ sequuntur ad finem cap. 114. ab Anonymo Interpolatore profecta sunt, non secus ac quæ pagina 540. ad finem cap. 117. leguntur. *Verùm nunc parumper retrocedamus. Nam dum studuimus gesta gloriosi Caroli Augusti continuare*, *omisimus primordia hujus clarissimi Imperatoris Ludovici dilucidare. Sed hoc nobis videtur* ALTERIUS LIBRI *initio congruum fore. Quod quamvis fiat præpostero ordine*, *tamen continuabuntur prima ultimis*, *omissis plurimis in medio jam prælibatis*, *quæ tamen suo loco substringentur paucis*. Hæc Interpolatoris verba: quibus ex Prologo vitæ HLudovici Pii ab Homine Palatino scriptæ subjiciuntur ista: *Nam virtus adeò glorioso Principi*, *&c. Porrò*, *quæ scripsi usque ad tempora Imperii*, ADHEMARI *nobilissimi & devotissimi Monachi relatione didici*, *qui ei coævus & connutritus fuit. Posteriora autem* (idest ab anno 813. usque ad annum 840.) *quia ego interfui rebus Palatinis*, *quæ vidi & comperire potui*, *stylo contradidi*. Vide Paginam 287. Tomi 2. Duchesnianæ Collectionis. V. C. Pithœus post *exultatione celebravit*, annotavit: Huc usque ex Annalibus Regum Caroli & Ludovici Coloniæ impressis in 16. Quæ sequuntur, sunt ex Præfatione ejus,

A qui Vitam Ludovici Pii descripsit. Itaque ad omnia omnino, quæ libro quinto continentur, non pertinent, sed ad ea tantùm, quæ de Ludovico scribuntur usque ad caput 19. Idem post *stylo contradidi* observat, in exemplari Dionysiano sequi Vitam Caroli Imperatoris ab Einardo scriptam: tum Tilpini Historiam, additis pluribus, quæ ad illud Monasterium pertinent. Deinde Vitam Ludovici Imperatoris, ex qua sequens liber excerptus est: *Famosissimus Regum*, *nullique*, &c. usque ad pag. 634.

Pag. 544. *Lutetias*, *quæ alio nomine Parisii vocantur*, *se se recepit*, ab illis verbis, *Tunc ejus adiit præsentiam Ven. Robertus*, usque ad capitis finem Interpolator omnia subjecit, ex Monasterii sui Archivis.
B Jacobus Breulius duo Caroli Magni diplomata charactere Italico distinxit: sed omisit, quod in editione Vvecheliana initio pag. 547. legitur primùm fuisse *redintegratum Parisius*.

Pag. 577. Idem Anonymus S. Germani Monachus de suo ista inseruit non obiter prætereunda: *sed hæc jam superius dicta supprimantur*, tum paulò post pagellis aliquot ex Vita Ludovici Pii omissis: *Sed ea*, *quæ jam dicta sunt*, *omittentes reliqua persequamur*, ad quæ idem Pithœus: Compilatoris sunt, omittentis hìc quædam, quæ supra libro 4. ex Annalibus Ludovici jam adscripserat.

Pag. 578. *defuncto quoque Iminone Hilduinus B. Germani Ecclesiæ Abbas præficitur*. Tum pag. seq. *Ut autem patescat*, &c. usque ad finem capitis 10. sunt ab
C eadem manu: necnon pag. 584. *Verùm hæc superius jam digesta latiùs*, *sufficiat hìc tantummodò prælibasse. Eodem itidem tempore defuncta Hirmengarde regina*, *ut jam supra notavimus*, &c. pag. 585. post *crudelitate*, Pithœus scitè adjecit, inter hæc multorum annorum historias omissas fuisse, ab anno scilicet 822. ad 828. *Cùm igitur conventus habitus esset publicus Aquisgrani*, *ubi cùm in aliis*, *tum maximè fervebat res* (ut supra dictum est) *in marcha Hispanica*, &c.

Pag. 614. *Nam Hilduinus ibi affuit Abbas*, usque ad, *abstulerat Ecclesiæ*, & pag. 615. 616. 617. *Pipinus gratia Dei Rex Aquitanorum*, &c.

Pag. 619. Auctor alium se designat ab alterutro
D Aimoino, dum ait, *accito quodam*, *itemque me qui hæc scripsi*, *& qui hujus rei* (Astronomicæ) *scientiam habere credebar*.

Pag. 626. cùm de Ebroino Pictaviensi Episcopo mentio incidisset, hæc ab Interpolatore inserta sunt: *Dans ei regimen Abbatiæ Sancti Germani Parisiensis: Nam Hilduinus Abbas jam decesserat*. Quod postremum, an verum sit, memini me aliàs in controversiam vocasse, nec immeritò sanè.

Pag. 634. ferè sub exitum Capitis 19. *nobiliter sepelivit*. Huc usque Astronomus Vitæ Ludovici Pii scriptor. Cætera, quæ tum hoc 19. tum toto capite 20. sequenti habentur, Interpolator Monachus anno circ. 1165. addidit, partim ex vulgatis Anna-
E libus, sed malè intellectis, partim ex arcanis Monasterii sui monimentis. Quod verò, non ab Aimoino Parisiensi, aliove ejusdem ætatis viro scripta sint, quæ cap. 19. adjecta sunt, ab illis verbis: Obiit autem anno Domini 840. docent nonnulla. I. Quòd inter filios Ludovici Pii Imper. qui Bello Fontanetico in Burgundia pugnarunt, numeret Pipinum, qui junior fuit, Ludovici Pii nepos, ac senioris biennio ferè ante patrem defuncti filius. II. Quòd Ludovicum Germaniæ Regem vendicasse sibi Burgundiam asserat, ac in Regem unctum fuisse; Pipinum verò Aquitaniam possedisse. III. Quòd Lotharius partem Franciæ obtinuerit, *quæ usque* IN HODIERNUM DIEM *ex suo nomine Lotharii regnum appellatur*.

Pithœus observat in Dionysiano exemplari ea,

A quæ sequuntur Vitam Ludovici Pii, diversa esse ab istis, ac totum caput 20. interpositum ad aliquot annorum lacunas reparandas, sapere omnino Germanensem Monachum.

Pag. 636. & seqq. à cap. 21. usque ad 61. curiosum Lectorem moneo puras putas esse lacinias ex Annalibus Bertinianis decerptas. Vide Tomum 3. Historicorum coætaneorum Franciæ à Duchesniis editorum à pag. 235. usque ad 261. ab illis verbis, *Lotharius autem* (non Imperator, sed ejus dumtaxat filius Lotharingiæ Rex) *Roma lætus promovens usque Lucam civitatem venit*, &c. Interpolator verò his de suo inseruit pag. 647. *Ea tempestate secunda irruptione Nortmanni Parisios venerunt, & B. Germani Monasterium depopulati sunt, cellarioque Fratrum igne immisso, cum præda undequaque adquisita redierunt*. Pag. 659. B post Gauzlinum Abbatem subjecit, *Monasterii Sancti Germani*, pag. 660. quædam prætermisit, pag. 662. *socii & socium* mendosè legitur etiam in ms. Sancti Germani pro Photii & Photium, vel quemadmodum Duchesnius edidit, Focii & Focium: pag. 688. *Ea tempestate Gauzlinus Abbas*, &c. bene multa usque ad finem capitis 34. ad Monasterium Beati Germani pertinent. Desunt verò in Annalibus Bertinianis, & à veritate procul absunt, quæ Interpolator ille de Carolo Calvo attexit sub finem cap. 35. *Sepelierunt eum in basilica B. Eusebii Martyris in civitate Vercellensi*, &c. Delenda quoque ex C cap. sequentis initio dictio, *Vercellis*, atque ex fine cap. 40. hæc verba: *vir plenus omnibus immunditiis & vanitatibus*.

Pag. 723. post *residere permisit*, usque ad, *componi fecit*, quædam interjecta sunt de rebus cœnobii Sancti Germani, quæ in Annalibus non extant. Imò nec in veteri codice extare *idem namque*, &c. monuit Pithœus.

Pag. 725. *quo venerant, redierunt*. Huc usque Annales Sancti Bertini vulgò appellati. Quæ sequuntur usque ad finem capitis ab Interpolatore promanarunt.

Pag. 726. capitis 42. pleraque ad verbum exscripta sunt ex capite primo libri 2. de Miraculis Sancti Benedicti Floriacensis, auctore nostro Aimoino, cui Interpolator inserit: Ea tempestate Gozlino Episcopo & Abbate defuncto Ebolus nepos ejus D Abbatiæ suscepit regimen.

Pag. 728. *Quo obeunte, recepit regnum Carolus puer*, &c. usque ad *Symphoriani Martyris*, leguntur in Chronici Hugonis Floriacensis fragmento pag. 347. Tomi 3. Duchesnianæ Collectionis: quibus de Roberto Abbate quædam admiscuit Monachus Interpolator à pag. 729. usque ad 732. & finem capitis 41.

Capitis 42. principium usque ad, *in Basilica Sancti Fursei*, & quædam alia ex eodem fragmento desumpta nonnullis ad Cœnobium S. Germani spectantibus immixtis, hoc & seqq. capitibus 43. & 44. E usque ad initium pag. 740. Deinde subjiciuntur nonnulla ad idem pertinentia de *Guallone*, *Alberico*, & *Morardo* Abbatibus. Videnda quoque pagina 142. Tomi 4. Historicorum Coætaneorum Franciæ, unde quædam in cap. 44. & 45. decerpta.

Pag. 741. extremo ferè capite 44. post, *Ludovicum & Carolum*, Pithœus refert se vidisse in Veteri codice hæc verba: *His ita peractis primores Franciæ apud Noviomum civitatem congregati communi consensu jam dictum Hugonem Ducem elegerunt sibi in Regem. indeque unctus Rhemis 5. Nonas Julii, & in eodem anno ipse Hugo Robertum filium suum consortem regni adscivit atque benedici fecit in Regem Rhemis Kalendis Januarii: qui postquam Hugo gubernavit Regnum Franciæ annis penè* 11. *defunctus* 9. *Kal. Novembris ac sepultus in Ecclesia Sancti Dionysii juxta patrem suum anno Domini* 896. *successore filio Roberto, qui post eum rexit regnum Franciæ*.

Pag. 742. *In illis diebus*, &c. ex eodem Hugone Floriacensi. Vide Tomum 4. Duchesniorum pag. 142. Quæ verò dicuntur de *Morardi* obitu & *Ingone*, *Guillelmo Divionensi*, atque *Aldrado* Abbatibus, ea merito imputaveris Interpolatori, ut quæ sequuntur de Beina, quæ temporibus Regis Roberti erat de Dominio Sancti Germani. Ejus enim occasione gravissimus error diu contaminavit Historiam Francicam. Joannes Tilius V. C. & post eum benè multi docuerunt clarissimos Toparchas Monfortios è Regia stirpe descendisse, à Roberto Rege & N.... domina de Novigento prognatos, quod falsissimum est. Occasionem præbuit malè feriatus impostor, qui cùm nomen Comitis illius, unde tamquam è radice prodiit ingens ac bene nota Gallis Monfortiorum progenies, quòd Cœnobio Germani Beinam abstulisset, exosum haberet, lineam unam alteramve malo more abrasit. Unde factum est postea, ut Jodoci Badii vel Guillelmi Parvi non ferenda in viris eruditis incuria, nulla habita hiatus illius, sive lacunæ, quam asteriscis designare debuissent, ratione, sequentia cum præcedentibus contra mentem Interpolatoris nostri ac rei historicæ veritatem necterentur in prima anni 1514. editione: unde in alias idem quoque mendum defluxit connivente ad hoc & similia, qui ms. codicem possidebat, Jacobo Breullio. Neque enim Robertus Rex *firmavit Montisfortem & Sparnonum*, nec duxit *domnam de Novigento*, nec ex ea genuit *Amalricum*, &c. quæ pluribus V. C. explicabit in Genealogico opere. Ambigo, nec absque causa, cujus nam sint hæ Genealogicæ series usque ad finem capitis 46. an ab Interpolatore, aliove profectæ. Quæ enim habentur de Henrico & Philippo Regibus cap. 47. & seqq. eumdem referunt Hugonem Floriacensem, cujus narrationi Pag. 751. Interpolator miscuerit pauca de Adraldo, Huberno, Roberto, Petro, & Isambardo Abbatibus Sancti Germani.

Cap. 49. pag. 755. ferè extrema, *Ludovicus autem præfati Regis Philippi filius, quoniam in adolescentia*, &c. quæ seqq. auctorem habent Venerabilem Sugerium Monasterii Sancti Dionysii in Francia Abbatem. Vide caput 13. Vitæ Ludovici Grossi Regis pag. 293. Collectionis Duchesnianæ. Tum 21. pag. 306. & seq. ubi de Alardo Willebaldi & de Haymone Varia vacca, & de Arvernorum Comite ac Episcopo pag. 313. de Carolo Flandriæ Comite pag. 315. ac vindicta in Flandros, ex quibus multa possent, si vacaret, emendari.

Pag. 768. de *Rainaldi* successore *Guillemo*, atque *Hugone* Abbatibus Interpolator attexuit quædam ad calcem capitis 50. Ab eodem priores quatuor versus capitis 51. cui statim ex eodem Sugerio agglutinavit, quæ de Philippo Ludovici Grossi filio narrantur pag. 318. Coronatio Ludovici junioris facta Rhemis paulò aliter narratur ab Interpolatore, qui & alios Grossi filios recensuit, ac per anacephalæosim præclara ejus opera collegit, mortemque breviter exposuit, licèt eam mendosè anno 1136. adscripserit.

Ludovici Juvenis res gestæ, quæ ab ultimo versu pag. 770. editionis Wechelianæ inchoantur istis verbis: *Igitur gloriosus*, &c. excusæ sunt pag. 412. Tomi 4. Sylloges Duchesnianæ ex ms. exemplari V. C. Jo: Bapt. Hautini, quod ex vetustiore Monasterii Sancti Maglorii codice descriptum fuerat. Iis Interpolator pro more inseruit sub finem cap. 51. mortem *Hugonis*, cui *Gillo* successit, qui cap. 52. quoniam tanti regiminis oneri non sufficiebat, pastoralem

ſtoralem curam dimiſit, ſubſtituto *Hugone Priore Creſpejenſi*. Is rurſum cap. 53. dimittit Abbatiam, quam *Gaufridus & Theobaldus* poſtea rexerunt. Cap. 54. alia narrantur de eodem *Theobaldo*, qui Vezeliaci obiit, ſucceſſorem nactus *Hugonem Monachum Sanctæ Mariæ Vezeliacenſis* anno 1162. qui anno 1165. Philippum Auguſtum ſuper fontem baptiſmatis in ulnis ſuis tenuit.

§. IV.

Voſſii, aliorumque recentiorum de Aimoino errores refelluntur.

PERACTA tandem, non ſine tædio ac labore, librorum 5. Aimoino tributorum luſtratione, judicatiſque fontibus, ex quibus Interpolator Anonymus rivulos in ſuas deduxit areolas, placet nunc Recentiorum aliquot Scriptorum, ac præſertim Gerardi Joannis Voſſii non vulgares de Aimoino ejuſque Continuatore aberrationes in unum veluti faſciculum colligere ac refellere.

Is cap. 34. libri 2. de Hiſtoricis Latinis in ſecunda editione, quæ poſt ejus obitum prodiit, Nithardo & Candido Fuldenſi ſubjungit Aimoinum Monachum Hiſtoriæ Francicæ auctorem, eumque ætate Caroli Magni, Ludovici Pii ac Lotharii floruiſſe contendit: quamvis dubius ancepſque animi quid ageret, quamque ſequeretur opinionem, multa modò cum Baronio & Breullio peccat, modò cum Ranchino atque Frehero, in quorum obſervationes prioribus paulò accuratiores poſt primam editionem inciderat.

I. Poſſevinum & Carolum Sauſſejum falsò arguit, quòd Aimoino Hiſtoriæ Francicæ ſcriptori tribuerint libros de Miraculis Sancti Benedicti, idemque mendosè adſtruit Adrevaldum & Adelerium multò poſt Aimoinum Hiſtoricum ſcripſiſſe.

II. Aimoinum ab Ammonio, ſeu Aumonio, malè diſtinguit, cùm ſit unus & idem, qui vixit Othonis III. tempore circa an. 990.

III. Quæ dicuntur libro 4. extremo de Aſtronomo illo, qui rebus interfuit Palatinis, & quæ vidit ac comperire potuit de geſtis Ludovici Pii, ſtylo contradidit: quæ verò de eodem non vidit, antequam ad imperium perveniret, relatione Adhemari Monachi didicit, tribuere non eſt veritus poſt Breullium, Baronium, Bellarminum, & quoſdam alios, Aimoino Monacho Pariſienſi, ſcribæ & amanuenſi Cœnobii Sancti Germani, qui regnante Carolo Magno vixdum puer erat, & adhuc anno Chriſti 892. ſuperſtes erat oppidò longæviſſimus, ſi jam anno 813. aut 814. rebus intererat Palatinis. Subdit tamen metuere ſe, ne Notarius ille alius ſit ab Hiſtoriographo, ac Breullius perperam ex duobus unum concinnarit. Paulò poſtea peritior factus ex Ranchini ac Freheri commentariis, Breullio ſuo nuncium remittet.

IV. Malè corrigit Poſſevinum: neque enim in eo menda librarii oſcitantis fuit, quòd 890. pro 840. poſuerit, ſed quòd unam omiſerit Centuriam. Claruit enim Aimoinus Floriacenſis ex Trithemii calculo anno 990. Pariſienſis verò vivebat 890. ut docuimus ex Abboni Poetæ verſibus.

V. Aſſerit potuiſſe Aimoinum Pariſienſem ſcribere etiam illa, quæ Carolo Calvo, Ludovico Tertio, & Carolo Craſſo evenerunt, cùm certum ſit ea, paucis exceptis, omnia deprompta eſſe ex Annalibus Bertinianis, ut quæ præcedunt de Carolo Magno & Ludovico Pio partim ex Eginharti aliorumque Annalibus, partim ex Aſtronomo Aulico.

VI. Conjectura ejus nulla eſt, qua ſuſpicatus eſt

A libri 5. partem eam, quæ ab Aimoino eſt, ſeu quæ ad annum vel 846. vel 888. extenditur, fuiſſe olim partem libri 4. ſed ab iis, qui ſequentes Galliæ Reges addiderunt, à quarto eſſe avulſam, quia putarent melius novum inchoare librum ab Imperio Caroli Magni.

VII. Arguit temerè Franciſcum Hotomanum, quòd in diſputatione de Jure Feudali capite tertio locum adducens ex Aimoini libri V. capite primo, eum citaverit ex Appendice Aimoini. In quo falli Voſſium liquet ex ante dictis.

VIII. Nec melior eſt ejus divinatio altera: ſtatuiſſe quidem primùm quatuor dumtaxat libros ſcribere, ſed cùm poſtea multos ſupereſſet annos, decreviſſe

B & ſuorum temporum Hiſtoriam pandere, ac tum extrema verba quarto eſſe libro adjecta, eamque quinti libri partem, quæ eſt de Temporibus Aimoini. Mirum ſanè ab homine omnium confeſſione doctiſſimo Hiſtoriam vocari centonem ex vilibus atque aliunde emendicatis pannis ab anno circiter 660. conſutum.

IX. Quòd Abbonem, cui dicata eſt Francica Hiſtoria, alium fruſtra quærat à celeberrimo Collegii Floriacenſis Antiſtite Abbone, qui idibus Novembris anni 1004. apud Regulam à Vaſconibus lancea interemptus eſt, ac Poſſevinum rectè ſentientem arguere videatur.

X. Quòd ex fide Jacobi Breullii, quam ſupra excuſſimus, quamque ipſe poſt valdè fluxam agnovit,

C affirmet Aimoinum ſedulò commemoraſſe ordine Abbates Cœnobii Sancti Germani à Pratis, non omiſſis præcipuis ejus privilegiis, quæ in Archivis aſſervantur, nec cuivis patere ſolent, indeque concludat fuiſſe Monachum ejuſdem loci. Hoc enim ab Interpolatore Monacho Pratenſi centum ac ferè 60. poſt obitum Aimoini annis attentatum fuit, eo, quem ſupra docuimus, fine, nec inutili, nec flagitioſo, ſi auctorem præcipuum alioſque deinceps, quibus ſua aſſumenta intexuit, de nominibus propriis appellaſſet, ſuaſque παρενθέσεις ab eorum oratione vel characteris diverſitate, vel anſulis, aut aſteriſcis, aliove quovis modo ſejunxiſſet.

D XI. Quòd tradat non ineptè occurriſſe Breullium argumento, quo demonſtravimus, ex eo quod Abboni dicata ſit Aimoini Hiſtoria, illum non Pariſienſem, ſed Floriacenſem fuiſſe Monachum. Nihil enim excogitari poteſt apud æquos rerum æſtimatores, ut nihil aliud dicam, imbecillius, quàm ſi relicto Abbone tamquam meridiano lumine in profundiſſimam te ignorantiæ noctem immergas.

XII. Certiora ſe pronunciaturum pollicetur, ſi viſus fuiſſet Aimoini liber de Vita Abbatis Floriacenſis ad Herveum Clericum. Atqui editus erat jam ab anno 1605. à Joanne de Boſco Cœleſtino Monacho in Bibliotheca Floriacenſi Lugduni in 8.

XIII. Eodem cum Baronio ad annum 869. im-

E plicitus errore, Aimoinum unum fuiſſe dicit ex iis, qui venerationi Imaginum adverſarentur. Neque enim ea, quæ recitat, ſunt aut Floriacenſis, aut Pariſienſis Aimoini verba, ſed Auctoris Annalium Bertinianorum, qui ſæculo Chriſti nono, cùm hæc ferveret apud Gallos controverſia, vivebat; quemque haud ſat bene diſcuſſum exſcripſit Pratenſis Monachus utrique Aimoino ætate junior. Confer quæ à Badio folio CXX. & à Wechelo pagina 662. edita ſunt (nam Breullius uſus vitiato quacumque tandem ratione mſ. codice, atque expunctis aliquot lineolis contrarium in ſenſum vertit omnia, ut jam obſervavit Voſſius) cum iis quæ leguntur pag. 244. III. Tomis numquam ſatis Laudatæ Ducheſnianæ Collectionis.

XIV. Quòd occaſionem nactus accuratiùs omnia penſi-

pensiculandi, quoniam fortè fortuna incidisset in ea, quæ Guillelmus Ranchinus & Marquardus Freherus de Aimoino in litteras retulerant, non refellerit errores plurimos, quos minus cautè ex aliorum ac præcipuè Jacobi Breullii scriptis corraserat: sed pingui tantùm minerva docuerit eos falli, qui Historiam Francicam sub Aimoini nomine editam, extendi putarunt ultra initium regni Pipini, quæ est sententia Ranchini: imò, quod Frehero visum, non provehi ulteriùs, quàm ms. Floriacensis codex Historiam Aimoini, qui seu fato præreptus orbi, seu valetudine, vel negotiis impeditus, non potuerit eo usque eam perducere, quò statuerat.

XV. Auctorem illorum quæ à cap. 58. libri IV. usque ad finem illius, de Pipino, Carolo Magno, & Ludovico Pio dicuntur, statuit esse ex Pithœo quidem Adhemarum, ex Papyrio autem Massono Adhelmum nominandum. Verùm & ipse, & hi ex quibus ista mutuatus est, opinione sua falsi sunt. Neque enim Astronomus ille auctor Vitæ Ludovici Pii ait se ex Adhemari nobilissimi Monachi scriptis, sed relatione tantùm didicisse ea, quæ litteris consignavit.

XVI. Compilatorem ait postremæ partis satis antiquum videri: quædam tamen ab aliquo longè recentiore esse inserta, utpote in quibus, non modò Saxonis Grammatici, sed etiam Marci Antonii Sabellici, & Roberti Gaguini fiat mentio, quos anno MD. vixisse omnes sciunt. Verùm non pepercit, quæ ex Marquardo Frehero hauserat, cùm is tantùm dixerit eum, qui libros Aimoini in capita distribuerit, & capita ipsa præscripserit, recentiorem esse Compilatore, seque existimare eumdem, qui primus recensuit, Joannem Nicotium eamdem simul operam præstitisse, hoc est Saxonis, Sabellici, & Gaguini mentionem intexuisse. Qua in re non secus atque in aliis quibusdam ipse etiam lapsus est cæteris, quamquam accuratior, Freherus, quem consulat Lector.

Idem Vossius cap. 41. ejusdem libri II. in nonnullis hallucinatus est. I. quòd S. Abbonem occisum velit anno 1003. II. quòd alium statuat ab Abbate, cui suam Aimoinus nuncupavit Historiam. III. quòd Trithemio oscitanti aut erranti malit habere fidem, quàm Sigeberto. IV. quòd Aumonium disjungat ab Aimoino: unus enim & idem fuit Floriacensis Monachus librariorum inertia, modò in Aumonium, modò in Ammonium seu Annonium transformatus. Neque ex scriptis Aimoini Historici comprobari potest eum sæculo Christianæ æræ nono vixisse: præsertim si repudiata Breullii opinatione in Ranchini ac Freheri partes concesserit.

Guillelmus Ranchinus in Monspeliensi schola Juris Antecessor, & in suprema Subsidiorum Curia Occitana Fisci Advocatus cap. 15. libri primi Variarum Lectionum pollicitus est docturum se, qui sint ejus Francicæ Historiæ auctores, quæ Aimoini nomine circumfertur. Verùm & ipse peccavit in pluribus. I. quòd primum quidem Auctorem, eumque de nomine notum, hoc est Aimoinum, velit ea omnia scripsisse, quæ extant usque ad coronationem Pipini, in eosque perversè invehatur, qui velut æqui finium regundorum arbitri à capite 42. Aimoinum decurtant ac detruncant. II. quòd alios posteriores, & quasi optiones, incertos dicat, atque ignotos: Fredegarius enim, Egmarthus, Hugo Floriacensis, ac Sugerius sat noti. An verò Monachi omnes, ut conjicit? Fredegarium & Astronomum si excipias, de cæteris id haud ægrè concedam. III. quòd non viderit vir sanè ingeniosus ea, quæ à cap. 42. libri 4. decurrunt usque ad 54. aut 61. ex Gestis & Fredegario, longiùs abesse ab oratione Aimoini, quàm quæ postea sequuntur ipsius

A confessione ab aliis exarata. IV. quòd à professione sua alienum duxerit J. C. ille decidere quonam tempore Aimoinus ille primarius scriptor, & in quo Monasterio vixerit, in quo tamen præcipuus totius difficultatis vertebatur cardo. V. quòd non viderit tum Aimoini historiæ, tum ejus continuationi successionem Abbatum Sancti Germani intertextam fuisse ab uno eodemque Monacho, quem obscurum, bardum, stupidum, insulsum, importunum appellat, qui in media sæpè rerum narratione suas merces intrudat. Omnia enim sunt ejusdem salivæ, nec ovum ovo similius, quàm interpositæ singulis libris ab illo sarcinatore clausulæ. VI. quòd quæ de aliis Auctoribus Aimoino Floriacensi succenturiatis addidit, minus

B accurata deprehendantur, si quis conferre velit cum iis, quæ §. præcedenti fusè exposuimus.

Excepit Ranchinum Marquardus Freherus Palatini Comitis Consiliarius, in multis quidem castigatior, sed qui suos tamen nævos habeat, quos superioribus §§. insinuavimus.

Aubertus Miræus Decanus Antuerpiensis, cùm in Bibliotheca sua Ecclesiastica fulgentissimam Sigeberti Gemblacensis lucem cap. 101. Catalogi emicantem annotatione sua sic tamquam densissima caligine obduxisset in hunc modum. *Aimoinus fuit Monachus inclyti Cœnobii S. Germani Pratensis ad muros urbis Parisiensis. Scripsit inter alia* Libros Quinque *de Gestis Francorum studio Jacobi Breullii Monachi ejusdem loci*

C *recensitos, & 1603. Lutetiæ editos. Extant iidem apud Freherum in Corpore Historiæ Francicæ.* In Mantissa postmodum ablegatis procul Baronio ac Breullio, addixit se Ranchino quamquam non sine aliqua offensione: si quid enim ex Fredegario ab aliis adtextum est, ostendit profectò non usque ad Pipinum suam Aimoinum narrationem perduxisse.

Poteram quoque cæteros qui de Aimoinis, nonnihil hactenus scripserunt, ad examen censuramque vocare. Verùm ex dictis pronum erit cuivis de reliquis judicium ferre. Unus superest Bellarminus noster, cujus occasione in hanc arenam descendimus. In ea opinione fuit vir eruditus, Historiam Aimoini à Pharamundo usque ad Ludovi-

D ci Pii & annum Domini 840. (sic enim legendum) exporrigi: reliqua ab aliquo alio addita. Rationem quidem hanc affert, quòd in fine libri 4. dicat Auctor se quintum librum scribere velle de primordiis Ludovici, quæ nimis breviter perstrinxerat in libro quarto, eidemque Ludovico interpretatus sit quid portenderet dirus Cometes, qui tunc apparuerat. Sed ea sæpè jam profligata sunt à nobis, cùm exploratum sit, vel ex tenui ac perfunctoria librorum illorum lectione, omnibus constare posse alterum quàm Monachum, qui adhuc anno 892. floreret Parisiis, Vitæ Ludovici Pii, atque observationum illarum Astronomicarum Auctorem esse.

E

Diatribæ nostræ, quamvis amplissimæ; veluti cujusdam superpondii vice tria quatuorve adjungas velim.

I. Accepisse me ms. illum Aimoinianæ Historiæ codicem, cui V. C. Petrus Pithœus propria manu inscripsit verba illa sub finem §. primi citata: *Aimoinus purus putus*, reperiri in locupletissima Bibliotheca Illustrissimi Domini Petri Seguierii, Franciæ Cancellarii, sapientia, eruditione, humanitate, cæterisque virtutibus ornatissimi.

II. Aimoino Floriacensi favere posse & aliud argumentum numero sextum depromptum ex ipsiusmet verbis capite primo libri qui secundus vulgo dici solet *De Miraculis Sancti Benedicti*

dicti pag. 83. Bibliothecæ Floriacenſis. Cùm enim de Hugone Abbatis honore per Gallias prædito, deque ejus fratribus uterinis Roberti Fortis filiis Odone ſeniore ac juniore Roberto verba feciſſet, bellorumque civilium ſtudiis in diverſa porrectis incommoda attigiſſet, ſubjicit: Et quia NOBIS AD PRÆSENS *non bella Regum tumultuſque gentium diſſerere animo propoſitum eſt: quinimmò Miracula per beatiſſimum noſtræ vilitatis alumnum Deo operante peracta Benedictum, mens promere geſſit, ad ea explicanda veniendum*, &c. his enim aliiſque ejus ſcriptis perſpici facile poteſt eum in contexendis Regum Hiſtoriis animum aliquando applicuiſſe Aimoinum Floriacenſem, quod de Pariſienſi nemo niſi ariolando affirmare poſſit. Nec omittenda quæ ejuſdem libri capite quarto pag. 87. commemorat de concione Odonis Abbatis Floriacenſis. *Ipſe tamen eo ſermone quem in ejuſdem Patris* (Benedicti) *laude & honore facundiſſima dictavit eloquentia, memorat eumdem Cænobitarum Legislatorem ſuis temporibus multis miraculorum radiaſſe ſignis*, &c.

III. Florentinum ſciolum Jacobum Gaddium, qui de rebus ſibi penitus ignotis judicium, quo ferè A ſemper caruit, ferre voluit, in quiſquiliis undequaque corradendis operoſum hæc de Aimoino atque Adone effutiiſſe ipſo fermè Tomi primi de Scriptoribus non Eccleſiaſticis initio: Aimoinus ſive Haymo, Monachus Gallus, qui floruit in exordio noni (ſic enim legendum) ſæculi à reparata ſalute generis humani, multa conſcripſiſſe perhibetur, inter quæ SOLA conſpicitur Hiſtoria de rebus geſtis Francorum non ignobilis. In hac de ſe mentionem facit non ſemel: unde conjicitur Ludovico Pio Imperatori notus, & fortè charus (chari enim & culti à cunctis capitibus erant Scriptores) Aimoinus. Cui adnectatur æqualis vel B ſuppar Ado Viennenſis Epiſcopus, qui longiſſimè repetito initio ab ipſis cunabulis mundi vagientis ad Servatoris annum 879. extendit Annales, de ſex Orbis ætatibus agens non infeliciter. Hæc ille infeliciſſimo ſucceſſu: quot enim verba, tot propemodum occurrunt menda: ut, cùm ex opere noſtro integro, tum ex hac Diatriba diſces Lector veritatis ſtudioſe. Tædet enim ſingula hìc minutatim concidere, cùm de Gaddianis aberrationibus agendum ſit commodiùs alio in opere.

CRO-

CHRONOLOGIA
BREVIS,
AB ORBE CONDITO

Usque ad annum Domini

M. DC. XII.

ROBERTO

CARDINALE

BELLARMINO

Auctore.

CHRONOLOGIÆ

Pars Prior, ab an. Mundi 1. *ad* 4055.

Anni Mundi	*Patriarchæ.*		*Monarchæ Assyriorum.*		*Varia.*
1	Adam vixit annos	930			Quæ dicuntur de Adam, & cæteris Patriarchis habentur in Genesi cap. 5. & 11. præterquam de Cainam filio Arphaxad: is enim non habetur in textu Hebræo, sed addidimus propter Lucæ auctoritatem ex interpretatione LXX.
130	Seth,	912			
235	Enos.	905			
325	Cainam.	910			
395	Malaleel.	895			
460	Jaret.	962			Porrò annos Beli, & cæterorum Regum Assyriorum annotavimus ex Eusebio, nec enim apud alium antiquiorem habentur, tamen initium hujus regni posuimus in loco altiore, quam fecerit Eusebius, tum ut esset locus Regibus Medorum, quos infra subjiciemus: tum etiam quia cum Belus sit Nembrot nepos Cham, & Ninus sit Assur nepos Noe, ut vult Augustinus lib. 16. Civit. cap. 3. vel certè filius Nembrothi, non videtur credibile, eos non fuisse ante tempora Thare, qui fuit decimus à Noe.
622	Enoch.	365			
687	Matusala.	969			
874	Lamech.	777			
1056	Noe.	950			
1556	Sem.	600			
1656	Diluvium durat ann.	1			
1658	Arphaxad.	338			
1693	Cainan.	568			
1723	Sale.	433			
1753	Heber.	464			
1787	Phalech.	239			Belum esse Nembrothum, qui Gen. 10. ædificavit Babylonem, & Ninum esse Assur, qui Gen. 10. ædificavit Ninivem probari potest tum ex eo quod Abydenus apud Eusebium lib. 9. præparat. Evangel. cap. ultimo, testatur Babylonem à Belo conditam: & constat Ninivem à Nino ædificatam, de quo vide Diodorum lib. 2. cap. 1. tum etiam ex eo quòd primus Rex Orbi terrarum cognitus juxta Scripturas sacras est Nembroth, & juxta profanas est Belus, ex quo non malè conjicimus, Nembrothum esse Belum. Mirum autem est cur Mercator Nembrothum velit esse Ninum, & tamen fateatur ante eum regnasse Belum, cùm Scriptura apertè dicat, primum qui cœperit esse potens in terra fuisse Nembrotum.
1791			Belus reg. an.	65	
1817	Reu.	239			
1849	Sarug.	230			
1856			Ninus.	52	
1879	Nachor.	148			
1908	Thare.	205	Semiramis.	42	
1959			Zameis.	38	
1978	Abraham.	175			
1988			Arius.	30	
2018			Analius.	40	
2058			Xerxes Balaneus.	30	
2078	Isaac.	180			
2088			Armametres	38	Anno 20. Armametris claruit Phoroneus legislator primus.
2126	*Judices Hebræorum.*		Belochus.	35	
2138	Jacob.	147			Anno 26. Belochi fuit diluvium Ogigis.
2161			Baleus.	52	
2213			Astadas.	32	
2229	Joseph.	110			Anno 32. Spareti Cecrops Athenas condidit.
2245			Mamitus.	30	
2275			Mancaleus.	30	
2305			Iphareus.	20	Per idem tempus fuit diluvium Deucalionis.
2325			Mamylas.	30	
2355			Sparetus.	40	
2395			Ascades.	40	Anno 6. Ascadis Isis venit in Ægyptum; & litteras docuit.
2403	Moses	120			
2435			Amyntas.	45	
2480			Belotus.	25	Anno 1. Belothi Cadmus floruit, qui litteras Græcas dicitur invenisse.
2483	Moses ducit Populum annos 40.				
2505			Bellopares.	30	Eodem anno rapta fuit Europa, ex qua nati sunt Minos, & Radamanthus.
2523	Josue.	26			
2535			Lamprides.	32	

Anni Mun	*Judices Hebræorum.*		*Monarchæ Assyriorum.*	*Varia.*
2549	Interregnum ann. 10			Pontificum Judæorum annos exactè descriptos non invenimus. Constat tamen à Moysis tempore usque ad Machabæos fuisse hos. 1. Aaron. 2. Eleazarum. 3. Finees. 4. Heli. 5. Achitoph. 6. Abiathar. 7. Sadoch. 8. Achimas. 9. Azariam. 10. Azariam alium, qui prohibuit Oziam adolere thus. 11. Uriam. 12. Sobnam tempore Ezechiæ. 13. Eliachim tempore Manassæ. 14. Helciam tempore Josiæ. 15. Saream occisum à Nabuchodonosor. 16. Josedech in captivitate. 17. Jesum filium Josedech. 18. Joachim. 19. Eliasib. 20. Joadam. 21. Joannem. 22. Jaddum. 23. Oniam. 24. Simonem. 25. Eleazarum. 26. Manassem. 27. Oniam. 28. Simonem. 29. Oniam. 30. Alcimum. 31. Judam Machabæum. Hæc ex Chronologia Nicephori.
2559	Othoniel Judex annis 40.			
2567			Solares. 20	
2587			Lamparos. 30	
2599	Aoth. 80			
2617			Panias. 45	
2662			Sosarmus. 19	
2679	Barac, & Delbora. 40			
2681			Mitreus. 37	
2718	Gedeon. 40			
2740			Tanteus. 40	
2759	Abimelech. 3			
2762	Thola. 23			
2780			Thineus. 30	
2785	Jair. 22			
2807	Jephte. 6			
2810			Dercilus. 40	
2813	Abesan. 7			
2820	Ajalon. 10			Hunc Ajalon Septuaginta non habent. Anno 2821. eversa fuit Troja.
2830	Abdon. 8			
2838	Sampson. 20			
2850			Eupales. 38	
2858	Heli. 20			Æneas in Latio regnat. In annis Heli includuntur etiam anni Sampsonis, ideò 70. Interpretes solum 20. annos adscribunt Heli.
2878	Samuel. 20			
2888			Laostenes. 45	
	Reges Hebræorum.			Anni Samuel, & Saul in Scriptura veteri non habentur, sed Actor. 13. dicuntur fuisse 40.
2898	Saul Rex. 20			
2919	David. 40			
2933			Piriciades. 30	
2959	Salomon. 40			
2963			Ophrateus. 20	Anno 2928. Carthago condita est. Proinde merè fabulosa sunt, quæ scribit Virgilius de Didone & Ænea.
2983			Ophratanes. 50	
	Reges Juda.	*Reges Israel*		
2999	Roboam. 17	Hierob. 22		
3016	Abia. 3			
3019	Asa. 41			
3021		Nadab. 2		
3023		Baasa. 24		
3033			Ocrazapes. 41	
3047		Hela. 2		
3048		Zamb. dieb. 7 Amri anni 12		Monarchia Assyriorum usque ad Sardanapalum stetit annis 1330. quamvis Eusebius dicat 1240. & Justinus lib. 1. 1300. & Diodorus lib. 2. 1400. & Orosius lib. 1. 1160. Destructa fuit à Medis, quorum annos describimus ex Cresiacnidio, qui ex publicis Annalibus eos refert apud Diodorum lib. 2.
3060	Josaphat. 25	Achab. 22		
3074			Sardanapalus. 20	
3082		Ochozias. 2		
3083		Joram. 12		
3085	Joram. 5			
3090	Ochozias. 1 Athalia. 7	Jehu. 28	*Reges Medorum.*	
3094			Arbaces. 28	Annos Assyriorum, & Babyloniorum partim ex Scriptura, partim ex Beroso apud Josephum lib. 1. contra Appionem petemus.
3097	Joas. 40			
3118		Joachaz. 17		
3122		Joas. 16	Mandanes. 50	
3135				
3137	Amasias. 29	Hierob. 41		
3151				

Aza-

Anni Mun	Reges Juda.	Reges Israel.	Reges Medorum.	Reges Assyriorum.	Varia.
3163				Phul. 48	Assyrii rursum incipiunt in Ninive regnare, regnantibus nihilominus etiam Medis. Hujus Phul mentio fit 4. Reg. 15.
3166	Azarias. 52. sed cum patre ann. 12. solus 40.				
3172			Sarsomenes ann. 30		
3192		Zachar. m. 6. Sellum m. 1. Manaem ann. 10.			
3202		Phaceas. 2	Artecarmis. ann. 50		Olympiades incipiunt anno 4. Joathan, id est, anno mundi 3209. Nam constat Cyrum regnare cœpisse Olympiade 55. ut Eusebius, & omnes alii docent: porrò Cyrus regnare cœpit anno mundi 3425. non igitur rectè Eusebius earum initium ponit anno 50. Azariæ. Quod si initium regni Cyri ponatur anno 3547. Olympiades incipient anno 10. Achaz, mundi 3232.
3204		Phacee. 20			
3206	Joathan. 16				
3211				Teglathphalasar. ann. 25	
3222	Achaz. 16				Roma conditur anno 12. Achaz, mundi 3233.
3224		Osee. 9			
3236				Salmanasar. 9	Salmanasar transtulit decem tribus in captivitatem. 4. Reg. 17. & Tob. 1.

Anni Mun	Reges Juda.	Reges Medorum.	Reges Assyriorum.	Varia.
3238	Ezechias. 29			
3245			Sennacherib. 7	
3252		Arbianus, seu Cardiceas. 22	Assarh-addon. 18.	
3267	Manasses. 55		*Reges Babylonis.*	Merodach Baladan regnabat in Babylone eo tempore, quo Assar Addon in Ninive, ut patet ex 4. Reg. 19. & 20. Tamen posuimus ejus initium hoc loco, quia post Assar Addon cœpit Merodach regnare etiam in Ninive: unde non fit amplius mentio in Scripturis Regum Assyriorum sed solùm Bayloniorum.
3270			Merodach Baladan. 40	
3274		Arteus, qui & Dejoces. 53		
3310			Ben Merodach. ann. 21	
3322	Amon. ann. 2			Hunc Merodach putamus esse eum, qui in libro Judith dicitur Nabuchodonosor. Sicut etiam Arteum, seu Deiocem putamus esse Arphaxad, de quo ibidem agitur. Porrò Deioci dedimus 53. annos, quia hunc numerum notavit Herodotus lib. 1. ubi etiam dicit à Deioce ædificatam Ecbatanam, quod in lib. Judith tribuitur Arphaxad.
3324	Josias. 31			
3327		Artines, qui & Phraorthes. ã. 22		
3331			Nabulassarus. 29	
3349		Artabanus qui & Ciaxares. an. 40		
3355	Joachaz m. 3. Joachim. ann. 11.			

Anni Mun	Reges Juda	Reg. Med.	Reg. Pers.	Reges Babylon.	Varia.
3360				Nabuchodon. magnus an. 43	
3366	Joachim. m. 3. Sedechias. an. 11				
3377	CAPTIVITAS ann. 70				
3389		Astiages. 38			
3403				Evilmerodach. 22	Ex numeris Regum Babyloniorum, qui habentur ex Beroso apud Josephum lib. 1. contra Appionem, solùm mutavimus duos annos, quos tribuit Evilmerodacho Berosus in 22. annos: nam 4. Reg. ult. dicitur Evilmerodach regnare cœpisse anno 37. transmigrationis Regis Joachim: ex quo tempore usque ad finem Regni Babylonici constat esse annos 44. qui tamen non colligerentur, nisi daremus Evilmerodacho 22. annos, credibile est esse errorem impressorum, præsertim cùm omnes alii Chronologi dent ei 22. aut 23. annos.
3425			Cyrus 29	Niriglistoor ann. 4	
3429				Laboro sordocus m. 9	
3430				Baltasar qui & Nabonidus. 17	

Anni Mun	*Duces Judæorum.*		*Monarchia Perſarum.*	
3447	Captivitas ſolvitur.		Cyrus cum Dario ann. 1. ſolus an.	7
3448	Zorobabel.	32		
3455			Cambiſes ann. 7. men.	6
3462			Magus cum Fratre m.	6
3463			Darius Idaſpis.	36
3480	Reſa.	50		
3499			Xerxes.	21
3520			Artabanus men.	7
3521			Artaxerxes Longimanus.	40
3560	Joannes	40		
3561			Xerxes alius men.	2
			Sogdianus men.	7
3562			Darius Nothus.	19
3570	Judas.	14		
3581			Artaxerxes Mnemm.	43
3584	Joſeph.	7		
3591	Semei.	11		
3602	Mathatias.	12		
3614	Maat.	9		
3623	Nagge.	10		
3624			Artaxerxes Ochus.	23
3633	Helli.	8		
3641	Naum.	7		
3647			Arſes.	4
3648	Amos.	14		
3651			Darius.	6
			Monarchia Græcorum.	
3657			Alexander Magnus ann.	5
3662	Mathatias ann.	10		
			Diviſio Monarchiæ in quatuor Regna.	

Anni Mun	*Duces Judæorum.*		*Reges Macedoniæ.*	*Reges Ægypti.*	*Reges Syriæ.*	*Reges Aſiæ.*
3663			Philippus Arideus. 7	Ptolemæus Lagi 40		
3668						Antigon. 18
3670			Caſſander. 19			
3672	Joſeph.	60				
3676					Seleuc. Nicanor. 32	
3686						Demetr. 18
3689			Antigo. & Alexander 4	*Reges Ægypti.*		
3693			Demetrius. 6			
3699			Pyrrus. men. 7			
3700			Liſimachus. 5			

Varia.

Cyrum poſuimus ante Babylonem everſam multis de cauſis. Primò quia conſtat eum regnaſſe poſt Aſtiagem translato ad Perſas Medorum Imperio, ut habetur Danielis 13. & apud Herodotum lib. 1. Diodorum lib. 2. & Juſtinum lib. 1. Secundo quia Beroſus apud Joſephum lib. 1. contra Appionem, & Herodotus lib. 1. Juſtinus lib. 1. & alii dicunt, Cyrum poſt adeptum Imperium Aſiæ tandem veniſſe contra Babylonem : non igitur incipit Regnum Cyri poſt everſam Babylonem, ſed antea cœpit. Tertiò quia Herodotus lib. 1. tribuit Cyro annos 29. Xenophon autem lib. ult. Cyropediæ tribuit tantùm ſeptem, quorum utrumque concordari poteſt, ſi dicamus, Cyrum regnaſſe in univerſum annos 29. ſed poſt adeptum imperium Babylonis annos ſeptem. Quis igitur (inquies) eſt Darius Medus, qui regnat anno uno poſt Baltaſſarem? Danielis 5. 6. & 9. dico eum eſſe Ciaxarem Aſtiagis filium, cujus meminit Xenophon, tametſi enim Medus jam nihil erat, niſi Cyri præfectus quidam, aut Regulus, placuit tamen Cyro honorare illum titulo Regni Babylonici, quod conſanguineus & ſenior eſſet. Vide Joſephum lib. 10. antiquitatum, cap. 12. & Hieronymum in Danielem.

Annos Regum Perſarum deſcripſimus ex Diodoro lib. 11. 13. & 17. item ex Herodoto lib. 2. & 3. & ex Euſebio : ſed ubi non conveniunt Diodorum ſecuti ſumus.

Alexander Magnus anno 7. Regni ſui Macedonici expugnavit Darium, & tranſtulit Monarchiam Perſarum ad Græcos, deinde cùm imperaſſet adhuc annos quinque tandem mortuus eſt anno 33. ætatis, 12. Regni, & 6. Monarchiæ, poſt cujus obitum diviſa eſt Monarchia in plures Reges. Vide Diodorum lib. 17. & 18. & Joſephum lib. 12. antiquitatum.

Sapientes Gentium, Orpheus, & Linus temporibus Judicum dicuntur floruiſſe. Homerus tempore Salomonis Regis Hieruſalem. Thales tempore Joſiæ Regis. Septem Sapientes ad finem captivitatis. Æſopus eodem tempore, Pythagoras tempore Cyri. Herodotus tempore Xerxis, Socrates, Euclides, Xenophon, Pindarus, & Simonides tempore Artaxerxis. Plato, Iſocrates, Demoſthenes, Æſchines, Ariſtoteles tempore Ochi, & ſucceſſorum.

Theophraſtus, Zeno, Epicurus & Menander tempore Ptolemæi Lagi.

A Seleuco numerant libri Machabæorum annos Græcorum. Euſebius.

Demetrius Rex Aſiæ a Seleuco captus Imperio privatur : ita remanent tres tantùm Alexandri ſucceſſores. Euſebius.

Duces

Anni Mun	*Duces Judæorum.*	*Reges Macedoniæ.*	*Reges Ægypti.*	*Reges Syriæ.*	*Varia.*
3703			Ptolemæus Philadelphus 38		*Res Romanæ.*
3705		Ptolemæus Ceraunus 1			Roma condita est 11. Kal. Maji Plutar. in Romulo, & Eutropius lib. 1. Olympiade 7. anno 1. Solinus cap. 2. Clemens Alexand. strom. 1. Dionysius Halicarnass. pagina 58. ex quo sequitur conditam eam fuisse an. 12. Achaz, mundi 3233. nam Olympiades cœperunt anno 4. Joathan, mundi 3239.
3706		Meleag, m. 2. Antip. d. 45. Sosten. 2.			
3708		Antigonus, ann. 36		Antiochus Soter. 19	Regnatum est Romæ annis 244. Livius, & Dionysius Halicarn. nimirum regnavit Romulus an. 37. interregnum fuit anno 1. Numa Pompilius regnavit ann. 43. Tullus Hostilius 32. Ancus Martius 24. L. Tarquinius Priscus 38. Servius Tullus 44. L. Tarquinius superbus 25.
3727				Antiochus Theos. 15	
3732	Jo. Hircanus. 17.				
3742			Ptolemæus Evergetes ann. 26	Seleucus Gallinic. ann. 20	
3744		Demetr. ann. 10			Consules cœperunt an. mundi 3478. Olympiade 68. anno 15. Darii Idaspis. Duravit regimen consulare usque ad Imperium Julii Cæsaris annos 462.
3754	Interregnũ apud Judæos.	Antigonus, ann. 15			
3762				Seleucus Ceraunus ann. 3	Secessio plebis in sacrum montem, & creatio prima Tribunorum, accidit ann. 261. ab Urbe condita, anno mundi 3495. Olympiade 72. Liv. lib. 2.
3765				Antiochus Magnus ann. 36	Magistratus Decemvirorum cœpit an. Urbis conditæ 303. duravit vix tres annos Liv. lib. 3.
3767			Ptolemæus Philopator an. 17		
3769		Philip. 42			
3783			Ptolemæus Epiphanes ann. 24		Dictatorum prima creatio facta est anno Urbis 253. creato T. Largio. Liv. lib. 2.
3801				Seleucus Philopator ann. 12	
3806			Ptolemæus Philometor an. 35		Tribuni Militares Consulari potestate cœperunt anno Urbis 311. Roma capitur à Gallis anno Urbis 363. Dionys. lib. 1. Liv. lib. 5.
3811		Perses. 10			Bellum Romanorum cum Pyrrho Rege anno Urbis 473. Liv. lib. 13.
3813				Antiochus Epiphan. ann. 11	
3821		Regnum Macedon. deficit.			Romani ingressi sunt mare, & primum bellum Punicum gesserunt Olympiade 129. anno Urbis 489. mundi 3723. Polybius lib. 1. durat 22. annos. Eutropius lib. 3.
3822	Matathias an. 1				
3823	Judas Machabæus. 6				Initium secundi belli Punici fuit Olympiade 140. anno Urbis 537. mundi 3771. Polyb. lib. 3. duravit ann. 17. Liv. lib. 30.
3824				Antiochus Eupator. 2	Bellum Romanorum cum Philippo Rege Macedoniæ cœpit anno Urbis 554. mundi 3788. finitum est anno 3821. capto Perse Rege à L. Æmilio Paulo. Vide Livium lib. 44. & 45.
3826				Demet. Soter. 12	
3829	Joathan ann. 19				Bellum Asiaticum feliciter confectum est a L. Scipione Afric. Scipionis fratre contra Antiochum magnum Regem Syriæ an. Urbis 564. mun. 3829. vide Liv. l. 37.

Anni Mun	*Duces Judæorum.*	*Reges Ægypti.*	*Reges Syriæ.*	*Varia.*
3838			Alexander ann. 10.	Bellum Punicum tertium cœpit anno Urbis 602. mundi 3836. finitum est intra quinquennium à Scipione Africano minore. Florus lib. 49. & 51. Eutrop. lib. 4.
3840		Ptolemæus Everget. 29		
3848	Simon. 8		Demetrius alius. 3	
3851			Antiochus Sedetes. 9	
3856	Joann.Hircanus. 26			Bellum Numantinum anno Urbis 620.
3860			Demetrius iterum. 4	
3864			Antiochus Griphus seu Triphon. 12	Bellum Jugurthinum anno Urbis 643. mundi 3877. vide Salustium. Bellum Cimbricum ante Jugurthinum cœpit, sed post Jugurthinum finitum est à C. Mario.
3868		Ptolemæus Phiscon. 17		
3876			Antiochus Cizicenus ann. 18	Antiochum hunc Pompejus Regno spoliavit. Appianus Alexandrinus in Syriacis.
	Reges Judæorum.	*Reges Ægypti.*	*Reges Syriæ.*	
3882	Aristobol. 1			Aristobolus primus post Regem Sedechiam, diadema sibi regium imposuit. Joseph lib. 15. antiquit. cap. 18.
3883	Janneus Alexander an. 27			
3884		Ptolemæus Alexand. 10		
3894		Ptolemæus physcon iterum. 8	Philippus. 2	
3902		Ptolemæus Dionysius 30	Regnum Syriæ deficit.	Philippo à Gabinio capto cessat Regnum Syriæ. Eusebius in Chronico.
3910	Alexandra. ann. 9			
3919	Hircanus. ann. 34		*Imperatores Romani.*	Post mortem Alexandræ contendentibus filiis ejus Aristobulo, & Hircano de Regno, Pompejus Judæos tributarios fecit, & Aristobulum quidem Romam captum adduxit, Hircano Pontificatum confirmavit; procurationem Provinciæ Antipatro tradidit, cujus filius Herodes postea ad Regnum pervenit. Joseph lib. 14. antiquit.
3932		Cleopatra. 22		
3937			Julius Cæs. 4	
3941			Interregnum, ann. 1. & m. 6.	
3942			Octavianus August. cum Triumviris ann. 12. sol. 44. Sveton.	
3953	Herodes Ascalonita 37	Regnum Ægypti deficit.		
3984				
3990	Archelaus. ann. 9			
3998	Herodes Antipas annos 24		Tiberius ann. 22. m. 6. d. 26. Svet.	
4013				
4016				
4022	Agrippa. 7			
4029	Agrippa Junior. 26			
4055	Regnum Judæorum deficit.			

Ann. Dō.	CHRISTUS.	*Varia.*
1	Jesus nascitur.	
7	Jesus redit ab Ægypto.	Hierusalem capta, & destructa est anno 2. Vespasiani, 73. Christi, 4056. mundi. Perierunt partim gladio, partim fame undecies centena millia Judæorum: & alia centum millia capta, & vendita sunt. Josephus, & Eusebius.
15		
31	Jesus baptizatur.	
34	Jesus moritur, & resurgit.	
39		
46		
72		

CHRO-

CHRONOLOGIÆ

Pars Altera; ab anno Domini 1. *ad* 1612.

Anni Dō.	*Pontifices.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
0		Julius Cæsar ann. 4			Anno 42. Augusti inchoante nascitur Jesus Christus: Nam ann. 15. Tiberii compleverat Jesus ann. 30. Luc. 3. ergo ann. 1. Tiberii compleverat Jesus ann. 15. ergo si demas ex annis Augusti quindecim annos, concurret annus primus Christi cum anno 42. Augusti.
0		Augustus. an. 56			
17		Tiberius. ann. 22. men. 6			
34	S. Petrus ann. 35. m. 3				
39	S. Petrus Antiochiæ. 7	Cajus. ann. 3. men. 10	S. Petrus. S. Paulus. S. Matthæus.	*Simon magus primus hæresiarcha, existimavit donum Dei pecunia possideri. Act. 8. docuit præterea mundum non esse creatum à Deo: se esse Deum, qui in Samaria apparuit, ut Patrem, in Judæa ut filium, in gentibus ut Spiritum sanctum; non esse liberum arbitrium: non esse necessaria opera bona: Animas migrare de corpore in corpus. Vide Irenæum lib. 1. cap. 20.*	Christus mortuus est, & resurrexit, & Petrum Ecclesiæ præfecit, anno suo 34. Scribit enim Beda lib. de ratione temporum cap. 45. Fidem Ecclesiæ habere, vixisse Christum in carne mortali paulò amplius triginta tribus annis.
43		Claudius. ann. 13. men. 8	S. Joannes. S. Jacobus. S. Judas.		
44	S. Petrus Roman. 25		S. Marcus. S. Lucas.		Concilium primùm Hierosolymitanum sub S. Petro ann. Dom. 51.
57		Nero an. 13. men. 7	Philo.		Persecutio 1. sub Nerone.
70	Linus. 11	Galba. m. 7. d. 25.	Josephus.		Eusebius in Chronico scribit, Neronem imperasse annis 14. m. 8. sed non ita est, imperavit enim annis 13. men. 7. ex Svetonio, Dione, & aliis. Proinde S. Petrus non fuit crucifixus anno 14. Neronis, ut S. Hieronymus Eusebium secutus scripsit, in lib. de Script. Eccl. sed anno 13. alioqui martyrium S. Petri non contigisset die 29. Junii, ut Ecclesia celebrat. Obiit enim Nero die 10. Junii anni 14.
71		Otho. m. 3. Vitellius. m. 8		*Menander, Saturnius, Basilides Discipuli Simonis Iren. lib. 1. cap. 21. & 22.*	
72		Vespasianus. an. 9. m. 11		*Nicolaus unus ex septem primis diaconis, docuit licere fornicari, & vesci idolothytis. Iren. l. 1. cap. 27. Alii tamen existimant Nicolaum diaconum fuisse virum probum, sed Nicolaitas, qui arguuntur Apoc. 2. & qui ea docebant, fuisse hæreticos falso nomine Nicolaitas dictos. Vide Eusebium lib. 3. hist. cap. 3.*	
81	Cletus. 12	Titus ann. 2 men. 2			
83		Domitianus. ann. 15. men. 15	Hermes.		
93	Clemens. 9		Clemens.		Anno 2. Vespasiani Hierusalem capitur, incenditur, evertitur, ut non remaneret in ea lapis super lapidem, juxta prædictionem Domini Luc. 19.
99		Nerva. ann. 1. men. 4	Ignatius. Polycarpus.		
100		Trajanus. an. 19. m. 6	Dionysius Areopagita.		
103	Anacletus. an. 9. m. 3			*Cherinthus, & Ebion ejus discipulus, Jesum esse purum hominem ex Joseph & Maria natum docuerunt. Iren. lib. 3. cap. 3. & lib. 1. cap. 25. & 26.*	Secunda persecutio sub Domitiano.
112	Evaristus. an. 9. m. 3				Domitianus, qui se Dominum ac Deum haberi, & dici volebat, miserè confoditur.
120		Hadrianus. ann. 10. men. 11	Aquila interpres Scripturæ.		Persecutio tertia sub Trajano. Hic Trajanus vir optimus existimatus est ab infidelibus, ita ut acclamarent novis Principibus, Augusto felicior, Trajano melior, Eutropio teste; fuit tamen vino deditus, & puerorum amoribus, Dione teste, qui illa vitia non agnoscebant, cum sint enormia, & contra naturam.
121	Alexander. an. 10. m. 5			*Chiliastæ, qui docent, Sanctos regnaturos mille annis post resurrectionem cum Christo in terris, cœperunt tempore S. Joannis per Papiam ejus discipulum. Vide Euseb. lib. 3. hist. cap. 39.*	
132	Sixtus ann. 10 men. 1		Justinus.		
140		Antoninus. ann. 22. men. 8	Melito.		

Anni Dõ.	*Pontifices.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	*Hæreſiarchæ.*	*Varia.*
142	Teleſphorus. ann. 11. men. 9		Athenagoras	*Gnoſtici auctore Carpocrate ſecundùm Irenæum lib. 1. cap. 24. vel Nicolao, ſecundùm Epiphanium hæreſi 20. vel Valentino, ſecundùm Hieronymum in lib. de Script. Eccl. docuerunt, Animam eſſe de ſubſtantia Dei. Unum eſſe Deum bonum, alterum malum, & alia id genus, vide Auguſtinum hæreſi 6.*	Perſecutio quarta ſub Antonino.
154	Hyginus ann. 4		Theophilus. Antiochenus		
158	Pius ann. 9. m. 6		Egeſippus.		Hoc tempore quæſtio de Feſto Paſchæ celebrando die Dominico, an cum Hebræis decima quarta Luna, diù Eccleſiam vexavit.
163		M. Aurel. L. Verus ann. 19	Tatianus.		
167	Anicetus an. 8. m. 9		Irenæus.	*Carpocrates docuit, Jeſum Chriſtum ex Joſeph natum, mundùm ab Angelis factum, nihil eſſe bonum, vel malum niſi opinione hominum. Omnia opera eſſe exercenda, quamvis peſſima, & toties animam ad corpus, quaſi ad carcerem redituram donec expleat, juxta illud, non exies inde donec reddas noviſſimum quadrantem. Iren. lib. 1. cap. 24.*	
175	Soter. 5				
179	Eleutherius. ann. 15. d. 23		Hippolitus.		Lucius Rex Britannorum ab Eleutherio Pontifice petit, & impetrat, qui eum cum ſua gente Chriſtianum faciant. Beda, Ado, & alii in Martyrologio, & Tertullianus lib. adverſus Judęos c. 7
182		Commodus. ann. 12. men. 9			
194	Victor. ann. 9. men. 1				
195		Pertinax. m. 3. Didius Julianus m. 2. Severus. ann. 17. m. 8		*Cajani inde dicti ſunt quod Cajanum, Judam, Sodomitas, Chore, Dathan, & Abiron, ſalvatos eſſe dicunt, negant carnis reſurrectionem. Iren. lib. 1. cap. 35.*	Quinta perſecutio ſub Severo, qui annis ferè decem Chriſtianos pacem habere permiſit. Sed poſtea crudeliter occidi mandavit.
203	Zephirinus. an. 18. d. 18		Tertullianus.	*Valentinus innumeras fabulas invenit, de quo vide Iren. lib. 1. cap. 1.*	
213		Antoninus Caracalla. ann. 6. men. 2		*Marcion duo principia poſuit, unum bonum, alterum malum. Irenæus lib. 1. cap. 29.*	Heliogabalus, & Severus adoleſcẽtes conſobrini, unus poſt alterum Imperium rexit, illo nihil turpius, & nequius: iſto nihil juſtius, & ſanctius, ſi fides ei Chriſti non defuiſſet. Ubique ſcribi jubebat: Quod tibi non vis alteri ne feceris.
219		Macrinus. an. 1. m. 2		*Hermogenes poſuit materiam Deo coæternam; & in Deo unam tantùm eſſe perſonam. Tertullianus lib. contra Hermogenem.*	
220		M. Aurel. Antonin. Heliogabalus. ann. 3. men. 9	Julius Africanus.	*Montanus phrix, unde Cataphrigæ aſſeruit ſe paracletum eſſe & plurimos ſeduxit, inter quos ipſum etiam Tertullianum. Epiphanius hæreſi 48. Auguſt. hæreſi 20. & 86.*	
221	Caliſtus an. 6. men. 1		Minutius Felix.	*Origenes ex philoſophia Platonis deceptus multa docuit contra fidei veritatem, præſertim de inæqualitate divinarum perſonarum; de origine animarum, de reſurrectione corporum; de ſalvatione dæmonum. Vide Epiph. hæreſi 64. & Hieron. ad Avitum, & ad Pamachium de erroribus Origenis, & quintam Synodum generalem.*	
224		Alexander Sever. an. 13	Origenes.		
227	Urbanus an. 6. m. 7		Ammonius Alexand.		
233	Pontianus an. 5		Gregor. Taumaturgus.		
237		Maxim. an. 3		*Helcheſeitæ docebant, licitum eſſe fidem ore negare modo in corde retineretur: vide Euſeb. lib. 6. hiſt. cap. 28.*	Sexta perſecutio ſub Maxim.
238	Anter. an. 1				
239	Fabianus ann. 14				Fabianus deſcenſu columbæ cœlitus miſſæ declaratus fuit à Deo Pontifex futurus. Euſeb. lib. 6. hiſtor. cap. 22.
240		Maximus & Balbinus an. 1		*Rebaptizantes in Africa, Agrippino, qui ſanctum Cyprianum in Epiſcopatu Carthaginenſi præceſſit, auctore exorti ſunt, docuerunt baptizatos ab hæreticis, iterum eſſe in Eccleſia baptizandos, & quamvis Agrippinus, & S. Cyprianus hæretici appellari non poſſint, cùm*	
241		Gordianus. ann. 5			

Pon-

Anni Dõ.	*Pontifices.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
246		Philippus. an. 6	Cornelius Cyprianus.	*Ecclesiæ communionem nunquam reliquerint: tamen posteri eorum Donatistæ qui pertinaciter anabaptismum defenderunt, merito hæretici habiti sunt: vide S. August. lib. 2. de baptismo contra Donatistas.*	Septima persecutio sub Decio Imperatore, quam continuarunt Gallus, & Volusianus.
253		Decius. an. 1. men. 3	Pontius Diaconus.		
254	Cornelius. ann. 2	Gallus, & Volusianus ann. 3	Dionysius Alexandrin.		
255	Lucius ann. 1. men. 8			*Novatiani à Novatiano presbytero Romano, & à Novato presbytero Carthaginensi dicti sunt, docuerunt non esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata post baptismum commissa neque esse baptizatos sacro chrismate confirmandos, & secundas nuptias esse illicitas: vide Epiphan. hæresi 59. & August. hæresi 38.*	Primum schisma in Rom. Ecclesia Novatiani antipapæ contra Cornelium.
257	Stephanus. ann. 3. men. 3	Valerianus & Gallienus ann. 8			Gothi Rom. Imperium infestare incipiunt.
260	Sixt. II. an. 1.		Zeno.		
261	Dionysius. an. 11. m. 3		Victor Pictabionensis.		Octava persecutio sub Valeriano quem Sapores Rex Persarum à se captum vilissimè habuit, ut etiam dorsum ejus calcaret cùm equum ascendere vellet.
263		Gallienus solus ann. 7		*Sabelius Noeti discipulus docuit Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum esse unam personam sed nomina tria. Epiphan. hæresi 57.*	
269		Claud. an. 3			
271		Aurelianus. ann. 6		*Paulus Samosatenus Episcopus affirmavit, Christum non esse Deum, sed hominem tantum, Circumcisionem servandam, non baptizandum in nomine trium personarum divinarum. Epiphanius hæresi 61. Augustinus hæresi 44.*	
273	Felix ann. 2. men. 5				Nona persecutio sub Aureliano, vel ejus Præfectis.
275	Eutychianus ann. 8. men. 6. d. 4.				
278		Tacitus m. 6 Florian. m. 2		*Manes, sive Manichæus ann. 4. Aureliani agnosci cœpit, docuit duo esse principia coæterna, unum bonum, alterum malum: nihil esse verè spirituale, sed omnia esse corporalia, hominem non esse liberi arbitrii, & omnium peccatorum causam esse naturam mali principii: Manichæum esse Spiritum sanctum paracletum, quem Christus promisit, carnem & vinum esse res immundas natura sua: & ideò ab iis abstinendum esse. Animas migrare de corpore in corpus. Vetus Testamentum esse à malo principio, & ideo rejiciendum. Vide Epiphanium hæresi 66. & Augustin. hæresi 46.*	Probus Imperator fortissimus à Chroco Rege Alemannor. Gallias liberat cæsis quadringentis millibus hostium. Vopiscus; & tunc simul Ecclesia Gallicana post longas persecutiones aliquantulum requievit.
279		Probus an. 5			
284	Cajus. ann. 12. men. 4	Carus cum filiis Carino, & Numeriano. ann. 2	Arnobius Afer.		
285		Diocletianus, & Maximianus. ann. 20	Lactantius Firmianus.		Gregorius Turonicus lib. 1. cap. 32.
297	Marcellinus ann. 8		Euseb. Cæsariensis.		Carus Imperator, quamvis Ethnicus, Ecclesiam Tessalonicensem à tributis immunem facit l. 8. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.
304	Marcellus. ann. 5. men. 1. d. 25.	Constantius & Galerius ann. 3	Methodius Martyr.		
306		Constantin. Magnus ann. 31	Juvencus Presbyter.		Diocletianus Carino devicto, Maximianum collegam assumit an. Imperii tertio.
309	Eusebius an. 2. men. 7		Antonius Abbas.	*Donatus initio schisma fecit, postea hæresim condidit, docuit rebaptizandos baptizatos ab hæreticis. In sola Africa, & in sola parte Donati esse Ecclesiam. Augustinus hæresi 69.*	Decima persecutio sævissima sub Diocletiano, & Maximiano qui nihilominus cùm non possent prævalere, deposuerunt Imperium, tradentes illud Constantio, & Gallerio, Gallerius, Maximinum, & Licinium Imperatores fecit; & Romæ Maxentius, Maximiani filius, Imperium assumpsit: sed brevi omnibus extinctis, solus Constantinus feliciter totum orbem Romanum diu tenuit.
311	Militiades. ann. 2. men. 2		Pachomius. Macharius. Oresiesis.		
314	Sylvester an. 21. men. 10			*Arius presbyter Alexandrinus docuit, filium Dei esse creaturam, non esse coæternum Patri, non esse coessentialem Patri, Christum hominem non habere animam: sed ejus loco esse Verbum. Epiphan. hæresi 69. Augustinus hæresi 49. Theodoretus lib. 4. de fabulis hæreticorum.*	
325			Athanasius.		
336	Marcus m. 8		Serapion.		
337	Julius. ann. 15 men. 5	Constantin. Junior. an. 4 Constans. an. 13 Constantinus. an. 24	Julius Firmicus. Lucifer Cal. Arius. Victorinus. Hilarius.	*Photinus Sirmiensis Episcopus docuit, Christum non esse Deum sed purum hominem, Deum non esse trinum. Epiphan. hæresi 71.*	Concilium generale primum Niceæ habitum 318. Episcoporum, in quo Arius damnatus fuit.
352	Liberius an. 15 men. 4		Greg. Betic. Sebadius. Pacianus. Didymus.	*Macedonius Episcopus Constantinopolitanus docuit Filium quidem Dei esse Patri per omnia similem, sed Spiritum sanctum esse creaturam. Epiphan. hæresi 78. Augustinus hæresi 52.*	Persecutio XI. sub Constantio Ariano. Schisma secundum Felicis cum Liberio: sed uterque aliquo tempore legitimus fuit.

Anni Dõ.	*Pontifices.*	*Imperatores.*		*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
358	Felix II. an. 6 m. 3. vivente Liberio.			Optatus. Titus Bostr. Cyrillus Hierosolym.	*Ætius, & Eunomius ejus discipulus docuerunt, Filium Dei esse omnino dissimilem Patri, Spiritum sanctum esse creaturam Filii. Opera non esse necessaria, sed fidem solam sufficere ad salutem. Basilius lib. 1. & 2. in Eunomium. August. hæresi* 54.	Persecutio XII. sub Juliano, atrox sed brevis.
361		Julianus an. 2. men. 9		Ephrem. Basilius. Gregorius		
364		Jovianus men. 7. d. 20		Nazianzen.		
		Imperat. Occident.	*Imperator. Orient.*	Andreas Cæsar. Epiphan. Philo Carphatius.		
364		Valentinianus ann. 12.	Valens ann. 15	Ambros. Mediolan. Philastr.	*Ætius, quia Episcopatum obtinere non potuit, docere cœpit, Episcopos, & presbyteros esse omnino æquales; addidit, non esse orationes, & sacrificia offerenda pro defunctis, non esse servanda jejunia, & festa ab Ecclesia indicta. Epiphan. hæresi* 75. *Augustinus hæresi* 53.	Persecutio XIII. sub Valente Ariano.
367	Damasus an. 17. men. 3.			Idacius. Gregor. Nyssen. Amphilochius. Hieronymus.		Schisma III. Ursicini contra Damasum.
375		Gratian. an. 8. & Valentinianus Junior ann. 17.		Theophilus Alexandrin. Dorotheus. Diadochus. Ruffinus.	*Apollinarius Laodicenus grammaticus, & poeta melior, quàm Theologus: docuit Verbum Dei accepisse carnem humanam sine anima rationali: divinas personas esse inæquales, magnum videlicet esse Spiritum sanctum, majorem Filium, maximum Patrem. Epiph. hæresi* 77. *Augustinus hæresi* 55.	Secunda Synodus generalis, prima Constantinopolitana contra Macedonium, & alios negantes divinitatem Spiritus sancti.
379			Theodosius ann. 17	Palladius. Gaudentius. Prudentius.		
381				Chromatius.		
385	Syricius. ann. 13. men. 3			Jo: Chrysostom. Severianus. Augustinus.		
395		Honorius ann. 28. m. 3	Arcadius ann. 13. men. 3	Maxim. Ausonius. Synesius. Paulinus. Sulpitius.	*Vadius, Anthropomorphitarum auctor docuit, Deum habere formam humanam. Epiphan. hæresi* 70.	
398	Anastas. an. 4. m. 1.			Lucianus. Orosius. Sedulius. Cyrillus Alexandrinus.	*Helvidius docuit, B. Virginem post Christi nativitatem, habuisse ex Joseph alios filios. Hieronym. contra Helvidium.*	Circa hæc tempora S. Augustinus instituit Ord. Clericorum Regularium, qui simul cum ipso vitam communem agebant.
402	Innocent. an. 15. men. 1			Theodorus. Proclus. Eucherius.	*Priscillianus docuit, animas esse ejusdem substantiæ cum Deo, mundum creatum à Principe maligno, & alia multa stultissima. Augustinus hæresi* 70.	
408			Theodosius Jun. ann. 43	Claudianus. Sidonius. Joan. Cassianus.		Anno 410. Roma capta est ab Alarico Rege, anno 1102. ab ejus conditione.
417	Zozimus an. 1. m. 4			Vincentius Lirinensis. Socrates. Asterius.	*Jovianus docuit, peccata esse paria, præmia Sanctorum esse æqualia, virginitatem non præstare conjugio, & alia. Augustinus hæresi* 82.	
419	Bonifac. ann. 4. men. 10					Schisma IV. Eulalii contra Bonifacium.
424	Cælestin. an. 8. m. 5				*Vigilantius docuit non esse honorandas reliquias Sanctorum, inanem esse invocationem Sanctorum. Hieron. contra Vigilant.*	Hoc tempore conditur civitas Venetiarum Anno Domini 421.
425		Valentinian. III. ann. 30.			*Pelagius Brito monachus anno Domini* 415. *cœpit docere, peccatum originale non esse in hominibus: sine Dei gratia posse impleri omnia mandata & alia. Augustinus hæresi* 88.	
432	Sixtus III. ann. 7. m. 11.					Tertia Synodus generalis habetur Ephesi, an. Domini 431. contra Nestorium.
440	Leo Magnus an. 20. m. 11.					

Pon-

Anni Dõ.	*Pontifices.*	*Imperator. Occid.*	*Imperator. Orient.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
451			Marcian. an. 6. m. 6		*Nestorius Episcopus Constantinopolitanus an.* 430. *cœpit docere B. Virginem non esse matrem Dei, & in Christo duas esse personas, alteram divinam, alteram humanam. Theodor. lib. 4. de fabulis hæret. & Prosper in Chronico.*	Attila Rex Hunnorum, flagellat Italiam.
455		Maximus. mens. 3 Avitus, m. 10.		Sozomenus. Nilus. Simeon Stilita. Hilarius Arelatens. Prosper. Petrus Chrisologus.		
457		Majoranus. an. 4.	Leo. ann. 18.			
461	Hilarius. ann. 6. m. 10.	Severus. ann. 5			*Eutyches Abbas, ut Nestorio contradiceret, docuit in Christo unam esse personam, & unam naturam. Evagrius l.* 1. *cap.* 9. *& lib.* 2. *c.* 4. *Atque hæ duæ hæreses usque in nostra tempora durant in partibus Orientis.*	Quarta Synodus generalis habetur Chalcedone, ann. 451. contra Eutychetem, & Dioscorum.
467		Anthemius an. 6				Vesuvius mons Campaniæ qui anno primo Titi Imper. ingentem copiam minutissimi pulveris evomuerat, teste Svetonio, & aliis: iterum hoc tempore, ann. 471. ita immensam copiam evomuit, ut totam ferè Europam obtenebraret. Marcellinus, & alii: & non diu postea tempore Theodorici Regis Italiæ idem accidit: quam eruptionem pulchrè describit Cassiodorus lib. 4. variarum, epist. quinquagesima.
468	Simplicius. an. 15 mens. 5.			Isidorus Pelusiotes. Arnobius Junior. Theodorus. Salvianus. Salonius. Faustus. Æneas Gazæus. Victor Uticensis. Cerealis. Gennadius. Julianus. Pomerius. Gilda Sapiens. Gelasius Cizecenus.		
473		Olibrius. mens. 7			*Pacificantes dicti sunt, qui auctore Zenone Imperatore, unionem quamdam facere volebant inter Catholicos, & Eutichianos. Vide Evagrium lib.* 3. *cap.* 14. *&* 30.	
474		Glicerius. ann. 1	Zeno. an. 18.			
475		Julius nepos menses paucos Momyllius Augustulus. m. 10.				
476		Odoacer Rex Italiæ. an. 16	Basiliscus occupat imperiũ, & tenet annis ferè duobus, deinde iterum imperat Zeno.		*Petrus Gnapheus Episcopus Antiochenus, ad errores Eutychetis addidit, ut in trisagio poneretur crux, videlicet Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, qui crucifixus es pro nobis. Ex quo videbatur sentire, totam Trinitatem fuisse crucifixam. Vide Io: Damascenum lib.* 3. *de Fide cap.* 10. *& in epistola de trisagio, & epist. Felicis PP. III.*	In Augustulo defecit Imperium Occidentale, ut in Augusto cœpit. Julius enim Cæsar Dictator perpetuus fuit, non propriè Imperator, quamvis reipsa imperaret. Odoacer etiam, & Theodoricus non Imperatores, sed Reges Italiæ dici voluerunt.
483	Felix III. ann. 9.			Andreas Cæsar.		Hoc tempore persecutio Vandalica in Africa Catholicos crudeliter vexabat.
491			Anastas. an. 27. m. 3	Cæsarius Arelatensis.		
492	Gelasius. an. 4. m. 8.			Pascasius Diaconus. Vigilius. Fulgentius. Petrus Diaconus. Ferrandus Diaconus. Ennodius. Ruricius.		Hoc eodem tempore Imperator Anastasius Eutychianus hæreticus erat. Reges Italiæ, Hispaniæ & Africæ Ariani. Reges Francorum, Anglorum, Germanorum Pagani: & tamen Christiana Ecclesia destrui non potuit, quia fundata est super petram, & portæ inferi adversus eam non prævalebunt.
493		Theodoricus Gothus. an. 34				
497	Anastas. II. ann. 2					
499	Symmachus ann. 15. m. 8.					Schisma quintum Laurentii contra Symmachum.
514	Hormisda ann. 9			Jo: Maxentius. Avitus Alchimus.		
		Reges Ital.	*Imperator. Græci.*			
518			Justinus. an. 9. m. 2			
524	Joannes, an. 2. m. 9			Victor Africanus.		Ordo Monachorum sancti Benedicti hoc tempore incipit.

Anni Dõ.	*Pontifices.*	*Reges Italiæ.*	*Imperator. Græci.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ*	*Varia.*
526	Felix IV. an. 1. m. 2.	Athalaricus. ann. 9.		Boetius. Dionysius exiguus.		Theodoricus Rex Arianus: sed alioqui prudens, & Ecclesiæ Romanæ, & summo Pontifici multum honoris deferens, & ideò feliciter regnans, ubi Joannem Pontificem in carcerem conjecit & Symmachum ac Boetium interfecit, eodem anno miserrimè cum Regno vitam amisit.
527			Justinianus, ann. 38.	Cassiod. Victor Capuan.		
530	Bonif. II. ann. 1. d. 2.			Justus Orgelitanus.		
531	Joan. II. ann. 3.			Anastas. Sinaita.		Bonifacius secundus successorem sibi elegit Vigilium, sed cassavit paulò post electionem illam, quam sentiebat omnibus displicere.
534		Theodatus, an. 3.		Arator Subdiac.		
535	Agapitus. ann. 2.			Junilius. Primasius.		Schisma VI. Dioscori contra Bonifacium II.
537	Sylverius. ann. 3.	Vitigis, ann. 4.		Martinus Bracar.		Schisma VII. per Vigilium contra Sylverium.
540	Vigilius. ann. 15.			Procop. Gazæus.		Vigilius, qui corruptus ambitione schisma fecerat & multa malè promiserat Augustæ, mox ut legitimus Pontifex esse cœpit, à Deo mutatus constantissimè restitit Augustæ, & pro fide Catholica fortissimè dimicavit.
541		Theodobald. an. 1. Alaricus. mens. 3.		Rusticus Diacon. Joannes Climac. Victor Tunon.	*Julius Halicarnasseus auctor eorum qui docuerunt Christi corpus à Conceptione impassible: vide Jo: Damascenum in lib. de hæresibus, & Evagrium lib. 4. cap. 38. & 39.*	
542		Totila. ann. 10.		Dacius Mediolan.		
553		Thejas. ann. 1.		Liberatus Archid.		
554		Narses Eunuchus ann. 14.		Venantius Fortunatus.		Quinta Synodus generalis Constantinopolitana secunda.
555	Pelagius. an. 4. m. 10			Evagrius historicus.		Post Thejam nullus amplius fuit Rex Gothorum in Italia: sed Narses titulo Ducis eam rexit, sed paulò post irritatus ab Uxore Justiniani, Longobardos in Italiam vocavit.
560	Joan. III. ann. 13.			Dorotheus.		
566			Justinus Junior. an. 16. m. 9		*Agnoitæ auctore Temistio diacono Timothei Alexandrini Episcopi, ad errores Eutychetis, & Dioscori addiderunt, Christum ignorare diem judicii: vide Jo: Damasc. in lib. de hæresibus, & Liberatum in Breviario cap. 19.*	
568		Alboinus. ann. 2. m. 6				Alboinus Rex Longobardorum, regnare cœpit in Italia an. 568. sed brevi occisus fuit, ut etiam ejus successor Clephis, deinde per annos decem Rege caruerunt Longobardi, & Duces multi Provincias sibi diviserunt, donec iterum Autaris Rex electus est. Cæterum Longobardi numquam tota Italia potiti sunt: semper enim partem Italiæ cum ipsâ Urbe, Imperatores Græci per Exarchos tenuerunt.
570		Clephis Daphom. an. 4. m. 5				
573	Benedict. an. 4. m. 1.					
578	Pelagius II. ann. 12. mens. 3.					
582			Tiberius. ann. 5.	Joannes Biclaren.		Anno 589. inundatio Tyberis maxima, quam sequuta est pestis gravissima.
585		Autaris Flavius 7.				
586			Mauritius ann. 17.	S. Gregorius Turonicus.		
590	Gregorius an. 13. m. 6 d. 9.			S. Gregorius Papa. Isichius Hierosolymitan.	*Jacobus Syrus docuit candenti ferro inurendam frontem baptizatorum. Nicephorus lib. 18. c. 45.*	S. Gregorius Papa missis in Angliam Sanctis Monachis, Augustino, & Sociis, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, magnam partem Anglo-Saxonum à Paganismo ad Fidem Christi convertit, merito à Beda vocatus Apostolus Anglorum.
591		Agilulphus. ann. 25.		Joannes Jejunator.		

Pon-

Ann. Dō.	Pontifices.	Reges Italiæ.	Imperator.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
603			Phocas. ann. 8.			
605	Sabinianus. menf. 5. d. 19.				*Jo: Philoponus tritheitarum auctor fuit, qui tres perfonas divinas, tres Deos effe voluit. Nicephorus lib. 8. cap. 46. & 48.*	
606	Bonifac. III. menf. 8. d. 23.					Sub hoc Pontifice templum Agrippæ, quod Pantheon dicebatur, confecratum fuit B. Mariæ Virgini, & omnibus fanctis Martyribus, Romæ, Phoca Imperatore confentiente.
607	Bonifac. IV. ann. 8. m. 6. d. 13.				*Armeni fequebantur errores Eutychianorum & multa addebant, vide Niceph. lib. 18. cap. 53. Niconem de erroribus Armenorum & Theoriani difputationem tom. 3. & 4. Bibliothecæ Patrum.*	
610			Heraclius ann. 31.			Heraclius, dum Catholicus effet à Deo protectus Perfas magnis cladibus affecit, & lignum fanctæ Crucis recuperavit; fed poftea hæreticus Monothelita factus imbellis, & inglorius infeliciffimo exitu periit.
615	Deufdedit. ann. 3.					
616		Adaluvaldus. ann. 10.				
618	Bonifac. V. ann. 7. menf. 10. d. 25.				*Monothelitæ à Ciro Epifcopo Alexandrino, & Sergio Conftantinopolitano originem ducunt: initium hujus hærefis fuit ann. 630. doctrina eorum erat in Chrifto unam tantùm fuiffe voluntatem, & unam operationem; ex quo fequebatur, unam tantùm fuiffe naturam: vide Jo: Damafcenum in lib. de hærefibus.*	
626	Honorius. an. 12. m. 5	Ariovaldus hæreticus Arianus. ann. 12.		Sophronius. Georgius Pifides.		Mahometes peftis orbis terrarum hoc tempore fectam fuam inchoavit, & anno Domini *669*. Regnum Saracenorum occupavit.
639	Severin. menf. 11.	Rotarius. ann. 16.		Joannes Mofchus.		Honorius Papa accufatur à Græcis, quòd faverit Monothelitis: fed egregiè defenditur à fancto Maximo Græco, auctore illius temporis, & Martyre.
640	Joannes IV. ann. 1. menf. 9.			Leontius. Jonas.		
641	Theodor. an. 7. m. 5.		Conftans. ann. 27.	Antioch. S. Ifidor.		
649	Martinus. an. 6. m. 3. d. 12.			S. Eligius. Berengofius.		
654	Eugenius. menf. 9. d. 23.	Rodoaldus. ann. 5.		Efaias Abbas. S. Maximus Mart.		
655	Vitalianus. ann. 14. m. 5.			S. Ildephonfus.		
660		Aripertus ann. 2.				
662		Gundipertus. ann. 1.				Ab hoc anno Regnum Francorum per magiftros domus gubernari cœpit, folo ferè nomine Regibus relicto: quod genus regiminis continuatum eft ufque ad Pipinum, id eft, ufque ad annum Domini 750. Segibertus, & alii.
663		Grimoaldus. an. 9.				
668			Conftantinus Pogonatus. ann. 17.			
669	Adeodatus. ann. 7. menf. 2.					Sub Adeodato Pontifice, ac de ejus licentia Veneti Ducem eligere incipiunt. Petrus Juftinianus lib. 1. hift. Ven.
673		Garibaldus. an. 3. Pertarith. ann. 17.				
676	Donus. an. 1. m. 5					Hoc anno cometa tribus menfibus arfit, & tribus annis fequentibus non pluit.

Pon-

Anni Dõ.	Pontifices.	Reges Italiæ.	Imperator.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
678	Agatho. ann. 4					
680				S. Julian. Toletan.		Sexta Synodus Generalis Constantinopolitana tertia, contra Monothelitas.
682	Vacat Sedes.					
683	Leo II. mens. 10. d. 8					Anno 680. post eclypsim Lunæ, gravissima pestis grassari cœpit in Urbe, quæ non cessavit, nisi altari Sancto Sebastiano Martyri erecto in Ecclesia S. Petri ad Vincula. Paulus Diaconus.
684	Benedictus II. ann. 1					
685	Joannes V. ann. 1. d. 11		Justinian. Junior. ann. 10			
687	Conon. mens. 11. d. 23			Anastasius Nicenus.		S. Kilianus Monachus Hibernus per hæc tempora Francis Orientalibus evangelizat fidem, & eorum appellatur Apostolus.
688	Sergius. ann. 13. mens. 8					
691		Cunipertus Catholicus & Pius. ann. 12				Anno 690. celebratur Synodus quinisexta, unde sunt Canones Trullani, quam Beda merito erraticam vocat: & à Sergio Papa rejectam fuisse testatur in lib. de sex ætatibus.
694			Leontius. ann. 2			
696			Absimar. Tiberius. ann. 5			
702	Joannes VI. an. 3. mens. 2					
703		Luispertus. m. 8	Justinianus Junior, iterum an. 8			Hic Aripertus restituit Alpes coctias Rom. Ecclesiæ. Paulus Diaconus, & Leo Ostiensis.
704		Regimpertus. mens. 3. Aripertus ann. 11				
705	Joannes VII. an. 2. mens. 7					
708	Sisinnius d. 20. Constantinus ann. 3. mens. 1					Constantino Pontifici Constantinopolim proficiscenti, Nicomediæ Imperator occurrens prostratus, publicè pedes deosculatur. Anastasius in vita Constantini.
711			Philippicus. an. 1. mens. 6			Per hæc tempora regnat in Anglia Ina Rex, qui annos Domini 740. Gregorii tertii 10. fecit Regnum suum vectigale Apostolicæ Sedi. Polydorus.
713			Anastas. ann. 2			

Anni Dñ.	*Pontifices.*	*Reges Italiæ.*	*Imperator.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ*	*Varia.*
715	Gregorius II. an. 16. menſ. 8		Theodoſius. ann. 1.	S. Gregorius ſecundus.	*Iconomachi, id eſt, oppugnatores ſacrarum Imaginum fuerunt ſemper Hebræi & Maumethani: nam Ezides Rex Arabum perſuaſus à quodam Hebræo malefico, in toto regno ſuo juſſit imagines e templis Chriſtianis auferri, & Leo Iſauricus alio Hebræo impulſore, edictum propoſuit, ut ubique ſacræ imagines de templis tollerentur: unde Iconomachus dictus eſt, ut teſtantur Cedren. Zonaras, Paulus Diaconus, & alii hiſtorici.*	Hoc anno contigit inundatio Tyberis maxima. Item admiranda viſio de pœnis Purgatorii, & inferni cujuſdam qui à mortuis ſurrexit, & ſcripta eſt à Sancto Bonifacio Epiſcopo, & martyre in Epiſtola, quam integrè ponit Cardin. Baronius in tomo Annalium 9.
716		Aſpirandus. m. 3. Luitprandus. ann. 30.	Leo Iſaurus Iconomachus. an. 24. m. 2	S. Anthelmus. S. Marcellinus.		
731	Gregorius III. ann. 10. menſ. 9. d. 12			S. Germanus. S. Beda.		Rachis cum ut hoſtis contra Eccleſiam Romanam armatus veniret: à Zacharia Pontifice non ſolùm placatus eſt, ſed etiam ita permotus, ut Monachus in monte Caſſino factus fuerit.
741			Conſtantinus Copronimus, Iconomachus. an. 34. m. 2	S. Joannes Damaſcenus.		
742	Zacharias ann. 10. menſ. 3			S. Bonifacius Moguntinus.		Hoc anno Pipinus auctoritate Pontificis Zachariæ Rex Francorum efficitur.
746		Hildebrandus. m. 7. Rachis an. 6.		Antonius Meliſſa.		
750		Aiſtulphus an. 6.				Schiſma Octavum per Theophilactum Antipapam.
752	Stephan. II. dies 4. Stephan. III. ann. 5. dies 28					Conſtantinus Copronimus cùm moreretur clamabat, vivens adhuc igni ſum inextinguibili traditus. Cedrenus, & alii. Notent, & horreant noſtri temporis Iconomachi.
757	Paul. ann. 10. menſ. 1 & vacat ſedes annum ũnũ.	Deſider. ultimus Longobardorum ann. 18				
768	Stephan. IV. ann. 3. menſ. 5. dies 28				*Felix Urgelitanus, & Elipandus Epiſcopus Toletanus docuerunt, Chriſtum eſſe filium Dei adoptivum, & damnati ſunt tamquam renovantes Neſtorianiſmum in Concilio Francofordienſi, & ab Hadriano Papa in epiſtola ad Epiſcopos Galleciæ. Vide Adonem in Chronico.*	Primus Epiſcopus datur Venetis ab Hadriano Papa, anno 772. Obeliatus nomine Sabellicus Ennead. 8. lib. 8.
772	Hadrianus an. 23. menſ. 10			Hadrianus Papa Primus.		Anno 774. Carolus Rex Francorum ſingulos gradus ſcalarum Baſilicæ Sancti Petri deoſculans ad Pontificem aſcendit, qui eum in atrio ſuper gradus expectabat. Anaſt.
776			Leo IV. ann. 5	Paulus Diacon.		
780			Conſtantinus cum Irena matre an. 10	Paulinus Aquilejenſis. Eginarthus.		Septima Synodus generalis, Nicena ſecunda.
787				Albinus. Alcuinus.		
		Imperator. Occident.	*Imperator. Orient.*			
790			Conſtantinus ſolus ann. 7			Anno 791. menſe Decembri inaudita contigit Romæ inundatio Tyberis à Ponte Milvio uſque ad Pontem Sancti Petri, ut etiam ſupra muros Urbis aqua elevaretur. Anaſtaſius.
796	Leo III. an. 20. m. 5					
797			Irene Sola ann. 5			Leo Papa tertius transfert Imperium Occidentale à Græcis ad Francos anno 800. in die natalis Domini, qui unus ab aliis dicitur 801. quia à natali Domini annos numerant.
800		Carolus Magnus. ann. 14.		S. Nicephorus Conſtantinopol.		

Anni Dõ.	Pontifices.	Imperator. Occident.	Imperator. Orient.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
802			Nicephorus. ann. 10.	Usuardus.	*Claudius Episcop. Taurinensis docuit non esse venerandam Crucem Domini, nec sepulchra & reliquias Sanctorum, peregrinationem ad limina Apostolorum esse inutilem. Vide Jonam Aurelianensem lib. 3. de cultu Imaginum.*	Anno 797. Constantinus Imperator ab Irene matre excæcatus est : & Sol mirabili prodigio, per dies septemdecim obscuratus mansit.
812			Michael Curopalates. an. 2	S. Ludgerus.		
814		Ludovicus Pius. ann. 27	Leo Armenius. ann. 7.	Aponius.		
816	Stephan. V. m. 7					
817	Paschalis ann. 7. mens. 3. dies 16.			S. Theodorus Studites.		
821			Michael Balbus. ann. 9.	Paschasi. Ratbertus.	*Michael Balbus Imperator, teste Cedreno, & Zonara, Resurrectionem corporum negabat, Prophetas irridibat, dæmones esse non credebat, scortationem peccatum non esse dicebat, Judam proditorem inter Beatos collocabat.*	
824	Eugenius II. ann. 3. mens. 2. dies 20.			Claudius Scotus. Jonas Aurelianens.		Schisma nonum per Zinzinum Antipapam.
827	Valentinus. dies 4.			Halitgar. Amalar.		
828	Gregorius IV. an. 16			Nithardus. Freculphus.		Theophilus Balbi successor persecutionem in Catholicos continuat, ob cultum sacrarum imaginum.
830			Theophilus. ann. 12.	Hilduinus Theodulphus. Rabanus.		
841		Lotharius ann. 15		Strabus. S. Eulogius Martyr.		Anno 840. pridie Ascensionis Domini hora nona fuit eclipsis solis maxima, ita ut stellæ cernerentur, ut in verissima nocte. Aimoinus lib. 5. cap. 19.
842			Michael cum Theodora Matre an. 25.	Haymo. Angelomus.		
844	Sergius II. ann. 3. mens. 1.			Christianus Drutmarus.		
847	Leo IV. ann. 8. mens. 3. dies 5.			Valfridus Strabo. Simeon Metaphrastes.		Inter Leonem IV. & Benedictum III. fingitur Joannes femina.
855	Benedict. III. ann. 2. mens. 6.			Lupus Abbas.		Schisma decimum per Anastasium Antipapam.
856		Ludovic. Junior. ann. 20		Photius.		Anno 848. Leo IV. Urbem Leoninam condidit adversus irruptiones Saracenorum. Ita Basilica S. Petri, quæ extra Urbem erat, intra Urbem esse cœpit.
858	Nicolaus ann. 9. m. 6. d. 20.			Nicetas David.		
867			Basilius Macedo. ann. 20.	Anastasi. Bibliothecarius. Hincmar.		Nicolai primi tempore Tyberis ex alveo suo egressus, bis Urbem gravissimè afflixit.
868	Hadrian. II. ann. 4. mens. 17					

Ann. Dõ.	Pontifices.	Imperator. Occident.	Imperator. Orient.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
869						
873	Joannes VIII. ann. 10.			Joannes Diaconus.		Octava Synodus generalis Constantinopolitana quarta, contra Photium pro sancto Ignatio Patriarcha Constantinopolitano.
876		Carolus Calvus. ann. 2.		Aimoinus.		
878		Ludovic. III. an. 1.		Ado Viennensis.		His temporibus agitur alia Synodus Constantinopolitana pro restitutione Photii, in qua vix credi potest, quanta impudentia Photius falsaverit litteras Romani Pontificis, & Legatos ejus deceperit. Vide Concilia generalia Romæ edita, anno 1611.
881		Carolus Crass. 7.				
883	Martinus ann. 1. d. 20.					
884	Hadrian. III. an. 1. m. 3. d. 19					Post Carolum Crassum magna est orta perturbatio in Imperio. Alios enim creabant Germani, alios Itali. Vide tomum decimum Annal. Cardin. Baronii.
885	Stephan. VI. an. 6					
886			Leo VI. ann. 25. mens. 3.			Imperatores Italici fuerunt Vido an. 8. Ludovicus ann. 4. Lambertus ann. 7. Berengarius ann. 8.
888		Arnulphus. an. 12.		Remigius Antisiodorensis.		
891	Formosus. ann. 4 mens. 6.			Ambros. Ansbertus.		
895	Bonifacius VI. d. 15.					Schisma undecimum Sergii antipapæ contra Formosum.
897	Stephan. VII. ann. 4.					Formosus Papa doctrina, & sanctitate insignis fuit, quicquid aliqui dicant. Id testatur Luitprandus, qui eo tempore vixit; & ex operibus ejus idipsum demonstrat Cardin. Baronius tomo 10. Annalium: quod autem in ejus memoriam peccavit ex ignorantia successor ejus Stephanus VII. reformavit postea Joannes IX.
900		Ludovicus IV. ann. 6.		Leo Sapiens Imperator.		
901	Joannes IX. an. 4.			Idiota.		
905	Benedictus IV. ann. 3.			Marcus Eremita.		
906		Conrad. ann. 7.		Rhegino Abbas.		
907	Leo V. d. 40.			Radulph. Flaviacensis.		
908	Christoph. m. 7. Sergius III. an. 2.					
910	Anastasius III. ann. 2. mens. 2.					Ordo Cluniacensis.
912	Lando. men. aliquot. Joannes X. ann. 16	Henricus. ann. 20.	Constantin. VIII. ann. 49.			Anno 925. apud Cordubam nobilissimus, & formosissimus puer Sanctus Pelagius, annorum tredecim, pro fide, & castitate fortiter pugnans, crudelissimo supplicio interficitur à Rege Arabum Habdarrhagman. Vide appendicem ad Eulogium.
928	Leo VI. mens. 7.					
929	Stephan. VIII. an. 2					

Anni Dõ.	Pontifices.	Imperator. Occident.	Imperator. Orient.	Scriptores.	Hæresiarchæ	Varia.
931	Joannes XI. ann. 5			Odo Cluniacensis.		
936	Leo VII. ann. 4	Otho an. 26. titulo Regis.				Anno 938. Sanctus Venceslaus Bohemiæ Princeps optimus à proprio Fratre necatus, inter SS. Martyres numeratur.
940	Stephan. IX. an. 3. mens. 4					
943	Martinus II. ann. 3. mens. 3. d. 13					
946	Agapitus II. an. 10 mens. 3. dies 10			Luitprandus Witichindus.		Anno 950. Ramirus Rex Legionensis fortissimus Saracenos ad internecionem delevit, prælio ingenti apud Talaveram commisso.
956	Joannes XII. an. 9			Stephan. Eduensis. Frodoardus.		
961			Roman. ann. 2.	Moses Bar-Cep.		
962		Otho idem ut Imp. 12				Hoc anno Otho primus coronatur: ideò ab hoc multi numerant annos Imperii ipsius.
963			Nicephorus Phocas. an. 7			Schisma duodecimum inter Leonem, & Benedictum, & Joannem duodecimum.
964	Leo VIII. ann. 1					Leo octavus initio non fuit legitimus Pontifex: quia creatus fuit ab Imperatore, Joanne XII. adhuc vivente. Sed mortuo Joanne, & abdicante se Benedicto, cœpit esse legitimus; sed non diu supervixit.
965	Benedict. V. ann. 1					
966	Joannes XIII. an. 6. m. 11. d. 5					
970			Joan. Zemiscis. 6			
972	Donus. ann. 1. mens. 3.					Vide sæculum infelix, in quo nulli Scriptores illustres, nulla Concilia. Pontifices parum solliciti de rep. Sed divina providentia fecit, ut nullæ surgerent hæreses novæ.
973	Benedict. VI. ann. 1. mens. 3	Otho II. ann. 10				
975	Benedict. VII. ann. 9. dies 10		Basilius, & Constantinus. ann. 50			Otho III. accusatus, quòd innocentem Comitem occidisset, adductus precibus uxoris, quæ se ab alio de pudicitia postulatam dixerat: cùm contra illa Comitem castissimum solicitasset: paratus erat & ipse occidi, nisi proceres impedivissent, & impudicam, ac injustam uxorem comburi jussissent. Vide Gothifredum Viterbiensem.
984	Joannes XIV. an. 1	Otho III. ann. 18.				
985	Joannes XV. an. 10					
995	Joannes XVI. m. 4					
996	Greg. V. an. 2. m. 8					Schisma XIII. per Antipapam Joannem contra Gregorium quintum.
999	Sylvester II. an. 4. mens. 6. dies 12					De hoc Sylvestro multa fabulantur aliqui. Sed verè fuit vir magnus doctus & pius, ut ex inscriptione sepulchri ejus, quæ extat in Ecclesia Lateranensi, cognosci potest.
1002		Henr. II. Rex, sed nondum Imp. an. 12				Sed quoniam Philosophiæ, & Geometriæ peritus erat, indoctum vulgus existimavit, necromanticum fuisse & cum Diabolo pactum habuisse.

Ann. Dō	Pontifices.	Imperator. Occident.	Imperat. Orient.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
1003	Joannes XVII. m. 5. Joan. XVIII. an. 6					Ordo Camaldulensium auctore S. Romualdo.
1009	Sergius IV an. 2. m. 8			S. Odilo Abbas.		Anno 1009. Princeps Babylonis à perfidis Judæis excitatus Basilicam Hierosolymitanam, ubi Domini sepulchrum conservatur, funditus evertit. Sed paulò post mater Principis ejusdem, quæ Christiana erat, eamdem Basilicam majori nobilitate, & splendore reædificandam curavit & Judæi undique pelli cœperunt. Glaber.
1012	Benedictus VIII. an. 12			S. Fulbert. Carnotensis.		
1014		Henricus Rex hoc anno coronatur & Imper. an. 11		S. Burchardus Vormaciensis.		
1024	Jo. XIX. ann. 10			Berno Augiensis.		
1025		Conradus II. ann. 15				
1026			Constantinus solus ann. 3			His temporibus, quibus Pontifices Romani à pietate veterum degeneraverant, Principes sæculi sanctitate florebant; talis fuit Imperator Henricus cum uxore Chunegunda: Romanus Imper. Græcus, Chnutus Rex Daniæ & Angliæ; Stephanus Rex Hungariæ cum filio sancto Emerico. Robertus sanctus, Rex Francorum, Magnus Ferdinandus, Rex Castellæ, & Legionis cum Uxore Sanctia.
1029			Romanus ann. 5			
1034	Benedict. IX. ann. 11		Michael IV. ann. 8			
1040		Henricus III. ann. 16		Glaber Rodulphus.		
1042			Michael V. ann. 1			
1043			Constantin. Monomachus an. 12			Schisma XIV. Sylvestri, & Joannis antipaparum, quibus sublatis & Benedicto nono renuntiante creatus est Gregorius VI.
1044	Gregorius VI. ann. 3					Gregorius VI. depositus fuit tamquam simoniacus à Concilio quodam Sutrino, præsente Imperatore. Sed viri gravissimi sentiunt, Concilium illud egisse, quod non poterat: & Gregorium non fuisse simoniacum, sed virum optimum. Vide Cardin. Baronium tom. 11.
1047	Clemens II. men. 9					
1048	Damasus II. d. 23. & vacat sedes ann. 1			Hermannus Contract. Humbertus Card.		
1049	Leo IX. an. 5. m. 2. d. 8.			Lambert. Schaphnaburgensis.	*Græci cœperunt quidem tempore Nicolai primi auctore Photio schisma facere: tamen hoc tempore apertissimè se ab Ecclesia Romana diviserunt, & errores suos de processione Spiritus sancti à solo Patre & de sacrificio non celebrando in azymo, & de primatu summi Pontificis, & alios defendere cœperunt. S. Antoninus summæ hist. p. 3. tit. 22.*	Leo IX. miraculis claruit. Leo Ostiensis lib. 2. cap. 88.
1055	Victor II. ann. 2. m. 3. dies 13		Theodor. Porphyrogenita an. 1. m. 9	Ingulph. Petr. Damiani. Lanfranc.		
1057	Stephanus ann. 10. m. 9	Henricus IV. ann. 50	Michael VI. ann. 1	Guitmundus. Georgius Cedrenus.		
1058	Nicolaus II. ann. 2. men. 6		Isaacius Connenus an. 4	Bertoldus. Theophilactus.		

Anni Dñi	*Pontifices.*	*Imperat. Occident.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
1061	Alexand. II. ann. 11. men. 6. d. 22		Constantinus Duca. ann. 7	Microlog. Anselmus Cantuar. Anselmus Lucensis. Jo: Curopalates. Oecumenius. Olympiodorus. Marianus Scotus. Bruno. Ivo Carnotensis. Samuel Marochianus.	*Berengarius Archidiaconus Andegavensis, docuit in Eucharistia non esse verum Christi corpus, & sanguinem: deinde cum hunc errorem revocasset, docuit cum corpore Christi esse etiam substantiam panis, addidit parvulos non esse baptizandos sed adultos tantùm. Itaque viam aperuit hæreticis nostri temporis, Zuvinglianis in primo errore, Lutheranis in secundo & Anabaptistis in tertio: tandem tamen resipuit, & in fide Catholica obiit. Vide Lanfrancum, & Guitmundum contra Berengarium: & Blondum decadis 2. lib. 3.*	Schisma XV. per Benedictum Antipapam.
1068			Romanus Diogenes. an. 4			Schisma XVI. per Honorium Antipapam, qui Cadalous dicebatur, contra Alexandrum, qui etiam miraculis claruit.
1072			Michael VII. ann. 6			
1073	Gregorius VII. ann. 12. men. 1. d. 3.					Gregorius VII. miraculis multis claruit: teste Lamberto Schaphnaburgensi.
1078			Nicephorus Boto. ann. 3			Schisma XVII. per Guibertum qui Clemens dici voluit. Ordo valis umbrosæ, auctore Sancto Joanne Gualberto.
1081			Alexius Connenus ann. 38			
1084		Henricus IV. hoc anno coronatur & Imperatoris nomen assumit.				Petrus igneus Cardinalis sic nominatus, quòd cùm esset Monachus jussu S. Joannis Gualberti, per ignem maximum illæsus transivit, ut probaret, Episcopum Florentinum per simoniam ascendisse ad Episcopatum.
1086	Victor III. an. 1				*Bogomiles auctore Basilio qui ab Alexio Conneno Imper. in theatro exustus fuit, docebant, non esse in Deo Trinitatem, Deum humana forma præditum esse, Mundum à Dæmonibus creatum, & alia: testis Euthymius in Panoplia part. 2. tit. 23.*	
1087	Urbanus II. ann. 11. men. 4. d. 18					Schisma XVIII. Alberti, & Theodorici contra Paschalem.
1099	Paschalis II. ann. 18. men. 5					
1106		Henricus V. an. 20		Leo Ostiensis. Zacharias Chrisop. Sigebertus Gemblacensis. Godefridus Vindocin. Euthym. Zigabenus. Jo: Zonaras. Rupertus Tuitiensis. Hildebertus Turonensis. Algerus.		Ordo Cisterciensis auctore Sancto Roberto.
1118	Gelas. II. an. 1. d. 4.					Ordo Canonicorum Regularium.
1119	Callistus II. ann. 5. m. 10		Jo: Connenus ann. 24		*Petrus de Bruis, & Henricus ex monacho apostata, docebant, parvulos non baptizandos, cruces conculcandas, nullum esse in Ecclesia sacrificium, non esse invocandos sanctos, nec pro mortuis orandum, & alia. S. Bernardus epist. 240. & Petrus Cluniacensis in epistola contra hanc hæresim.*	Ordo equitum S. Joannis Hierosolymitani anno Domini 1113. sub Paschali.
1125	Honor. II. ann. 5. m. 1. d. 17	Lotharius II. ann. 14				
1130	Innoc. II. ann. 13. m. 7					Concilium generale Lateranense primum anno 1119. sub Calisto II. Pontifice.
1139		Conrad. III. an. 3				Ordo Templariorum anno eodem 1119.
1143	Cælestin. II. men. 5. d. 13		Manuel. Connenus ann. 38			

Ann. Dõ.	*Pontifices.*	*Imperat. Occident.*	*Imperat. Orient.*
1144	Lucius II. men. 11. d. 14		
1145	Eugenius III. an. 8. m. 4. d. 13		
1152		Frideric. Ænobarbus. ann. 37	
1153	Anastas. IV. ann. 1. men. 4. d. 14		
1154	Hadrian. IV. ann. 4. men. 8. d. 28		
1160	Alexand. III. an. 20		
1181	Lucius III. ann. 4. men. 2. dies 28		Alexius Connenus. ann. 2
1183			Andronicus Connenus. an. 3
1186	Urbanus III. ann. 1. men. 10. d. 25		Isaacius. Angelus. ann. 10
1187	Gregor. VIII. m. 2.		
1188	Clemens III. ann. 3. men. 2. d. 26		
1191	Cælestin. III. ann. 6. m. 9. d. 11	Henricus VI. ann. 8	
1195			Alexius Angelus. ann. 6
1198	Innoc. III. ann. 18. men. 6. d. 9		
1200		Philipp. ann. 9	Balduin. Belg. an. 9
1209		Otho IV. ann. 4	Henric. an. 7
1212		Frideric. II. an. 33	
1216	Honorius III. ann. 10. men. 8		Petrus m. aliquot. Robertus ann. 11

Scriptores.

S. Bernard. Petrus Cluniac. Hugo de S. Victor. Richardus de S. Victore. Wilelm. Malmesberiensis. Ecbertus. Gratian. Petrus Lombardus. Petrus Comestor. Potho Prumien. Otto Frisingensis. Theorianus. Hugo Etherianus. Arnoldus Carnotensis. Petrus Blesensis. Petrus Cel. Arnulph. Lexov. Guillelm. Tirius. Helmold. Gothifredus Viterbiensis. Guillelmus Neubrugiensis. Rogerius Hoveden. Theodor. Balsamon. Joachimus Abbas. Innocent. Guntherus. Helinandus. Nicetas Choniates. Honorius Augustodunensis. Conradus Abbas Ursperg. S. Antonius de Padua.

Hæresiarchæ.

Petrus Abailardus, & Arnoldus Brixiensis, S. Bernardi tempore, docebant gradus esse inæquales in divinis personis: fidem sine ratione admittendam non esse, & alia id genus multa: testis S. Bernardus in epist. 190. resipuit postea, & sanctè obiit, teste Petro Cluniacense lib. 5. epistola 3. & 20.

Cathari sive Patareni hæretici docebant mundum factum esse à dæmonibus, Sacramenta nihil valere; & alia de quibus vide Jo: de Turrecremata, in summa de Ecclesia lib. 4. par. 2. cap. 35.

Valdesius, unde Valdenses, qui & pauperes de Lugduno an. 1170. docere cœpit non esse obediendum Pontifici Romano: potestatem absolvendi à peccatis, & conficiendi Eucharistiam laicis etiam esse concessam. Indulgentias nihil valere; non extare purgatorium. Sanctos non attendere precibus nostris. Festa & jejunia indicta non esse servanda, & alia. De quibus vide S. Antoninum in Summa pag. 4. art. 11. cap. 7. & Claudium Cussordium contra Valdenses.

Petrus Joannis hoc tempore docuit Christo latus perforatum adhuc viventi: animam rationalem non esse formam corporis: Ecclesiã universalem esse Babylonem de Apocalypsi: & Papam esse mysticum Antichristum. Guido Carmelita, & Bernard. de Lutzenburgh in Cathalogo hæresum.

Almaricus Doctor Parisiensis docuit legem Dei Patris durasse usque ad Adventum Christi: legem Christi usque ad Almaricum: legem Spiritus sancti usque ad finem mundi. Docuit multa alia perniciosissima. Vide Jo: de Turrecremata lib. 4. Summæ, p. 2. c. 35. & Vincentium in Speculo historiali l. 99. cap. 107.

Varia.

Ordo Præmonstratensium.
Ordo militum Theutonicorum.

Schisma XIX. Petri Leonis contra Innocentium II.

Concilium generale, Lateranense II. sub Innocentio II. an. 1139.

Hadrianus Papa quartus, natione Anglus, vir sapiens, & pius, Hiberniam Insulam Henrico secundo Regi Anglorum concessit: ea conditione, ut in ea Insula virtutes plantaret, & vitia eradicaret: ut à singulis domibus quotannis denarium S. Petro pendi curaret: ut jura Ecclesiastica illibata servaret. Extat diploma tom. 12. annal. Cardin. Baronii.

Schisma XX. Victoris, Callisti, & Paschalis contra Alexandrum.

Concilium generale, Lateranense tertium, sub Alexandro III. anno 1180.

Ordo Carmelitarum confirmatur ab Alexandro III. anno 1180. Item ab Innocentio III. anno 1199. Item ab Honorio III. anno 1216. mitigatur ab Innocentio IV. ann. 1248.

Ordo Cruciferorum dicitur confirmatus à Cælestino III. anno 1197.

Ordo Minorum confirmatur ab Innocentio III. & postea ab Honorio III.

Concilium generale, Lateranense quartum, sub Innocentio III. an. 1215.

Ordo redemptionis captivorum confirmatur ab Innocentio III.

Ordo Prædicatorum confirmatur ab Honorio III.

Pon-

Anni Dñ.	*Pontifices.*	*Imperator. Occident.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	*Hæresiarchæ.*	*Varia.*
1227	Gregor. IX. ann. 14. men. 5		Balduin. II. ultimus Latinus. 34	Raymun. de penna forti.	*Albigenses tempore Innocentii III. & fortè antea, exorti sunt, qui non solùm concionibus, sed etiam ar-*	Ordo Sanctimonialium sanctæ Claræ, quæ sequuntur regulam fratrum Minorum confirmatur.
1241	Cælestin. IV. d. 17. vacat sedes an. 2			Gulielmus Antissiod. Gulielmus Parisiensis.	*mis Ecclesiam diu vexaverunt. Errores eorum recenset S. Antoninus in Summa Theologica, p. 4. tit. 11.*	Ordo Eremitarum S. Augustini ab Innocentio IV. hoc nomen accipit, cùm antea Guillelmitæ dicerentur.
1243	Innoc. IV. an. 11 men. 5. d. 14			Jacobus à Vitriaco. Edmundus Cantuar. Innocent.	*cap. 7. quòd videlicet ponerent duo principia coæterna, unum bonum, alterum malum, more Manichæorum, & alia id genus.*	Ordo Sylvestrinorum confirmatur ab Innoc. IV. anno 1248.
1245		Imperium vacat ann. 28		Alexand. de Hæles. Hugo de S. Caro.	*Vide S. Antoninum in Summa historiali 3. part. tit. 19. cap. 1.*	Concilium generale Lugdunense primum, sub Innocentio IV. in quo deponitur Fridericus Imperator, & decernitur expeditio pro terra sancta recuperanda.
1254	Alexand. IV. ann. 6. men. 5. d. 5.			Humbertus. Matthæus Parisien.		
1261	Urbanus IV. ann. 3 men. 1. d. 4		Michael Paleologus. ann. 33	Martinus Polonus. Vincentius Bellovacensis.	*Gulielmus de S. Amore Doctor Parisiensis tempore Alexandri Papæ IV. odio religiosorum mendicantium,*	Ordo Eremitarum S. Augustini ab Alexandro IV. reducitur ad unum, & eumdem habitum, qui hodie est in usu.
1265	Clemens IV. an. 3. m. 9. d. 25 vacat Sedes ann. 2. men. 9			Guido Papa. Robertus Sorbona. Albertus Magnus.	*docuit illicitum esse omnia relinquere, nisi quis cogatur. Quod idem Desiderius Longobardus docuit, & addidit, non esse licitum instituere vel ingredi ordinem religio-*	Albigensium ad centum millia vincuntur, divino miraculo, ab octo millibus Catholicorum, Duce Simone, Comite Montis fortis. Æmilius lib. 6. histor. Francorum.
1271	Gregor. X. ann. 4. men. 4. d. 10			S. Thomas. S. Bonaventura.	*sum, qui non habeat possessiones saltem in communi. Scripserunt contra hanc hæresim S. Thom. in opu-*	
1273		Rodolph. ann. 20		Henricus Stero.	*sculo contra impugnantes Religionem, & S. Bonaventura in opusculis variis.*	Concilium generale Lugdunense secundum, sub Gregorio X. pro unione Græcorum cum Latinis.
1274				Udalricus Argentin.		
1276	Innocent. V. Ordin. Præd. m. 5. Hadrian. V. d. 19. Joannes XX. m. 8. d. 8.			Petrus de Tarant. Rupertus de Russia.	*Fraticelli auctore quodam Hermanno cum Dulcitio Novariensi, hæresim suam inchoarunt, docentes auctoritatem Rom. Ecclesiæ cessasse propter malitiam Prælatorum: se solos esse veram Ecclesiam, & perfectos ut erant Aposto-*	Mirum, cur iste Joannes Papa dici voluerit XXI. cùm nullus præcesserit. XX.
1277	Nicol. III. an. 2. m. 8. d. 29.				*li: se nulli debere obedire, & quòd secta ipsorum sit*	
1281	Martin. II. dictus IV. ann. 4. m. 1			Guido Archidiacon. Gulielm. Durant.	*immediatè à Christo: quòd omnes Pontifices à tempore S. Sylvestri fuerint prævaricatores, excepto Cælestino V.*	
1285	Honor. IV. ann. 2. dies 14.			Ægidius Roman. Raymundus Lullius	*Hæc & similia damnavit Bonifacius VIII. vide Nauclerum generat. 44. & Joannem de Turrecremata lib. 4. Summæ par. 2.*	
1288	Nicol. IV. Ordinis Min. ann. 4. men. 1. dies 2.			Richardus de media villa. Henric. de Gandavo.	*cap. 37.*	Cælestinus Papa, raro exemplo, dimissa sponte summa dignitate ad monasterium redit.
1294	Cælest. V. men. 5. d. 17. Bonifac. VIII. an. 8. m. 9. d. 18	Aistualphus ann. 6	Andronicus. ann. 40	Dinus Mugellanus. Jo: Parisiensis. Jo. Scotus.		Ordo Cælestinorum.

Pon-

Anni Dō.	Pontifices.	Imperat. Occident.	Imperator. Orient.	Reges Turcar.	Scriptores.	Hæresiarchæ	Varia.
1299		Albertus ann. 10			Auguft. de Ancona.	*Begardi, & Beghinæ, auctore Bogonato (erant autem Begardi, Monachi, & Beghinæ, Moniales, sed abfque votis) docebant, hominem poffe in hac vita fieri impeccabilem: & non teneri amplius ad jejunia, vel orationem: & in gratia crefcere non poffe, & alia id genus. Vide Alvarum de planctu Ecclesiæ lib. 2. c. 52. & Jo: de Turrecremata lib. 4. par. 2. c. 36.*	Ordo Servorum B. Mariæ.
1300				Othom. ann. 28	Barlaam Hieracenf. Niceph.		Hoc anno incipit Jubilæum, centefimo quoquo anno celebrandum.
1303	Benedict. X. dictus XI. Ordin. Prædicat. m. 8. d. 6. vacat Sedes m. 11				Calliftus. Eberard. Petrus Aureolus. Antonius Andreas.		
1305	Clemens V. ann. 8. men. 10. d. 16. vacat Sedes ann. 2				Pelagius Alvarus. Durand. Hervæus. Francifcus Maironis.		Hinc Pontifex tranftulit fedem Apoftolicam in Galliam, ubi manfit annis circiter feptuaginta.
1309		Henricus VII. an. 5.			Gulielmus Okan.		Concilium generale Viennenfe, fub Clemente V. in quo deletus fuit Ordo Templariorum.
1311					Monald. Nicolaus de Lyra. Nicephor.		
1315		Ludovicus IV. ann. 33			Gregoras. Petrus de Palude.	*Lollardus Gualterus docuit Luciferum injuftè à Deo damnatum ut teftatur Trithemius in chronico anni 1315. ubi alios etiam errores.*	
1316	Joannes XXI. dictus XXII. an. 18. m. 3. dies 18.				Jo: Villanus. Petr. Berc. GuidoCarmelita.		Anno 1327. opera Ludovici Imper. fchifma 22. factum eft Nicolai Antipapæ contra Joannem.
1328				Orchanes ann. 22	Aftefanus. Adam Goddam.		
1334	Benedict. XI. dictus XII. an. 7. men. 4		Andronicus Junior ann. 14		Landulph. Lupoldus. Jo: Andr. Bartholo-		Ordo Equitum Chrifti in Lufitania incipit
1342	Clemens VI. an. 10. m. 7.				mæus Pifanus. Jo: Calderinus.		
1348		Carolus IV. ann. 32	Calo Joannes ann. 30		Jo: de Bachone.		
1350				Sulaim. & mox Amorathes ann. 23	Albericus. Simon de Caffia. Henricus Sufo.	*Marfilius de Padua, & Jo: de Janduno multos errores docuerunt, quos damnavit Joannes XXII. in Extravaganti, quæ incipit, Licet juxta doctrinam, fumma errorum eft, quòd fanctus Petrus non fuerit caput Ecclefiæ, & quòd Chriftus folverit dydrachma neceffitate coactus, non ex condefcenfione.*	Anno 1530. Clemens Papa revocat Jubilæum ad annũ quinquagefimum.
1352	Innocent. VI. ann. 9. men. 8. d. 26				Robertus Olkot. Gregor. de Arimino. Thomas		
1362	Urbanus V. ann. 8. men. 2. d. 23				de Argentina. Franc. Petrarcha.	*Flagellantes orti quidem funt in Italia, fed in Germania maximè propagati. Docebant non poffe falvari eos qui non fe baptizarent in proprio fanguine, flagellantes fe nodofis funibus: facramenta & cætera opera bona contemnebant. Purgatorium in alia vita effe negabant. Denique plurimis erroribus laborabant. Vide Bernardum Lutzenburgenfem in Cathalogo hærefum, & Nicolaum Sanderum de vifibili Monarchia Ecclefiæ.*	Ordo Jefuatorum auctore B. Joanne Columbino Senenfe.
1371	Gregorius XI. an. 7. m. 6. d. 5				Armachanus. Nicolaus		Gregorius Papa reducit fedem ad Urbem.
1373				Bajazetes ann. 25	Cabafilas. Nicolaus Gorram.		Ordo Montis Oliveti.
1378	Urbanus VI. an. 11. m. 6. d. 5		Manuel. ann. 2		Jo:Tauler. Alphonf. Vargas.		
1380		Venceslaus ann. 22	Andronicus III. an. 39		Manuel Caleca.		

Ann. Dõ.	Pontifices.	Imperator. Occident.	Imperat. Orient.	Reges Turcarum.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
1389	Bonifac. IX. an. 14. men. 11				Jo: Rusbrochius. Henr. de Hassia.	*Joannes Wiclephus Anglus anno 1372. hæresim perniciosissimam docere cœpit: de qua vide Concilium Constantiense sess. 8. & Joannem Cochlæum in historia Hussitarum lib. 3.*	Schisma 23. omnium gravissimum, & longissimum Clementis Antipapæ contra Urbanum VI. Nam Clementi successit in schismate Benedictus XIII. cui schismati volens Concilium Pisanum remedium adhibere, illud auxit, creato Alexandro V. inde enim tres Pontifices simul sedebant: Gregorius XII. Benedictus XIII. & Alexander V. & paulò post Joannes XXIII.
1398				Josue ann. 4	Petrus de Anchara-no.		
1402		Robertus ann. 10		Musulman. ann. 2	August. de Butrio.		
1404	Innocent. VII. ann. 2. d. 21.			Moses. ann. 2	Jo: Capreolus. S. Vincent.		
1406	Gregorius XII. ann. 8. m. 7. d. 5			Maometh. ann. 13	Fr. Zabarella. Petrus ab Aliaco.	*Joannes Hus Bohemus ex libris Wiclephi hæreses hausit & propagavit in Bohemia. Errores ejus referuntur, & damnantur in Constantiensi sess. 15. Vide de hac hæresi, quæ adhuc viget, historiam Jo: Cochlæi, & Æneam Sylvium in lib. de origine Bohemorum cap. 35.*	
1409	Alexand. V. men. 10 vivente Gregorio XII.				Jo: Gers. Thomas Valdens. August. de Roma.		
1410	Jo: XXII. dictus XXIII. an. 5. dies 15 vivente Greg. XII.				Joan. de Imola. Joan. de Anania. Jo: de Ragusa.		Ordo Sancti Hieronymi, Ordo Scopetinorum, Ordo S. Georgii de Alga.
1412		Sigismundus ann. 27			Henricus Kalteisen. S. Bernardinus Senensis.		Concilium generale Constantiense, pro schismate tollendo in quo Gregorius XII. abdicavit sponte: idem paulò post fecit Joannes XXIII. Benedictus fuit depositus, sed noluit dimittere prætensam dignitatem.
1417	Martinus III. dict. V. ann. 13. men. 3. d. 10.				Jo: de Capistrano. Jo. de Polemar.	*Hussitæ dividuntur in varias Sectas. Alii enim dicuntur, Orebitæ Alii Thaboritæ, Alii Orphani, Alii Adamitæ, sive Pichardi, auctore quodam Gallo, qui dicebatur Pichardus, & Bohemos multos seduxit, dicens se esse filium Dei & vocari Adamum. Vide Æneam Sylvium de origine Bohemorum, cap. 40. 41. 43. & 47.*	
1419			Joan. Paleologus ann. 28	Amurat. Junior. ann. 23	Alphonsus Tonstatus. Flavius Blondus.		
1431	Eugeniu IV. ann. 15. m. 11. d. 21				Nicolaus Abbas. Panormit.		
1440		Albertus Junior an. 2			S. Antoninus Florẽtinus.		Schisma 25. Clemẽtis Antipapæ contra Martinum V. mortuo Benedicto XIII. anno 1424.
1441		Frederic. III. an. 54.			Æneas Silvius.		
1447	Nicolaus V. ann. 8. d. 19		Constantin. XI. an. 6	Mustapha ann. 3	Joan. de Turrecremata. Bessarion.		Schisma 26. Felicis Antipapæ contra Eugenium IV. an. 1439.
1452				Maumethus Rex Turcarum everso ImperioOriẽtali, annos 28	Andreas Barbatius. Georgius Scholarius Laonicus. Joan. Bassolius.	*Hermanus Risswich natione Batavus, tempore Alexandri VI. docuit, animam mori cum corpore: nullum esse Infernum: Christum fuisse stultum: fidem nostram esse fabulosam: Evangelium falsum. Bernard. Lutzemburgensis in Cathalogo hæreticorum.*	Concilium generale Florentinum, sub Eugenio IV. pro unione Græcorum cum Latinis.
1455	Callistus III. ann. 3. men. 4				B. Laurent Justinian.		Constantinopolis capitur à Turcis anno 1452. In ipsis feriis Pentecostes; sic Deo ulciscente perfidiam Græcorum circa processionem Spiritus sancti à Patre, & Filio.
1458	Pius II. ann. 5. m. 11. d. 27				Josephus Methon. Gregorius Protosincellus.		
1464	Paulus II. ann. 6. m. 10. dies 26				Nicolaus de Cusa.		

Anni Dō.	Pontifices.	Imperator. Occident.	Reges Turcar.
1471	Sixtus IV. ann. 10. d. 4		
1480			Bajazethes. an. 31
1484	Innocent. VIII. ann. 7. men. 10. dies 27		
1492	Alexand. VI. an. 11. men. 8		
1494		Maximil. ann. 26	
1503	Pius III. dies 26		*Tyran. Orient.*
1503	Julius II. ann. 9. m. 3		
1512			Selimus. ann. 8
1513	Leo X. an. 8. m. 8. d. 20		
1520		Carolus V. an. 38.	Soliman. ann. 46
1522	Hadrian. VI. ann. 1. men. 8. d. 6		
1523	Clemens VII. ann. 10. m. 10		
1534	Paulus III. ann. 15. d. 25		
1541			
1545			
1550	Julius III. an. 5. m. 1. dies 16		
1555	Marcell. II. d. 22. Paulus IV ann. 5. m. 2. d. 27		
1558		Ferdinandus. ann. 6	
1560	Pius IV. an. 5. m. 2. dies 15		

Scriptores.

Dionyſ. Carthuſ.
Thom. de Kempis.
Henricus Harph.
Alexan. de Immola.
Bapt. Plat.
Ambroſ. Camald.
Gabriel Biel.
Marſilius ab Ingen.
Jo: Picus.
Iacobus de Valentia.
Marſilius Ficinus.
Cyp. Ben.
Robertus Gaguinus.
M. Anton. Sabellic.
Jacob. Philip. Berg.
Jo: Naucl.
Albertus Krantzius.
Felin. Sandeus.
Jacobus Winphel.
Ant. Bonfin.
Hect. Boetius.
Theodor. Cajet.
Jac. Almainus.
Franciſcus Ferrarien.
Jo: Franciſc. Picus.
Jo: Tabienſ.
Jo: Major.
Hadr. VI.
Sylveſter Prieras.
Jo: Roffen.
Thomas Morus.
Jo: Echius.
Jo: Faber.
Joan. Cochlæus.
Jacobus Latomus.
Jo: Dried.
Franciſcus Victoria.
Ambroſ. Catharinus.
Dominicus à Soto.
Martinus Navarrus.

Hæreſiarchæ.

Hinc Hermannus videtur fuiſſe omnium hæreticorum perditiſſimus & ſtultiſſimus, quippe, qui cùm doceret animam mori cum corpore; tamen maluit vivus exuri, quàm ſuam hæreſim revocare.

Martinus Lutherus Germanus hæreſiarcha & Pater hæreſiarcharum anno Domini 1517. perturbare cœpit Eccleſiam, & perturbavit uſque ad annum 1546. in quo miſerè obiit. Docuit errores plurimos. Sed præcipui ſunt, hominem ſola fide juſtificari: liberum arbitrium periiſſe per peccatum: Papam eſſe Antichriſtum: in Euchariſtia remanere ſubſtantiam panis cum corpore Chriſti. Indulgentias nihil valere: non eſſe Purgatorium: per Sacramenta non dari gratiam, peccata dum remittuntur non deleri, ſed non imputari & alia id genus multa. Vide Joannem Cochlæum in libro de actis, & ſcriptis Martini Lutheri.

Andreas Carolſtadius, qui primus ex diſcipulis Lutheri uxorem publicè duxit, cùm eſſet Sacerdos, & cum eo Huldricus Zuvinglius, & Joannes Oecolampadius ſacramentariam hæreſim inchoarunt anno 1526. docentes, in Euchariſtia non eſſe corpus Chriſti, niſi in ſigno, & addiderunt, Imagines Chriſti, & Sanctorum eſſe confringendas. Vide Jo: Cochlæum in libro de actis Lutheri anno 1526.

Balthaſſar Pacimontanus, & Bernardus Rothmanus ſectam Anabaptiſtarum inſtituerunt an. 1527. quæ etiam proles Lutheraniſmi eſt, & in varias ſectas diviſa. Docent hi non eſſe parvulos baptizandos, ſi baptizati fuerunt, iterum eſſe baptizandos quando adulti erunt. Alios plurimos errores docent, de quibus vide Jo: Cochlæum de actis Lutheri ann. 1527. & Card. Hoſium lib. 1. de hæreſi noſtri temporis.

Philippus Melanchton Lutheri diſcipulus Confeſſionem Auguſtanam compoſuit an. 1530. unde Confeſſioniſtæ, & molles Lutherani dicti ſunt, qui eam ſequuntur. Multos habent errores, ut, quòd partes pœnitentiæ ſint duæ tantùm, contritio, & fides, ideſt, terrores conſcientiæ & fides, qua credimus per Chriſtum nobis remiſſa eſſe peccata. Vide Cochlæum in lib. de act. Lutheri.

Joannes Calvinus Noviodunenſis Zuvinglii diſcipulus, contempto magiſtro propriam familiam inſtituit ann. 1538. docuit filios baptizatorum naſci ſanctos: gratiam ſemel habitam non poſſe amitti: omnes verò fideles eſſe prædeſtinatos; hæc, & his ſimilia habentur in libris quatuor inſtitutionis. Obiit ann. 1567. morbo pediculari, teſte Surio in hiſtoria ad hunc annum: & blaſphemans, ac deſperans, teſte Hieronymo Balſeco in ejus vita.

Varia.

Ordo minorum auctore S. Franciſco de Paula.

Sixtus IV. revocat Jubilæum ad annum 25.

Concilium generale Lateranenſe quintum inchoatur ſub Julio anno 1511. & abſolvitur ſub Leone anno 1518.

Equitibus Rhodienſibus fortiſſimè reſiſtentibus, Rhodus Inſula capitur, non ſine magna clade Turcarum.

Ordo Clericorum Regularium confirmatur à Clemente VII. anno 1524.

Ordo Capucinorum ab eodem anno 1530.

Ordo Clericorum S. Pauli, ab eodem anno 1533.

Henricus VIII. Rex Angliæ anno 1535. ab Eccleſia Catholica deficiens caput Eccleſiæ Anglicanæ dici voluit: & repugnantes Joannem Roffenſem, & Thomam Morum cum aliis multis occidit.

Anno 1540. Ordo Societatis Jeſu, auctore Beato Ignatio Loyola, confirmatur à Paulo III.

Concilium Tridentinum generale inchoatur anno 1545.

Anni Dõ.	Pontifices.	Imperatores Occident.	Tiranni Orientales.	Hæresiarchæ.	Varia.
1563				*Michael Servetus Hispanus cùm esset annorum 25. summum se orbis prophetam esse jactabat: Scripsit autem libros septem de erroribus Trinitatis, in quibus docuit, nullam esse in Deo realem generationem: non esse in Deo personalem distinctionem: non debere homines baptizari, nisi anno 30. tandem ann. 1555. ab ipso Calvino Genevæ igni traditus est. Vide Jo: Cochlæum de actis Lutheri ad ann. 1532. & Surium in historia ejusdem anni.*	Regnum Angliæ sub Julio Pontifice, & Maria Regina Angliæ, ad Ecclesiæ unitatem rediit: sed post paucos annos sub Elisabetha Regina hæretica iterum ad schisma, & heresim revertitur.
1564	Maximil. Junior an. 12				
1566	Pius V. Ord. Præd. ann. 6. m. 3. d. 24		Selimus Junior ann. 8		
				David Georgius Delphis in Batavia natus, prædicavit se esse eximium Prophetarum, & Filium Dei Christo Jesu majorem, & anno tertio post mortem resurrecturum, & Regnum Israel restituturum. Sed jam anni circiter sexaginta ab ejus obitu præterierunt, & nondum surrexit, neque resurget, nisi in die novissimo cum aliis impostoribus gehenna æternis ignibus cruciandus. Vide totam historiam apud Surium in historia anni 1555.	Calvinistæ sub nomine Hugonottorum Regnum Galliæ infestare incipiunt anno Domini 1560.
1571					
1572	Gregorius XIII. ann. 12. m. 10. d. 24				
1574			Amurates III. ann. 20	*Gaspar Svenchfeldius, unus ex confessionistis propria dogmata adinvenit. Humanam Christi naturam post ascensionem in divinam esse mutatam: & solo spiritu contentos nos esse debere; vocale verbum, tamquam occidentem litteram esse rejiciendum. Vide Fridericum Staphilum in lib. de concordia Lutheranorum.*	Concilium Tridentinum generale concluditur sub Pio IV. anno 1563. Melita insula summa vi à Turcis oppugnatur, sed majori virtute à Christianis defenditur.
1577		Rodulphus II. ann. 35			
1585	Sixtus V. Ord. Min. ann. 5. m. 4			*Andreas Osiander, unus ex confessionistis, sed propter novas hæreses ipsis etiam confessionistis hæreticus, docuit Charitatem, & Justitiam, & Sapientiam, quibus homo justus, & Sapiens est, esse ipsam Dei essentiam: & Christum justificare homines solùm juxta naturam divinam. Vide Fridericum loco citato: & Sur. in hist. an. 1551.*	
1590	Urbanus VII. d. 12				Calvinistæ sub nomine Geuseorum, id est, vilium personarum Belgium tumultibus replere incipiunt, anno 1566.
1590	Gregorius XIV. m. 10. d. 10				
1591	Innocent. IX. men. 2.			*Jo: Brentius non minimus inter confessionistas, docuit, Christi humanitatem ab ipsa Incarnatione semper fuisse ubique. Unde nati sunt Ubiquistæ, adversus quos acriter diu pugnarunt Theodor. Beza, & alii. Vide Surium in hist. anni 1564.*	
1592	Clemens VIII. ann. 12. mens. 1. dies 3				Hoc anno 1571. ingens victoria navalis de Turcarum classe à Christianis reportata est, cùm sancto fœdere juncti essent Pius V. Papa, Philippus II. Rex, & Resp. Venetorum.
1595			Maumethus III. annos 8	*Matthias Flaccius Illyricus auctor præcipuus historiæ centuriatæ Magdeburgensis, & Lutheranorum rigidorum Pater, præter alia stultissima dogmata, docuit peccatum originale esse substantiam. Vide in nostris controversiis lib. 5. de amissione gratiæ cap. 1.*	
1603			Amath ann. 17	*Libertini auctore quodam Quintino Piccardo, docent, licitum esse simulare, & dissimulare fidem, & religionem, & cum omnibus communicare: unum esse tantùm spiritum immortalem; Angelos, & Animas hominum non esse immortales, Christum non verè obiisse in cruce, sed opinione tantùm. Alia multa docent, sed clam, & inter se. Quorum non alium auctorem habeo, nisi Joannem Calvinum, hæresiarcham, in libro contra Libertinos, ubi dicit, sibi notum esse, multa millia esse in hac secta.*	
1605	Leo XI. dies 26				Anno 1572. mense Novembri apparuit nova stella miræ pulchritudinis in signo Cassiopeja & duravit ultra annum & paulatim minui cœpit, donec evanesceret.
1605	Paulus V. ann. 15. m. 10. d. 15				
1612		Matthias ann. 6. mens. 9			Ordo Clericorum Minorum à Sixto V. confirmatur an. 1588.

R. P.

R. P.

PHILIPPI LABBE

BITURICI, SOC. JESU,

REGIA EPITOME

HISTORIÆ SACRÆ AC PROFANÆ,

UT RESPONDEAT

CHRONOLOGIÆ BREVI,

QUAM AB ORBE CONDITO

Usque ad annum Domini MDCXII. perduxit

ROBERTUS CARD. BELLARMINUS,

E SOCIETATE JESU.

Adjeci quoque ad finem operis, *inquit noster Bellarminus in Præfatione*, Brevem Chronologiam ab orbe condito usque ad nostra tempora; ut omnes intelligant quid secutus sim, cùm sua tempora Prophetis atque aliis Scriptoribus assignavi.

Verùm cùm ea in plerisque manca atque à sinceris Temporum rationibus alienissima videatur, operæ pretium duxi Epitomen nostram ad exactiores calculos jampridem subductam elimatamque in ejus locum subrogare.

LECTORI CHRONOLOGIÆ STUDIOSO,

S. P. D.

IN hac Regia Epitome Historiæ Sacræ ac Profanæ LUDOVICO XIV. FRANCORUM ET NAVARRÆORUM REGI CHRISTIANISSIMO jam à pluribus annis D. D. D. Patriarchæ Veteris Testamenti, Judices, Reges Judæi, Romani, Persæ, Macedones, Ægyptii, Syri, Franci, &c. Summi S. R. E. Pontifices, Imperatores Romani, Græci, Turcæ, Concilia Generalia, Persecutiones Ecclesiæ, Sæcula Romana & Christiana, aliaque plurima ad sanioris Chronologiæ canones exacta breviter repræsentantur. Illius verò, ut in posterum sit studiosis Chronologiæ discendæ Lectoribus commodior usus, Editioni præsenti, quæ VIII. minimùm aut X. est, cæteris auctior atque emendatior, accessit GEMINUS INDEX ALPHABETICUS utrique Parti subjectus, facilitate sua atque expeditissima methodo futurus omnibus perquam fructuosus. Utere ac fave.

MULTA, PAUCIS, CLARÈ.

REGIÆ EPITOMES HISTORIÆ SACRÆ AC PROFANÆ

PARS PRIMA, ANTE CHRISTUM.

SECTIO PRIMA.

Patriarchæ I, Mundi Ætatis.

MUNDI 1. anno, ejusque die sexta, creatus ab omnipotente Deo *Adamus* vixit annos 930. *Eva* verò ejus uxor, ut volunt, annos 940. vixit.

131. Mundi & Adami anno nascitur *Sethus*, Adami ejusdemque Evæ filius, postquam à Caino occisus fuisset Abel: obiit autem Sethus anno ætatis 912. Mundi 1042.

236. Anno Mundi nascitur *Enos* Sethi filius: vixit annos 905.

326. Anno Mundi nascitur *Cainam* senior: vixit annos 910.

396. Anno Mundi nascitur *Malaleel*: vixit annos 895.

461. Anno Mundi nascitur *Jared*: obiit natus annos 962.

623. Anno Mundi nascitur *Henoch* Jaredi filius: hic annum agens vitæ 365. à Deo translatus est anno Mundi 987.

688. Anno Mundi nascitur *Mathusalem*, qui decessit è vita paulò ante Diluvium anno Mundi 1656. ætatis 969.

875. Nascitur *Lamech* pater Noemi: vixit tantùm annos 777.

1057. Nascitur *Noemus* alter mundi parens: vixit annos 950.

1559. Anno Mundi nascitur *Sem* Noemi filius: vixit annos 600.

SECTIO II.

Patriarchæ Secundæ Mundi Ætatis.

1659. ANNO Mundi nascitur *Arphaxad* Semi F. vixit annos 438.

1664. Nascitur *Cainan* junior: vixit annos 360.

1724. Nascitur *Salas* seu Sale: obiit anno ætatis 433.

1754. Nascitur *Heber*: vixit annos 464.

1788. Nascitur *Phaleg*: vixit tantùm annos 239.

1818. Nascitur *Rheu* seu Ragau: vixit annos 239.

1850. Natus *Sarug*, mortuus est anno ætatis 230.

1880 Natus *Nachor* Tharæi pater: vixit an. 148.

1906. Nascitur *Thare*, pater Abrahami: obiit anno ætatis 205.

SECTIO III.

Patriarchæ Tertiæ Mundi Ætatis.

2039. ANNO Mundi natus, *Abraham* credentium pater, obiit anno ætatis 175. à creatione Mundi 2213.

2139. Nascitur *Isaac* Abrahami F. vixit an. 180.

2199. Nascitur *Jacob* Isaaci F. vixit annos 147.

2285. Nascitur *Levi* Jacobi & Liæ F. obiit anno ætatis 137.

2318. Nascitur *Caath* Levi F. Mosis avus: vixit annos 133.

2386. Natus *Amram* Mosis pater, vixit annos 137.

2464. Nascitur *Moyses* Dux Hebræorum. Ex Ægypto profectus est cum Israelitis, & legem à Deo accepit, anno Mundi 2544. obiit autem anno Mundi 2584. ætatis 120.

SECTIO IV.

Judices Hebræorum post Mosem.

ANNI ad oram additi non ortum deinceps, sed initia Regnorum, aut Principatus consequentium Judicum, Regum, atque Imperatorum, denotabunt.

2584. Anno Mundi *Josue* filius Nun regere cœpit Judæos per annos ab obitu Mosis septemdecim, mortuusque est anno Mundi 2600. natus annos 110.

2601. *Othoniel* frater Calebi rexit ad annos 40.

2641. Mundi incipiunt anni 80. qui *Aodo* tribuuntur.

2721. *Barac* cum Debora judicare incipit annis 48.

2761. *Gedeon* Judex Hebræorum per annos quadraginta.

2801. *Abimelech* tyrannidem arripuit ad annos tres.

2804. *Thola* Judex Hebræorum fuit ad annos 23.

2827. *Jair* judicavit Hebræos ad annos 22.

2849. *Jephthe* Judex Hebræorum per annos dumtaxat sex.

2855. *Abesan* Judex Hebræorum annis septem.

2862. *Ajalon* seu Elon Judex Hebræorum annis decem.

2872. Judicare cœpit Israelitas *Abdon* ad annos octo.

2880. Sampson Hebræorum Judex per viginti annos.

2900. *Heli* Pontifex & Judex annis 40.

2940. *Samuel* Judex Hebræorum per annos duos & viginti.

SE-

SECTIO V.

Reges Hebræorum ante Divisionem.

2962. ANNO Mundi electus *Saul* regnavit annis 18.
2979. *David* : cùm regnasset annos 40. obiit anno 3020.
3020. *Salomon* annis 40. Hic templi fundamenta jecit anno Mundi 3023. regni 4. post Exodum 480.

SECTIO VI.

Reges Juda post Divisionem, V. Mundi Ætate.

3060. ANNO Mundi *Roboam* : Hic regnavit annis 17.
3076. *Abias* regnavit annis tribus.
3079. *Asa* Rex Juda per annos unum & quadraginta.
3121. *Josaphat* viginti quinque annis.
3145. *Joram* regnare cœpit ad annos sex.
3150. *Ochosias* uno dumtaxat anno regnavit.
3151. *Athalia* regnum invadit, obtinetque annis sex.
3157. *Joas* Ochoziæ F. Rex per annos quadraginta.
3196. *Amasias* Joasi F. regnat in Judæa 29. annis.
3226. *Ozias* seu Azarias post patrem Rex 52. annis.
3278. *Joatham* per annos 16. quorum primus incidit in primum annum primæ Olympiadis, ante Christum 776.
3293. *Achas* solus regnat per annos 14.

Post annum Mundi 3300. Annos Romanos, sive ab Urbe condita, deinceps inscribemus margini, tum quòd notiores sint vulgò, & ad percipiendam Historiam perquàm necessarii, tum quòd ex iis Mundanos quivis facilè rimabitur, additis dumtaxat ter mille ac trecentis annis. Nam primus Romæ ac Romuli annus nobis est ter millesimus trecentesimus primus Æra Mundi annus.

Anno Romæ 9. *Ezechias* regnare incipit ad annos 29.
37. Romæ anno *Manasses* ejus F. regnat ad annos 55.
93. Anno U. C. regnat *Amon* duobus tantùm annis.
95. U.C. anno *Josias* per annos unum & triginta.
126. *Joachaz* regnat dumtaxat tribus mensibus.
126. Romæ anno *Joakin* undecim annis.
136. *Jechonias* Rex Judæorum tribus mensibus & 10. diebus.
136. U. C. *Sedecias*, seu Mathanias, annis undecim.

SECTIO VII.

Reges Israel post Divisionem, V. Mundi Ætate.

3060. ANNO Mundi *Jeroboam* filius Nabat annis 21.
3081. *Nadab* Jeroboami filius Rex Israel anno 1.
3082. *Baasa* filius Aha annos 23.
3105. *Ela* filius Baasæ post patrem regnat anno uno.
3106. *Zambri* per octo dumtaxat dies.
3106. *Amri* regnare cœpit ad annos undecim.
3117. *Achab* filius Amri annos 21.
3138. *Ochozias* filius Achabi uno dumtaxat anno.
3139. *Joram* Ochoziæ frater annos 12.
3151. Cæso Joramo *Jehu* Namsi nepos annis 28.
3179. *Joachaz* filius Jehu regnat annis 16.
3196. *Joas* filius Joachazi Rex Israel annos 16.
3211. *Jeroboam* II. filius Joasi annos 41.
3252. Incipit Interregnum annorum 11.
3263. *Zacharias* Jeroboami filius regnat mensibus 6.
3263. *Sellum* Zachariæ interfector uno mense.
3264. *Manahem* à cæde Sellum regnat annos 10.
3275. *Phacejas* filius Manahem Rex Israel annis 2.
3277. *Phacee* occiso Phaceja regnavit annis 20.
3296. *Osee* filius Ela cæso Phacee annis 18. Hunc expugnatâ Samaria cœpit Salmanasar Rex Assyriorum anno Ezechiæ Regis Juda sexto, Olympiadis decimæ primo, urbis Romanæ 14. Mundi 3314.

SECTIO VIII.

Pontifices Judæorum Machabæi VI. Mundi Ætate.

ROMÆ anno 587. *Mathatias* Antiocho parere recusat.
589. U. C. anno *Judas* Machabæus Templum purgat.
593. *Jonathas* occiso in acie fratre Juda Pontifex annis 18.
611. *Simon* post mortem fratris Pontifex ann. 7. mens. 9.
619. *Joannes* Hyrcanus patri succedit ad ann. 31.
650. *Aristobulus* Hyrcani F. Rex primus uno anno.
651. *Alexander* Jannæus Rex & Pontifex an. 27.
676. *Hyrcanus* F. Jannæi occisus ab Herode anno 724.
688. *Aristobulus* pulso fratre Hyrcano an. 3. m. 3.
714. U. C. anno *Antigonus* F. Aristobuli annis tribus.
720. *Aristobulus* junior in balneo suffocatur.

SECTIO IX.

Reges Assyriorum, à II. Mundi Ætate ad V.

1879. ANNO Mundi *Belus* seu Nembroth Babylone an. 65.
1944. *Ninus* filius Beli regnat annis 52.
1996. *Semiramis* Nini uxor regnat annis 42.
2038. *Ninyas* occisa matre Rex Assyriorum annis 38.

Cæteri inglorii usque ad trigesimum septimum.

Hic fuit Thonos Connoleros, seu *Sardanapalus*, qui anno Mundi 3158. cœpit regnare ad annos viginti, & ab Arbace victus est capta Ninive anno 3178.

SECTIO X.

Postremi Reges Assyriorum ex S. Scriptura V. Mundi Ætate.

PHUL tempore Manahemi vixit circa annum Mundi 3265.

Theglat-Phalasar circa annum Mundi 3279.

Salmanasar cœpit Samariam anno Romæ 14.

Sennacherib cùm occisis ab Angelo una nocte 185. millibus militum fugisset ex Syria anno U. C. 23. à filiis necatus est.

Assaraddon Sennacheribi F. fortè victus à Merodacho illo fuit, qui post Nabonassarum regnavit Babylone.

SE-

SECTIO XI.

Postremi Babyloniorum Reges ex Scriptura aliisque.

NABONASSARIS æra exurgit à 26. Febr. anno Mundi 3307.

Merodach seu Mardokempadus annis 42. ab ann. U. C. 33.

Ben-Merodach per annos 32. ab anno Romæ 76.

Nabuchodonosor senior an. 21. ab an. Romæ 108.

Nabuchodonosor Magnus solus 43. ab anno Romæ 129.

Evilmerodach annis 23. ab anno Urbis conditæ 172.

Balthasar per annos tantùm 4. ab anno Romæ 194.

Darius Medus seu Nabonnidus ann. 17. ab anno U. C. 198. ad 215. quo à Rege Persarum Cyro victus est.

SECTIO XII.

Reges Persarum sexta Mundi Ætate.

ANNO Mundi 3495. Romæ 195. Ante Christum Dom. 559. Olymp. 55. primo, *Cyrus* regno Persarum initium dedit, tum Monarchis devictis Babyloniæ anno Mundi 3515. Romæ 215. regnavit annis omnino 30.

225. U. C. anno *Cambyses* Cyri F. annis 7. m. 5.
232. Magus *Smerdis* regnat 7. mensibus.
233. *Darius* I. sive Hystaspis filius annis 37.
269. U. C. anno *Xerxes* Darii filius annis 20.
289. *Artaxerxes* I. Longimanus Xerxis F. an. 40.
329. *Xerxes* Junior Rex Persarum mensibus 2.
329. Romæ anno *Sogdianus* frater Xerxis m. 7. diebus 15.
330. *Darius* II. Ochus seu Nothus regnat an. 19.
349. *Artaxerxes* II. Mnemon Rex Persarum annis 40.
388. U. C. anno *Artaxerxes* III. Ochus annis 26.
414. *Arses* sive Arsamus patri succedit ad annos 4.
418. U. C. anno *Darius* III. Codomannus annis sex. Occisus fuit anno Romæ 424. Ante Christi Natalem 330. regni Persarum 229.

SECTIO XIII.

Alexander & post eum Reges Macedoniæ.

418. ROMÆ anno *Alexander* Magnus Philippo patri successit ad ann. 12. m. 7. vigesimus tertius Macedonum Rex à Carano: Darium vicit anno U. C. 424. obiit Babylone mense Julio anni U. C. 430. ante Christum 324. ineunte Olymp. 114. Hegesia Athenis Archonte.
430. *Aridæus* Philippi filius per annos 6. m. 4.
437. *Cassander* Antipatri F. regnat annis 19.
456. U. C. an. *Philippus* Cassandri filius anno 1.
457. *Antipater* cum fratre *Alexandro* annis 3.
460. *Demetrius* F. Antigoni dictus Poliorcetes ann. 6.
465. U. C. an. Pyrrhus filius Æacidæ, 7. mensibus.
466. *Lysimachus* regnavit in Macedon. per annos sex.
472. *Arsinoe* uxor Lysimachi cum filiis m. 7.
473. *Ptolomæus* Ceraunus regnat anno 1. m. 5.
474. Romæ anno *Meleager* frater Ptolomæi m. 2.
474. *Antipater* II. regnavit per dies tantùm 45.
474. *Sosthenes* rexit annis dumtaxat duobus.
476. *Antigonus* Gonatas F. Demetrii annis 30.
512. *Demetrius* II. patri succedit ad an. 12.
522. Romæ anno *Antigonus* Tutor Philippi an. 12.
533. *Philippus* F. Demetrii II. regnat ad annos 42.
575. *Perseus* annis decem. Victus est à Paulo Æmilio an. U. C. 588. ab Alexandri morte anno 246.

SECTIO XIV.

Ptolemæi Ægypti Reges, VI. Mundi Ætate.

430. URBIS conditæ ann. PTOLEMÆUS I. Lagi filius annis 40.
469. Ptol. II. *Philadelphus* Rex Ægypti an. 30.
507. Ptol. III. *Evergetes* Ægyptiis imperat an. 26.
533. Ptol. IV. *Philopator* rexit Ægyptum an. 27.
550. Ptol. V. *Epiphanes*, Rex Ægypti an. 23.
573. Ptol. VI. *Philometor* regnavit an. 35.
608. Ptol. VII. *Physcon*, post patrem annis 29.
637. Ptol. VIII. *Lathurus* primùm regnavit an. 17.
654. Ptol. IX. *Alexander* I. dictus, annis decem.
665. *Lathurus* iterum regnum recepit ad an. 8.
673. Ptol. X. *Alexander* II. diebus novemdecim.
673. Ptol. XI. *Alexander* III. regnavit annis 13.
689. Ptol. XII. *Auletes* Rex Ægypti 16. annis.
703. *Cleopatra* cum fratre Ptolomæo XIII. *Dionysio* per annos quinque, tum sola ab anno Urbis conditæ 707. ad annum usque ejusdem Urbis 724. à morte Darii postremi Persarum Regis trecentesimum.

SECTIO XV.

Reges Syriæ successores Alexandri, VI. Mundi Ætate.

442. ROMÆ an. post mortem Alexandri 12. ante Christum 312. regnare cœpit *Seleucus* Nicator ad annos 32.
473. *Antiochus* I. Soter regnavit annis 19.
492. *Antiochus* II. Deus dictus à Milesiis, annis 15.
507. U. C. anno *Seleucus* II. Callinicus an. 20.
527. *Seleucus* III. Ceraunus, seu Pogon, annis tribus.
530. *Antiochus* III. Magnus, Rex Syriæ an. 36.
566. *Seleucus* IV. Philopator, regnavit an. 12.
578. U. C. anno *Antiochus* IV. Epiphanes an. undecim.
590. *Antiochus* V. Eupator annis tantùm duobus.
592. *Demetrius* Soter F. Seleuci annis undecim.
603. *Alexander* Bala, seu Veles, an. 5. Hujus filius, *Antiochus* Entheus à Tryphone occisus fuit.
612. *Tryphon* seu Diodorus, Tyrannus an. duobus.
614. *Antiochus* VI. Sidetes Rex Syriæ an. undecim.
625. *Demetrius* Nicator iterum regnat ad an. 4.
629. *Alexander* Zebina: paulò post fuit occisus.
630. *Antiochus* VII. Grypus occiso à Cleopatra matre *Seleuco* Nicatoris filio, regnat annis 12.
642. U. C. anno *Antiochus* VIII. Cyzicenus an. 18.
658. *Seleucus* Grypi F. regnavit anno uno.
659. Romæ an. *Antiochus* IX. Eusebes seu Pius.
660. *Antiochus* X. & post eum *Philippus Demetrius* Eucærus, & *Antiochus* XI. Dionysius, ejusdem Grypi filii.
669. Aut sequenti *Tigranes* à Syris fuit electus Rex.
686. *Antiochus* XII. Asiaticus Pii F. à Lucullo Rex salutatus, à Pompejo in ordinem redactus est circa annum Urbis à Romulo conditæ 688. Mundi 3988.

SECTIO XVI.

Primi Reges Regnorum ante Christum.

1879. BELUS primus Rex Babylon. seu Assyriorum.
1890. *Ægialeus* primus Rex Sicyoniorum.
2197. *Inachus* primus Rex Argivorum.
2496. *Cecrops* primus Rex Atheniensium.
2570. *Lelex* primus Rex Lacedæmoniorum.
2674. *Dardanus* primus Rex Trojanorum.
2643. *Sisyphus* primus Rex Corinthiorum.
2741. *Perseus* primus Rex Mycenæorum.
2757. *Picus* Saturni F. primus Rex Latinorum.
2835. *Argon* Heraclida primus Rex Lydorum.
2950. Aut circiter *Abybalus* primus Rex Tyriorum.
2951. *Alethes* F.Hippotæ primus Heraclidi Corintharum.
2952. *Procles & Euristhenes* Heraclidæ Lacedæmone.

Hebræos Reges, Judæ & Israelis, videsis supra suo loco.

3278. Ante Christ. 876. *Arbaces* primus Rex Medorum.
3240. *Caranus* primus Rex Macedonum.

Assyrios, Babylonios, Macedonas successores Alexandri, Ptolomæos, Seleucidas Syriæ Reges, paulò ante exhibuimus.

3770. U. C. 470. *Phileterus* regnum Pergami inchoat.
3808. U. C. anno 508. *Arsaces* primus Rex Parthorum.

De Aristobulo Joannis Hyrcani F. mox diximus.

SECTIO XVII.

Romani Reges, V. & VI. Mundi Ætatibus.

3301. MUNDI anno *Romulus* regnavit ad annos 38.
39. Urbis Romæ anno interregnum fuit.
40. *Numa* Pompilius Rex Romanorum annis 43.
83. *Tullus* Hostilius regnavit per annos 32.
114. U C. anno *Ancus* Martius an. 24.
139. *Tarquinius* Priscus regnavit annis 38.
177. Romæ anno *Servius* Tullius annis 44.
221. Urbis conditæ anno *Tarquinius* Superbus 24. annis.

Cœpere Consules exactis Regibus anno Romæ condita 245.

SECTIO XVIII.

Romæ priora Sæcula.

I. ROMULI Regis Romanorum, seu Sennacheribi, Merodachi: Gygis, Cyaxaris.
II. *Tarquinii Prisci*: seu Nabuchodonosoris, Balthasaris, Periandri, atque Astyagis.
III. *Tarquinii Superbi*: seu Zorobabelis, & Mardochæi, Cyri, Cambysis, & Xerxis.
IV. *Furii Camilli Dictatoris*: seu Nehemiæ, & Esdræ, necnon Belli Peloponnesiaci inter ipsos Græcos.
V. *Papyrii Cursoris Dictatoris*: seu Jaddi, & Simonis Justi, Alexandri M. & Pyrrhi Epirotarum Regis.
VI. *Fabii Maximi Dictatoris*: seu Mathatiæ, ac Judæ, Philippi & Persei Regum Macedoniæ.
VII. *Cornelii Syllæ Dictatoris*: seu Joannis Hyrcani, Mitridatis, & Tygranis Regum.
VIII. *Caji Julii Cæsaris Dictatoris*: seu Magni Herodis, Cleopatræ, ac Marci Antonii.

Initio IX. Romani sæculi imperabat Claudius. X. Antoninus Pius. XI. Philippus Arabs cum filio. XII. Constans cum fratre Constantio. XIII. Valentinianus III.

SECTIO XIX.

VII. Mundi Ætates.

I. MUNDI Ætas ab ortu *Adami* ad Diluvium *Noe* annorum *1656*.
II. Mundi Ætas à Diluvio *Noe* ad ortum *Abrahæ* annorum 382.
III. Ab ortu *Abrahæ* ad Exodum & Legem *Moysi* annorum 505.
IV. Ab Exodo & Lege *Moysi* ad Fundatum Templum *Salomonis*, annorum 479.
V. A' Templo *Salomonis* ad Monarchiam *Cyri* annorum 493.
VI. A' Monarchia *Cyri* ad Natalem *Christi* annorum 538.
VII. A' *Christo* Domino ad nostra Tempora annorum *1659*. Quod superest usque ad Mundi finem scire vetat Deus, cui Gloria & Honor in sæcula sæculorum. Amen.

PRI-

PRIMÆ PARTIS REGIÆ EPITOMES
HISTORIÆ SACRÆ AC PROFANÆ AB ORBE CONDITO AD CHRISTUM INDEX ALPHABETICUS
Cuicumque Editioni ſerviens.

Arabici numeri infra Millenarium annos Romæ ſive ab V. C. deſignant: ſuprà Millenarium autem annos Mundi ſive ab Orbe condito. Romani verò numeri Arabicis poſtpoſiti Sectiones hujus Epitomes repræſentant.

A.

B.

C.

D.

REGIÆ EPITOMES HISTORIÆ SACRÆ AC PROFANÆ

PARS SECUNDA, POST CHRISTUM.

SECTIO PRIMA.

Æra Christianæ sæcula XVII.

PRIMUM ab anno primo Christi incipit, & dicitur *Apostolorum & XII. Cæsarum*, usque ad annum 100.

2. Ab an. 101. ad 200. *Trajani & Antoninorum.*
3. Ab an. 201. ad 300. *Tyrannorum, & cædium.*
4. Ab an. 301. ad 400. *Constantini* & filiorum ejus.
5. Ab an. 401. *Francorum*, Gothorum, Vandalorum, &c.
6. Ab an. 501. *Clodovei* Magni & *Justiniani*.
7. Ab ann. 601. *Mahometis* & Majorum domus Franciciæ.
8. Ab an. 701. *Pipini* Regis & *Iconoclastarum*.
9. Ab an. 801. Imp. *Caroli* Magni & posterorum.
10. Ab an. 901. ad 1000. *Ignorantiæ* & Othonum trium.
11. Ab ann. 1001. *Roberti* Pii & *Guill.* Conquæstoris.
12. Ab ann. 1101. *Francorum* Hierosolymæ Regum.
13. Ab an. 1201. *S. Ludovici* & Franc. Imperat. Const.
14. Ab an. 1301. *Paparum* Avenione sedentium.
15. Ab an. 1401. *Caroli* VII. & Mahometis II.
16. Ab an. 1501. *Francisci* I. Regis & Hæreseon.
17. Ab an. 1601. *Regum Francorum Familiæ Borboniæ.*

SECTIO II.

Decem Ecclesiæ Persecutiones.

1. CHRISTI anno 64. sub *Nerone* Augusto.
2. Ann. 92. sub *Domitiano*.
3. 107. Sub *Trajano* & Hadriano.
4. 163. Sub *Marco Aurelio* Antonino.
5. 202. Sub *Severo*.
6. 235. Sub *Maximino*.
7. 250. Sub *Decio*, Gallo & Volusiano.
8. 257. Sub *Valeriano* & Gallieno.
9. 272. Sub *Aureliano*.
10. 303. Sub *Diocletiano* & Maximiano.

SECTIO III.

Concilia Generalia seu Oecumenica.

1. *Nicænum primum* ann. 325. sub *Silvestro* & Constantino.
2. *Constantinopolitanum primum* 381. sub *Damaso* & Theodosio.
3. *Ephesinum* 431. sub Cælestino & Theodosio Juniore.
4. *Chalcedonense* 451. sub Leone & Marciano.
5. *Constantinopolitanum secundum* 553. sub Vigilio & Justiniano de tribus capitulis.
6. *Constantinopolitanum tertium* 681. sub Agathone & Constantino Pogonato.
7. *Nicenum secundum* 787. sub Hadriano ac Constantino & Irene.
8. *Constantinopolitanum quartum* 869. sub Hadriano II. & Basilio Macedone.
9. *Lateranense primum* 1122. sub Callisto secundo & Henrico V.
10. *Lateranense secundum* 1139. sub Innocentio secundo & Conrado tertio.
11. *Lateranense tertium* 1180. sub Alexandro tertio & Frederico.
12. *Lateranense quartum* 1215. sub Innocentio tertio.
13. *Lugdunense primum* 1245. sub Innocentio quarto.
14. *Lugdunense secundum* 1274. sub Gregorio X.
15. *Viennense* 1311. sub Clemente V.
16. *Constantiense* 1414. usque ad 1417. quo electus fuit Papa Martinus quintus: Basileense, sub Eugenio quarto cœpit ab anno 1431. & in schisma desiit.
17. *Florentinum* 1438. sub eodem Eugenio IV.
18. *Lateranense quintum* ab anno 1513. ad 1517. sub Julio secundo & Leone decimo.
19. *Tridentinum* ab an. 1545. ad 1563. sub Pontificibus Paulo tertio, Julio tertio, & Pio quarto.

SECTIO IV.

Romani Pontifices usque ad Alexandrum VII.

ÆRÆ Christi 43. ann. *S. Petrus* Romanus Pontifex per annos 24. menses 5. dies 10. Is passus est sub Nerone cum S. Paulo anno Christi 67. eodem die 29. Junii.

67. *S. Linus* Romæ Pontifex an. 11. m. 2. d. 23.
78. *S. Cletus* ei successit ad annos 12. m. 7. d. 2.
91. *S. Clemens* I. Papa annis 9. m. 6. d. 6.
101. Christi anno *S. Anacletus* an. 9. m. 3. d. 10.
110. *S. Evaristus* Romanus Pont. an. 9. m. 3.
119. *S. Alexander* I. an. 10. m. 5. d. 20.
130. *S. Sixtus* I. an. 9. m. 10. d. 8.
140. *S. Telephorus* an. 11. m. 8. d. 29.
152. *S. Hyginus* an. 3. d. 28.

156. S. *Pius I.* an. 9. m. 5. d. 27.
165. S. *Anicetus* an. 7. m. 8. d. 24.
173. S. *Soter* an. 3. m. 11. d. 21.
177. S. *Eleutherus* an. 15. d. 23.
192. S. *Victor I.* an. 9. m. 1. d. 28.
201. S. *Zephyrinus* an. 18. d. 18.
219. S. *Callistus I.* an. 5. m. 1. d. 12.
224. S. *Urbanus I.* an. 6. m. 7. d. 4.
231. S. *Pontianus* an. 4. d. 6.
235. S. *Anterus* uno dumtaxat mense.
236. S. *Fabianus* an. 15. d. 5.
251. S. *Cornelius* an. 2. m. 4. d. 17.
Primus Antipapa Novatianus Hæreticus.
253. S. *Lucius I.* an. uno, m. 4.
255. S. *Stephanus I.* an. 2. m. 3. d. 22.
257. S. *Sixtus II.* m. 11. d. 13.
258. S. *Dionysius* an. 12. m. 3. d. 14.
270. S. *Felix I.* an. 4. m. 4. d. 29.
275. S. *Eutychianus* an. 8. m. 6. d. 4.
283. S. *Caius* an. 12. m. 4. d. 5.
296. S. *Marcellinus* an. 7. m. 11. d. 26.
304. S. *Marcellus I.* an. 4. m. 1. d. 25.
309. S. *Eusebius* an. 2. m. 8. d. 21.
311. S. *Melchiades* seu Miltiades, an. 2. m. 2. d. 7.
314. S. *Silvester I.* an. 21. m. 11.
336. S. *Marcus* m. 8. d. 22.
336. S. *Julius I.* an. 15. m. 5. d. 17.
352. *Liberius* an. 15. m. 4. d. 2.
356. S. *Felix II. à quibusdam dictus*, an. 1. m. 3. d. 3.
367. S. *Damasus I.* an. 17. m. 2. d. 28.
Secundus Antipapa Ursicinus qui & Ursinus.
385. S. *Siricius* an. 13. m. 1. d. 14.
398. S. *Anastasius I.* an. 4. m. 1. d. 13.
402. S. *Innocentius I.* an. 15. m. 2. d. 10.
417. S. *Zozimus* an. 1. m 4. d. 7.
418. S. *Bonifacius I.* an. 4. m. 9. d. 28.
Tertius Antipapa Eulalius Archidiaconus.
423. S. *Cælestinus I.* an. 8. m. 5. d. 3.
432. S. *Sixtus III.* an. 7. m. 11.
440. S. *Leo I.* Magnus an. 20. m. 11.
461. S. *Hilarius* an. 5. m. 9. d. 29.
467. S. *Simplicius* an. 15. m. 5. d. 10.
483. S. *Felix II. aliis III.* an. 8. m. 11. d. 22.
492. S. *Gelasius I.* an. 4. m. 8. d. 19.
496. S. *Anastasius II.* an. 1. m. 11. d. 23.
498. S. *Symmachus* an. 15. m. 7. d. 27.
Quartus Antipapa Laurentius Archidiaconus.
514. S. *Hormisdas* an. 9. d. 10.
523. S. *Joannes I.* an. 2. m. 9. d. 14.
526. S. *Felix III. aliis IV.* an. 4. m. 2. d. 18.
530. S. *Bonifacius II.* an. 2. d. 2.
Quintus Antipapa Dioscorus.
532. *Joannes II.* Mercurius an. 2. m. 8.
535. S. *Agapetus I.* mensibus 10. d. 14. aut 18.
536. S. *Silverius* an. 4. usque ad obitum.
540. *Vigilius* an. 15. m. 6. *alii dant ei* 18. *annos.*
555. S. *Pelagius I.* an. 3. m. 10. d. 18.
559. S. *Joannes III.* Catellinus, an. 12. m. 11. d. 16.
573. S. *Benedictus I.* Bonosus an. 4. m. 2. d. 15.
577. *Pelagius II.* an. 12. m. 2. d. 27.
590. S. *Gregorius I.* Magnus an. 13. m. 6. d. 10.
604. *Sabinianus* tantùm mensibus 5. d. 19.
606. *Bonifacius III.* m. 8. d. 23.
607. *Bonifacius IV.* an. 6. m. 8. d. 13.
614. Christi Dom. anno *Deus-dedit* à S. Petro Romanus Pontifex 69. sedit annis 2. m. 11. d. 26.
617. *Bonifacius V.* an. 7. m. 10. d. 1.
626. *Honorius I.* an. 12. m. 4. d. 27.
640. *Severinus* Romanus Pontifex mens. 2. d. 4.
640. *Joannes IV.* an. 1. m. 9. d. 13.
642. *Theodorus* an. 6. m. 5. d. 18. vel 20.
649. S. *Martinus I.* an. 6. m. uno, d. 26.
655. *Eugenius I.* m. 8. d. 18. ab obitu S. Martini.
656. *Vitalianus* an. 14. m. 5. d. 28.
671. *Adeodatus* an. 5. m. 2. d. 17.
676. *Donnus* an. 1. m. 5. d. 10.
678. S. *Agatho* an. 3. m. 6. d. 25.
683. S. *Leo II.* m. 10. d. 14.
684. S. *Benedictus II.* mens. 8. d. 17.
685. *Joannes V.* an. 1. diebus 11.
686. *Cono* Romanus Pontifex mensibus 11. d. 13.
Schisma electis Petro & Theodoro.
687. S. *Sergius I.* an. 13. m. 8. d. 14.
Schisma electis Theodoro & Paschale.
701. *Joannes VI.* an. 3. m. 2. d. 12.
705. *Joannes VII.* an. 2. m. 7. d. 17.
708. *Sisinius* diebus tantùm viginti.
708. *Constantinus* an. 6. m. 1. d. 2.
714. S. *Gregorius II.* an. 16. m. 8. d. 20.
731. *Gregorius III.* an. 10. m. 9. d. 12.
741. S. *Zacharias* an. 10. m. 3. d. 10.
752. *Stephanus II. aliis III.* an. 5. d. 20.
757. *Paulus I.* an. 10. m. 10.
Schisma ob Theophilactum Archipresbyterum.
768. *Stephanus III.* an. 3. m. 5. d. 12.
Constantinus Antipapa frater Totonis Nepesini Ducis.
772. *Hadrianus I.* an. 23. m. 10. d. 17.
795. *Leo III.* an. 20. m. 5. d. 17.
816. *Stephanus IV.* an. 1. m. 7. d. 3.
817. *Paschalis I.* à S. Petro Pontifex ordine centesimus per an. 7. m. 3. d. 16.
824. *Eugenius II.* an. 3. m. 2. d. 23.
Zinzimus Schismati occasionem dedit.
827. *Valentinus* per dies tantùm quadraginta.
827. *Gregorius IV.* an. 15. m. 14.
844. *Sergius II.* an. 3. m. 1. d. 2.
Joannes Diaconus turbas concitavit adversus Sergium.
847. *Leo IV.* an. 8. m. 3. d. 5.
Hinc insulsè inseritur à quibusdam Joanna Papissa.
855. *Benedictus III.* an. 2. m. 6. d. 10.
858. S. *Nicolaus I.* Magnus, an. 9. m. 6. d. 20.
867. *Hadrianus II.* annis 4. m. 10. d. 17.
872. *Joannes VIII.* annis decem, & die uno.
882. *Marinus I.* seu Martinus II. an. 1. d. 20.
884. *Hadrianus III.* anno uno, m. 3. d. 19.
885. *Stephanus V.* an. 6. cum aliquot diebus.
890. *Formosus* ex Ep. Portuensi an. 6. m. 6.
Sergius & Bonifacius VI. turbas cient.
897. *Stephanus VI.* an. 3. aut 4.
Romanus Gallesinus per vim intrusus.
901. *Theodorus II.* diebus viginti tantùm.
901. *Joannes IX.* Romanus Pontifex an. 3. d. 15.
905. *Benedictus VI.* per aliquot menses.
906. *Leo V.* per dies quadraginta.
906. *Christophorus* mensibus septem.
907. *Sergius III.* an. 3. m. 4.
910. *Anastasius III.* an. 2. m. 2.
912. *Lando* Romæ sedit per aliquot menses.
913. *Joannes X.* ex Archiepiscopo Ravennæ an. 15.
928. *Leo VI.* m. 6. d. 15.
929. *Stephanus VII.* an. 2. d. 15.
931. *Joannes XI.* an. 4. m. 10.
936. *Leo VII.* an. 3. m. 6.
939. *Stephanus VIII.* an. 3. m. 4. d. 5.
943. *Marinus II.* seu Martinus III. an. 3. m. 4. d. 13.
946. *Agapetus II.* an. 9. m. 7. d. 19.
955. *Joannes XII.* annis 9. aut 10. obiit 964.
963. *Leo VIII. Antipapa ab Othone subrogatus.*
964. *Benedictus V.* uno circiter anno.
965. *Joannes XIII.* an. 6. m. 11. d. 5.
972. *Donus II.* seu Domninus mensibus tribus.
972. *Benedictus* VI. an. 1. m. 3. d. aliquot: moritur in exilio.

974. *Bonifacius Franco Antipapa an.* 1. *m.* 1.
975. *Benedictus* VII. annis novem.
984. *Joannes* XIV. an. 1. & aliquot mensibus.
985. *Joannes* XV. annis 10. m. 4. d. 12.
996. *Gregorius* V. Bruno antea dictus, an. 2. m. 8. dies 6.
Joannes XVI. Antipapa factione Crescentii.
999. *Silvester* II. Gerbertus dictus, à S. Petro Papa CXL. per annos quatuor & menses duos aut tres.
1003. Christi anno *Joannes* XVII. dictus m. 5.
1003. *Joannes* XVIII. an. 5. m. 7. d. 28.
1009. *Sergius* IV. an. 2. m. 8. d. 13.
1012. *Benedictus* VIII. annis ferè 12.
1013. *Gregorius Antipapa ab Imperat. ejicitur.*
1024. Joannes XIX. an. 9. m. 8.
1033. Benedictus IX. per an. 10. &c.
1043. *Silvester* III. *&* *Joannes* XX. *Archipresbyter Romanæ Ecclesiæ Antipapæ.*
1044. *Gregorius* VI. an. 2. m. 8.
1046. *Clemens* II. Episcop. Bambergæ, mensibus novem.
1048. *Damasus* II. diebus 23.
1049. *S. Leo* IX. Ep. Tullensis an. 5. m. 2. d. 7.
1054. *Victor* II. Ep. Eystetensis an. 2. m. 6.
1057. *Stephanus* IX. octo fermè mensibus.
1059. *Nicolaus* II. an. 2. m. 6.
Joannes Mincius Benedictus X. Antipapa.
1061. *Alexander* II. Anselmus annis 11. mens. 6. d. 22.
Cadalous Antipapa dictus Honorius II.
1073. *S. Gregorius* VII. annis 12. m. 1. d. 3.
1080. *Clemens* III. *Guibertus Episc. Ravennas Antipapa.*
1086. *Victor* III. mensibus ferè decem.
1088. *Urbanus* II. Odo, annis 11. m. 4. d. 18.
1099. Paschalis II. an. 18. m. 5. d. 4.
Mortuo Guiberto tres Antipapæ brevi tempore.
1118. *Gelasius* II. an. 1. d. 4.
Mauricius Burdinus Arch. Bracaræ Antipapa.
1119. *Callistus* II. an. 5. m. 10. d. 13.
1124. *Honorius* II. an. 5. m. 1. d. 17.
Callistus III. Theobaldus dictus cedit Honorio.
1130. *Innocentius* II. an. 13. m. 7. d. 10.
1130. *Petrus Leonis, dictus Anacletus* II. *Antipapa.*
Gregorius dictus Victor III. *Antipapa.*
1143. *Cælestinus* II. m. 5. d. 13.
1144. *Lucius* II. m. 11. d. 14.
1145. *Eugenius* III. an. 8. m. 4. d. 13.
1153. *Anastasius* IV. an. 1. m. 4. d. 24.
1154. *Hadrianus* IV. an. 4. m. 8. d. 29.
1159. *Alexander* III. an. 21. m. 11. d. 21.
Octavianus Victor IV. *Antipapa.*
Guido Cremensis Paschalis III. *Antipapa.*
Joannes Abbas Callistus III. *Antipapa.*
1181. *Lucius* III. an. 4. m. 2. d. 18.
1185. *Urbanus* III. an. 1. m. 10. d. 25.
1187. *Gregorius* VIII. duobus ferè mensibus.
1188. *Clemens* III. an. 3. m. 2. d. 10.
1191. *Cælestinus* III. an. 6. m. 8. d. 28.
1199. *Innocentius* III. an. 18. m. 6. d. 9.
1216. *Honorius* III. an. 10. m. 8.
1227. *Gregorius* IX. an. 14. m. 5. d. 3.
1241. *Cælestinus* IV. diebus 18.
1243. *Innocentius* IV. an. 11. m. 5. d. 14.
1254. *Alexander* IV. an. 6. m. 5. d. 4.
1261. *Urbanus* IV. an. 3. m. 1. d. 4.
1265. *Clemens* IV. an. 3. m. 9. d. 2.
Vacavit Sedes annis 2. *m.* 9. *d.* 2. *seu mens.* 33.
1271. *Gregorius* IX. an. 4. m. 4. d. 10.
1276. *Innocentius* V. m. 5. d. 5.
1276. *Hadrianus* V. diebus 39.
1276. *Joannes* XXI. m. 8. d. 8.
1277. *Nicolaus* III. an. 2. m. 9. d. 2.
1281. *Martinus* IV. an. 4. m. 1. d. 7.
1285. *Honorius* IV. an. 2. cum uno die.
1287. *Nicolaus* IV. an. 4. m. 1. d. 14.
Vacat Sedes Romana duobus annis m. 3. *d.* 2.
1294. *S. Cælestinus* V. abdicat post 5. m. & d. 8.
1294. *Bonifacius* VIII. an. 8. m. 9. d. 18.
1303. *Benedictus* XI. m. 8. d. 17.
1305. *Clemens* V. in Gallia annis 8. m. 10. d. 16.
Vacat Sedes annis duobus m. 3. *d.* 17.
1316. *Joannes* XXII. Avenione annis 18. mens. 3. dies 28.
1334. *Benedictus* XII. Avenione annis 7. men. 4. dies 6.
1341. *Clemens* VI. Avenione an. 10. m. 6. d. 29.
1352. *Innocentius* VI. Avenione an. 9. m. 8. d. 20.
1362. *Urbanus* V. Avenione annis 8. m. 1. d. 23.
1371. *Gregorius* XI. Avenione annis 7. m. 2. d. 24.
1378. *Urbanus* VI. Romæ electus ducentesimus à S. Petro Papa, sedit an. 11. m. 6. d. 6.
1378. *Robertus Genevensis Clemens* VII. *Antipapa Avenione.*
1389. *Bonifacius* IX. Romæ sedit an. 14. m. 11.
1394. *Benedictus* XIII. *Petrus de Luna Antipapa.*
1404. *Innocentius* VII. Pontifex an. 2. d. 22.
1406. *Gregorius* XII. an. 2. m. 6. d. 14.
1409. *Alexander* V. m. 10. d. 8.
1410. *Joannes* XXIII. an. 5. d. 15. post ejus depositionem vacat sedes Romana 2. an. m. 5. d. 10.
1417. *Martinus* V. creatus Constantiæ, an. 13. m. 3. d. 12.
1424. *Post Benedictum* XIII. *Ægidius Antipapa Clemens* VIII.
1431. *Eugenius* IV. sedit an. 15. m. 11. d. 20.
1439. *Amedeus Sabaudiæ Dux Felix* V. *Antipapa.*
1447. *Nicolaus* V. Pontifex an. 8. d. 19.
1455. *Callistus* III. sedit an. 3. m. 5. d. 29.
1458. *Pius* II. Æneas Sylvius an. 5. m. 11. d. 27.
1464. *Paulus* II. an. 6. m. 10. d. 26.
1471. *Sixtus* IV. Rom. Pontifex an. 13. d. 5.
1484. *Innocentius* VIII. an. 7. m. 10. d. 27.
1492. *Alexander* VI. sedit annis 11. d. 8.
1503. *Pius* III. Senensis tantùm diebus 26.
1503. *Julius* II. an. 9. m. 3. d. 21.
1513. *Leo* X. Romanus Pontifex annis 8. d. 20.
1522. *Hadrianus* VI. an. 1. m. 8. d. 6.
1523. *Clemens* VII. an. 10. d. 7.
1534. *Paulus* III. an. 15. d. 28.
1550. *Julius* III. an. 5. m. 1. d. 16.
1555. *Marcellus* II. Cervinus sedit tantùm diebus 21.
1555. *Paulus* IV. an. 4. m. 2. d. 24.
1559. *Pius* IV. an. 5. m. 11. d. 15.
1566. *Pius* V. annis sex, m. 3. d. 24.
1572. *Gregorius* XIII. an. 12. m. 10. d. 29.
1585. *Sixtus* V. Roman. Pontifex, an. 5. m. 4. diebus 3.
1590. *Urbanus* VII. diebus dumtaxat tredecim.
1590. *Gregorius* XIV. m. 10. d. 10.
1591. *Innocentius* IX. mensibus duobus.
1592. *Clemens* VIII. an. 13. m. 1. d. 3.
1605. *Leo* XI. sedit tantùm diebus 27.
1605. *Paulus* V. an. 15. m. 8. d. 12.
1621. *Gregorius* XV. an. 2. m. 5.
1623. *Urbanus* VIII. an. 20. m. 11. d. 22.
1644. *Innocentius* X. annis decem, m. 3. d. 22. obiit 7. Januarii 1655.
1655. ALEXANDER VII. dictus antea Fabius Chisius, post tres menses à morte decessoris, electus 7. Aprilis.

S E-

SECTIO V.

Cæsares XII. & Imperatores Romani.

ANNO U. C. 705. *Julius Cæsar* primùm Dictator creatus, Idib. Martiis anni U. C. 709. in Senatu confossus est.

Augustus Cæsar post cædem C. Julii fuit secundus Romanorum, ab anno Urbis conditæ 711. Mundi 4011. Juliano tertio, Imperator, Quartæque auctor Monarchiæ, (quæ superatis in Macedonia, Syria atque Ægypto Alexandri Magni successoribus, Græcisque universis, anno demum U. C. 724. emergere cœpit) obiit Nolæ in Campania 19. mensis Augusti, anno Æræ Christianæ 14. Romæ 767. Mundi 4067. ætatis 76. Imperii 57. Monarchiæ 44. Coss. duobus Sextis Pompejo & Apulejo.

Anno U. C. 767. Mundi 4067. & 14. Æræ Christi, qua deinceps utemur, *Tiberius* imperare cœpit ad an. 22. & 6. ferè menses.

76. C. *Caligula* Germanici filius, annis 3. mens. 10. d. 8.

41. *Claudius* Caligulæ patruus, ann. 13. mens. 8. diebus 20.

54. *Nero* Agrippinæ filius, an. 13. m. 7. d. 28.

68. *Galba* imperat tantùm sex mensibus, d. 7.

69. *Otho* tribus mensibus, diebus quinque.

69. *Vitellius* mensibus octo, diebus quinque.

69. *Vespesianus* an. 10. minus diebus sex.

79. *Titus* deliciæ generis humani, an. 2. m. 2. diebus 20.

81. *Domitianus* ejus frater Imp. an. 15. d. 6.

96. *Nerva* Imperator anno uno, m. 4. d. 11.

98. *Trajanus* an. 19. m. 6. d. 15.

117. *Hadrianus* an. 20. m. 11.

138. *Antoninus* Pius an. 22. cum dimidio.

161. *Marcus Aurelius* Antoninus an. 19. d. 10.

161. *Lucius Verus* novem tantùm annis.

180. *Commodus* Aurelii F. an. 12. m. 9. d. 14.

193. *Helvius Pertinax* tantùm m. 2. d. 26.

193. *Didius Julianus* m. 2. d. 5.

193. *Severus* Imperator per an. 17. m. 8. d. 3.

211. *Caracalla* ejus filius an. 6. m. 2. d. 5.

217. *Macrinus* cum filio anno uno, m. 2.

218. *Alagabalus* seu Heliogabalus an. 3. m. 9. d. 4.

222. *Alexander* Severus an. 13. d. 9.

235. *Maximinus* cum filio an. 2. & aliquot mensibus.

238. *Pupienus* & *Balbinus* mensibus 9. aut 10.

238. *Gordianus III.* Junioris Gord. F. annis 5. aut 6.

244. *Philippus* cum filio annis 5. & aliquot mensibus.

249. *Decius* cum filio imperat annis circiter tribus.

251. *Gallus* Treb. cum *Volusiano* imperat ann. 2. mens. 4.

254. *Valerianus* imperavit sex aut septem annis.

260. *Gallienus* solus patre à Persis capto, ann. circiter 8.

Eo imperante exorti sunt Triginta propemodum Tyranni, de quibus plura ex Trebellio Pollione aliisque diximus alio in opere.

268. *Claudius II.* imperat annis fermè duobus.

270. *Aurelianus* annis quinque aut sex.

275. *Tacitus* mensibus sex cum dimidio. *Floriano* fratri ejus tribuuntur menses duo aut tres.

276. Aurelius *Probus* annis sex, mensibus quatuor.

282. *Carus* cum filiis uno circiter anno: *Carinus* occisus fuit apud Margum anno 285. *Numerianus* ejus frater ab Apro anno 284. & hic à Diocletiano.

284. *Diocletianus* imperavit annis propè 20.

Maximianus Herculius ejus collega annis 18.

304. *Constantius* Chlorus annis 2. mens. 3. diebus 25.

Galerius Maximianus Armentarius seu Jovius, Constantii collega imperavit per annos septem.

SECTIO VI.

Imperatores Romani Christiani.

306. CONstantinus Magnus per annos 30. menses 9. dies 27. Vicit Tyrannum Maxentium anno 312. die 24. Septembris, unde initium Indictionum.

337. *Constantius*, cum fratribus Constantino & Constante, tum solus, imperavit in universum à morte patris annis 24. m. 5. d. 13.

361. *Julianus* dictus Apostata anno uno, mens. 7. diebus 27.

363. *Jovianus* 7. mensibus d. 22.

364. *Valentinianus* Senior an. 11. mensibus 8. diebus 22.

375. *Gratianus* post obitum patris an. 7. mens. 9. d. 12.

383. *Valentinianus* Junior post cædem fratris annis octo, mensibus 8. diebus uno & viginti.

392. *Theodosius* Magnus post cædem Valentiniani II. seu Junioris duobus dumtaxat annis, & mensibus 5.

395. *Honorius* ab obitu patris regnat. annis 28. mens. 7.

425. *Valentinianus III.* imperat an. circiter 30.

455. *Petronius Maximus* per dies tantùm 77.

455. *Eparchius Avitus* per annum & mensem sex.

457. *Julius Majoranus* an. 4. m. 4. d. 2.

461. *Libius Severus* imperator per an. 3. m. 8. diebus 27.

465. *Interregnum duorum circiter annorum.*

467. *Flavius Anthemius* imperat annis 4. mens. 11.

472. *Anicius Olibrius* mens. 6. aut 7.

473. *Flavius Glycorius* an. 1. m. 3.

474. *Julius Nepos* Imperat. Romanorum an. uno mens. 3.

475. *Romulus* Augustus seu Augustulus per menses ferè 10. ab Odoacro Rege Herulorum depositus anno 476.

SECTIO VII.

Imperatores Occidentis Franci & Germani.

CArolus Magnus Pipini filius Rex Francorum, & Dominus totius propemodum Germaniæ, Italiæ, Atque Hispaniæ, coronatus fuit Imperator Romæ à Leone III. Papa die Natalis Domini anno 800. imperavit annos 13. mens. unum, & dies quinque. Obiit 28. Januarii 814.

814. *Ludovicus* Pius imperat an. 26. mens. 4. diebus 3.

840. *Lotharius* post patris obitum annos quindecim.

855. *Ludovicus II.* post obitum patris annis 20.

875. *Carolus* II. Calvus imperat ann. 1. menf. 9. diebus 14.
878. *Inferitur à plerifque Ludovicus Balbus Caroli Calvi F. fed falsò.*
881. *Carolus* III. Craffus, Ludovici Germ. regis F. an. ferè 7.
887. *Arnulfus* ab exauthorato patruo Craffo an. ferè 12.
899. *Ludovicus* III. ultimus ex ftirpe Magni Caroli annis 12. *Hic cum duobus fequentibus Conrado & Henrico aliifque pluribus in numerum Imperatorum refertur à Germanis, licèt nec Modoetiæ propè Mediolanum ferrea, nec Romæ aurea corona unquam à Pontificibus Romanis aut aliis eorum nomine redimiti fuerint.*
912. *Conradus* Dux Franconiæ imperaffe dicitur primus ex Germanis an. 7.
919. *Henricus* I. Auceps dictus feu Saxo 17. annis.
936. *Otho* I. Magnus ann. 36. menf. 10. & diebus 6.
Difces ex noftra Epitome Gallica, quo die & anno hic & fequentes à Summis Pontificibus fuerint coronati.
973. *Otho II.* poft patris obitum annis 10. menf. 7. d. 2.
983. *Otho III.* Rom. Imperator annis 17. menf. 1. d. 21.
1002. *S. Henricus II.* Claudus 23. ann. 5. menf. & d. 16.
1024. *Conradus II.* Salicus ann. 14. menf. 10. diebus 22.
1039. *Henricus III.* Niger Imp. an. 17. m. 4.
1056. *Henricus IV.* Senior an. 49. m. 10.
Adverfus eum electi Rudolfus & Hermannus.
1106. *Henricus V.* junior annis 18. menf. 9. diebus 15.
1125. *Lotharius II.* imperavit an. 13. d. 18.
1139. *Conradus III.* annis 12. m. 10. d. 15.
1152. *Fredericus I.* Ænobardus annis 37. menf. 3. d. 7.
1190. *Henricus VI.* Afper ann. 8. menf. 2. diebus 22.
1198. *Philippus* imperat annis decem, m. 3.
1208. *Otho IV.* poft obitum Philippi duodecim annis.
1218. *Fredericus II.* poft obitum Othonis ufque ad annum 1250. annis 33. Eo verò aut depofito an. 1245. aut mortuo an. 1250. electi funt
1245. *Henricus Landgravius Haffiæ & Thuringiæ.*
1248. *Guillelmus Comes Hollandiæ.*
1250. *Conradus IV. Friderici F.* ann. 3. menf. 5. diebus 10.
Richardus Comes Cornubiæ, Angliæ Regis frater, & Alfonfus X. Caftellæ Rex, creati fuerunt anno 1257.
1273. *Rodulfus I.* Habfpurgenfis imperat annis 18.
1292. *Adolfus* Naffavius annis fex cum dimidio.
1298. *Albertus I.* Auftriacus Imperat. annis 9. menf. 9.
1308. *Henricus VII.* Comes Lutzemburgenfis, annis quatuor cum decem præterea circiter menfibus.
1314. *Fredericus III.* Pulcher annis 15. Alii expungunt.
1314. *Ludovicus Bavarus* an. 32. & m. 11.
1346. *Carolus IV.* Bohemus, an. 32. m. 7.
1378. *Venceslaus*, ob ignaviam depofitus cùm imperaffet à morte patris annis 21. & fex ferè menfibus.
1400. *Rupertus* Bavarus, Reni Palatinus ann. 9. menf. 8.
1410. *Jodocus* Marchio Moraviæ.
1411. *Sigifmundus* Caroli IV. Imperat. Filius, ann. 26.
1438. *Albertus II.* Auftriacus anno 1. m. 7.
1440. *Fredericus IV.* Pacificus, an. 53. m. 4.
1493. *Maximilianus I.* ab obitu patris, ann. 25. menf. 5.
1519. *Carolus V.* Hifpaniæ Rex annis 38. menf. 2. d. 10.
1558. *Ferdinandus I.* poft obitum fratris, annis ferè 6.
1564. *Maximilianus II.* annis 12. menf. 2. d. 17.
1576. *Rodulfus II.* Roman. Imperator annis 35. menf. 3.
1612. *Matthias* annis fex, menfibus novem.
1619. *Ferdinandus II.* annis 8. & m. 4.
1637. *Ferdinandus III.* Erneftus dictus, obiit 2. Julii 1657. ætatis 49.
1658. *Leopoldus* Ignatius ejus filius electus eft Francofurti Imper. Romanorum 18. Julii, coronatur Kal. Augufti.

SECTIO XVIII.

Imperatores Græci, five Orientis.

306. Conftantinus Magnus annis 30. menf. 9. d. 27.
337. *Conftantinus* ejus filius annis 24. menf. 5. diebus 13.
361. *Julianus* Apoftata an. 1. m. 7. d. 27.
363. *Jovianus* feptem menfibus, diebus 22.
364. *Valens* à Valentiniano creatus an. 14. m. 4. diebus 9.
379. *Theodofius* à Gratiano creatus annis ferè 16.
395. *Arcadius* poft obitum patris ann. 13.
408. *Theodofius* Junior an. 42. m. 2. d. 28.
450. *Martianus* annis 6. & fermè 6. m.
457. *Leo* Magnus feu Macelles, unà cum *Leone* Zenonis filio, nepote ejus ac fucceffore, an. 17. & menf. 9.
474. *Zeno* Ifaurus annis 17. cum dimidio.
491. *Anaftafius I.* imperavit an. 27. m. 3.
518. *Juftinus I.* Imper. Romanorum, an. 8. m. 8. diebus 23.
527. *Juftinianus I.* Magnus, annis 39. menf. 7. diebus 23.
566. *Juftinus II.* annis 11. & fermè 1. m.
578. *Tiberius* Conftantinus poft Juftini obitum, feu folus, annis 3. & 10. circiter menfibus.
582. *Mauricius* imperavit annis 20. menf. 3. diebus 13.
602. *Phocas* tyrannus per ann. 7. menf. 10. diebus 18.
610. *Heraclius* imperat an. 30. m. 5. d. 7.
641. *Conftantinus* centum & tribus diebus. Frater ejus *Heracleonas* fermè fex menfibus.
641. *Conftans* imperat annis 26. menf. 8. cum dimidio.
668. *Conftantinus* Pogonatus an. 16.
685. *Juftinianus II.* five Rhinotmetus an. 10.
695. *Leontius* Patricius imperat annis fermè 3.
698. *Tiberius* Apfimarus imperat annos propè 7.
705. *Juftinianus* iterum Imperator annis fermè 6.

711. *Philippicus* Bardanes anno uno & 6. mensibus.
713. *Artemius* sive Anastasius II. annis duobus, &c.
715. *Theodosius* Adramyttenus uno anno, 2. mensibus.
717. *Leo* Conon Isaurus annis 24. & ferè 3. mensibus.
741. *Constantinus* Copronymus annis 34. mens. 3.
775. *Leo* IV. Chazarus an. ferè quinque.
780. *Constantinus* cum matre Irene annis sedecim.
797. Christi anno *Irene* sola annis 5. mens. 2. d. 16.

SECTIO IX.

Impp. Orientis ab anno 802. ad 1453.

802. Nicephorus Logotheta annis 8. mens. 8. d. 27.
811. *Michael* Rangabe an. circiter duobus.
813. *Leo* V. Armenus an. 7. m. 5. d. 14.
820. *Michael* II. Balbus annis 8. mens. 9. diebus aliquot.
829. *Theophilus* annis 12. m. 3. d. 20.
842. *Michael* III. Theodoræ F. an. 25. m. 8.
867. *Basilius* Macedo imperat an. 8. m. 5.
886. *Leo* VI. Sapiens an. 25. m. 3. d. 12.
911. *Alexander* Basilii F. m. 11. d. 27.
912. *Constantinus* Porphyrogenitus solus, & cum *Romano* Lecapeno socero annis à morte patrui 48. & mens. 5.
959. *Romanus* junior an. 3. m. 4.
963. *Nicephorus* Phocas an. 6. m. 3. d. 6.
969. *Joannes* Tzimisces an. 5. m. 11. d. 10.
975. *Basilius* II. Bulgaroctonus an. 50.
975. *Constantinus* junior Porphyrogenitus cum Basilio fratre an. 50. & solus tribus circiter annis.
1028. *Romanus* Argyropolus an. 5. m. 6.
1034. *Michael* IV. Paphlago annis 7. mens. 8. aut 9.
1041. *Michael* V. Calaphates m. 4. d. 5.
1042. *Constantinus* Monomachus ann. 12. mens. 5. d. 20.
1054. *Theodora* soror Zoes ann. 1. mens. 8. diebus 20.
1056. *Michael* IV. Stratioticus an. 1. d. 10.
1057. *Isaac* Comnenus imperavit annis duobus, mens. 3.
1059. *Constantinus* Ducas an. 7. m. 6.
1068. *Romanus* Diogenes an. 2. m. 8. d. 12.
1071. *Michael* VII. Ducas Parapinacius ann. 6. mens. 6.
1078. *Nicephorus* Botaniates annis 2. mens. 11. d. 20.
1081. *Alexius* Comnenus ann. 37. mens. 4. diebus 15.
1118. *Joannes* Comnenus an. 24. m. 7. d. 13.
1143. *Manuel* Comnenus an. 37. m. 5. d. 23.
1180. *Alexius* Comnenus Junior ann. 3. diebus aliquot.
1183. *Andronicus* Comnenus an. 1. m. 1. d. 10.
1185. *Isaac* Angelus an. 9. m. 7. d. 29.
1195. *Alexis* Angelus an. 8. m. 3. d. 10.
1203. *Alexis* Angelus junior, m. 5. d. aliquot.
1204. *Alexius* Ducas Mursuphlus m. 2. d. 16.
1204. *Theodorus* Lascaris Niceæ an. 18.
1222. *Joannes* Ducas Batatzes ann. 33.
1255. *Theodorus* junior Lascaris an. circiter 4.
1258. *Joannes* Lascaris exiguo tempore.
1259. *Michael* Palæologus annis 24. mens. 2. diebus 20.
1283. *Andronicus* Palæologus an. 45. m. 6.
1327. *Andronicus* junior solus an. fermè 15.
1341. *Joannes* Cantacuzenus annis 14.
1355. *Joannes* Palæologus imperavit an. 27.
1384. *Manuel* Palæologus annis 36.
1419. *Joannes* Palæologus II. ann. ferè 30. aut à morte patris tantùm annis 23. m. 3. d. 10.
1448. *Constantinus* Palæologus Dracoses annis 4. mens. ferè 7. cæsus est die Martis post Dominicam Trinitatis 29. mensis Maji anni æræ Christianæ 1453. capta à *Mahomethe* II. Turcarum Principe Constantinopoli: elapsis ab 11. Maji anni 330. qua dedicata fuerat, annis M. 1122. & diebus 18.

SECTIO X.

Franci Orientis Imperatores.

1204. Balduinus Comes Hannoviæ primus Francorum in Græcia imperavit capta Const. die Aprilis 12. inauguratus 16. Maji, tum captus à Bulgaris 14. Aprilis anni sequentis, & occisus exeunte Julio an. 1206.
1206. *Henricus* post obitum fratris coronatus 20. Augusti, imperavit usque ad 11. Junii 1216. ann. 10. m. 9. d. 22. quo die defunctus est.
1217. *Petrus* de Cortiniaco, Comes Autisiodorensis, coronatus die 9. Aprilis, occisus paulò post à Theodoro Comneno Principe Dyrrachii. Jole ejus uxor soror Balduini & Henrici obiisse dicitur anno 1220.
1224. *Philippo* Comite Namurcensi majore natu imperium detrectante, regnat frater ejus *Robertus* an. 10. usque ad an. 1234. cui suffectus *Joannes* tutor Balduini.
1239. *Balduinus* frater Roberti. Is duxit Mariam filiam *Joannis Brienensis Regis* Aconensis, sive Hierosolymorum, Imperii Const. per aliquot annos administratoris, & cùm solus imperasset annos 22. fugere coactus est capta Urbe à Græcis die 25. Julii anni 1261. ex supputatione Græcorum ab orbe condito 6769. obiitque anno Æræ Christi 1273.
1273. *Philippus* Balduini F. ejusque filia *Catharina* Corteniaca uxor Caroli Comitis Valesii titulum Imperii Const. gestarunt per aliquot annos.

SECTIO XI.

Reges & Imperatores Turcarum in Oriente.

1300. Seu 1298. *Othomanes* F. Orthogulis annis 27.
1327. *Orchanes* regnavit annis 32.
1359. *Amurathes* I. Gasis dictus, annis itidem 32.
1389. *Bajazethes* I. Gilderin, captus fuit à Tamerlane seu Temire Tartarorum Principe 29. Julii 1402. & an. seq. obiit, cùm imperasset an. 14.
1402. Filii Bajazethis, *Isa* Zelebis, *Solymanes*, *Musa*, seu Moses, & *Mahumethes* I. Hic solus imperare cœpit anno Hegiræ 816. Christi 1413. obiitque anno 1421.

1422. *Amurathes II.* annis 31.
1451. *Mahomethes II.* primus Imperator Const. quam cepit die 29. Maji 1453. obiit verò die 3. Maji anno 1481. post regnum annorum 31.
1481. *Bajazethes II.* annis 31.
1512. *Selimus I.* ad annos ferè novem.
1520. *Solymanus II.* annis ferè 46.
1566. *Selimus II.* an. 8. m. 3.
1574. *Amurathes III.* an. 20. m. 1. d. 6.
1595. *Mahomethes III.* an. 8. m. 11. d. 4.
1603. *Achmetes I.* annis 13. m. 10. d. 26.
1617. *Mustapha* frater Achmetis mensibus duobus.
1618. *Osmanes* Frater Achmetis annis 4. mens. ferè 4.
1621. *Mustapha* iterum ad an. 1. & 4. menses.
1623. *Amurathes IV.* Achmetis F. annis 16. menses 5.
1640. *Ibraimus* fratri Amurathi successit, obiitque Augusti 18. anni 1649. relicto filio Mahomethe *IV.*

SECTIO XII.

Francorum Regum Dynastia Prima.

CIRCA ann. 420. *Faramundus,* primus Francorum Rex tribus quatuorve annis regnare cœpit ante obitum Imperatoris Honorii, qui contigit 15. Augusti anno Æræ Christianæ 423. Regnavit verò ann. 7. aut 8.
427. *Clodio* Crinitus Rex Francorum annis viginti.
447. *Meroveus* Magnus regnat decem annis.
457 *Childericus I.* in universum regnat annis 24.
481. *Clodoveus I.* seu Magnus regnat ann. 30. vivit 45.
511. *Clotarius I.* cum Fratribus Theoderico, Clodomero, & Childeberto, & solus, annis omnino 50.
561. *Chilpericus I.* cum Fratribus Chariberto, Sigeberto, & Guntramno regnat annis 23.
584. *Clotarius II.* annis 45. solus verò ab anno 614.
628. *Dagobertus I.* post patrem ann. quindecim.
644. *Clodoveus II.* regnat ann. 18. circiter.
662. *Clotarius III,* annis 14.
676. *Childericus II.* solus annis 4. circiter.
680. *Theodoricus I.* annis 14. tantùm, non verò 24.
694. *Clodoveus III.* Rex Franc. quatuor annis.
694. *Childebertus* Justus, regnavit 17. annis, solus an. 13. ab anno 698.
711. *Dagobertus II.* ejus filius annis 4.
716. *Chilpericus II.* Daniel Clericus dictus annis 4.
720. *Theodoricus II.* Calla dictus Rex annis 17.
737. *Interregnum sex aut septem annorum.*
743. *Childericus III.* Ignavus, annis 8. aut 9.

SECTIO XIII.

Francorum Regum secunda Dynastia.

752. *Pipinus.* Brevis regnavit sedecim annis.
768. *Carolus Magnus* Rex Francorum annis 45. mens. 4. dies 4. imperavit annis tredecim, uno mense, diebus 4.
814. *Ludovicus* Pius à morte patris ann. 26. m. 4. diebus 23.
840. *Carolus* Calvus regnavit annis 37. mens. 3. diebus 16.
877. *Ludovicus* Balbus ann. uno, mensibus 6. diebus 3.
879. *Ludovicus III.* tribus annis, & mens. ferè 4.
879. *Carolomannus* solus & cum fratre annis 5. mens. 8.
885. *Carolus Crassus Imperat. Rex Francorum 3. annis.*
888. *Odo Roberti Fortis Filius, regnat 10. annis.*
893. *Carolus III.* Simplex dictus regnat 30. annis cum aliquot insuper mensibus usque ad 923. quo carceri mancipatus est.
922. *Robertus Odonis Regis frater uno ferè anno.*
923. *Radulfus Dux Burgund. Roberti gener, annis 12.*
936. *Ludovicus IV.* Ultramarinus annis 18. m. 3. diebus 26.
954. *Lotharius* annis uno & triginta cum 4. mens. & diebus 18.
986. *Ludovicus V.* solus anno uno, mens. 3. diebus 20.

SECTIO XIV.

Francorum Regum Tertia Dynastia.

987. HUGO Capetus annis 10. mens. 3. aut 4.
997. *Robertus I.* Pius solus ann. 33. & mens. 8. aut 9.
1031. *Henricus I.* à morte Patris annis 29. diebus 15.
1060. *Philippus I.* à morte patris annis propè 48.
1108 *Ludovicus VI.* Crassus regnat annis 30. diebus 3.
1137. *Ludovicus VII.* Junior post patrem ann. 43. m. 1. d. 17.
1180 *Philippus II.* Augustus sive Adeodatus post mortem patris regnavit ann. 42. m. 9. d. 26.
1223. *Ludovicus VIII.* Leo dictus, annis 3. m. 3. d. 24.
1226. *S. Ludovicus IX.* regnat an. 43. mens. 9. d. 16.
1270. *Philippus III.* Audax an. 15. mens. uno, d. 11.
1285. *Philippus IV.* Pulcher an. 29. mens. uno, d. 23.
1314. *Ludovicus* X. Hutinus anno uno, mens. 8. diebus 6.
1316. *Joannes* Hutini filius minùs octo diebus.
1317. *Philippus V.* Longus ann. 5. mens. uno, d. 13.
1322. *Carolus IV.* Pulcher an. 6. & d. 30.
1328. *Philippus VI.* Valesius seu Catholicus, Caroli Comitis Valesii filius, annis 22. mens. 5. d. 21.
1350. *Joannes* Bonus regnat ann. 13. mens. 7. d. 17.
1364. *Carolus V.* Sapiens an. 16. m. 5. d. 8.
1380. *Carolus VI.* Bene-amatus an. 42. mens. 1. d. 18.
1422. *Carolus VII.* Victor, annis 38. m. 9.
1461. *Ludovicus XI.* annis 22. m. 1. d. 8.
1483. *Carolus VIII.* annis 14. m. 7. d. 9.
1498. *Ludovicus XII.* Pater populi an. 16. m. 8. d. 23.
1515. *Franciscus I.* annis 32. mens. 3. uno die minus.

1547.

1547. *Henricus* II. regnat an. 12. m. 3. d. 10.
1559. *Franciscus* II. anno uno, m. 4. d. 26.
1560. *Carolus* IX. Rex Francorum, annis 13. m. 5. diebus 25.
1574. *Henricus* III. Rex Fr. & Pol. an. 15. m. 2. d. 3.
1589. *Henricus* IV. Magnus, Navarræ Rex, regnavit in Francia an. 20. m. 9. d. 12.
1610. *Ludovicus* XIII. Justus annis omnino 33. Francorum ac Navarræorum Rex fuit, obiit 14. Maji 1643.
1643. *Ludovicus* XIV. Adeodatus Francorum ac Navarræorum Rex Christianissimus. Æræ Christianæ præsens annus 1660. est regni ejus decimusseptimus. Inunctus fuit Sacro Chrismate Rhemis ab Episcopo Svessionensi Dominica S. Trinitatis 31. Maji 1654.

SECTIO XV.

Reges Wesegothorum, Vandalorum, &c.

Alaricus Wesegothorum Rex Romam cepit anno 409.
Gensericus Vandalorum Rex Carthaginem cepit 439. Romam verò anno 455. obiit verò anno 467.
Gundicarius Burgundiones regebat ab anno 413. ad 437.
Attila Hunnorum Rex victus in Gallia an. 451.
Odoacer Herulorum Rex Romam cepit an. 476.
Theodoricus Rex Ostrogothorum necat Odoacrum anno 493. & post regni Italici annos 33. cum aliquot mensibus moritur 30. Augusti an. 526.
Alboinus cum Longobardis in Italiam venit anno 568.
Desiderius ult. eorum Rex à Carolo captus an. 774.

SECTIO XVI.

REGES *Scotiæ, Angliæ, Daniæ, Sveciæ, Poloniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Persidis, Arabiæ, Legionis & Castellæ, Aragoniæ, Navarræ, Burgundiæ, Siciliæ, ac Neapolis, similesque, capere nesciunt hujus* Epitomæ *Chronologicæ, quas in gratiam Lectorum ex industria affectavimus, angustiæ.*

EPILOGUS.

CÆTERUM qui maximum ex brevis hujusce libelli nostri lectione fructum percipere voluerit singulis *Hebdomadis, propria* dumtaxat *Patriarcharum, Judicum, Regum, Pontificum, Imperatorumque, nomina*, quæ *Italico charactere* à cæteris sejuncta sunt, percurrat, & memoriæ quantum fieri poterit commendare conetur, relictis tantisper, quæ inter initia molestiam creare solent, *Annorum, mensium, dierumque*, supputationibus, sola Successionis serie contentus, hoc ordine.

Die Dominica, ab *Adamo ad Reges Persarum.*
Die Lunæ, à *Cyro ad Christiana sæcula.*
Die Martis, à *Christi sæculis ad Rom. Pontifices.*
Die Mercurii, à *S. Petro ad Alexandrum* VII.
Die Jovis, à *Cæsaribus* ad *Impp. Orientis.*
Die Veneris, ab *Impp. Orientis* ad *Reges Franciæ.*
Die Sabbati, à *Regibus Francorum usque ad finem.*

SE-

SECUNDÆ PARTIS REGIÆ EPITOMES
HISTORIÆ SACRÆ AC PROFANÆ A CHRISTO AD NOSTRAM ÆTATEM
INDEX ALPHABETICUS
Cuicumque Editioni ſerviens.

Arabici numeri annos Æræ Chriſti deſignant, Romani verò Arabicis poſtpoſiti Sectiones II. Partis hujuſce Epitomes repræſentant.

A.

B.

C.

Childe-

D.

E.

F.

G.

H.

I.

Joan-

Philip-

Quoniam verò non ignoro Eruditissimis Viris, etiam Theologis, adeò non displicuisse carmina nostra Technica, ut ea memoriæ commendare non fuerint dedignati, & ex iis fructum aliquem percepisse se in evolvendis tot annorum ambagibus ultro profiteantur; eam ob rem eadem hìc post Sacræ Profanæque Historiæ Regiam Epitomen repræsentare non dubitavi, ut & tu quoque quisquis es, Lector benevole, in iis, si arrideant, animum tuum memoriamque exercere valeas.

AD

LECTOREM

SACRÆ ET PROFANÆ HISTORIÆ AC CHRONOLOGIÆ CARMINE TECHNICO ILLIGATÆ STUDIOSUM.

TETRASTICA.

PRIMUM.

SI numeros MUSÆ, Numeros facundus APOLLO,
MNEMOSYNE Numeros, SACRAQUE TURBA probat;
Omnis amat Numeros ÆTAS; Tibi plaude, quod Omne
Contractum hìc nostros TEMPUS amet Numeros.

ALTERUM.

CUM Bonus Historiam nequeat narrare Poeta,
Miraris, scribat cur malus Historiam.
Si Bonus est, fingit: si non Bonus esse Poeta
Affectet, fiet tunc Bonus Historicus.

TERTIUM.

QUI cultos versus, & pexa Poemata quæris,
Absiste: Hæc aliàs. Nunc tibi Nostra vacat.
Musa, tuis studiis vacat, inquam; jam sapere aude.
Floribus excussis Poma ministrat. Abi.

Immò habe tibi hæc, Amice Lector, *qualiacumque schediasmata, dormiturientis ἀγρυπνίας non infelicem, certè non inutilem partum, utere fruere lucubrationibus nostris, memorque brevis ævi, ex temporis prætervolantis lapsu, fugaque tot jam præteritorum sæculorum, metire & cogita Æternitatem. Vale.*

VER-

VERSUUM TECHNICORUM HISTORIÆ SACRÆ AC PROFANÆ

PARS PRIMA.

AB ADAMO AD CHRISTUM DOMINUM

Per Annos MMMMLIII.

SECTIO PRIMA.

Patriarchæ Primæ Mundi Ætatis.

ADAM[1], Sethus[2], Enos[3], Cainan[4], cum Malalaele[5].
Jared[6], Hennoch[7], Mathusalemus[8], Lamech[9], Noe[10],
Semus[11].

SECTIO II.

Patriarchæ Secundæ Mundi Ætatis.

Arphaxad[12], Cainan[13], Salas[14], Heberque[15], Phalegque[16],
Rheu[17], Sarug[18], Nachor[19], genitorque Tharæus[20]
Abrami.

SECTIO III.

Patriarchæ Tertiæ Mundi Ætatis.

Abram[21], Isaac[22], Jacob[23], Levi[24], Caathus[25], & Amram[26].

SECTIO IV.

Judices Hebræorum Quartæ Mundi Ætatis.

POST Mosem Josue[1], Othoniel[2], longævus Aodus[3],
Cum Debora Baracus[4], Gedeonus[5], Abimelechusque[6].
Hinc Thola[7], Jairus[8], Jephthes[9], Abesanque[10], Ajalonque[11],
Abdon[12], Sampson[13], Heli[14], Samuel[15] quem proximus urget.

SECTIO V.

Reges Hebræorum ante & post Divisionem.

Hebræos Saul[1], & David[2], Salomonque[3] gubernant.
In Juda Roboamus[1], in Israel Jeroboamus[1].

SECTIO VI.

Reges Juda Quinta Mundi Ætate.

POST Roboamum[1], Abiamus[2], Asa[3], Josaphatque[4],
Joramque[5],
Ochosias[6], Athalia[7], Joas[8], cui junctus Amasis[9],
Azarias seu Osias[10], Joathamus[11], perditus Achaz[12],
Ezechias[13], & Manasses[14], Amon[15], Josiasque[16],
Tum Joachaz[17], Joakin[18], Jechonias[19], Sedecias[20].

SECTIO VII.

Reges Israel Quinta Mundi Ætate.

JEroboam[1], Nadab[2], Baasa[3] atque Ela[4], Zambrique[5],
& Amri[6],
Achab[7], Ochosias[8], Joram[9], Jehu[10], Joachasque[11],
Joas[12], Jeroboam[13], Zachar[14], Sellum[15], Manahemus[16],
Phacejas[17], Phacee[18], cui Osee[19] postremus adhæret.

SECTIO VIII.

Pontifices & Reges Machabæi.

POntifices Judas[1], Jonathas[2], Simon[3], atque Joannes[4].
Quique[5] sacros primus cinxit diademate crines;
Hinc Jannæus[6] Alexander, natique sequuntur
Hyrcanus[7] reducem ex Parthis quem oppressit Herodes;
Frater Aristobolus[8] Pompejo concidit hoste,
Et jussu Antoni Antigonus[9]: Fratrem Mariamnes
Tertium Aristobolum[10] Herodes extinxit in undis.

SECTIO IX.

Reges Babyloniorum seu Assyriorum.

BElus[1] seu Nembroth, Ninus[2], atque Semiramis[3], inde
Matricida Zames Ninyas[4], tum ingloria turba,
Septimus ac trigesimus horum est Sardanapalus[37].

SECTIO X.

Postremi Reges Assyriorum ex Scriptura.

PHUL[1], Theglat[2], Salma[3], Sennacherib[4], Assaqueraddon[5].

SECTIO XI.

Babylonii Reges ex Script. Ber. Ptol. &c.

POST Nabonassarum[1] Merodach[2] Babylone triumphat,

Exin Ben-Merodach, Nabuchodonosorus uterque,
Evilmerodachus, Baltassarus, atque Darius.

SECTIO XII.

Persarum Reges VI. Mundi Ætate.

CYRUS, Cambyses, Magus, Hystaspisque Darius,
Xerxes, Longimanus, Xerxes, cui Sogdia nomen,
Tum Nothus, & Mnemon, Ochus, Arses, atque Darius.

SECTIO XIII.

Macedonum Reges post Alexandrum.

TErtius à Carano ac vicesimus ille Philippo
Monarchiæ Græcorum auctor,
Natus Alexander Persas, Indosque subegit.
Post eum Aridæus, Cassander, atque Philippus,
Cum fratre Antipater, Poliorcetes & Pyrrhus.
Lysimachi Arsinoe atque Ceranni uxor, Meleagrus.
Antipater, cum Sosthene, & Antigono Gonata,
Demetrius, Tutor, Philippi & Perseus hæres.

SECTIO XIV.

Syriæ Reges Seleucidæ.

SEleucus, Soter, Deu', Callinicu', Ceraunus,
Magnus, Philopator, Illustris & Eupator, inde
Demetrius, Bala, Nicator, Tryphon, atque Sidetes,
Zebina, & Grypus, Cyzicenusque, Piusque,
Tigranemque sequens vix uno Asiaticus anno.
Seleucum, Antiochumque una cum fratre Philippo,
Eucero, atque Dionysio, Grypo patre natos
Quinque, Chronographiæ series mox ipsa docebit.

SECTIO XV.

Ptolomæi Reges Ægyptii.

LAgida, cum Philadelpho, Evergetes & Philopator,
Epiphanes, Philometor, Physcon, atque Lathurus,
Tres quoque Alexandri, Auletes, Dio cum Cleopatra.

SECTIO XVI.

Primi Reges Regnorum Priscorum.

ÆGialus primus Sicyone, sed Inachus Argis,
In Sparta Lelex, Cecrops regnavit Athenis.
Dardanus in Troja prior est, Perseusque Mycenis,
In Latio Janus, ut Sisyphus arce Corinthi.
In Lydis tum Heraclidæ Sparta atque Corintho,
Primus Rex Macetum Caranus, Tyriorum Abibalus,
Medorum Arbaces, & Romanæ Romulus urbis,
Arsaces in Parthis, in Pergameis Philetærus.

SECTIO XVII.

Romanorum Reges.

ROmulus, inde Numa, Hostiliusque & Marcius Ancus,
Tarquinius Priscus, tum Servius, atque Superbus:

SECTIO XVIII.

Tredecim Romanæ Urbis sæcula.

Octo ante Christianam Æram.

ROmulus, & Priscus Tarquinius, atque Superbus,
Galli Samnites, Pœni, Mithridatica, Cæsar.

Regnabant initio quinque sequentium isti Imperatores.

Claudius, Antonipietas, amboque Philippi,
Fratri hærens Constans, ternusque Valentinianus.

Si datur Homero & mollia vocabula & Græca ad lenitatem versus contrahere, extendere, inflectere: cur tibi similis audentia, præsertim non delicata, sed necessaria, negetur? inquit C. Plinius junior epistola quarta libri octavi Caninio suo bellum Dacicum scribere paranti, cui etiam hoc inter cætera suggerit: *Nihil esse quod non arte, curaque, si non potest vinci, mitigetur.*

VER-

VERSUUM TECHNICORUM HISTORIÆ SACRÆ AC PROFANÆ

PARS ALTERA.

A CHRISTO AD LUDOVICUM XIV.

Per Annos MDCLX.

SECTIO PRIMA.

XVII. Sæcula Christiana Tetrasticho inclusa.

CÆSAREUM[1], Antoni[2], Cædes[3], Constantiniani[4],
Barbaricum[5], Clodovingorum[6], Mahometis[7], & Icon[8].
Carlinum[9], Othonis[10], Capetinorum[11] Solymorum[12],
Sanctorum[13], Avenio[14], Turcæ[15], Hæretici[16], ac Lodoicus[17].

Tetrastichon hoc, & septemdecim sæculorum Christianæ Æræ brevem synopsim jam olim exhibueramus in nostra sacræ profanæque Chronologiæ Concordia.

SECTIO II.

Decem Persecutiones Ecclesiæ ex S. Augustino libri 18. de Civitate Dei, capite 52.

VOS Nero[1], Domitiane[2], Ulpi[3], Antonine[4], Severe[5],
Maximine[6], Deci[7], Valeri[8], Aureliane[9], Diocles[10].

Sunt qui duas præterea adjiciant Hadriani atque Juliani.

SECTIO III.

XIX Concilia Generalia.

NIcænum[1] Primum, & Constantinopolitanum[2],
Quæque Ephesi[3] mox, & Calcedone[4] sunt celebrata:
His tria succedunt Constantinopolitana[5, 6, 8],
Nicænum[7] tamen Octavo præpone secundum.
Hæc Oriens: at Roma[9] tibi Laterana[10, 11, 12] ministrat
Quatuor, & duo[13] Lugdunus[14], unumque Vienna[15],
Constantinensi[16] memor adjice[17] Florentinam,
Et Quintam Lateranensem[18], Synodumque Tridenti[19].

SECTIO IV.

Romani Pontifices ad Alexandrum VII.

POST Petrum Linus[1], Cletus[2], Clemens[3], Anacletus[4, 5].
Evaristus[6], Alexander[7], Sixtumque[8] Telesphor[9],
Hyginumque[10] sequens Pius[11], ut Soter[13] Anicetum[12].
Quartus Eleutherus[14] à decimo est, Victor[15] Zephyrino[16],
Callisto[17] Urbanus[18], Ponti[19] Anterus[20] & Fabianus[21],
Cornelio[22] Lucius[23], Stephano[24], & Sixto[25] Dionysus[26],
Felici[27] Eutychius[28], Cajo[29] hæret Marcellinus[30].
Marcellum[31] Eusebius[32], & Melchiades[33] comitantur,
Silvestrum[34] Marcus[35], Julium[36] Liber[37], Damasumque[38]
Siricius[39]: sed Anastasium[40] Innocentius[41] urget.
Zosimus[42] & Bonifac[43], Cæles[44], Sixtus[45], Leo[46] magnus,
Atque Hilarus[47] cum Simplicio[48], Felix[49], Gelasiusque[50],
Alter Anastasius[51], tum Symmachus[52], Hormisdasque[53].
Joannes[54], Felix[55], Bonifac[56], Mercur[57], Agapetus[58],
Silverius[59], Vigilus[60], Pelagus[61], Joannes[62], Benedictus[63],
Pelagiusque[64] alter, cum Gregorio[65] atque Sabino[66],
Tertius & Quartus Bonifacius[67, 68], indeque plures.

Romani Pontifices à Clemente V. ad Innocentium X.

Ad Rhodanum Clemens[V.], Joannes[XXII.] & Benedictus[XII.],
Clemens[VI.], Innocuus[VI.], Urbanus[V.], Gregoriusque[XI.].
Dein Romæ ad Tiberim Urbanus[VI.], Bonifacius[IX.], Innocentius[VII.], atque alii series quos proxima pandet.

SECTIO V.

XII. Cæsares, aliique Imperatores Romani usque ad Constantinum.

JUlius[1], Augustus[2], Tiberim[3] Caligamque[4] ferentes,
Claudius[5], atque Nero[6]: Galba[7], Otho[8], Vitellius[9], inde
Vespesiano[10] hærens Titus[11] cum Domitiano[12].
Nervam[13] Trajane[14], Hadrianum[15] excipis Antonine[16]:
Lucius & Marcus[17] fratres tibi Commode[18] cedunt,
Helvius[19] & Didius Julianus[20], deinde Severus[21]
Cum Nato[22], tum Macrinus[23], atque Alagabalo[24]
Junctus Alexander[25], Maximinus[26], Pupienus[27],
Gordianus[28], Deciusque[29] occiso utroque Philippo[30].
Hinc Gallus[31] cum Volusio, tum Valerianus[32],

Sub

Sub cujus nato [Gallieno] exurgunt triginta Tyranni.
[33]Claudius, [34]Aurelius, [35]Tacitus, [36]Probus, & [38]cum Natis [Car. Num.]
[37]Carus, queis [39]Diocles & Maximianus adhærent:
Hos sequeris Magni [40]Pater optime Constantini.

SECTIO VI.

Imperatores Romæ à Constantino Magno usque ad Augustulum.

POST [1]Patrem [2]Constans, [3]Constantius & [4]Julianus:
Te [5]Joviane premunt senior [6]Valentinianus,
[7]Gratianus cum [8]Fratre [Val. II.], & [9]Theudosius cum [10]Nato [Honorio].
[12]Maximus occidit te terne [11]Valentiniane.
[13]Avitus, [14]Majorinus, [15]Sever, [16]Antemiusque,
[17]Olybrius, tum [18]Glycerius, [19]Nepos, [20]Augustusque.

SECTIO VII.

Imperatores Occidentis à Carolo Magno ad Leopoldum Aug.

A Carolo [1]Ludovicus, [2]Lotharius, [3]alter
Inde [4]Ludovicus, [5]Calvum [6]Crassumque sequuntur
Francorum postremi [7]Arnulfus cum [8]Ludovico.
Guidonem atque Berengarium Itale, Lambertumque,
Bosonisque Ludovicum, Regemque Rodulfum.
Hugonemque Arelate vocas; Lotharius inde
Filius Hugonis, ac Berengarius adsunt.
[9]Conradum, [10]Henricum, tres & [11]Germania [12]Othones [13]
Prædicat, [14]Henricum cum [15]Conrado, [16]ac [17]tribus [18]inde
[III. IV. V.] Henricis, tum [19]Lotharium, [20]Conrad, [21]Fridericum,
[22]Henricumque, & certantem cum [24]Othone [23]Philippum,
Inde alter sequitur [25]Fridericus, eoque remoto
Henricus, Batavus, Richardus, & Adelfonsus.
Additur Habspurgus [26]Rudolfus, post eum [27]Adolfus
Victus ab [28]Alberto, dein [29]Lutzemburgicus, atque
Austriaci [30]Friderici hostis Bavarus [31]Ludovicus.
Tum [32]Carolus [33]Venceslai pater, atque [34]Rupertus,
Postque [35]Sigismundum gener Austrius [36]Adalbertus,
Quem sequeris [37]Friderice pater [38]Maxæmiliani,
Ut [39]Carolum quintum, [40]Ferdinandumque sequuntur
[41]Maximius, [42]Rudolf, [43]Mathias, duo [44][45]Ferdinandi.
Ignati Leopolde patri succedis, avoque.

SECTIO VIII.

Imperatores Orientis à Constantino ad Irenem.

POST [1]Constantinum [2]Constantius, & [3]Julianus,
Te [4]Joviane [5]Valens premit & [6]Theodosius; illum
[7]Archadius cum [8]Theudosio; [9]Marcum [10]Leo uterque,
[11]Zeno & [12]Anastasius; [13]Justinum [14]Justinianus,
[15]Justinusque alter, [16]Tiberinus, [17]Mauriciusque,
Quem [18]Phocas, [19]Heraclius, [20][21]natique sequuntur,
Dein [22]Constans, [23]Pogonatus cum [24]Justiniano,
Qui rediens necat [26]Apsimarum, & te clause [25]Leonti.
Inde [27]Philippicus, [28]Artemius, Monachusque [29]Adramytti.
Et Conon [30]Leo, tum [31]Copronymus, & [32]Leo quartus,
Cum [33]Constantino, quem [34]Irene mater abegit.

SECTIO IX.

Imperatores Orientis à Nicephoro.

NIcephorus[35], [36]Michael, [37]Leo, cum [38]Michaele parente
[39]Theophilus, [40]Michael Theodoræ, tum [41]Basilius,
[42]Et Sapiens Leo, quem [43]Frater, [44]Natusque sequuntur.
Inde alii quos Musa fugit comprendere versu.

Vide Catalogum Imperatorum Constantinopolitanorum una cum serie Patriarcharum ejusdem Regiæ Urbis, versibus Jambicis paulò liberioribus à Nicephoro Xanthopuli filio, ut volunt, Græcè conscriptum, & ad captam usque à Turcis Const. ab alio quopiam perductum, quem ex Codicibus Manuscriptis post Protrepticon nostrum ad omnes per Orbem Eruditos de Byzantinæ Historiæ Scriptoribus sub felicissimis LUDOVICI IV. *Francorum ac Navarræorum Regis Christianissimi auspiciis publicam in lucem emittendis, Primæ Delineationi Apparatus Historiæ Byzantinæ inserendum curavimus.*

SECTIO X.

Imperatores Orientis Francicæ Originis.

GALLIA [1]Balduinum, [2]Henricum, [3]Petrum atque [4]Robertum,
[5]Balduinumque dedit Constantinopolitanis.

SECTIO XI.

Turcarum Reges & Imperat. Orientis à capta anno 1453. Constantinopoli.

M[1]Echmeto [2]Bajazethus, [3]Selim, [4]Solimanus
Succedunt: dein [5]Selim, [6]Amurath, [7]Mechmetus
& [8]Achmet,
[9]Mustapha, [10]Osmanus, [9]Mustapha, [11]Amurath, [12]Ibraimus.

SECTIO XII.

Francorum Regum Dynastia Prima.

FRancorum Primus [1]Faramundus, [2]Clojo Secundus,
Tum [3]Meroveus, [4]Childericus, [5]Clodoveus,
[6]Clotarius, [7]Chilpericus, [8]Clotarius alter,
Quem premitis [9]Dagoberte, [10]Clodovee, atque [11]Clotari.
Hinc [1]Childericus [13]Theodoricusque sequuntur
Cum [14]Clodoveo, [15]Childebertus, [16]Dagobertus,
[17]Chilpericus, cuique est nomen Cala, [18]Childeque-ricus. [19]

SECTIO XIII.

Francorum Regum Dynastia secunda.

Pipinus[20], Carolus[21], Ludovicus[22], Carolusque[23],
Tum Ludovici[24,25] ambo, Carlomannus[26], Carolusque[27],
(Crassum atque Odonem, Robertum tolle, Rudolfumque)
Hinc Transmarinus[28], Lotharius[29], & Ludovicus[30].

SECTIO XIV.

Francorum Regum Dynastia tertia.

HUGO[31], Robertus[32], Henricus[33], atque Philippus[34]:
Post Crassum[35], Juvenemque[36] Augustus[37] cum Ludovico[38]
Sancti[39] Patre, cui Audacem[40], Pulchrumque[41] jugabis:
Hutinum[42] fratres Longus[43], Pulcherque[44] sequuntur.

Ex Familia Valesia.

Stemma Valesiacum accedit, Sextusque Philippus[45],
Joannes[46], & tres[47,48] Caroli[49], Ludovic[50], Carolusque[51].

Ex Familia Aurelianensi.

Stemmate in Aurelio Ludovic[52], Franciscus[53], & alter
Henricus[54], cum Francisco[55], Carolo[56], atque Henrico[57].

Ex Familia Borbonia.

Borbonium Henricum[58] duo suscipiunt Ludovici,
Justus, & Augusto nomen qui à NUMINE ducit,
A Faramundo Principe sexagesimus hæres.

SECTIO XV.

Wesegothorum, Vandalorum, Burgundionum, Hunnorum, Herulorum, Ostrogothorum, & Longobardorum Reges celeberrimi.

Weseghotos Alarice, & Genserice regebas
Vandalicos; Gundicarium Burgundio novit.
Attila Rex Hunnorum, Erulorum Rex Odoacrus.
Odoacrum Theodoricus Rex Ostrogothorum
Excipit: haud longo post tempore Longobardi
Alboino Duce, quos Carolus Termagnus abegit.

Habeant etiam hic Eruditi Vandalos in Africa Reges ordine sibi succedentes.

Gensricum[1], Hunricum[2], Gunthamundum[3], Thrasamundum[4]
Vandalia, Hildricumque[5] Afris dedit, ac Gilimerem[6].

A D

STUDIOSAM JUVENTUTEM

CAUTIO.

Cæterùm hìc studiosam Juventutem monitam velim, ne ex nostris hisce Versibus Technicis, quos Ausonii, Gregorii Nazianzeni, aliorumque Sapientissimorum Virorum auctoritate subnixi, nec nisi duræ necessitatis legibus devincti, nonnumquam licentiùs expressimus, crassiorique ac soloce filo contexuimus, legem scribendi carminis, atque exempla mutuentur. Habent Adolescentes Poeseos candidati illustratam à nobis pluribus libris Græcam Latinamque Prosodiam, aut Januam Musarum à R. P. Ludovico Cavalli reseratam, quas per otium consulere poterunt, ut inde tutò propriorum Nominum, in quibus non semper severiores Musas coluerunt Græci præsertim Poetæ, etiam venustiores, ut vel ex Anthologia quivis intelliget, quantitatem certam exploratamque ediscere possint. Certè si Enniana illa, ac verè præ nostris Rudina; Gau pro gaudium, Cœl pro cœlum, Medix pro Medixtutichas, aut Homerica δῶ *&* κρῖ, *ut decantatum* Ἄρες, Ἆρες *in medium non adducam, Hesiodicum* βεῖ, *Sophocleum* ῥᾶ, *Epicharmicum* Συρακώ, *& similia, de quibus plura doctissimus Strabo libro octavo Geographiæ commemorat, non displicuere antiquis in libero carmine. Quis morosus in operosissimo tot propriorum nominum seriatim suoque ordine descriptorum Catalogo Ludovic pro Ludovico, Marci pro Marciano, Ponti pro Pontiano, Maximium pro Maximiliano aut Maximino, Transmarinum, atque ejusdem generis nonnulla parcè ac nonnisi præfata venia, & verecundè raròque aspersa conqueretur? Neque verò verebor hìc addere, quod à tredecim & quod excurrit annis scripsisse memini: In ejusmodi Technicis Carminibus ad subsidium Vacillantis Memoriæ conscriptis, nec Cordatos viros venustatem quærere, nec æquos Judices Prosodica quædam in vocabulis dumtaxat Propriis errata reprehendere, cum in iis sola ametur, quæ memoriam juvet, discendi facilitas.*

SCRIPTORUM

ECCLESIASTICORUM,

QUOS

EMINENTISS. CARDINALIS

ROBERT. BELLARM. ATTIGIT.

Abacus Chronologicus, per sæcula Mundana, Romana, Christiana.

PRÆNOTANDUM.

LECTORES *Rerum Ecclesiasticarum studiosi indagatores observent, primis Æræ Mundanæ Sæculis viginti quinque, nullum extitisse Scriptorem Ecclesiasticum, cujus monumenta ad nostram usque ætatem pervenerint. Quæ enim de* ADAMI, SETHI, ENOCHI, ZOROASTRIS, ABRAHAMI, JACOBI, JOSEPHI, *aliorumque suppostitiis aut apocryphis scriptis circumferuntur, nullius aut saltem dubiæ admodum fidei atque auctoritatis esse copiosè Deo dante docebimus Prima Parte Bibliothecæ nostræ Universalis. Qui verò plura de singulis à Bellarmino Cardinale commemoratis Scriptoribus discere voluerit, adeat Dissertationem nostram, ex qua hæc brevissima Elogia ad stabiliendum Sæculorum Chronologiam ab eruditissimo aliàs Scriptore in plerisque aut neglectam aut labefactatam, sollerti diligentia excerpsimus.*

SCRI-

SCRIPTORES ECCLESIASTICI VETERIS TESTAMENTI ANTE CHRISTI ORTUM.

Mundi sæculo XXVI.

MOSES, Propheta ac Legislator Hebræorum natus anno Mundi 2464. patre Amramo, matre Jochabetha, eduxit Hebræos ex Egypto, & in monte Sina à Deo legem accepit anno Mundi 2544. tum post annos 40. obiit in monte Phasga anno Mundi 2584. ætat. 120.

Eodem labente Mundano sæculo floruit *Job* Propheta, qui anno Mundi 2330. natus in Hussitide, an. Mundi 2399. ætat. 70. victor superato dæmone evasit, & anno demùm Mundi 2539. ætatis 210. obiit.

Josue, Dux & Judex Hebræorum post Mosem primus, natus anno Mundi 2491. explorator missus in Cananitidem anno Mundi 2544. Jordanem an. 2584. transiit, Hierichuntem, aliasque urbes cepit, & post 17. Principatus annos obiit an. M. 2600. ætat. 110.

Mundi sæculo XXX.

Samuel, Propheta, & ultimus Israelitarum Judex, natus an. 2901. patre Helcana, matre Anna, post Heli mortem regere cœpit anno Mundi 2940. elapsisque Præfecturæ annis 22. Saulem unxit in Regem, & biennio ante ejus cædem obiit anno Mundi 2977.

Mundi sæculo XXXI.

David, Rex & Propheta, anno Mundi 2950. natus patre Isai Obedi filio, anno Mundi 2979. cæso Saule unctus in Regem Juda, tum post mortem Isboseth in Regem Israel an. 2985. obiit anno Mundi 3020. ætat. 72. regni 40.

Gad & Nathan Prophetæ vixerunt cum Davide, & post ejus mortem aliquot annis.

Salomon Rex natus anno Mundi termillesimo, in Regem vivo adhuc patre Davide inunctus est anno Mundi 3020. Templi fundamenta jecit anno Mundi 3023. regni 4. post Exodum 480. exactisque in regno annis 40. obiit anno Mundi 3059. ætatis 60.

Addo Propheta vivebat anno M. circiter 3060.

Abias Propheta valde senex vixit usque ad annum Mundi 3078. aut seq. quo ad eum venit uxor Jeroboami.

Mundi sæculo XXXII.

Jonas Propheta Niniven adiit ann. M. circ. 3168 regni Sardanapali postremi Assyriorum Regis 10. Idem jam provecta ætate vaticinatus est victorias Jeroboami II. Regis Israel circa annum 3212.

Mundi sæculo XXXIII.

Osee Propheta cœpit sub Ozia Rege Juda an. circ. M. 3270. agnosci, perseveravitque usque ad Ezechiæ Regis tempora, & an. U. C. circiter 10. Mundi 3310.

I. Romæ sæculo, Mundi XXXIV.

Præter *Osee*, de quo mox diximus anno U. C. circiter 10. M. 3310. sub Ezechia Achabi filio prophetasse dicuntur *Joel*, *Amos*, *Abdias*, seu *Obdias*, *Micheas*, *Nahum*, & *Habacuch*, necnon *Isaias*, qui sub Manasse Rege Ezechiæ filio serra sectus est an. U. C. 40. cùm jam ab ann. Oziæ Regis 52. M. 3277. prophetare cœpisset.

Eliachim, seu *Joachim* summus Hebræorum Pontifex creditur scripsisse librum Judith, quæ an. U. C. 46. Holofernem ad Bethuliam obtruncavit.

Tobias an. U. C. 11. Annam duxit uxorem, natus annos 36. ducitur captivus in Assyrios an. U. C. 14. Ezechiæ Regis sexto, visum amittit ætat. an. 56. U. C. 31. eumque ann. U. C. 35. recipit beneficio Raphaelis Archangeli, tum an. ætat. 102. Manassæ Regis 40. U. C. 77. moritur, relicto filio Tobia minore, qui vitam usque ad an. Urbis conditæ 110. protraxit.

Sophonias Propheta sub Josia Rege vixit an. U. C. 96. Mundi 3396.

II. Romæ sæculo, Mundi XXXV.

Jeremias Helciæ filius prophetare cœpit ab anno Josiæ Regis 13. U. C. 106. usque ad eversam à Magno Nabuchodonosore Hierosolymam, ann. U. C. 146. Sedeciæ undecimo. Anno seq. U. C. 147. ductus in Ægyptum à Judæis lapidibus oppressus est. De eo Martyrol. Rom. Kal. Maji.

Baruch famulus ejus ex Ægypto Babylonem profectus, annis aliquot superfuit.

Ezechiel ab anno Urbis conditæ 141. seu ann. 5. Transmigrationis Jechoniæ prophetavit in Babylone usque ad annum U. C. circiter 170.

III. Romæ sæculo, Mundi XXXVI.

Daniel adhuc puer an. U. C. 128. à Magno Nabuchodonosore ductus è Judæa Babylonem, illi exposuit somnia annis U. C. 153. & 163. tum nepoti ejus Balthassari an. 198. cui successit Darius Medus, apud quem auctoritate valuit, & apud Cyrum, qui an. U. C. 216. regni Persici 22. capta Babylone toti penè Asiæ imperare cœpit.

Aggæus & Zacharias prophetarunt anno 2. Darii Hystaspidæ Persarum Regis, U. C. 234. Olymp. LXV. primo.

Mardochæus Estheræ patruus, vivebat sub Artaxerxe Longimano an. U. C. 291. & sub eodem Esdras anno 294. è Perside venit Hierosolymam.

IV. Romæ sæculo, Mundi XXXVII.

Nehemias, Pincerna Regis Artaxerxis, anno 300. è Perside veniens Hierosolymam, muros ejus construere cœpit, ac mox sequentibus annis perfecit. Quo anno obierit non liquet, ut neque *Malachias*, postremus Prophetarum, qui anno U. C. circ. 310. vivebat.

V. Romæ sæculo, Mundi XXXVIII.

LXXII. Sacræ Scripturæ Interpretes sub Ptolemæo Philadelpho Lagidæ filio vixerunt circa an. U. C. 470. M. 3770.

Eodem fermè tempore vixit *Aristeas*, qui Historiam Translationis illius scripsit.

VI. Romæ sæculo, Mundi XXXIX.

Jesus, filius Sirach ὁ τὴν πανάρετον σύνταξας, vixit tempore Ptolemæi Evergetæ, tertii Ægyptiorum Regis, circa an. U. C. 350. Glycas in calce libri II. Annalium sub Antiocho Eupatore Epiphanis filio locat. Alii etiam tardiùs: sed videndum, ut Avus à Nepote distinguatur.

VII. Romæ sæculo, Mundi XL.

Joannes Hircanus Simoni patri an. U. C. 619. successit in Pontificatu Hebræorum, ad annos 31. obiitque anno U. C. 650.

Hactenus Scriptores Ecclesiastici Veteris Testamenti.

Nunc lustranda Æræ Christianæ sæcula, ducto ab eorum Rege initio.

SCRIPTORES ECCLESIASTICI NOVI TESTAMENTI, POST CHRISTI ORTUM.

Vitæ CHRISTI *Brevis summa.*

JESUS-CHRISTUS, Scriptorum omnium Ecclesiasticorum Princeps ac Magister, anno U. C. 753. M. 4053. Juliano 45. Consulibus Cornelio Lentulo & Calpurnio Pisone, conceptus de Spiritu Sancto die 25. Martii, & natus die 25. Decembris, octavo post die Kal. Janu. anni Juliani 46. U. C. 754. M. 4054. Æræ Christianæ (quam à vulgari Dionysiano non distinguimus,) primi, Consulibus C. Julio Cæsare & L. Æmilio Paulo circumcisus, adoratus à Magis 6. ejusdem mensis, oblatus in Templo 2. Februarii, in Ægyptum fugit, &c. Dein anno Juliano 75. Æræ Christi 30. Vinitio Quartino & Cassio Longino, qui duobus Geminis successerunt, Coss. die 6. Januarii baptizatus à Joanne Zachariæ filio in Jordane, abiit in desertum, esuriit, tentatus vicit, Apostolos vocavit, prædicavit, miracula edidit, usque ad an. Æræ Christianæ 33. quo die 3. Aprilis Nisan 15. feria sexta cruci suffixus à Judæis, expiravit annos natus 32. cum tribus insuper mensibus & diebus 10. Coss. Servio Sulpitio Galba, & L. Cornelio Sylla. Resurrexit die 5. Aprilis Dominica: Ascendit in Cœlum 14. Maji, Spirituque è cœlo in Discipulos misso die 24. Maji, Ecclesiam instituit columnam & firmamentum veritatis, usque ad extremum judicii diem, frementibus licèt Ethnicis, Judæis, Mahometanis, atque Hæreticis, perseveraturam.

I. Christianæ æræ sæculo.

S. Petrus, Jonæ filius, Andreæ frater, è cimba à Christo ad Apostolatum, totiusque Ecclesiæ Principatum, vocatus anno æræ Christianæ 30. accepto Spiritu Sancto die 24. Maji anni 33. Christum audacter prædicare cœpit Judæis, Romam venit anno 43. die 18. Januarii, Claudii tertio, tum elapsis 24. annis sub Nerone patibulo fixus obiit die 29. Junii anni 67.

S. Paulus, ad fidem conversus cùm veniret Damascum die 25. Januarii an. 34. & ab Anania baptizatus Athenis Dionysium ad fidem an. 50. convertit, Romam vinctus è Syria ducitur an. 56. Neronis 2. à quo jussus est capite minui die 29. Junii anni 67.

Philo, Judæus, sub Cajo Cæsare Caligula ann. Christi 40. Romam venit, ac deinde sub Claudio Imp. ubi cum S. Petro locutus perhibetur.

Achajæ Presbyteri & Diaconi mortem S. Andreæ Apostoli die 30. Nov. an. 59. aut 60. Patris crucifixi scripserunt.

S. Matthæus, sive *Levi*, ex Publicano Apostolus, Evangelium scripsit omnium primus an. 40. Martyrium passus die 21. Sept. an. circ. 60.

S. Marcus, discipulus S. Petri: ejus jussu ann. 43. Evangelium scripsit, vulgavitque, missusque in Ægyptum primus Alexandriæ Patriarcha fuit. Passus est die 25. Aprilis an. 61. aut 62.

S. Jacobus, Minor dictus, & Frater Domini, primus paulò post mortem Domini anno 33. institutus Hierosolymitanorum Antistes, ann. Neronis 8. ante initium Belli Judaici 4. fullonis fuste trucidatus Kal. Maji an. 61. aut 62.

S. Judas, Apostolus in Perside mortem pro Christo oppetiisse dicitur an. Christi 61. aut 62.

L. Annæus Seneca, Marci F. Neronis Imperat. præceptor, ejus jussu necem sibi sectis venis intulit anno Christi 65. biennio antequam Paulus capite truncaretur, cui scripsisse dicitur, ideoque à Sancto Hieronymo relatus in numerum Scriptorum Ecclesiasticorum.

S. Lucas, Antiochenus Medicus, atque Evangelista, itinerum S. Pauli comes, obiit 81. natus annos, circa annum Christi 70.

S. Martialis, Lemovicum Episcopus Aquitanorum Apostolus, à quibusdam obiisse dicitur an. 72. ætatis 59. Episcopatus 28. Alii ad tertium sæculum revocant cum Gregorio Turonensi, &c.

S. Linus, S. Petri in sede Romana ab anno 67. successor, passus est die 23. Septembris an. 78.

De Abdia Babylonis Episcopo nihil exploratum.

S. Hermas, discipulus D. Pauli, dictus Pastor, obiit 9. Maji circa annum 80. At Hermes frater Pii I. Papæ obiit anno circiter 150.

S. Pro-

S. Prochorus, unus de septem Diaconis, passus est Antiochiæ die 9. Aprilis exeunte sæculo Christi primo.

Fl. Josephus, Mathaniæ filius, natus anno Christi 40. captus à Romanis an. 67 Vespesiano prædixit imperium, Romam venit, scribebatque adhuc anno Christianæ æræ 94. quo anno obierit N. L.

S. Joannes, Zebedæi filius, & Jacobi frater, discipulus quem diligebat JESUS, Apostolus & Evangelista, obiit Ephesi die 27. Decembris ann. Christi 99.

S. Clemens, Apostolorum Petri & Pauli discipulus, & post Linum & Cletum Romanus Pontifex ab anno 91. per an. 9. m. 6. & d. 6. usque ad 23. Novembris an. 100. quo in Chersoneso Taurica passus est, primum Christianæ æræ sæculum feliciter clausit.

II. Christianæ æræ sæculo.

S. Ignatius, Antiochiæ post S. Evodium (cui tribuitur epistola τὸ φῶς) ab anno circiter Christi 69. Episcopus, Romæ in amphitheatro à feris discerptus est Kalendis Februarii anni 108.

S. Dionysius Areopagita, anno Christianæ æræ 50. ad fidem conversus, & à Sancto Paulo Athenarum Episcopus constitutus, multorum opinione missus à S. Clemente in Gallias an. circ. 93. pervenisse dicitur usque ad an. 117. aut 119. quo die 9. Octob. capite plexus est propè Lutetiam Parisiorum cum sociis Rustico & Eleutherio, ex Mart. Rom. Baronio, &c. Alii an. circiter Christi 93. sub Domitiano Athenis passum volunt die ejusdem mensis tertio, & diversum ab eo statuunt Parisiorum Episcopum sæculo Christi tertio post annum 250. Lutetiæ in Monte Martyrum aut in ipsa urbe capite truncatum.

Hermes, frater S. Pii Papæ I. obiit circa an. 150.

S. Justinus, Philosophus, pro Christo sanguinem fudit die 13. Aprilis anno 161. vel 163. Alii sub Pio aliquot ante annis Martyrium fecisse contendunt.

S. Polycarpus, Smyrnæ Episcopus, Sancti Joannis Apostoli discipulus, passus est valdè senex vel 23. Februarii an. 167. vel 20. Januarii anni 169. Alii quoque aliter censent.

S. Melito, Sardensis in Asia Episcopus, vivebat an. circ. 170.

Athenagoras, Philosophus Christianus, vivebat an. circiter 170.

S. Theophilus, Antiochiæ Episcopus, obiisse dicitur 13. Octobris ann. 180. Verùm Eusebius in Chronico ejus initia collocat anno Christi 168. & successoris ejus Maximini anno 177. Heroti verò ejus decessori annos 24. adsignat ab ann. 143. ad 168.

Hegesippus, vir Apostolicorum temporum, vivebat ann. circ. 180. Qui verò Pseudo-Hegesippus dicitur, vel est Ambrosius, vel aliquis ætate suppar, & anno 969. longè vetustior.

Tatianus, Syrus Sophista, post magistri sui Sancti Justini obitum lapsus in hæresim, vivebat an. circiter 180.

III. æræ Christianæ sæculo.

S. Irenæus, S. Polycarpi discipulus ac Lugduni post S. Pothinum seu Photinum ab ann. circiter 180. Episcopus, passus est die 28. Junii anni 201.

Q. Septimius Florens Tertullianus, Afer, in hæresim Montani, seu τὴν κατὰ φρύγας lapsus, atque Ecclesiæ ab anno circiter 208. hostis, obiit ann. circ. 215. Is licet Romanas leges edoctus, diversus tamen videtur à J. C.

Minucius Felix, Causidicus Romanus, vixit initio hujus sæculi, vel ex aliorum mente sub finem præcedentis, an. circ. 180.

Clemens, Alexandrinus & Stromateus dictus, Catecheseon Magister post Pantænum, floruit à fine superioris sæculi, obiitque anno circiter 210. aut 220.

S. Hippolytus, Portus Romani Episcopus, martyrium passus est die 22. Augusti anni 230. Paschalis ejus canon ab anno 222. incipit.

Julius Africanus, insignis Chronologus, florebat anno 220. & vixisse dicitur usque ad annos circiter 232.

Ammonius, Alexandrinus, Philosophus Christianus, Saccas dictus, magister Origenis & Plotini, obiit anno circiter 230. vel 240.

S. Cornelius, Papa ab an. 251. per an. 2. mens. 4. dies 17. usque ad diem 14. Septembris an. 253. quo passus est.

Origenes, Adamantius & Chalcenterus dictus, Alexandrinus Presbyter, obiit an. 254. ætatis 69.

S. Sixtus II. Papa creatus an. 257. post menses 11. diesque tredecim, passus est die 6. Augusti anno 258.

S. Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, Africæ Primas, ab an. circ. 248. passus est die 14. Septemb. eodem anno Christi 258.

Pontius, ejus Diaconus, & vitæ scriptor, obiit die 8. Martii post annum illum 258.

S. Zeno, Veronæ Episcopus, passus dicitur die 12. Aprilis ann. circ. 260. Quod si verum est, alius ab eo fuit, qui S. Ambrosii ætate vixit Veronæ Episcopus Syagrii decessor.

S. Gregorius, Taumaturgus, dictus etiam Theodorus, Origenis discipulus, ac Neocæsareæ in Ponto Episcopus, obiit die 17. Novembris anni 265.

S. Dionysius, post Heraclam Alexandrinus Episcopus, obiit die 17. Novembris an. 265.

IV. Christianæ æræ sæculo.

S. Methodius, Olympi, seu Patarorum in Lycia, tum Tyri in Phœnicia Episcopus, passus est die 18. Sept. anni 303.

S. Victorinus, Petabonienfis in Pannonia superiori, non verò Pictaviensis in Aquitania II. Episcopus, passus est die 2. Novembris anni 303.

Arnobius, Afer, Siccensis Rhetor, scribebat anno 297. & ex Hieronymo pervenisse videtur usque ad annum 326.

Cœlius Lactantius Firmianus, jure dictus Cicero Christianus, Crispi Cæsaris filii Constantini Magni Magister, vivebat adhuc anno 328.

C. Vectius Aquilinus Juvencus, Hispanus Presbyter, & Poeta, vivebat anno Christi Domini 329.

Constantinus Magnus, post Constantium patrem anno 306. imperare cœpit, Maxentium profligavit die 24. Septembris an. 312. Concilio Nicæno præsens interfuit an. 325. dedicavit Const. an. 330. deinde mortuus est die 22. Maji Dominica Pentecostes an. 337.

Eusebius, Cæsareæ in Palæstina ab anno 315. Metropolitanus, Arianæ factionis, obiit anno 340.

Julius Maternus Firmicus vivebat an. 334. quo Solis ab eo memorata Eclipsis contigit, & jam factus Christianus post annum 340. libellum ad Augustos fratres misit de erroribus profanarum Religionum.

S. Antonius, Abbas, Monachorum Pater, Constantino ejusque filiis, ac Magno Athanasio charissimus, obiit die 17. Januarii anni 356. ætatis 105.

S. Serapion, Thmueos in Ægypto Episcopus, obiit die 21. Martii an. circ. 356.

Eusebius Emesæ in Syria Episcopus Arianæ factionis, obiit ann. circ. 360.

Dorotheus Tyri Presbyter passus die 5. Junii ann. 362. Hic alius est à duobus Dorotheis Eunuchis, Martyre uno, altero Presbytero, quorum meminit Eusebius

S. Hilarius, Pictaviensis Episc. factione Arianorum missus in Asiam exul, rediit in Gallias an. 360. & die 13. Januarii obiit, anno 367. aut sequenti.

Victorinus Afer, è Rhetore Christianus, multa scripsit, obiitque anno circiter 370.

Zeno, Veronæ Episc. Vide quæ supra diximus ad ann. 260.

Titus, Bostrorum in Arabia Petræa Episc. obiisse videtur an. circ. 370.

S. Optatus, Milevitanus in Africa Episc. obiit die 4. Junii ann. circiter 370. aut 380. neque enim ad Siricii Papæ tempora pervenisse videtur.

Lucifer, Calaritanus in Sardinia Episc. exul pro fide per multos annos in Oriente, unde reversus obiit ann. circ. 370.

S. Athanasius, Alexandrinus ann. 326. vix elapsis quinque mensibus à Synodo Nicæna, cui interfuerat, creatus Patriarcha, sæpè dejectus à sede, sæpè restitutus, obiit in pace die 2. Maji, an. 373. Episcopatus 46. absoluto, aut 371. ex mente Socratis.

Apollinaris junior, Laodiceæ Episcopus, ob hæresim à Damaso Papa damnatus an. 375. obiit paulò post sub Theodosio Imperatore, sed ignoratur annus.

S. Pacianus, Dextri pater, Barcinonensis Episc. obiit die 9. Martii an. circ. 380.

S. Ephrem, Edessenæ Ecclesiæ in Syria Diaconus, obiit Kal. Feb. an. 378.

S. Basilius, Cæsareæ in Cappadocia ab anno 370. Archiepiscopus, obiit Kal. Januariis an. 379.

S. Damasus, Papa Romanus ab an. 367. per an. 17. m. 2. dies 28. usque ad diem 11. Decembris anni 384. quo obiit.

Hilarius, Diaconus Luciferianus, vixisse videtur adhuc ann. 384.

S. Cyrillus, Catecheseon auctor, cùm adhuc junior esset Episc. Hierosolymorum, à sua sede sæpè dejectus, sæpè restitutus, obiit die 18. Martii ann. 386.

Idatius Clarus, si idem est cum Ithacio Priscilliani apud Maximum tyrannum accusatore, vivebat anno 386.

S. Philastrius, Brixianus Episc. obiit Kal. Augusti anni 387. succedente S. Gaudentio.

S. Gregorius Nazianzenus, dictus Theologus, Sasimorum à S. Basilio creatus Episc. mortuo Valente Augusto ann. 379. venit Const. & in Concilio Generali II. anno 381. pro pace Ecclesiæ loco sibi debito cedens, rediit in patriam, ibique rure obiit die 9. Maji anni 389. *Cæsarius* ejus frater aliquot ante eum annis defunctus est.

S. Macarius senior, Ægyptius Abbas, obiit die 15. Januarii anni 391.

Gregorius Bæticus, Eliberitanus Episc. vivebat adhuc anno 392. quo S. Hieron. scribebat Catalogum de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Phœbadius, Agenni in Aquitania II. Episcopus, vivebat adhuc an. 392.

Faustinus, Diaconus Schismaticus, vivebat adhuc an. circ. 392.

S. Amphilochius, Iconii Episc. obiit die 23. Novembris anno circ. 393.

Didymus, Alexandrinus, ab infantia cæcus, Sancti Hieronymi præceptor, obiisse videtur ann. circiter 393.

S. Pachomius, Tabennensis in Ægypto Abbas, obiit die 14. Martii an. circ. 393.

D. Magnus Ausonius, Burdegalensis, Poeta, Consul cum Olybrio an. 379. obiit an. circ. 394.

S. Gregorius Nyssenus Episc. S. Basilii Cæsariensis, & Petri Sebasteni Antistitum frater, diu vixit, obiitque die 9. Martii ann. circ. 395. aut sequenti.

Nectarius, ab an. 382. Archiepiscopus Const. obiit an. 397. successorem nactus S. Chrysostomum.

S. Ambrosius, an. 333. natus, Mediolanensis Archiep. post Auxentium Arianum consecratur die 7. Decembris anni 374. obiit diluculo Sabbati Sancti die 4. Aprilis anni 397. ætatis 64. *Paulinus* Diaconus ejus vitæ scriptor pervenit ad initium sequentis sæculi, quo Simpliciano successerat jam Venerius.

Gelasius, Abbas Ægyptius, S. Pachomii æqualis, vixit an. 400.

Marcus, Eremita, vixisse videtur circa an. 400.

Asterius, maleæ in Ponto Episcopus, vivebat anno 400. quo in Homilia de Kalendis Eutropium Eunuchum anni præcedentis Consulem occisum fuisse retulit.

Diadochus, Photices Episcopus, dicitur vixisse hoc circiter tempore.

S. Vigilius, Tridentinus Episc. occisus est à Gentilibus die 26. Junii anni vel 400. vel 405. Stilicone Consule.

V. Christianæ æræ sæculo.

S. Epiphanius, Salaminæ, seu Constantiæ in Cypro insula Episcopus, obiit die 12. Maji, an. 403. ætatis 115.

Philo, Carpathi Insulæ ab eodem Epiphanio ordinatus Episcopus, vixisse eodem videtur tempore.

S. Macarius, junior, dictus Alexandrinus, obiit in Sceti die 2. Januarii anni 404.

Aurelius Prudentius Clemens, Archiepiscopus Const. creatus ann. 398. dein ab Episcopis damnatus factione Eudoxiæ Arcadii uxoris ejectus in exilium obiit Comanis die 14. Septembris an. 407. ætatis 53. Adductæ ejus reliquiæ ann. 438. sub Theodosio juniore Imperat. Constantin. & Proclo Patriarcha.

Severianus, Gabalorum in Syria Episc. vixit sub Theodosio juniore an. 408.

S. Chromatius, Aquilejæ Episc. obiit die 2. Decembris, an. circ. 410. cùm annis 18. mensibus novem sedisset.

S. Gaudentius, Brixianus, post S. Philastrium Episc. obiit die 25. Octobris, aut an. circ. 410. aut, ut quidam, 418. vel 427.

Theophilus, post Tim. Alexandrinus Patriarcha, Sancti Chrysostomi adversarius, obiit die 15. Octobris ann. 412.

Synesius, Cyrenæus, seu Pentapolitanus Episcop. vivebat an. circiter 412. Quo obierit die vel anno nescimus.

B. Lucianus, Presbyter, Hierosolymis scripsit epistolam de Inventione Reliquiarum Sancti Stephani primi Martyris facta exeunte Decembri ann. 415.

Joannes, Hierosolymitanus post S. Cyrillum avunculum suum ab anno 386. Episcopus, Origenistarum saltem per aliquod tempus amicus, obiisse anno 416. dicitur succedente Praylio.

Ruffi-

Ruffinus Toranius Aquilejensis Presbyter, S. Hieronymi adversarius, obiisse videtur circa annum 410. aut sequentem in Sicilia ex S. Hieronymi pluribus locis, ubi eum sub Grunii, Scorpii, aliisque titulis designat.

Palladius, Gallata, Helenopoleos Episc. obiisse quoque creditur in Asia, circiter an. 418. aut 420.

S. Hieronymus, Stridoniensis Dalmata, Presbyter à Paulino Patriarcha Antiocheno an. 378. ordinatus, obiit Bethleemi propè Hierosolymam die 30. Septembris an. 420. ætatis 91.

Severus Sulpitius, Primuliacensis in Aquitania Presbyter, obiisse videtur circa annum 422. Libros sacræ Historiæ duos absolverat anno 400. paulò ante obitum S. Martini.

S. Aurelius Augustinus, Tagastæ in Africa natus anno 355. baptizatus 388. creatus Episcopus Hipponensis 396. obiit die 28. Aug. anno 430. ætatis 76. dum Hippo Regius à Vandalis obsideretur.

S. Pontius Paulinus, vir nobilissimus, ditissimus, & doctissimus, Consulatum gessit an. 375. Presbyter Barcinone ordinatus anno 394. Mediolanum & Romam venit, atque ad tumulum S. Felicis secessione facta, Nolanus creatus Episcopus, sanctissimè mortem obiit die 22. Junii an. 431. ætat. 78. quam descripsit Uranius Presbyter.

Claudius Marius Victor, seu Victorinus, Rhetor Massiliensis & Poeta, vixit an. circ. 430. aut 440.

Sedulius, Presbyter, qui ad Macedonium Carmen, tum deinde Opus Paschale quinque libris scripsit, vixisse dicitur an. circ. 430. aut 440. Ab eo diversus qui Comm. in S. Scripturam edidit.

Isidorus, Pelusiota, discipulus S. Joannis Chrysostomi & Abbas, vivebat adhuc an. 432. quantum ex ejus Epistolis colligi potest, quas ad S. Cyrillum post Nestorii damnationem scripsit. Obiit 4. die Februarii.

Hesychius, Presbyter Hierosolymitanus, cujus meminerunt Cyrillus in vita Euthymii Archimandritæ & Theophanes, obiit anno 433. De eo aliisque vide infra initium sæculi septimi.

S. Vincentius, Lerinensis Monachus & Presbyter, Commonitorium sub Peregrini nomine scribebat adversus hæreses anno 434. triennio post Ephesinam Synodum: obiit die 24. Maji.

Socrates Scholasticus Const. & *Hermeas Sozomenus*, patria Salaminius, secta Novatiani, scribebant Historiam anno circiter 439. aut 440.

S. Sixtus III. Papa ab an. 432. per an. 7. & menses 11. usque ad diem 28. Martii anno 440. quo obiit.

S. Nilus, ex Præfecto Urbis Const. Monachus, obiit 12. Novembris anno circiter 440. Alii annum 420. designant.

Dracontius, Poeta sub Theodosio juniore, vixit circ. annum 440. Carolo Magno longè antiquior.

Sanctus Cyrillus, Alexandrinus post patruum suum Theophilum ab an. 412. Patriarcha, præfuit nomine Cælestini Papæ Synodo Ephesinæ an. 431. & obiit die 9. Junii, an. 444. aut seq.

S. Proclus, ex Cyzici Ep. factus post Maximianum an. 434. Arch. Const. obiit 24. Octob. an. 446.

Joannes Cassianus, Scytha origine, patria Atheniensis, an. 404. S. Joan. Chrysostomi Arch. Const. Diaconus, Massiliam postea secessit, ibique fundato S. Victoris Cœnobio, Asceticos libros annis 424. 426. 428. scripsit, & adversus Nestorium de Incarnatione anno circ. 431. obiit die 23. Julii, anno circ. 448.

S. Petrus Chrysologus, Ravennatensis ab an. 433. Episcopus, obiit die 2. Decembris anni 449. aut sequentis.

S. Hilarius, post S. Honoratum an. circ. 429. aut 430. creatus Arelatensis Archepisc. vixit usque ad diem 5. Maji anni 454. Ab eo diversus Hilarius homo laicus, qui cum Prospero ad S. Augustinum scripsit.

S. Eucherius, senior, Lugdunensis Archiepiscopus ex Lerinensi Monacho, vixit usque ad diem 22. Junii an. 454.

Basilius, Seleuciæ in Isauria Episcopus vivebat post Calcedonensem Synodum an. circ. 455.

Valerianus, Cemelenensis propè Nicaense castrum trans Varum Episcopus in provincia Alpium Maritimarum, vivebat adhuc an. circ. 455.

S. Prosper, Aquitanus, cujus chronicon usque ad annum 455. & Urbem à Genserico captam porrigitur, sub finem ejusdem anni, aut sequenti labente obiit, quantum ex Victorio Aquitano erudito temporum calculatore datur intelligi. Nec Regii-Lepidi, nec Reiorum, nec Aurelianensis fuit Episcopus. Neque certum, ejusne, an alterius qui fuerit Antistes, memoria fiat die 25. Junii, aut 29. Julii.

S. Simeon Stylita, Magnus dictus atque admirandus, obiit die 5. Januarii feria sexta anno 460. ætatis 109.

Theodoretus, Cyri in Augusta Euphratesia Episcopus ab an. Christi 423. interfuit Conciliis Generalibus Ephesino, & Chalcedonensi annis 431. & 451. vixitque usque ad annum saltem 460. aut 466. ac sub Leone Aug. obiit teste Gennadio.

Arnobius, qui dicitur junior, vixisse videtur an. circiter 460. Dicavit Comm. in Psalmos Leontio Arelatensi & Rustico Narbonensi Archiepiscopis.

Salonius, S. Eucherii ante Episcopatum filius, institutus circa an. 426. in Lerinensi insula, ac deinde Salviani discipulus, & vivente patre cum Verano fratre Ecclesiarum Magister, florebat anno circ. 460.

S. Leo I. Papa, natione Tuscus, ab an. 440. per annos 20. menses 11. usque ad diem 11. Aprilis anni 461. quo obiit.

S. Maximus, Taurinensis in Alpibus Episcopus, obiit 25. Julii anno circ. 466.

Claudianus Mamertus, Presbyter, ac fratris sui S. Mamerti Viennensis Archiepiscopi adjutor, obiit circa annum 466.

Idatius, sive Hydatius, Lemicæ in Gallecia natus, & Aquarum-Flaviarum Episcopus, Chronicon suum perduxit saltem usque ad annum 467.

Gelasius, Cyzicenus Cæsareæ Episcopus, vivebat anno 476.

Faustus, ex Lerinensi Abbate post S. Maximum Reiensis in Provincia II. Narbonensi Episcopus, obiit die 16. Januarii an. circiter 480.

C. Sollius Apollinaris Sidonius, Arvernorum Episcopus, obiit die 23. Augusti, anno 482.

Salvianus, Massiliensis Presbyter, an. circ. 490. vivebat in senectute bona, teste Gennadio: cùm libros de præsenti judicio & Gubernatione Dei scripsisset an. circ. 442.

Victor, Uticensis, seu Vitensis in Africa Episc. obiit die 23. Aug. an. circ. 488. aut 490.

Æneas, Gazæus Sophista, scribebat circa an. 490.

Cerealis, Castulensis in Africa Episc. vivebat an. circ. 490.

Gennadius, Massiliensis Presbyter vivebat an. 494. forte etiam aliquot deinceps annis. Sunt tamen qui obiisse velint anno 492. quod à vero abludit.

Julianus Pomerius, natione Maurus, apud Arelatem Abbas, vixit non tantùm anno Christi 495. sed etiam post an. 500.

Andreas, Cæsareæ in Cappadocia Archiep. collocari solet circa an. 500.

VI. Chri-

VI. Christi æra sæculo.

Ruricius senior, Lemovicensis Episc. vivebat adhuc anno 506. Quo anno ad Superos accesserit, non liquet.

Eugippius, Abbas Lucullanensis, vitam S. Severini Noricorum Apostoli scribebat an. 511.

Paschasius, S.R.E. Diaconus, obiit die 31. Maji, an. circ. 512.

Procopius, Gazæus ab Historico Cæsariensi diversus, vivebat anno circ. 520.

S. Alcimus Ecdicius Avitus; post Isicium patrem Viennensis Archiepiscopus ab an. circ. 490. usque ad an. 520. aut seq. quo obiit die 5. Februarii.

Magnus Felix Ennodius, Ticinensis primùm sub S. Epiphanio Diaconus, tum ejusdem urbis Episcopus, pro Symmacho Papa Apologiam scripsit an. 503. missus Const. an. 517. obiit die 17. Julii anno 521.

Anicius Manlius Severinus Boethius, Consulatum solus gessit ann. 510. ejusque duo filii anno 522. deinde conjectus Ticini in carcerem necatus est jussu Theodorici Ostrogothorum Regis die 23. Octob. an. 524.

Joannes Maxentius Scytha, & Presbyter Antiochenus, vivebat an. 523. quemadmodum & *Petrus* ille Diaconus, qui ad S. Fulgentium de Fide Incarnationis & Gratia Christi anno 519. scripsit.

S. Fulgentius, venit Romam an. 500. nondum Ruspensis Episcopus: in Sardiniam exulare jussus cum aliis Africanis Præsulibus jussu Thrasamundi Vandalorum Regis, sub Hilderico rediit an. 523. vixitque usque ad Kalendas Januarii anni vel 529. ex Baronii aliorumque sententia, vel ut Chiffletius noster contendit 533.

Dionysius, natione Scytha, Exiguus dictus, Romanus Abbas, vivebat adhuc an. circiter 533.

Eugyppius, seu Evippius, aut Egipius, Abbas Africanus, S. Fulgentio, Dionysio Exiguo, Ferrando Diacono, & Cassiodoro Senatori notissimus floruit circa an. 534. Erravit Sigebertus qui ad annum circiter 578. retulit, Pelagii Papæ & Tiberii Imp. tempore.

Marcellinus Comes, Chronicon ab an. 379. perduxit usque ad annum 535. Appendix usque ad an. 566. porrigitur.

Justus, Orgelitanus Episcopus, frater Justiniani, Nebridii & Elpidii Antistitum, vivebat an. 540.

Arator, S. R. E. Subdiaconus an. 543. P. C. Basilii tertio, Actus Apostolorum Heroico carmine expressos, Vigilio Papæ obtulit.

S. Cæsarius, ab anno 501. Arelatensis Archiepiscopus, præfuit Concilio Agathensi an. 506. & Arausicano II. an. 529. obiitque die 27. Aug. anni 543. aut sequentis.

Victor, Capuanus Episcopus, adversus Victorii Canonem Paschalem scribebat anno 545.

Ferrandus, Diaconus Carthaginensis Ecclesiæ, S. Fulgentii vitæ, multorumque aliorum opusculorum scriptor, vivebat adhuc anno 548.

Vigilius, Afer, Diaconus, dein, ut volunt, Thapsensis in Byzacena provincia Episcopus, qui multa contra Arianos sub nomine sancti Athanasii, & adversus alios Hæreticos scripsit, vivebat an. 550.

Rusticus, S. R. E. Diaconus, Papæ Vigilio in causa trium Capitulorum adversarius, vivebat an. 550.

Primasius, Adrumeti in Africa Episc. vivebat anno 552. non verò, ut plerique hallucinati sunt, anno 40. sæculi præcedentis.

Junilius, ignotæ urbis in Africa Episc. vivebat an. circ. 552.

S. Datius, seu Dacius, Mediolanensis Archiepisc. obiit Const. die 14. Januarii anni 552. aut ut alii 555.

Liberatus, Carthaginensis Diaconus, vivebat an. circ. 560.

Dorotheus, Archimandrita, vixisse dicitur anno 560.

M. Aurelius Cassiodorus Senator, Consulatum gessit solus an. 514. ac Theodorico, ejusque successoribus Gothorum Regibus charissimus, tum relictis negotiis publicis, uni Deo vacans, post an. 562. in Vivariensi Cœnobio nonagenario aliquot annis major obiit.

Victor, Tononensis in Africa Episc. auctor Chronici, trium Capitulorum defensor acerrimus, obiit Const. an. 566.

Martinus, patria Pannonius, ex Dumiensi Abbate in Gallecia Bracarensis Archiepiscopus obiit an. 580.

S. Joan. Climacus, Abbas Montis Sina, obiit 30. Martii an. circ. 580. aut, ut alii malunt, 605. cùm in eremo annos præter propter 60. in universum 85. vixisset.

Leontius, Byzantius, vivebat an. circiter 590.

S. Gregorius, Turonensis, ab anno 572. Archiepiscopus, obiit die 17. Novemb. an. 594.

Joannes, Jejunator, post Eutychium Patr. Const. obiit anno 596.

Evagrius Scholasticus, Historiæ finem posuit anno 597. Mauritii Impert. II. non verò Christi 595.

S. Anastasius, Sinaita, an. 572. à Sede Antiochena substituto Gregorio dejectus, illo mortuo, eamdem recuperavit an. 594. obiitque die 11. Aprilis an. 599.

Joannes, ex Biclarensi Abbate Gerundensis Episc. vivendo pervenisse videtur usque ad an. 600. Ejus Chronicon an. 566. inchoatum, terminatur an. 589. teste S. Isidoro.

VII. Christi æra sæculo.

S. Gregorius, I. Magnus, Pontifex Romanus per annos 13. menses 6. & dies 10. ab an. 590. usque ad diem 12. Martii anni 604. quo obiit.

Hesychius, sive Esicius, Isaacium Græci quidam scriptores vocant, ex Presbytero Patr. Hierosolymitanus, vivebat eodem, cum Sancto Gregorio tempore. Nondum video quamobrem non potuerit esse Auctor Commentariorum in Leviticum, quos alii minus rectè Isicio Salonitano sive antiquiori sive recenriori, alii Hesychio S. Gregorii Nazianzeni discipulo, alii Hesychio Presbytero Hierosolymitano cujus meminit Cyrillus in vita Euthymii, Theophanes, & qui ait obiisse an. Theodosii junioris 26. Christi 433. ideoque non floruit anno 460. alii Hesychio Presb. Hier. qui sub finem quinti aut initio sexti sæculi cum Procopio Gazæo vixerit. Non dubium enim quin plures fuerint Hesychii, iique Presbyteri Hierosolymitani.

S. Anastasius, Sinaitæ successor in sede Antiochena, occisus fuit à Judæis die 21. Decembris anni 608.

Antiochus, Monachus Palæstinus, Pandectæ in 130. Homilias divisi auctor, vivebat anno 616.

Leontius, Neapoleos in Cypro Ep. vitæ S. Joannis Eleemosynarii scriptor, vivebat an. circ. 620.

Joannes Moschus, dictus etiam Eviratus, auctor Prati Spiritualis, vivebat anno circiter 630.

Georgius Pisides, Ecclesiæ Const. Diaconus, scribebat anno 630.

S. Isidorus, post S. Leandrum fratrem suum Hispalensis Archiep. obiit die 4. Aprilis an. 636.

Sophro-

Sophronius, Patriarcha Hierosolymitanus, obiit die 11. Martii anno 636. Heraclii 26.
Isaias, Abbas, hoc sæculo vixisse creditur, quemadmodum & *Aponius*, qui scripsit in Cantica, an. circ. 660.
S. Desiderius, Cadurcensis in Aquitania I. Episc. obiit die 19. Novembris an. 660. certè hoc sæculo VII. non V. aut VI. initio.
S. Maximus, Abbas & Confessor dictus, jam ab anno 641. clarus, in exilio defunctus est die 13. Augusti anni 662.
Theodorus, Monasterii Rhaytu Abbas, videtur vixisse eodem anno 662.
S. Eligius, Noviomensis an. 646. Episcopus die 14. Maji cum S. Audoeno Rotomagensi Archiepiscopo creatus fuit, vixitque usque ad finem 2. Decembris, quo obiit anno 662.
Jonas Italus, Bobiensis Monachus, & Abbas Cœnobii nondum comperti, vivebat adhuc anno circ. 665.
S. Ildefonsus, post S. Eugenium II. Toletanum Archiep. obiit 23. Januarii an. 667.
Julianus Pomerius post S. Quiricum S. Ildefonsi successorem Toletanus Archiepisc. obiit 8. Martii an. 690.
Felix, post Julianum Archiep. Toletanus an. 693. præfuit Concilio Tolet. XVI.

VIII. Christi æræ sæculo.

S. Adelmus, seu Altelmus, ex Maidubiensi Abbate Sciburgensis in Anglia Episc. obiit 28. Maji anni 709.
Sedulius, Episcopus Britanniæ de genere Scotorum cum Fergusto Episcopo Scotiæ Picto subscripsit Synodo Romanæ sub Gregorio II. an. 721.
Marcellinus, Presbyter, socius S. Suitberti, Daventriæ obiit die 14 Julii an. circ. 730.
S. Gregorius, II. Papa per an. 16. menses 8. & dies 20. ab an. 714. ad diem 15. Febr. an. 731.
Ven. Beda, Presbyter, & Monachus Anglus, natus an. 663. obiit die 26. Maji an. 735. non verò, ut Baronius, Spondanus, &c. an. 776. ætatis 106.
S. Germanus, ab anno 714. Patrum Const. Leonis filium Constantinum Copronymum an. 719. sacro fonte abluit, propter cultum Sacrarum Imaginum abdicavit anno 730. & obiit die 12. Maji circa an. 740.
Gregorius III. Papa per annos 10. menses 9. & dies 21. ab an. 731. ad diem 28. Novembris anni 741.
S. Joannes, cognomento Manzur, seu Chrysorrhoas, patria Damascenus, floruit ab an. 730. ad annum circiter 750. obiit die 6. Maji.
Antonius, Monachus, qui ab opere suo dicitur Melissa, videtur paulò post S. Domascenum vixisse, aut certè eius quisquis fuit interpolator.
S. Bonifacius, natione Anglus, à Gregorio II. Papa missus an. 722. in Germaniam Episcopus, ac deinde ab anno 745. Moguntinus Archiep. occisus est à Frisiis Paganis die 5. Junii anni 754.
Ambrosius Autpertus, malè vulgo dictus Ansbertus, ex Gallia oriundus, in Monasterio O. B. in Samnio ad Fontes Vulturni sito diu vixit, cumque ejus Abbas non duobus integris annis fuisset, obiit anno 778. Ind. II. ideoque errant plerique omnes qui hactenus sæculo nono addixerunt sub Carolo Crasso circ. an. 885. Autpertus Abbas Cassinensis per annos tres, obiit an. 837.
Hadrianus I. Papa per an. 23. menses 10. & dies 17. ab ann. 772. usque ad diem 26. Decembris anno 795.

IX. æræ Christianæ sæculo.

Paulus Warnefridi, patria Longobardus, Diaconus Aquilejensis, cum Desiderio Rege Longobardorum, cui erat à secretis, captus anno 774. à Carolo Magno, postea Monachus Cassinensis, obiisse dicitur initio sæculi IX. circa an. 801.
Paulinus, Aquilejensis Patriarcha, obiit die 11. Januarii an. 802. aut potiùs sequentis.
Albinus Flacus Alcuinus, Britannus, Carolo Magno charissimus, S. Martini Turonensis Abbas, obiit die 19. Maji an. 804.
Usuardus, Monachus O. B. in cœnobio S. Germani de Prato, atque ex Blondelli & quorumdam opinatione S. Salvatoris Vicecomitis Abbas, vivebat an. 806. sub Carolo Magno ex communi sententia. Rectiùs tamen facere eos, qui cum Bollando nostro ad tempora Caroli Calvi, eaque, ut opinor, extrema, Martyrologum illum revocant, docet inter cætera mentio vel unius Sancti Eulogii Martyris Cordubæ in Hispania passi die 11. Martii Sabbato hora nona Æra 897. hoc est anno Christi 859. post multos alios annis 851. 853. 857. interfectos tempore illius Persecutionis Arabicæ. Quod verò Usuardus ejus meminerit die dumtaxat 20. Septembris, inde id factum reor, quòd in illum inciderit corporis ejus translatio anno 860. facta. Plura vide in nostra Dissertatione.
S. Ludgerus, Monasteriensis in Westfalia Ep. obiit die 26. Martii anni 809.
Amalarius Fortunatus, Arch. Trevirensis obiit an. 814. saltem ante an. 817. quo Hetti Treviris sedebat.
Theodulfus, ex Italia à Carolo Magno adductus, ejusque studio electus Abbas Floriacensis, & Episc. Aurelianensis saltem ab anno 794. in carcerem conjectus est an. 818. ex quo egressus jussu Ludovici Pii Imp. obiit an. circiter 821. cùm ad suam rediret Ecclesiam.
Sedulius, Scotus, Sacræ Scripturæ Interpres, floruisse dicitur anno 818.
Claudius, natione Hispanus, Felicis Urgelitani discipulus, ex Clerico Palatii Ludovici Pii, Taurinensis Episcopus, obiit an. circ. 825. S. Crucis & Imaginum hostis.
Theodorus, Studita, Archimandrita doctissimus, obiit die 11. Novembris an. 826. ætatis 67. Michael Monachus ejus vitam scripsit.
S. Nicephorus, Patriarcha Const. ab anno 806. ejectus à Leone Armeno an. 814. obiit in exilio die 13. Martii anno 828.
Halitgarius, Cameracensis Ep. obiit die 25. Junii anni 830. sepultus in monte S. Eligii propè Atrebatum.
Dungalus, Diaconus, floruit sub Carolo Magno, ejusque filio Pio, usque ad an. circ. 830.
Amalarius, Metensis Ecclesiæ Diaconus, an. 816. in Concilio Aquisgranensi Regulam Canonicorum scripsit, & an. 827. lib. 4. Officiales dictos, missus Romam ad Gregorium IV. Papam à Ludovico Pio antequam scriberet Antiphonarium, vixitque usque ad an. circ. 836.
Eginarthus, vitæ Caroli Magni an. 814. defuncti, scriptor, ejusque, ut ferunt, gener ac Notarius, tum Abbas Selingestadiensis O. B. vivebat adhuc an. 840. obiisse dicitur 25. Julii 843. aut sequentis, sed falsò si verè scripsit Trithemius interfuisse Concilio Moguntino adversus Gotescalcum an. 848.
Hilduinus, Abbas S. Dionysii, S. Medardi, S. Germani, &c. Ludovico Pio, ejusque filio Lothario charissimus, obiisse dicitur 30. Octobriis an. 842. neque tamen res controversia vacat.

Jonas,

Jonas, post Theodulfum ab ann. circ. 822. Aurelianensis Episc. obiit ann. 842. aut sequenti post mortem Ludovici Pii sub Carolo Calvo, cui libros de Imaginum cultu dicavit.

Ardo, Smaragdus dictus, Cœnobii Anianæ in Septimania diœcesis Magalonensis Monachus, obiit sexagenarius die 7. Martii an. 843.

Nithardus, S. Angilberti ex Berta Carolo Magno Imperatore genita filius, scribebat anno 844. Centulensis seu S. Richarii in Pontivo Abbas O. B. Quo verò anno obierit N. L.

Freculfus, ex Monacho O. B. Episcopus Lexoviensis, obiit an. 850. aut seq.

Paschasius Ratbertus, veteris Corbejæ ad Somonam Abbas O. B. obiit die 26. Aprilis an. 851.

Haymo, ex Monacho O. B. Episc. Halberstatensis, obiit 27. Martii an. 853.

Lupus, O. B. Cellæ Sancti Judoci Præpositus, & S. Petri Ferrariensis Abbas in diœcesi Senonensi, vivebat adhuc an. 853.

Christianus Druthmarus, Corbejensis Cœnobii ad Somonam Fluvium Monachus, vivebat ann. circiter 855. aut 866. cùm Bulgarorum ad fidem conversionis meminerit, quæ sub Nicolao I. Pontifice maximè viguit.

Angelomus, Luxoviensis in Burgundia Monachus, Drogoni Ep. Metensi superstes, scribebat an. 855.

Rabanus Maurus Magnentius, ex Abbate Fuldensi O. B. post Otgarium ab anno 847. Moguntinus Arch. obiit die 4. Februarii anno 856. Rudolfus Monachus magistri vitam scripsit.

S. Eulogius, Martyr Cordubensis, passus est sub Saracenis an. 859. die 11. Martii.

Walafridus Strabo, sive strabus, ex Monacho S. Galli Abbas Augiæ divitis, seu Majoris O. B. in diœc. Constantiensi ad Rhenum, obiit an. 859. Multi ab eo distinguunt *Strabum* Fuldensem Monachum, Glossæ ordinariæ primum auctorem Rabani discipulum & breviatorem.

S. Nicolaus I. Papa per annos 9. menses 6. & dies 10. ab an. 858. ad diem 13. Novembris an. 867.

S. Ado, Viennensis Archiepiscopus, Chronici usque ad sua tempora, ac Martyrologii, quo minus rectè Udoni Trevirensi tribuitur, verus auctor, obiit die 16. Decembris anno 874.

Joannes, S. R. E. Diaconus, Anastasii Biblioth. amicus, vivebat an. circ. 875.

Anastasius, S. R. E. Bibliothecarius, scribebat an. 876. sunt quoque qui vitam ejus prorogent usque ad 887.

Nicetas David, dictus Philosophus, vivebat an. circ. 880. Scripsit vitam S. Ignatii Patr. Const. qui obiit 23. Octobris anni 878. ætatis 70.

Hincmarus senior, Rhemensis ab anno 845. Archiep. ex Monacho O.B. vixit usque ad diem 21. Decembris anni 882. Nepos ejus *Hincmarus*, Laudunensis Episc. vivebat adhuc anno 878.

Photius, ejecto S. Ignatio, Patriarchatum Const. laicus invasit an. 858. die 25. Decembris, depositus an. 869 post S. Ignatii 23. Octobris defuncti mortem an. 878. iterum occupavit, tenuitque usque ad an. 885. quo post Basilii obitum à filio ejus Leone Sapiente deturbatus est. Sunt qui an. 886. obiisse dicant.

Aimoinus, S. Germani Parisiensis ad muros Lutetiæ O. B. Monachus, vivebat aduc an. 892. longè diversus ab Aimoino rerum Francicarum scriptore.

Abbo, ejusdem S. Germani Parisiensis Monachus, patria Neustrius, ac Poeta, scribebat de rebus Odonis Regis an. 892. longè alius ab Abbone Floriacensi Abbate.

Remigius, Autissiodorensis Monachus non Episcopus, Rhemos à Fulcone Archiepiscopo vocatus, sub hujus sæculi finem floruit, ac fortè etiam sequentis initio.

X. Christianæ æræ sæculo.

Regino, electus Abbas Prumiensis an. 892. sed æmulorum potentia dejectus, vixisse videtur usque ad an. 908.

Leo, Sapiens sive Philosophus dictus, post Basilium patrem an. 885. Orientis Imperator obiit die 7. Junii an. 911.

Radulfus, Flaviacensis in diœcesi Bellovacensis Monachus à Sixto Senensi & aliis floruisse dicitur anno circ. 910. sed falsò. Vide quæ infra dicemus ad annum 1157. ex Helinando apud Albericum Chronographum.

S. Odo, Musicus & Cantor Turonensis, post Bernonem ab an. 927. Cluniacensis Abbas, obiit die 18. Novembris an. 942. Turonibus sepultus apud Sanctum Julianum.

Simeon, Metaphastes, vir nobilis atque eruditus, sub Leone Philosopho, ejusque filio Constantino Porphyrogeneta vixit usque ad an. circ. 950.

Moses Barcepha Syrus Ep. labente hoc X. sæculo vixisse dicitur aut seq. initio.

Flodoardus, Rhemensis Canonicus, & Culminiacensis Presbyter, Chronici & Historiæ Rhemensis auctor, obiit die 28. Martii anno 966.

Luitprandus, ex Ticinensi Diacono Cremonensis Ep. bis Const. ad Impp. Græcos Legatus adiit, vivebatque adhuc anno 970.

Witikindus, Corbejæ Saxonicæ ad Visurgim fluvium Monachus O. B. vivebat an. 973. quo Imp. Otho I. obiit.

Smaragdus, Abbas S. Michaelis ad Mosam, diversus ab Ardone Smaragdo, hoc decimo sæculo collocatur.

D. Olympiodori & Oecumenii sacræ scripturæ Interpretum ætate ac sæculo, nihil certi hactenus deprehensum. Sunt qui hoc X. aut XI. floruisse velint de Olympiodoro Philosopho Platonico aliàs.

XI. Christianæ æræ sæculo.

Abbo Floriacensis Abbas occisus est in cœnobio Regalæ ad Garumnam in Vasconia die 13. Novembris an. 1004.

Aimoinus patria Petricorius, ejusdem Monasterii Floriacensis seu S. Benedicti ad Ligerim Monachus, scriptor Historiæ Francicæ, florebat anno 1005.

S. Burchardus, Vormatiensis Ep. obiit die 14. Oct. an. 1026.

S. Fulbertus, Carnotensis Episc. ab an. 1007. ad diem 10. Aprilis anni 1028.

Berno, Augiæ divitis Abbas O. B. obiit die 7. Januarii an. 1045. Præsens aderat Romæ an. 1014. cùm coronatus fuit S. Henricus Imperator.

Glaber Radulfus, O. B. Monachus Cœnobii Autissiodorensis, vel ut alii, Cluniacensis, scribebat anno 1045.

Bruno, Herbipolensis Ep. patruelis Conradi II. Imperatoris, obiit 17. Maji an. 145.

S. Odilo Cluniacensis post S. Majolum ab anno 994. Abbas, usque ad Kal. Jan. an. 1049. qua die obiit.

S. Leo IX. Papa per annos 5. menses 2. & dies 7. ab an. 1049. ad 19. Aprilis anni 1054.

Hermannus, Contractus, O. B. ex Comitibus Weringensibus, Monachus Augiæ divitis, obiit anno 1054.

Humbertus, ex Monacho sancti Mansueti Tullensis O. B.

O.B. Card. Sylvæ Candidæ Episcop. missus est Const. an. 1053. & interfuit Concilio Romano, an. 1059. adversus Berengarium.

Adelmannus, Brixiensis ex Leodiensi Scholastico ab anno 1048. Episcopus, vixit ad annum minimùm 1061.

Samuel, Marochianus, ex Judæo conversus ad fidem Christianam, scribebat ann. 1070. ab ultima Solymorum per Titum eversione millesimo.

Petrus, Ravennas ex familia, ut quidam volunt, *de Honestis* cognominata, dictus Damiani à fratre, quem patris loco reverebatur, ex Monacho cœnobii Sanctæ Crucis Fontis Avellani à Stephano IX. Papa factus Cardinalis Episcop. Ostiensis an. 1057. moritur Faventiæ die 22. Februarii anni 1072. ætatis 66. ex Baronio, vel 84. ex Bollando.

Lambertus, Schafnaburgensis, Monachus cœnobii Hirsfeldensis O. B. scribebat adhuc an. 1077.

Theophylactus, Acridæ in Bulgaria Archiepiscopus vivebat adhuc an. 1078.

Ado, seu potius Udo, Trevirensis, loco Viennensis Adonis malè subrogatus.

Guitmundus, ex Monacho Cœnobii Crucis Sancti Leufredi diœcesis Ebroicensis O. B. Episcopus Aversanus in Apulia anno circiter 1080.

Adamus, Bremensis Canonicus, vivebat an. circiter 1080.

Joannes Scylitzes, dignitate Curopalates, Historiam suam ab an. 813. usque ad an. 1081. perduxit, ex quo Cedrenus, Zonaras, Glycas, & alii.

Gregorius VII. Papa per annos 12. mensem unum, & dies tres, ab ann. 1073. ad diem 25. Maji ann. 1085. quo Salerni in Campania obiit: sub Hildebrandi nomine, longè ante Pontificatum, ab anno 1049. celeberrimus.

Micrologi auctor quisquis fuit, vixit anno 1085. tempore Gregorii VII. Papæ, & Anselmi Lucensis Episcopi.

Marianus, Scotus, Fuldæ ann. 1059. ac deinde Moguntiæ an. 1069. Reclusus obiit an. 1086. æt. 58.

S. Anselmus, Lucensis Episcop. propugnator Gregorii VII. adversus Guibertum Antipapam acerrimus, obiit Mantuæ die 18. Martii an. 1086.

Lanfrancus, ex Priore Beccensi Abbas S. Stephani Cadomensis, creatus anno 1070. Archiep. Cantuariensis, obiit die 14. Maji, feria 5. an. 1089.

Bertoldus, Constantiensis in Alemannia Presbyter, perduxit Historiam suam usque ad an. 1100.

XII. æræ Christianæ sæculo.

S. Bruno, Carthusiani Ordinis in diœcesi Gratianopolitana ab ann. 1086. fundator, obiit in Calabria die 6. Octob. an. 1101.

S. Anselmus, ex Beccensi Abbate O. B. creatus anno 1093. Cantuariensis Archiepiscopus, obiit die 21. Aprilis 1109. ætat. 76.

Ingulfus, Croilandensis in Anglia Abbas O. B. obiisse dicitur an. 1109. cùm ab ann. 1050. florere cœpisset.

Zacharias Chrysopolitanus Episcopus vivebat an. circiter 1100. aut 1110. sub Paschale II. Papa ex communi Sixti Senensis, Possevini, Bellarmini, aliorumque sententia, quam falsam infra an. 1157. docebimus.

Berengosus, Abbas S. Maximini Trevirensis, vivebat an. circ. 1110.

Leo, Marsicanus ex Monacho Cassinensi Card. Episcop. Ostiensis, vivebat adhuc an. 1112. & 1115.

Odo, ex Abbate S. Martini Tornacensis O. B. Cameracensis Episcopus, obiit an. 1113.

Sigebertus, Monachus Gemblacensis O. B. Schismaticorum fautor, Chronographus, obiit die 5. Octobris an. 1113.

Yvo, sive Ivo, ex Abbate, sive, ut alii vocant, Præposito S. Quintini Bellovacensis, Ord. Can. Reg. S. Augustini consecratus ab Urbano II. Papa Carnotensis Ep. an. 1091. obiit die 23. Decemb. an. 1115.

Anselmus, Laudunensis Scholasticus & Decanus, vixisse perhibetur, usque ad Idus Julios ann. 1117. Obiit quoque Nicolaus Musalon Patr. Const.

Euthymius, Zigabenus, Monachus Græcus, vixit sub extrema tempora Alexii Comneni Imp. Orientis, qui obiit die 15. Augusti anni 1118.

Joannes Zonaras, ex Drungario Biglæ, Monachus Græcus doctissimus vivebat anno 1120.

Bruno, Astensis Monachus, O. B. & Abbas Cassinensis, Episcopus Signiensis, & S. R. E. Cardin. obiit die 18. Julii an. 1125. Eodem tempore vivebat Odo Astensis Monachus ejusdem Ordinis.

Stephanus I. hujus nominis Eduensis Ep. interfuit ann. 1129. coronationi Philippi filii Regis Ludovici Crassi, & aliquot post annis obiit Cluniaci inter manus Petri Vener. Abbatis, cùm abjectis Episcopalibus infulis habitum Monasticum induisset.

Herveus, Dolensis Burgi ad Angerem in Biturigibus Monachus O. B. vivebat ann. circ. 1130. Hujus opera extant aliis tributa.

Honorius, Augustodunensis Scholasticus, non anno 1220. sed 1130. floruit, & fortè etiam pervenit usque ad an. 1153.

Gofridus, Vindocinensis Cœnobii Abbas, & Sanctæ Priscæ Cardinalis, obiit an. circiter 1130.

Algerus, ex Leodiensi Scholastico Cluniacensis cœnobii Monachus, O. B. vivebat adhuc an. circ. 1130.

Hildebertus, de Lavarzino, ex Episcopo Cenomanensi ann. 1127. Turonensis Archiepiscopus, obiit die 18. Decembris an. 1132.

Rupertus, Cœnobii Tuitiensis ad Rhenum è regione Coloniæ Agrippinæ Abbas, vixit usque ad diem 4. Martii an. 1135. cùm jam ab an. 1111. libros de Divinis Officiis scripsisset adhuc Monachus sub Beringero Abbate.

Hugo, natione Saxo, Can. Reg. Ord. S. August. in Cœnobio de Sancto Victore ad muros Lutetiæ Parisiorum, unde illi cognomen adhæsit, dictus etiam à quibusdam Didascalus, obiit die 11. Februarii an. 1140. Hunc Abbatem fuisse plurimi, sed falsò, scripserunt.

Willelmus, Malmesburiensis in Anglia Cœnobii Monachus Bibliothecarius, scribebat adhuc an. 1142. quo etiam obiisse volunt.

Georgius Cedrenus, hoc sæculo vixisse videtur circa annum 1150. aut 1160. cum Michaele Glyca, & Constantino Manasse.

Gratianus Clusii natus, Monachus O. B. in Cœnobio S. Felicis Bononiæ obiisse dicitur ann. 1151. aut seq.

Potho, Prumiensis Abbatiæ Monachus & Presbyter O. B. scribebat anno 1152.

S. Bernardus, Fontanis propè Divionem natus an. 1091. ingressus Cistercienfem Ordinem an. 1113. Claræ vallensis Abbas benedictus fuit anno 1115. vixitque ad diem 20. Augusti anni 1153. quo obiit, ætatis annum agens 63.

Henricus, Huntidoniensis, seu Utidoniensis, scribebat anno 1152.

Petrus, Mauricius, dictus Venerabilis, Abbas Cluniacensis ordine nonus, ab an. 1122. quo Hugoni II. successit, usque ad diem 25. Dec. an. 1157.

Guerricus, ex Canon. Tornacensi Igniacensis Abbas O. C. obiit die 19. Aug. an. circ. 1157. alii 1140.

Zacharias, Chrysopolitanus (à recentioribus minus rectè dictus Episcopus) de ordine Præmonstratensium

tensium apud Sanct. Martinum Laudunensem, auctor Comm. in Monotessaron Ammonii, florebat anno 1157. teste Helinando ejusdem poenè ætatis Historico apud Albericum Trium-Fontium Monachum in Chronico ms.

Radulfus, niger, hoc est Ordinis Benedictini Monachus in Cœnobio Flaviacensi, seu S. Geremari Flaicensis, qui in D. Bellov. XX. lib. in Leviticum scripsit, florebat eodem anno 1157. testibus iisdem Helinando & Alberico.

Otto, Conradi III. Imp. frater uterinus, & Frederici I. Ænobarbi patruus, ex Abbate Morimundensi O. C. Frisingensis Episcop. obiit die 21. Septemb. ann. 1158.

Petrus, Novariensis Lombardus, Magister Sententiarum dictus, Parisiensis ab an. 1159. aut seq. Episcopus usque ad diem 20. Julii anni 1164.

Arnoldus, Abbas Bonævallis, O. B. diœcesis Carnotensis, vixisse dicitur usque ad annum 1160.

Helmoldus, Butsoniensis propè Lubecam Canonicus, scribebat an. 1168.

Theorianus, ad Armenos ab Emanuele Comneno missus est Legatus an. 1170.

Nicolaus, primùm Aremarensis Monasterii O. B. Monachus, deinde Cisterciensem ingressus ordinem Sancto Bernardo Claraevallensi Abbati ab Epistolis, ac deinde profugus, ejusque hostis, vixisse dicitur usque ad an. 1171.

Richardus, natione Scotus, Hugonis discipulus, ac deinde Prior Cœnobii Sancti Victoris propè Lutetiam, Ord. Can. Reg. S. Augustini, obiit die 10. Martii ann. 1173.

Hugo Etherianus, Thuscus, adversus Græcos librum misit an. 1177. ad Alexandrum III. Papam.

Eckebertus, Sconaugiensis Abbas, frater S. Elibathæ, vivebat adhuc an. circ. 1180.

Arnulfus, Lexoviensis Episcop. obiit die 3. Aug. ann. 1182. in Parisiensi S. Victoris Cœnobio, ubi & sepultus fuit.

Joannes Sarisberiensis, Anglus, Polycratici auctor, S. Thomæ Cantuariensis anno 1170. occisi familiaris, tum Carnotensis ab an. 1172. Episcopus obiit anno 1182.

Godefridus, Viterbiensis, Presbyter, anno 1136. Pantheon suum dedicavit Urbano Papæ III.

Petrus, Monasterii Cellæ in insula propè Trecensem urbem, tum cœnobii S. Remigii Rhemensis Abbas, deinde post Joannem Sarisberiensem ab ann. 1182. Episcopus Carnotensis, obiit 18. vel 19. Februarii ann. 1187.

Guillelmus II. hujus nominis Tyri Archiep. qui de Bello sacro scripsit, vivebat adhuc anno 1188. Alter eo antiquior anno circ. 1226.

Stephanus II. hujus nominis Æduensis Episcop. ab an. circiter 1169. obiit die 29. Maji anni 1189.

Petrus Comestor, seu Manducator, Trecensis Decanus, Historiæ Scholasticæ Magister, obiisse dicitur circa an. 1190. vel potius 21. Octobris an. 1198. in Cœnobio Parisiensi Sancti Victoris, ubi sepultus est cum Epitaphio.

Rogerius Hovedenus, Anglicam Historiam perduxit usque ad an. 1199.

Petrus Blæsensis, Archidiaconus Bathoniensis in Anglia, floruit ab anno circ. 1160. usque ad an. 1200.

XIII. *æræ Christianæ sæculo*.

Joachimus, Abbas Florensis in Calabria O. C. dicitur pervenisse usque ad an. circiter 1201.

Theodorus Balsamon, Patriarc. Antiochenus, Schismaticus, vivebat adhuc anno 1203.

Nicetas Acominatus, Choniates, florebat biennio post captam à Francis ac Venetis an. 1204. Constantinopolim.

Guillelmus, cogn. Parvus, Neubrigensis, seu Neoburgensis, Ord. Can. Reg. S. Aug. obiisse dicitur anno 1208.

Guntherus, Monachus Cœnobii Parisiensis sic dicti propè Basileam in Rauracis, O. C. scribebat an. circ. 1230.

Helinandus, Monachus Frigidimontis in diœcesi Bellovacensi O. C. vivebat anno 1212.

Innocentius III. Papa per ann. 18. menses 6. & dies 9. ab an. 1199. usque ad diem 20. Julii an. 1216.

Guillelmus de Saliniaco, Autissiodorensis an. 1206. creatus Episcopus, ac deinde Honorii III. Papæ jussu, Parisiensis, obiit die 23. Novembris in festo B. Clementis ann. 1223. apud S. Clodoaldum ad Sequanam.

S. Franciscus, Assisias, Fundator Ordinis Minorum, obiit 4. Octob. an. 1226. sub vesperam sabbati.

S. Antonius, natione Lusitanus, dictus vulgò de Padua, seu Patavinus, O. M. obiit die 13. Junii an. 1231.

S. Edmundus, sive Eadmundus, Cantuariensis Archiep. obiit 16. Novembris anno 1240.

Conradus à Luichtenau, ab ann. 1215. Abbas Urspergensis Ordinis Præm. obiit an. 1240. Chronicon ejus definit in annum 1229.

Jacobus de Vitriaco, Episcop. Acconensis, & S. R. E. Cardinalis, obiit die 30. Aprilis an. 1244.

Alexander de Hales, seu Hallensis, Anglus, O. M. obiit 27. Aug. an. 1245.

Guillelmus, Parisiensis Episcop. hoc nomine III. patria Arvernus, obiit 30. Martii, an. 1249.

Robertus de Sorbona, Collegium Theologorum Parisiis fundavit an. 1252. quod ab eo dictum ad nostra usque tempora perseveravit.

Innocentius IV. Papa per annos undecim, menses 5. dies 14. ab anno 1243. ad diem 13. Decembris anni 1254.

Vincentius, Burgundus, dictus vulgò Bellovacensis, O. P. quatuor Speculorum Naturalis, Doctrinalis, Moralis, & Historialis auctor, obiisse vulgò creditur an. 1256. Alii tamen mortem ejus differunt in annum 1264. decennio antequam S. Thomas decederet, ex quo mutuatus est pleraque ad res Morales spectantia.

Matthæus Paris, Anglus, Cœnobii S. Albani Monachus, obiisse dicitur anno 1259.

Hugo de S. Caro, sive de Sancto Theodorico, ex Barcinoneta valle Delphinatus oriundus, dictus passim Hugo Cardinalis titulo S. Sabinæ, O. P. obiit die 19. Martii, seu 14. Kal. Aprilis anni 1262. in Urbe veteri.

Thomas, Brabantus, in Cantiprato propè Cameracum Can. Reg. O. A. deinde O. P. Professor, ac suffraganeus Cameracensis, obiit die 25. Maji an. 1263.

Clemens IV. Guido Grossus, seu Fulcodius antea dictus, ex Archiepiscopo Narbonensi Romanus Pontifex per annos tres, menses 9. & 2. dies, ab an. 1265. usque ad diem 29. Novembris anni 1268. Ab eo longè diversus Guido Papa J. C. Senator in Parlamento Delphinatus, seu Gratianopolitano.

S. Thomas, Aquinas, Doctor Angelicus, O. P. natus an. 1224. obiit in cœnobio Fossæ novæ die 7. Martii an. 1274. ætat. 50.

S. Bonaventura, Balneoregiensis, dictus etiam Eustachius, sive Eutychius, O. M. Generalis, deinde S. R. E. Card. Episcop. Albanensis, obiit Lugduni in Concilio Generali die 14. seu potius 15. Julii Dominica anni 1274.

Ma-

Manuel Caleca, O. P. veniſſe dicitur ad Concilium Oecumenicum Lugdunenſe II. an. 1274.

Innocentius V. Papa per menſes dumtaxat quinque, & dies duos, à die 21. Januarii ad diem 22. Junii anni 1276. Hic eſt Petrus de Tarentaſia dictus O. P.

S. Raymundus de Pennaforti, Ordin. Prædicatorum, Gregorii IX. juſſu cujus erat Pœnitentiarius, an. 1228. libros quinque Decretalium in ordinem digeſſit, vixitque uſque ad diem 6. Januarii anni 1275. quo obiit propè centenarius.

Martinus Polonus, O. P. Pœnitentiarius Papæ non Innoc. III. ſed Nicolai III. electus Archiep. Gneſnenſis in Polonia, obiit Bononiæ anno 1278. vel ſequenti: ſunt qui minus rectè vocent Archiepiſc. Coſentinum, & anno 1290. mortem ejus collocent.

Albertus Magnus, patria Svevus, O. P. S. Thomæ Præceptor, ac deinde Epiſcopus Ratiſponenſis, verùm ea dignitate abjecta privatus vixit uſque ad diem 15. Novemb. anno 1280. quo Coloniæ obiit.

Rupertus, ſeu Robertus de Ruſſia, O. M. dicitur obiiſſe an. 1280.

Udalricus de Argentina, O. P. Floruit ann. circiter 1280.

Henricus de Seguſio, O. P. Card. & Epiſcop. Hoſtienſis, unde illi vulgare nomen apud Juriſperitos, obiit Lugduni 6. Novembris anni 1281. vel ut alii rectiùs 1267. ſepultus apud Dominicanos.

Henricus Bonicollius, patria Gandavenſis, Theologus Pariſienſis & Archidiaconus Tornacenſis, obiit 8. Sept. an. 1295.

Guillelmus Durantes, ſive Durandus, dictus Speculator, Epiſcop. Mimatenſis in Aquitania I. obiit Romæ Kalendis Novembris an. 1296.

Guido de Bayſio, Bononienſis Archidiaconus, vivebat adhuc an. 1300.

Richardus de Mediavilla, Anglus, O. M. obiit anno circ. 1300.

XIV. *Chriſtianæ æræ ſæculo*.

Henricus Stero, O. B. Monachus, vivebat an. circiter 1301.

Dinus, ſeu Dynus, Mugellanus, J. U. C. vixiſſe dicitur an. circ. 1301.

Joannes de Pariſiis, O. P. obiit an. circiter 1302. aut ſeq.

Eberardus, Altahenſis, Archidiaconus Ratiſponenſis, vivebat an. 1303.

Siffridus, Miſnenſis Presbyter, ſcribebat ann. 1307.

Joannes Duns, natione, ut quidem mihi probabilius videtur, Scotus. Neque enim hoc amplius ſæculo Hiberni Scoti, aut Hibernia Scotia dicebatur, appellatus jure merito O. M. Doctor Subtilis, obiit die 8. Novembris anno 1308. in Urbe Colonienſi.

Raymundus Lullus, Tertii Ord. Sancti Franciſci, Librorum plurimorum ſcriptor, occiſus eſt in Africa die 26. Martii ann. 1315. habitus pro Sancto in Balearibus Inſulis, unde erat oriundus. Malè confunditur cum Raymundo Lullo de Tartagna Neophyto hæretico, qui damnatus eſt à Gregorio XI. Papa circa an. 1355.

Ægidius Columna, Romanus, vir nobilis O. A. Generalis, & Præceptor Regis Philippi Pulchri, Archiepiſcopus Bituricenſis Aquitaniæ Primas ab ann. 1296. uſque ad diem 22. Decembris an. 1316. quo obiit Avenione, ſepultus Pariſiis apud ſuos cum Epitaphio.

Antonius Andreas, O. M. dicitur obiiſſe ann. 1320.

Barlaamus de Seminaria, Hieracenſis Epiſcop. anno circ. 1320. vel 1350. ſive ſit I. ſive II. ejus nominis. Præter eos vixit eodem ſæculo alter Barlaamus Monachus Græcus, ſchiſmaticus, quem cave cum orthodoxo Latinorum fautore confundas.

Petrus Aureolus, ex O. M. Archiepiſcopus Aquiſextienſis, obiit die 27. Aprilis anno 1322.

Joannes Baſſolus, O. M. diſcipulus Scoti, vivebat anno 1322.

Herveus Natalis, Brito Armoricus, O. P. Generalis, obiit an. 1323. die 10. Auguſti.

Franciſcus Mayronis, patria Dinienſis in Alpibus Maritimis, O. M. obiit an. 1325.

Auguſtinus Triumphus, dictus de Ancona, O. A. obiit an. 1328. ætatis 85.

Guido de Perpinnano, ex Carmelitarum Ordine Epiſcopus primò Majoricenſis, deinde Elnenſis, circa an. 1330.

Aſteſanus, O. M. Theologus vivebat ann. 1317. diciturque obiiſſe an. 1330.

Ludolfus, ſeu Landulfus, Carthuſianus, claruiſſe dicitur an. 1330.

Monaldus, ex O. M. Archiep. Beneventanus, floruit an. 1332.

Nicephorus Calliſtus, Xanthopuli filius, vivebat adhuc an. circ. 1333.

Durandus à Sancto Portiano, Arvernus, O. P. Epiſcopus Anicienſis, deinde Meldenſis obiit die 13. Septembris ann. 1333.

Nicolaus de Lyra, Normanniæ vico propè Vernolium, O. M. obiit die 23. Octobris 1340. Errant qui Brabantum, Hollandum, aut Anglum fuiſſe dicunt.

Lupoldus Bebenbergius, ſive Bambergenſis aliis dictus, J. C. vixiſſe perhibetur anno 1340.

Alvarus Pelagius, ex O. M. Epiſcopus Silvenſis, vivebat adhuc an. 1340.

Petrus Paludanus, ex gente Varembonia apud Sebuſianos, O. P. Patriarcha Hieroſolymitanus, obiit Pariſiis die 31. Januarii 1342. ſepultus apud ſuos Dominicanos cum Epitaphio.

Nicephorus Gregoras, ſcribebat an. circ. 1345.

Joannes de Baccone, Carmelita Anglus, dicitur obiiſſe an. 1346.

Guillelmus Ocham, Anglus, O. M. ſectæ Nominalium, ut dici ſolet, Venerabilis inceptor, obiit Monachii in Bavaria die 10. Aprilis an. 1347.

Bartholomæus à S. Concordio, Piſanus, dictus, O. P. obiiſſe dicitur an. 1347. Alter Bartholomæus Piſanus, O. M. auctor Conformitatum obiit 4. Novembris an. circ. 1380.

Joannes Andreas, J. C. obiit ann. 1348. die 7. Julii.

Joannes Villanius, Florentinus, vivebat an. 1348. Fratrem habuit Matthæum nomine, eumque Hiſtoriæ ſcriptorem.

Simeon Fidatus, dictus à Caſſia, O. A. obiit 2. Februarii, an. 1348.

Petrus Bertrandus, Epiſcop. Auguſtodunenſis, an. 1329. exeunte Decembri, coram Rege Philippo Valeſio pro juribus Eccleſiaſticorum diſſeruit, factuſque S. R. E. Cardinalis die 20. Decembr. 1331. vixit uſque ad diem 24. Junii ann. 1349. vel ex Contelorio 23 Junii anni præcedentis.

Robertus Holkot, Anglus, O. P. obiiſſe dicitur anno 1349.

Albericus de Roſate, Bergomenſis J. C. vivebat anno circ. 1350. Ineptè à Samuele Mareſio confuſus cum Alberico Trium-Fontium Monacho O. C. qui anno 1240. vivebat.

Nicolaus Cabasilas, Thessalonicensis erat Archiepiscopus circa annum 1350.

Nicolaus Gorram Anglus, vixisse dicitur anno 1350.

Joannes Thaulerus, Germanus, O. P. claruisse perhibetur an. 1350.

Thomas de Argentina, O. A. Generalis, obiit anno 1357. Alter ejusdem nominis O. P. claruit anno 1495.

Gregorius de Arimino, O. A. post Thomam Argentinatem Generalis, obiit anno 1358. in eodem tumulo sepultus Viennæ in Austria.

Adamus Goddaamus, seu Wodhan, Hibernus potiùs quàm Anglus, O. M. obiit anno 1353. ex Sixto Senensi, qui Guillelmi Ochami discipulum vocat.

Richardus Radulfus, Armacanus in Hibernia Archiepisc. Mendicantium hostis acerrimus, obiit anno 1359.

Joannes Calderinus, J. C. à Joanne Andrea in filium adoptatus, vivebat an. 1360.

Henricus Suso, O. P. obiit die 25. Januarii anno 1365.

Alfonsus Vargas, ex O. A. Hispalensis Archiep. obiit 26. Decembris an. 1366.

Franciscus Petrarcha, parentibus ortus Florentinis, Canonicus Patavinus, obiit die 18. Julii an. 1374. propè Patavium.

Joannes Ruysbrokius, Ord. Can. Reg. S. Aug. in Viridi valle propè Bruxellas, obiit 2. Decembris, an. 1381.

Marsilius ab Ingen, Germanus, Doctor Heidelbergensis, obiit die 20. Augusti anno 1394.

XV. *Christianæ æræ sæculo*.

Petrus de Ancharano, J. C. vixisse dicitur anno 1410.

Antonius de Butrio, J. C. vivebat ann. circiter 1417.

Franciscus Zabarella, S. R. E. Cardinalis, obiit anno 1417.

S. Vincentius Ferrerius, Valentinus, O. P. vir verè Apostolicus, obiit Venetiæ in Armorica Gallia die 5. Aprilis anni 1418. more Gallico ante Pascha, aut ex supputatione Romana 1419. ætat. 70.

Baldus, de Baldis seu Ubaldus insignis Perusinus, J. C. obiit Ticini 28. Aprilis ann. 1423. decrepita ætate. Quo etiam anno labente Indictione prima dicitur ad superos obiisse ejusdem Baldi frater Angelus, & ipse J. C.

Petrus de Alliaco, Compendii ad Isaram natus, Episcop. Cameracensis ab an. 1398. tum S. R. E. Cardin. ab anno 1411. usque ad diem 8. Augusti an. 1425. quo obiit.

Henricus de Hassia, Carthusianus, obiit anno 1428.

Joannes Charlierius, à vico natali diœcesis Rhemensis dictus vulgò de Gerson, Cancellarius Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis, obiit Lugduni die 12. Julii ann. 1429. Qui Cælestinum vocant, eum magno errore cum fratre cofundunt.

Thomas Netterus, vulgò *Waldensis*, Anglus Ord. B. Mariæ de Monte Carmelo, obiit Rothomagi die 3. Nov. ann. 1430.

Joannes Ragusæus, Dalmata, O. P. & & *Joannes de Polemar*, Archidiaconus Barcinonensis cum *Henrico de Kalthetsem* O. P. & aliis, eruditè perorarunt an. 1433. in Concilio Basileensi. *Joannes Capreolus* O. P. doctissimus Theologus, eidem dicitur interfuisse. Alii an. 1424. assignunt.

Paulus Carthagena, ex Judæo Christianus, dictus à S. Maria, Episcopus Burgensis in regno Castellæ, obiit an. 1435. die 29. Augusti.

Joannes de Imola, J. C. obiisse dicitur Bononiæ in patria an. 1436. vel superiori, die 18. Febr.

Josephus Methonensis, an. circiter 1440. scripsisse perhibetur.

Nicolaus Tudeschus, Siculus, Abbas, Archiepisc. Panormitanus, & S. R. E. Card. obiit an. 1443.

S. Bernardinus, Senensis, O. M. vir planè Apostolicus, obiit Aquilæ in Vestinis die 20. Maji anno 1444.

Augustinus de Roma, O. A. Archiepiscopus Nazarenus, obiit an. 1445.

Matthæus Palmerius, Florentinus, vivebat anno 1449.

Alfonsus Tostatus, Abulensis in Hispania Episcopus, obiit an. 1454.

S. Laurentius Justinianus, Canonicus Congregat. S. Georgii in Alga, primus ab anno 1451. ex Castellanensi Episcopo Venetiarum Patriarcha, obiit die 8. Januarii an. 1455.

Joannes de Anania, J. C. Archidiaconus Bononiensis, obiisse dicitur an. 1455.

B. Joannes Capistranus, O. M. obiit 3. Octobris an. 1456. apud Willare in diœcesi Quinqueecclesiensi ætat. 71.

Andreas Barbatias, seu Barbatius, Bononiensis J. C. vivebat anno 1460.

S. Antoninus, Florentinus civis, & Archiepiscopus, obiit die 2. Maji anno 1459. pridie Ascensionis; Canoni Sanctorum additus ab Hadriano VI. an. 1522. die 31. Maji Dominica SS. Trinitatis.

Georgius Scholarius, interfuit Concilio Florentino ann. 1438. reversus in Græciam factus Patr. Const. assumpto Gennadii nomine, vixisse dicitur usque ad an. circiter 1460. Ad eadem tempora revocatur Gregorius Proto-Syncellus, quem etiam Patriarcham Const. fuisse asserunt. Mihi N. L.

Flavius Blondus, Foroliviensis, obiit die 4. Junii, an. 1463.

Nicolaus de Cusa, vico diœcesis Trevirensis ad Molellam Fl. Episcopus Brixinensis, & titulo Sancti Petri ad vincula S. R. E. Cardin. obiit die 11. Aug. an. 1464. Romæ, & cor ejus sepultum Cusæ.

Pius II. dictus antea Æneas Silvius Piccolomineus, Senensis, in Concilio Basileensi notissimus, Pontificatum Romanum tenuit per annos 5. menses 11. & dies 27. ab an. 1458. usque ad diem 15. Aug. anni 1464. quo obiit Anconæ ætat. 59.

Henricus de Kaltheisen, ex O. P. Archiep. Nidrosiensis, qui an. 1433. in Concilio Basileensi dixerat adversus Hussitas, obiit Kalend. vel V. Kalendas Octobris ann. 1465. Confluentiæ in patria, ibique sepultus.

Laonicus Chalcocondylas, Atheniensis, Historicus, vixisse dicitur anno circiter 1468. aut 1470.

Joannes de Turrecremata, Hispanus, O. P. Cardinalis Episcop. Sabinensis, vixit usque ad diem 26. Sept. an. 1468.

Dionysius à Rickel, Carthusianus, obiit die 12. Martii ann. 1471.

Thomas, cogn. Hemerchem, idest Malleolus, dictus à patria de Kempis, Ord. Can. Reg. S. Aug. Congr. Vindesheimensis, diu vixit, obiitque die 25. Julii anno 1471. ætatis 91.

Bessarion, Trapezuntinus patria S. R. E. Cardinalis Nicenus vulgò dictus, ac deinde Patriarcha Const. post Isidori obitum, in Concilio Florentino ann. 1438. clarus admodum, vixitque usque ad diem 18. Novembris ann. 1472. quo reversus ex Legatione Gallica jam senex defunctus est.

Ale-

Alexander de Imola, J. C. obiit an. 1477.
Henricus Harphius, sive de Herp, O. M. obiit anno 1478.
Pacificus, Novariensis, O. M. vivebat anno circiter 1480.
Matthias Palmerius, Pisanus, vivebat an. 1481.
Baptista, ut plerique vocant, vel potius ex peritiorum sententia *Bartholomæus Platina*, Cremonensis, Abbreviator Apostolicus, peste obiit Romæ ann. 1481. mense Septembri. Dies ignoratur.
Baptista Trovamala, O. M. vivebat anno circiter 1483.
Ambrosius, Camaldulensis Ordinis Monachus, & Generalis, diu vixit usque ad annum 1490.
Jacobus Perez, de Valentia dictus, O. A. Episc. Christopolitanus, obiit an. 1491.
Joannes Picus, Mirandulæ Dominus & Concordiæ Comes, dictus Scaligero Monstrum sine vitio, obiit die 17. Novemb. an. 1492. ætatis 32.
Gabriel Byel, Tubingensis Doctor, ex Ordine Fratrum de vita Communi, vivebat senex ann. 1494. quo obierit anno N. L.
Antonius Bonfinius, Asculanus, & Recinetensis civis, Historiæ Hungaricæ scriptor vivebat anno circ. 1495.
Angelus de Clavasio, Ligur, O. M. obiisse dicitur an. 1495.
Marsilius Ficinus, Florentinus, Medicus & Philosophus Platonicus, obiit anno 1499.
Joannes Nauclerus, Tubingensis Doctor, vivebat adhuc anno 1500. utrum superstes, & quamdiu, ignoro.

XVI. *Christianæ æræ sæculo.*

Robertus Gaguinus, Ord. S. Trinitatis de Redemptione Captivorum Minister Generalis obiit 22. Maji an. 1501.
Felinus Sandæus J. C. vivebat an. 1501.
Jacobus Wimphelingius, Stetlatensis, vixit post an. 1501. pluribus annis.
Wernerus Rollevink de Laer, Westfalus, Ordin. Carthusianorum, obiit an. 1501.
Finus Hadrianus, scribebat Flagellum adversus Judæos an. 1503.
Marcus Antonius Sabellicus, obiit 18. Aprilis anno 1506.
Cyprianus Benetus, seu Venetus, scribebat adhuc an. 1513.
Jacobus Almainus, Senonensis, Theologus Parisiensis, obiit an. circ. 1515.
Baptista Spagnolus, sive ut alii, Hispaniolus, Mantuanus, Ord. B. Mariæ de Carmelo Generalis, obiit die 20. Martii an. 1516.
Joannes à Trittenhem, seu Trithemius, ex Spanheimensi, S. Jacobi in suburbano Herbipolensi Abbas, obiit 13. Dec. an. 1516. non 1519. ut plures perperam scripserunt.
Albertus Crantzius, Bambergensis Canonicus & Decanus Hamburgensis, obiit 7. Decembris anno 1517.
Jacobus Philippus Forestus, ab urbe patria Bergomensis, O. A. obiit an. 1518.
Franciscus Lychetus, O. M. Generalis, vivebat an. 1518.
Sylvester Mazolinus, à patria dicitur vulgò Prieras, Generalis O. P. obiit die 20. Octobris an. 1520. Rhedonibus in Minore Britannia.
Hadrianus VI. Ultrajectinus patria, Romanus Pontifex anno uno, mens. 8. diebus 6. ab an. 1522. ad diem 14. Sept. an. 1523.
Joannes Tabiensis, O. P. vivebat anno 1524.
Joannes Major, Scotus, scribebat adhuc Parisiis ann. 1528. in Collegio Montis-Acuti, nec mortuus in Scotia anno 1520. ut scripsit Thomas Dempsterus.
Dominicus Jacobatius, S. R. E. Cardinalis, obiisse dicitur an. 1528.
Franciscus Ferrariensis, O. P. Prior Generalis, obiit an. 1528. die 14. Septembris, ætat. 51.
Jacobus à Sancto Nazario, seu Actius Sincerus Sannazarus, Neapolitanus, Poeta, obiit anno 1532.
Joannes Franciscus Picus, Mirandulæ Dominus, & Concordiæ Comes, à filio fratris trucidatus est die .... Octobris an. 1533.
Thomas de Vio, Cajetanus Episcopus, & S. R. E. Cardinalis, O. P. obiit 10. August. anno 1534. ætat. 66.
Paulus Middelburgensis, Episc. Forosempronienfis, obiit 14. Decembris anni 1534. ætatis 89.
Joannes Fischerus, Episc. Roffensis in Anglia, jussu Henrici VIII. Regis Schismatici occisus die 5. Julii an. 1535.
Thomas Morus, Cancellarius Regni Angliæ, ejusdem Principis mandato pro fide Catholica obtruncatus die 6. Julii an. 1535.
Joannes Driedo, Turnholtanus, Doctor Lovaniensis, obiit die 4. Augusti an. 1535.
Conradus Koellin, O. P. obiit an. 1536.
Franciscus Titelmannus, O. M. obiit Anticoli in agro Romano inter Capucinos, die 12. Septembr. an. 1537.
Joannes Faber, Viennæ in Austria Episc. obiit an. 1541.
Joannes Echius, Novatorum debellator acerrimus, Theologus Catholicus, Ingolstadii obiit anno 1543.
Joannes Latomus, senior, Lovaniensis Doctor, obiit an. 1544.
Franciscus Victoria, Cantaber, O. P. obiit an. 1546. die 12. Augusti Salmanticæ.
Joannes Cochlæus, Canonicus Vratislaviensis, alter Lutheranorum suo tempore malleus, obiit anno 1552.
Ambrosius Catharinus Politus, patria Senensis, O. P. Episcopus Minorensis, & deinde Compsanus Arch. obiit anno 1552. valdè senex.
Dominicus Soto, Segobiensis, O. P. obiit Salmanticæ die 15. Novembris, seu 17. Kal. Dec. an. 1560. alii 13. Oct.
Martinus Azpilcueta, dictus à patria Navarrus, J. C. celeberrimus, Sacram Ord. Can. Reg. S. Aug. Militiam Roncævallis professus, valdè senex obiit 22. Julii an. 1586. ætatis 94. Neque ulterius progressus est Eminentissimus Cardinalis Bellarminus, cujus Chronologiam in plerisque nutantem, aut aberrantem emendavimus, restituimus, firmavimus.

Plures poterant adjungi Ecclesiastici Scriptores, qui sæculo illo Christi XVI. & superioribus multiplici uberrimoque proventu floruerunt. Verùm cùm de his nihil Bellarminus scripserit, quem hoc opusculo illustrare dumtaxat aggressi fuimus, Lectores Ecclesiasticarum rerum studiosos obnixè rogamus obsecramusque, ut interim nostris hisce vigiliis laboribusque utantur, fruantur, donec à gravioribus quibusdam, quæ urgent, negotiis expediti, alteram Dissertationis Historicæ ac Philologicæ partem de Scriptoribus sacris, quos Cardinalis Bellarminus non attigit, pertexere, ac publici juris facere valeamus.

OBSERVATIONES ALIQUOT.

Prima Observatio.

DIEM, Mensem, annumque mortis sedulò fuisse investigatos à nobis, & quanta fieri potuit diligentia exactos ad sinceriores temporum calculos. Nullum enim certius cognoscendæ ætatis κριτήριον esse potest, quàm annus fatalis, ex quo tota præcedens vita tamquam fixo termino retexitur. Hinc illa toties repetita apud Hieronymum, Gennadium, Isidorum, Sigebertum, aliosque Scriptorum Ecclesiasticorum Collectores, *Obiit*, *Moritur*, *Recessit*, *Vivere desiit*, *his Consulibus*, *hoc Imperatore*, *Rege*, *Pontifice*, *&c.* Cùm verò certò sciri non potuit dies ille annusve decretorius, aliis argumentis annum, quo quis floruit, scripsit, vixitve, indagare conati sumus, & nisi fallit nos conjectura, feliciùs, quàm plerique alii, ad scopum collimavimus. Si quis in uno alterove perspicacior certiora noverit, candidus impertiat. Nos gratias habebimus immortales.

Altera Observatio.

Joannis Trithemii Abbatis Spanheimensis, Sixti Senensis, Antonii Possevini, Roberti Cardinalis Bellarmini, Joannis Coccii, Jacobi Gualteri, Jacobi Tirini, Auberti Miræi, Hippolyti Maraccii, Jacobi Gaddii, necnon Heterodoxorum Conradi Gesneri, ejusque breviatorum aut interpolatorum Conradi Lycosthenis, Josiæ Simleri, & Joannis Jacobi Frisii, Joannis Balæi, Guillelmi Perkinsii, Roberti Coci, Abraami Sculteti, Andreæ Riveti, Gerardi Joannis Vossii, Edmundi Aubertini, Joannis Gherardi Patrologi Jenensis, Jo: Henrici Hottingeri, aliorumque, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis, Sanctisque Patribus, ab uno alterove sæculo ex professo, vel oblata occasione scripserunt, Opera & Tractatus expendisse, eorumque in Chronologicis Auctorum Epochis collocandis, ut nihil modò de aliis dicam, lapsus insignes deprehendisse, atque emendasse, ut ex collatione brevis hujus opellæ cum prolixioribus eorum Commentariis nemo non intelliget.

Tertia Observatio.

Compendiis literarum nonnumquam opus fuisse, quæ, ne in dispendium lectorum vergant, paucis hæc accipe.

M. annos Mundi, U.C. annos Romanæ urbis designant: Cùm nihil additur, anni sunt Æræ vulgaris, seu Dionysianæ à Christo nato cujus modo numeramus annum *1660*.

O. A. idest, Ordinis Eremitarum S. Augustini.
O. B. Ordinis Benedictini.
O. C. Ordinis Cisterciensis.
O. M. Ordinis Minorum.
O. P. Ordinis Prædicatorum.
O. Præm. Ordinis Præmonstratensis.
O. Carm. Ordinis B.M.V. de Monte Carmelo.
O. Can. Reg. Canonicorum Regularium S. Augustini.
JC. Jurisconsultus.
CP. Constantinopolitanus; & si quæ alia.

Kalendarium Scriptorum Ecclesiasticorum, quos in hoc opusculo cum Cardinali Bellarmino illustravimus, in hunc modum sat commodè posse institui, *Charactere italico* iis expressis, qui in Martyrologio Romano continentur.

JANUARII.

I. die	SANCTUS BASILIUS Archiepisc. Cæsariensis.
	S. Fulgentius Episc. Ruspensis.
	S. Odilo Abbas Cluniacensis.
II.	*Macarius* Alexandrinus Abbas.
	Paulinus Patr. Aquilejensis.
V.	*Simeon* Stylita senior.
VII.	*Raymundus* de Pennaforti O. P.
	Berno Augiæ divitis Abbas.
VIII.	Laurentius Justinianus Patr. Venetus.
XII.	Guillelmus ex Abbate S. Theoderici M. O. C.
XIII.	*Hilarius* Ep. Pictaviensis.
XIV.	Datius Arch. Mediolanensis.
XV.	*Macarius* Ægyptius Abbas.
XVI.	Faustus Rejensis Episcopus.
XVII.	*Antonius* Pater Monachorum.
XXIII.	*Ildefonsus* Toletanus Arch.
XXV.	Henricus Suso O. P.
XXVI.	*Polycarpus* Ep. Smyrnæ.
XXXI.	Petrus Paludanus P. Hieros. O. P.

FEBRUARII.

I. die	SANCTUS IGNATIUS Episc. Antiochenus.
	S. Ephrem Edessenus Diaconus.
II.	Simon Fidatus de Cassia O. A.
IV.	*Isidorus* Pelusiota Monachus.
	Rabanus Arch. Moguntinus.
V.	*Avitus Alcimus* Arch. Viennensis.
XI.	Hugo de S. Victore Can. Reg.
XIII.	*Gregorius* II. Papa.
XVIII.	Petrus Cellensis Ep. Carnoti.
XXII.	Petrus Damiani Cardinalis.

MARTII.

IV. die	RUPERTUS Tuitiensis Abbas.
VII.	Smaragdus Ardo Anianæ mon.
	S. Thomas Aquinas O. P.
VIII.	*Pontius* S. Cypriani Diaconus.
	Julianus Arch. Toletanus.
IX.	Pacianus Ep. Barcinonensis.
	Gregorius Ep. Nyssenus.
X.	Richardus de S. Victore Can. Reg.
XI.	*Sophronius* Hierosolymorum Ep.
	Eulogius Cordubensis Martyr.
XII.	*Gregorius* I. Papa.
	Dionysius Kichelius Carthusianus.
XIII.	*Nicephorus* Patriarcha Const.
XIV.	*Pachomius* Tabennens. Abbas.
XVIII.	*Cyrillus* Hierosolymorum Ep.
XIX.	Hugo de S. Caro Cardinalis O. P.
XX.	Baptista Mantuanus, Carmelita.
XXI.	Serapion Thmueos Episcopus.

XXVI.

XXVI. *Ludgerus* Monasteriensis Ep.
XXVII. Haymo Halberstatensis Ep.
XXVIII. Flodoardus Rhemensis Canonicus.
XXX. *Joannes Climacus* Abbas Sinaita.
Guillelmus III. Ep. Parisiensis.

APRILIS.

IV. die SANCTUS AMBROSIUS Arch. Mediolani.
S. Isidorus Arch. Hispalensis.
V. *Vincentius Ferrerius* O. P.
IX. *Prochorus* unus ex VII. Diaconis.
X. Fulbertus Carnotensis Ep.
Guillelmus Ocham O. M.
XI. *Leo I.* Romanus Pontifex.
XII. *Zeno* Veronensis Ep.
XIII. *Justinus* Philosophus & Martyr.
XVIII. M. Ant. Coccius Sabellicus Hist.
XXI. *Anastasius* Sinaita Arch. Antiochenus.
Anselmus Arch. Cantuariensis.
XXV. *S. Marcus* Evangelista & Ep. Alex.
XXVI. Paschasius Ratbertus Corbeiæ Abbas.
XXVII. Petrus Aureolus Arch. Aquensis O. M.
XXVIII. Baldus de Ubaldis J. C.
XXX. Jacobus de Vitriaco Cardinalis.

MAJI.

I. die SANCTUS JACOBUS Frater Domini Ep. Hier.
II. *S. Athanasius* Patr. Alexandrinus.
Antoninus Arch. Florentinus O. P.
V. *Hilarius* Arelatensis Arch.
VI. *Joannes* Damascenus.
XI. *Hermas* sive Hermes disc. Apost.
Gregorius Nazianzenus Ep. Const.
XII. *Epiphanius* Salaminæ in Cypro Ep.
Germanus Patriarcha Const.
XV. Thomas de Cantiprato O. P.
XVII. *Bruno* Herbipolensis Ep.
XIX. *Flaccus Albinus Alcuinus* Abbas.
XX. *Bernardinus* Senensis O. M.
XXII. Constantinus Magnus Imperator.
Robertus Gaguinus Generalis O. S. Trin.
XXIV. Vincentius Lirinensis Monachus.
Lanfrancus Archiep. Cantuariensis.
XXV. *Gregorius VII.* Romanus Pontifex.
XXVII. Venerabilis *Beda* Presbyter Anglus.
XXVIII. *Aldelmus* Schireburgensis Ep.
Stephanus II. Heduorum Episc.
XXXI. *Paschasius* S. R. E. Diac. Card.

JUNII.

IV. die SANCTUS OPTATUS Milevitanus Ep.
Flavius Blondus Historicus.
V. *Dorotheus* Tyrius martyr.
Bonifacius Moguntinus Arch. Martyr.
VII. Leo Sapiens seu Philosophus Imp.
XIII. *Antonius* Lusitanus, de Padua dictus, O. M.
XXII. *Paulinus* Nolanus Episcopus.
Eucherius Lugdunensis Arch.
Innocentius V. Romanus Pontifex.
Martinus ab Aspilcueta Navarrus.
XXIV. Petrus Bertrandi Card. Heduorum Ep.
XXV. *Prosper* Regii in Italia Episcopus.
Halitgarius Cameracensis Ep.
XXVI. *Vigilius* Tridentinus Ep. Martyr.
XXVIII. *Irenæus* Lugdunensis Arch. Martyr.
XXIX. *SS. Petrus & Paulus* Apostoli.
XXX. *Martialis* Lemovicensis Ep.

JULII.

V. die JOANNES Fischerus Rofensis Ep.
VII. Thomas Morus Angliæ Cancellarius.
X. Joannes Charlerius de Gerson, Cancell.
XIV. *Bonaventura* O. M. Card. Albæ Ep.
Marcellinus Presbyter Comes S. Suitberti.
XV. Anselmus Laudunensis Schol.
XVII. *Ennodius* Ticinensis Ep.
XVIII. *Bruno* Astensis, Ep. Signiæ, Card.
Franciscus Petrarcha Can. Patavinus.
XX. Innocentius III. Romanus Pontifex.
XXIII. Joannes Cassianus Abbas Massiliensis.
XXV. *Maximus* Taurinensis Ep.
Thomas Malleolus à Kempis Can. Reg.
XXIX. *Prosper* Aurelianensis Ep.
XXX. Petrus Lombardus Ep. Parisiensis.

AUGUSTI.

I. die SANCTUS PHILASTRIUS Brixiensis Ep.
IV. Joannes Driedo Lovanii Doctor.
VI. Sixtus III. Romanus Pontifex.
VIII. Petrus de Alliaco, Cameraci Ep. Card.
X. Thomas de Vio, Cajetanus Ep. Card. O. P.
XI. Nicolaus de Cusa Ep. Brix. Card.
XII. Franciscus Victoria, Theologus O. P.
XIII. *Maximus* Monachus & Martyr.
XV. Pius II. Papa, sive Æneas Sylvius.
XIX. Guerricus Abbas Igniacensis O. C.
XX. *Bernardus* Clarævallis Abbas.
Marsilius ab Ingen Theologus.
XXII. *Hippolytus* Portuensis Ep. Martyr.
XXIII. *Victor* Uticensis in Africa Ep.
Sidonius Apollinaris Ep. Arvernorum.
XXVII. *Cæsarius* Arelatensis Archiep.
Alexander Hallensis Theologus O. M.
XXVIII. *S. Augustinus* Hipponensis Ep.
XXIX. Paulus Carthagena Burgensis Ep.
XXXI. Arnulfus Lexoviensis Ep.

SEPTEMBRIS.

VIII. die HENRICUS de Gandavo Archidiac. Tornacensis.
XII. Franciscus Titelmanus O. M.
XIII. Durandus à S. Portiano, Ep. Meldensis.
XIV. *Cornelius* Romanus Pontifex.
Cyprianus Arch. Carthaginensis Martyr.
Joannes Chrysostomus Arch. Const.
Hadrianus VI. Romanus Pontifex.
XVIII. *Methodius* Olympi & Tyri Ep. Martyr.
XXI. *Matthæus* Apostolus & Evangelista.
Otho Frisingensis Ep. O. C.
XXIII. *Linus* Romanus Pontifex.
XXIV. Franciscus Ferrariensis, Theol. O. P.
XXVI. Joannes à Turrecremata O. P. Card.

OCTOBRIS.

I. die HENRICUS Kalteisen Arch. O. P.
III. Joannes de Capistrano O. M.
IV. *Franciscus* Assisias Fundator O. M.
V. Sigebertus Gemblacensis Monachus.
VI. *Bruno* Carthusiensis Ord. Fundator.
IX. *Dionysius* Ep. Parisiensis.
XIII. *Theophilus* Antiochenus Arch.
XIV. Burchardus Vormatiensis Ep.
XVIII. *Lucas* Antiochenus, Evangelista.
XX. Silvester de Priero O. P.

S U P P L E M E N T A,

S E U

INDEX CHRONOLOGICUS AUCTORUM

juxta rationem temporum,

Ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi.

Anno Christi 41 BARNABAS Apostolus.
100 Martialis Lemovicum Episcopus.
Clemens Romanus Papa.
Dionysius Areopagita, Athenienfis Episcopus.
Ignatius Antiochenus Episcopus.
120. Philo cum Agathopode & aliis.
168. Athenagoras Philosophus.
210. Tertullianus Africanus, Montanista.
220. Ammonius Alexandrinus Philosophus.
230. Origenes Presbyter Alexandrinus.
250. Novatianus Antipapa Romanus.
Cyprianus Carthaginensis Episcopus.
260. Aurelius Diaconus Carthaginensis.
Gregorius Neocæsariensis Episcopus.
Methodius Olympi Lyciæ Episcopus.
320. Lucius Cælius Lactantius Firmianus.
Commodianus Philosophus.
Theodorus Heracleæ Thraciorum Episcopus.
350. Eusebius Emissenus Episcopus.
360. Antonius Abbas Monachorum Parens.
Macarius Ægyptius Abbas.
Eusebius Vercellensis Episcopus.
370. Athanasius Alexandriæ Episcopus.
369. Cæsarius frater S. Gregorii Nazianzeni.
379. Basilius Archiepisc. Cæsareæ Cappadocum.
393. Quintus Julius Hilarion Chronologus.
393. Evagrius Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus.
395. Evagrius Ponticus Monachus.
395. Gregorius Nyssenus Episcopus.
395. Marcus Eremita, qui & Exercitator.
395. Ticonius Afer, Donatista.
396. Philo Carpathi Insulæ Episcopus.
400. Asterius Amaseæ Episcopus.
403. Marcus Gazæ in Palestina Diaconus.
410. Paulinus S. Ambrosii Diaconus.
420 Marcellus Memorialis.
Severus Sulpitius Primulariensis Presbyter.
Pelagius Scotus Hæresiarcha.
Palladius Helenopoleos Episcopus.
Polychronius Apameæ Episcopus.
Severus minoris Insulæ Balearis Episcopus.
Philostorgius Arianus.
Evodius Uzalensis Episcopus.

Lepo-

Leporius Presbyter Africanus.
430. Isaac Monachus.
Ursinus Monachus.
Vigilius Diaconus.
Paulinus Nolanus Episcopus.
Uranius Paulini Nolani Discipulus.
Capreolus Carthaginensis Episcopus.
Marius Mercator.
Philippus Presbyter.
440. Theodotus Ancyranus Episcopus.
Bachiarius Hybernus.
Fastidius Britannorum Episcopus.
Proba Falconia.
Eudoxia Theodosii Junioris uxor.
Eustathius Africanus.
450. Nilus Monachus & Abbas ex Præfecto Urbis Constantinopolis.
Petrus Chrysologus Ravennæ Episcopus.
Honoratus Antoninus, Constantinæ in Africa Episcopus.
460. Diadocus Photices in veteri Epiro Episcopus.
Sanctus Leo Magnus Romanus Papa.
Victorius Aquitanus Presbyter.
Victor Cartennæ in Africa Episcopus.
Arnobius Junior, Gallus, Presbyter.
470. Paulinus Petricordius seu Petracoricensis.
Antonius Simeonis Stylitæ Discipulus.
480. Constantius Presbyter Lugdunensis.
490. Gennadius Patriarcha Constantinopolit.
Eugenius Carthaginensis Episcopus.
Victor Vitensis in Africa Episcopus.
Honoratus Massiliensis Episcopus.
500. Adrianus Auctor Græcus.
Laurentius Novariensis Episcopus.
Paschasius Diaconus Romanus.
530. Cogitosus Scotus Monachus & Abbas.
Nonnus Panopolita.
Montanus Episcopus Toletanus.
Remigius Rhemorum Archiepiscopus.
Fulgentius Ruspensis in Africa Episcopus.
540. Dionysius cognomento Exiguus.
Benedictus Monachorum Parens.
550. Facundus Hermianensis Episcopus.
Primasius Adrumeti in Africa Episcopus.
Aurelianus Arelatensis Episcopus.
Cyprianus, Messianus & Stephanus, Sancti Cæsarii Discipuli.
560. Joannes cognomento Scholasticus.
Vigilius Tapsensis in Africa Episcopus.
Isaac Junior, Monachus Syrus.
Pelagius Papa Romanus.
Joannes III. Papa, Pelagii successor.
Dacius Mediolanensis Episcopus.
Zacharias Mytilenensis Archiepiscopus.
Cyrillus Monachus S. Sabæ Discipulus.
570. Procopius Historicus, Cæsareensis.
Agathias Scholasticus Smirnæus.
Agnellus Ravennatensis Episcopus.
Cassiodorus Monachus & Abbas Vivariensis.
Nicetius Treverensis Episcopus.
580. Paschasius Sancti Martini Bracarensis Episcopi Diaconus.
Joannes Climacus Abbas Montis Sina.
Marius Lausannensis Episcopus.
Evantius Viennensis Episcopus.
590. Leontius Byzantinus, Monachus.
Eustathius Presbyter.
Ferreolus Episcopus Ucetiensis.
Dynamius Patricius.
Anastasius Sinaita Episcopus Antiochenus.
Anastasius alter Antiochenus Episcopus.
Eutropius Valentinus Episcopus.

600. Orientius Illiberitanus Episcopus.
Marcus Poeta Monachus.
Faustus S. Benedicti Discipulus.
Leander Hispalensis Episcopus.
610. Paterius S. Gregorii I. Discipulus.
Paulus Emeritensis Diaconus.
Theophylactus Simocatta.
Columbanus Abbas Luxoviensis.
Joannes Grammaticus, Philopponus.
620. Leontius Neapoleos in Cypro Episcopus.
630. Georgius Patriarcha Alexandrinus.
640. Donatus Bisuntinensis Archiepiscopus.
Paulus Neapolitanæ Ecclesiæ Diaconus.
Cumianus Hyberniæ Episcopus.
Joannes IV. Papa Romanus.
Braulio Cæsar-Augustanus Episcopus.
Eligius Noviomensis Episcopus.
650. Thalassius Monachus Græcus.
Eustratius Presbyter Constantinopolitanus.
S. Martinus I. Papa Romanus.
Eugenius Junior Toletanus Archiepiscopus.
Tajo Cæsar-Augustanus Episcopus.
Fructuosus Bracarensis Archiepiscopus.
660 Dorotheus Archimandrita.
Marculfus Gallus Monachus.
S. Maximus Monachus & Martyr.
Anastasius Monachus S. Maximi Discipulus.
Anastasius S. R. E. Apocrisiarius.
Hildefonsus Archiepiscopus Toletanus.
Theodosius & Theodorus fratres.
670. Audoenus Rothomagensis Archiepiscopus.
680. Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus.
690. Ceolfridus Abbas Anglus.
Baudemundus S. Amandi in Belgio Abbas.
Ursinus Gallus Monachus.
Cresconius Episcopus Africanus.
700. Aigradus Fontanellensis Monachus.
710. Adamnanus Monachus Scotohybernus.
Joannes Patriarcha Constantinopolitanus.
720. Andreas Cretensis Archiepiscopus.
Jonas Fontanellensis Monachus.
730. Germanus Patriarcha Constantinopolit.
740. Fœlix Monachus, Anglus.
Heddius Stephanus, Anglus.
750. Egbertus Eboracensis Archiepiscopus.
Anastasius Monasterii S. Euthymii Abbas.
Isidorus Pacensis Episcopus.
Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus.
760. Willibaldus Eistetensis Episcopus.
Chrodegandus Metensis Episcopus.
770. Godescalcus Leodiensis Canon. & Diacon.
Ambrosius Autpertus Abbas.
780. Aribo Frisingensis Episcopus.
790. Donatus Metensis Diaconus.
Georgius Monachus Constantinopolitanus.
Dacrianus Abbas suppostitius.
800. Paulus Warnefridi Monachus Cassinensis.
Paulinus Aquilejensis Episcopus.
Albinus Flaccus Alcuinus.
Ludgerus Monasteriensis Episcopus.
Arno Salisburgensis Archiepiscopus.
Ethelvolfus, Monachus Anglus.
810. Tilpinus Rhemensis Archiepiscopus.
Leidradus Lugdunensis Archiepiscopus.
Odilbertus Mediolanensis Archiepiscopus.
Amalharius Treverensis Archiepiscopus.
Carolus Magnus Rex Francorum & Imperator.
Theophanes Monachus & Agri Abbas.
820. Benedictus, Fundator Anianæ & primus Abb.
Theodulphus Aurelianensis Episcopus.
Sedulius junior, natione Scotus.
Eigil Fuldensis Abbas.

Paulus Bentiedensis Præpositus Canonicorum Regularium.
Micrologus Operis, non Auctoris nomen.
Robertus Bajocensis in Normannia Abbas.
1090. Conradus Bruvillarensis Monachus.
Gaufredus à Malaterra Monachus.
Guillelmus Appulus Historicus.
Bertoldus seu Bernoldus Presbyter Constantiensis.
Nalgodus Cluniacensis Monachus.
Othlonus Ord. D. Benedicti Monachus.
Gillebertus Lunicensis in Hybernia Episcopus.
1100. Radulfus Ardens Pictavinus.
Theodoricus Sancti Trudonis Abbas.
Hugo Flaviniacensis in Burgundia Abbas.
Lupus Protospata Appulus.
Hariulfus Aldemburgensis Abbas.
Petrus Tudebodus Sivracensis Presbyter.
Raymundus de Agiles Canonicus Podiensis.
Yvo Carnotensis Episcopus.
Philippus, Solitarius Græcus.
Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus.
Stephanus S. Jacobi Leodiensis Abbas.
Anscherus S. Richarii seu Centulensis Abbas.
Theofridus Abbas Epternacensis.
1110. Franco Afflighemiensis Abbas.
Gotselinus Cantuariensis Monachus.
Guillelmus de Campellis Catalaunensis Episcopus.
Baldricus Noviomensis & Tornacensis Episcopus.
Alulfus S. Martini Tornacensis Monachus.
Udascalcus Augustanus Monachus.
Hugo à S. Maria Floriacensis Monachus.
Turgotus Dunelmensis Monachus.
Rodulfus Sancti Trudonis Abbas.
Gilbertus Abbas Westmonasteriensis.
Florentius Bavonius Vigorniensis Monachus.
Petrus Honestus, Abbas Sanctæ Mariæ de Portu.
1120. Pandulfus Pisanus.
Anna Comnena Constantinopolitana.
Laurentius Dunelmensis Monachus.
Thomas Eliensis in Anglia Monachus.
Gualterus Tarvanensis Ecclesiæ Canonicus.
Robertus S. Remigii Rhemensis Monachus.
Albertus Aquisgranensis Canonicus & Sacrista.
Theobaudus Befuensis in Burgundia Monachus.
Ernulfus Roffensis in Anglia Episcopus.
Michael Glycas Siculus.
Eadmerus Cantuariensis Ecclesiæ Monachus.
Nicolaus S. Lamberti Leodiensis Canonicus.
Domnizo Italus Presbyter.
Hesso Canonicus & Scholasticus Rhemensis.
Lietbertus Abbas S. Rufi propè Valentiam.
Hermannus Abbas S. Martini Tornacensis.
Marbodus Redonensis Episcopus.
Guibertus Abbas B. Mariæ de Novigento.
Bruno Signiensis in Italia Episcopus.
Guillelmus Malmesburiensis Monachus.
Hugo Metellus Canonicus Ordinis Divi Augustini.
Gualterus Marchianensis Monachus.
Stephanus Augustodunensis Episcopus.
Simeon Dunelmensis Monachus.
Raynerus S. Laurentii Leodiensis Monachus.
Cosmas Pragensis Ecclesiæ Decanus.
Rainaldus Lugdunensis Archiepiscopus.
1130. Hugo de Folieto, Corbejensis Monachus.
Guillelmus Gemmeticensis Monachus.
Fulcherius Carnotensis Presbyter.
Hervæus Burgidolensis Monachus.
Algerus Cluniacensis Monachus.
Udalricus Constantiensis in Germania Episcopus.
Isaac Monachus Syrus.
Baldricus Dolensis Archiepiscopus.
Stephanus Hardingus Cisterciensis Abbas.
Rupertus Abbas Tuitiensis juxta Coloniam.
Gaufridus Grossus Tironensis Monachus.
Anselmus Abbas Gemblacensis.
Guigo Quintus majoris Carthusiæ Prior.
Drogo Sancti Joannis Laudunensis Abbas.
1140. Hugo Canonicus S. Victoris Paris.
Antonius Melissa, Monachus Græcus.
Falco Beneventanus, Historicus.
Ordericus Vitalis S. Ebrulfi Monachus.
Lucas Abbas Sancti Cornelii Leodiensis.
Hugo Farsitus Abbas Canonicorum Regularium.
Robertus Retenensis, Pampelonæ Archidiaconus.
Petrus Abaelardus Monachus & Abbas.
1150. Joannes Burgundio, Civis Pisanus.
Teulfus Morigniacensis Monachus.
Constantinus Manasses Historicus Græcus.
Constantinus Harmenopulus Sebastus.
Arsenius Monachus in Monte Athos.
Simeon Junior, cognomento Magister & Logotheta.
Galfridus Asaphensis in Cambria Episcopus.
Sugerius Abbas S. Dionysii in Francia.
Ogerius Abbas de Lucedio in Sabaudia.
Guido Abbas Cariloci in Burgundia.
Odo Abbas Morimundi Ord. Cisterciensis.
Gilbertus de Porreta Pictaviensis Episcopus.
Alexander Abbas Vallis-Celesinæ.
Joannes Majoris Monasterii Monachus.
Wolbero Abbas Sancti Pantaleonis.
Joannes Prior Hagulstadensis, Ord. D. Augustini.
Hugo Monachus Abbatiæ Vezeliacensis.
Bernardus Morlavensis, Monachus Cluniacensis.
Serlo Abbas Savigniacensis.
Anselmus Havelbergensis in Saxonia Episcopus.
Henricus Huntingtonensis Anglus.
Amedeus Lausanensis Episcopus.
Guillelmus Abbas S. Theodorici propè Rhemos.
Odo de Diogilo Abbas Sancti Dionysii in Francia.
1160. Philippus Abbas Bonæ-Spei in Hannonia.
Petrus Pictaviensis, Monachus Cluniacensis.
Arnaldus, Abbas Bonæ-Vallis Carnotensis.
Joannes Tzetzes, Historicus Græcus.
Joannes Citttta, Abbas Taroucanus.
Hugo Rothomagensis Archiepiscopus.
Rodulfus Tortarius Monachus Floriacensis.
Adelbertus Abbas Heidenheimensis.
S. Elisabetha Virgo & Abbatissa Schonaugiensis.
Gilbertus Abbas de Oilandia Ord. Cist.
Nicolaus Arremarensis, Monachus Claræ-Vallis.
Hugo Monachus Cluniacensis.
Adamus S. Victoris Parisiensis, Ord. D. Augustini.
Ælredus seu Edilredus, Abbas Rievallis.
Laurentius S. Laurentii Leodiensis Monachus.
1170. Gaufridus Abbas Igniaci, Altæ-Cumbæ & Claræ-Vallis.
Helmoldus Bursoniensis propè Lubekam Canonicus.
Joannes Sarisberiensis, Episc. Carnotensis.
Gilbertus de Sempringham, Gilbertinorum institutor.
Sanctus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus & Martyr.
Joannes Cornubiensis Anglus.
Adamus Scotus, Canonicus Ordinis Præmonstratensis.
Thomas Monachus, Ord. & Abbatiæ Cisterciensis.
Romualdus Salernitanus Archiepiscopus.
Gilbertus S. Waldetrudis apud Montes Præpositus.
Robertus Paululus, Presbyter Ambianensis.
Guarnerus Canonicus & Supprior Sancti Victoris Parisiensis.
Fridericus Ænobarbus Imperator.
1180. Laborans S. R. E. Cardinalis.
Gilbertus Foliot, Londinensis Episcopus.

1260. Guillelmus de Sancto Amore, Theologus.
Matthæus Vindocinensis, Abbas S. Dionysii.
Sanctus Ludovicus IX. Galliæ Rex.
Guillelmus de Brocia, Senonensis Archiepiscopus.
Benedictus, Massiliensis Episcopus, postea Franciscanus.
Joannes Gualensis, seu Wallensis, Anglus.
Gilbertus Tornacensis, Ord. Fratrum Minorum.
1270. Thomas Bockingam, Oxoniensis Cancellarius.
Joannes de Rupella, Ord. FF. Minorum.
Odo Rigaldus, Rothomagensis Archiepiscopus.
Guillelmus Peraldus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Brocardus Argentinensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Guillelmus Tripolitanus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Guillemus de Rubrock, de Ordine Fratrum Minorum 543. cum Guill. Tripolitano.
Gerardus de Fracheto, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Innocentius V. Romanus Pontifex, antea dictus Petrus de Tarentasia.
Radulfus Bockingus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Annibal de Annibaldis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Marcus Polus Venetus.
Gaufridus de Belloloco, Ordin. Fratrum Prædicatorum.
Guillelmus Carnotensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Joannes Weccus, Patriarcha Constantinopolitanus.
Georgius Acropolita, Magnus Logotheta Constantinopolitanus.
Guillelmus de Sanvico, Ordinis Carmelitarum.
Joannes de Qualea, Ord. Fratrum Minorum.
Thomas de Leontino, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Raymundus Martini, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Martinus Polonus, Ord. Fratrum Prædicatorum.
1280. Gerardus Leodiensis, Ordin. Fratrum Prædicatorum.
Balduinus Avesnensis, Miles.
Georgius Cyprius, Patriarcha Constantinopolitanus.
Theodoricus de Apoldia, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Engelbertus, Abbas Admontensis in Styria.
David de Augusta Vindelicorum, Ordinis Fratrum Minorum.
S. Gertrudis, Abbatissa Cœnobii Helffedani.
S. Mechtildis, Abbatissa Ord. D. Benedicti.
Petrus de Alvernia, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Nicolaus de Hanaps, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
1290. Thomas Palmeranus, cognomento Hybernus.
Jacobus, Januensis Archiepiscopus, de Voragine dictus.
Joannes Januensis, Ord. Fratrum Prædicatorum.
Stephanus de Saligniaco, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Engelardus, Abbas in Lanckaim.
Joannes Peckam, Anglus, Ordinis Fratrum Minorum.
Balduinus, Ninovensis in Flandria, Historicus.
Alanus de Insulis, Ord. Cisterciensis.
Cælestinus V. Romanus Pontifex.
Petrus Joannes Olivi, Ordinis Fratrum Minorum.
1300. Berengarius de Fredol, Episc. Biterrensis.
Guilelmus de Mandagot, Archiepiscopus Ebredunensis.
Petrus de Alvernia, Canonicus Parisiensis.
Joannes Monachus, S. R. E. Cardinalis.
Hayto Armenus, Canonicus Ordinis Præmonstratensis.
Guillelmus de Nangiaco, Monachus Sancti Dionysii.
Joannes Parisiensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Matthæus, Westmonasteriensis, Ordinis Divi Benedicti.
Nicolaus Trivettus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Joannes de Joinvilla, Miles, Dominus dictæ Urbis.
Joannes de Sancto Geminiano, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Bertrandus de Trilla, Ord. FF. Prædic.
1310. Guillelmus Duranti, Mimatensis Episcopus.
Jacobus de Termis, Abbas Caroliloci.
Guillelmus Major, Andegavensium Episcopus.
Joannes de Friburgo, Ossunensis Episcopus.
Victor Porchetus de Salvaticis, Carthusianus.
1320. Joannes de Sancto Victore Parisiensi.
Jacobus de Lausanna, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Joannes Vitalis à Furno, S. R. Ecclesiæ Cardinalis.
Philippus Eistetensis in Germania Episcopus.
Guillelmus Nottinghamus, Anglus Theologus.
Marinus Sanutus, Patricius Venetus.
Guido Abbas Sancti Dionysii in Francia.
Joannes Beleth, Theologus Parisiensis.
Hubertinus de Casali, Ordinis Fratrum Minorum.
Albertinus Mussatus, Patavinus, Poeta & Historicus.
Simeon Metaphrastes, Græcus Historicus.
Andronicus Constantinopolitanus.
Odoricus de Portunaono, Ordinis Fratrum Minorum.
Bernardus Guidonis, Episcopus Lodovensis.
Henricus de Carreto, Ord. FF. Minorum.
1330. Guido Terreni, Episcopus Majoricensis & & Helenensis.
Guillelmus de Montibus, Canonicus Lincolniensis.
Philotheus, Patriarcha Constantinopolitanus.
Andronicus Sebastus, Auctor Græcus.
Thomas de la Moor, Nobilis Anglus.
Monaldus Justinopolitanus, Archiepiscopus Beneventanus.
Alexander de Sancto Elpidio, Ordinis Eremitarum Divi Augustini.
Philippus de Monte-Calerio, Ordinis Fratrum Minorum.
Petrus de Palude, Patriarcha Hierosolymitanus.
Alvarus Pelagius, Ordinis Fratrum Minorum.
Dominicus Grenerius, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Guillelmus Okam, Ordinis Fratrum Minorum.
Theodorus Metochita, magnus Logotheta Constantinopolitanus.
Guido de Monte-Rocheri, Theologus Gallus.
Guillelmus de Rubione, Ord. FF. Minorum.
Simon Boraston, Theologus Anglus.
Henricus de Vvimaria, Ordin. Eremitarum Divi Augustini.

Gerar-

Gerardus Machetus, Gallus Theologus.
Antonius Rampelogus, Ordinis Eremitarum D. Augustini.
Lupus de Oliveto, Hispanus, Fundator Hieronymitanorum.
Nicolaus de Clamengis, Belga Theologus.
1430. Raymundus Sebundus, Hispanus Theologus.
Antonius Raudensis, Italus, Ordinis Fratrum Minorum.
Joannes Nider, Germanus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Albertus de Sartiano, Ordinis FF. Minorum.
1440. Franciscus de Platea, Ordin. Fratrum Minorum.
Leonardus Aretinus, Presbyter, Summorum Pontificum Secretarius.
Joannes Stabulensis, Ord. D. Benedicti.
Leonardus de Utino. Ord. FF. Prædicatorum.
Ægidius Carlerius, Decanus Ecclesiæ Cameracensis.
Thomas Vvalsingham, Ord. D. Benedicti.
1450. Maphæus Vegius, Italus, Martini V. Datarius.
Nicolaus de Orbellis, Ord. FF. Minorum.
Joannes Buschius, Canonicus Regularis Divi Augustini.
1460. Catharina Bononiensis de qua ad annum 1370.
Enguerranus Monstrelet, Nobilis Belga.
Joannes Gobelinus, Pii II. Secretarius.

INDEX EXPLANATORUM
SACRÆ SCRIPTURÆ.
Ex Bellarmino.

In omnem Scripturam.

RABANUS Maurus.
Anselmus Laudunensis.
Strabus.
Hugo Cardinalis.
Nicolaus Liranus.
Dionysius Carthusianus.

Et nostro tempore.

Emmanuel sà.

In Genesim.

Origenes.
S. Joannes Chrysostom.
S. Cyrillus Alexandrin.
Eucherius. Procopius.
Beda. Rupertus.
Alphonsus Abulensis.
Thomas Cajetanus.

Item quæstion. in Genesim.

S. Hieronymi. S. Augustini.
Theodoreti. Bedæ.
Alcuini.

In primum caput Genesis sive in Exameron.

S. Basilius. S. Ambrosius.
S. Augustinus de Genesi ad litteram & lib. 13. Confessionum.
Anastasius Sinaita.
S. Bonaventura.
Joannes Picus.

Et nostri temporis.

Aloysius Lipomanus.
Ambrosius Catharinus.
Benedictus Pererius.
Ascanius Martinengus.
Hieronymus Oleaster.
Hieronymus Vielmius.
Martinus del Rio.
Ludovicus Ystella.
Nicolaus Serarius.

In Exodum.

Origenes. Procopius.
Beda.
Rupertus. Abulensis.
Cajetanus.

Quæstiones.

Augustini. Theodoreti.

Et nostri temporis.

Lipomanus. Oleaster.
Pererius.
Ludovicus Ystella.

In Leviticum.

Origenes. Isichius.
Procopius. Beda.
Rupertus. Abulensis.
Radulphus. Cajetanus.

Et Quæstiones.

Augustini, & Theodoreti.

Et Nostri Temporis.

Petrus Serrarius.
Hieronymus Oleaster.

In Numeros.

Origenes. Procopius.
Beda. Rupertus.
Abulensis. Cajetanus.

Et Quæstiones.

Augustini & Theodoreti.

Et nostri temporis.

Hieronymus. Oleaster.

In Deuteronomium.

Procopius. Beda.
Rupertus. Abulensis.
Cajetanus.

Et Quæstiones.

Augustini & Theodoreti.

Et nostri temporis.

Hieronymus. Oleaster.

In Josue.

Origenes.
Procopius. Abulensis.
Cajetanus.

Et quæstiones.

Augustini.

Et nostri temporis.

Andreas Masius.
Cosmus Magallianus.
Nicolaus Serrarius.

In Judices.

Origenis homiliæ.
Augustini quæstiones.
Hugo Victorinus.
Abulensis. Cajetanus.

In Ruth.

Abulensis. Cajetanus.
Franciscus Fevardentius.
Nicolaus Serrarius.

In libros Regum.

Theodoretus.
S. Gregorius in primum Regum.
Angelomus.
Eucherius. Beda.
Hugo Victorinus.
Richardus Victorinus.
Abulensis. Cajetanus.

In libros Paralipomenon.

Abulensis. Cajetanus.

In Esdram.

Beda. Cajetanus.

In Tobiam.

Beda.

Et nostri temporis.

Nicolaus Serrarius.

In Judith.

Rabanus.

Et nostri temporis.

Nicolaus Serrarius.

In Esther.

Thomas Cajetanus.

Et nostri temporis.

Nicolaus Serrarius.
Franciscus Fevardentius.

In Job.

Origenes, si tamen sit ejus opus.
Olimpiodori Catena.
S. Gregorius in Moralibus. Beda.
S. Thomas Aquinas, si tamen sit ejus.

Et nostri temporis.

Franciscus Titelmannus.
Franciscus Fevardentius.
Joannes de Pineda.

In Psalmos.

S. Hilarius.
S. Ambrosius. S Basilius.
S. Joan. Chrysostomus.

S. Hie-

S. Hieronymus. S. Augustinus.
Theodoretus. Ruffinus.
Apollinarius. Cassiodorus.
Remigius. Beda. Ahimo.
Arnobius.
S. Bruno.
Hugo Victorinus.
Euthymius. Rupertus.
Gulielmus Parisiensis.
S. Thomas in 50. psalm.
S. Bonaventura.
S. Gregorius, in septem.
Innocentius III. in septem.
S. Bernardus, in psalmum 90.
Thomas Cajetanus.
Incognitus.
Jacobus de Valentia.
Franciscus Titelmannus.

Et nostri temporis.

Augustinus Stuchius.
Cornelius Jansenius.
Genebrardus.
Antonius Agellius.
Robertus Bellarminus.
Joannes Laurinius.

In Proverbia.

Salonius. Beda.
Honorius.
Gulielmus Parisiensis.
Cajetanus.

Et nostri temporis.

Cornelius Jansenius.
Theodorus Peltanus.

In Ecclesiasten.

S. Gregorius Thaumaturgus.
S. Gregorius Nyssenus.
S. Hieronymus.
Olympiodorus.
Salonius. Alcuinus.
Hugo Victorinus.
Gulielmus Parisiensis.
S. Bonaventura.
Cajetanus.

Et nostri temporis.

Franciscus Titelmannus.
Joannes Laurinius.

In Cantica.

Origenes.
Philo Carpathius.
Gregorius Nyssenus.
S. Gregorius Papa.
Beda. Angelomus.
Theodoretus.
Ambrosius Ansbertus.
Honorius Augustod.
Aponius. S. Bernardus.
S. Thomas.
Ægidius Romanus.
Rupertus Tuitiensis.
Robertus Olkot.

Et nostri temporis.

Franciscus Titelmannus.
Ludovicus Legionensis.
Martinus Delrius.
Joan. à Jesu Maria Carmelita.
Ludovicus Soto Major.

In Sapientiam.

Robertus Olkot.

Et nostri temporis.

Cornelius Jansenius.
Joannes Laurinius.

In Ecclesiasticum.

Robertus Olkot.
Nicolaus de Gorram.

Et nostri temporis.

Cornelius Jansenius.

In Isaiam.

Origenes.
S. Basilius.
S. Hieronymus.
S. Cyrillus.
Procopius.
S. Thomas.
Joachimus Abbas.

Et nostri temporis.

Adamus Sasbout.
Hector Pintus.
Leo à Castro.
Franciscus Forrerius.
Thadæus ord. sancti Augustini.

In Hieremiam.

S. Hieronymus.
Origenes. Theodoretus.
Ahimo.
Joachimus Abbas.
S. Thomas.

Et nostri temporis.

Christophorus Castrius, & Andreas Capella Carthusianus.

In Threnos Jeremiæ.

Paschasius Ratbertus.
Hugo Victorinus.
S. Bonaventura.

Et nostri temporis.

Antonius Agellius.
Christophor. Castrius.
Martinus del Rio.

In Ezechielem.

Origenes.
S. Hieronymus.
Theodoretus.
S. Gregorius Papa.
Richardus Victorinus.

Et nostri temporis.

Hector Pintus.
Hieronymus Pratus, & Joan. Baptista Villalpandus.

In Danielem.

S. Hieronymus.
Theodoretus.
Joachimus Abbas.

Et nostri temporis.

Benedictus Pererius.

In Prophetas Minores.

S. Hieronymus.
S. Cyrillus.
Theodoretus.
Theophilactus.
Rupertus.
Remigius Antissiod.
Hugo Victorinus in duos.

Et nostri temporis.

Benedictus Arias Montanus, sed cautè legendus.
Franciscus Ribera.
Franciscus Fevardentius in Jonam.
Antonius Guevara in Abacuc.
Joannes Eckius in Aggæum.

In libros Machabæorum. Nostro tempore.

Nicolaus Serrarius, & Josephus Stephanus Episc. Oriolanus.

In Matthæum.

S. Theophilus Antiochenus.
Origenes. S. Hilarius.
S. Joan. Chrysostomus.
S. Hieronymus.
S. Augustinus de sermone Domini in monte, & quæstiones.
S. Gregorius Nyssenus in cap. quintum & sextum.
S. Chromatius in cap. quintum.
Beda. Claudius Scotus.
Theophylactus.
Euthymius.
Christianus Druthmarus.
Rupertus.
S. Anselmus. S. Thomas.
Alphonsus Abulensis.
Zacharias Chrysopolitanus.
Gulielmus Parisiensis.
Richardus de Media Villa.
Cajetanus.

Et nostri temporis.

Joannes à Lovanio.
Joannes Ferus.
Alphonsus Salmeron.
Paulus Palatius.
Cornelius Jansenius.
Joannes Maldonatus.
Franciscus Lucas Brugensis.
Sebastianus Barradius.
Joannes de la Haye.

In Marcum.

S. Theophilus Antiochenus.
Beda. Theophilactus.
Zacharias Chrysopolitanus.
Euthymius. Cajetanus.

Et nostri temporis.

Cornelius Jansenius.
Joannes Maldonatus.
Joannes Suarez.
Sebastianus Barradius.
Joannes de la Haye.
Joannes Servius.

In Lucam.

S. Theophilus Antiochenus.
S. Ambrosius Mediolanensis.
Theophilactus.
Beda. Euthymius.
S. Bonaventura.
S. Bernardus super Missus est.
Thomas Cajetanus.
Zacharias Chrysopolitanus.
Sebastianus Barradius.

Et nostri temporis.

Dydacus Stella.
Cornelius Jansenius.
Joannes Maldonatus.
Franciscus Toletus Cardinal.
Joannes de la Haye.
Sebastianus Barradius.

In Joannem.

S. Theophilus Antiochenus.
Origenes.
S. Jo: Chrysostomus.
S. Augustinus.
S. Cyrillus Alexandrin.
Beda. Theophilactus.
Euthymius. Rupertus.
Hugo Victorinus.
S. Thomas.
S. Bonaventura.
Richardus de Media Villa.

Zacha-

Zacharias Chrysopolita.
Cajetanus.
Et nostri temporis.
Joannes Ferus.
Cornelius Jansenius.
Joannes Maldonatus.
Benedictus Pererius.
Franciscus Toletus Cardinal.
Sebastianus Barrad.
Joannes de la Haye.
In Acta Apostolorum.
S. Joannes Chrysostom.
Beda. Oecumenius.
Cajetanus.
Et nostri temporis.
Joannes Gagnæus.
Joannes Laurinius.
Alphonsus Salmeron.
In Paulum, id est, in omnes Epistolas.
Sancti Ambrosii nomine Commentarius.
S. Joan. Chrysost.
Theodoretus.
Primasius.
Beda. Sedulius.
Haymo.
Theophilactus.
Oecumenius.
Radulphus Flaviacensis.
S. Anselmus, seu potius.
Hervæus. Bruno.
Petrus Lombardus.
Hugo Victorinus.
S. Thomas Aquinas.
Gregorius de Arimino.
Thomas Cajetanus.
Et nostri temporis.
Ambrosius Catharinus.
Joannes Gagnæus.
Benedictus Justinianus.
In Epistolam ad Roman.
Origenes. S. Augustinus.
Ægidius Romanus.
Et nostri temporis.
Dominicus à Soto.
Adamus Sasbout.
Franciscus Titelmannus.
Jacobus Sadoletus.
Franciscus Toletus Cardinal.
In Epistolam ad Galatas.
S. Hieronymus.
S. Augustinus.
Et nostri temporis.
Adamus Sasbout.
In Epistolam ad Ephesios.
S. Hieronymus.
Et nostri temporis.
Adamus Sasbout.
In Epistol. ad Coloss. & Philipp.
Adamus Sasbout.
In priorem ad Timotheum.
Joannes à Lovanio.
Adamus Sasbout.
Ludovicus Soto Major.
Claudius Espencæus, sed hic cautè legendus.
In posteriorem ad Timotheum.
Adamus Sasbout.
Ludovicus Soto Major.
In Epistolam ad Titum.
S. Hieronymus. Adamus Sasbout.
Ludovicus Soto Major.
In Epistolam ad Philemonem.
S. Hieronymus.
Et nostri temporis.
Franciscus Fevardentius.
In Epistolam ad Hebræos.
Adamus Sasbout.
Ludovicus Tena.
In Epistolas Canonicas.
Clemens Alexandrin.
Didymus Alexandrin.
Beda. S. Thomas.
Oecumenius. Cajetanus.
Et nostri temporis.
Joannes Gagnæus.
Nicolaus Serrarius.
In Epist. S. Jacobi.
Gregorius de Arimino.
In priorem S. Petri.
Joannes à Lovanio.
Franciscus Fevardent.
Joannes Lorinus.
In posteriorem S. Petri.
Adamus Sasbout.
Franciscus Fevardent.
Joannes Lorinus.
In primam S. Joannis.
S. Augustinus.
Et nostri temporis.
Joannes à Lovanio.
Joannes Lorinus.
In Epistolam Judæ.
Adamus Sasbout.
In Apocalypsim.
S. Victorinus Martyr.
Andreas Cæsariensis.
Primasius. Beda.
Haymo.
Ambrosius Ansbertus.
Richardus Victorinus.
Oecumenius.
Anselmus.
Arethas.
Rupertus.
Joachimus Abbas.
Et nostri temporis.
Cælius Pannonius.
Joannes Gagnæus.
Benedictus Pererius.
Franciscus Ribera.
Blasius Viegas.

INDEX EORUM,

Qui Scripserunt adversus Hæreticos.

Sanctus Ignatius contra Simonem Magum, Menandrum, Ebionem, & alios.
Sanctus Irenæus contra Valentinum, & alios plurimos, qui usque ad suum tempus Ecclesiam impugnarunt.
Tertullianus contra Marcionem, & alios sui temporis.
S. Cyprianus Carthaginensis contra Novatianos.
S. Athanasius Alexandrinus. } *Contra Arianos.*
S. Gregorius Bæticus. } *Contra Arianos.*
S. Phebadius Agennensis. } *Contra Arianos.*
S. Hilarius Pictaviensis. } *Contra Arianos.*
Lucifer Calaritan. } *Contra Arianos.*
S. Pacianus Barchinonensis, contra Novatianos.
S. Optatus Milevitanus contra Donatistas.
Titus Bostrenus contra Manichæos.
S. Basilius Magnus contra Eunomium.
S. Gregorius Nazianzen. contra Arianos, & Eunomianos.
S. Epiphanius Cyprius, contra omnes hæreses.
S. Ambrosius Mediolanensis contra Arianos.
S. Philastrius contra omnes hæreses.
S. Hieronymus contra Origenem, Jovinianum, Helvidium, Vigilantium, Pelagium.
Theophilus Alexandrinus contra Origenem.
S. Augustinus contra Manichæos, Arianos, Donatistas, Pelagianos, Jovinianistas.
S. Innocentius Papa contra Pelagianos.
S. Cirillus Alexand. contra Nestorium.
Theodoretus Cyriæ contra omnes hæret.
Joannes Cassianus contra Eutychianos.
Vincentius Lirinensis contra omnes, sed brevissimè.
S. Leo Papa contra Nestorium, Eutychem, & Priscillianum.
S. Prosper Aquitanus contra Pelagianos, & Semipelagianos.
S. Fulgentius Ruspensis contra Arianos, & Pelagianos.
Petrus Diaconus contra eosdem.
Jo: Maxentius contra Semipelagianos.
S. Sophronius Hierosolymitanus contra Monothelitas.
S. Maximus Martyr contra Monothelitas.
S. Ildephonsus Toletanus contra negantes Virginitatem B. M.
S. Joannes Damascenus contra Iconomachos.
S. Theodorus Studites contra eosdem.

Theorianus Græcus contra errores Armenorum.
Humbertus Cardin. contra errores Grecorum.
Lanfrancus cantuariensis. (Contr. Berengar.)
Guitmundus Aversanus. (Contr. Berengar.)
Algerus Scholasticus. (Contr. Berengar.)
S. Anselmus Cantuariensis contra errores Græcorum.
S. Bernardus Abbas contra Petrum Abailardum, & Gilbertum & Henricianos, & Petrobrusianos.
Petrus Cluniacensis contra eosdem Petrobrusianos.
Hugo Etherianus contra Græcos.
S. Tomas Aquinas contra Græcos, & contra impugnantes ordines religiosos.
S. Bonaventura contra eosdem.
Pelagius Alvarus contra Marsilium de Padua, & alios impugnantes Pontificiam potestatem.
Guido Carmelita contra omnes hæreses.
Thomas Valdensis contra Joannem Wiclephum.
Bessarion Cardin. contra Græcos.
Georgius, sive Gennadius Scolarius contra Græcos.
Joannes de Turrecremata contra impugnantes Pontificis potestatem.
Æneas Sylvius contra Joannem Hus, & Hussitas.
Sylvester Prieras. (Contra Lutheranos.)
Joannes Eckius. (Contra Lutheranos.)
Thomas Cajetanus. (Contra Lutheranos.)
Thomas Morus. (Contra Lutheranos.)
Joannes Roffensis. (Contra Lutheranos.)
Joannes Faber. (Contra Lutheranos.)
Joannes Cochlæus. (Contra Lutheranos.)
Dominicus Sotus. (Contra Lutheranos.)
Ambrosius Catharinus. (Contra Lutheranos.)
Jacobus Latomus.
Joannes Driedo.
Hos sequuti sunt innumerabiles, qui nostro tempore contra præsentes seculi hæreses scriptis libris dimicaverunt, & dimicant.

INDEX THEOLOGORUM

Scholasticorum.

Petrus Lombardus.
Gulielmus Antissiodorensis.
Gulielmus Parisiensis.
Alexander Halensis.
Vincentius Bellovacensis.
Albertus Magnus.
S. Thomas de Aquino.
S. Bonaventura Cardin.
Petrus de Tarantasia.
Innocentius V.
Udalricus Argentinensis.
Rupertus à Russia.
Ægidius Romanus.
Richardus de Media Villa.
Henricus de Gandavo.
Joannes Parisiensis.
Joannes Duns Scotus.
Augustinus de Ancona.
Petrus Aureolus.
Antonius Andreæ.
Durandus de Sancto Pontiano.
Hervæus Natalis Brito.
Franciscus Mayronis.
Gulielmus Okam.
Monaldus Dalmata.
Nicolaus Liranus. Pelagius Alvarus.
Petrus Paludanus.
Guido Carmelita.
Adamus Goddamus.
Joannes de Bachone.
Robertus Olkot.
Gregorius Ariminensis.
Thomas Argentinensis.
Richardus Armachanus.
Nicolaus de Gorram.
Alphonsus Vargas.
Henricus de Hassia.
Joannes Capreolus.
Petrus Aliacensis Cardinalis.
Joannes Gerson.
Thomas Valdensis.
Augustinus de Roma.
Joannes de Capistrano.
Joannes Bassolius.
Joannes de Turrecremata Card.
Nicolaus de Cusa Cardinalis.
Dionysius Carthusianus.
Gabriel Biel.
Marsilius ab Ingen.
Joannes Picus Mirandulanus.
Thomas Cajetanus Cadinalis.
Jacobus Almainus.
Joannes Major.
Franciscus Ferrariensis.
Sylvester Prieras.
Hadrianus Papa.
Franciscus Lychetus.
Conradus Coellim.
Franciscus Victoria.
Dominicus Sotus.

INDEX COLLECTORUM,

& Expositorum sacrorum Canonum.

Dionysius Exiguus.
Martinus Bracarensis.
Cresconius.
Isidorus Hispalensis.
Burchardus Vormaciensis.
Ivo Carnotensis.
Gratianus.
Innocentius IV. Papa.
S. Raymundus de Pennaforti.
Henricus Hostiensis.
Guido Papa.
Udalricus de Argentina.
Gulielmus Durantes speculator.
Guido Archidiaconus.
Dinus Mugellanus.
Monaldus.
Joannes Andreas.
Petrus Bertrandus.
Joannes Calderinus.
Baldus Perusinus.
Petrus de Ancharano.
Antonius de Butrio.
Franciscus Zabarella.
Andreas Barbatius.
Joannes de Imola.
Joannes de Anania, Archidiacon.
Nicolaus Abbas Panormitanus.
S. Antoninus Florentinus.
Joannes de Turrecremata.
Alexander Tartagnius, de Imola.
Felinus Sandeus.
Dominicus Jacobatius.
Martinus Navarrus.

INDEX EORUM

Qui Scribunt de Casibus conscientiæ.

Sanctus Raymundus de Penna-Forti.
S. Antoninus Florentinus.
Astesanus Astensis.
Bartholomæus Pisanus.
Pacificus, auctor Pacificæ summæ.
Angelus de Clavasio.
Baptista Trovamala, auctor Rosellæ.
Thomas Cajetanus.
Jo: Tabiensis. Sylvester Prieras.
Alexander de Ariostis.
Bartholomæus Fumus, auctor Armillæ.
Martinus Navarrus.

INDEX ORATORUM

Christianorum.

Origenes.
S. Cyprianus.
S. Athanasius.
S. Basilius.
S. Ephrem.
S. Gregorius Nazianz.
S. Ambrosius.
S. Gregorius Nyssenus.
S. Gaudentius.
S. Joan. Chrysostomus.
S. Maximus. S. Augustinus.
S. Eucherius.
S. Petrus Chrysologus.
S. Leo Papa.
S. Valerianus.
S. Gregorius Papa.
S. Sophronius Hierosolymitanus.
S. Eligius Episcopus.
S. Ildephonsus. S. Beda.
S. Joan. Damascenus.
S. Theodorus Studites.
Haymo Alberstatensis.
Leo IX. Papa.
Petrus Damiani.
Ivo Carnotensis.
Hildebertus Turonen.
S. Bernardus.
Hugo Victorinus.
Richardus Victorinus.
Innocentius III. Papa.
S. Antonius de Padua.
Gulielmus Parisiensis.
Jacobus à Vitriaco.
S. Thomas.
S. Bonaventura.
Joannes Taulerus.
S. Vincentius.
S. Bernardinus.
Æneas Sylvius. Pius II.
B. Laurentius Justinianus.
Bessarion Nicænus.
Ambrosius Camaldul.

INDEX POETARUM

Sacrorum.

HEBRÆI.

Moses qui lib. Job.
David qui Psalmos omnes.
Salomon, qui Cantica Canticorum.
Hieremias, qui Threnos vario carminum genere conscripserunt.

CHRISTIANI.

S. Cyprianus. Lactantius.
Juvencus. S. Hilarius.
C. Marius Victorinus.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Damasus.
S. Ambrosius.
Aur. Prudentius.
Ausonius. S. Paulinus.
Synesius. Sedulius.
Sidonius Apollinaris.
S. Prosper.
Hilarius Arelatensis.
Alcimus Avitus.
Boetius Severinus.
Venantius Fortunatus.
Paulus Diaconus.
Theodulphus.
Rabanus.
Petrus Damiani.
Hildebertus.
Gothefridus Viterbiensis.
Franciscus Petrarcha.
Robertus Gaguinus.
M. Ant. Sabellicus.
Jacobus Wimpheling.
Baptista Mantuanus.
Joannes Picus.
Jacobus Sanazarius.
Thomas Morus.
Ambrosius Camaldul.
Marsilius Ficinus.

INDEX HISTORICORUM

Ecclesiasticorum, omissis Scriptoribus sacris.

JOsephus Hebræus.
Egesippus.
Julius Africanus.
Eusebius Cæsariensis.
Ruffinus Aquilejensis.
Paulus Orosius. Palladius.
Severus Sulpitius.
Theodoretus. Socrates.
Sozomenus.
Victor Uticensis.
Cassiodorus.
Dacius Mediolanensis.
Evagrius Scholasticus.
Gregorius Turonicus.
Beda venerabilis.
Paulus Diaconus.
Eginarthus. Freculphus.
Nicetas David.
Luitprandus.
Vviticbindus.
Frodoardus.
Glaber Rodulphus.
Georgius Cedrenus.
Joannes Curopalates.
Ingulphus Abbas.
Jo: Zonaras.
Wilelmus Malmesburiensis.
Henricus Utidonensis.
Petrus Comestor.
Otho Frisingensis.
Gulielmus Tyrius.
Helmoldus Bussoniensis.
Gulielmus Neubrugensis.
Rogerus de Hoveden.
Nicetas Choniates.
Conradus Abbas Urspergensis.
Honorius Augustodunensis.
Jacobus à Vitriaco.
Matthæus Paris, sive Parisiensis.
Vincentius Bellovacensis.
Nicephorus Callistus.
Nicephorus Gregoras.
Jo: Villanus.
Flavius Blondus.
S. Antoninus Florentinus.
Ænæas Sylvius.
Laonicus Chalcondyla.
Baptista Platina.
Antonius Bonfinius.
Robertus Gaguinus.
M. Ant. Sabellicus.
Jo: Philippus Bergomensis.
Joannes Nauclerus.
Albertus Krantzius.
Jacobus Wimpheling.
Joan. Trithemius.
Hector Boethius.

Et nostro tempore.

Cæsar Baronius Congregationis Oratorii Presbyter, & postea Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, incredibili labore, & diligentia historiam Ecclesiasticam universam ab adventu Domini usque ad annum 1200. tomis duodecim comprendit.

INDEX CHRONOLOGORUM.

EUsebius Cæsariensis scripsit tempora ab orbe condito usque ad annum Domini 330.
S. Hieronymus continuavit usque ad annum 381.
S. Prosper continuavit usque ad annum 448.
Cassiodorus perduxit ad ann. 519.
Marcellinus Comes ad ann. 525.
S. Isidorus Hispalensis ad annum 625.
Beda venerabilis ad annum 725.
Nicephorus Constantinopolitanus ad annum 842.
Ado Viennensis ad annum 879.
Rhegino Abbas ad annum 905.
Hermannus Contractus ad annum Domini 1050.
Lambertus Schaphnaburgensis ad annum 1077.
Marianus Scotus ad annum 1083.
Leo Hostiensis ad annum 1087.
Bertholdus Constantiensis ad ann. 1100.
Sigebertus Gemblacensis ad ann. 1112.
Henricus Samerius. | Jacobus Gordanus. | Augustinus. | Torniellus. — Ab Orbe condito usque ad Adventum Christi.
Gothefridus Viterbiensis ad annum 1185.
Dodechinus continuator Mariani ad annum 1200.
Robertus de Monte continuator Sigeberti ad annum 1212.
Martinus Polonus ad annum 1285.
Siffridus Presbyter ad ann. 1307.
Matthæus Palmerius ad ann. 1449.
Matthias Palmerius ad ann. 1481.
Vvernerus auctor Fasciculi temporum, ad annum 1484.
Joannes Nauclerus ad ann. 1500.
Joannes Linturius, continuator Vverneri, ad annum 1514.
Paulus Langius ad annum 1515.
Alexander Sculetus ad annum 1541.
Gilbertus Genebrardus ad annum 1566.
Onuphrius Panvinius ad ann. 1570.
Gerardus Mercator ad ann. 1577.
Robertus Bellarminus ab orbe condito ad annum Domini 1612.

INDEX PIORUM

Libellorum.

MArtyrium S. Andreæ.
Martyrium S. Cypriani.
Vita Sancti Antonii per Athanasium.
Vitæ Sanctorum Pauli, Hilarionis, Malchi, & Paulæ per Hieronymum.
Vita S. Gregorii Thaumaturgi per Gregorium Nissenum.
Ephrem Syri tractatus.
Laussaca historia Palladii.
Vita S. Martini per Sulpitium.
Confessiones S. Augustini.
Historia Religiosa Theodoreti.
Collationes Joan. Cassiani.
Scala Joannis Climaci.
De gloria Martyrum, & Confessorum Gregorii Turonici.
Dialogi sancti Gregorii Papæ.
Pratum spirituale Joannis Mosci.
Vita B. Columbani per Jonam.
Vita sancti Joannis Eleemosynarii per Leontium.
Vitæ sanctorum per Bedam.
Vita Barlaam, & Josaphat per Joannem Damascenum.
Vita sancti Suitberti per Ludgerum, & Marcellinum.
Vita S. Gregorii per Jo: Diaconum.
Contemplationes Idiotæ.

Vita

QUINTA OBSERVATIO
AUCTORIS DISSERTATIONIS HISTORICÆ.

Exemplum quoque Bellarmini Cardinalis sequuti Varios Indices, ad majorem, ut ipse loquitur Lectorum commoditatem, subjiciemus, servata in omnibus Alphabetica nominum serie, quæ mihi primas semper obtinere videtur.

Ex quibus tamen priores decem omittimus, ne bis exscriberentur, alphabetico Labbeano nempe ordine, & prout sunt in Bellarmino. Congruentius autem visum fuit eos, prout à Bellarmino exarati sunt, hìc exscribere.

UNDECIMUS INDEX
EORUM,
QUI EPISTOLAS SCRIPSERUNT.

DUO-

DUODECIMUS INDEX
ROMANORUM PONTIFICUM,
Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Principum, &c.

Halit-

XIII. INDEX

Ordinum Religiosorum.

Hunc verò Catalogum Scriptorum Augustinianorum Eremitarum, imò & Sanctorum, auctiorem tibi exhibere licuisset, si vel tenuissima rationis aut ullius probabilitatis umbra in Philippi Elssii Bruxellensis Encomiastico Augustiniano, similibusque, quos citare solet, scriptoribus appareret, dum inter Mona-

Monachos atque Eremitas suos recensere non veretur S. Adelardum Corbejensem in Gallia Abbatem, S. Agnellum, Albinum Flaccum, Alcuinum, Amadæum Sabaudiæ Ducem I. ac deinde Felicem V. Antipapam, Amandum Abbatem Lirinensem qui obierit an. 420. Anastasios S. Maximi Martyris socios, S. Antoninum qui Pamiæ colitur, S. Arnulfum Episcopum Metensem, S. Arthuagum Gothum filium Recaredi Regis Hispaniæ, S. Attalam Abbatem Bobiensem, S. Auream Virginem, S. Baldericum, S. Balfridum, Bernardinum de Rosergio Arch. Tolosanum, S. Cæsariam ejusque fratrem S. Cæsarium Arelatensem Archiepiscopum, S. Caprasium, Clementem Britannum primum in Universitate Parisiensi Theologiæ Professorem circa annum 700. qui etiam vocatur B. Claudius, coliturque 20. Martii, S. Columbanum atque Columbam Hibernos, S. Eloquium Abbatem Latinianensem, S. Eucherium Arch. Lugdunensem, S. Eugendum, Eugipium, Evodium Uzalensem Ep. S. Eustasium Abbatem Luxoviensem, S. Eutropium Episcopum Arausicanum, eum ipsum qui scripsit Epitomen Historiæ Romanæ ab Urbe condita usque ad Joviani (sic enim scribendum) mortem, Faustum Rejensem Episcopum, quem ait à S. Fulgentio emendatum errorem deseruisse, S. Franciscum Assisiatem Minorum Fundatorem, S. Fulgentium, S. Furseum, S. Gallum, S. Gelasium I. Papam, S. Genovefam Virginem Lutetiæ Patronam, S. Germanum Antissiodorensem Antistitem à B. Amatore decessore suo S. P. Augustini cuculla & cinctorio donatum, S. Germanum Parisiensem Episcopum, Gildam Badonicum, S. Guacterium seu Gualterum in Lemovicensi territorio, Guillelmum Durantem speculatorem dictum Mimatensem Ep. quem dicit confundi cum Guillelmo de S. Portiano Meldensi Episcopo, Durandum dicere volebat Ord. Dominicani, S. Guillelmum Ducem Aquitaniæ & Comitem Pictaviensem Philippi IV. Hispaniarum Regis avum, Hectorem Ferrandum, Hermolaum Barbarum, S. Hilarium Arelatensem Archiep. discipulum S. Augustini una cum Prospero scriptore epistolæ, quæ extat adversus reliquias Pelagianorum, S. Honoratum ejusdem Urbis Antistitem qui obierit anno 445. Junilium Episcopum, S. Leonardum S. Lifardi fratrem, Leporium Uticensem in Bætica Episcopum, aliumque anno 409. Primatem Carthaginensem in Africa, Licentium Romaniani filium, S. Liphardum, S. Lupum Episcopum Trecensem, S. Malachiam Ep. Converthensem in Hibernia, Martinum Francum Confessorem Episcopum Bituricensem mortuum an. 576. S. Martinum Bracarensem in Gallecia Præsulem, S. Maximum Rejensem Episcopum, S. Maximum Monothelitarum hæreseos impugnatorem, cum duobus Anastasiis discipulis, S. Nazarium, Sanctum Othmarum Abbatem S. Galli, S. Palladium Scotorum Ep. primum, S. Patricium Hiberniæ Apostolum, qui fuerit Scotus, ac nihilominus S. Martini Turonensis Præsulis ex sorore nepos, S. Paulinum Nolanum Ep. qui anno 424. fundavit Monasterium Meridæ in Lusitania & in Eremo Aragoniæ, deinde electus sit in Italia Præsul, &c. Paulum Orosium anno 471. mortuum Carthagine Spartaria centenario majorem, cùm jam ab anno 416. partem non exiguam reliquiarum B. Stephani Proto-martyris Augustinianis Eremitis in Africa tradidisset, S. Pharam, Sanctum Pinianum S. Melaniæ junioris conjugem, S. Porcarium Abbatem Lirinensem, S. Primasium Uticensem Ep. S. Principium Ep. Svessionensem (quidni & S. Remigium ejus fratrem ?) S. Prosperum Aquitanum de quo nos plura suo loco, S. Radegundem cum suis Monialibus Pictaviensibus, S. Romaricum mortuum anno 617. S. Rosaliam Virginem Panormitanam, S. Salabergam, S. Salonium S. Eucherii filium ejusque fratrem Veranum, S. Salvianum Ep. Massiliensem, S. Severinum Noricorum Apostolum, Sanctum Severum Arch. Trevirensem, S. Simplicianum Med. Arch. S. Stephanum de Mureto, Valentinum Adrumetinum Abbatem, Viatorem S. Justi Arch Lugdunensis Comitem, S. Vincentium Lirinensem, S. Valericum, ut innumerabiles alios omittam. Dolendum certè est bonas chartas amplissimis clarissimis Ordinis & in Ecclesia Dei ψυχωφελεστάτου destinatas præconiis tam malè perdi, resque sacras φιλαυτία & simplicitate quorumdam sciolorum & perexigui nec sat subacti judicii virorum æquissimo eruditorum ludibrio exponi.

Benedictini.

Aimoinus Floriacensis.
Aimoinus S. Germani.
Abbo S. Germani.
Abbo Floriacensis.
Albinus Alcuinus.
Ambrosius Autpertus.
Angelomus.
Ardo Smaragdus.
Arnoldus Abbas.
S. Anselmus.
Beda Venerabilis.
Berengosus.
Berno Augiensis.
Bruno Signinus.
Christianus Druthm.
Dodechinus S. Disibodi.
Durandus Troarnensis.
Eckbertus Schonaug.
Edinerus, seu Edmerus.
Eginarthus.
Glaber Radulfus.
Gofridus Vindocinensis.
Gratianus Monachus.
Gregorius VII. Papa.
Guerricus Abbas.
Guillelmus Malmesburiensis.
Guitmundus.
Haymo, sive Heimo.
Henricus Stero.
Hermannus Contractus.
Hilduinus Abbas.
Hincmarus senior.
Humbertus Card.
Ingulfus Croilandensis.
Joannes Trithemius.
Lambertus Schafnab.
Lanfranchus.
Leo Ostiensis.
S. Ludgerus.
Lupus Ferrariensis.
Marianus Scotus.
Matthæus Parisien.
Nicolaus Panormitanus.
Nitardus Centulensis.
S. Odilo Cluniacensis.
S. Odo Cameracensis.
Paschasius Ratbertus.
Paulus Diaconus.
Petrus Cellensis.
Petrus Venerabilis.
Petrus Damiani.
Potho Prumiensis.
Rabanus Maurus.
Radulfus Flaviacensis.
Remigius Antissiod.
Rhegino Prumiensis.
Rogerius.
Rupertus Tuitiensis.
Sigebertus Gemblacensis.
Smaragdus Abbas.
Strabus Fuldensis.
Theodulfus.
Usuardus Mon. S. Germani Parisiensis.
Walafridus Strabo.
Witikindus Corbejensis.

Monachi alii & Abbates, sive Græci, sive Ægyptii, sive Latini diversorum Ordinum.

Ambrosius Camaldulensis.
S. Antonius Abbas.
Antonius Monachus Palestinus.
S. Basilius institutor.
Cassiodorus.

Diony-

Dionysius Exiguus.
Dorotheus Archimandrita.
Esaias Abbas.
Evagrius Ponticus.
Eugippius Abbas.
Faustus Abbas.
S. Hilarius Arel.
Euthimius Zigabenus.
S. Fulgentius.
Gildas Sapiens.
S. Hieronymus.
Joannes Biclarensis.
Joannes Cassianus.
Joannes Climacus.
S. Jo: Damascenus.
Jo: Maxentius.
Joannes Moschus.
Joannes Zonaras.
Jonas Bobiensis.
Jonas Fontanellensis.
Isidorus Pelusiotes.
Julianus Pomerius.
Macarii ambo.
Marcus Eremita.
S. Maximus Martyr.
S. Nilus Monachus.
Oresiesis Abbas.
S. Pachomius Abbas.
Palladius Galata. Sophronius.
S. Symeon Stylita.
Theodorus Rhaythu.
Theodorus Studites.
Vincentius Lirinensis.

Ex his verò alios Benedictini, alios Carmelitæ, alios Augustiniani cùm Eremitæ tum Canonici Regulares ad se trahunt, maxima animorum contentione, sed plerique inanibus conjecturis, aut falsissimis argumentationibus inducti.

Carmelitæ.

Baptista Mantuanus.
Guido de Terrena, dictus de Perpiniano.
Joannes Baronius.
Thomas Waldensis.

Quibus cavesis cum Marco Antonio Alegrio Casanetensi in Paradiso Carmelitici decoris jungas Ammonium Alexandrinum Philosophum, Amphilochium Episcopum Iconiensem, Anastasium Sinaitam, Sanctum Andream Apostolum, Antiochium Monachum, Sanctum Antonium Magnum, Sanctum Basilium Magnum, Benedictum XII. Papam, Bertramum Presbyterum, Bessarionem Cardinalem, Cæsarium Arelatensem, Cassianum, Sanctos Cyrillos Alexandrinum & Hierosolymytanum Antistites, Didymum Alexandrinum, Sanctum Dionysium Papam, Dorotheum Archimandritam, Sanctum Epiphanium Episcop. Sanctum Ephrem Syrum, Esaiam Abbatem, Evagrios sive Antiochenum, sive Ponticum, Sanctum Eucherium Lugdunensem Episcopum, Sanctum Georgium Martyrem, SS. Gregorios Nazianzenum & Nyssenum, Hegesippum Historicum, Henricum Steronem, Hieraclidem Monachum, Hesychium Presbyterum, Sanctum Hieronymum Ecclesiæ Doctorem, Sanctum Hierotheum Areopagitam, Sanctum Hilarium Arelatensem Archiepisc. S. Honoratum ejus magistrum ac decessorem, Sanctum Jacobum Nisibitam, Sanctum Ignatium Martyrem, Sanctum Joannem Chrysostomum, Sanctum Joannem Climacum, Sanctum Joannem Damascenum, Sanctum Joannem Eleemosynarium, Joannem Scotum Erigenam, Joannem Hierosolymitanum XLIV. Episcopum, Sanctum Isidorum Hispalensem Archiepiscopum, Isidorum Pelusiotam, Sanctum Leandrum Archiepiscopum Hispalensem, Sanctum Ludovicum Galliæ Regem, Sanctos Macarios, Sanctum Marcum Evangelistam, Marcum Eremitam, Sanctum Martialem Episcopum Lemovicensem, Sanctum Martinum Episcopum Turonensem, Sanctum Maximum Monachum, Sanctum Nylum, Olympiodorum Philosophum, Oresiesim Monachum, Sanctum Pachomium Abbatem, Palladium Episcopum Scotiæ, Sanctum Paulum Thebæum Eremitam, Sanctum Platonem Constantinopolitanum, Ruffinum Aquilejensem, Sanctum Sabbam, Sanctum Serapionem Episcopum Thmueos, Sanctum Simeonem Stylitam, Sanctum Simplicianum Mediolanensem Episcopum quem imperitè ait obiisse anno 415. Sophronium, Severum Sulpitium quem vocat Sanctum & Bituricensem Archiepiscopum anno Christi 420. Sanctum Telesphorum Papam, Sanctum Theodorum Studitam, Theophanem, Vigilium Diaconum anno 420. Vincentium Lirinensem, & innumerabiles alios, sive Veteris, sive novi Testamenti Sanctos doctosque Viros, quos vel de nomine solo appellasse, apud eruditos Historiæ & Antiquitatis Ecclesiasticæ Judices refutasse est. Iis sanè nullum arbitror locum dabit in Bibliotheca sua Carmelitica R. P. Ludovicus Jacob à S. Carolo, aut quisquis alius judicio atque antiquitatis intelligentia pollere dignoscitur.

Carthusiani.

S. Bruno Fundator.
Dionysius Richelius.
Henricus de Hassia.
Ludolfus seu Landulfus Saxo ex Dominicano.
Wernerus Rollevinck de Laer Westfalus.

Cistercienses.

Albericus Trium-Fontium, Monachus, auctor Chronici ms.
S. Bernardus Claræ vallis Abbas.
Cæsarius Hesterbacensis.
Gilbertus de Hoillandia.
Guillelmus ex Abbate S. Theodorici.
Guerricus Igniacensis.
Guntherus Monachus.
Helinandus.
Joachimus Abbas Florensis in Calabria.
Nicolaus Claræ vallensis Mon. ex Aremarensi.
Otto Frisingensis Ep. ex Abbate Morimundi.

FF. Minores.

Adamus Goddamus.
Adamus Sasbout.
Alexander Hallensis.
Alvarus Pelagius.
Angelus de Clavasio.
S. Antonius de Padua.
Astesanus Astensis.
Baptista Trovamala.
Bartholomæus Pisanus.
S. Bernardinus Senensis.
S. Bonaventura.
David ab Augusta.
S. Franciscus Assisias.
Franciscus Lychetus.
Franciscus Mayronis.
Franciscus Titelmannus.
Guillelmus Okam.
Henricus Harphius.
Joannes Bassolis.
Joannes de Capistrano.
Joannes Duns Scotus.
Monaldus Dalmata.
Nicolaus Lyranus.
Pacificus Novariensis.
Petrus Aureolus.
Raymundus Lullus.

Ricardus à Mediavilla.
Rupertus à Russia.

FF. Prædicatores.

Albertus Magnus.
Ambrosius Catarinus.
S. Antoninus.
Barthol. Pisanus.
Conradus Koellin.
Dominicus à Soto.
Durandus à S. Portiano.
Franciscus Ferrariensis.
Franciscus Victoria.
Henricus de Kalteisen.
Henricus Ostiensis.
Henricus Suso.
Hervæus Brito.
Hugo de Sancto Caro.
Humbertus de Romanis.
Joannes Capreolus.
Joannes Parisiensis.
Joannes Raguseus.
Joannes Tabiensis.
Joannes Thaulerus.
Jo: de Turrecremata.
Manuel Calecas.
Martinus Polonus.
Nicolaus Gorram.
Petrus Paludanus.
Petrus de Tarantasia.
Raymundus de Penna-forti.
Robertus Holkot.
Silvesters Prieras.
S. Thomas Aquinas.
Thomas de Cantiprato.
Udalricus de Argentina.
Vincentius Bellovac.
S. Vincentius Ferrerius.

Præmonstratenses.

Conradus Lichtenavius Urspergensis Abbas.
Lucas Abbas Montis S. Cornelii Leodiensis
Zacharias Chrysopolitanus ex cœnobio S. Martini Laudunensis.

Trinitarii.

Robertus Gaguinus, Ordinis Generalis.

AU-

AUCTORIS SUPPLEMENTA.

INDEX

SECUNDUM DIVERSOS STATUS,

DIGNITATES, PROFESSIONES,

Ordine Alphabetico digestus.

SUMMI PONTIFICES ROMANI.

S. R. E. CARDINALES.

PATRIARCHÆ ORIENTIS.

ARCHIEPISCOPI.

E P I S C O P I.

Ludge-

Ludgerus, Monasteriensis Episcopus.
Marbodus, Rhedonensis Episcopus.
Marius, Lausanensis Episcopus.
Martialis, Lemovicum Episcopus.
Martinus Porræus, Atrebatensis Episcopus.
Mauricius de Soliaco, Episcopus Parisiensis.
Methodius, Olympi Lyciæ Episcopus.
Modoinus, Augustodunensis Episcopus.
Nicolaus, Methonensis Episcopus.
Nicolaus Oresmius Lexoviensis Episcopus.
Notgerus, Leodiensis Episcopus.
Orientius, Illiberitanus Episcopus.
Palladius, Helenopoleos Episcopus.
Paulinus, Aquilejensis Episcopus.
Paulinus, Nolanus Episcopus.
Petrus Cellensis dictus, Epscopus Carnotensis.
Petrus de Natalibus, Equilinus Episc.
Philippus Cabassolus, Cavellicensis Episcopus.
Philippus Eistetensis in Germania Episc.
Philo, Carpathi Insulæ Episc.
Polychronius, Apameæ Episc.
Primasius, Adrumeti in Africa Episc.
Prudentius Galindus, Trecensis Episcopus.
Ptolomæus Lucensis, Episc. Torcellensis.
Ratherius, Veronensis Episc.
Robertus Capito, Lincolniensis Episc.
Robertus, Episc. Senecensis in Gallia.
Salomon, Constantiensis Episc.
Severus, Minoris Insulæ Balearis Episc.
Silvester Giraldus Cambrensis, Menevensis Episcopus.
Stephanus, Augustodunensis Episc.
Stephanus, Leodiensis Episc.
Stephanus, Tornacensis Episc.
Theganus, Treverensis Ecclesiæ Corepiscopus.
Theodulfus, Aurelianensis Episc.
Theophanes Cerameus, Tauromenii Episc.
Udalricus, Constantiensis in Germania Episc.
Victor Cartennæ, in Africa Episc.
Victor Vitensis, in Africa Episc.
Vigilius, Tapsensis in Africa Episc.
Vincentius Cadlubcus, Cracoviensis Episc.
Vvalterus, Aurelianensis Episc.
Vvaltramnus, Argentinensis Episc.
Vvillibaldus, Eistetensis Episc.
Vulfinus Boetius, Pictaviensis Episc.
Yvo, Carnotensis Episc.
Zacharias, Mytilenensis Episc.

ARCHIDIACONI, DECANI, Presbyteri, & Diaconi.

Adamus Barkingensis, Anglus Theologus.
Adamus de Corlandon, Decanus B. Mariæ Laudunensis.
Ægidius Carlerius, Decanus Ecclesiæ Cameracensis.
Albertus, Aquisgranensis Canonicus & Sacrista.
Alexander Nekam, Theologus Anglus.
Alvarus, Cordubensis Presbyter.
Ammonius Alexandrinus.
Anastasius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Apocrisiarius.
Anselmus, Leodiensis Canonicus.
Aretas, Cæsariensis Presbyter.
Arnaldus Terreni, Presbyter Sacrista Elnensis.
Arnobius Junior, Gallus.
Arnoldus, Hildesheimensis Præpositus.
Aurelius Carthaginensis.
Auxilius, Presbyter.
Bachiarius, Hybernus Presbyter.
Bernardus de Compostella, Presbyter & Sacrorum Custos.
Berthariús, Presbyter Virdunensis.
Bertoldus seu Bernoldus, Presbyter Constantiensis.
Constantius, Presbyter Lugdunensis.
Cosmas, Pragensis Ecclesiæ Decanus.
Cyprianus, Messianus, & Stephanus.
Domnizo, Italus Presbyter.
Donatus, Metensis Diaconus.
Dudo, S. Quintini Decanus.
Eusthathius, Africanus Presbyter.
Eusthathius Presbyter.
Eustratius, Presbyter Constantinopolitanus.
Falco Beneventanus, Historicus.
Florus, Lugdunensis Diaconus.
Franciscus Petrarcha, Canonicus Patavinus.
Fridegodus, Diaconus Anglus.
Fulcherius, Carnotensis Presbyter.
Georgius Acropolita, magnus Logotheta Constantinopolitanus.
Gerardus Machetus, Gallus Theol.
Gerardus, Presbyter Augustanus.
Gilbertus S. Vvaldetrudis, apud Montes Hannoniæ Præpositus.
Godefridus Viterbiensis, Presbyter & Imperatorum Sacellanus.
Godescalcus, Leodiensis Canonicus & Diaconus.
Gualterus, Tarvanensis Ecclesiæ Canonicus.
Guido de Monte-Rocheri, Theologus Gallus.
Guillelmus Appulus, Historicus.
Guillelmus, Bituricensis Diaconus, olim Judæus.
Guillelmus de Montibus, Lincolniensis Canonicus.
Guillelmus Nottinghamus, Theologus Anglus.
Guillelmus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius.
Guillelmus de Sancto Amore, Theologus.
Heddius Stephanus, Anglus.
Helmoldus, Butsoniensis propè Lubecam Canonicus.
Henricus, Huntingtonensis Archidiaconus Anglus.
Hesso, Canonicus & Scholasticus Rhemensis.
Hugo Falcandus, Sancti Petri Panormitani Thesaurarius.
Jacobus de Teramo, Canonicus Aprutinus.
Joannes de Beka, Canonicus Ultrajectensis.
Joannes Beleth, Parisiensis Theologus.
Joannes Breviscoxa, Theologus Parisiens.
Joannes, Constantinopolitanus Diaconus.
Joannes Cornubiensis, Anglus.
Joannes de Deo, Hispanus, in Decretis Doctor.
Joannes Felton, Presbyter Anglus, Concionator.
Joannes Froissartus, Canonicus Chimacensis & Insulensis.
Joannes Gobelinus, Pii II. Secretarius.
Joannes Hocsemius, Sancti Lamberti Leod. Canonicus.
Joannes, S. R. E. Diaconus.
Joannes Scotus Erigena, Anglus.
Joannes Semeca, Præpositus Ecclesiæ Halberstatensis.
Leonardus Aretinus, Presbyter, Summorum Pontificum Secretarius.
Leporius, Presbyter.
Maphæus Vegius, Italus, Martini V. Pontificis Datarius.
Matthias de Cracovia, Theologus.
Micrologus Operis, non Auctoris nomen.

MONACHI GRÆCI
feu Orientales.

MONACHI OCCIDENTALES.
Ordinis Divi Benedicti.

Conra-

Conradus, Bruvillarensis Monachus.
Dacrianus, Abbas suppositiтius.
Dionysius cognomento Exiguus.
Drogo S. Joannis Laudunensis Abbas.
Durandus, Troarnensis Abbas.
Eadmerus, Cantuariensis Ecclesiæ Monachus.
Eigil, Fuldensis Abbas.
Elizabetha, Virgo & Abbatissa Schonaugiensis.
Engelbertus, Abbas Admontensis in Styria.
Engelhardus Abbas in Lanckaim.
Ermanricus, Elevvangensis Abbas.
Ermentarius, Trenorchiensis Abbas,
Ethelvolfus, Monachus Anglus.
Evershelmus, Altimontensis Abbas.
Evervinus, Theologiensis Abbas
Faustus, S. Benedicti Discipulus.
Florentius Bavonius, Vigorniensis Mon.
Fœlix, Monachus Anglus.
Franco, Afflighemiensis Abbas.
Fulcuinus, Laubiensis Abbas.
Gaufredus à Mala-Terra, Monachus.
Gaufredus, Monachus & Prior Vosiensis.
Gaufridus Grossus, Tironensis Monachus.
Gerardus, Abbas S. Vincentii Laud.
Gerhohus, Abbas Reicherspergensis in Bavaria.
Gertrudis, Abbatissa Cœnobii Helffedani.
Gervasius, Dorobernensis Monachus Benedictinus.
Gilbertus, Abbas Vvestmonasteriensis.
Godefridus, Monachus Sancti Pantaleonis Coloniensis.
Gonterus, S. Amandi in Belgio Monachus.
Gotselinus, Cantuariensis Monachus.
Gottescalcus, Orbacensis Monachus.
Gualdo, Corbejensis in Gallia Monachus.
Gualterus, Marchianensis Monachus.
Guibertus, Abbas B. Mariæ de Novigento.
Guido, Abbas S. Dionysii in Francia.
Guido Aretinus, Monachus.
Guillelmus, Abbas S. Theodorici propè Rhemos.
Guillelmus, Andrensis Cœnobii Abbas.
Guillelmus Calculus, Gemmeticensis Monachus.
Guillelmus, Malmesburiensis Monachus.
Guillelmus, Monachus Sancti Martini Tornacensis.
Guillelmus de Nangiaco, Monachus Sancti Dionysii.
Guillelmus Thorne, Monachus Benedictinus.
Harigerus, Laubiensis Abbas.
Hariulfus, Aldemburgensis Abbas.
Hartmannus, S. Galli Monachus.
Helgaldus, Floriacensis Monachus.
Helpericus, S. Galli Monachus & Decanus.
Henricus Rebdorfiensis, Monachus Ordinis Divi Benedicti.
Hepidamnus, S. Galli Monachus.
Herempertus, Cassinensis Monachus.
Hermannus, Abbas Sancti Martini Tornacensis.
Herricus, Autissiodorensis Monachus.
Hervæus, Burgidolensis Monachus.
Hildegardis, Abbatissa Montis Sancti Ruperti propè Bingam.
Hildemarus, Gallus, Monachus & Abbas.
Hugbaldus, Elnonensis Monachus.
Hugo, Flavigniacensis in Burgundia Abbas.
Hugo de Folieto, Corbejensis Monachus.
Hugo à Sancta Maria, Floriacensis Monachus.
Hugo, Monachus Abbatiæ Vezeliacensis.
Hugo, Monachus Abbatiæ Cluniacensis.
Joannes, Sancti Arnulfi Metensis Abbas.
Joannes Ciritta, Abbas Taroucanus.
Joannes Italus, Ticini Monachus.
Joannes, Majoris Monasterii Monachus.
Joannes Stabulensis, Ordinis Divi Benedicti.
Jonas, Fontanellensis Monachus.
Iso, Sancti Galli Monachus.
Laurentius, Dunelmensis Monachus.
Laurentius, sancti Laurentii Leodiensis Monachus.
Leraldus, Miciacensis Monachus.
Lupus, Abbas Ferrariensis.
Marculfus, Gallus Monachus.
Marcus Poeta, Monachus.
Matthæus Parisius, sancti Albani Monachus.
Matthæus Vindocinensis, Abbas sancti Dionysii.
Matthæus Westmonasteriensis, Ordinis Divi Benedicti.
S. Mechtildis, Abbatissa Ord. D. Benedicti.
Megenfridus, Fuldensis Monachus.
Metellus, Tegerseensis Monachus.
Milo, sancti Amandi in Pabula Monachus.
Nalgodus, Cluniacensis Monachus.
Notkerus Balbulus, sancti Galli Monachus.
Odilo, sancti Medardi Svessionensis Monachus.
Odo de Diogilo, Abbas sancti Dionysii in Francia.
Odorannus, sancti Petri Senonensis Monachus.
Ordericus Vitalis, sancti Ebrulfi Monachus.
Osbernus, Cantuariensis Eccl. Monachus.
Osbertus, Monachus Anglus. 1100. sed cum Osberno.
Othelgrimus, Wertinensis Monachus.
Othlonus, Ordinis Divi Benedicti Monachus.
Paschasius Ratbertus, Corbejensis Abbas.
Paulus Warnefridi, Monachus Cassinensis.
Petrus Abaelardus, Monachus & Abbas sancti Gildasii.
Petrus Berchorius, Pictaviensis, Ordinis Divi Benedicti.
Petrus Pictaviensis, Monachus Cluniacensis.
Petrus de Rosenheim, Ordinis Divi Benedicti.
Ranulfus Hidgen, Monachus Cicestrensis.
Ratramnus, Corbejensis Monachus.
Raynerus, S. Laurentii Leodiensis Monachus.
Regino, Abbas Prumiensis.
Richardus Cicestrensis, Ordinis Divi Benedicti.
Robertus Bajocensis in Normannia Abbas.
Robertus, Sancti Remigii Rhemensis Monachus.
Robertus de Torinnejo, Abbas de Monte Sancti Michaelis.
Rodulfus Tortarius, Monachus Floriacensis.
Roivveita, Gandersheimensis Monialis.
Rotgerus, Coloniensis Monachus
Rudolfus, Fuldensis Monachus.
Rodulfus, Sancti Trudonis Abbas.
Rupertus, Abbas Tuitiensis, juxta Coloniam.
Simeon, Dunelmensis Monachus.
Smaragdus, Abbas sancti Michaelis ad Mosam.
Stephanus, Sancti Jacobi Leodiensis Abbas.
Sugerius, Abbas sancti Dionysii in Francia.
Syrus, Cluniacensis Monachus.
Theobaudus, Bezuensis in Burgundia Monachus.
Theodoricus, Abbas Ordinis Divi Benedicti.
Theodoricus Danus, Incomperti Cœnobii Abbas.
Theodoricus, Sancti Trudonis Abbas.
Theofridus, Abbas Epternacensis.
Theulfus, Morigniacensis Monachus.
Thomas, Abbas Sancti Andreæ Vercellensis.
Thomas, Eliensis in Anglia Monachus.
Thomas Vvalsingham, Ordinis Divi Benedicti.
Turgotus, Dunelmensis Monachus.
Ursinus Gallus, Monachus.
Ursio, Altimontis Abbas, Ordinis Divi Benedicti.
Usuardus, sancti Germani Parisiensis Monachus.
Vvalafridus Strabus, Augiensis Abbas.
Vvandalbertus, Prumiensis Monachus.
Vvernerus, Abbas sancti Basilii in Nigra Sylva

Vvil-

CANONICI REGULARES ORDINIS *Divi Auguſtini.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

ORDINIS FRATRUM MINORUM.

ORDINIS FF. PRÆDICATORUM.

ANnibal de Annibaldis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Bertrandus de Trilla, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Conradus Marpurgensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Dominicus Grenerius, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Gaufridus de Bello-loco, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Gerardus de Fracheto, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Gerardus Leodiensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Guido Ebroicensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Guillelmus Carnotensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Guillelmus Peraldus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Guillelmus Tripolitanus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Hermannus de Leerbeke, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Jacobus de Lausanna, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Joannes Bromiard, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Joannes Januensis, Ordinis FF. Prædicatorum.
Joannes Nider, Germanus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Joannes Parisiensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Joannes de Sancto Geminiano, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Joannes de Tambaco, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Jordanus de Saxonia, Præpositus Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Leonardus de Utino, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Matthæus Ebroicensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Moneta Cremonensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Nicolaus Eymericus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Nicolaus de Briard, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Nicolaus Gorram, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Nicolaus de Hanaps, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Nicolaus Trivettus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Petrus de Alvernia, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Radulfus Bockingus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Raymundus Martini, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Raynerus Pisanus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Raynerus Sacconus, Placentinus, ejusdem Ordinis.
Stephanus de Salagniaco, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Theodoricus de Apoldia, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Thomas Anglicus, cognomento Jorgius, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Thomas de Leontino, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Thomas Stobæus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.

ORDINIS FF. CARMELITARUM.

GUillelmus de Sanvico, Ord. Carmelitarum.
Henricus de Arena, Ordinis Fratrum Carmelitarum.
Joannes Grossus, Ord. Fratrum Carmelitarum.
Michael Angrianus, Ordinis Fratrum Carmelitarum.
Philippus Ribotus, Ord. Fratrum Carmelitarum.

ORDINIS EREMITARUM *Divi Augustini.*

ALexander de Sancto Elpidio, Ordinis Eremitarum Divi Augustini.
Antonius Rampelogus, Ordinis Eremitarum Divi Augustini.
Augustinus Asculanus, Ordinis Eremitarum Divi Augustiui.
Bartholomæus Urbinas, Ord. Eremitarum Divi Augustini.
Henricus de Langestein, Ordinis Eremitarum Divi Augustini.
Henricus de Urimaria, Ordinis Eremitarum Divi Augustini.
Hugolinus Malabranca, Ordinis Eremitarum Divi Augustini.
Jacobus Folquerii, Ord. Eremit. D. Augustini.
Jacobus Magnus, Ord. Eremitarum D. Augustini.
Jordanus de Saxonia, Ordinis Eremitarum Divi Augustini.
Petrus de Paternis, Ord. Eremitarum D. Augustini.
Simon de Cremona, Ord. Erem. D. Augustini.

DIVERSORUM ORDINUM.

GUigo, quintus Prior majoris Cartusiæ.
Victor Porchetus de Salvaticis, Cartusianus.
Clemens Florentinus, Ordinis Servorum Beatæ Mariæ.
Lupus de Oliveto, Hispanus, Fundator Hieronymitanorum.
Joannes de Hildinio, Ordinis Fratrum Hospitalium.

IMPERATORES, REGES, NOBILES, *& alii Laici.*

ADrianus, Auctor Græcus.
Ælfredus Anglorum Rex.
Agathias, Scholasticus Smyrnæus.
Albertanus, Brixiensis Causidicus.
Albertinus Mussatus Patavinus, Poeta & Historicus.
Albertus Argentinensis, Historicus.
Alexius Aristinus, Jurisc. Græcus.
Alvarus de Lucia & Mendoza, Miles Calatravæ,
Andronicus Constantinopolitanus.
Andronicus Sebastus, Auctor Græcus.
Athenagoras, Atheniensis Philosophus.
Balduinus Avesnensis, Miles.
Balduinus, Flandriæ & Hannoniæ Comes.
Carolus Calvus, Francorum Rex.
Carolus Magnus, Rex Francorum & Imperator.
Commodianus, Philosophus.
Constantinus Hermenopolus, Sebastus.
Constantinus Manasses, Historicus Græcus.
Dynamius Patricius.
Eberardus Bethuniensis in Artesia.
Enguerranus Monstrelet, Belga Nobilis.
Fridericus Imperator Ænobarbus.
Fridericus II. Imperator.
Gaufridus de Ville-Hardovin, Campaniæ & Romaniæ Marescallus.

Geor-

XIV. INDEX.

NATIONES SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM.

Aimoi-

Germani Transrhenani.

Græci Europæi ac plerique Asiatici præter Syros, Judæos, &c.

Joan-

AUCTORIS SUPPLEMENTA.

INDEX

SECUNDUM DIVERSAS NATIONES,

Ordine Alphabetico digestus.

AFRICANI.

ANGLI, SCOTI ET HYBERNI.

BELGÆ.

GALLI.

Ada-

GERMANI.
Cum paucis Danis, Suecis, & Polonis.

Con-

Conradus Moguntinus, Archiepiscopi Corepiscopus.
Cosmas, Pragensis Ecclesiæ Decanus.
David de Augusta Vindelicorum, Ordinis Fratrum Minorum.
Ditmarus, Merseburgensis Episc.
Eigil, Fuldensis Abbas.
Elizabetha, Virgo & Abbatissa Schonaugiensis.
Engelbertus, Abbas Admontensis in Styria.
Engelhardus, Abbas in Lanckaim.
Ermanricus, Elevvangensis Abbas.
Evervinus, Theologiensis Abbas.
Fridericus Imperator Ænobarbus.
Fridericus II. Imperator.
Gallus, Abbas Aulæ Regiæ in Bohemia.
Gebehardus, Episcopus Augustanus.
Gerardus, Augustanus Presbyter.
Gerhohus, Abbas Reicherspergensis in Bavaria.
S. Gertrudis, Abbatissa Cœnobii Helffedani.
Godefridus, Monachus Sancti Pantaleonis Coloniensis.
Guillelmus de Rubrock, Ord. Fratrum Minorum cum Guillelmo Tripolitano.
Haimo, Halberstatensis Episcopus.
Hartmannus, Sancti Galli Monachus.
Hatto, Basileensis Episcopus.
Helmoldus, Butioniensis propè Lubecam Canonicus.
Helpericus, S. Galli Monachus & Decanus.
Henricus de Langestein, Ord. Eremitarum Divi Augustini.
Henricus Rebdorfiensis, Monachus Divi Benedicti.
Hepidamnus, Monachus S. Galli.
Hermannus de Leerbeke, Ord. Fratrum Prædicatorum.
Hildegardis, Abbatissa Montis sancti Ruperti propè Bingam.
Jacobus de Lausanna, Ordin. Fratrum Minorum.
Joannes de Friburgo, Offunensis Episcopus.
Joannes de Mandeville, Nobilis Anglus.
Joannes Nider, Germanus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Joannes de Sancto Geminiano, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Joannes Schadland, Episcopus Hildesheimensis.
Joannes Semeca, Præpositus Ecclesiæ Halberstatensis.
Joannes de Tambaco, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Jordanus de Saxonia, Ordinis Eremitarum Divi Augustini.
Jordanus de Saxonia, Præpositus Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Iso, Monachus Abbatiæ S. Galli.
Levvoldus de Northovv, Germanus, Historicus.
Ludgerus, Monasteriensis Episcopus.
Marius, Lausannensis Episcopus.
Martinus Polonus, Archiepiscopus Gnesnensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.
Matthias de Cracovia, Theologus.
S. Mechtildis, Abbatissa Ord. D. Benedicti.
Megenfridus, Fuldensis Monachus.
Metellus, Tegerseensis Monachus.
Micrologus, Operis, non Auctoris nomen.
Nicetius, Treverensis Archiepiscopus.
Nicolaus Dinckelspuel, Germanus, Theologus.
Notkerus Balbulus, S. Galli Monachus.
Oliverius, Coloniensis Scholasticus.
Otelgrimus, Vvertinensis Monachus.
Othlonus, Ordinis Divi Benedicti Monachus.
Otho de S. Blasio, Germanus, Historicus.
Paulus Benriedensis, Præpositus Canonicorum Regularium.
Petrus de Duisburgo, Germanus, Historicus.
Petrus de Rosenheim, Ordinis D. Benedicti.
Petrus de Vineis, Jurisc. Frederici II. Cancellarius.
Philippus Eistetensis in Germania Episcopus.
Regino, Abbas Prumiensis.
Rembertus, Bremensis Arch.
Rhabanus, Moguntinensis Arch.
Rosvveita, Gandersheimensis Monialis.
Rorgerus, Coloniensis Monachus.
Rudolfus de Frameinberg, Pastor in Sucken.
Rudolfus, Fuldensis Monachus.
Rupertus, Abbas Tuitiensis, juxta Coloniam.
Salomon, Constantiensis Episcopus.
Saxo Grammaticus, Sialandicus.
Tangmarus, Hildesheimensis Decanus.
Theganus, Treverensis Ecclesiæ Corepiscopus.
Theodoricus, Abbas Ord. D. Benedicti.
Theodoricus Danus, Incomperti Cœnobii Abbas.
Theodoricus de Niem, Presbyter.
Theodoricus, Abbas Epternacensis.
Udalricus, Constantiensis in Germania Episc.
Vincentius Cadlubcus, Cracoviensis Episc.
Vvalafridus Strabo, Augiensis Abbas.
Vvaltramnus, Argentinensis Episc.
Vvandalbertus, Prumiensis Monachus.
Vvernerus, Abbas S. Basilii in Nigra Sylva.
Vvilleramus, Abbas Merseburgensis.
Vvilibaldus, Eistetensis Episc.
Vvolbero, Abbas S. Pantaleonis Coloniensis.
Vvolfhardus, Hasenrietanus Monachus.

G R Æ C I.
Cum paucis Syris, Ægyptiis & Armenis.

ADrianus, Auctor Græcus.
Agathias, Scholasticus Smyrnæus.
Alexius Aristinus, Jurisc. Græcus.
Ammonius Alexandrinus.
Anastasius Monachus, S. Maximi Discipulus.
Anastasius, Monasterii S. Euthymii Abbas.
Anastasius Sinaita, Episc. Antiochenus.
Anastasius Alter, Antiochenus Episc.
Andreas, Cretensis Arch.
Andronicus Constantinopolitanus.
Andronicus Sebastus, Auctor Græcus.
Anna Comnena Constantinopolitana.
Antonius, Abbas Ægyptius.
Antonius Melissa, Monachus Græcus.
Antonius Simeonis Stylitæ Discipulus.
Aretas, Cæsariensis Presbyter.
Arsenius, Monachus in Monte Athos.
Asterius, Amaseæ Episc.
Athanasius, Alexandrinus Episc.
Athenagoras, Atheniensis Philosophus.
Barnabas Apostolus.
Basilius, Archiepiscopus Cæsareæ Cappadocum.
Cæsarius, frater S. Gregorii Nazianzeni.
Constantinus Hermenopulus, Sebastus.
Constantinus Manasses, Historicus Græcus.
Cyrillus Monachus, S. Sabæ Discipulus.
Diadocus Photices, in veteri Epiro Episc.
Dionysius Areopagita, Atheniensium Episc.
Dorotheus Archimandrita.
Evagrius, Antiochenæ Ecclesiæ Episc.
Evagrius, Ponticus Monachus.
Eudoxia Theodosii Junioris uxor.
Eusebius, Emissenus Episc.
Eustathius Presbyter.
Eustratius, Const. Presbyter.
Georgius Acropolita, magnus Logotheta Const.

HISPANI.

ITALI.

Anfel-

SYL-

SYLLABUS ALIQUOT

COGNOMINUM AD NOMINA REVOCATORUM.

Ex Dissertatione Historica.

Alliacensis Petrus.
Almainus Jacobus.
Alvarus Pelagius.
Ancharanus Petrus.
Andreas Antonius & Joannes.
Apollinaris Sidonius.
Aquinas Thomas.
Aspilcueta Martinus.
Aureolus Petrus.
Autpertus Ambrosius.
Baconius Joannes.
Balsamon Theodorus.
Barbatias Andreas.
Barcepha Moses.
Bassolis Joannes.
Bayfius Guido.
Benetus Cyprianus.
Bertrandus Petrus.
Biel Gabriel.
Blondus Flavius.
Boethius Hector.
Bonfinius Antonius.
Butrius Antonius.
Cabasilas Nicolaus.
Calecas Manuel.
Calderinus Joannes.
Callistus Nicephorus.
Cantipratanus Thomas.
Capistranus Joannes.
Capreolus Joannes.
Cassianus Joannes.
Catharinus Ambrosius.
De S. Caro Hugo.
Cedrenus Georgius.
Calcondylas Laonicus.
Charlierius Joannes.
Choniates Nicetas.
Clarus Idacius.
Clavasius Angelus.
Climacus Joannes.
Columna Ægidius.
Comestor Petrus.
Contractus Hermannus.
Coclæus Joannes.
Crantzius Albertus.
Curopalates Joannes.
Cusanus Nicolaus.
Damianus Petrus.
David Nicetas.
Driedo Joannes.
Druthmarus Christianus.
Duns Joannes.
Durandus Guillelmus.
Echius Joannes.
Etherianus Hugo.
Faber Joannes.
Felix Minucius.
Ferrerius Vincentius.
Ficinus Marsilius.
Fidanza Bonaventura.
Firmianus Lactantius.
Firmicus Julius.
Fischerus Joannes.
Flaccus Alcuinus.
Forestus Jacobus Philippus Bergomas.
Fortunatus Venantius.
Gaguinus Robertus.
Gerson Joannes.
Goddamus Adamus.
Gorramus Nicolaus.
Gregoras Nicephoras.
Harphius Henricus.
Hadrianus Finus.
Hermias Sozomenus.
Hemerchen Thomas.
Holkot Robertus.
Hovedenus Rogerius.
Jacobatius Dominicus.
Jejunator Joannes.
Ingen Marsilius.
Jordanus Raymundus.
Justinianus Laurentius.
Kaltheisen Henricus.
Koellin Conradus.
Latomus Jacobus.
Lichtenavius Conradus.
Lullus Raymundus.
Lychetus Franciscus.
Lyranus Nicolaus.
Major Joannes.
Mamertus Claudianus.
Marius Claudius.
Maurus Rabanus.
Maxentius Joannes.
Mayronis Franciscus.
Metaphrastes Symeon.
Morus Thomas.
Moschus Joannes.
Mugellanus Dinus.
Nauclerus Joannes
Ocham Guillelmus.
Orosius Paulus.
Ostiensis Henricus & Leo.
Palmerius Matthæus & Matthias.
Paludanus Petrus.
Papa Guido.
Paris Matthæus.
Pastor Hermas.
Penna-fortius O. P. Raymundus.
Petrarcha Franciscus.
Picus Joannes & Joannes Franciscus.
Pisides Gregorius.
Platina Bartholomæus seu Baptista.
Polemarius Joannes.
Polonus Martinus.
Pomerius Julianus.
Radulfus Glaber.
Ratbertus Paschasius.
Rickelius Dionysius.
Rollevink Wernerus.
Ruysbrochius Joannes.
Sabellicus Marcus Antonius.
Sannazarius Jacobus.
Sandeus Felinus.
Sincerus Actius.
Severinus Boethius.
Sotus Dominicus.
Speculator Guillelmus.
Stero Henricus.
Strabo Walafridus.
Suso Henricus.
Sylvius Æneas.
Tabiensis Joannes.
Thaulerus Joannes.
Thaumaturgus Gregorius.
Titelmannus Franciscus.
Tostatus Alfonsus.
Triumphus Augustinus.
Trovamala Baptista.
Trithemius Joannes.
Tudeschus Nicolaus.
Turrecremata Joannes.
Victoria Franciscus.
Villanius Joannes & Matthæus.
De Vio Thomas.
Waldensis Thomas.
Wellingus Conradus & Ulricus.
Wimphelingius Jacobus.
Zabarella Franciscus.
Zonaras Joannes.

INDI-

INDICULUS ALIQUOT

ECCLESIASTICORUM SCRIPTORUM,

Qui in Editionibus Bellarminiani opuſculi ab anno MDCXVII. apud Sebaſtianum Cramoiſy reperiuntur, deſunt verò in prioribus ac poſterioribus, Coloniæ Agrippinæ, Lugduni, & alibi excuſis.

Ex Dissertatione Historica.

Sanctus Adelmus ſeu Anthelmus.
Arnulfus Lexovienſis Epiſcopus.
Aſterius Amaſeæ Ep.
Deſiderius Cadurcenſis Ep.
Dracontius Poeta.
Dungalus Diaconus.
Ecbertus Abbas Schonangienſis.
Georgius Piſides Conſt. Diaconus.
Guerricus Abbas Igniacenſis.
Idacius Lemicenſis Ep. Aquiflavienſis.
Innocentius V. Papa antea Petrus de Tarantaſia.
Joannes è Biclarenſi Abbate Gerundenſis Ep.
Joannes Jejunator P. Conſt.
Julianus Pomerius Maurus.
Lupus Abbas Ferrarienſis.
Nicolaus ex Aremarenſi Monachus Claræ-vallenſis.
S. Odilo Abbas Cluniacenſis.
Odo Cameracenſis Epiſcopus.
S. Odo Cluniacenſis Abbas.
Potho Prumienſis Monachus, & Presbyter.
Ruricius Senior Lemovicenſis Epiſc.
Ruſticus S. R. E. Diaconus.
Smaragdus Abbas.
Valerianus Cemelenenſis Epiſcopus.
Victor Maſſilienſis Rhetor.
Victor Tononenſis Epiſcopus.
Victorinus Afer Rhetor.

AD LECTOREM.

Auctores fermè omnes, qui in noſtra Philologica Diſſertatione citantur, laudantur, illuſtrantur, notantur, & corriguntur, non uno incluſimus indice, ſed in tres majoris commoditatis gratia diſtinximus.

I. Complectitur Sacros profanoſque Scriptores, qui uſque ad annum Chriſti MD. floruerunt.

II. Catholicos, qui ab anno MDI. uſque ad hunc annum MDCLX. vixerunt.

III. Lutheranos, Zuinglianos, Calviniſtas, Arminianos remonſtrantes, Gomariſtas contraremonſtrantes, Socinianos, Anabaptiſtas, omneſque una voce Acatholicos, aut à Catholica majorum ſuorum fide Apoſtatas, aut deluſos ab Apoſtatis, eorumque impietati adhæreſcentes.

INDICES TRES
AUCTORUM
SIVE SACRORUM, SIVE PROFANORUM,
Qui in Dissertatione Historica laudantur, citantur, emendantur.

PRIMUS INDEX
SCRIPTORUM,
Qui Mortui sunt ante Annum MDI.

Cassio-

Hugo Flavin.
Hugo Flaviacensis.
Hugo Lingonensis Ep.
Hugo Victorinus.
Humbaldus.
Humbertus O. P.
Hyginus.
Hypatia.
Jacobus Balduini J. C.
Jacobus Edessæ Diaconus.
Jacobus Genuensis Arch.
Jacobus Poggius.
Jacobus de Voragine.
Jacobus Vimphelingius.
Jacobus de Zuzaro.
Jacobus de Vitriaco.
Jacoponus O. M.
Jamblicus Phil.
Idatius Lemicensis.
S. Ignatius Martyr.
S. Ildephonsus Toletanus Arch.
Indulfus.
Joachimus Abbas.
Joannes Andreas.
Joannes Ant. Campensis.
Joannes Aretinus.
Joannes Argyropylus.
Joannes de Baccone.
Joannes Basianus.
Joannes Boccacius de Certaldo.
Joannes Brehallus.
Joannes Calderinus.
Joannes Cantacuzenus.
Joannes Capistranus.
Joannes Capreolus.
Joannes Cassianus.
S. Joannes Chrysostomus.
Joannes Climacus.
Joannes Cyparissiota.
S. Joannes Damascenus.
Joannes Diaconus.
Joannes Euchaita.
Joannes Froissartes.
Joannes de S. Georgio.
Joannes Geminianus.
Joannes Gobelinus.
Joannes Jejunator.
Joannes Gerson.
Joannes Gobellinus.
Joannes Hierof. Ep.
Joannes de Joinvilla.
Joannes Italus.
Joannes de Imola.
Joannes Maxentius.
Joannes Moschus.
Joannes Nider O. P.
Joannes II. Papa.
Joannes Parisius.
Joannes Parvus.
Joannes Picus Mirandulanus.
Joannes de Poliaco.
Joannes Prior Cæl. Lugd.
Joannes de Ragusio.
Joannes Raythu.
Joannes Rochesana.
Joannes Sarisberiensis Carn. Ep.
Joannes de Schoonhonia.
Joannes Scotus Erigena.
Joannes Scylitzes.
Joannes Senior.
Joannes Sinaita.
Joannes Stobæus.
Joannes Subdiaconus.
Joannes Thessalonicensis.
Joannes de Turrecremata Card.
Joannes Zonaras.
Jonas Aurelianensis Ep.
Jordanus O. P.
Jornandes Gothus.
Josephus Judæus.
S. Irenæus Lugdun. Arch.
Isaac Nathan.
Isidorus Cordubensis Ep.
S. Isidorus Hispalensis Arch.
Isidorus Mercator.
Isidorus Pacensis.
S. Isidorus Pelusiota.
Isidorus Thessalonicensis.
Iso Monachus.
Julianus Imp.
Julianus Card.
S. Julianus Tolet. Ep.
Julianus Pelagii Disc.
Julianus Pomerius.
Julius Africanus.
Julius Celsus.
Julius Clemens.
Julius Firmicus Maternus.
Junilius Ep.
Ivo Carnotensis Ep.
Justinianus Imp.
S. Justinus Martyr.
Justinus Siculus.
Juvenalis de Ursinis.
Lactantius Firmianus.
Lambertus Schaf.
Landulfus Sagax.
Lanfrancus Cant. Arch.
Laurentius Valla.
Laurishamense Chronicon.
Leo Bitur. Arch.
Leo Ostiensis.
S. Leo Papa I.
S. Leo IX. Papa.
Leo Sapiens Imp.
Leo Hist.
Leonardus Aretinus.
Leontius Byzantius.
Leontius Ep.
Leontius Hierof.
Libanius Sophista.
Liberius Poeta.
Liberatus Diaconus.
S. Lucas.
Lucas Tudensis.
Lucianus Presbyter.
Luctantius.
S. Ludgerus.
Lugdunenses.
Luitprandus Ep.
Lupoldus Bab.
Lupus Ferrariensis Abbas.
Lupus de Oliveto.
Macrobius.
Malleacense Chronicon.
Manchianus.
Manuel Moschopolus.
Marbodus Rhedonensis Ep.
Marcellinus Comes.
Marcellinus Presbyter.
S. Marchianus Hibernus.
Marcus de Benevento Cælestinus.
Marcus Eremita.
Marianus Scotus.
Marius Aventicensis Ep.
Marsilius Ficinus.
Martianus Capella.
Martinus Dumiensis.
Martinus Papa.
Martinus Polonus.
Martyrologium Romanum, & Menœa Græcorum sæpè.
Matthæus Blastares.
Matthæus Gralon O. P.
Matthæus Palmerius.
Matthæus Parisius.
Matthæus Westmonasteriensis.
Maximinus.
Mauricius Par. Ep.
Maurus Poeta.
S. Maximus Martyr.
S. Maximus Taurinensis Ep.
Menander.
Messianus.
Methodius.
Michael Choniates.
Michael Glycas.
Michael Psellus.
Michael Syngelus.
Michael Studita.
Micrologus.
Miltiades.
Minutius Felix.
Montanus Ep.
Morbisanus.
Moses Barcepha.
Mutianus Schol.
Nalgodus.
Naucrates.
S. Nicetas Aquilejensis Ep.
Nicephorus Callistus.
Nicephorus Gregoras.
Nicephorus Patr. Const.
Nicetas David.
Nicetas Choniates.
Nicetas Daciæ Ep.
Nicetas Heracleæ Menop.
Nicetius Trevirensis.
Nicetas Pectoratus.
Nicetas Serronius.
Nic. Clamengis.
Nicolaus Clar.
Nicolaus de Hanapis.
Nicolaus Eymericus.
Nicolaus Cusanus Card.
Nicolaus Lyranus.
Nicolaus Methonensis.
Nicolaus Oresmius Ep. Lexoviensis.
S. Nilus Monachus.
Nithardus.
Notgerus.
Nonnus Monachus.
Novatianus.
Numenius.
Oceanus.
S. Odilo.
S. Odo Cluniaci Ab.
Ogerius Cucedii Abbas.
Oldradus Laudensis J. C.
Olympiodorus.
Optatus Milevitanus Episc.
Ordericus Vitalis.
Origenes.
Orosius.
Osbertus Abbas.
Othelgrimus.

Otho Frisingensis Ep.
S. Pachomius.
Pacianus.
Palladius Helenopol. Ep.
Palladius Auctor vitæ S. Chrys.
Pammachius.
Pamphilus Martyr.
Pamphilus Abydenus.
Paphnutius.
Papias Hierap. Episcop.
Pardulus Ep. Lauduni.
Parisiensis Conventus.
Paschasinus Ep.
Paschasius Ratbertus.
Paterius.
S. Patricius.
Paulini duo alii.
S. Paulinus Nol. Ep.
Paulinus Aquil. Patr.
Paulinus Presbyter.
S. Paulus.
Paulus Aquil. Diaconus.
Paulus Burgensis.
Paulus Orosius.
Pediasimus.
Pelagius Diacon.
Pelagius.
Pelagius Ovetensis.
Petrus Alex. Patr.
Petrus de Alliaco Card.
Petrus de Arvernia.
Petrus Amalphitanus.
Petrus Babio.
Petrus Blesensis.
Petrus Cassinensis Diacon.
Petrus Cellensis.
Petrus Abbas Cluniacensis.
Petrus Babyon.
Petrus de Bergomo.
Petrus Comestor.
Petrus Damiani Card.
Petrus Diaconus.
Petrus Equilinus Ep.
Petrus Girvellus.
Petrus Lombardus Ep. Par.
Petrus de Natalibus.
Petrus Notarius.
Petrus Paludanus.
Petrus de Tarentasia.
Petrus Pictaviensis.
Petrus Siculus.
Petrus Tripolitanus.
Petrus de Vineis.
Philastrius Ep. Brixianus.
Philippus Bonæ spei Abbas.
Philippus Presbyter.
Philippus Solitarius.
Philippus Mon. Clarævallensis.
Philo Judæus.
Philostorgius.
Philostratus.
Philotheus Monachus.
Photius Patr. Const.
Pius II. Papa.
Placidus Lutatius.
Pletho.
Plinius.
Plotinus Philosophus.
Plutarchus.
Polychronius.
Polycrates.
Pontius Diaconus.
Porphyrius Tyrius.
Possidius Calamensis Ep.
Primasius.
Proclus Philos.
S. Proclus Arch. Const.
Procopius Gazæus.
Procopius Histor.
Procopius Sophista.
S. Prosper.
Proterius Patr. Alex.
Prudentius Poeta.
Prudentius Tricassinus Ep.
Ptolomæus Lucensis.
Quintianus Asculanus Ep.
Rabanus Maurus.
S. Radegundis.
Radulfus Flaviacensis O. B.
Radulfus de Rivo.
Radevicus.
Rangerius Lucensis.
Ranulphus de Higeden.
Ratramnus Mon.
Redemptus Diaconus.
Reginaldus de Alna.
Remigius Autissiodorensis.
Remigius Lugdun. Arch.
S. Remigius Rhemensis.
Reverentius Arel.
Richardus Armacanus.
Richardus Clapoel.
Richardus Cluniacensis.
Richardus O. P.
Richardus Victorinus.
Rigordus Histor.
Rixfridus.
Robertus S. Michaelis Abbas.
Robertus Holkot.
Robertus S. Mariani Mon.
Robertus Retenensis.
Rodericus Semenus Tol. Arch.
Rogerius de Chonnoe.
Rogerius Hovedenus.
Romerius.
Rotomagense Chronicon.
Rudolfus Agricola.
Rudolfus Noviomagensis.
Rudolfus Mon.
Ruffinus Aquil. Presbyter.
Rupertus Tuitiensis.
Ruricius.
Ruffinus Presb. Palest.
Ruricius Lemovicensis Ep.
Rusticus Ep.
Rutilius Numatianus.
Salvianus Massiliensis Presbyter.
Samonas.
Sampirus Asturicensis.
Sampson Abbas.
Sangallensis Mon.
Sebastianus Salmanticensis.
Sedatus Episcopus.
Sedulius.
Seneca.
Serapion Antiochenus Ep.
Sergius.
Severianus Gabalensis.
Severus Minoricensis Ep.
Severus Sulpitius.
Sibylla Erytræa.
Sidonius Appollinaris.
Sifridus O. P.
Sigebertus Gemblacensis Mon.
Simeon Metaphrastes.
Simeon Junior.
Simeon Logotheta.
Simon Afflig.
Siud, seu Sulacas.
S. Sixtus.
Smaragdus Abbas.
Smaragdus Pauli filius.
Socrates.
Sophronius.
Sophronius Patr. Hier.
Sozomenus.
Stephanus Byz.
Stephanus IV. Papa.
Stephanus Tornacensis Ep.
Svetonius Tranq.
Sugerius.
Suidas.
Strabus Fuldensis.
Symmachus Interpres.
Symmachus Patricius.
Symmachus Orator.
Tatianus Syrus.
Taurentius Episcop.
Teredius, seu Tetradius.
Tertullianus Afer.
Tharasius P. Const.
Theganus.
Theo Mathem.
Theodoricus de Apoldia.
Theodoretus Cyri Ep.
Theodorus Abbas.
Theodorus Balsamon.
Theodorus Gaza.
Theodorus Magister.
Theodorus Metochita.
Theodorus Mopsuestenus.
Theodorus Rhaytha.
Theodorus Studita.
Theodotion interpres.
Theodulfus Aurelianensis Ep.
Theodulus.
Theophanes Abbas.
Theophanes Presbyter.
Theophilus Martyr.
Theophilus Patr. Alex.
Theophylactus Arch.
D. Thomas.
Thomas Anglicus.
Thomas Argentinas O. A.
Alius O. P.
Thomas Bradvvardinus.
Thomas Cantipratanus.
Thomas Dumlegius.
Thomas à Kempis.
Thomas Waldensis.
Tiberianus.
Tichonius Afer.
Timotheus Presbyter.
Trajanus Imp.
Troslejanum Concilium.
Trullana Synodus.
Turcius Ruffus Asterius.
Valerius.
Vandelbertus.
Venantius Fortunatus Ep. Pict.
Victores varii.
Victor Antiochenus.
Victor Capuanus.
Victor Tononensis Ep.
Victor Uticensis Ep.
Victorius Aquitanus.

Victo-

SECUNDUS INDEX
CATHOLICORUM,

Qui ab anno MDI. usque ad hunc annum MDCLX. vixerunt, aut vivunt.

Diony-

Dionysius Petavius S. J.
Dominicus Mellinus.
Donatus Veronensis.
Dorothæus Monembastiæ Metr.
Edmundus Campianus.
Edmundus Richerius.
Elias Vinetus.
Emericus Bigotius.
Erycius Puteanus.
Fabius Benevolentius.
Felix Petancius.
Ferdinandus Castillus.
Ferdinandus Vellosillus.
Ferdinandus Ughellus O. C.
Ferreolus Locrius.
Flaminius Nobilius.
Flavius Aquitanus.
Floridus Sabinus.
Franciscus Aretinus.
Franciscus Balduinus.
Franc. Bivarius.
Franciscus Bosquetus Monpelliensis Ep.
Franc. à S. Clara.
Franciscus Combesis O. P.
Franciscus Diegus.
Franciscus Duchesnius, vide Andreas.
Franc. Ferrariensis.
Franciscus Fevardentius O. M.
Franciscus Fontanus.
Franciscus Gonzaga O. M.
Franc. Guichardinus.
Franc. Juretus.
Franciscus Lychetus.
Franciscus à Messana Hierosolymitanus.
Franciscus Meynardus J. C.
Franciscus Niger.
Franciscus Olivarius.
Franciscus Penna.
Franc. Picolomineus.
Franciscus à Pitigianis.
Franciscus Ribera S. J.
Franciscus de Roye S. J.
Franciscus Rupifulcadius, S. R. E. Cardin.
Franciscus Sacchinus S. J.
Franciscus Suarez S. J.
Franciscus Svvertius.
Franciscus Tarvisinus.
Franciscus Tolensis.
Franciscus Titelmannus.
Franciscus Turrianus S. J.
Franciscus Vigerus S. J.
Franciscus Vatablus.
Franc. Vicomercatus.
Franciscus Ximenius.
Fredericus Metius.
Fredericus Morellus.
Fredericus Mathenesius.
Fredericus Nausea.
Fredericus Ubaldinus.
Fronto Ducæus S. J.
Gabriel Albaspinæus.
Gabriel Barrius.
Gabriel Biscicla S. J.
Gabriel Pennottus.
Gabriel Prateolus.
Gaspar Jongelinus.
Gabriel Vasquez S. J.
Garcias Loaisa.
Gaspar Sancius.
Gaspar Varrerius.
Gentianus Hervetus.
Georgius Ambianas.
Georgius Cassander.
Georgius à S. Benedicto.
Georgius Colvenerius.
Georgius Ederus.
Georgius Heserus.
Georgius Merula.
Georgius Stengelius.
Georgius Valla.
Georgius Vicelius.
Gerardus Noviomagus.
Gerardus Vossius Tungrensis.
Germanus Brixius.
Gilbertus Genebrardus.
Gilbertus Mauguinus.
Godefridus Henschenius S. J.
Godefridus Tilmannus.
Gotscalcus Holenus.
Gualvarius.
Guidus Bartolarius.
Guidus Pancirollus J. C.
Guillelmus Alanus.
Guillelmus Budæus.
Guillelmus Camerarius.
Guill. Colletetius.
Guill. Duvallius.
Guillelmus Estius.
Guillelmus Damasus Lindanus.
Guillelmus Fornerius J. C.
Guillelmus Eisingrenius.
Guillelmus Gazetus.
Guill. Morellius.
Guill. Pellicerius.
Guill. Sirletus.
Gustavus Selenus.
Hadrianus Turnebus.
Hadrianus Valesius.
Henricus Canisius.
Henricus Cuycquius.
Henricus de l'Espy.
Henricus Gravius.
Henricus Fitzsimon S. J.
Henricus Lorittus Glareanus.
Henricus Sommalius S. J.
Henricus Sedulius O. M.
Henricus Spondanus Episc. Apamiensis.
Henricus Valesius J. C.
Henricus Willotus O. M.
Heribertus Rosvveidus S. J.
Hieronymus Cardanus.
Hier. de la Higuerra.
Hieronymus Vignierius.
Hieronymus Mercurialis.
Hier. Occalus.
Hier. Rubeus.
Hier. Vielmius.
Hilarion Veroneus.
Hippolytus Maraccius.
Hubertus Vellericus.
Hugo Cavellus O. M.
Hugo Menardus O. B.
Hugo Teiser.
Hugolinus Verinus.
Hyacinthus Coquetius.
Jacobus Aug. Thuanus.
Jacobus Almainus.
Jacobus Anellus.
Jacobus Billius Prunæus.
Jacobus Bonfrerius S. J.
Jacobus Breullius O. B.
Jacobus Cujacius.
Jacobus de Cuilly.
Jacobus Faber.
Jacobus Gaddius.
Jacobus Goar O. P.
Jacobus Gretserus S. J.
Jacobus Gualterus S J.
Jacobus Merlonus Horstius.
Jacobus Meyerus.
Jacobus Micræus.
Jacobus Mosander Cart.
Jacobus Pamelius.
Jacobus Perronius Card.
Jacobus Philipp. Foresius Bergomas O. A.
Jacobus Philippus Thomasinus.
Jacobus de Plebe.
Jacobus Pontanus S. J.
Jacobus Puteanus.
Jacobus Sadoletus.
Jacobus Salianus S. J.
Jacobus de Saxonia.
Jacobus Sirmondus S. J.
Jacobus Spiegelius.
Jacobus Tirinus S. J.
Jacobus Wimphelingius.
Ildephonsus Brizenus.
Indices Expurgatorii Romani, Hispanici, Belgici, aliique.
Joachimus Perionius O. B.
Joannes Aleaume.
Joannes Alex. Brassicanus.
Joannes à S. Andrea.
Joannes Annius.
Joannes Antonius Flaminius.
Joannes Aubertus.
Joannes Azorius S. J.
Joan. Bapt. Crispus.
Joannes Bapt. Gabius.
Joan. Bapt. Guernæus S. J.
Joan. Bapt. Hautinus.
Joan. Bapt. Machaldus de Mota.
Joan. Bapt. Marus.
Joan. Bapt. Poza S. J.
Joan. Bapt. Rossius.
Joan. Bapt. Segni.
Joannes Bletlejus.
Joan. Bapt. Villalpandus.
Joannes Bernartius.
Joannes Bollandus S. J.
Joannes Bondonetus O. B.
Joannes à Bosco Cælestinus.
Joannes Buchetius.
Joannes Busæus S. J.
Joannes Chatardus.
Joannes Christophorsonus.
Joannes Coccius.
Joannes Cochlæus.
Joannes Collens.
Joannes Colganus.
Joannes Conen.
Joannes Cordesius.
Joannes Costerius.
Joannes Curterius.
Joannes Cuspinianus.
Joannes Dadræus.
Joannes Dominicus Trajanus.
Joannes Duraclusius.
Joannes Echius.
Jo: Eusebius Nierembergius S. J.

Joan-

TERTIUS INDEX
ACATHOLICORUM,
SIVE HÆRETICORUM FIDEI AVITÆ DESERTORUM,

Qui ab anno MDXVII vixerunt uſque ad annum MDCLX.

Martini Lutheri apoſtaſiæ imitatores.

Elias Ehingerus Luth.
Emericus Casaubonus.
Eobanus Hessus.
Franciscus Vvogitus Anglus.
Franc. Fabricius.
Franc. Hotomanus.
Franc. Junius Calv.
Franc. Patricius.
Franc. Portus.
Fridericus Sylburgius Calv.
Gaspar Barthius Luth.
Gaspar Hedio.
Gaspar Peucerus Luth. Calv.
Gebhartus Elmenhorstius Luth.
Georgius Buchananus Calv.
Georgius Calixtus Luth.
Georgius Fabritius Luth.
Georgius Horvius.
Gerardus Joannes Vossius Bel.
Gilbertus Cognatus Calv.
Gisbertus Voetius Calv.
Godeschalcus Stevechius.
Guillelmus Cambdonus Luth.
Guillelmus Gordonius.
Guillelmus Perkinsus Luth.
Guillelmus Spencerus.
Guillelmus Ranchinus.
Guillelmus Xylander Luth.
Helias Putschius.
Henricus Savillius Luth.
Henricus Agylæus.
Henricus Bangettus.
Henricus Hammondus.
Henricus Meibomios.
Henricus Ernstius.
Henricus Stephanus Calv.
Hermannus Nuenarius Comes Lutheranus.
Hieronymus Vvolphius Luth.
Hieronymus Zanchius.
Henricus Meibomius Luth.
Hieronymus Commelinus Calv.
Hier. Vvolfius.
Huldricus Zuinglius Hæresiarcha.
Humfridus Lhuidus Luth.
Jacobus Bongarsius Calv.
Jacobus Godofredus.
Jacobus Ouzelius.
Jacobus Usserius Calv.
Janus Gruterus Calv.
Janus Jacobus Boissardus Calvinianus.
Janus Rutgersius.
Joachimus Camerarius Luth.
Joachimus Zechnerus Luth.
Joannes Andreas Quenstedtius Lutheranus.
Joannes Aventinus à quibusdam Hæreticis admixtus.
Joannes Balæus Luth.
Joannes Calvinus Hæresiarcha.
Joannes Checus Luth.
Joannes Colvius.
Joannes Croyus.
Joannes Cosin.
Joannes Daillæus Calv.
Joannes Drusius.
Joannes Erneftus Gherardus.
Joannes Fichardus Luth.
Joannes Foxus.
Joannes Fredericus Gronovius.
Joannes Gherardus Patrologus Jenensis Lutheranus Bellarmini Expilator.
Joan. Henricus Hottingerus Zuigl.
Joannes Hospinianus.
Joannes Jacobus Beuterus.
Joannes Jacobus Frisius Zuingl.
Joannes Juellus Luth.
Joannes Langus Silesius Calv.
Joannes Latius.
Joannes Letznerus.
Joannes Lelandus Luth.
Joannes Lhuidus.
Joannes Leunclavius Calv.
Joannes Lonicerus.
Joannes Mercerius.
Joannes Meursius Calv.
Joannes Oecolampadius.
Joannes Raynoldus Luth.
Joan. Ribittus Zuingl.
Joannes Secerius Luth.
Joannes Sichardus Calv.
Joannes Sleidanus Luth.
Joannes Vvaræus Eques.
Joannes Vvhitus Anglus.
Joannes Vœgelinus Luth.
Joannes Vvolphius Zuingl.
Joannes à Vvouver.
Jobus Gastius.
Josephus Scaliger Calv.
Josias Simlerus Zuingl.
Isaacus Casaubonus ex Calviniano Lutheranus.
Isaacus Vossius.
Laurentius Humfredus.
Laurentius Rodomanus.
Lucas Lossius Luth.
Ludovicus Lavatherus.
Ludovicus Molinæus Calv.
Marquardus Freherus Calv.
Martinus Crusius Luth.
Martinus Kemnitius Luth.
Martinus Lutherus Hæresiarcha.
Matthæus Dresserus Luth.
Matthias Flaccius Illyricus, & alii Centuriatores Magdeburgenses Lutherani.
Melchior Hamensfeldtius Goldastus Calv.
Menradus Molherus Luth.
Michael Neander.
Nicolaus Ant. Gravacius.
Nicolaus Gallasius Calv.
Nicolaus Vedelius Calv.
Nicolaus Vignerius.
Nicolaus Zegerus.
Patricius Junius Luth.
Petrus Molinæus Calv.
Petrus Paulus Vergerius junior ex Episcopo Apostata.
Petrus Scriverius.
Petrus Viretus Calv.
Philippus Melanchthon Luth.
Philippus Mornæus Plessiacus Calvinianus.
Q. Florens Christianus.
Reynerus Reineccius.
Rheinardus Lorichius.
Richardus Montacutius Luth.
Robertus Cocus Luth.
Robertus Parkerus Luth.
Robertus Padiou.
Robertus Stephanus Calv.
Rod. Gualverus.
Rudolfus Hospinianus Zuingl.
Samuel Maresius Calv.
Sebastianus Munsterus Luth.
Sethus Calvisius Luth.
Sextus Arcerius.
Sigismundus Gelenius.
Sigismundus Sisæbellus.
Simon Grinæus.
Simon Goulartius Calv.
Simon Schardius.
Tanequillus Faber.
Theodorus Beza Calv.
Theodorus Bibliander.
Theodorus Canterus.
Thomas Jamesius Luth.
Valentinus Forsterus Luth.
Vincentius Opsopœus.
Ulricus Velenus Luth.
Vvolfgandus Musculus Calvinianus.
Zacharias Palchenius.
Coppetius Luth.
Draudius.
Smidelinus.
Vitakerus.
Stancarus.

INDEX ALPHABETICUS
OMNIUM AUCTORUM,
QUORUM OPERA IN TOTO VOLUMINE RECENSENTUR.

Si quos autem hoc signo * notatos reperies; ii sunt de quibus tantùm incidenter occurrit sermo.

A

B

C

L

Odilber-

O

P

Quintus

Q

R

S

T

Theodo-

V

X

Y

Z

F I N I S.

CA + O

